Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVIII
G
1
NAPOLI

R. P.

ÆGIDII BUCHERII ATREBATIS

E SOCIETATE IESV,

BELGIVM

ROMANVM

ECCLESIASTICVM

ET CIVILE.

NAPOLI

R. P.

ÆGIDII BUCHERII ATREBATIS

E SOCIETATE IESU,

BELGIUM ROMANUM

ECCLESIASTICUM ET CIVILE.

IN QUO HISTORIA OCCIDENTALIS UNIVERSA, Celebres de Anno Nativitatis & Paſſionis CHRISTI Quæſtiones, Conſtantini ad CHRISTI Fidem in Belgicâ converſio, Romani in Occidente Imperii caſus ac ruina, Francici in Galliâ Regni ſucceſſio continentur; Tabulis Chronologicis & Indicibus neceſſariis illuſtrantur.

A fine Commentariorum Cæſaris, ad Annum Chriſti vulgarem 511. ſeu ad mortem Chlodovei primi.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

HENRICI ET JOANNIS MATHIÆ HOVIORUM,

Sub ſigno Paradiſi Terreſtris.

M. DC. LV.

NAPOLI

SER.^MO ARCHIDVCI
LEOPOLDO
GVILIELMO
AVSTRIACO, BVRGVNDICO,
BELGARVM SEQVANORVMQVE
PROREGI
MERITISSIMO.

SISTIT. ſe ecce Tibi, SER.^ME PRINCEPS, BELGIVM ROMANVM Eccleſiaſticum & Civile; ſicut longis mihi duriſque laboribus eductum; ita pluribus Tibi nominibus deſtinatum, Tibi debitum. Deſtinatum, jam inde à primo ortus ſui typographici primordio; & dum adoleſceret, ad tuam, ut ita loquar, aram interea ſuſpenſum. Debitum Tibi, tot Cæſarum Auguſtorúmve ſanguini, & ſanguini adhuc Belgico; Belgii demum Gubernatori, Inſtauratori, Defenſori. Et Belgium quidem vetus, ſub Iulio Cæſare Imperatorum primo, ab annis jam plus mille ſeptingentis, Romanis innotuit. Novem inde annis Iulio ſubigenti non ignavè reſtitit; donec illi conditione parendi meliore, ſe permiſit. Et Cæſar amicè paternéque ſuſcepit; ejus incolis contra Pompeium & alios feliciter uſus. Sub illius ſucceſſoribus non paucis, per annos pluſquam quin-

gentos, fide obſequióque conſtanti perſtiterunt; Imperium eorum æquo jam cum victoribus jure (tanta Romæ fuit humanitas) quaſi in ejus partem gentemque tranſiiſſent, tandem aſſecuti. Quare Romam, ceu matrem piam, Belgæ diligebant; pro ejus ſalute, tanquam ſuâ, lacertos virésque contra invadentes Barbaros conjuncti movebant. Probè gnari, tantam Imperii ex tot gentibus adunati compagem, ſine ſubditorum exitio convelli non poſſe: gnari item, expenſis utriuſque fortunæ documentis, obſequium cum ſecuritate, quàm rebellionem contumaciámve cum pernicie præſtare.

Et auguſtiſſimæ quidem Familiæ Tuæ, Moderatiſſime PRINCEPS, nulla ſaltem nobis comperta, cum primis iſtis Imperatoribus ſanguinis communio fuit. cum geſtis tamen ac conſiliis eorum ſubeſt non modica ſimilitudinis affinitas, & ex paribus cauſis non diſpares exitus: quæ ut hoc Tibi debeatur Opus, efficiunt. In eo quippè ex Tacito videbis, Auguſtum Iulii ſucceſſorem, *feſſâ licèt ætate, toties in Germanias* noſtras, utique Ciſrhenanas ac Belgicas, *commeaſſe*; Majeſtate Imperatoriâ Belgas recreaſſe; Tranſrhenanos hoſtes repreſſiſſe. In eo leges Maroboduum genere Suevum ac Marcomannum, mox armorum jure Boiohæmi ſeu Bohemiæ Regem Tacito laudatore potentiſſimum, à duabus novi regni partibus Auguſti juſſu impetitum: illinc ab Auſtriâ Tuâ, tunc Superiore Pannoniâ, & Carnunto ad Danubium oppido, hodie *Petronel*, Tiberio in eum movente; hinc è Belgicâ, Sentio Saturnino ejus Legato, Chriſti paulò antè nati Cenſitore, cum legionibus Rhenanis, per Chattos, hodie *Haſſos*, irrupturo; niſi Pannoniæ ipſæ Dalmatiaque tunc rebellantes, neceſſaria generoſis præponere coëgiſſent, ſcriptore Velleio. Ceterùm conatus iſte ſolus, quàm affinis fuit nupero illi, quo anno Chriſti 1621. FERDINANDVS II. Imperator, Pater Tuus, illinc ab Auſtriâ ſuâ, feréque Carnunto; hinc è Belgio, co-

gnatus

gnatus ejus Albertus, Duce Buquoio Atrebate noſtro, Bohemiam eamdem vicináſque provincias rebelles, Auſtriacæ Domui reddiderunt? Et Belgium Tibi noſtrum non deberetur?

Rurſus in eo leges, Tiberium Auguſti ſucceſſorem, adoptione filium, Germanico nepoti filióque ſcribentem: *Se novies à D. Auguſto in Germaniam*, maximè Belgicam, *miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe. ſic Sugambres in deditionem acceptos., ſic Suevos Regémque Marobodum pace obſtrictum.* Tanta erat Cæſarum iſtorum Auguſto junctorum in Belgio noſtro frequentia, tanta illius cura: quod Tu modò non diſpari ſeu conſilio ſeu vi, æquali quoque ſucceſſu defendis.

Sed nihil in Belgio noſtro æquè me afficit, ac Tui cum Germanico Cæſare undecumque fere ſibi reſpondens compoſitio. Erat ille Auguſti ipſius ex Octavia ſorore naturâ pronepos, adoptione nepos; Liviæ autem Auguſti uxoris, vero ſanguine, nepos: *juvenis ingenio civili, mirâ comitate; mirâ à Tiberii ſermone, vultu, adrogantibus & obſcuris differentiâ:* multis victoriis Belgicis terrâ maríque perinclitus. Tu quoque juvenis inuſitatâ comitate, Auguſtos & Imperatores abavos atavoſque continuâ generis etiam maſculini ſerie recenſes; MAXIMILIANOS binos, FERDINANDOS jam ferè tres; propatruum CAROLVM Quintum, Imperatorum noſtri parerniquę ævi florem, veram Chriſtiani Principis Ideam: pluribus & Tu ipſe terra maríque Belgico victoriis illuſtriſſimus: ad Gravelingam, Dunkercam, Landrecium, Ipras, Cortracum in Belgio: In Francia ipſa ad Rupem regiam, Capellam, Caſteletum victoriis eminentiſſimus: ne quid dicam de Suecis Bohemiâ bis à Te exactis. *Tac. l. 2.*

Segeſtem ille Cheruſcorum in Germania tranſrhenana (hodiè Brunſwicenſium Luneburgenſiumque) Principem Romanis fidum, à validiore genero ſuo Arminio circumſeſſum, magno prælio, magna cum propinquorum clientiumque manu in libertatem

aſſeruit. Tu VVolfenbultelium munitiſſimum, Tu Auguſtam Vindelicorum à rebellibus Imperii circumſeſſam urbem ampliſſimam; in Belgio autem noſtro etiam Cameracum à Francis magnâ mole circumvallatum, ſine ullo prælio, ſine ſudore & ſanguine, heroïco & inexpectato ſtratagemate, obſidione liberaſti: majore Belgarum noſtratium gaudio neſcias an fructu.

Tac. ann. 2. Germanicus tantis rebus geſtis, *de Cheruſcis, Chattis, & Angrivariis, quæq; aliæ nationes ad Albim colunt, triumphum* meruit ac *duxit* longè ſpecioſiſſimum. & jam Imperii quoque ipſius apicem ex prævià Auguſti deſtinatione captabat, & tantùm non tenebat; nî averſa Tiberii patrui patriſque voluntas tanto efficaciùs quanto occultiùs invidiſſet. Tu non paucioribus, non minus inclytis rebus, ad ejuſdem Imperii culmen proximè jam accedis, & utinam cum Deo bono, aliquando totus accedas: nec tam belli quàm pacis triumphum, fœnore majori ducas!

Denique Germanicus ante omnium opinionem, ante deſiderium *extinctus eſt; ingenti provinciæ* Syriæ, *& circumjacentium populorum luctu.* Idem ibid. *Indoluêre exteræ nationes Regesq;. Tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes; viſuq; & auditu juxta venerabilis, cùm magnitudinem & gravitatem ſummæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat. Et erant, qui formam & ætatem ejus, Magni Alexandri fatis adæquarent: Sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum. Neque minus præliatorem, etſi temeritas abfuerit, præpeditusq; ſit, perculſas tot victoriis Germanias ſervitio premere. Quòd ſi ſolus arbiter rerum, ſi jure & nomine regio fuiſſet, tanto promptiùs aſſecuturum gloriam militiæ, quantum clementiâ, temperantiâ, ceteris bonis artibus præſtitiſſet.* Et omen quidem ut citò nobis avellaris, Magne PRINCEPS, inhibeat Deus; quandocumque tamen incertior iſta provenerit hora; indolebunt non exteræ minùs quàm domeſticæ gentes Regeſque. tanta Tibi ineſt in tuos comitas, in hoſtes manſuetudo. adeò magnitudinem & gravitatem ſummæ fortunæ retines; invidiam &

adrogan-

adrogantiam effugis. Quod ſi unquam jure & nomine regio ſolus rerum arbiter, Regis Deique munere, exiſteres, tanto promptiùs militiæ gloriam ſine temeritate aſſequereris, quanto bonis artibus ſine adfectatione præſtares. Quis tantâ tot ſimilium affinitate, Belgium hoc Romanum Tibi debitum non agnoſcat? Atque iſti hactenus in proſperis paralleli. Quid in adverſis?

Monuit Germanicum Tiberius, ejuſdem Taciti Annali ſecundo: *Satis jam eventuum, Satis caſuum. proſpera illi & magna prælia: eorum quoque meminiſſet, quæ venti & fluctus, nullâ ducis culpâ, gravia tamen & ſæva damna intuliſſent.* Nec illa Tu non ſubiiſti: quando ea eſt humanæ naturæ conditio, ea inſtabilitas; ut eodem ſtatu vix unquam ſtemus. Vix ulli felicitas, vix virtus perfecta unquam contigit: In utrumque Apollinis Delphici dolium cujuſque manus immittenda, & de bonis maliſque alternatim hauriendum. *Quâ tamen major pars vitæ atque ingenii ſtat, eâ de homine judicandum.* ait rectè apud Senecam Rhetorem Aſinius Pollio: Tu certè ſecundas res moderatè, adverſas conſtanter ſemper toleraſti: probè gnarus utraſque momento mutari poſſe. Te ſæpiùs jam vidimus, & nuper maximè, *Per damnâ, per cædes ab ipſo Ducere opes animumq́, ferro. Ipſe benigno numine te Deus defendit; & cura ſagaces expediunt per acuta bella.* Ne ipſe quidem Phœbus ab immani fœdáque tempeſtate, à luridâ eclipſi *pulchrior evenit*, & ſerenior. ex ipſo adverſorum profundo Te ipſo fortior exurgis. Germanicus certè averſam à ſe patrui voluntatem, etiam frendente Agrippinâ uxore, æquiſſimè tulit.

Hinc mirus apud militem, apud populum amor. Quem ut certiùs ſubinde exploraret, ipſe primâ nocte, augurali & occultâ portâ, comite uno egreſſus, humeros ferinâ ſimulatáque veſte contectus, per caſtrorum vias, militum tabernaculis adſiſtebat; ut quid ſecreti & incuſtoditi, inter militares cibos, ſpem inter ac metum proferrent, ſuis ipſe, non alienis, auri- *Tac. lib. 2.*

bus

bus intelligeret. Ibi ſincerâ ſui famâ fruebatur; cùm hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per ſeria, per jocos, eumdem animum laudibus ferrent; reddendamque gratiam in acie faterentur. Idem Tu ſi faceres, PRINCEPS Manſuetiſſime, quantâ Tui famâ fruereris! cùm hic ſanguinem Tuum Auguſtiſſimum, & Diis oriundum, decorem ille, comitatem & patientiam alius, omnes animi robur ac fortitudinem, cum ſummâ pietate junctam extollerent. Videres amorem Tui nihil ipsâ Majeſtate retuſum; honorem nihil tanta facilitate, tanta ſubmiſſione remiſſum. Magna hæc & ardua, ſat ſcio, in Germanico Tibi Belgium, noſtrum exhibebit; ſed humana tamen & civilia.

Sacra & Eccleſiaſtica ibidem expoſita, Tibi PRINCIPI Chriſtianiſſimo gratiora etiam erunt & utiliora. Chriſtum Incarnatum & in ſtabulo natum Liber ſecundus offeret; annum diemque Nativitatis accuratè juxta & breviter; Pacem tunc univerſalē, & Cenſuales Imperii Tabulas, in quas ille cum matre patréque relatus eſt; miſeram Herodis Infanticidæ mortem toties agitatam, toties indagatam, ex Iudaïca Ioſephi hiſtoriâ, ex Romana, ex Evangelica ipſa, anno ſuo jam novantiquo certiùs affixam expandet. Annum Paſſi Chriſti, etiam certiorem, omni genere teſtium probatum inſpicies: quibus iiſdem annis, quid Romæ, quid in Belgio, quid in Græciâ rerum geſtum ſit ediſſeritur. Quinam inde Apoſtoli Belgium noſtrum idololatriæ tenebris, quàm cruentis, quàm horrendis hominum ſacrificiis eduxerint, vix in animum inducere poteris. Sed lætior mox Conſtantini ad Imperium adventus, & eidem ſupra omnia vivificæ Crucis divinitùs, & Numagi ad Moſellam in Belgis paulò infra Treviros, indulta viſio, indéque ſecuta ad Chriſti fidem converſio, nullo non gaudiorum genere Te perfundet. Quid enim alibi ſimile?

Tot orbis Romani Provinciæ, ipſaque adeò Regina

Provin-

Provinciarum Italia, ipſa adeò Italiæ Domina Roma, tot Cæſares & Auguſtos tam arctè, tanto tempore poſſederant: nulla tot annorum fluxu, vel unum eorum Idololatriæ raptum, veritati Chriſtóque certò aſſerere potuerat. Prima ſoláque BELGICA, quantumvis Aquilone rigens, quantumlibet Hieroſolymis Romáque, id eſt ipſis fidei fontibus, abjuncta, extremis hominum Morinis infeſſa, tot Barbarorum infidelium viciniis & irruptionibus agitata, lacerata, ſubverſa, Conſtantinum Imperatorem ſuum, ardente licèt adhuc alibi perſecutione, Chriſto vindicatum, in Catechumenorum ſaltem numerum induxit. Vt planè tanquam proverbio dici poſſit, Conſtantinum ſeu Britannia ſeu Dardania dedit mundo, eadem Britannia Imperio, BELGICA Chriſto.

Cetera quæ deinceps ad finem uſque ſequuntur; ut Concilia tum generalia, tum provincialia, contra Arrianos habita, quibus & nonnulli noſtrates Epiſcopi, Superior Nerviorum, Servatius Tungrorum, Euphrates Vbiorum, non ſine laude adfuerunt, per otium percurrere poteris. Simul Francorum, qui Romanis in Belgii noſtri Imperio ſucceſſerũt, originem: primos item Reges, & eorum in Belgicam, primoque in Ripariam circa Coloniã Agrippinenſem ingreſſum: tum in Tungriam ſeu Tungrorum fines, in Nervios cis Scaldim, mox etiam ultra in Atrebates ac Morinos, ad Somonam uſque flumen progreſſum: ulterioris denique Galliæ ad Garumnam & Burdegalam occupationem haurire poteris: ac videre, quomodo Meroveus, à quo Meroveadæ Reges, Tornacum celeberrimam gubernationis Tuæ civitatem obtinuerit: ubi & filius ejus Childericus ſepulchrum nactus ſit, è quo nuper poſt annos ferè mille ducentos, in ſinum ſe tuum ultrò projicere geſtierit: & Childerici demùm filius Chlodoveus ibidem natus ſit, Regum Francorum primus Chriſto addictus.

Iſta, inquam, & plura ſimilia non ſine delectatione,

in hoc Opere noſtro leges, PRINCEPS SERENISSIME, ſimul experieris, quàm verè Hiſpanorum ille Regum eximius Alphonſus pronuntiarit, Nullos meliores & utiliores Principibus eſſe Conſiliarios, quàm mortuos, aut Mortuo-vivos: *Libros intelligens*, ait in Politicis ſuis Lipſius, *qui nihil blandientes, nihil celantes, purum meramq́; propinant veritatem.* Librum igitur hunc noſtrum, PRINCIPVM Manſuetiſſime, quo ſoles animo benignè ſuſcipe; defende, hoc magis, quò BELGIVM Tibi tuum, jam inde à Romanis aperit. Experieris veriſſimum illud, quod olim accinebant apud Ciceronem de Varone Romani: *Nos in noſtrâ urbe peregrinantes, errantesq́; tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt; ut poſſemus aliquando, qui & ubi eſſemus agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum ac locorum aperuiſti; plurimùm Poëtis,* hiſtoricis, *noſtris luminis attuliſti.* Potes & Tu PRINCEPS quando voles legenda ſcribere; ſed quæ tua eſt conditio, digniùs, aptiùs, utiliúsque ſcribenda facere perge, Deum vocantem ac ducentem, Tibi ſemper ſimilis, ad majora, ad cœlum denique ſequere.

Ita vovebam

SERENISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ

Addictiſſimus cliens

ÆGIDIUS BUCHERIUS
Societatis JESU.

Leodii feſto Converſionis S. Pauli, Januarii 25. 1655.

LECTO-

LECTORI CANDIDO S.

DUPLICI ſtyli genere texi poteſt Hiſtoria. perpetuo uno, & ab unius Scriptoris genio manuque, ſibi ſemper conformi; quo uſi ferè priſci omnes, Cæſar, Salluſtius, Livius, Velleius, Tacitus, alii: qui ævi maximè ſui res, teſtes ipſi oculati auritive, poſteris tranſmiſêre, fidem ideo nonniſi ſuam præſtare obſtricti. Aliud eſt eorum, qui priſca & multorum ſupra ætatem ſuam annorum geſta colligere, poſteriſque mandare inſtituunt. Ii cùm Veterum ſcripta ſequi cogantur, tanto minorem à Lectoribus ſuis fidem merentur, quo verbis illorum omiſſis ſua ſubſtituere, & ſtylo ſenſuque ſuo hiſtoriam texere malunt. Ut enim aqua è fonte egreſſa, quo longiùs manat, & pluresvariæ indolis fundos lambit, hoc magis à nativo primigenioque ſapore degenerat: ita Hiſtoriam veterem, quò pluribus ſcribentium meditationibus calamiſque quodammodo percolatur, hoc magis à primo fidei nitore deficere neceſſum eſt. *Mutat plerumque ſaporem longis variiſque ſub terram ſpatiis decurrens aqua: Nec de illâ pariter iudicat longinquus potator, atque is qui ad aquæ caput aſſidet, hauritque de fonte*, ait Velſerus in Vindelicis. Quare eminentiſſimus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pater Baronius annales ſuos non tam ſuis, quàm Auctorum, è quibus deprompſit, verbis ac ſtylo contextos voluit: ſicut & Hiſpanica ſua Ambroſius Morales, ideo ceteris Hiſpaniarum recentioribus Hiſtoricis prudenter ab eodem Baronio præhabitus.

Hoc quoque nos genio Belgicam iſtam veterem hiſtoriam, ſcriptorum eorum, qui ſui ævi res prodidêre, verbis ac ſtylo maximè contexere maluimus, quò minus de fide & elegantia (ubi ea ſubeſt) detereremus. Quid igitur affers novi? inquies. Utinam ego quidem nihil! ſed Veterum omnium monumenta integra tibi dare, & ipſe tacere potuiſſem? Dapibus ut inemptis, ita & purioribus ego tuque veſceremur. Nunc, cùm omnia ferè ævum aboluerit, id unum mihi reliquum fuit, ut quæ ſupererant fragmenta colligerem, ex iis, quæ poſſem, elicerem; diviſa ſuis temporibus artubuſque reponerem; & operæ iſtius qualiſcumque meæ rationem ſubtexerem. Ita lateres & ligna abs aliis undique conduxi, ſed cæmento meo commiſi; ſicque toti huic ædificio non quidem materiam, at formam ſaltem ex parte meam, dedi, maximè ubi ex paucis reliquiis nova eduxi: ut in irruptione Vandalicâ, & Imperii Romani in Occidente caſu. Populariùs fortè, & ad vulgi auram accommodatiùs Scriptorum verba, orationem ſubinde importuniùs interſecantia, non tam religiosè attuliſſemus, perpetuo ſoloque noſtro ſermone locuti. Sed vicit, ut dixi, veritatis minimè percolandæ caſtus amor, & ingenuus quidam de tanta vetuſtate aliter ſcribendi pudor. Quod ſi vergens ætas longioris vitæ ſpem non præcidiſſet, ſtatueram horum omnium Epitomem meo unius ſtilo fluentiorem dare. Melius fortè conſilium, certè faciliùs ac tutiùs incidit; libros ſingulos per capita dividere, Capitum Epitomem marginalibus additis exprimere: obvio nempe ſemper ad textum recurſu, ſi rem à fundo guſtare Lector deſideret; libero contrà tranſcurſu, ſi plura nolit. Neque verò quis, occupatior præſertim, operæ pretium non fecerit, ſi ſolos Capitum Titulos, ſola cum Titulis Marginalia percurrere dignetur; hiſtoriæ quantumvis parum, aliquid tamen ſemper, & majoris forſan accuratioriſque lectionis inde ſitim hauriet.

Illum interim obnixè precor, ut benevolum ad Lectionem animum adferre ne gravetur. Memor antiquiſſimarum illam rerum eſſe, quæ Scriptorum fere omnium jacturâ, mutilatione, defectuve tantum non evanuerint. Queritur exordio operis ſui Pater hiſtoriæ Livius, *Rem* ſe aggreſſum *immenſi operis, ut quæ ſupra ſeptingenteſimum annum repetatur.* Quid de hoc noſtro labore dicendum, qui annos ſupra ſeptingentos, abs aliis inſuper mille repetitur? qui res tantâ vetuſtate jam evanidas, quæque etſi integræ ſupereſſent, velut magno ex loci intervallo, vix tamen cerni poſſent, ad vivum depingere, ex variis variorum ſcriptis disjunctiſſimas rejungere, & in artus ſuos velut in unum corpus reſtituere, licèt non præſumat, tamen enititur? *Sed neque ſcire fas eſt omnia; atque opere in magno fas eſt obrepere ſomnum.* Ubi igitur Scriptorum fragmenta colligo; iis mea ſubtexo, quibus nova quædam eruo, dubia diſcutio, obſcuriora interpretor; ſi mihi

quid humanitus exciderit, in bonam partem trahat: *In magnis voluiſſe ſat eſt; & primas aſſequi non valentem, honeſtum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere.* Ne velut Harpyia, cùm epulis non malis in hujus operis menſâ, paſtus fuerit, cæteras ſuæ fœtore detractionis inficiat; ne ut muſca corpori ſano incumbens, in parvam aliquam ſaniem involet; & eâ potiùs quam bonâ carne paſci malit. Sed neque mihi dubium, quin Lectori naris emunctioris dubia quædam futura; quædam iis, qui dignitatis ſuæ ex his antiquioribus incrementum ſperant, nec pro votis invenient, minus gratè caſura ſint. quis enim omnium guſtui ſatisfaciat? Ceterùm, ſicut ego non inficior, in multis me falli poſſe; ita neque neget Lector, ſe in aliorum reprehenſione, rem ſemper acu non tangere. Viros benè doctos in qualibet ego ſcientiâ vidi, quæ nonnullâ præcipitatione in aliis carpſerant, eadem pari pudore revocare coactos. Quiſque ſuos patimur manes; ut ferri volumus, ita feramus. Tale quid eſſe poteſt: quod de Nerviorum Epiſcopo, lib. 8. cap. 31. & ſequentibus in partem utramque diſputavi. ubi ſicut plenam judicii cuique ſui libertatem reliqui, ita non defuere, qui nova pro Tornacenſibus argumenta ſubmiſerint, ultrò etiam à me invitati: quæ & ego ad operis finem in Anacephalœoſi anni diſcuſſa, Lectori ſincerè propoſui: melioribus ſemper, ſi quis ea ſuggeſſerit, inſiſtere paratiſſimus. ea cum præcedentibus jungat Lector, lucem non modicam hauriet. Nunquam enim excidet animo aureum illud Iſaiæ Prophetæ dictum capite 59. v. 5. *Telas araneæ texuerunt.* Verè nos Scriptores telas aranearum plerumque teximus, quæ quantovis artificio contextæ, parvo tamen tactu flatúve rumpuntur. Vale.

OMNIA SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ, APOSTOLICÆ, ET CATHOLICÆ JUDICIO SUBJECTA SUNTO.

Sic enim eam vocat Paulus Apoſtolus ad Rom. cap. 1. verſu 11. *Deſidero ſimul conſolari in vobis, per eam quæ invicem eſt, Fidem veſtram atque meam.* Fides Pauli Apoſtoli erat APOSTOLICA; ergo & *invicem* Romana: Rurſum ibidem verſu 8. *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* ea eſt CATHOLICA; quando *Vniverſus* Græcè dicitur Catholicus.

APPROBATIONES ORDINARIÆ.

HIc liber, cui titulus *BELGIVM ROMANVM Eccleſiaſticum & Civile*, ab Eruditiſſimo & Reverendo in Chriſto Patre ÆGIDIO BUCHERIO Societatis IESV Presbytero & Theologo, magno labore, & ſummâ induſtriâ elaboratus, præfert facem omnibus antiquitatis ſtudioſis; & ſplendoris ſui beneficio, Hiſtoriæ tum ſacræ, tum profanæ abdita patefacit, obſcura pandit, difficilia & involuta explicat, mira brevitate, & perſpicuitate: Itaque utiliſſimum judico, ut in publicum prodeat. Datum Leodii ex ædibus noſtris Clauſtralibus hac 20. Januarii 1655.

IOANNES A CHOKIER
Vicarius generalis Leodienſis.

REverendi P. BUCHERII, *BELGIO ROMANO Eccleſiaſtico & Civili*, operi ſanè digniſſimo clariſſimóque, lucem publicam cum multis aliis accenſeo. Tornaci 29. Septembris 1654.

MATHIAS NAVÆVS.
S. Theol Doctor, Canonicus Tornacenſis, Librorum Cenſor.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra-ſcriptus Societatis IESV per Gallo-Belgium Provincialis, juxta Privilegium eidem Societati conceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do Ioanni Mathiæ Hovio Typographo Leodienſi, ut librum, cui titulus eſt Belgium Romanum, à R. P. ÆGIDIO BUCHERIO ejuſdem Societatis compoſitum; ad ſex annos proximos imprimere & liberè diſtrahere poſſit. Datum Audomari 23. Novembris 1654.

EVERARDUS HOCKIUS.

INDEX

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *Priſca Galliarum Diviſio ſub Romanis.* 1

CAP. II. *Belgica ſubdiviſio.* 3

CAP. III. *Quid BELGIUM Cæſari & Hirtio.* 6

CAP. IV. *Quid BELGIUM hodiernum?* 8

CAP. V. *Qui populi jam olim e Belgis orti? Vetuſtiores eorum expeditiones.* 11

CAP. VI. *Belgii & Galliarum ſtatus bello Pompeiano.* 14

CAP. VII. *Reliqua in Belgio geſta, uſque ad Cæſaris necem.* 17

CAP. VIII. *Gallicana L. Munacii Planci, item M. Antonii & Cæſaris Octaviani Triumvirorum, per legatos Præfectura.* 18

CAP. IX. *Cæſaris Octaviani prima res in Belgica noſtra geſta, M. Agrippâ Legato. Colonia ad Rhenum conſtructio.* 21

CAP. X. *Bellum Actiacum, & eo durante BELGICUM, à Morinis noſtris ac Suevis. De quo C. Carrinas cum Cæſare triumpharit.* 23

CAP. XI. *Poſt urbem Provincias ordinavit AUGUSTUS: primò Galliam, in qua & Cenſum primum Provincialem agit.* 25

CAP. XII. *Quid in Belgicâ præ Julio patre novaverit Auguſtus; quibus terminis populos ejus circumſcripſerit, in BELGIO hodierno maximè.* 26

CAP. XIII. *Auguſti in Britanniam expeditio bis tentata, bis rupta. Ejuſdem de Cantabris & Germanis Transrhenanis victoria, eoq; Janus 2. clauſus. Agrippa Tiberiuſq; Præfectura Gallicana.* 31

CAP. XIV. *Ejuſdem belli Germanici ſive Sicambrici continuatio. Lolliana clades. Coloniæ in Gallias ab Auguſto deducta.* 33

CAP. XV. *Bellum Germanicum à DRUSO, è Belgicâ maximè, geſtum, & ab eo ibi Cenſus actus* 37

CAP. XVI. *Druſi bella in Belgio navalia.* 39

CAP. XVII. *Reliqua Druſi prælia, Mors, funus, ſepultura.* 41

CAP. XVIII. *Bellum Sicambricum ſeu Germanicum à Tiberio patratum. Inde Pax Univerſalis: Janus tertium ab Auguſto clauſus.* 44

CAP. XIX. *Eadem Jani clauſura magis probata, & quamdiu ſteterit. ab Horatio moriente decantata. Annus Julianus ab Auguſto per hanc pacem reſtitutus. Hiſtoriæ Livianæ finis. Qui tum Poetæ.* 46

CAP. XX. *Sicambri ac Suevi plerique in Belgicam Auguſti juſſu traducti.* 49

CAP. XXI. *Marobodui Suevi cum Marcomannis ſuis in Bohemiam migratio.* 50

CAP. XXII. *Variarum aliarum Gentium circa hos annos ab Auguſto facta Tranſlatio.* 53

CAP. XXIII. *Tantam in Chriſti Nativitate Pacem Germanorum Parthorúmque quiete maximè productam. Bella civilia nulla.* 54

CAP. XXIV. *Quid poſt Janum ab Auguſto tertiò clauſum, Romæ & in Belgio geſtum; toto ante Incarnationem Chriſti biennio.* 56

LIBER SECUNDUS.

De CHRISTI Incarnatione, NATIVITATE, & Pueritia, ad annum uſque duodecimum, &c. Rebus item Belgicis eo tempore geſtis. 58

CAPUT I. *JOANNIS Baptiſtæ Conceptio.* 58

CAP. II. *Romæ figuram Incarnationis Auguſtus, ceu alter Cyrus, in nepote filióve ſuo adoptivo Caio Cæſare, adumbrare viſus.* 60

CAP. III. *Quid fuerit illa Orbis ex edicto Auguſti Deſcriptio, ſeu Cenſus? Quando & quomodo peractus?* 61

CAP. IV. *Caiúſne Sentius Saturninus, an P. Sulpitius Cyrinus ſeu Quirinius, Cenſus hujus acceptor?* 64

Sect. 1. *Quis fuerit Sentius Saturninus.* ibid.

Sect. 2. *De QUIRINO ſeu Kyrino, Quis fuerit?* 66

CAP. V. *In hoc Cenſu quid Joſeph cum uxore & filio profeſſus ſit? Idem Cenſus Joſepho hiſtorico, Magorum item adventus, & Infanticidium ſubindicatur.* 69

CAP. VI. *Quot annos regnarit Herodes? Unde illi advocandi, ubi finiendi? Mors ejus.* 72

Sect. 1. *Initium Regni Herodis.* ibid.

Sect. 2. *Qui Romæ ſermones ex Herode novo Rege? Nempe Magnum Regem ſeu Meſſiam brevi naſciturum.* 75

Sect. 3. *Regni Herodis Anni & mors.* 77

Sect. 4. *Eclipſis Lunæ in morte Herodis anno Juliano 42. non 43. reperta quomodo ſolvi poſſit?* 79

Sect. 5. *Herodis heredes, ab Auguſto confirmati. Chriſti in Ægyptum fuga, & reditus.* 80

CAP. VII. *Phraatis Parthorum Regis mors. ſuccedit filius Phraataces. Julia Auguſti filia relegatio. Caii Cæſaris F. in Orientem apparatus.* 81

CAP. VIII. *Caii Cæſaris in Syriam iter. Anni à Chriſto nato vulgares, ſeu Dionyſiani. Levis in Germania motus repreſſus.* 84

CAP. IX. *Caii Cæſaris in Arabiam Judæamq; excurſus. Pax cum Parthis. Armenica expeditio. Mors, & cum puero Chriſto Paralella contraria.* 86

CAP. X. *Tiberium, Germanicum, & Agrippam adoptat Auguſtus, & ad bellum Germanicum remittit.* 88

CAP. XI. *Pax Chriſto naſcente generalis Ovidio memorata, adhuc anno Iuliano 51. ineunte. Quæ etiam ob bellum Illyricum rupta. Tiberii in Maroboduum expeditio ſucciſa.* 91

CAP. XII. *Archelaus Viennam Galliæ relegatur. Quirinus in Syriâ Cenſus. Coponius primus Iudææ Procurator* 94

CAP. XIII. *Annus Chriſti duodecimus. quo inter Doctores invenitur. Coponio Iudææ jam Procuratore Nova Græcorum à Chriſto Epocha.* 95

LIBER TERTIUS.

Ab Anno Chriſti nati vero 13. Dionyſiano ſeu Vulgari 9. ad ejuſdem 31. & 27. ſeu ad Joannis Baptiſtæ, & Chriſti Prædicationem. Per annos 18. 97

Germanorum aliquot Principum ſub Auguſto, Tiberio, &c. STEMMATA. *Ibid.*

CAPUT I. *Variana clades non procul à Viſurgi in Chattis Septentrionalibus.* 98

CAP. II. *Quid poſt tantam cladem à Germanis victoribus Romanisq; geſtum.* 101

CAP. III. *Tiberium ſtatim ab hoc Dalmatico Pannoniόve Triumpho, Auguſti in Imperio collegam & conſortem, ſaltem in Provinciis, factum: indéque Imperii ejus annos à S. Luca aliisq; deduci.* 103

CAP. IV. *Germanicus loco Tiberii in Germaniam miſſus. Mors Auguſti. Ingens octo Legionum ad Rhenum ſeditio, à Germanico ſopita* 106

CAP. V. *Belli Belgo-Germanici ſub Germanico continuatio.* 109

CAP. VI. *Germanicus claſſe mille navium militem è Batavia in Germaniam vehit. Arminium ingenti prælio fundit. Rediens magna tempeſtate affligitur.* 112

CAP. VII. *Triumphus Germanici, & captivi in eo ducti. Quamdiu id bellum Belgo-Germanicum, & à quibus geſtum.* 114

CAP. VIII. *Germanici in Orientem iter, geſta, mors. ut & Arminii. Iudæi Româ pulſi.* 116

CAP. IX. *Lepida cyrenii Evangeliſtæ ſeu Quirini uxor damnatur. Gallorum, ſpeciatimque Treverorum, rebellio compoſita. Ipſius Quirini mors.* 118

CAP. X. *Reliqua Tiberii ad Chriſti Baptiſmum Prædicationemq; quinquennio toto geſta: ſeceſſus in Inſulam Capreas. Legiones Imperii.* 120

LIBER QUARTUS

De Joannis Baptiſtæ Chriſtique Prædicatione, Paſſione, Spiritus Sancti Miſſione. 122

CAPUT I. *Joannis Baptiſtæ Prædicatio, ab Autumno ejuſdem anni U. C. 780. Iuliani 72.* 122

CAP. II. *Chriſtus Baptizatur & prædicare incipit.* 123

CAP. III. *Belgica ad annum Prædicationis Chriſti primum attinentia.* 126

CAP. IV. *Annus Prædicationis* CHRISTI *ſecundus.* 127

CAP. V. *Tertius Prædicationis* CHRISTI *annus.* 130

CAP. VI. *Quartus Prædicationis* CHRISTI *annus.* 134

CAP. VII. CHRISTUM *Martio menſe Paſſum. Luna XIV. aut XV. variè quidem, benè tamen acceptâ.* 137

CAP. VIII. *Quid Romæ, quid in* BELGIO, *quid in Græciâ, anno Paſſionis Chriſti actum ſit?* 140

CAP. IX. *Reliqui Tiberii Cæſaris ad mortem ejus anni.* 142

CAP. X. *C. Cæſaris Caligulæ Imperium, & in Germaniam Galliamque expeditiones mimicæ* 143

CAP. XI. *Claudii Imperatoris ſucceſſio & primæ res geſtæ, in Britannia præſertim, & Germania Inferiore.* 146

CAP. XII. *Reliqui ſeptem anni Claudii, ab anno Iuliano 93. ad 99. ſeu à Paſſione vicesimum-quartum.* 149

LIBER QUINTUS.

Abs Apoſtoli Petri Romam adventu, ſeu Anno à Paſſione Chriſti duodecimo, ad Veſpaſiani Imperium. 151

CAPUT I. PETRI *Apoſtoli Romam adventus, & primi* BELGARUM *Apoſtoli.* 151

CAP. II. *Antiqua veterum Gallorum ſuperſtitio & Idololatria.* 154

CAP. III. *Veterum Belgarum Gallorúmve Sacerdotes & ſacrificuli.* DRUIDÆ *præſertim.* 156

CAP. IV. *Belgarum Gallorúmve ſacrificia cruenta & horrenda. An a Tiberio Claudióque Imperatoribus ſublata? Unde eis dictique Druidæ?* 159

CAP. V. NERONIS *Imperium, & ſub eo prima Chriſtianorum Perſecutio.* GALBÆ *initia.* 162

CAP. VI. *C. Julii Vindicis in Gallia motus, & mors.* 164

CAP. VII. *Galbæ breve Imperium. Vitellio ſuffecto.* 166

CAP. VIII. *Cæcinæ ac Valentis Vitellianorum, adeóque Vitellii ipſius in Italiam per Gallias iter; contra Othonem.* 168

CAP. IX. *Civilis Batavi in Germania Inferiore contra Romanos, ſub Veſpaſiani initia, rebellio.* 170

CAP. X. *Ejuſdem motûs continuatio* 173

CAP. XI. BELGÆ, *& quidam alii Galli, motu Civilis rebellant.* 175

CAP. XII. *Belli ejuſdem proſecutio.* 178

CAP. XIII. *Germanici belli, Civile victo, finis. Paxq; ſecuta.* 181

CAP. XIV. *Populi & urbes Belgii notantur ex Tacito, in hoc Belgico civilis bello.* 183

CAP. XV. *Belgica reliqua ſub Veſpaſiano, Tito, Domitiano.* 185

LIBER SEXTUS.

CAPUT I. *Nervæ & Traiani Imperium.* 188

CAP. II. *Belgica pauca ſub Impp. Hadriano, Antonino Pio, & Marco Aurelio Philoſopho.* 189

CAP. III. *In ſulpitii Severi dictum inquiritur, An ſerius trans Alpes Chriſti Religio ſuſcepta?* 191

CAP. IV. *Belgica facies Eccleſiaſtica, ab Veſpaſiano Imperatore ad Diocletianum. Per annos 214.* 194

CAP. V. *Geſta in Belgio ſub Imperatore Commodo & Pertinace. per annos 13.* 196

CAP. VI. *Belgica ſub Severi Imperio.* 197

CAP. VII. *Alemannorum origo.* 199

Cap. VIII. *Alexandri Mammææ F. & Maximini Imperium.* 200
Cap. IX. *Belgica ſub Gordiano, Philippis, Decio, Gallo & Voluſiano, Valeriano & Gallieno.* 202
Cap. X. *Poſthumi Imperatoris in Galliâ res geſtæ; item ſucceſſoris ejus Victorini; imperante Romæ Gallieno.* 204
Cap. XI. *Chroci Alemannorum Regis in Gallias irruptio, & interitus.* 207
Cap. XII. *Belgica ſub Lolliano, Mario, Victoriâ, Tetrico in Galliâ regnantibus. Imperante Romæ Claudio, & Aureliano.* 207
Cap. XIII. *Francorum origo, & ſociæ gentes variæ.* 209
Cap. XIV. *Tetrici in Gallias, & Aureliani Imperium.* 211
Cap. XV. *Conſtantii Chlori, Helenæ, & filii Conſtantini genus, locúſque Natalis.* 212
Cap. XVI. *Interregnum Romæ; Taciti & Floriani Imperium.* 216

LIBER SEPTIMUS.

A Probi Exordio, ſeu Anno Chriſti vulgari 276. ad finem Diocletiani, ſeu annum Chriſti 304. Per annos ferè 28. 217

Caput I. *Probi initia.* 217
Cap. II. *Francorum quorumdam è Ponto in patriam per mare reditus audax & felix.* 218
Cap. III. *Probi de tot victoriis triumphus. de Tyrannis item Proculo & Bonoſo Victoria; & mors. Cari, & filiorum Imperium.* 219
Cap. IV. *Diocletiani & Maximiani exordium.* 220
Cap. V. *Saxonum cum Francis, maximè Friſiis, nova conſpiratio: & nata inde Carauſii rebellio.* 223
Cap. VI. *Conſtantius cum Galerio Cæſar creatus, Bellum contra Carauſium, & Francos gerit in Batavia* 224
Cap. VII. *Bellum gerit in Carauſium Alectúmque Conſtantius. Britanniam recuperat. Alemannos vincit.* 226
Cap. VIII. *Diocletiani in Gallias, totóque Orbe Perſecutio.* 228
Cap. IX. *Martyrum quorumdam Treverenſium Tabula.* 229
Cap. X. *Sanctorum Martyrum Chryſolii, Piati, & Eberti Paſſiones, ſub Diocletiano.* 230

LIBER OCTAVUS.

Ab Conſtantio Auguſto Conſtantini Magni Patre, Anno Chriſti 304. ad annum Chriſti 324. Per annos ferè 20. 232

Caput I. *Conſtantii Chlori Auguſti principatus, in fidem noſtram propenſio, & Eccleſiæ Belgicæ ſub eo ſtatus.* 232
Cap. II. *Conſtantini Magni quinque anni priores, in Belgicâ maximè exacti.* 235
Cap. III. *Maximiani Herculii in Conſtantinum inſidiæ, & interitus.* 237
Cap. IV. *Barbari interim Rhenum tentant.* 239
Cap. V. *Conſtantinus in Belgica, & Treviris Fidem amplexus: ibique Crucis ſignum vidit, cum Inſcriptione: In hoc vince.* 240
Cap. VI. *Noviomagi ad Moſellam ſignum Crucis vidit Conſtantinus.* 242
Cap. VII. *Conſtantini in Maxentium expeditio, & victoria.* 244
Cap. VIII. *Francos rebelles comprimit Conſtantinus.* 247
Cap. IX. *Concilium Arelatenſe primum, In quo Gallicani Belgæque aliquot Epiſcopi.* 248
Cap. X. *Belgicarum Eccleſiarum primæ Diœceſes, & Epiſcopi.* 251
Cap. XI. *Cujuſnam Diœceſeos fuerit Epiſcopus, Superior Nerviorum?* 253
Cap. XII. *Tornacenſium, quod Nervii ſint, argumenta.* 256
Cap. XIII. *Unde & quando Recentiorem Nervici nominis poſſeſſionem Tornacenſes hauſerint. Hic junge Cap. IV. Anacephal.* 258 & 613
Cap. XIV. *An Nerviis cedant Menapiorum prærogativæ?* 260
Cap. XV. *Reliqua de iſtis Epiſcopatibus, & de Bononienſi, ſub Romanis & Francis.* 262
Cap. XVI. *Conſtantini contra Licinium bella.* 263

LIBER NONUS.

Caput I. *Conſtantini jam Monarchæ prima res in Oriente geſtæ. Arii hæreſis.* Synodus Nicæna. 267
Cap. II. *Magiſtratuum novorum à Conſtantino inſtitutio. Præfecti Prætorio quatuor, & qui. Magiſtri militum, equitum, peditum, &c.* 270
Cap. III. *Geſta in Galliis ſub Conſtantino juniore, & Conſtante fratribus. Francicum & Britannicum bella. Conſtantis pietas. Maximini Trevirorum Epiſcopi in Arrianos zelus.* 273
Cap. IV. Sardicense Concilium. *& in eo Belgarum Epiſcoporum zelus atque conſtantia.* 275
Cap. V. *Euphrates Antiochiam ad Conſtantium Imperatorem mittitur.* Concilium Mediolanense. 278
Cap. VI. *Photini in primo Concilio Sirmienſi repetita damnatio. Euphratæ Colonienſis Epiſcopi itidem Photiniani in Agrippinenſi.* 279
Cap. VII. *Conſtantis Imperatoris cædes. Magnentii, Vetranionis, & Nepotiani Tyrannis.* 282
Cap. VIII. *Magnentii in Conſtantium prælium Murſenſe.* 286
Cap. IX. *Magnentii reliqua, & tandem tragicus interitus.* 289
Cap. X. *S. Martini primordia. in Gallias ac Belgium adventus. & chronologia.* 293

LIBER DECIMUS.

Caput I. *Conſtantii Imp. in Occidente conciliabula, Arelati & Mediolani. Paulinus Trevirenſis, & alii Epiſcopi orthodoxi in exilium ejecti.* 297

Cap. II. *S. Martinus poſt baptiſmum militia armata ferè biennalis. Mediolanenſe Concilium Arrianorum, quo Paulinus Trevirorum Epiſcopus cum aliis in exilium relegatus.* 300

Cap. III. *Sylvani Coloniæ Agrippinæ cædes.* 303

Cap. IV. *Francus quidam Conſtantii Imp. Candidatus, ab S. Hilarione dæmonio liberatus. Liberii Papæ exilium.* 305

Cap. V. *Julianus Apoſtata fit Cæſar. in Galliam, præſertim Belgicam mittitur: réſque contra Francos & Alemannos gerere incipit.* 307

Cap. VI. *Sanctus Martinus miſſionem à Juliano impetrat. S. Hilarius agente Saturnino Arelatenſi, in exilium pellitur* 310

Cap. VII. *Conſtantii Imperatoris Romam adventus triumphalis. Inde Sirmium diſceſſus. & quid utrobique egerit.* 312

Cap. VIII. *Juliani de Chonodomario & Alemannis victoria.* 314

Cap. IX. *Juliani res in Gallia continuata. Salios ipſos in Toxandria, Chamavos ad Rhenum ſubigit.* 316

Cap. X. *Julianus in Saxones bellum gerit. Saliorum aliam partem cum Batavia recipit.* 318

Cap. XI. *Julianus in Alemannos movet.* 320

Cap. XII. *Hilarii ad Belgas primùm, tum alios Galliarum Epiſcopos Liber de Synodis, occaſione Fidei ſecundæ Sirmienſis, ab illis conſtanter rejectæ.* 322

Cap. XIII. *Ancyrana Synodus Belgica confirmis: cujus Epiſcopos primùm ſalutat Hilarius.* 325

Cap. XIV. Ariminense Concilium *Legitimum. & Priora ejus acta.* 327

Cap. XV. *Poſteriora Synodi Ariminenſis, improbata. Item Seleucienſis in Oriente Synodus.* 330

Cap. XVI. *S. Martinus in Pannonia patriâ vexationes. Hilarii item Conſtantinopoli labores. Utrique in Italiam reditus.* 332

LIBER UNDECIMUS.

A Juliano Apoſtata jam Auguſto, ad Valentiniani primi mortem. ſeu ab anno Chriſti 360. ad 375. Per annos ferè 16. 334

Caput I. *Julianus Cæſar Pariſiis ab exercitu Auguſtus acclamatur.* 334

Cap. II. *Juliani contra Conſtantium apparatus. Conſtantii mors. Juliani initium.* 337

Cap. III. *Juliani initia, & edicta.* 340

Cap. IV. *Juliani Imp. Reliqua, & mors. Joviani ſucceſſio & mors.* 342

Cap. V. *Valentiniani Imperatoris in Italiam & Mediolanum adventus. Hilarii cum Auxentio diſceptatio.* 344

Cap. VI. *Valentinianus Mediolano in Gallias venit. Ab Alemannis cæditur: & eos cædit.* 345

Cap. VII. *Gratianus, à patre Ambianis creatur Imperator. Theodoſius pater in Britannias contra Barbaros miſſus, victor Lundinium ingreditur. Pax Belgii ſub Valentiniano.* 347

Cap. VIII. *Magna Atrebatum. S. Hieronymus in Belgica. S. Hilarii mors.* 349

Cap. IX. *Moguntiam Rando Alemannus intercepit. Valentiniani cum filio Gratiano in Alemannos expeditio. Auſonii Moſella.* 350

Cap. X *Valentinianus Rhenum contra Barbaros munit. S. Martinus ad Epiſcopatum Turonenſem evectio. Theodoſii proſperè geſta in Britanniis.* 353

Cap. XI. *Saxonum irruptio & cædes. Burgundionum ad Rhenum acceſſus. & qui illi?* 356

Cap. XII. *Valentiniani reliqua, & mors.* 358

LIBER DUODECIMUS.

Ab Anno Chriſti 375. ad 400. 360

Caput I. *Gratiani Imperium. Hunni, Alani & Gothi in Thracias irrumpunt. Romanos præliis imperunt. Richomeres Francus in eos.* 360

Cap. II. *Lentienſes Alemannos prælio vincit Gratianus. Inde in Thracias Valenti auxiliaturus abit.* 363

Cap. III. *Theodoſius Imperator Barbaros comprimit, ope Gratiani. qui militibus ingratus ob prælatos barbaros. Priſcilliani hæreſis.* 364

Cap. IV. *Maximus in Gratianum inſurgit. eum & Duces ejus interficit.* 367

Cap. V. *An hic Urſulæ 11000. Virginum Martyrium? Conſules anni Chriſti 384. S. Servatii in urbem Trajectenſem migratio, & mors.* 369

Cap. VI. *S. Servatii Tungrēſis Epiſcopi ſancta mors.* 371

Cap. VII. *S. Ambroſii bina ad Maximum Imperatorem Treviros Legatio. Eódem S. Martini adventus, & geſta. Priſcilliani reliqua.* 372

Cap. VIII. *S. Martini Treviros adventus; ibique geſta.* 375

Cap. IX. *Secunda Ambroſii ad Maximum Legatio Trevirenſis.* 377

Cap. X. *Maximus in Italiam tranſit. Valentinianum fugat. ab Theodoſio debellatur & cæditur.* 378

Cap. XI. *Quid in Galliis, bello pendente, actum.* 380

Cap. XII. *Valentiniani reſtituti prima in Gallia res duce Arbogaſte geſtæ. Aliquot reducti in Belgicam Epiſcopi. Galliæ urbes tum præcipuæ.* 381

Cap. XIII. *Valentiniani Junioris cædes. Eugenius Tyrannus. Arbogaſtis in Francos expeditio: utriuſq; interitus.* 382

Cap. XIV. *Theodoſii cum Eugenio & Arbogaſte conflictus.* 385

Cap. XV. *Stiliconis in Francos expeditio. Marcommer & Sunno Francorum Reguli puniti.* 386

Cap. XVI. *Sanctorum Ambroſii, Martini, & Severini mors. Poſtremi Imperatores Treviros negligunt.* 389

LIBER DECIMUS-TERTIUS.

Ab Anno Chriſti 400. aut 407. ad 410. ſeu ad Alarici, qui Romam cepit, interitum. 391

Caput I. *De Saxonibus, & eorum ſociis Anglis, Warnis, Iutis. Herulis item & Thoringis.* 391

Cap. II. *De VANDALIS in genere; eorúmque variis in ſpecie gentibus, maximè Burgundionibus.* 394
Cap. III. *Stilico Alaricum Rhadagaiſumq́, Gothorum Reges in Italia ſuperat.* 397
Cap. IV. *Vandalos ac ſocios in Gallias immittit Stilico.* 399
Cap. V. *Prima Belgica vaſtatio. Primò Germania Superioris; tum Belgica Secunda ſeu Remenſis.* Sectio 1. 402
Sect. 2. *Conſtantini de Vandalis victoria: Treviros ingreſſus.* 405
Cap. VI. *Conſtantinus Tyrannus Sarum Stiliconis Ducem vincit. Arelatum init. Hiſpanias ſibi adjungit. Stiliconis cades. Roma prima obſidio.* Sectio 1. 407
Sect. 2. *Stilico caditur. Romam Alaricus obſidere incipit.* 409
Cap. VII. *Conſtantinus Tyrannus ab Honorio Imperator admittitur; fit Conſul. Alaricus Romam obſidet. Attalum Imperatorem dari curat.* Sectio 1. 412
Sect. 2. *Res Galliarum.* 415
Cap. VIII. *Attali in Africam, & Ravennam contra Honorium vana expeditiones. Roma ab Alarico tandem capta, incenſa, ſpoliata. Galliarum altera eaque generalis ab Vandalis ſociiſque, item a Saxonibus atque Francis vaſtatio. Trevirorum bina vel terna everſio. Armoricorum & Belgarum a Romanis defectio, cum Francis conjunctio.* Sect. 1. 419
Sect. 2. *Romam obſidet Alaricus, jam tertiò, & capit.* 422
Sect. 3. *Res hujus anni 410. Gallicanæ.* 423
Sect. 4. *Armoricorum cum Francis in Romanos conſpiratio. Quinam iſti Armorici? à quibus & Francis caſi graviter Vandali.* 425
Sect. 5. *Quinam fuerint illi Franci cum Armoricis contra Vandalos juncti.* 429
Sect. 6. *Interitus Gunderici Regis Vandalorum, Francorum item cis Rhenum, Trevirorum ſecunda ruina.* 430
Sect. 7. *Conſtantini in Galliis geſta, anno 410.* 431

LIBER DECIMUS-QUARTUS.

Ab Anno Chriſti 411. ad 417. ſeu ad Pharamundum, primum cis Rhenum Francorum Regem. 433

Caput I. *Conſtantini Tyranni interitus, cui Jovinus ſuccedit.* 433
Cap. II. *Tertium Trevirorum exitium. Gerontii miſera cades. Vandali Alaniq́, Hiſpaniâ ſe includunt.* 435
Cap. III. *Gothi duce Ataulfo in Gallias veniunt. Jovini & Sebaſtiani interitus. Sedes Burgundionibus & Alanis in Gallia conceſſa.* 437
Cap. IV. *Burgundionibus & Alanis ſedes in Galliâ dantur.* 440
Cap. V. *Athaulfi cum Placidiâ nuptia Narbone. Caſtinus in Francos expeditio, quâ Theudemer Francorum ex caſus.* 441
Cap. VI. *Trevirorum quartum & poſtremum excidium. Athaulphus in Hiſpaniam abit; ubi moritur.* 444
Cap. VII. *Pax tandem Galliis redditur. Armorici, Britannique ad Imperium reducti.* 446
Cap. VIII. *Francis Pax, & cis Rhenum Germania Secunda ſeu Inferioris pars conceſſa, Ripuaria dicta. Quænam iſta?* 450
Cap. IX. *Francorum cis Rhenum primus Rex* PHARAMUNDUS. 451
Cap. X. *Placidia cum Conſtantio nuptiæ, indéque nata proles. Honorii Romæ Triumphus. Oroſius hiſtoria finem imponit. Pelagii in Galliâ, Italiâ, Africâ, & Palaſtinâ hæreſis.* 455

LIBER DECIMUS-QUINTUS.

Ab Anno Chriſti vulgari 418. ad 434. Per annos fere 16. 458

Cap. I. *Arelatum loco Trevirorum in caput Galliarum erectum.* 458
Cap. II. *Sedes certa data Wiſigothis in Aquitania.* 460
Cap. III. *Conſtantius in Imperium aſſumptus moritur: ut & Wallia Gothorum Rex.* 461
Cap. IV. *Caſtinus Magiſter militum à Vandalis in Bætica victus. Placidia ab Honorio in Orientem abacta.* 463
Cap. V. *Honorii Imperatoris mors. Joannes imperium invadit, & occiditur. Valentinianus tertius fit Imperator, cum Auguſta matre Placidiâ.* 464
Cap. VI. *Quos ſibi Duces adſciverit Placidiâ victrix? De Aetio maximè.* 466
Cap. VII. *Provincia compoſita. Theudericus Gothorum Rex, Arelato ab Aetio repulſus. Britanniæ ſtatus.* 467
Cap. VIII. *Aetii Bonifaciique funeſta Romanis diſcordia.* 470
Cap. IX. *Aetiana in Francos expeditionis accuratior diſquiſitio. Pharamundi mors. Chlodionis ſucceſſio.* 472
Cap. X. *Quam Thoringiam intelligat Gregorius. & quod Diſpargum.* 474
Junge Cap. VI. Anakephalæoſis. 615
Cap. XI. FRANCORUM *tam Regum, quam populorum antiqua Caſaries.* 475
Cap. XII. *Bonifacii poſtrema in Aetium pugna; quâ ille vulneratus interiit.* 479
Cap. XIII. *Eccleſiaſtica per hoc tempus in Belgio & Britanniâ res. S. Evergiſlus Colonienſis, Archiepiſcopus Tungros viſitans, caditur. Severus Trevirenſis Epiſcopus Burgundionibus in Germania Primâ prædicat.* 480

LIBER DECIMUS-SEXTUS.

Ab Anno Chriſti vulgari 435. ad 449. Per annos 15. 484

Caput I. *Quadruplex in Galliâ bellum, ab Armoricis, Bagaudis, Burgundionibus, & Gothis.* 484
Cap. II. *Qua ratione ad Romanos rebelles illi reducti?* 485

CAP. III. *Iterata S. Germani in Britanniam excurſio, reditus: pro Armoricanis interceſſio, & mors.* 488
CAP. IV. *Valentiniani Aug. cum Eudociâ nuptiæ. Littoris Ducis mors. Pax cum Gothis. Alanis & Burgundionibus nova ſedes data in Galliis.* 490
CAP. V. *Notitiam Imperij circa annos Christi 437. & 438. editam vidêtis. GALLIARVM ex ea ſtatus, & Occidentalis Imperii exhibitus.* 492
Sect. 1. *Tempus quo ſcripta.* ibd.
Sect. 2. *Belgicæ ſtatus, tempore Notitiæ ſcriptæ.* 493
Sect. 3. *Belgicæ ceteræq; Galliæ quæ nunc ſub Francis, Notitiæ tempore, ſtatus* 495
Sect. 4. *Britanniarum & Hiſpaniarum ſtatus tempore Notitiæ.* 497
Sect. 5. *Africa ſub Vandalis, Notitia ſcriptæ tempore, ſtatus.* ibid.
CAP. VI. *Quando Salvianus ſcripſerit. Et quæ de Gallorum vitiis notet, ipſe Belga.* 499
CAP. VII. *Chlodio in Carbonariam, ſeu in Nervios, ad Scaldim uſque progreditur. Tornacum ac Cameracum capit.* 501
CAP. VIII. *Chlodio ſeu Clojo Atrebates pervadit; pugnâ ab Aetio vincitur.* 503
CAP. IX. *Chlodionis Regni reliquiæ, & mors. & filiorum ejus ſub Meroveo tutela, parum Fida; & ad Regnum ſubreptio.* 505

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

Ab Anno Christi vulgari 445. ad 464.
Per annos fere 20. 508

CAPUT I. *Hunnorum & Attilæ bellorum initium, progreſſus; & ad pecuniam emungendam artes.* 508
CAP. II. *Theodoſii & Placidiæ mors. Attila bellum in Occidentales, & Valentinianum ſuſcipit. Utrinſque copia.* 510
CAP. III. *Attila & Aetius in Belgicam veniunt.* 511
CAP. IV. *Catalaunica Aetij cum Gothis & Francis contra Attilam pugna; & victoria. Meroveus regnum ſuum promovet.* 513
CAP. V. *Meroveus in Regno ſtabilitus, contra Romanos inſurgit. Attila in Italiam.* 515
CAP. VI. *Iterata Attilæ in Gallias contra Alanos Transligerianos irruptio. Cædes illius, ut & Thoriſmundi Wiſigothi.* 516
CAP. VII. *Aetij funeſta cædes, ab ipſo Valentiniano* 518
CAP. VIII. *Valentiniani Imperatoris cædes. Maximi ſucceſſio. Unde Barbari in Gallias, Franci in Belgicam irrumpunt. Avitus Magiſter militiæ.* 519
CAP. IX. *Genſericus Romam capit & ſpoliat.* 522
CAP. X. *Aviti Conſulatus. & ad Vandalos Suevóſque legatio & abdicatio. Suevi ab Wiſigotis in Hiſpaniâ devicti. Warni & Heruli innoteſcunt. Meroveo Francorum Rege mortuo, Childericus filius ſuccedit. Ricimer & Marcellinus.* 524
CAP. XI. *Avitus Imperio ſpoliatus a Ricimere, moritur. Quis fuerit Ricimer. Quis Marcellinus. Quis Pæonius?* 526
CAP. XII. *Majoriani Imperium. Ægidius militum in Galliis Magiſter, Francos, qui Regem Childericum ejecerant, ad Romanos cum Belgicâ reducit.* 528
CAP. XIII. *Motus in Gallia, ob novum Imperatorem Majorianum.* 530
CAP. XIV. *Eccleſiaſticus Belgicæ, ſub Ægidio Romano maxime, ſtatus.* 532
CAP. XV. *Excutiuntur anni Vita & Epiſcopatus S. Remigij.* 534
CAP. XVI. *Majoriani mors. Severi ſucceſſio. quem Ægidius in ulteriore Gallia non agnoſcens, diverſis bellis agitatur.* 535
CAP. XVII. *Ægidii contra hoſtes magnanimitas, & bella.* 537

LIBER DECIMUS-OCTAVUS.

Ab Anno Christi vulgari 464. ad 477.
& Genſerici mortem.
Per annos 13. 540

CAPUT I. *Childericus a Francis ſuis revocatur. Ægidium prælio ſuperat, qui paulo poſt Suesſione moritur.* 540
CAP. II. *Mortem Ægidii quæ ſecuta ſint? Quid Odoacrius Saxo, quid Wiſigothi geſſerint.* 542
CAP. III. *Childericus Rex reſtitutus, ex Baſinâ Chlodoveum gignit Tornaci.* 543
CAP. IV. *In Italia interregnum. In Galliis Arvandi nova molimina, Anthemius imperat.* 544
CAP. V. *Sidonii Romam adventus. & Urbis Præfectura. Genſericus Romanam claſſem diſſipat.* 546
CAP. VI. *Anthemius contemnitur; à Patricio Romano, a Seronato, ab Eurico Wiſigothorum Rege.* 548
CAP. VII. *Ricimer denique in Anthemium ſocerum inſurgit, & Roma capta, mox moritur. Succedit Olybrius.* 549
CAP. VIII. *Glycerius Imperator. Euricus Rex, novis Gothis auctus Bituriges occupat; quibus Sidonius Epiſcopum paulò ante dederat.* 550
CAP. IX. *Bituricenſem Epiſcopum novum Simplicium Sidonius eligi ſacrariq; curat. Quinam in eâ re iſtius avi ritus.* 551
CAP. X. *Imperij Romani in Italia ſub Nepote magna inclinatio. Arverni in Galliis Eurico Wiſigotho dediti.* 553
CAP. XI. *Quid Burgundionum Principes, quatuor fratres, hoc tempore in Galliis geſſerint. Ex Sidonii Epiſtolis.* 555
CAP. XII. *Auguſtuli ſub Oreſte patre breve & penè ſupremum Imperium.* 556
CAP. XIII. *Odoacer Herulus Italiæ regnum ab Oreſte in ſe transfert.* 557
CAP. XIV. *Sidonius exul Burdegalæ diverſorum Barbarorum, & in iis Francorum ad Euricum Regem Legatos deſcribit. nos excutimus.* 559

LIBER DECIMUS-NONUS.

Ab Anno Chriſti vulgari 477. ad 496. Per annos ferè 20. 562

Caput I. *Genſerici mors. Zenonis in Imperium reſtitutio; & ad eum Auguſtuli Odoacríque Legatio. Sidonius priores 7. Epiſtolarum libros edit. Burgundionum Regum Tragœdia.* 562

Cap. II. *Quid Sidonius Arvernos reverſus egerit. Et de Victorio Comite Arverno.* 563.

Cap. III. *Gundebaldus Burgundionum Rex fratres ſuos Chilpericum & Gundomarum necat.* 564

Cap. IV. *Provincia Maſſilienſis in quorum poteſtatem inciderit. Nepos occiſus.* 565

Cap. V. *Childerici Regis, & Francorum in Belgica, Lugdunenſiq́; Secundâ, Tertiâ, Quartâ progreſsus, ac mors.* 566

Cap. VI. *Franci adhuc Ethnici, in fidem Chriſti proni.* 569

Cap. VII. *Rurſus Eccleſiaſtica Belgii res, ex Sidonii ad Auſpicium Tullenſem, ad Principium Sueſsionenſem, ad Remigium Remenſem Epiſcopos, Epiſtolis. Sidonii finis.* 571

Cap. VIII. *Childerico Chlodoveus filius Francorum Rex ſuccedit. Syagrium prælio ſuperat & perimit. Thuringos vincit. Theodericus Oſtrogothus Italiam occupat.* 573

Cap. IX. *Theodericus Oſtrogothus Italiam ingreditur. Odoacrem vincit & occidit. Affinitatem cum Francis & Burgundionibus contrahit.* 576

Cap. X. *Chlodovei & Chrotildis conjugium, & ex eo proles. Illuſtris & Chriſtiana Chlodovei de Alemannis victoria.* 577

Cap. XI. *Chlodovei de Alemannis victoria. quâ ad Chriſtum converſus.* 578

LIBER VIGESIMUS.

A Chlodovei Baptiſmo ad ejus mortem, ſeu ab anno Chriſti 496. ad 511. Per annos ferè 15. 581

Caput I. *Chlodoveus à S. Vedaſto catechizatur, à S. Remigio baptizatur.* 581

Cap. II. *Chlodoveum in Natali Chriſti non Paſchate baptizatum.* 583

Cap. III. *Belgicos Epiſcopatus reſtituit S. Remigius.* 584

Cap. IV. *Objectionum quarundam ſolutio.* 586

Cap. V. *Reſtitutæ à S. Remigio Diœceſes, eædem quæ ſub Romanis, ad Patrum uſque noſtrorum memoriam.* 589

Cap. VI. *Chlodovei contra Burgundiones bella* 591

Cap. VII. *Chlodovei in Alaricum Wiſigothorum Regem expeditio.* 594

Cap. VIII. *Prælium Vocladenſe. Chlodovei victoria; & quæ eam ſecuta.* 596

Cap. IX. *De Patriciatu, Conſulatu, & Diademate Chlodovei. Quomodo Auguſtus dictus.* 598

Cap. X. *Chlodoveus quoſdam Francorum Regulos, ſibi conſanguineos, extinguit, Sygibertum & & filium ejus Coloniæ; Chararicum cum filio; Ragnacharium Cameraci cum fratribus.* 601

Cap. XI. *Aurelianenſis Synodus prima ab Chlodoveo procurata. Chlodovei mors.* 603

Cap. XII. *Diœceſis Ultrajectina antiqua.* 605

ANAKEPHALEOSIS,

seu Recapitulatio Belgicorum ſub Romano Imperio populorum.

Caput I. *De Friſiis, Batavis, Toxandris, Menapiis. Morinis litoralibus, & Atrebatibus mediterraneis.* 609

Cap. II. *De* NERVIIS, *& Cameracenſi Epiſcopatu.* 610

Cap. III. *Prolata quædam ab amicis pro Tornacenſibus argumenta expenduntur.* 612

Cap. IV. *De* NERVIORUM *nomine, Tornacenſibus adſcripto.* 613

Cap. V. *De Tungris, Treviris, Ubiis.* 615

Cap. VI. *Pharamundi & Chlodionis, & Francorum regna.* ibid.

Cap. VII. *Merovei, & poſterorum ejus Meroveadarum regna.* 617

TABULA CHRONOLOGICA.

A primo anno Juliano, qui eſt Periodi Julianæ 4669. Urbis Cōditæ Varronianus 709. Olympiadis 183. tertius & quartus. Græcorum è libris Machabæorum 268. Ante veram CHRISTI Nativitatem 41. ante Dionyſianam 45. uſque ad Veſpaſiani de Judæis Triumphum. Per annos 116. 619

S. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate, cap. 2. & 3.

Nec pigebit me, ſicubi hæſito, quærere; nec pudebit, ſicubi erro, diſcere. Proinde quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me.

M. T. Cicero Academicarum quæſtionum libro 4. qui LVCVLLVS inſcribitur.

Etſi omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus; eáque eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas; ut non ſine causâ & doctiſſimi & antiquiſſimi invenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus. Neque noſtræ diſputationes quidquam aliud agunt, niſi ut in utramque partem dicendo & audiendo, eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quàm proximè accedat.

ÆGIDII

ÆGIDII BVCHERII
E SOCIETATE IESV,
BELGIVM
ROMANVM,
ECCLESIASTICVM
ET CIVILE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.
Priſca Galliarum Diviſio ſub Romanis.

Belgica annis ante Chriſti Nativitatem ferè 50. à Romanis ſubjugata.

NEMINEM opinor priſcæ Hiſtoriæ tam ignarum, qui neſciat Belgicam noſtram, ſicut & reliquas Galliæ partes, jam inde ab ipſo Julio Cæſare, annis ante Chriſti nativitatem, plùs minus, quinquaginta, in Provinciam redactam, ſub Romanorum Imperio per annos ferè quingentos permanſiſſe. Donec inclinatis ſub Honorio primùm, tum ſub Valentiniano tertio maximè, tanti Imperii rebus, Belgicæ pars primùm Aquilonarior, tum etiam Auſtralior in jus ditionemque Francorum tota concederet. Unde nemo non videt, ei qui veterem Belgii noſtri ſtatum per iſtud annorum intervallum exponere voluerit, ad veteres Romanorum Hiſtorias recurrendum, & conformiter ad antiqua eorum monumenta ſcribendum. Hujus ſiquidem rei ignorantiâ contemptùve, ſuperioribus majorum noſtrorum ætatibus contigiſſe videmus & dolemus, ut de vetuſtis rebus ſuæ regionis ſcribentibus, multa parum Romanis Hiſtoriis conſona irrepſerint, quæ veris ſubinde permixta, non modicùm iiſdem offecerint. Ego verò, cùm ad Belgarum noſtratium antiquitates, Eccleſiaſticas præſertim, animum appuliſſem, id mihi negotii credidi primùm dari, ut fabellis iſtis ac mendaciis exploſis, ad certa ex Romanorum velut archiis acervanda, ſuiſque diſtinguenda temporibus me verterem: ad quæ, tanquam ad Lydium lapidem, admota domeſtica, cum fide legenda poſteris tradi poſſent.

Unde illius hiſtoria ex eorum hiſtoriis haurienda.

Galliarum diviſio juxta Julium Cæſarem.

GALLIA (ait Cæſar) *eſt omnis diviſa in partes tres. Quarum unam incolunt* BELGÆ, *aliam* AQVITANI, *tertiam qui ipſorum linguâ* CELTÆ, *noſtrâ* GALLI *appellantur. Hi omnes linguâ, inſtitutis, legibus inter ſe differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona & Sequana dividit. Horum omnium fortiſſimi ſunt* BELGÆ: *propterea quòd à cultu atque humanitate Provinciæ* (Narbonenſis ſcilicet, quæ & poſtmodum Viennenſis) *longiſſimè abſunt; minimeq́ ad eos mercatores ſæpe commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important. Proximiq́ ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuſcum continenter bella gerunt. Quâ de cauſa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd ferè quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cùm aut ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum bona pars, quam Gallos obtinere dictum eſt, initium capit à flumine Rhodano, continetur q́ Garumnâ flumine, Oceano, finibus Belgarum. Attingit etiam à Sequanis & Helvetiis flumen Rhenum; vergit ad Septentriones. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni; ſpectant in Septentriones & Orientem Solem. Aquitania à Garumnâ flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani, quæ ad Hiſpaniam pertinet; ſpectat in occaſum Solis & Septentriones.* Hucuſque Cæſar.

Non comprehensâ Narbonéſi, ante Julium ſubjugatâ.

Quibus cùm intelligimus primùm, Galliam non omnem eâ partitione comprehendere, quæ Romanis Tranſalpina, ſubinde & Ulterior appellatur: quæque mari Mediterraneo, Pyrenæiſque jugis à Meridie; Oceano Gallico ab occaſu; Britannico & poſtremâ Rheni parte à Septentrionibus; reliquo ejuſdem Rheni ſuperiore fluxu & Alpibus ab Oriente concluditur. Sed quæ tantùm Pyrenæis Cemmeniſque montibus, & eâ Rhodani parte, quæ ab Araris confluxu ad illius uſque fontem & Penninas Alpes à Meridie finitur. Cùm enim eam dumtaxat Galliam partiri Cæſar inſtituerit, quam Imperio Romano primus

adjunxit; nihil mirũ, ſi Narbonenſem Provinciam ab ſua partitione ſecludat. Et tamen hoc ipſum ſatis innuit, cùm Belgas *à cultu & humanitate Provincia* (Narbonenſis nimirum) *longiſſimè abeſſe* ſcribit.

Plinii diviſio.

Hanc igitur à Cæſare domitam, licèt triplicem, COMATAM uno nomine Plinius libro 4. cap. 17. appellat; à comarum, quas Galli illi alebant, longitudine. Gallia omnis, ait, Comata uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur; amnibus maximè diſtincta. A Scaldi ad Sequanam BELGICA. Ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunenſis. Inde ad Pyrenæi montis excurſum, Aquitania, Aremorica antè dicta. Agrippa univerſarum Galliarum inter Rhenum & Pyrenæum, atque Oceanum ac montes Gebennam & Juram (quibus Narbonenſem Galliam excludit) longitudinem CCCCXX. millia paſſuum, latitudinem CCCXIII. computavit. Ita Plinius.

& Melæ.

Cui conformis Mela lib. 3. cap. 2. *Regio*, inquit, *omnis, quam incolunt* Galli, *Comata Gallia. Populorum tria genera ſunt; terminanturque fluviis ingentibus. Nam à Pyrenæo ad Garumnam Aquitani; ab eo ad Sequanam Celtæ; inde ad Rhenum pertinent Belgæ. Belgarum clariſſimi Treveri; urbs in iis opulentiſſima Auguſta.* Belgæ igitur, Celtæ, & Aquitani, populi tres, Comatam unam conſtituunt Galliam, à comæ alendæ ſtudio ſic dictam: Quemadmodũ & Narbonenſis, à braccis, veſtium genere, Braccatæ nomen hauſit, iiſdem Plinio Melaque teſtibus: At Gallia Ciſalpina, quæ & Citerior, Padana & Italica, à Togis tandem aſſumptis, Togatæ. Ex iis Comatam ſolam ſubegit Cæſar; eoque illam ſolam hic partitur ac deſcribit. In quâ diviſione Cæſari cum Melâ ac M. Agrippâ, conformis eſt Plinius. Niſi quod Belgicam hic ab Oriente Scalde, non Rheno diſtinguit. Sed Belgicam ab eo ſtrictiùs ſumi (prout à Germaniis Ciſrhenanis diſcernitur, de quo inferius) vel inde colligimus, quod mox eodem capite Belgicæ latiùs ſumptæ populos enumerans, eos ad Rhenum uſque, cum Cæſare diffundit.

Denique Auguſti.

Nec multum ab Cæſarianâ iſtâ Galliarum partitione abſceſſit, qui Cæſarem in imperio excepit Auguſtus. Omnem ille quidem terrarum ambitum, qui Alpibus, mari interno, Pyrene, Oceano, Rhenóque conſtringitur, non in tria dumtaxat, ſed quatuor membra diſpeſcuit; redditâ ſcilicet Gallis quartâ cis Cemmenum ſeu Gebennam parte Narbonenſi, ex communi priſcorum ſententiâ: tùm verò Aquitaniâ paulò latiùs verſus Boream Ligerimque porrexit. Strabo libri 4. initio: *Auguſtus Cæſar*, ait, *in quatuor partes Galliã diviſit; ita ut Celtas Narbonenſi Galliæ attribueret, Aquitanos eoſdem cum Julio faceret, iiſque auctis quatuordecim alias gentes intra Garumnam & Ligerim habitantes jungeret, reliquã in duas partes tribueret; unam Lugduno, uſque ad ſuperiora Rheni; alteram Belgis attribueret.* Hic pluſcula notanda. Primùm, Narbonenſes antiquiſſimis temporibus *Celtas*, ſaltem à Græcorum nonnullis dictos. Quod & paulò ante idem Strabo monet: *Qui Pyrenæ ſunt proximi, eos Aquitanos & Celtas vocant, monte diviſi Cemmeno.* Per Celtas hic clarè Narbonenſes intelligit, qui ſoli Gallorum cum Aquitanis Pyrenæos attingunt, & cis Cẽmenum, Romanis quidem, incolunt.

Adverto præterea, Auguſtum Aquitaniæ, nimium præ cæteris exili (ſi Pyrene Garumnáque conſtringitur) jacentes Garumnam inter & Ligerim 14. populos, Celtis antè Cæſarianis adſcriptos, adjunxiſſe: ſic enim idem Strabo infrà: *Quia*, inquit, *anguſta erat hæc regio* (Aquitania) *id quod Garumnam ac Ligerim interjacet, ei adjecerunt.* Ex iſtis 14. populis, duodecim ſaltem paulò infra ab eodem Strabone recenſentur; Elui à Rhodano initium ſumentes; Vellaunii olim Arvernis adſcripti, tunc pro ſe civitatem conſtituentes: deinde Arverni, Lemovices, Petrocorii: tùm Nitiobriges, Cadurci & Bituriges cognomento Cubi: ad Oceanum item Santones & Pictones; hi Ligeri, illi Garumnæ vicini: denique Narbonenſi viciniores Ruteni ac Gabales. Duo reliqui populi fortè eſſe poſſent Ageſinates, quos hodiè Encoliſmenſes; & Helcutteri Cambolectrive, quos Albigenſes nonnulli interpretantur.

& Strabonis.

Tertiò, eam Galliarum partem, quæ Celtica Cæſari & propriè Gallia nuncupatur, Lugduno ab Auguſto ſubditam perſpicio, Lugdunenſiſque inde nomen hauſiſſe. Cujus fines, verſus Rhenum quidem, eoſdem ac Cæſar, Strabo eodem lib. 4. facit; verſus Oceanum planè diverſos. Nam hic primum Lugduno adſcripta monet, quæ ſuperiora Rheni ſunt, idemque infrà confirmat: *Poſt Aquitaniam*, ait, *& Narbonenſem Galliam, ea ſequitur regio, quæ ad Rhenum pertingit à Ligeri & Rhodano, quo in loco à fontibus delapſus ad Lugdunum accedit. Hujus regionis ſuperiora quæ ſunt ad fontes Rheni atque Rhodani, uſque ad mediam ferè planitiem, Lugduno ſunt ſubdita. Reliqua verò & quæ ad Oceanum vergunt alteri adjunguntur parti, quam Belgæ ſibi incolunt.* Hujus loci priores periochæ Sequanos & Helvetios ad Rhenum attingentes, Lugdunenſi ſeu Celticæ, ut Cæſar, attribuunt. At poſterior Aremoricos, maritimaſque Ligerim inter & Sequanam gentes, novâ planè mirabilique ſentẽtiâ Belgis adnumerat. Et ne memoriæ lapſum putes, idem eodem libro ter repetit paulò inferiùs: *Galli*, inquit, *qui magis ad Septemtrionem & Oceanum vergunt, ii ſunt Bellicoſiores. Primam laudem Belgis tribuunt, diviſis in XV. gentes, quæ habitant inter Rhenum & Ligerim ad Oceanum.* Audis ad Ligerim Belgas extendi? Rursùm & exactiùs paulò antè Belgicas gentes enumerans, ita loquitur: *Ad Sequanam fluvium ſunt etiam Pariſii, inſulam habitantes in flumine, & urbem Lutetiam. tum Meldæ & Lexobii ad Oceanum. Inter iſtas gentes Remi nobiliſſimi ſunt, eorum urbs primaria Duricottora maximè incolitur, & Romanorum præfectis hoſpitium præbet.* Moxque iſta ſubdit: *Poſt iſtas, reliquæ Belgarum gentes ſunt ad Oceanum pertinentes. De his Veneti navali pugnâ cum Cæſare congreſſi ſunt.* Hæc ille, ſanè mira. Quis enim alius Venetos, Lexovios, & qui hos inter & Sequanam Ligerimque ſunt populos Belgis unquam accenſuit? Et quis huic uni Græco plus deferat quam Cæſari, Plinio, Melæ, Ptolemæo cæteriſque tantopere concordibus? Qui omnes Sequanam à Matronâ recepto, ad Oceanum Belgicæ limitem rectè definiunt.

Limites Belgarum juxta Cæſarem.

Longè major & intricatior eorum eſt diſſenſio in eo limite ſtatuendo qui Belgas à Celtis Lugdunenſibuſve verſus Rheni ſuperiora diſterminet. Nec enim deſunt qui Sequanos Helvetióſque

Belgis;

Belgis; non item, qui Lugdunenſibus, attribuant. Ac Cæſar quidem ſuprà diſertè Celtarum partem notat *initium capere à flumine Rhodano, & a Sequanis Helvetiiſque flumen Rhenum attingere.* Mox etiam ſubdit, *Belgas ab extremis Galliæ finibus oriri, & ad inferiorem partem fluminis Rheni pertinere*: cujus ſuperiorem ſcilicet Celtæ ab Helvetiis attingebãt. Strabo quoque Cæſari concors, *Regionis illius ſuperiora, quæ ad Rheni Rhodaniq́ue fontes ſunt, uſque ad mediam ferè planitiem, Lugduno ſubdita* ſcribit. Neque ab horum ſenſu videtur in Annalibus abſcedere Tacitus, ſi quid ex ipſo poſſumus elicere. At ſub Veſpaſiano ſcribens Plinius lib. 4. cap. 17. liquidiſſimè Belgis *Lingonas fœderatas, Sequanos, Rauricos, Helvetios, Coloniam equeſtrem & Rauriacam* adnumerat: nec capite ſequenti Lugdunenſem deſcribens, eorum ullo modo meminit. Cui conformis per omnia Ptolemæus ſub Antonino florens, eoſdem Rauricos, & quos ſub iis Leucis, que incolere dicit Lingonas, item poſt Juraſſum Helvetios, demum Sequanos Belgicæ diſertiſſimè accenſet. Æthicus quoque, & ejus hic exſcriptor Oroſius, cùm Belgicam abs Euro Alpibus Penninis definiunt, a Meridie provinciâ Narbonenſi, abs occaſu Lugdunenſi; Plinio planè Ptolemæóque conſentiunt.

Juxta Strabonem.

Juxta Plinium.

Juxta Ptolemæum, Æthicum & Oroſium.

Sed & ex Ammiano Marcellino, qui ſub Theodoſio ſeniore, circa annum Chriſti vulgarem 390 ſcripſit, ſi quid videre poſſumus, Sequanos ad Belgas quàm ad Lugdunenſes potiùs attinuiſſe, colligemus. Primùm enim, cùm Galliarum provincias enumerat ac deſcribit, Belgis Sequanos immediatè ſubnectit, priuſquam de Lugdunenſibus agat: Quo ſcriptionis ordine, eos Belgicæ potius accenſere, nonnulli videri poſſit. Rurſum Ararim, quem & Sanconnam vocat, hodie *la Saone*, *inter*, vel ut aliàs, *præter Germaniam primam fluere* notat. quod ipſum quam obſcurius, Sequanos tamẽ Germaniæ primæ comprovinciales, id eſt, Belgicæ adjunctos innuere videtur. Denique quo loco Rhodanus Ararim in ſinum nomen adſciſcit, Galliarum exordium eſſe monet. Igitur Sequanos ad Rhodani ſuperiora ſitos Ammianus, Galliâ propriè dictâ ſeu Celticâ ſecludit; nam eam hic intelligit. Cùm autem ſcribit, Rhodanum lacu Lemanno eductum, per Sequanos ferri, longiùſque progreſſum Viennenſem latere ſiniſtro perſtringere, dextro Lugdunenſem, idque priuſquam Ararim intercipiat; tantum indicat, Sequanorum fines aduſque fluviorum illorum confluxum non pertingere. Quod & Ptolemæus in ſua Galliæ tabulâ exhibet, ac poſt eum Ortelius: & hæc ille quidem de Sequanis; quibus & Rauricos adnectit. Helvetios vero, aut eorum principem ſaltem urbem Aventicum Alpibus, Graiis & Penninis adſcribere videtur: ſi ibi mutilus non eſt, quod puto; aut ipſe non decipitur. Nàm certè Sequanorum & Rauracorum ad Belgas, ſimul Helvetiorum ad Lugdunenſes, commoda eſſe non poteſt adjunctio.

Juxta Ammianum.

Amm. L. 15.

Fuit igitur tempus, idque productius, quo Sequani Helvetiíque Belgis adſcripti ſunt, eóque Rhenus ferè totus, Orientalis Belgicæ limes. Quod an à Galbâ primò inductum, Lector examinet. Certè Lugdunenſes Galba, quòd ab Nerone ad ſe Vindicémque tardè defeciſſent, finium damno multaſſe, reditúſque illorum in fiſcum vertiſſe, dicitur à Tacito. Eo finium damno, cur non Sequanos & Helvetios, Vindici faventes, ab Lugdunenſi provincia in Belgicam tranſtulerit, idque mox Veſpaſianus Galbæ partibus obſecundans ratum eſſe voluerit; obſtat, quod Treviri ac Belgarum ſaltem nonnulli, æquè pro Nerone contra Vindicem Gallámque ſtetiſſe memorentur. Sed fortè Belgarum in Galbam celerior inclinatio id meruerit. De quo magis cogitandum exiſtimo. Plinius quidem, ſententiæ iſtius primus auctor, ſub Veſpaſiano ſcripſit. Uti ſub Antonino Ptolemæus.

Tac. 1. hiſt.

Quidquid ſubfuerit, ut in Orbem omnia recurrunt, quæ poſtrema legitur in Provinciarum notitiâ Galliæ partitio, in Cæſarianam omnium primam, velut orbe circumducto relabitur. Nam ibi Sequani, Rauraci, Helvetii, qui omnes Maximâ Sequanorum appellantur, quintam Lugdunenſem componere referuntur; Lingones primæ Lugdunenſi, ſicut & hodie, tribuuntur. Tanta fuit apud poſteros Cæſarianæ diviſionis auctoritas: cui & nos in ſequentibus obſequemur.

Stetit tandem Cæſaris diviſio.

CAPUT II.

Belgica ſubdiviſio.

BELGICAM igitur eam Galliæ partem Cæſar appellavit, quæ Matronâ Sequanâque fluminibus, Oceano Germanico ac Rheno ab ejus oſtiis ad Rauricos Helvetióſque concluditur. Idem fecit, qui Cæſarem in imperio excepit Auguſtus. & Cæſar quidem nullam aliam partitionem agnovit tertiariæ. Sed Auguſtus imperij jam Monarcha cùm Provincias diſtinctiùs ordinaret, huncque totum terræ tractum non modicum adverteret, rurſum in varias provincias, velut corpus in membra diſtinxit; treſque ſaltem partes eſſe voluit: Germaniam ſuperiorem ſive primam, Germaniam inferiorem ſive ſecundam, & BELGICAM propriè dictam: Factum id (id fieri ſaltem cœptum) eodem anno, quo ſeptimum ipſe Conſul, Auguſtus à Senatu dictus, in Galliam ſe contulit, Vitamque Gallorum ac Remp. ordinavit: bellis civilibus, quæ Cæſarianam eorum ſubactionem exceperant, interturbantibus, ut ſuo loco reddam.

Ab Auguſto facta.

eſt hic ann° U. C. Varronianus 727. ante hodiernam Chriſti epocham 27.

Juxta Ammianum,

De hac utráque Germaniâ, præter Meſſalam qui nonnullis dubius eſt, ita Dio, fidus in primis hiſtoricus, in diviſione Provinciarum Auguſtum inter Senatumque factâ: *celtæ quidam, ait, quos Germanos vocamus, cum omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum eſt, occupaſſent, effecerunt ut ea Germania* (licèt cis Rhenum ſita) *vocaretur: Superior, quæ Rheni fontibus propior eſt; Inferior, quæ ab his uſque ad Oceanum Britannicum ſe extendit.* Eaſdem Germanias innuit Tacitus, dum in Auguſti morte de exercitibus eas inſidentibus ita refert: *Duo apud ripam Rheni exercitus erãt: Cui nomen SVPERIORI, ſub C. Silio Legato; INFERIOREM A. Cæcina curabat. Regimen ſumma rei penes Germanicum, &c.* & addit: Inferioris exercitus legiones duas apud aram Ubiorum (nunc Bonnam) nomine Primam atque Viceſimam hyemaſſe, cùm ſeditionem occœperunt; duas alias Quintam & undevicesimam (Lipſio & Pichenæ ex Mſ.to una & viceſimam) ſexageſimo exinde lapide ſtativa habuiſſe, loco cui *Vetera* nomen eſt; nunc *Santen* aut *Sytten* dicitur in Ducatu Clivienſi. Superioris autem exercitus legiones, circa Moguntiacum quatuor ibidem quoque numerantur, Secunda, Tertia-

Dio L. 53.

& Tacitum.

decima, Quartadecima, Sextadecima. Nec cujuſpiam ferè in Tacito provinciæ, quàm utriuſque hujus Germaniæ, frequentior mentio. Quæ ut à ſitu Superior Inferiórve; ita PRIMA etiam, SECUNDAQUE, prout Româ in Gallias advenientibus, occurrunt, appellantur.

Cur Germaniæ Ciſrhenanæ ab Auguſto factæ?

Verùm has terræ partes, cùm cis Rhenum, & in fundo Gallico eſſent, cur Germanias Auguſto nominare viſum? Prona cuipiam videri poſſit Dionis paulò antè citata reſponſio: *Celtarum* (ſeu Teutonum Tranſrhenanorum) *quoſdam, quos Romani Germanos appellarent, cùm omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum eſt, occupaſſent, effeciſſe, ut ea Germania vocaretur: Superior, quæ Rheni fontibus proprior eſt; Inferior, quæ ab hac ad Oceanum uſque Britannicum excurrit.* Neſcio tamē hoc an plenè ſatisfaciat: Primùm enim ſat conſtat, Celtas illos, non cùm trans Rhenum adhuc incolerent, ſed cùm primùm citeriorem Rheni ripam occupaſſent, Germanos appellatos; idque non à ſeipſis, ſed à Gallis victis, ob metum: quod jam è Tacito videbimus. Deinde Galli iſti victi, Germanorum hocce nomen non omnibus Celtis cis Rhenum victoribus (ſaltem primùm) indidere; ſed quinis dumtaxat eorum populis, Eburonibus, Condruſis, Ceræſis, Pæmanis & Segnis: *qui omnes* (ait Cæſar, ſuo adhuc ævo) *uno nomine Germani appellantur.* Id enim fruſtrà de his moneret, ſi ceteris Ciſrhenanis æquè conveniſſet. Neque verò à Gallis iſtis adhuc barbaris, parumque concordibus, manare commodè potuit iſta Germaniæ in Superiorem Inferioremque partitio. Denique *Nervij Treviríque*, teſte Tacito, *circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitioſi erant; tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertiâ Gallorum ſepararentur*: & hos tamen neutri Germaniarum harum, ſed Belgicæ ſemper à Romanis adſcriptos, nemo qui veteres hiſtorias legerit, ignorat. Non igitur plena hîc è Dione reſponſio: Videndum inſuper quando, qua occaſione, à quo, quibuſúe finibus Germania iſta dicta terminatáque fuerit. Quod nos fuſiùs infrà capite 8. & 9. tractabimus. Nunc tantùm dico:

Auguſtus cùm primùm Belgicam ordinaret, animadvertit, è Teutonibus Celtiſúe tranſrhenanis, qui cis Rhenum in Gallias irruperant, diverſarum licèt Civitatum, linguæ tamen & morum eorundem, binas aptè fieri poſſe Provincias, eiſque Gemaniæ nomen imponi. Fuerat illud hucuſque quinis illis gentibus peculiare; ſi Cæſari quidem fides eſt, ut eſſe debet. Sed jam ad alios cis Rhenum æquè victores, imò & ad omnes trans id flumen adhuc incolentes vulgò evaleſcebat. Novas igitur cis Rhenum haſce Provincias, Germanias appellandas cenſuit. Quóque confuſionem in poſterum vitaret, quinque gentes illas alio ſtrictiore nomine diſtinxit, aut ut ſe ipſi diſtinguerent, imperavit. Quo factum, ut priſcis ac propriis nominibus abulitis, novo mox & communi *Tungrorum* innotuerint· undecumque demùm illud ortum fuerit. De quo fuſiùs, ut dixi, Capite 8. & 9. proximè ſequentibus.

Non diffiteor quidem Germaniæ nomen ante Auguſti, fortè & Julij Cæſaris in Gallias adventum, in Tranſrhenanam etiam regionem à Gallis Romaniſúe diffundi potuiſſe: Ciſrhenanis tamen Theutiſcis tam propriè, talique partitione conveniſſe, vetat Cæſar credere; dum nonniſi Eburonibus ſociiſque ſuo adhuc ævo id indultum diſertè monet. Niſi eum, cùm diſtinguere vult, parum tamen diſtinctè loqui dicamus.

Dionis opinio.

Dio quidem (quod notandum eſt) *Germanorum* nomen nunquam Tranſrhenanis indulget; ſemper *Celtas* appellat, ut & Gallos Galatas, & Belgas Kelticos: ſolos Ciſrhenanos *Germanos* latino nomine, & eorum regionem *Germaniam* etiam græcè vocat. Nempe Auguſto obſecutus, qui de Ciſrhenanis ita edixerat; Tranſrhenanorum nomen communi hominum opinioni ſermoniúe reliquerat: Dio autem ſupra vulgus, non ſupra Auguſtum ſapere voluerit. Atque hæc de Germaniarum Gallicarum nomine. Quas cur ita circumſcripſerit Auguſtus, ut Nervios, ſi non primùm, & Treviros excluderet; ratio alia non ſuccurrit, quàm aut Nerviorum ſitus à Rheno remotior Belgiſque vicinior; aut quod utroſque, ſanè fortes, optaret primæ originis obliviſci, Galliſque coaleſcere; aut ſimile quidpiam nobis incompertum.

Ptolemæi.

Ceterùm limites non magis certos adſignat Dio. tantùm propiùs à Rheni fontibus oriri, & in Oceanum Britannicum porrigi ſcribit. Quibus Nervios non excludit. Paulò enucleatiùs, non abſque tamen omni errore Ptolemæus, illuſtris ſub Antonino Imperatore Geographus; qui Inferiorē primò Germaniam à mari in ſuperiora ad Obrincam uſque fluvium extendit, & loca hæc enumerat; *Batavodurum* (*Wyk te Durſtede*) *Vetera* (Santen ſeu Byrten) *Coloniam Agrippinenſem*, *Bonnam*, *Trajanam legionem*, *tum Moguntiacum*, denique *Obringam fluvium.* Quod ſi ſtat, Obringa Ptolemæo Moſella (quod nonnulli putant) eſſe non poteſt: quando Obrincam ille non infra Moguntiam, ut hodie Moſellam videmus, ſed ſuprà, Rheno confundi ſupponit. Niſi Obringam errore fluvium vocet, quæ potiùs regiuncula ad dextrum Rheni circa Moguntiam latus eſt, *Rhingau* dicta: ipſe autem *Op* ſeu *Ober Ringau*, id eſt ſuperiorem Rhinganiam vocitarit, errore quidem, ſed in externo Ægyptiúque ſcriptore non tanto: Enimverò falli hîc, ut in aliis Belgicis Gallicíſque permultis Ptolemæum, quæ mox ſubdam evincunt. Nam & Rhingavia illa, ſeu fluvius ſeu regiuncula capiatur, & Moguntia ipſa, Germaniæ non Inferioris ſed Superioris ſunt; Tungri contrà Inferioris; ſicut & Batavi, in quibus Lugdunum Oppidum, & omnia Rheni fluminis oſtia: quæ tamē ille in Belgicâ recenſet, confuſione non parvâ. Superioris verò populos rectè ſubjungit; Vangionas (*Worms*) Nemetas (*Spier*) Tribocchos (hodie *Alſatios* & Straſburgenſes) denique ex Plinii opinione jam dictâ, Rauricos, Lingonas, Helvetios & Sequanos.

Ammiani Marcellini ſubdiviſio Germaniarum Ciſrhenanarum, ſeu Belgicarum.

Paulò certiùs Ammianus Marcellinus oculatus harum regionum ſub Juliano Apoſtatâ deſcriptor: *Secunda Germania* (ſeu Inferior, inquit) *ab Occidentali* (an Boreali) *exordiens cardine, AGRIPPINA & TVNGRIS munitur civitatibus amplis & copioſis. Dein PRIMA GERMANIA: ubi præter alia municipia, Moguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, barbaricis cladibus nota.* Ammiano planè conſonat Libellus Romanarum in Gallia provinciarum, paulò etiam uberior: *In Germaniâ primâ civitates numero quatuor: Metropolis civitas Moguntiacenſis; civitas Argentoratenſium; civitas Nemetum, id eſt Spiras civitas Vangionum, id eſt Wormen. In ſecundâ duæ: Metropolis civitas Agrippinenſium, id eſt Colonia; civitas Tungrorum.* Ita Superioris quidem Germaniæ longitudo ab Rhenipuncto, quod hodiernas Baſileenſem ſeu Rauracenſem, & Argentoratenſem diœceſes Eccleſiaſticas diſterminat, inceperit: & circa

fluviolum Ar (quem Obrincam ſeu Abrincam; non Prolemæi quidem, ſed verum Cluverus exiſtimat) Antennacum inter ac Bonnam, ubi diœceſis oritur hodie Colonienſis, diſſecit; Latitudo verò Rhenum inter ac ferè Voſagum montem, tum Saravi fluvii ſuperiora, patuerit. At Inferioris longitudo ab Ar amne ad Oceanum. Latitudo ab oſtio Scaldis, mox ſurſum ipſo Scalde, donec Rupelam Demerámve recipiat; tum ipſo Demerâ paulò ſupra Mechliniam: inde lineâ ad Meridiem per Hannoniæ Namurcíque confinia ad Franciam uſque hodiernam ſeu Chima cum ducta: aliâ demum in Orientem per Simois (hodie *Semoy*) amnis ferè curſum, ipſoſque Leodienſis & Colonienſis diœceſeon hodiernarum fines Auſtrales, ad Ar flumen Rhenumque reductâ.

Menapiorum diviſio ab Auguſto facta.

Quo quidem ſat patente terræ tractu, præter Agrippinenſes ſeu Ubios, cis Rhenum ab Agrippa traductos, & Tungros jam deſcriptos, minores alii populi continentur, Sunici Gugernique vndecumque ita dicti; niſi fortè Sunici ſint qui Cæſari Segni; tum Toxandri, Bethaſii, Batavi, Caninefates Oceano proximi: denique Menapii Cæſariani, *Eburonibus*, ut ait, *propinqui*; iidemque & ipſi & Straboni maritimi, omniumque ultimi. Ita ſi quod jam diximus, Pliniusque ſatis innuit, Germaniam Inferiorem à Belgicâ propriâ diviſerit Scaldis Inferior, Menapiorum ea pars quæ Scaldi defluenti ſiniſtra erat, ad Belgicam, dextera ad Germaniam ex Auguſti ſubdiviſione pertinuerit: ſimul Kempiniam Brabantiæ hodiernam & finitima, novo Toxandrorum nomine undecumque nato, altera priſco nomine retento, Flandriæ hodiernæ partem ſaltem Orientalem, *Mempiſcum* inde dictam, incoluerit. Quod etiam ex Æthico Oroſióque colligimus, cùm Britanniam Inſulam ex Rhutupino portu, haud procul à Morinis, in Auſtro poſitos Menapios Batavoſque proſpectare ſcribunt: Dio quoque libro 39. Menapios Morinis finitimos fuiſſe notat. De quo alibi fuſiùs.

Oroſ. 1. 1. c. 2.

Treviri Germanias Ciſrhenanas diſſecant.

Ceterùm Germaniarum iſta partitio, an ſemper ab initio tenuerit, non definio, & minutioris eſt fortè diligentiæ. Quæri certè non ineptè poſſe video, Num ad Germaniam Superiorem unquam attinuerint Treviri? Nam eorum fines, etiam ab hac diviſione, ad Rhenum uſque porrectos multa docent. Primùm, ſi quod pleríque omnes advertunt, eædem penè fuerint ſub Romanis Eccleſiaſticæ profanæque diœceſes, idque in Galliis noſtris maximè perſeveret; Antennacum, Confluentes & Bodobrigam (hodie *Boppart*) Trevirorum olim fuiſſe neceſſum eſt: quando Antennacum Eccleſiaſticæ, Confluentes & Bodobriga etiam profanæ eorum juriſdictioni hodie quoque ſubduntur. Ad hæc Suetonius Caligulam in Treviris, vico Ambiatino, ſupra Confluentes, ex Plinii ſententiâ, genitum ſcribit. Vicum iſtum Ambiatinum ſupra Confluentes, ſive ad Rhenum, ſive ad Moſellam ſtatuas (Suetonius quidem non exprimit) Trevirorum fines ad Rhenum, aut non procul excurrere videbis. idque vivo adhuc Auguſto, cujus mortem biennio toto prævertit Caligulæ nativitas. Denique Strabo ipſe, qui potiorem longævæ ætatis ſuæ partem ſub Auguſto etiam ſuperſtes exegit, Treviros ad Rhenum incolere, & apud illos à Romanis, qui bellum gerebant Germanicum, pontem ſuo ævo factum ſcribit. Trevirorum igitur ad Rhenum porrectus ager, aut Germaniam utramque interſecuerit, ſi diverſus; aut ad alterutram, & veriſimiliùs ad Superiorem attinuerit. Equidem Antennacum Duci Moguntiacenſi attribuit Imperij Notitia, circa annum Chriſti vulgarem 438. edita. & ſub Romanorum imperio, in totâ Germaniâ Superiore vix alium Trevirenſi celebriorem reperias Archiepiſcopum: quando Moguntiæ & Coloniæ ante Conſtantini regnum, quidam agnoſcere nolunt. Nihilominùs Treviros Belgis ſtrictè ſumptis potiùs adnumeratos, quæ infrà dicentur evincunt. Nam Belgicæ, ſi non omnis (quod veriſimiliter adſtrui poteſt) ſaltem ſubdiviſæ, & quidem Primæ, caput oſtendunt. Ad hæc Tacitus in Annalibus, adeóque in Auguſti morte, Belgas ſemper non æquè Germanos appellat. Denique Auſonius in elegante ſuo Moſellâ, iter ſuum à Bingio fluvioque Navâ Treviros uſque retexens, poſt Dumniſſum Tabernáſque præteritas, ait:

Suerон. Cal. c. 8.

Strabo l. 4.

Auſon. in Moſella.

Et tandem primis Belgarum conſpicor oris Nivomagum.

Nivomagũ.

Vicus hic etiamnum perdurat, vulgo *Numagen*, paulò infra Salmonæ, ſupra Leſuræ in Moſellam influxus, de quo poſtea pluribus. Si Nivomagum venientibus à Rheno in *primis Belgarum oris* occurrebat: ergo quod terrarum illud & Rhenum interjacebat, non Belgicæ propriæ, ſed Germaniæ primæ (quæ ideo ad Occidentem Leſurâ terminanda eſſet) adſcribebatur. Quare Auſonium teſtem eruditum oculatumque, ut & paulò ſuprà Tacitum, ſecutus, Treviros Belgis ſtrictè ſumptis adjungam; quantumvis eorum ager in Rhenum productus Germaniam utramque intercurſarit atque diviſerit. Quod & Nicolaus Samſon in ſua veteris Galliæ Tabula amplectitur. Lector per otium ſi velit magis examinet. Scio minùs concinnâ videri poſſe Germaniarum diſſectionem iſtam; verùm non mihi, non Auguſto, ſed Transrhenanis tribuendam: qui in ea ſua cis Rhenum inruptione cæterorum quidem Belgarum Rheno prætextorum, non tamen Trevirorum fortiùs obſiſtentium, fines pervadere potuerint.

Belgica ſtrictè ſumpta.

Reliqua Galliæ Belgicæ pars numero tertia, aut quarta mole ferè media, ab Germaniarũ Occidentalibus terminis in Oceanũ æquè porrecta, ab Auſtro Matronâ Sequanaq; fluminibus ferè cõcluſa, Belgicæ nomen ſibi peculiare retinuit. Unde Plinius ſuprà, *A Scalde ad Sequanam BELGICA*: Nempè propria, ut à Germaniis etiam Belgicis condiſtinguitur. ea quippè à Scalde inibat propè Oceanum, imò ex quo ille Demeram ſive Rupelam haurit, ut ſuprà dixi: Nam parte ſui ſuperiore totus intra Belgicam propriam fluit. Quod ex ſolis Nerviorum finibus patet, quos cum Hannoniæ hodiernæ Aloſtenſiſque territorii limitibus maximè contineri ex eorum Metropoli Bavaco aliiſque infrà docebo. Nervios autem Belgicæ ſecundæ ſemper adſcriptos, tam ſæcularis quàm Eccleſiaſtica Provinciarum Gallicarum Notitia clarè docet.

Plinius Lib. 4. c. 17.

Quando Belgica ſtrictè ſumpta inſtituta, quas civitates continuerit.

Porrò Belgicam hanc ſtrictè ſumptam, ſimplicem primùm ac indiviſam, ab Auguſto ad Conſtantinum uſque permanſiſſe, veriſimiliter ex Plinio, Tacito, Ptolomæo & Spartiano colligitur, qui Belgicæ ſemper indefinitè indiviſimque meminiſſe videntur. A Conſtantino quàm tardiſſimè, gemina facta, PRIMÆ ſimiliter ac SECUNDÆ nomen obtinuit. in quibus quænam celebriores nominarentur civitates, ex antiquorum Auctorum ſcriptis ita diſcimus. *Belgica Prima*, inquit Ammianus, *Mediomatricos prætendit & Treviros, domicilium Principum clarum. Huic adnexa eſt Secunda Belgica, quâ Ambiani ſunt, urbs inter alias eminens, & Cathelauni & Remi.* Idem paulò

fuſiùs diſtinctiusque Libellus Provinciarum Romanarum: *In Belgica primâ civitates numero quatuor: Metropolis civitas Trevirorum; civitas Mediomatricorum, id eſt Metis; civitas Leucorum, id eſt Tullum; civitas Verodunenſium. In Provincia Belgica ſecundâ, civitates numero duodecim: Metropolis civitas Remorum; civitas Sueſſionum; civitas Catalaunorum; civitas Veromanduorum; civitas Cameracenſium; civitas Tornacenſium; civitas Sylvanectum; civitas Bellovatorum; civitas Ambianenſis; civitas Morinorum; civitas Bononienſium.* Ex his, qui Belgicarum Provinciarum ſub Romanis termini fuerint, veluti lineis quibuſdam ad oculum oſtẽditur. Belgica prima Lotharingiâ hodiernâ plane totâ, & paucis inſuper ad Orientem Occidentemque confinibus; parte item Lutzenburgenſis Ducatus, Meridionaliore ſcilicet & Orientali; Trevirenſi denique diœceſi, ſaltem ad Leſuram & Drahonum uſque Secunda Campaniæ parte majore quâ Aquilonem adſpicit, Veromanduis, Picardis, Morinis, Flandris, Arteſiis, Hannoniiſque finiebatur. Atque hæ duæ Belgicæ ſi ut primùm fuere, jungantur, Belgicæ quoque nondum diviſæ limites definiunt.

Trevirorũne an Remorum civitas Belgicæ latè ſumptæ caput?

Sed quæ tum fuerit ejus Metropolis Remorum Trevirumúe civitas, non exprimunt. Remis Strabo favere videtur, dum libro 4. ita ſcribit: *Inter iſtas gentes Remi nobiliſſimi ſunt, & eorum urbs primaria Duricortora maximè incolitur, ac Romanorum Præfectis hoſpitium præbet.* Ita ille ſane magnificè. Nec diſſentit Tacitus hiſt. 4. *Reſipiſcere*, ait, *paulatim civitates, fáſque & fœdera reſpicere, Principibus Remis: qui per Gallias edixere* (nota) *ut miſſis legatis in commune conſultarent, libertas an pax placeret.* & mox Galliarum civitates ipſóſque adeo Treviros in Remos conveniſſe ſubdit. Quæ quidem omnia non modicam Remorum excellentiam evincunt: & ſanè fieri potuit ut eo tempore Remi Belgicæ quocumque modo præfuerint. Prævaluiſſe tamen poſtea Trevirorum civitatem, nimis frequentia Scriptorum dicta teſtantur. Mela ſub Tib. Claudio Cæſare ſcribens lib 3. cap. 2. *Opulentiſſimam* totius Belgicæ memorat. Tacitus autem præterquàm quod Germanicum Gallis impoſitum Tiberii Imperatoris Stratioisque tempore Treviros maximè incoluiſſe in Annalibus notat, non minus magnificè de Treviris in hiſtoriis ſuis loquitur; maximè cùm Cerialem Veſpaſiani Ducem Treviris ita coràm loquentem, hiſtoriarum l. 4. inducit: *Ipſi plerúmque legionibus noſtris præſidetis; ipſi has aliáſque provincias regitis. nihil ſeparatum clauſumúe.*] Si *has* (credo Belgicas) *aliáſque* Gallicas provincias jam tum regebant Treviri, quomodo non Belgarum Principes?

Tacit. l. 4. hiſt.

Accedit Senatus Romani ad Treviros epiſtola, quâ illos de Taciti Imperatoris electione admonet, tanquam à Metropoli civitate vicinarum provinciarum aſſenſum recepturus: *Senatus ampliſſimus Curiæ Trevirorum: ut eſtis liberi ſempérque fuiſtis, &c.* Quin Panegyrici Maximiano & Conſtantino Magno Auguſtis dicti, eos, cùm in Galliis agerent, Treviris ut plurimum egiſſe nos docent; prorſus ut Auguſta Trevirorum colonia Remis antecelluiſſe videatur. Sed controverſiã hanc utcumque dirimit Ammianus libro 15. cùm ita ſcribit: *Regebantur autem Galliæ omnes jam inde ut crebritate bellorum urgenti ceſſere Julio Dictatori, poteſtate in partes diviſa quatuor. Quarum Narbonenſis una Viennenſem intra ſe continebat & Lugdunenſem: altera Aquitanis præerat univerſis: Superiorem & Inferiorem Germaniam Belgáſque duæ Juriſdictiones iiſdem rexere temporibus.*] Quænam illæ binæ Belgarum juriſdictiones? Niſi Trevirorum una, quæ Germaniam cis Rhenum utramque, cum Treviris, Mediomatricis, Tullis ac Verdunenſibus: Rhemorum altera eam terræ partem continens, quæ poſtmodum Belgica ſecunda; & ſi quas fortè confines alias.

Porrò Belgicæ populos quoſnam & quo ordine Plinius enumeret, ſuprà diximus, & fuſiùs infrà dicemus.

CAPUT III

Quid BELGIUM Cæſari & Hirtio.

REliqua mihi modo quæſtio eſt, Sitne idem BELGICA, quod Cæſari & Hirtio BELGIUM? Quâ in re tametſi pleroſque laboraſſe videas, neſcio tamen an non majorem in aliis diligentiam, felicius in aliis judicium deſideres. Duo dumtaxat in Cæſare loca nobis occurrunt, quibus illata BELGII mentio. Primus eſt commentario 5. *Maritima pars* (Britanniæ) *ab iis incolitur, qui prædæ ac belli inferendi cauſa ex Belgio tranſierant. Qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt; & bello illato ibi remanſerunt, atque agros colere cœperunt.*]

Belgium Cæſari an Civitas, an Provincia?

Hic primùm intelligimus, BELGIUM Cæſari non eſſe urbem, quod ſomniavit nonnemo: Tùm quia præpoſitio *ex* ſatis regionem deſignat in ſcriptore puriſſimo; tum verò quia plures ex Belgio civitates hic tranſmeaſſe, & nomen in Britannia retinuiſſe dicuntur: quod in ſequentibus clariùs etiam elucebit. Secundò, nihil hic primo aſpectu inest, quod BELGIUM pro BELGICA capi vetet; tametſi ad civitatum, quæ ex Belgio in Britanniam tranſmiſere, nomina penetremus.

eſt Provincia.

Notat Cæſar Commentario 2. *apud Sueſſionas fuiſſe Regem ſuâ etiam memoriâ, Divitiacum totius Galliæ potentiſſimum; qui cùm magnæ partis harum regionum* (puta Veromanduorum, Ambianorum, Atrebatium, vicinorumque) *tum etiam Britanniæ* (quod benè pro ſequentibus obſervandum) *imperium obtinuerit, &c.* Planè puto hoc eſſe bellum poſterioremúe trajectum, quo pleróſque è Belgio in Britanniam tranſiiſſe, ſuprà libro 5. dixit: Scilicet Divitiacum Sueſſionem, Veromanduis, Bellovacis, Ambianis, Atrebatibúſque devictis, cùm ad Britannicum Oceanum victoriâ perveniſſet, prædæ cupido bellique ſucceſſus in Britanniam etiam immiſerit, ibique ut è ſuis pluſculos, ceu colonos, novo ſtabiliendo imperio, relinqueret perſuaſerit. In iis Atrebatios fuiſſe, Ptolomæus in ſuâ Britanniæ deſcriptione major omni exceptione teſtis eſt, ut mox fuſiùs capite quinto. Atrebatas igitur Belgium Cæſaris continebat: inter alios indubiè plures, quos tamen ex hoc loco non aſſequor.

Secundus in Cæſare locus plura & certiora ſuppeditat. Ineſt ille eodem Comment. 5. Cæſar ex Britanniâ redux, *Subductis navibus, conciliòque Gallorum Samarobrivæ peracto, quòd eo anno frumentum in Galliâ propter ſiccitatem anguſtius provenerat, coactus eſt aliter ac ſuperioribus annis exercitum in hibernis collocare, legioneſque in plures civitates diſtribuere: Ex quibus unam in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit; alteram in Nervios Quinto Ciceroni, tertiam in Eſſuos;* an qui

Haſſi

Haſſi Plinio?) *L. Roſcio: quartam in Remis cum T. Labieno in confinio Trevirorum hyemare juſſit: tres in* BELGIO *collocavit; his M. Craſſum Quæſtorem, & L. Munacium Plancum, & C. Trebonium Legatos præfecit. Vnam Legionem, quam proximè trans Padum conſcripſerat, & cohortes quinque in Eburones, quorum pars maxima eſt inter Moſam & Rhenum, qui ſub Imperio Ambiorigis & Catıvulci erant, miſit: his militibus Q. Titurium Sabinum & L. Aurunculeium Cottam legatos præeſſe juſſit. Ad hunc modum diſtributis Legionibus, facillimè inopiæ frumentariæ ſeſe mederi poſſe exiſtimavit. Atque harum tamen Legionum hiberna (præter eam quam L. Roſcio in pacatiſſimam & quietiſſimam partem ducendam dederat) millibus paſſuum centum continebantur.*] Hæc Cæſar.

Quibus, ne repetam primum illud, BELGIUM Cæſari urbem ſolam eſſe non poſſe, ſed regionem potiùs minimè anguſtam, quæ tribus Legionibus in officio contineri debuerit, id eſt, juſto exercitu; ſi equites præſertim & auxilia, quæ Legiones certo ſemper numero comitari ſolebant, adjunxeris, cùm ceteri populi ſingulis ſinguli Legionibus comprimerentur. Illud etiam maximè intelligimus, BELGIUM hic à Belgicâ Cæſari clarè diſtingui. Nam nullus hîc populus, ſive, ut loquitur Cæſar, civitas exprimitur, quam Belgicâ comprehendi non conſtet. Quis enim Morinos, Nervios, Rhemos, Treviros, Eburones in Belgicâ eſſe neget? Et tamen ſingulos Cæſar, ſi barbarè non ſcribit, à BELGIO ſuo ſecernit. Omnino Belgium hic Belgicæ partem eſſe neceſſum eſt. Sed quænam ea, adhuc quæritur. Vigenereus, Hubertus Leodius, aliique Bavacum (hodiè *Bavay*, Hannoniæ oppidum) aut vicinum territorium eſſe credunt. fruſtrà: cùm Bavacum Nerviorum fuiſſe oppidum ſcribant Ptolemæus, Antoninus, Tabuláque Peutingeri, vetuſtiſſimi fidiſſimique Scriptores; Nervios autem hic à Belgio ſecludat Cæſar. Guicciardinus, Marlianus, Goropius, & alii Bellovacorum regionem notari contendunt. non malè, ſi paulò plus dicerent; his argumentis:

Non tamen ſolorum Bellovacorum.

Primò, quia Bellovaci hic à Cæſare non nominantur, ſicut neque Atrebates, Ambiani, Veromandui, quos ſuprà ex Belgio Cæſaris in Britanniam tranſiiſſe collegimus. Quis credat tam valentes hoſce populos, minùs quàm nominatos, Legionum Romanarum præſidio comprimi debuiſſe, aut annonæ penuriam minus juvare potuiſſe? Planè Cæſaris eos BELGIUM compoſuiſſe neceſſum eſt, ubi tres ejus Legiones hiemarint. Secundò, ſi è Cæſare poſſimus eruere, quoſnam populos Civitateſve terni iſti in Belgio legati, Craſſus, Plancus atque Trebonius hibernis ſuis inſederint; facilè quoque BELGII Cæſariani terminos eruemus. Et Craſſum quidem in Bellovacis collocatum, paulò poſt expreſsè Cæſar ſignificat, 25. paſſuum millia ab eo loco, ubi tum Cæſar ipſe literas Ciceronis acceperat, id eſt Samarobrivæ, ut ex ſequentibus intelligimus. Bellovacos igitur in Belgio eſſe habemus ex Cæſare. Plancum notat ex BELGIO in vicinos Carnutes, neſcio quid movere parantes, hibernaturum allegaſſe. erat ergo Plancus, quem cum ſua Legione in BELGIO collocatum audivimus, non procul à Sequanâ, & extremis Belgicæ finibus, unde præ ceteris commodiùs in Carnutes mitti poſſet. Belgium igitur Cæſari ferè ad Sequanam uſque porrigitur; ſicut & Meridionales Bellovacorum Sylvanectumque termini, Sueſſionum Divitiacique regno contigui; ſicut & Pariſii, quorum etiam nomen in Britannia ponit Ptolemæus, ut capite quinto videbimus. De Trebonio tametſi Cæſar expreſsè non tangat, Samarobrivæ tamen, quaſi Cæſari præſidio, ſubſtitiſſe, duobus argumẽtis aſſequor. Primùm enim abiens in Nervios opem Ciceroni laturus, Craſſum, etſi tunc ad ſe celeriter accitum, Samarobrivæ cum legione præfecit; quòd ibi impedimenta exercitûs, obſides civitatum, literas publicas, frumentumque omne tolerandæ hiemi relinquebat. Quis credat Cæſarem ante advocatum è Bellovacis Craſſum Samarobrivæ, ubi tanta aſſervabat, ſine ullâ legione ſubſtitiſſe? Trebonium omnino illic fuiſſe, ex ſufficienti partium enumeratione concludimus. Secundò, ſcribit Cæſar duas ſolùm legiones ad Ciceronem ſe ducere potuiſſe, cùm tres maximè vicinas ducere ſtatuiſſet; nimirum Labieni in Remis, Fabii in Morinis, Craſſi in Bellovacis poſitas. Labienum autem non veniſſe ſcribit; Craſſum quoque Samarobrivæ cum unâ legione relictum: Reliqua ergo Fabii legio ei fuit. Atqui cum duobus ſe profectum refert: Igitur Trebonii quoque legionem abduxit; de quâ nihil ſcribit, quia Samarobrivæ apud ſe conſiſtentem vocare opus non erat. hancque quàm Craſſi ſecum rapere, conſultiùs duxit, quia recens erat, & nullo adhuc itinere, ut illa Craſſi, fatigata. Fuerat ergo Samarobrivæ Trebonius in hibernis cum ſuâ legione conſtitutus, &, ut ait Cæſar, in Belgio. Quare Samarobriva Ambianique ſunt in Belgio. Nam Samarobrivam ex Ptolemæo, ſeu ut ille vocat Samarobrigam, id eſt, Samaræ Somonæve fluvii pontem, Ambianorum fuiſſe caput intelligimus.

Belgii Cæſariani limites.

Ex his BELGIUM Cæſari non idem eſſe ac Belgicam pervidemus; ſed eam duntaxat Belgicæ partem, quæ Sequanâ, Rhemis, Nerviis, Morinis & Oceano extrinſecus cingebatur; inſidebaturque populis Bellovacis, Ambianis, Atrebatibus, Veromanduis, ac veriſimiliter etiam Sueſſionibus. Nec plura de Belgio loca vel argumenta mihi quidem Cæſar ſuggerit.

Quænam Belgii Cæſariani Civitates.

Qui verò Cæſarem ſupplevit Hirtius, duo alia ſubminiſtrat. *Cæſar*, inquit, *exercitum per legatos in hiberna deduxit: Quatuor Legiones in* BELGIO *collocavit, cum M. Antonio, C. Trebonio, P. Vatinio, & Q. Tullio* (Cicerone) *legatis. Duas in Æduos miſit, quorum in omni Galliâ ſummam eſſe auctoritatem ſciebat. Duas in Turones ad fines Carnutum poſuit, quæ omnem regionem conjunctam Oceano continerent. Duas reliquas in Lemovicum fines, non longe ab Arvernis, ne qua pars Galliæ vacua ab exercitu eſſet. Paucos dies ipſe in Provincia* (Narbonenſi) *moratus, ad Legiones in* BELGIVM *ſe recepit, hibernavitq́ Nemetocennæ. Ibi cognoſcit Commium Atrebatem prælio cum equitatu ſuo contendiſſe. Nam cùm Antonius in hiberna veniſſet, civitasq́ Atrebatum in officio maneret; Commius, qui poſt illam vulnerationem, quam ſuprà commemoravi, ſemper ad omnes motus paratus ſuis civibus eſſe conſueſſet, ne conſilia belli quærentibus auctor armorum duxq́ deeſſet; parente Romanis civitate, cum ſuis equitibus ſe ſuóſque latrociniis alebat, infeſtiſque itineribus cõmeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercipiebat.* Ex his tria colligo: Primùm; videri BELGIUM etiam Hirtio regionem eſſe Bellovacorum ac finitimorum. Nam ea, quæ

Hirtius quid de Belgio.

hiberna hæc præceſſerat æſtate, Bellovaci, Ambiani, Aulerci, Caleres, Velliocaſſi & Atrebates noſtri, Ducibus Corbeo Bellovaco & Commio Atrebate, periculoſum ei ac difficile bellum moverant: ideóque, tametſi pacem fecerant, pace tamen adhuc dubiâ, Commióque etiamnum in armis manente, firmis ex gentes per hiemem præſidiis continendæ erant. Quatuor ergo legiones in iis poſitæ: quod cum verbis, *in Belgio*, Hirtius enuntiet, probabiliter eas in Belgio Cæſariano poſitas conſequitur. Secundò colligo, ſpeciatim Atrebates in hoc Belgio ſtrictè ſumpto comprehendi. Nam cùm Antonium in illo cum ceteris conſtitutum dixiſſet, mox eum in Atrebatibus ſtativa habuiſſe ſignificat, cùm ſubdit, *civitáſque Atrebatum* (ubi Antonii hiberna erant) *in officio maneret*. Erant igitur Atrebates in Belgio, quod & ſuprà ex priore Cæſaris loco intulimus.

Tertiò demùm intelligo, Nemetocennam ſeu Nemetacum urbem Atrebatum eſſe, non Bellovacorum, ut putat Cluverus, eam quoque malè ab Nemetaco diſtinguens; multò minus Namurcum in Condruſiis finitimiſúe, quod vult Heuterus. Nam Cæſar, ſimul ac Nemetocennam attigit, de equeſtri Commii Atrebatum Regis prælio in Atrebatibus facto cognovit: nempè quod ipſa Nemetocenna Atrebatum urbs & caput eſſet: & hiberna illa Cæſaris caſtra adhuc primò ſecundoúe ab Atrebatu hodierno lapide viſuntur, in vico *Eſtrun*. Manente etiamnum apud incolas & conſtanti traditione, & ſcriptis Balderici aliorumque libris, ejus rei memoriâ. Namurcum quidem extra Belgium Cæſaris extitiſſe, ſecundus Cæſaris locus ſuprà allatus ſatis indicat; cùm Treviros Nervioſque, in quorum confinibus illud interjacet, à Belgio ſuo ſecludit. Plane Nemetocennam hanc Hirtii, Nemetacum eſſe Ptolemæi Antoninique exiſtimo, oppidum Tarvanam inter & Cameracum Tornacumque in Atrebatibus poſitum, ipſum nempè Atrebatum hodiernum, quod edita Ptolomæi exemplaria corruptè *Rigiacum vel* etiam *Origiacum*; Manuſcripta vero Palatina rectiùs *Metacum* appellant, tametſi nec ipſa ſine aliquâ corruptione, extritâ primâ ſyllabâ *Ne*. Enimverò omnes quæ in Antonini Itinerario per Nemetacum ducuntur viæ, adhuc hodiè ſuperſtites ſunt, vulgo *Chauſſées de Brunehault* dictæ; à Reginâ nempè Francorum Brunichilde paulò ante annũ Chriſti vulgarem 600. minùs ducentis à Romanorum à Belgica depulſione annis reparatæ. Hæ omnes per Atrebatum hodiernum etiam ducunt, ibi velut ad centrum terminantur, indéque non ex ullo alio viciniore loco rurſum emanant. Denique Notitia Imperii circa annum Chriſti vulgarem 438. edita, ut alibi probo; notat ſub id ævi, *Præfectum* extitiſſe *Letorum Batavorum Nemetacenſium Atrebatis Belgicæ ſecundæ*. Nempè Batavi contra Francos tunc invaleſcentes præſidio pro Romanis laborantibus erant Atrebatibus, quorum Metropolim Nemetacum inſidentes, Nemetacenſium quoque nomen, à loco quem tutabantur, invenerant. Neque ulla ratio eſt, quæ Nemetacum à Nemetocennâ, loco & ſyllabis pœnè omnibus eâdem, ſecernere poſſit. Vulgus credo Nemetaken appellabat, quam deò Cæſar Latinè Nemetocenna vertit: & Ptolemæus Notitiáque Nemetacum.

Alter Hirtii locus librum ejus pœnè claudit: *Cæſar*, ait, *exercitum diſtribuit per hiberna. C. Trebonium cum legionibus quatuor in Belgio collocat. C. Fabium cum totidem in Æduos deducit. Sic enim exiſtimabat: tutiſſimã fore Galliam, ſi Belgæ quorum maxima virtus, & Ædui quorum auctoritas ſumma eſſet, exercitibus continerentur.* Poteſt quidem hic locus eodem quo prior ſenſu capi, nempè pro Bellovacorum, Atrebatum, & confini regione: ac probabiliter quatuor iſtæ legiones in iiſdem ad Nemetocennam hibernis, ſanè firmiſſimis juxtà & commodiſſimis, collocatæ ſunt. Si ſolus tamen hic eſſet, BELGIUM ego quidem cùm univerſâ Belgica confundere nihil vererer; cùm ſubdita ratiò Belgis etiam omnibus communis apud Cæſarem ſit: tametſi eamdem quoque Commentario 7. Bellovacis ſpeciatim attribuat, cùm ait, *Bellovacorum civitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis.*

CAPUT IV.

Quid BELGIVM hodiernum?

Belgium hodiernum à Cæſariano, & à Belgica diversũ.

ANtequam ad hiſtoriæ ſeriem venio, locus admonet, ut quid BELGIUM hodie ſit, exponam. Neque enim nos vocem hanc eâdem ac Cæſar Hirtiúſve animi notione concipimus: neque cum Belgicâ ſtrictim generatimúe ſumptâ confundimus. Sed ea modò Belgicæ veteris pars eſt, quam Franci, Itali, aliique pœnè omnes exteri FLANDRIAM vocant, Ser.mæ domus Auſtriacæ Burgundicæúe potiore ſui parte patrimonium. Dico, *exteri*: Nam nos quidem indigenæ, Flandriæ vocabulum longè magis ſtringimus, pro ſolo in Belgio Flandriæ Comitatu, id eſt, vix Belgii hodierni quintâ parte. Neque verò Gelder aliquis aut Brabantus, tametſi ejuſdem cum Flandro linguæ, lubentiùs quàm Atrebas, aut Hanno, Eburoúe Gallico utentes idiomate, Flandrum ſeſe in hiſce regionibus appellari pateretur. Regiones potiùs Inferiores, ſeu vernaculè *Les Pays-bas* aut **Nederlant** à ſitu vocitamus: quas voces, ceu minus proprias, Belgium latinè exprimere maluimus: evaluitque nomen jam à centum & ſuprà annis, quia vetuſtate & proprietate gratius: Ceteris Belgarum, ad quos æquè ſi non potiùs ea vox attinebat, recentiore ſuo ac paſſim uſurpato nomine contentis, ac de antiquiore illo pœnéque tunc obſoleto litem movere ſuperfluum ducentibus.

Quæ ſint Belgii hodierni Provinciæ? Arteſia, Flandria, Cameraceſium, Hannonia, Namurcũ, Brabantia, Zelandia, Lutzenburgum, Limburgũ, Gueldria, Batavorum inſula, Ultrajectũ, Hollandia, Friſia, Groninga, Tranſiſalania.

Continet ergo Belgium hodiernum, intra Scaldim quidem & Oceanum, Flandriam & Arteſiam: A Scaldi, Orientem verſus, intra Moſam tamen, Cameraceſium, Hannoniam, Namurcum, Brabantiam, & Zelandiam in ipſis Scaldis oſtiis: tum ultra Moſam Lutzemburgum, Limburgum, Gueldriam, & denique Batavorum Inſulam tot antiquorum ſcriptis inclytam. Medius inde Rheni alveus per Ultrajectum Lugdunumque Batavorum exili nunc alveo fluens, Galliam Belgicam olim à Germaniâ diſpeſcebat. Unde quæ hinc in Aquilonem porriguntur hodierni Belgii regiones, Belgicæ propriè dici non poterant: tamen quia aliis verè Belgicis tanquam acceſſoriæ erant, principalis quoque ſui nomen (ut Juriſconſulti loquuntur) obtinuerunt. Sunt eæ Hollandiæ & Gueldriæ partes Borealiores, Friſii, Groninga, & Tranſiſalania. Atque hæ ſunt regiones in hodierno Belgio Auſtriacæ domui ab

antiquo

antiquo ſubditæ. Accenſentur tamen & aliæ duæ, Dominii licèt alterius & Eccleſiaſtici, quia à prædictis velut interceptæ, nec parum cum iis ſubinde confuſæ, Leodienſis ad Moſam, & Stabulenſis in Ardenna ditio; illa Epiſcopi, hæc Abbatis ſui, utraque Germanici Imperii membrum non ignobile. Utriuſque ideò Molanus tutelares Sanctos Belgicis ſuis Natalibus inſulſit, & Annalium conditor Baronius approbavit. Accenſeri poteſt & Aquiſgranum, Limburgico Ducatu pœnè circumcluſum; modica nunc ditio, ſed nobilis olim Caroli Magni, priſciqueFrancorum Imperii Regia. Quæ deinceps Rhenum uſque porriguntur, tametſi Galliæ Belgicæ Romanæ ſeu antiquæ partes ſint, non Belgio tamen hodierno, ſed Germaniæ adſcribuntur: ſuntque, Trevirenſis & Colonienſis Archiepiſcopatus Electoratúſque; Juliacum, Cliviæ pars, ac Murſenſis comitatus, ubi quondam Aſciburgium Tacito celebratum.

Leodienſis & Stabulenſis ditiones.

Aquiſgranum.

Regionis diviſio vix hactenus alia, quàm quæ à ſingulis provinciis efficitur; omnibus & ſingulis, tanquam peculiaris unius eſſent Principis, municipali ac peculiari jure utentibus. Niſi quòd Flandria, Arteſia, Namurcum, Lutzenburgumque ad ſupremum Mechliniæ Parlamentum in cauſis Civilibus appellant. Brabantia cum Limburgo, Gueldria, & Hannonia jus ultimum ſibi ſupremumque dicunt. Hollandia, Zelandia, Friſia, Groninga, Tranſiſalana olim quoque Mechliniam provocabant: nunc à reliquo Belgii Auſtriaci corpore divulſæ ſunt. Invaleſcit tamen nova, eáque percommoda diviſio, à Paulo IV. ſummo Pontifice, noviſſimâ Dioceſeon ſacrarum inſtitutione inchoata, jamque uſu firmata. de qua mox. Ea Belgium noſtrum tres in partes ſecat, in Tranſrhenanam Hollandicámve, in Ciſrhenanam, Teutonicam, Flandricámve, & Gallo-belgicam.

Diviſio Belgii hodierni in Gallo-belgium, Flandro-belgium, & Hollandicum.

GALLO-BELGICA ea omnis dicitur, quæ Gallio utitur idiomate, etſi apud plebeculam corrupto: Quod invaleſcente in dies nomine *Walonicum* appellatur, nomen jam militari laude perinclytum: ſub Carolo Audace Burgundo, ut volunt, primò ortum, & à Carolo Molineto vernaculo Scriptore noſtrate in literas relatum. FLANDRO-BELGICA Germanicum uſurpat idioma, ſed longè Gallico altero corruptius, magiſque in mollitiem, quam Germani averſantur, inflexum. Id nos Gallo-belgæ ſeu Walones Flandricum vocare ſolemus; media ætas Teutonicum ſeu Theotiſcum appellavit; hodiéque ſecretius Principis Conſilium *La langue Thioiſe* indigitat; Leodienſes antiquarum vocum adhuc retinentes *Tychon*. Sed hoc in ditionibus Auſtriacæ adhuc familiæ obſequentibus non parum obſoleſcit, Gallico latiore nobilioréque ſenſim irrepente; prorſus ut Flandrum Brabantúmve paulò honeſtiorem pudeat Gallicè non ſcire; quòd Principis aula, nobilitas omnis, adeóque ſupremum ipſum Mechliniæ Parlamentum, tametſi inter Theotiſcè loquentes conſtitutum, jam inde à primâ ſui origine ſub Burgundiæ Ducibus Gallicè loqui aſſueverit. At Tranſrhenanæ regiones, quantumvis hujus etiam idiomatis, extra Belgicam omnem, ut monui, projectæ, Belgii nomine, niſi ut acceſſoriæ, cenſeri non debent. Unde tertiam Belgii hodierni partem eas feci, & Hollandicas, ab earum nobiliore Hollandia appellavi; maximè cùm earum nonnullæ cis Rhenum jaceant, ut Zelandia tota, pars Hollandiæ facilè media, denique reliqua Batavorum inſula.

Quid Gallo-belgium? quod Gallicè loquitur?

Flandro-belgium, quod Flandricè ſeu Teutonicè.

Hollandicum, & Tranſrhenanæ regiones.

Quare Tranſmoſanæ quoque fortè dici poſſent, ab eo ſaltem Moſæ flexu, quo circa Geneppiam à Septentrione in Occidentem flectitur. Reliquas tractus hujuſce Provincias non repeto, quia paulò antè recenſui.

In Gallo-belgica inſunt Arteſia tota, Cameraceſium, Hannonia, Namurcum, Ardenna tota, & Lutzemburgi portio media Auſtralior (Orientalis enim ſimul & Borealis Germanicè loquitur) Stabulenſis ditio, & Leodienſis pars longè potior, ipſumque gentis caput Leodium, Civitas omnium aliarum cis Rhenum frequentiſſima; Limburgi tertia ſed nobilior; denique Brabantiæ Flandriæque partes facilè ſextæ; quæ & ideò Gallicanæ vocitantur. *Flandriæ Gallicanæ* caput eſt Inſulenſis urbs, vulgo *Lille*, emporium harum partium celeberrimum: accenſetur & *Tornacum*, Epiſcopo Cleróque perilluſtre, ad Scaldim poſitum: denique *Duacum* Academiæ celebritate notiſſimum. Alia oppida ignobiliora ſunt: *Orchiacum*, *Armentaria*, *Baſſea*, *Lanoium*, frequenteſque vici, ut in agro totius Belgii pœnè fertiliſſimo. *Brabantiæ Gallica* caput eſt *Nivella*, nobile quondam Pipini ſenioris, ejúſque filiæ ſanctæ Gertrudis patrimonium, tot jam ſæculis Deo dicatum, nobilium Virginum Collegio, quod ipſa Gertrudis erexit, illuſtre: Eſt & *Gemblacum*, *Judonium*, *Hannutum*, & quod in Antonini Itinerario nominatur, *Peruviacum*.

Gallobelgicæ Provinciæ: Arteſia tota, Cameraceſium & Hãnonia, Namurcũ, Leodienſis ditio potior & Stabulenſis.

Partes Brabantiæ & Flandriæ Gallicè loquentes.

FLANDRO-BELGICAM componunt Flandria Brabantiáque, exceptis quæ modò reſecui; tertia Leodienſium portio quæ Comitatu Loſſenſi maximè continetur; quarta Gueldriæ, cis Rhenum ſita ad eum Moſæ flexum, quo à Borea in occaſum aquas vertit; duæ denique Limburgenſis Ducatus tertiæ, & Mechlinia civitas.

Flandro-belgicæ Provinciæ. Brabantia, & Flandria pœnè tota Leodienſi[s] portio Sep[ten]tẽtrionalis Mechlinia.

Huic Belgii partitioni anſam primùm dedit nupera trium Archiepiſcopatuum inſtitutio, à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Belgii Principe poſtulata, & à Paulo IV. Pontifice conceſſa anno Chriſti 1559. Nam Ultrajectinum ille Archiepiſcopum Tranſrhenanis ſeu Hollandicis indulſit; Mechlinienſem Flandro-belgis; Cameracenſem denique Gallo-belgis: Ita tamen ut Cameracenſis univerſam Gallo-belgicam, ſicut duo alii alias duas, non amplectatur. Nam Leodienſem Epiſcopum, ditionis ſcilicet alterius, placuit Archiepiſcopo Colonienſi relinquere; ut & ipſi Leodienſi Ducatum Lutzemburgenſem, quà Gallicè loquitur Septẽtrioni obverſus; quà Germanicè & etiam verſus Meridiem Gallicè Trevirenſi, quòd novum inibi Antiſtitem non eſſet integrum per ea tempora ſtabilire. Eſtque hæc non inæqualis aut incommoda partitio, neque partium alia alii ita cedit in uno, ut in altero non facilè ſuperet, mutuo exceſſu deceſſúque. Amplitudo terræ Oceaníque commoditas, & quæ inde manat florétque mercatura Hollandicis Tranſmoſaniſque primas tribuunt: Eaſdem contrà Flandro-belgicis reddunt, Urbium ſaltem nupera celebritas, Principis aula, Supremi tres Belgii Senatus, præcipuarúmque Provinciarum Brabantiæ Flandriæque latitudo ac celebritas. At Gallo-belgicam ceteris anteferunt Urbium antiquitas, Cleri Cœnobiorum ultra antiquitatem etiam frequentia potentiáque; militaris virtus, quæque tota pœnè hinc oritur terræ nobilitas: quaterni demùm Imperii Principes Eccleſiaſtici, omnes ſui juris, Epiſcopi duo, Leodienſis & Cameracenſis; duo item Abbates, Stabulenſis & S. Huberti in Ardenna uterque. Neque ſilentio tranſmittendus hic Bullonienſis

Hollandi[cum] mercatu[ra] & navig[a]tione ma[xi]mè exce[l]lunt.

Flandro-belgicæ, Principis aulâ, & [Par]lamento Mechlini[æ].

Gallo-be[l]gicæ, civ[i]tum & E[pi]ſcoporu[m] Cleriq; a[n]tiquitate nobilitat[e].

in eâdem Ardennâ Ducatus, Godefridi Hieroſolymorum olim Terræque ſanctæ recuperatoris patrimonium longè celeberrimum, nunc Leodienſi Epiſcopo ſubditur.

Treviri ex parte Ardennates.

Sunt in Gallo-belgicâ populi ſub Romanis celebres, Trevirorum pars non modica, quæ modo Ardennatium agro & Lutzemburgenſi Ducatu continetur: tum Trevirorum, ut Cæſar ait, clientes Eburones, Pæmani fortè Phæmani hodie *Famenne*, & qui nomen adhuc ſervant Condruſij: Advatici, Nervij hodie Hannonij Cameracenſeſque; Aloſtenſes ac Bruxellenſes. Atrebates priſco adhuc nomine, Morini potiore ac nobiliore ſui parte, & in eâ gentis caput *Taruanna*. Sinus Iccius & *Bononia*, unde Romanis olim in Britanniam Trajectus. Atrebatium caput, ut dixi, *Nemetacum* ſeu *Nemetocenna*, nomina hactenus oblivioni tradita, nunc in tantâ ſcientiarum luce revaleſcentia: Nerviorum Metropolis olim *Bavacum*, etiamnum priſco nomine *Bavay*, ſitúque cognitum; ſed fœde laceratum: de quo infrà pluribus: *Tornacum* item & *Cameracum*, ut paulò antè. Nec reticenda loca minora, Antonini Itinerario memorata, Vogdoriacum hodie *Waudré*, vicus propè Binchium obſcurior, Geminiacum *Gemines*, Peruviacum *Peruez*; In Treviris Gallo-belgicis aut noſtratibus Epoiſſius *Ivou*, Orolaunum *Arlon*, Andethaunale non, ut nonnullis placuit Cœnobio Benedictino hodie nobile *Epternach*; ſed aliis eruditioribus vicus Antwen duabus ab urbe Lutzenburgo leucis, olim Angelicâ S. Martini Auguſtâ Trevirorum Turones remeantis viſione, ut tradunt, periliuſtre.

Quidam putant Gemblacum. Ego malo Gemines, ad viam militarem.

In Flandro-belgicâ populi antiquitate ſpectabiles inſunt, Morinorum reliqua pars, Borealior juxta & Orientalior; Iprenſi jam novo Epiſcopo ſubdita. Menapii ſaltem quà maritimi; Toxandri, Bethaſij, & qui nomen præ cæteris retinent Tungri, ampla olim (ut Ammianus loquitur) & copioſa civitas humile modo oppidum, veteri ſplendore pœne omni ad Leodios tranſlato, veteri licet Advatucæ nomine non prorſus extincto, vulgò Heidena-Tógren. Oppidum Ammiano memoratum hodie Trajectum ad Moſam, ſi mendum nó ſit; & alis minutiora. Urbes alicujus nominis in hac parte, antiquitus nullæ, exceptis Tungrorum & Trajecto, fortè & Gandavo. Quare & tota Gallo-belgicis Epiſcopis ante nuperam Diœceſeon inſtitutionem parebat; Flandria quidem Teruanenſi & Tornacenſi; Brabantia Cameracenſi & Leodienſi; ex quo hic & Tungrenſis Trajectenſiſque ad Moſam locum ſucceſſerat: quem etiam Gueldria citerior ſeu Moſan. & Limburgum agnoſcebant. Erat ſcilicet Flandro-belgicus ille tractus ſub Romanis incultior, ſylvis, & paludibus plerumque invius. Unde quæ in Itinerario Antonini per Belgium hodiernum ducuntur itinera, per Gallo-belgicam omnia ferè ducta videmus: & primos Flandriæ Comites Foreſtarios, ſeu Sylvarum cuſtodes patriis Annalibus dictos legimus. Prorſus ut Tacitus eam Belgii partem, *avia Belgarum* vocare quibuſdam videatur, dum Labeonem, Bethaſiorum, Tungrorum, Nerviorumque ducem a Civili Batavo pertinaci inſectatione quæſitũ ſcribit. de quo tamen ego magis inquirendum exiſtimo. Sed quid non *avi longinqua valet abolere vetuſtas?* Modò urbibus ampliſſimis abundat ac celeberrimis, vicis item innumeris, tametſi per præſentia bella non parum acciſis:

Flandro-belgicæ populi antiqui.

Flandro-belgica ſub Romanis non adeò culta.

Tacit hiſt. 4.

Eminent *Antuerpia* emporium ante bella iſtæc civilia totius Europæ florentiſſimum, *Bruxellæ* ſedes Principum peramœna, *Mechlinia* Juſtitiæ Belgicæ thronus ſive ſolium, *Lovanium* Athenæ Belgicæ, *Gandavum* Flandriæ caput Caroli Quinti Imperatoris natalibus inclytum, *Brugæ*, *Ipra*, aliæque non tanti nominis. In univerſum hujus tractus urbes omnis generis reperias circiter 70. pagos paulò plus bis mille. In Gallo-belgicâ urbes plus minus 90. pagorum inter tria quatuórque millia. In Tranſmoſana Hollandicâve, urbes circiter 80. pagos centum ferè ſupra mille, ſi Mappis quidem fides eſt.

Ceterum ſi priſcum Cæſaris Belgium, à nobis præcedente capite finitum, cum hodierno iſto contuleris; videbis illius antiqui ſolos Atrebatas in hodierno reliquos eſſe. Nam Ambiani, Bellovaci, & ulteriora ad Franciæ Regnum attinent. Si verò Galliæ Belgicæ provincias quatuor itidem à nobis ſuprà deſcriptas cum hiſce Belgii noſtri finibus comparas, intelliges è tribus Germaniæ Inferioris partibus ne duas quidem ei ineſſe poſſe; Superioris prorſus nihil. Belgicæ denique propriæ in duas aliquando diviſæ, quartam ſummùm partem, eamque obſcuriorem, minus à Romanis frequentatam quia remotiorem, pœneque ſolo in Britanniam tranſitu celebrive, Bononiâ, item Teruana, Atrebatibuſque, celebrem. Sanè celeberrimæ tractus hujus urbes, Ambianorum, Bellovacorum, Sylvanectum, Veromanduorum, Sueſſionum, Leucorum, Mediomatricorum, Virdunenſium, & quæ cæterarum capita erant Remorum atque Trevirorum, hodierni Belgii finibus excluduntur: tametſi Trevirorum Auguſta a Lutzenburgenſi agro vix unâ leucâ diſtingatur. Colonia Agrippina Germaniæ Inferioris ſive Secundæ Metropolis extra Belgium noſtrum ſcilicet exiſtit. Quaterna dumtaxat gentium Belgicarum antiquarum capita nobis reliqua; in Morinis Teruana jam deſtructa; in Atrebatibus Nemetacum ſeu Nemetocenna; in Nerviis Bavacum valde acciſum, tametſi priſcæ excellentiæ ruderibus adhuc ſpectabile; Fanum Martis Nerviorum hodie *Famars*. & in Tungria denique Advatuca, non parum acciſa. Cameracum & Tornacum adhuc integra ſuperſunt; ſed ulliúſne gentis ante Belgii a Barbaris invaſionem capita fuerint, ſuo loco diſquiram.

Belgii Cæſariani & hodierni diverſitas.

Quo fit, ut ſi in texendâ hiſtoriæ noſtratis antiquitate intra novos hoſce Belgii fines me premerem, parum quod ſcriberem ſupereſſet. Sat enim compertum eſt, hiſtoriæ materiam à principibus maxime regionum Civitatibus ut plurimum hauriendam, quibus ſcilicet omnis aut militiæ aut juris dicendi vis ineſt. Quod ante omnia moneo, ne Lector miretur narrationes meas circa Treviros, Remos, Trajectum Britannicum, Rhenanum maxime Imperii limitem, adeóque totam ſubinde Galliam occupari: à quibus ſcilicet Belgii hodierni ager tum pendebat. Octo ad Rhenum excubantes legiones, quatuor in Germania Superiore non procul à Moguntiaco; totidem in Inferiore, partim Bonnæ, partim Veteribus; non Rhenano dumtaxat Imperii limiti leges & jura, pacem bellúmve, motum aut quietem; ſed finitimis quoque circa gentibus ſemper, toti etiam Galliæ Germaniæque non rarò dabant.

Octo ad Rhenum in Belgica Legiones.

CAPUT V.

Qui populi jam olim è Belgis orti? Vetuſtiores eorum expeditiones.

Britanni è Belgis orti. *Lib. 5. c. 3.*

Divitiaci Sueſſionum Regis in Britanniam expeditio, paulò ante Cæſaris in Gallias adventum.

PLEROSQUE Britannorum è Belgis ortos, diſertè ſcribit primus è Scriptoribus Cæſar: *Maritima Britanniæ pars* (ait ille) *ab iis incolitur, qui prædæ ac belli inferendi causâ ex* BELGIO *tranſierunt. Qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt; & bello illato ibi remanſerunt, atque agros colere cœperunt.* Rurſum libro 2. *Remi* Cæſari referunt, *Apud Sueſſionas fuiſſe Regem ſuâ etiam memoriâ Divitiacum, totius Galliæ potentiſſimum; qui cùm magnæ partis harum regionum* (Belgicarum) *tum etiam Britanniæ imperium obtinuerit.* Divitiacus igitur Sueſſionum Rex magnæ partis Galliarum Imperator, gentes regno ſuo finitimas, puta Veromanduos, Bellovacos, Ambianos, Atrebates, & alios (forte Pariſios) ſeu armis, ſeu qua alia ratione ſibi primùm adjunxerat. Deinde cùm ad Britannicum Oceanum vincendo perveniſſet, prædæ cupidine, fortiſque ſucceſſu, ſeſe in Britanniam intulerit, ibíque identidem victor plures è ſuis ceu colonos imperio novo ſtabiliendo reliquerit. Id certè vult Cæſar, cùm maritimam partem à Belgis inſeſſam docet, eóſque iis nominibus civitatum appellatos, ex quibus orti eò pervenerant.

Unde Pariſii, Belgæ, Atrebates in Britanniâ ex Ptolemæo.

Quin & Ptolemæus, ſub Antonino Imperatore Geographus, annis ab hac Cæſaris ſcriptione minus quàm ducentis, ea nomina ſcriptis ſuis prodit: & Belgis, Atrebatibus, imò & Pariſiis certos in Britanniâ ſitus aſſignat. Pariſiis quidem ad Humbrum fluvium in Eboracenſi ditione: Belgis autem eo generali nomine comprehenſis, longam latamque habitationem, à mari Verginio qua Sabrinam flumen excipit, adusque Vectam inſulam & Regnos Cantio contiguos; qua modo Somerſetia, Wiltonia, & Hamptonia porriguntur. Atrebatiis denique Berceriam regionem; inter Iſim amnem (qui una Tamâ auctus Tameſis appellatur) & Kunetionem fluvios protenſam. Ut mirum non ſit, quod Cæſar libro 4. notat, Comii Regis Belgicorum Atrebatium auctoritatem Britannicis regionibus magnam fuiſſe; nimirùm apud populares ſuos, populariúmve liberos.

Comii Atrebatû Regis res in Britãnia geſtæ.

Verba Cæſaris hîc audiſſe juverit, cùm legatos à Britannis ad ſe in Morinis agentem de pace miſſos, domum remittit. *Cùm his*, ait, *unà Comium, quem ipſe Atrebatibus ſuperatis Regem ibi conſtituerat, cujus & virtutem & conſilium probabat, & quem ſibi fidelem arbitrabatur, mittit. Huic imperat, quas poſſit adeat civitates; hortetur ut populi Romani fidem ſequantur; ſéque celeriter eò venturum, nunciet.* Paulò poſt ſubdit: *Eundem Comium Atrebatem è navi egreſſum, cùm ad eos Cæſaris mandata perferret, Britanni in vincula conjecerãt.* Sed adverſo *prælio facto, remiſerunt, & ut ſibi ignoſceretur, petiverunt.* Cæſar ignovit; in Galliam rediit. Eumdem Comium proximè ſequenti libro 5. Cæſar à Caſſivellauno Rege pro novâ pace rurſus miſſum ſcribit. Plura etiam conglobat libro 7. paulò ante finem: *Hujus operâ Comii, ut antea demonſtravimus, fideli atque utili, ſuperioribus annis erat uſus in Britanniâ Cæſar. Pro quibus meritis, civitatem ejus immunem eſſe juſſerat; jura legeſq; reddiderat; atque ipſi Morinos attribuerat.* Hiſque adjunctis, addo ego, Regem pluſquam totius Arteſiæ hodiernæ conſtituerat. Frontinus denique eumdem, *cùm à Cæſare ſequente fugeret, navibus ad Britannos*, ceu populares ſuos *effugiſſe* notat lib. 2. fin. de Stratagem. Quo etiam argumento pervidemus, novam Atrebatiorum iſtorum, adeóque ceterorum etiam Belgarum, in Britanniam trajectionem, non multò ſupra Comii ac Cæſaris ætatem referendam; planæque Divitiaco, ut altiſſimè, tribuendam.

Alia vetuſtior in Britanniam Belgarum immigratio.

Ceterùm non neſcio, Britanniam totam longè ante hos Belgas frequenti cultore inſeſſam. Nam idem Cæſar ſcribit, Britanniæ partem interiorem ab iis incoli, quos natos in inſulâ ipſi Britanni memoriâ proditum dicebant. Id tamen nemo ſanus ita acceperit, quaſi primos Britanniæ incolas Autochtonas, ſeu terrâ ipsâ, non aliis hominibus editos Cæſar cum Barbaris illis crediderit; ſed quod de primâ eorum origine nihil aliud inquirendo accepiſſet. Ego verò etiam primos omnium Britanniæ incolas non modò non Aborigenes; ſed ad Belgas etiam noſtros, ordinem naturæ ſecutus, non majore fiducia quàm veritate retulero. Primùm enim nullus ignorat, Inſulas mari concluſas, ab iis primum hominibus adiri colique cœptas, qui è viciniore continente eò, ſeu caſu ſeu voluntate appulerint. Quæ autem Britannis continens, quàm Belgica noſtra aut vicinia conſpectúque propior, aut trajectu commodior? E Morinis hominum eâ parte extremis, ea inſula ſpectantium oculis, ſicut modò ita & olim ſeſe prodiderit; ad ſe, ut eſt inexpleta hominum cupiditas, allexerit; aut quacúmque cauſa migrantibus, refugium gratámque manſionem obtulerit.

Hinc Cæſar eodem libro quinto de Britannia in genere loquens: *Creberrima*, inquit, *ſunt Britannorum ædificia, Gallicis conſimillima.* Mox: *ex Britannis omnibus longè ſunt humaniſſimi, qui Cantium incolunt: quæ regio eſt maritima omnis; neque multum à Gallicâ differunt conſuetudine.* Tacitus item in vitâ Agricolæ: *Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an advecti, ut inter Barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii; atque ex eo argumenta. Námque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem aſſeverant. Silurum colorati vultus, & torti plerumque crines, & poſitu contra Hiſpaniam, Iberos veteres trajeciſſe, eaſq; ſedes occupaſſe, fidem faciunt. Proximi Gallis, & ſimiles ſunt; ſeu durante originis vi, &c. In univerſum tamen æſtimanti, Gallos vicinum ſolum occupaſſe, credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas, ſuperſtitionum perſuaſione. Sermo haud multum diverſus, &c. Ceteri manent quales Galli fuerunt.* Belgæ opinor maximè; quia proximi, ex eodem ſermone, eamdem quoque originem rectè Camdenus infert.

Taciti ſententia, in Agric. Britannos à Gallis ortos.

Britanni Inſulares à Britannis Belgicis dicti ortique, ut & Cantiũ a fluvio Belgico Kent ſeu Canno; hodie Canche in Arteſia.

Plin. l. 2.

Quid ſi & ipſum *Britanniæ* nomen, & *Cantii primæ ipſius regionis* vocem, jam inde à primâ ſui origine à Belgis noſtris manaſſe docuero? Equidem Plinius Belgicæ noſtræ *extera* ſeu maritima à Scaldi ad Sequanam perſequens: poſt Menapios, Morinos, & pago Geſſoriaco (hodie Bononienſi) junctos *Oromanſacos*, diſertè BRITANNOS ſubjungit; etiam ante Ambianos, Bellovacos, & introrſus Atrebatios, Nervios, alióſque; ne quis de eorum ſitu dubitet. Si à vicino, eóque hac quidem parte continentis extremo Belgarum litore cuneóve, primos in Britanniam incolas natura, ut diximus ac per ſe patet,

immittere deboit; quis boſce Britannos Belgicos, mari adhærentes, aut primos eorum, aut præcipuos fuiſſe non admiſerit? Scio nonnulla Plinii exemplaria, vocem *Briannos* non Britannos exhibere, ſed antiquiora probatioráque (cujuſmodi uſum ſe Camdenus aſſerit) Britannos clarè præferunt: Et cur potiùs vox *Britanni* corrupta videri debeat, quàm *Brianni*, de quibus nulla uſpiam alia mentio?

Britanni etiam tempore Scipionis Africani junioris Gallis parũ cogniti.

Enimverò Britannos in extremâ ac remotiore Gallia aliquando fuiſſe (Italiæ ſcilicet Græciæque reſpectu) etiam Strabo Græcus Auctor docet, vel in iis quæ refutat. Ait ecce libro 1. *Prius emporium fuit Corbito ſupra Ligerim, cujus mentionem faciens Polybius ſimul Pythea commentum refert: Nullum Maſſilienſium, ſcilicet qui Scipionem convenerunt, quidquam habuiſſe dignum memoratu, quod diceret interrogatus de Britanniâ; neque de Narbone, neque de Corbitone: quæ tamen optima erant in ipsâ* (Galliâ) *civitates: Et hæc Pitheas mentiri auſus eſt.* Strabo. Sed pace ejus dixerim, non rectè ideò nullam in Gallia fuiſſe Britanniam concludi, quod nihil de eâ Maſſilienſes certi Scipioni referre potuerint. Sic enim neque Narbo unquam extitiſſet, de qua nihil illi Scipioni diſſeruerint. Quomodo de Britannia tantopere ſemotâ, Græculi, tantæ viciniæ qualis eſt Narbonenſis ignari, retuliſſent? Præſertim cùm, ut ait Cæſar l. 4. Britanniæ etiam inſulæ loca, portus, aditus, genuſque hominum fere Gallis, id eſt, Belgis ſuo etiam ævo eſſent incognita: nec temerè præter mercatores adiret ad illos quiſquam; neque iis ipſis quicquam præter oram maritimam, atque eas regiones quæ ſunt contra Galliam, notum eſſet. Prorſus ut convocatis ad ſe undique mercatoribus Cæſar, neque quanta eſſet inſulæ magnitudo, neque quæ aut quantæ nationes incolerent, neque quem uſum belli haberent, aut quibus inſtitutis uterentur, neque qui eſſent ad majorum navium multitudinem idonei portus, reperire poſſet. Si ne Belgæ quidem ipſi mercatores, de Britanniâ ſibi in oculis inſulâ, Cæſari ipſi quippiam certi referre potuerint; quomodo tam remoti Maſſilienſes, iidemque advenæ, de unâ civitate Scipioni reſpondiſſent?

Britanni in Belgio, prope Geſſoriacum ſeu Bononiam, ex Strabone.

Strabonis igitur ſicut & Plinii teſtimonio Britannos in Galliâ tenemus, ſitum inſuper eorum ex Plinio cognoſcimus, eumque Britanniæ inſulæ obverſum, pago Geſſoriaco junctum, Oromanſacis conterminum, unde illi incolas ſuos nomenque ſuum in proximam & invitantem inſulam invexerint. Oromanſacos portò boſce Cluverus ad dexteram Cantiæ fluvii ripam nobiſcum ex Plinio collocat quo tractu hodieque jacet vicus non ignobilis ejuſdem pœnè nominis *Formenſens*, gentis fortè quondam caput: præſertim ſi aut illum ſine F. legas aut pro Oromanſacis Foromanſaeos in Plinio reponas. Hanc Plinii ſententiam confirmant inſuper eodem terræ tractu pagi duo, Britanniæ etiamnum ſatis cognomines; unus ad mare *Bercq*, olim *Braicq*, ut habetur in vita D. Judoci, Cantiæ oſtio ad ſiniſtram. Alter ad dexteram, non longè à *Formenſens*, *Brec* ſeu dictus, id eſt Brectorum ſeu Britonum arena ſabulúmve. Sat enim conſtat, Britannos antiquitùs à ſuæ Saxonicæque gentis Scriptoribus, Witichindo, Camdeno & aliis, vocari *Brits*, *Brecht*, & *Bracht*. Unde Juvenalis, Martialis, Anſonius, & antiquæ Inſcriptiones, *Britones* vocant; Procopius, & Sibyllæ verſus, & paſſim Græci *Brittia*: uti fuſius Camdenus.

Kent ſeu Cantium flumen in Arteſia ad Heſdinium fluens, origo eſt Cãtii Britannici.

Ex *Cantiâ* verò flumine longè firmius elicitur argumentum. Is noſtratibus hodie *Canche* dictus, in Atrebatium Morinorumque confinibus oritur; ac Heſdinium Monaſteriolumque oppida præterfluẽs, tandem ad Stapulas (vulgo *Eſtaples*) in mare ſe infundit. In vitis Sanctorum Auſtrebertæ, Judoci, Bonifacii membraniſque Cœnobii Vedaſtini, *Cuent*, *Quent*, & *Kent* vernaculè, Latinè *Quantia* ſeu *Cantia*, aut *Kantia* effertur. Nos enim Galli *Qu* ceu *K* efferimus, ideoque etſi *Quantia* ſcribimus, vetere Gallorum etiam in Latinis pronuntiatione *Kantia* ſeu *Cantia* exprimimus, ſicut vulgò hodie *Canche*. Ad *Quantia* igitur ripam, ſcriptor vitæ S. Bonifacii urbem jacuiſſe ſcribit, *Cuentawik*; quæ authori vitæ S. Theodori *Kentawik* dicitur, Chronico autem Fontanellenſi Mſ.to perantiquo *Kaintawik*; quaſi *Kentia* ſeu ſinus ſeu vicus. *Wik* enim ut à vico, voce Latina, ſic à *Wik* voce Germanica, quæ ſinum ſignificat, deduci poteſt. Celebris fuit mediæ ætatis portus nec non Regiorum ejus oræ Præſectorum domicilium: In diviſione denique Regnorum Ludovici Pii, & Capitularibus Caroli Calvi *Quentovicus* aut *Quentovico*, Gallica pronuntiatione *Kentovicus* dicitur; portus Regiæ monetæ cuſione non obſcurus, Pontivum inter Bononienſemque Comitatus intermedius, & quaſi Deus Terminus. Fontanellenſe Chronicon ſupradictum à Normannis anno Chriſti 864. ita deletum ſcribit, ut ubi jacuerit, hodie etiam à doctioribus inquiratur. Ego iis hactenus accedo, qui eumdem ac *Eſtaples* exiſtimant. Theodorus quidem Cantuarienſis Archiepiſcopus Româ miſſus, ex hoc portu *Quentawik* in Britanniam ingreſſus eſt anno Chriſti 668. teſte Bedâ hiſt. lib. 4. cap. 1. Sanctus item Bonifacius è Britanniâ ſeu Angliâ ſolvens, primùm ad oſtia fluminis *Cuent*, & ad vicum *Quentawik* appuliſſe dicitur in vita ab Willibaldo conſcriptâ. Quaſi tum adhuc illi primam ſuæ gentis originem lubentes agnoſcerent adirentque. Quare ſæpè me vehemens inceſſit ſuſpicio, fluvium iſtum portúmve Cantium, illum ipſum eſſe, quem Cæſar binis ſuis in Britanniam trajectibus, *Superiorem* appellat; octo paſſuum millibus ab *Ulteriore* ſeu *Inferiore* diſſitum. De quo tamen magis cogitandum judico.

Ab hac voce fluvii *Kent*, ejusque accolis, quis Cantium Britanniæ Promontorium, Regionémque primùm è Belgio venientibus obviam, non aptè deduxerit? Diſertè ad hanc rem, ut ſuprà, Cæſar lib. 5. *Humaniſſimi ſunt, qui Cantium incolunt; quæ regio eſt maritima omnis; neque multùm à Gallicâ differunt conſuetudine.* Nempè à Cantiis Belgicis orti. & paulò antè: *Hujus lateris alter angulus eſt ad Cantium, quò ferè omnes è Galliâ naves appelluntur.* Ego etiam credo Britannos noſtrates ſeu Belgicos Plinianóſve Cantium amnem accolentes, naves ſuas primas freto noſtro Belgico; in eum primo cuneum inſularem appuliſſe; ſuumque *Britannia* nomen ut toti Inſulæ, ita & angulo iſti Britannico, fluvii ſui *Cantii* ſeu *Kentia*, è cujus oſtio ſolverant, indidiſſe. Quin & Cantiorum Britannicorum urbs primaria *Canterbury* ſeu *Kenterbury* inde quoque nomen hauſit. Neſcio an non etiam ii, qui in extremo maximéq; Septemtrionali Britanniæ, hodie Scotiæ, angulo à Ptolemæo ponuntur, *Canta* aut *Cantini*, mendosè Carini.

Morinorum promontorium totum, Cantium dictum.

Imò quis non vehementer mecum ſuſpicetur, quis etiam aſſerere non audeat, non flumen ſolum

iſtud *Canche*, ſeu *Cantium* & *Kent*; ſed & omnem illum ad mare tractum cuneúmve, qui à Cantiæ oſtio ad Gravelingam hodiernam uſque protenditur, Cantium quoque univerſim dici potuiſſe? Ceu verè angulum, cuneum, promontoriúmque, non minus in mare, quàm Britanniæ alterum procurrens; & è binis iſtis cuneis Fretum Morinorum gigni; quod rectiùs *Belgicum*, quàm Britannicum appellari poſſit; quando Britanni Cantiíque inſulares ipſi, à Belgicis noſtris Plinianisque, non contrà, ſuam ducunt originem?

Iceni Britanni verſimiliter ab Iccio Belgico Promontorio. *Tacit. annal.* 12. & 14.

Incolebant præterea inſulam Iceni Tacito memorati, hodie in Norfulciâ, Suffolcia, & Cantabrigia. quorum oppida ibidem Itinerarium Antonini *Ventam Icenorum*, & *Icianos* nominat, hodiè *Ikborow*: quaſi Icciorum burgus. Per quos via militaris Romana etiamnum ducta ſupereſt, *Ikuildſtraet* dicta, quaſi Icenorum ſeu Icciorum ſtrata, ſeu via; uti Camdenus ſagaciter odoratus eſt. Addit vocem *Iken* Britannis Cuneum ſonare, ut *Cantir* angulum: quod Cãtio noſtro Belgico ſeu Morinico apprimè quadrat.

Neque verò citeriorem tantùm Britanniam, quæ nunc Angliæ Scotiæque regnis definitur, Belgæ noſtri primus cultoribus oppleverunt; ſed & ulteriorem, quæ priſco etiamnum nomine Hibernia dicitur. In hujus enim apud Ptolemæum Tabulâ Menapios Cauchosq́ue reperire eſt. indubiè à Menapiis noſtratibus. Cauchisq́ue non tantùm Tranſrhenanis, ſed & illis quos Plinius lib. 4. cap. 15. in Batavorum locare videtur inſulâ, cum Caninefatibus ac Marſatiis, certè inter Helium ac Flevum Rheni oſtia: ſi ibi mendoſus non eſt. Prorſus ut binæ iſtæ gentes vicinæ, & litoris ejuſdem, ſociatis viribus, & ſuſceptâ expeditione maritimâ, colonos ſuos in Hiberniam uſque veriſimiliter deduxerint.

GALLORUM in Græciam Orientemq́. migratio.

Nec ſilenda hic Gallorum illorum in Orientem tranſmigratio, de quâ Juſtinus ex Trogo lib. 24. *Qui abundanti, ait, multitudine, cùm eos non caperent terra quæ genuerant, trecenta millia hominum, ad ſedes novas quærendas, velut ver ſacrum miſerunt. Ex his portio in Italiâ conſedit, quæ & urbem Romam captam incendit; & portio Illyricos ſinus, ducibus avibus (nam augurandi ſtudio Galli præter cæteros callent) per ſtrages Barbarorum penetravit, & in Pannoniâ conſedit. Gens aſpera, audax, bellicoſa; quæ prima poſt Herculem (cui ea res virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dedit) Alpium invicta juga, & frigore intractabilia loca tranſcendit. Ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella geſſerunt.* Ex his Gallis ego quidem Belgas pluſculos, ſi non præcipuos fuiſſe, nullus dubito. Mox enim idem Juſtinus, eoſdem Duce BELGIO, in Macedoniam irrupiſſe, & de Rege Ptolemæo Ceranno victoriam ingentem reportaſſe, quin & ipſum Regem peremiſſe, ſubdit; anno ferè Olympiadis 125. primo, U. C. ferè 475. Varroniano; ante epocham Chriſti vulgarem, quâ hodie utimur, 279. Quis ille Dux BELGIUS, aut unde egreſſus oriundúsve, niſi è Belgis, à quibus & nomen, veluti ſanguinis teſtimonium, hauſerat, & populis ad terrorem oſtentabat? Quin & BELGAS longiùs etiam excurriſſe, luculentus teſtis eſt Plinius libro 5. cap. ult. cùm Gallorum Toliſtobogiorum in Aſiam tranſmittentium ſocios fuiſſe AMBIANOS (ſi mendum non ſubeſt) Galatiæque partem occupaſſe ſcribit. quod etiam Solinus fine capitis 43. confirmat. Ita vides hic in diverſos, eosque remotiores populos à Belgis deductas eſſe Colonias.

Inter quos Belgæ, Duce BELGIO.

Et ſpeciatim AMBIANI.

BELGÆ Cimbros ac Teutonas a ſe repulerunt.

Nec minore dignum laude, quòd ut ſuoa emiſerunt, ita ne alii in ſolum ſuum ingrederentur, egregiè reſtiterunt. Cimbri Teutonesq́ue, ab extremo ferè Septemtrione Daniâque hodiernâ, ad quærendas ſedes novas, immani hominum armatorum multitudine, paulò ante annum U. C. Varronianum 640. ſive ante Æram Chriſti hodiernam 124. profecti, cum in Meridiem ſe vertiſſent, Boiosque, hodie *Bohemos*, tum Scordiſcos Mœſiæ vicinos; mox in regreſſu Tauriſcos ſeu Noricos impetiiſſent; & apud eorum urbem Noreiam (hodie *Neumark* in Auſtriâ ſuperiore) Cn. Papyrium Carbonem Conſulem anni U. C. 641. cùm exercitu ſuperaſſent fugaſſentque (ut Epitome Livii 64. Tacitusque lib. de Germ.) per Helvetios in Gallias irruperunt: tractis ſecum ex Helvetiâ ipsâ Tugenis & Ambronibus; credo & Tigurinis; aucto non parum per eos ſuorum numero. Hi omnes Galliam, maximè Auſtralem, circa Romanorum Provinciam ingreſſi, eam depopulari cœperunt; magnâ, ut Cæſar Comm. 7. illatâ calamitate: pluribusque Conſulibus cum copiis prælio victis, *Gallos in oppida compulerunt; tantâ inopiâ ſubegerunt, ut eos popularium ſuorum, qui ætate inutiles ad bellum videbantur, corporibus vitam tolerare coegerint, ne ſe hoſtibus tranſdere compellerentur.* Quæ calamitas totum octennium, ab Anno U. C. Varroniano 645. ad 653. tenuit. *Soli Belgæ* noſtri (ait idem Cæſar lib. 2.) *Teutones iſtos Cimbrosq́, omni Galliâ vexatâ, intra fines ſuos ingredi prohibuerunt. Eâ re factum, ut earum rerum memoriâ, magnam ſibi auctoritatem magnosq́; ſpiritus in re militari ſumpſerint.* Quod nomen adhuc cùm Cæſar in Helvetios Galliámque, poſt annos ſuprà 40. movit, cùm magnâ laude fœnoréque tuebantur. Tantâ Cæſaris ipſius opinione, ut vel propterea maximè, Gallorum omnium fortiſſimos BELGAS, inſigni prærogativâ dixerit.

Advaticos tamen eorum reliquias admiſerunt.

Scrupulum aliquem movet libro 2. fin. cùm de Advaticis inter Belgas, ita ſcribit: *Ipſi erant ex Cimbris Teutonisq́; procreati: qui cùm iter in Provinciam noſtram* Italiámque *facerent, his impedimentis, quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depoſitis, cuſtodia ex ſuis ac præſidio ſex millia hominum unà reliquerunt. Hi poſt eorum obitum, multos annos* (non ultra certè 43.) *à finitimis exagitati, cùm aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent; conſenſu omnium pace factâ, hunc ſibi domicilio locum* (Demeræ Moſæque contiguum) *delegerunt.* Qui centena aliquot Teutonum Cimbrorúmque millia finibus ſuis repulerant, quâ ratione ſena dumtaxat eorumdem millia, intra viſcera ſua receperunt? Facilis reſponſio eſt: Belgas tum univerſâ tantâque Cimbrorum ac Teutonum eluvione non immeritò perterritos, unanimi Civitatum ſuarum omnium conſpiratione illis occurriſſe, atque ita finibus ſuis repuliſſe: præſertim cùm illi migrationis ſuæ finem ac terminum, non Belgicam, ſed Narbonenſem Provinciam, Italiámque ſibi propoſuiſſent, ad eásque properarent. Sena verò eorumdem relicta cis Rhenum millia, ſicut tantum terrorem Belgis non intulerunt, ut totius gentis in eos expeditionem neceſſariam crederent; ita cùm ab unâ primùm ſibi viciniore gente exagitati ſe defenderent, mox etiam audaciores facti bellum uni alterive inferrent; eas quoque ſolùm gentes ſingulas, & quidem ſucceſſivè commoviſſe. Donec earum conſenſu pace factâ, certum ſibi domicilii locum deligerent. Nullo præterea Belgicæ totius à ſenis iſtis millibus tanto metu. Imò non

parva potiùs timoris à Belgis ſuî confeſſione, quòd tam anguſto inter eos terræ ſpatio contenti eſſent, nè quid ab iis gravius ſorte paterentur. Atque hæc de antiquis Belgarum in exteros expeditionibus.

CAPUT VI.

Belgij & Galliarum ſtatus bello Pompeiano, uſque ad Iulij Cæſaris cædem.

ANTEQUAM de primis Belgarum rebus & Apoſtolis diſſerere inſtituam, Belgii faciem hîc exhibebo, ex quo à Julio Cæſare ſubactum eſt, ad extrema Claudii Imperatoris tempora, quibus Evangelii lumen inſerti cœptum. Superiora repetere conſilium non eſt, in ejuſdem Cæſaris Commentariis nulli non obvia.

Gallias Cæſar recenter domitas, ſervente etiam mox civili contra Pompeium bello, quinque maximè rebus in pace continuit. Primùm benevolentiâ, tum coloniarum deductione, mox Gallorum ipſorum in belli communionem aſſumptione, ſpecie ſociorum, reapſe obſidum: ad hæc authoritate ſeu incredibili conſtantiſſimâque rerum geſtarum felicitate ac magnitudine; nonnullo denique bello.

Quibus rebus Galliam victam Cæſar in officio continuerit.

Jam primùm omnium ſat compertum eſt, Galliam provinciam Cæſarem cum decem legionibus obtinuiſſe, novem ferè totos annos. Nam ex iis decem quibus eam obtinere lege repetitâ permittebatur, primum, aut ſenos ſaltem poſteriores ejus menſes, Conſul ipſe cum Bibulo in urbe tranſegerat. Octavo igitur belli anno, qui fuit U. C. 703. Varronianos, Servio Sulpitio Rufo, & M. Claudio Marcello Coſs. anno ante verum Chriſti natalem 47. ante vulgarem ſeu Dionyſianum, quo hodie paſſim utimur, 51. poſtremum cum Bellovacis Atrebatibuſque, Corbeo & Comio Ducibus, bellum geſſit. Cujus is tandem exitus fuit, ut Corbeo Ducum præcipuo in pugnâ cæſo, Comio Atrebate ad Germanos Ciſrhenanos ſeu Belgicos primùm, mox etiam, ſi Frontino fides eſt, ad Britannos populares ſuos profugo, pacificam Cæſar deinceps omnem reddiderit provinciam, maximéque Belgicam. Cumque ejus anni præcipitantis, ac ſequentis ineuntis hyemem in Belgio, Nemetocennæ Atrebatium urbe tranſigeret, *Vnum illud*, ait Hirtius, *propoſitum habebat, continere in amicitia civitates, nulli ſpem aut cauſam dare armorum. Nihil enim minus volebat, quàm ſub diſceſſu ſuo neceſſitatem ſibi aliquam imponi belli gerendi: ne cùm exercitum deducturus eſſet, bellum aliquod relinqueretur, quod omnis Gallia libenter ſine præſenti periculo ſuſciperet. Itaque honorificè civitates appellando* (Belgicas reor maximè ceu fortiſſimas, & in armis poſtremas) *Principes maximè præmiis afficiendo, nulla onera nova imponendo* (nam ſi Eutropium audimus, toti Galliæ tributi nomine annuum vectigal imperavit non ultra ſeſtertium quadringenties; id eſt, Budæi quidem calculo, aureorum, Lipſii verò Puteaniique Philippicorum dalerorum millionem unum dumtaxat) *defeſſam tot adverſis præliis Galliam, conditione parendi meliore, facilè in pace continuit. Ipſe hiberniis peractis, contra conſuetudinem, in Italiam* (Ciſalpinam, quæ & Gallia Togata dicebatur) *quam maximis itineribus eſt profectus. Exceptus eſt Cæſaris adventus ab omnibus municipiis & coloniis incredibili honore atque amore. Tum primùm enim veniebat ab illo univerſæ Galliæ bello*. Et mox: *Cum omnes regiones Galliæ Togatæ Cæſar percurriſſet, ſummâ celeritate ad exercitũ Nemetocennam redit: legionibuſque ex omnibus hibernis ad fines Trevirorum evocatis, eò profectus eſt, ibique exercitum luſtravit. Titum Labienum Galliæ Togatæ præfecit; quo majore commendatione conciliaretur ad Conſulatus petitionem. Ipſe tantum itinerum faciebat, quantum ſatis eſſe ad mutationem locorum, propter ſalubritatem exiſtimabat.* Nec quicquam aliud Cæſar hoc anno geſſit. Eò quippè ſeneſcente, & appetente jam hyeme, pacatum *per hiberna* (pergit Hirtius) rurſus *diſtribuit exercitum. Et Caium quidem Trebonium cum legionibus quatuor in Belgio collocavit* (credo in poſtremis ad Nemetocennam Atrebatium caſtris, quorum veſtigia non modica etiam hodie viſuntur) C. *Fabium cum totidem in Æduos deduxit. Sic enim exiſtimabat, tutiſſimam fore Galliam, ſi BELGÆ, quorum maxima virtus, & Ædui quorum auctoritas ſumma eſſet, exercitibus continerentur.* Hactenus Hirtius, magna & ſtyli & animi puritate. Pauca addam è Suetonii Cæſare, capite 26. & ſequentibus.

Front. de Strategem. Lib. 2. fin.

Primùm benevolentiâ.

Ardebat Cæſar immani Imperii cupidine; uſque adeò, ut referente Cicerone, verſus illos Euripidis in ore ſemper haberet, *Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ violandum eſt. aliis rebus pietatem colas.* Ac jam tantis rebus geſtis *altiora meditans, ſpeique plenus, nullum largitionis aut officiorum genus in quemquam publicè privatimq; omiſit. Legionibus ſtipendium in perpetuum duplicavit; frumentum, quoties copia eſſet, ſine modo menſuraque præbuit; ac ſingula interdum mancipia viritim dedit. Omnibus verò circa eum, atque etiam parte magnâ Senatûs, gratuitò aut levi fœnore obſtrictis: ex reliquo quoque hominum genere vel invitatos, vel ſponte ad ſe commeantes uberrimo congiario proſequebatur; libertos inſuper, ſervuloſq; cujuſque, prout domino patronove gratus quis eſſet. Tum reorum, aut obæratorum, aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum ac promptiſſimum erat. His plane palàm bello civili opus eſſe dicebat. Nec minore ſtudio Reges atque provincias per terrarum Orbem alliciebat; aliis captivorum millia dono offerens, aliis citra Senatus populique auctoritatem, quo vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens: ſuperque Italiæ, GALLIARVM, & Hiſpaniarum, Aſiæ quoque & Græciæ potentiſſimas urbes præcipuis operibus exornans: donec attoniti jam omnes, quorſum illa vergerent, reputarent.* Hactenus Suetonius de ambitioſâ Cæſaris in omnes benevolentiâ.

Omnium cujuſque gentis.

Quanto magis ad Gallos Belgaſque noſtros omnium fortiſſimos, ſibi conciliandos, iſtius largitionis occaſione uſum credendum eſt? Præſertim cùm in iis tam diu jam ageret; & Pompeio aut Reip. nondum obnoxios, nondum occupatos intelligeret. Sed neque Suetonius de Gallis in particulari tacet. Primùm enim, ſecundo Imperii quinquennio jam impetrato, *ad legiones, quas à Rep. acceperat, alias privato ſumptu addidit: Vnam etiam ex Tranſalpinis* [Gallis] *conſcriptam, vocabulo quoque Gallico* (*Alauda enim appellabatur*) *quam diſciplinâ cultuque Romano inſtitutam & ornatam, poſtea univerſam civitate donavit.* Suet. c. 24. Rurſum c. 76. & 80. *Civitate donatos & quoſdam è ſemi-barbaris Gallorum recepit in Curiam.* Prorſus *ut peregrinis in Senatum allectis, libellus propoſitus ſit: Bonum factum: Ne quis Senatori novo Curiam monſtrare velit. Et illa vulgo canerentur; Gallos Cæſar in triumphum ducit: iidem in Curia Galli braccas depoſuerunt, latum clavum ſumpſerunt.* Ita Cæſar Gallos cives,

Tum Gallorum maximeque Belgarum.

adſtrictóſque ſibi ſocios, quàm ſubditos habere malebat. Ac licèt poſtrema hic à Suetonio narrata, finito jam civili bello geſta ſint; argumento tamen ſunt evidenti, Gallos ſibi Cæſarem multo magis adjunxiſſe, incerto adhuc belli civilis eventu periculóve, quàm victoriâ jam partâ ſecurum. His addo ex ipſo Cæſare lib. I. Civil. *Pompeium, cùm ex urbe Româ* à Cæſare oppreſſus *excederet, Maſſilienſes adhortatum eſſe, ne nova Cæſaris officia, veterum ſuorum beneficiorum in eos memoriam expellerent.* Et mox fatentur ipſi Maſſilienſes, ſibi à Cæſare victas bello Gallias attributas, vectigalia aucta: paria Cæſaris ac Pompeii eſſe beneficia, patronumque utrumque civitatis. Nec dubito plura adhuc in Belgas noſtros ab eo effuſa, utpote Gallorum omnium fortiſſimos; ſed quæ jam ævum abolivit. Atque hæc de Cæſaris in Gallos Belgáſque benevolentiâ, quâ ne ſe moverent, evicit.

Secundò Coloniarũ deductione.

Nec verò minus eos Coloniarum deductione ſibi defenſores adſcivit. Sic enim Suetonius: *Pater Tiberii Quæſtor Cæſaris bello Alexandrino* (poſt victoriam Pharſalicam) *qui claſſi præpoſitus plurimùm ad victoriam contulit, ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbona & Arelate erant, miſſus eſt.* Quibus verbis plures deductas ſat conſtat: temporis injuriâ jam ignotas. Quod ſi *M. Claudius Marcellus Conſul, colonis quos Cæſar ante bellum civile rogatione Vatiniâ Novum-Comum deduxerat, ut civitas adimeretur, retulerit, quòd per ambitionem & ultra præſcriptum data eſſet*; teſte Suetonio:

Tib. c. 4.

quid de Tranſalpinis ejus coloniis æſtimandum, victoris jam & ſuo quaſi jure, non tam ambitione, quàm ſtatuendâ ſecuritate, deducentis? *Nam colonias in agros captivos deduci* ſolitas à Romanis, *ſubſidium adverſus rebelles, & ſociis ad officia legum imbuendis*, ex Tacito ante nos docti notaverunt.

Tacit. l. 12.

Tertiò Gallorũ in belli ſocietatem aſſumptione.

Enimvero multò adhuc efficaciùs Gallias per bella civilia ſibi devinxit, cùm Gallorum quoſque præcipuos, ſociorum quidem auxiliarium ſpecie, revera obſidum loco, ſecum rapuit. Nam cùm Corfinii Domitium obſideret, *Legionem octavam recepiſſe ſe ſcribit, & cum ea cohortes ex novis Galliæ delectibus viginti duas.* En novas è Gallis cohortes: quæ omnes, ut ſingulæ quingentorum militum numerum non

Lib. 1. Civ.

exceſſerint (ſolebant autem excedere, ſi plenæ) undecim tamen militum millia minimùm confecerint. E quibuſnam autem Gallorum populis compoſitæ illæ fuerint, non dicit. Lucanus aliquid innuit, lib. 1. Pharſaliæ: uti mox. Idem Cæſar, Italiâ ſibi totâ adjunctâ, cùm per Galliam Narbonenſem in Hiſpaniam contra Petreium Afraniumque ſe conferret, *Legiones in Hiſpaniam præmiſiſſe ſe ſcribit, ad ſex millia auxilia peditum, equitum tria millia; quæ omnibus ſuperioribus bellis habuerat: & parem ex Gallia numerum, quem ipſe pacaverat: nominatim ex omnibus civitatibus nobiliſſimo & fortiſſimo quoque evocato.* En ſex alia nova Gallorum peditum, tria equitum millia, & præterea nobiliſſimus ac fortiſſimus quiſque ex omnibus Galliarum civitatibus evocatis; ſociorum, ut dixi, ſpecie; revera obſidum. *Nova* dico hic Gallorum auxilia: neque enim aliter potuit. Prioribus illis viginti duabus cohortibus neceſſariò in Italia præſidio relictis. De *Novis* igitur his mox ſubdit Cæſar: *Venerant eò* (Ilerdam ſcilicet Hiſpaniæ oppidum) *ſagittarii ex Ruthenis, equites ex Gallia, cum multis carris magniſque impedimentis, ut fert Gallica conſuetudo.* & infra: *Erant complures honeſti adoleſcentes, Senatorum filii & equeſtris ordinis: erant legationes civitatum; erant legati Cæſaris,* &c. Cúmque ad hos opprimendos, cum omni equitatu tribúſque legionibus Afranius de nocte profectus, imprudentes aggreſſus eſſet; celeriter ſeſe Gallos equites expediſſe memorat; magnum hoſtium numerum paucos ſuſtinuiſſe, in montes proximos ſe contuliſſe; ceteriſque eo pugnæ tempore ſpatium dediſſe, ut ſe in loca ſuperiora reciperent; deſideratis tamen ſagittariis paucis, equitibus ducentis.

Lib. 1. Pharſal.

Jam è quibus civitatibus Galli iſti oẽs educti fuerint, fusè canit Lucanus. Nos Belgas tãtùm recenſebimus:

> *Rura Nemetis Qui colit* (id eſt, Spirenſes) *longiſq;*
> *leves Sueſſones* (aliàs *Axones*) *in armis.*
> *Optimus excuſſo Leucus, REMUSQUE lacerto,*
> *Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis.*
> *Et docilis rector monſtrati BELGA covini.*]

Maximè Belgarum. Nemetum, Sueſſionũ, Leucorum, Remorum, Nerviorum, Sequanorũ, Vãgionum, Batavorum, Trevirorũ.

Covinum ait Mela genus eſſe currûs, in pugna camerati & operti, cujus uſum Britanni Belgis monſtraverint. Pergit Lucanus:

> *Nimiumq; rebellis NERVIUS: & cæſi pollutus ſanguine*
> *Cottæ.* id eſt, Eburo.
> *Et qui te laxis imitantur Sarmata bracis*
> *Vangiones* (hodie Vormatienſes & Moguntini)
> *Batavi q; truces, quos ære recurvo*
> *Stridentis acuere tubæ.* ——
> *Tu quoque lætatus converti prœlia Trevir,*
> *Et vos crinigeros bellis arcere Caycos*
> *Oppoſiti, petitis Romam, Rhenique feroces*
> *Deſeritis ripas, & apertum Gentibus orbem.*

Non pauci ſanè ſunt hi Belgarum populi, ſi Lucanus eos hiſtoricâ (ut è Livio ſolet) non Poëticâ fide recenſet. Sequani, Nemetes, Vangiones, Leuci ſeu Tullenſes, TREVIRI, REMI, Sueſſiones; hos enim malo, quàm Axones, qui nulli ſunt: NERVII, hodie maximè Hannonii; Eburones, Cottæ & Sabini ſtrage celebres, ac denique BATAVI. Bellovacos, Ambianos, Atrebates, Morinos non nominat; ſeu quia noviſſimè victos, eóque contumaciores; ſeu quod alteram tunc rebellionem meditarentur, de quâ infra.

Celticæ & Aquitaniæ populos plures accenſet Poëta. Ut mirum non ſit, ſi in Appiano audias, Cæſari hoc civili bello adfuiſſe in univerſum equitum Gallorum dena millia. Sanè præbendis equis fertilem fuiſſe Galliam, docet Tacitus: Et ante Appianum ſcribit Cæſar, Pompeio quoque hoc bello quingentos equites Gallos Germanóſque Alexandriâ in Græciam adveniſſe, Duce ipſius Pompeii filio; quos aliquot annis antè Gabinius apud Regem Ptolemæum reliquerat, quando illum regno reſtituit. Gabinius autem illos à Pompeio, Pompeius à Cæſare veriſimiliter acceperat. Sed & Saburra Jubæ Regis Dux in Africa, duo equitum Hiſpanorum Gallorumq; millia circum ſe cuſtodiæ causâ, contra Curionem movens habuit, teſte eodem Cæſare. Tanti erat hac ætate Gallicus equitatus.

Cæſar l. 3. Civil.

Lib. 2. Civ.

Ex his porrò Belgarum populis nonnulli Germani Ciſrhenani ſeu Belgici ſunt; puta Nemetes, Vangiones, Eburones ſeu Tungri, Batavi, ac denique Cayci ſeu Cauchi ad Rhenum oppoſiti. Hos Germanos haud dubiè Florus intelligit; cùm inter Cæſariana ſociorum auxilia Gallicos Germanicoſque delectus fuiſſe memorat, quales erant Batavi Menapiique Cæſariani, poſtea Toxandri. ut & Appianus, duos Cæſaris milites poſt longam ad Dyrrachium famem toleratam, Gomphis in Theſſalia captis, narrat expleſſe ſe affatim, & vino ingurgitaſſe; inſigni Germanorum ebrietate, ac ridendâ

L. 4. c. 2.

L. 2. Civil.

Germani quorum operâ maximè victus eſt Pompeius, erant Ciſrhenani ſeu Belgici.

ceteris. Hoc verò in eorum tantam laudem quis omittat, quod ab iſtis Germanis Belgicis Pharſalica Cæſaris victoria manaverit? Cæſarem narrat Plutarchus in ejus vitâ, ipſéque etiam Cæſar; quum equitatum Pompeii conſpicatus eſſet oppoſitum, veritum ne ab ejus alacritate numeroque dextrum cornu ſuum circumveniretur, celeriter ex tertiá acie ſingulas cohortes detraxiſſe, ad ſex numero: atque ex his quartam aciem inſtituiſſe, equitatuique Pompeiano ponè dextrum cornu oppoſuiſſe; quid fieri vellet oſtendiſſe: monuiſſéque ejus dieì victoriam in earum cohortium virtute conſtare. Eas ſex cohortes, tria tantùm hominum millia fuiſſe notat Plutarchus. Equites Cæſariani ultra mille non erant, cùm Pompeiani ſeptem millia conficerent. *Peditibus igitur acie jam commiſſis, Equites*, ait Cæſar, *à ſiniſtro Pompeii cornu univerſi procurrerunt; omniſque multitudo ſagittariorum ſe profudit. Quorum impetum equitatus noſter non tulit, ſed paulum loco motus ceſſit. Equitéſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque noſtram a latere aperto circumire cœperunt. Quod ubi Cæſar animadvertit, quartæ aciei, quam inſtituerat ſex cohortium numero, ſignum dedit. Illi celeriter procurrerunt, infeſtiſque ſignis tantâ vi in Pompeii equites impetum fecerunt, ut nemo eorum conſiſteret; omneſque converſi non ſolùm loco, ſed protinus incitati fugâ montes altiſſimos peterent.*] Ita Cæſar ſummatim, quæ enucleatiùs Plutarchus in Cæſare: *Pedeſtri certamine mediâ acie commiſſo, ex cornu lævo Pompeii equites magno faſtu invehuntur; alas ad circumveniendum dextrum* (Cæſaris) *cornu producentes. Sed priuſquam irruptionem facerent, cohortes illæ Cæſaris* (ſex in Pompeio dicit, & trium millium univerſos) *provolant; non ut aſſueverant pila intorquentes, neque femora hoſtium aut crura comminus cædentes; ſed erectis pilis ora petunt, faciemq; convulnerant. Quod docti a Cæſare fuerant, ſperante homines juvenes, parum bellis aut vulneribus aſſuetos, ætate florentes & comatos, ea maxime forma vulnera veritùros, neque præſens periculum unquam expectaturos. Quod ſanè evenit. Neque enim pila elata & ferrum ſub oculos ſuſtinuerunt; ſed ſtratagemate tam inopinato perculſi averſiq;, oculos ac faciem manibus obtegentes, denique ita ſemet ipſi conturbantes, turpiſſime terga verterunt, ſummámque rei perdiderunt.* Hactenus ex Plutarcho.

Plutarchus in Pomp.

Trium millium numero.

Cui Florus Suffragatus, *Voces*, ait, *obequitantis Cæſaris exceptæ; altera cruenta, ſed docta & ad victoriam efficax, Miles faciem feri; altera ad jactationem compoſita, Parce civibus; cum ipſe ſequeretur.* Subdit Cæſar: *Equitibus Pompeii ſubmotis, omnes ſagittarii funditoréſque deſtituti, inermes ſine præſidio, interfecti ſunt. Eadem cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tum ac reſiſtentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eóſque à tergo ſunt adorti. Ita Pompeiani univerſi terga verterunt.* Circumventi nimirum ipſi, qua re hoſtes maximè ſe circumventuros ſperaverant, ut notat Plutarchus in Cæſare. Unde Cæſar pulchrum hoc victricibus hiſce cohortibus elogium reddit: *Neque verò Cæſarem fefellit, quin ab iis cohortibus, quæ contra* (Pompeii) *equitatum in quartâ acie collocatæ eſſent, initium victoriæ oriretur, ut ipſe in cohortandis militibus pronuntiaverat. Ab his enim primum equitatus eſt pulſus; ab iiſdem factæ cædes ſagittariorum atque funditorum: ab iiſdem acies Pompeiana à ſiniſtrâ parte erat circumventa; atque initium fugæ factum. & Pompeius ut equitatum ſuum pulſum vidit, atque eam partem cui maximè confidebat perterritam animadvertit; aliis diffiſus acie exceſſit.* Magna ſanè laus ſex earum cohortium Gallo-Germanarum planè palmarium. Quis enim non ſtupeat, terna dumtaxat peditum millia, equitatu ſuo fuſo fugatoque, ſeptem millia equitum hoſtium ferociſſimorũ, jam jamque vincentium, ſolis haſtis erectis, excepiſſe, ſuſtinuiſſe, fugaſſe? Eodémque impetu nondum tantâ tot funditorum cæde fatigata, Legiones duas Pompeii fortiſſimas, primam & quartam, diſciplinâ Cæſaris totos octo annos in Galliis aſſuefactas (hæ enim in ſiniſtro Pompeii cornu ſub Lentulo conſtiterant, ut Lucanus & ipſe Cæſar notant) à tergo adorta eſſe, & cum decimâ tantùm Cæſaris legione in frontem incurrente deleviſſe?

Atqui cohortes hæ ſex non è Romanis, ſed Germanis citeriorem Rheni ripam in Gallia accolentibus, hoc eſt BELGIS, maximè ſelectæ erant, ſi quidem Florum è Livio haurientem audimus. Sic enim ille: *Nam cùm diu æquo Marte certaretur, juſſuq; Pompeii fuſus a cornu erupiſſet equitatus; repente hinc* (a Cæſare ſcilicet) *ſigno dato, GERMANORVM cohortes* (Nota) *tantum in effuſos equites fecêre impetum, ut illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatûs, levioris armaturæ ruina comitata eſt.* En cohortes ſex è Germanis compoſitæ; iis haud dubiè maximè, de quibus Commentario 7. poſt medium ita Cæſar: *Cæſar quod hoſtes equitatu ſuperiores intelligebat, & interclusis omnibus itineribus, nullâ re ex Provinciâ atque Italiâ ſublevari poterat; trans Rhenum in Germaniam mittit, ad eas civitates, quas ſuperioribus annis pacaverat* (puta Teuchteros, Uſipios, Sicambros, Ubios, fortè & Batavos) *equiteſque ab iis accerſit* (quadringentos ſe tantùm ab initio habuiſſe, paulò antè eodem Commentario ſcribit) *& levis armaturæ pedites, qui inter eos præliari conſueverant. Eorum adventu quòd minus idoneis equis utebantur, à Tribunis militum, reliquiſq; equitibus Romanis atque evocatis, equos ſumit, Germaniſque diſtribuit.* Et libro 8. Hirtius: *Germanos propterea Cæſar transduxerat Rhenum* (in Galliam ſcilicet) *ut equitibus interpoſiti præliarentur.* E tranſrhenanis ergo Germanis maximè conſtiterunt eæ cohortes; ſaltem in Gallia, & ab initio. poſtea autem è Gallia eductæ, tot itineribus ac præliis imminutæ. Ego quidem puto, quòd è Germanis Ciſrhenanis ſeu Belgicis, puta Batavis, Ubiis, Menapiis, Tungris, Vangionibus, Nemetibus, aliiſque ut loci vicinia, ita morum corporumque ſimilitudine conformibus ſupple tæ & auctæ fuerint. Præſertim cùm Cæſari è Gallia jam remoto, non ita integrum eſſet è tranſrhenanis ſupplementa conficere. Neque verò Tranſrhenanos Cæſar debellaverat, nec eos Lucanus in ſuo auxiliarium Indiculo, neque quiſpiam alius (quod ſciam) in Cæſaris exercitu commemorat. Mirum Cæſarem eos non nominaſſe, ne communi quidem Germanorum appellatione, quâ ſolus è Livio Florus utitur. Niſi fortè ideo tacuerit, ne Barbarorum manu Romanos cives ſuperaſſe videretur.

Ex Flori quoque mente.

Quis ergo jam miretur Gallos ac Germano-Belgas noſtros, in Cæſarem Romanóſve ne fervente quidem civili bello rebellaſſe, qui jam armorũ Cæſaris ſocii auxiliares non aſſumpti modò, ſed & victoriarum illius ac gloriæ participes, imò & auctores erant? Tanta tam brevi tẽpore rerum erat facta mutatio; ut qui modò tam acres erant Cæſaris inimici, mox ejus fortunam ſequerentur, dignitatem defenderent, victorias adjuvarent, adeóque producerent.

CAPUT

CAPUT VII.

Reliqua in Belgio geſta uſque ad Cæſaris necem. Annus V. C. 108. 109.

Quartò cōtinua miraque Cæſaris ipſius felicitas.

SEd enim, ut hæc tanta conciliandæ Galliæ ſubſidis nutaſſent adhuc atque vacillaſſent; non poterant tamen tantâ Cæſaris felicitate, tantâ rerum geſtarum magnitudine non maximè confirmari. Quis movere ſe audeat adverſus tantæ celeritatis ac vigilantiæ τέρας, ut vocat Cicero, ſive monſtrum, adverſus tale fortunæ prodigium? Qui unus Romanorum omniū cum Gallis, tam formidatâ gente, Romæ quondam victrice, triginta præliis ſemper victor conſtiterat, quadringentos (ut Appianus) eorum populos ne toto quidem octennio ſubegerat; jam autem Italiam expulſo Senatu Pompeioque ſolis 60. diebus ſuam faceret; duos in Hiſpania exercitus, duos belli peritiſſimos Duces, 40. dierum ſpatio ſuperaret; mox Ionium mare prætervectus Pompeium ipſum belli caput tanto prælio contereret, Ægyptum peſſumdaret, Pharnacem ſolo viſu difflaret, reſtauratas in Africa Hiſpaniaque Pompeii partes fulminis inſtar diſſiparet: Quis, inquam, adverſus tantam fortunæ imò & cœli profuſionem vel hiſcere auderet? Prudentiùs defeſſa tot præliis Gallia ſeſe in officio, conditione parendi meliore, continuit.

l. 1. Civil. fin.

Quintò nōnullo etiam bello. primum cōtra Maſſilieſes.

Turbatum tamen interim nonnihil à Belgis noſtris. Maſſilia omnium prima Cæſari ex Italiâ in Hiſpaniam moventi portas claudere auſa eſt. In eam Cæſar tres legiones evocat; turres vineasque ad oppugnationem urbis agere incipit; naves Arelate facit, iis D. Brutum præficit: C. Trebonium legatum ad oppugnationem relinquit. ut libro 1. civil. ſcribit. Unde colligo legiones iſtas tres è Belgio & poſitis ad Nemetocennam hibernis evocaſſe, quando earum Ducem C. Trebonium cum ſuis, haud dubiè, ad oppugnationem reliquit. Quartam hibernorum iſtorum reliquam, credo contra Comium Atrebatem, & vicinos præſidio reliquiſſe. Nam C. Fabium, quem in Æduis cum 4 legionibus collocarat, mox cum tribus circa Narbonem diſpoſuerat, & per Pyrenæos in Hiſpaniam præmiſerat, ut ipſemet Cæſar monet 1. Civil. Ac Cæſar quidem Afranio Petreioque in Hiſpaniâ victis, Maſſiliam deditione recepit, eaque re ceteros Gallos facilè compeſcere perrexit. Inde Romam abſcedens Trebonium ad Præturam ſecum ducit: D. Brutum Galliæ Comatæ novæ provinciæ tranſalpinæ, cum aliquot legionibus imponit. quem à Pharſalico Alexandrinoque bello redux, in Africam contra Scipionē trajecturus, in eâ præfectura confirmavit, teſte Appiano. Africani belli tempore nonnihil in Gallia motum, ſignificat Cicero ſcribens in Atticum lib. 11. ep. 10. *Africanæ rebus nihil firmius eſſe dicunt, nihil paratius. Accedit Hiſpania & alienata Gallia*, &c. Satis jejunè hîc dicitur *alienata Gallia.* Paulò clariùs epitoma Livii 114. poſt Africanam Cæſaris victoriam; ſi forte idem ut videtur intelligit: *Brutus Cæſaris legatus in Gallia Bellovacos rebellantes vicit.* Nec plura in auctoribus, quod ſciam. eruam ut potero.

Tum cōtra Bellovacos & eorum ſocios Atrebates.

Bellovacos Cæſar plurimum inter Gallos omnes, non tantùm apud Belgas, & virtute & auctoritate & hominum numero valuiſſe ſcribit: & fuiſſe tum per ſe Romanis infideles, uſque adeo, ut generali ſupremoque totius Galliæ bello, quod Vercingetorige Arverno Duce geſtum eſt, decem millia militum conferre juſſi, non contulerint quidem, ſed acerbiùs arrogantiusque reſponderint, ſuo ſe nomine atque arbitrio cum Romanis bellum geſturos, neque cujuſpiam imperio obtemperaturos. Vixque tandem à Comio Atrebate noſtro rogati, ac pro ejus hoſpitio perſuaſi, bina millia miſerant; poſt ceteras Galliæ civitates (addit Hirtius lib. 8.) bellum ſuſceperant, pertinaciſſimè ea omnibus in ſententiâ permanſerant, neque ad ſanitatem reliquorum deditione perducti fuerāt. Donec Corbeus eorum Dux, fortiſſimè dimicans interiret, & eorum ſocius auxiliisrisque Comius Atrebas ad eos profugeret Germanos, à quibus ad id bellum auxilia mutuatus erat. Ab hac contumaciâ ad Africanum Cæſaris in Pompeianos bellum, quartus jam annus vertebat. Igitur, ſive quòd Cæſar bello civili diu diſtractus procul à Gallia abeſſet, ſive quod Gallorum Germanorumque Belgicorum virtute Pharſalicam victoriam reportaſſet, ſive priſtinæ libertatis deſiderio, forſan & impulſore Comio Atrebate adhuc ſuperſtite, & tædium exilii non ferente, concitati arma reſumpſêre. Præerat Galliæ ſaltem Comatæ, jam primùm in provinciam erectæ, Decimus Brutus Albinus. ut dixi; jam inde ab expugnatione Maſſiliæ Cæſaris in eâ legatus; vir audax. ſemper in honore ac fide apud eum habitus, & cujus operâ Cæſar in maximis rebus uſus fuerat, l. 2. & 3. Civ. 11. Is ergo *Brutus Cæſaris in Gallia legatus Bellovacos rebellantes vicit.* ait Epit. Livii 114. fin. cum iis quas acceperat legionibus; illosque cum ſociis ita contrivit, ut de rebellione nunquam in poſterum cogitaſſe videantur. Ac triumphum quidem inde meruiſſe nemo negaverit; an duxerit, nullibi lego, ſicut nec poſtremæ iſtius rebellionis plures circumſtantias. quas tamen illuſtres fuiſſe nihil ambigo: quando epitoma tam ſedulò meminit.

Bellovaci à D. Bruto vincuntur.

Poſt Africanam victoriam Cæſar Romam reverſus, ipſo Confuſionis (ut vocant) anno, quatuor eodem menſe, licèt interjectis diebus, triumphos duxit. Primum & excellentiſſimum de Gallis ex citro, ut Suet. & Velleius: quo die Velabrum prætervehens pænè curru excuſſus eſt, axe diffracto; aſcenditque Capitolium ad lumina, elephantis 40. dextrâ atque ſiniſtrâ lychnuchos geſtantibus, Rhenum item & Rhodanum ſimulachris tranſmiſit, & ex auro captivum Oceanum, teſte Floro. Ductus denique Vercingetorix ad Alexiam captus, & cum aliis necatus, auctore Dione. erat annus V. C. Varronianus 708. vulgò Confuſionis appellatus; ex quo Gallias Cæſar vicerat, tertiusdecimus; ex quo Vercingetorigem ceperat, ſextus. Alios triumphos, quia nihil ad inſtitutum, vide apud Scriptores Romanos. Non ineptè cum Cæſare de Bellovacis triumphaſſet D. Brutus. ut poſtea cum Auguſto Carinas.

Magna inde Galliarum pax. Annorum pluſquā centum.

Nec ulli deinceps à Gallis motus, ſaltem tanti, pace modicè laceſſitâ, ad tempora uſque Claudii Imperatoris, ut ejus ad Senatum pro Gallis oratio fidem facit his verbis: *Diſtrictè jam Comata Gallia cauſa agenda eſt. In quâ ſi quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerūt D. Julium, idem opponat*

centum annorum immobilem fidem, obſequiumq́; multis trepidis rebus noſtris pluſquam expertum. Illi patri meo Druſo Germaniam ſubigenti, tutam quieto ſuâ ſecurámque à tergo pacem præſtiterunt; & quidem cùm ad Cenſus novo tum opere & inadſueto Galliis, ad bellum evocatus eſſet. Quod opus quàm arduum ſit nobis, nunc cùm maximè; quamvis nihil ultra, quàm ut publicè nota ſint facultates noſtræ exquiratur; nimis magno experimento cognoſcimus. Vocat ecce Claudius centum annorum à D. Julio immobilem Galliæ fidem, & obſequium rebus trepidis pluſquam expertum. Nec abſimilia Dio in funebri Cæſaris Oratione quam M. Antonio tribuit: *Tam tuta Cæſar omnia in Gallijs conſtituit, ut ab ipſis in Celticam ſeu Germaniam, adeóque Britanniam tranſitus patuerit. Itaque nunc omnis iſta Gallia, quæ quondam Ambronas Cimbrosq́; nobis immiſit, in ſervitutem redacta, eamdem agrorum quam Italia culturam exercet. Navigatur non Rhodanus modò, Ararisque; ſed & Moſa, Ligeris, & ipſe Rhenus, ipſéque adeo Oceanus, quorum priùs vix nomina ad nos pervenerant.* Idem aſſerit Strabo Tiberii imperio ſcribens; *Noſtrâ ætate Galli omnes pacati ſerviunt, ac Romanorum à quibus ſubacti ſunt, juſſu parent.* Quæ omnia hîc jungere conſilium fuit, ut Lector primùm videat, Cæſarem non minore prudentiâ Romano imperio Gallias adjunxiſſe, quàm virtute paraverat: tum ut ne à nobis in hoc opere varios ac magnificos à rebellione motus expectet, qui nulli pœnè fuere. Tantam Galli à primâ ſui ſubjectione quietem fidelitatémque præſtitêre. quod & ſequentia confirmabunt.

Galliæ Comatæ igitur à Julio Cæſare devictæ Decimus Brutus primus præfuit. Quo tempore Cæſar Pompeium in Græcia, Ptolemæum Cleopatræ fratrem ac maritum in Ægypto, Pharnacem in Aſiâ & Ponto, Scipionem & Catonem in Africa, continuis ac nunquam interruptâ felicitate prœliis ſuperavit, ideſt ſolido minimùm biennio, annis U. C. 707. & 708. qui paſſim Confuſionis appellatur. Anno proximè ſequenti, Julianæ correctionis primo, U. C. 709. Varroniano, cùm in Hiſpaniam Pompeiique liberos movit eóſque domuit, an ibidem perſtiterit, nondũ comperi. Perſtitiſſe reor, Bellovacis ac ceteris noſtratibus Belgis recens domitis intentum. Donec ad præmia Romam à Cæſare jam planè victore vocatus, in ejus potiùs interitum cum M. Bruto conſanguineo ceteríſque conſpiravit; patriæ libertatis potiùs quàm præmiorum cupidus, uti mox. *Sequentis quidem anni, Juliani 2. primordio*, ab eodem ipſo Cæſare expeditionem in Parthos moliente, non tantam Galliæ Ciſalpinæ, ſeu Togatæ, præfectus eſt, provinciæ Romanis imminenti, quæque Cæſari magno in Pompeium momento fuerat; ſed & Conſul cum L. Munacio. Planco poſt Hirtium & Panſam, in annum Julianum quartum deſignatus: Quodque ceteris præeminet, in ſecundis hæredibus teſtamento nominatus. Quæ tamen omnia libertatis amori poſthabuit.

Idibus ergo Martiis ejuſdem anni Juliani 2. illum cum ſociis in Curia conſodit, & in Provinciam ſuam fugit. Ubi eodem hoc anno expirante ab M. Antonio Mutinæ obſeſſum audiemus. Et Cæſaris quidem cædes, quin magnam Reip. perturbationem allatura eſſet, nemo dubitabat. Gallias certè noſtras *intra dies ab eâ viginti rebellaturas*, & Matius apud Ciceronem ad Atticum l. 14. epiſtola 1. & ipſe Cicero ſequentibus literis ferè pro certo habebant. Nihil tamen in Gallia motum, teſtatur idem Cicero epiſtola 9. ſequente: *Balbus meliora de Galliis*, ſcilicet receperat. 21. *die literas habebat; Germanos* Ciſrhenanos ſcilicet & Belgicos, *illáſque nationes* (ad Rhenum) *re auditâ de Cæſare cæſo, legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt præpoſitus ab Hirtio, ſe quod imperatum eſſet, eſſe facturos. Quid quæris? Omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvenna*, ſeu Matius *dixerat*. Ita Cicero vix 2. à Cæſaria nece menſe. Unde colligo, Hirtium Belgis noſtris ſaltem Germanicis ſeu à Cæſare, ſeu quovis alio paulò ante mortem impoſitum, cujus etiam vicarius Aurelius iſte fuerit. Ac forte Hirtius illo Præfecturæ ſuæ intervallo, tametſi breviore, librum illum ſuum octavum de bello Gallico compoſuerit: tantâ præſertim ut vides Gallorum Belgarumque quiete. Galliarum tamen aut Belgicæ totius inde Præfectum dicere non auſim. Certior eſt de L. Munacio Planco ſcientia.

CAPUT VIII.

Gallicana L. Munacii Planci, item M. Antonii & Cæſaris Octaviani Triumvirorum, per legatos Præfectura.

Ab Anno U. C. 710. ad 714. ſeu à Iuliano 2. ad 6.

LUCIUM Munacium Plancum Decimo Bruto ſi non & Hirtio in Galliæ Comatæ, ſicut & M. Æmylium Lepidum Narbonenſi ſimul & Hiſpaniæ Citeriori, à Cæſare jam in Parthos abituriente ſuffectum, ex Cicerone, Appiano, Dione, Velleio, & aliis intelligimus. Sub eo ſcilicet, non minus quàm D. Brutus in Galliâ militaverat. Jam inde ab anno U. C. 700. id eſt ante hunc Julianum ſecundum decimo, legionis unius Tribunus, ex tribus illis, quas Cæſar in Belgio strictè ſumpto hibernaturas collocaverat, paulò antè quam Q. Ciceronem Marci fratrem, à Nerviorum rebellium circa Bavacum Montéſve Hannoniæ hodiernæ, obſidione liberaret. Cæſarẽ deinde bello civili ſecutus, in Africam quoque cum eo tranſmiſerat, teſte Hirtio. Præturam etiam in urbe anno ſuperiore geſſerat, ut ex Ciceronis epiſtolis Pigbius. Multum igitur in eo fiduciæ poſuiſſe Cæſar videtur, ut tantæ Provinciæ in tam diuturnâ abſentiâ ſua præficeret: deceſſoríque D. Bruto, Conſulatus collegam in annum ab iſto ſecundum deſignaret.

L. Munacius Plancus 2. Galliæ Comatæ à Cæſare victæ Præfectus.

Cæſar Comment. 5.

Jam tum ab ipſa Cæſaris nece Galliam tenebat ulteriorẽ, id eſt Celticam totam, & Belgicam noſtram, ut ex Appiano Dionéque haurimus; ibíque quietus cum tribus primùm agebat legionibus, Cæſarianorum Pompeianorum conſilia ſuſtinens. Undè Velleius, *Dubiâ, ideſt ſua fide, diu quarum eſſet partium ſecum luctatus, ſibi difficile conſentiens, Senatus ſubinde literis, ſe venditans.* Cùm ab omnibus captaretur, à Cicerone maximè, cujus ſunt pluſculæ ad eum epiſtolæ libro 10. familiarium, & illius viciſſim ad Ciceronem: Ad quem ſic in 4. ſcribit, cùm Mutinæ jam ab Antonio D. Brutus obſideretur, fine 2. anni Juliani, tertiiq́ue primordio.

Sum in expectatione omnium rerum; quid in Gallia

Citeriore,

Cur Plancus primò quarum partiũ eſſet, poſt Cæſaris necem, diſſimularit.

Citeriore, nempe Togatâ ſeu Ciſalpinâ, quid in urbe menſe Ianuario geratur, ut ſciam. Interim maximam hic ſolicitudinem curamq; ſuſtineo; ne inter aliena vitia hæ gentes Gallicanæ, noſtra mala ſuam putent occaſionem. Rurſus epiſtolâ ejuſdem libri 8. cùm Conſulibus atque Senatui tergiverſationis ſuæ cauſam reddit, Aliquantum (inquit) nobis temporis, & magni laboris, & multæ impenſæ opus fuerunt; ut ad auxilium patriæ non cum bona voluntate ſolâ, ſed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſæpè præmiis ſolicitatus (credo ab Antonio, Lepido, & ſi quibus aliis) ut ab Rep. potiùs moderata, quàm ab uno infinita ſperaret. Confirmandæ complures civitates, quæ ſuperiore anno (Juliano 2.) largitionibus conceſſionibuſque præmiorum erant obligatæ (credo ab iiſdem) ut & illa vana putarent, & eadem à melioribus authoribus petenda exiſtimarent. Elicienda etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis exercitibuſq; præfuerunt. Ut potiùs cum pluribus ſocietatem defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus funeſtam Orbi terrarum victoriam partiremur. Muniendi verò noſmetipſi fuimus, aucto exercitu, auxiliiſq; Gallorum multiplicatis: ut cum præferremus ſenſus apertè, tùm etiam invitis quibuſdam, ſciri quid defenſuri eſſemus, non eſſet periculoſum. Ita nunquam diffitebor multa me, ut ad effectum horum conſiliorum pervenirem, & ſimulaſſe invitum, & diſſimulaſſe cum dolore: Quod præmatura denunciatio boni civis imparati, quàm periculoſa eſſet, ex caſu collegæ videbam. Nempe Decimi Bruti ab Antonio ad Mutinam obſeſſi. Mox: Nunc, cùm Deûm benignitate ab omni re ſumus paratiores, non ſolum benè ſperare de nobis homines, ſed exploratè judicare volumus. Legiones habeo quinque ſub ſignis, & ſuâ fide virtuteque, Reip. conjunctiſſimas (quatuor habet epiſtola 15. tres primùm ſolas apud Appianum ac Dionem, ſed unam aut duas in provincia confecerat) & noſtrâ liberalitate nobis obſequentes: Provinciam omnium civitatum conſenſu paratiſſimam (nota) & ſummâ contentione ad officia certantem. Equitatûs auxiliorúmque (Gallicorum nempe) tantas copias, quantas hæ gentes ad ſuam ſalutem libertatémque conficere poſſunt. &c. Ex quibus videmus, Plancum in confirmandâ ſibi Belgica noſtra Celticáque, prudenti Cæſaris uſum conſilio; Gallos ac Belgas etiam Principes, auxiliorum ſociorúmque ſpecie, revera obſidum loco ad ſe trahendo. Ut nihil mirum ſit, ſi neque hoc 2. civili quippiam Gallia, ſpeciatímque Belgica noſtra moverit, tanquam ad ſalutem libertatémque ſuam accita; & in partium commoda detrimentave, non minus quàm Romani trangreſſa.

Quia incertus adhuc erat belli inter Antonium ac Senatum exitus.

Cæterùm durante Mutinæ obſidione, quæ ab ineunte Decembri anni Juliani 2. ad Aprilem ferè medium Juliani tertii per 4. menſes totos tenuit; Senatus Philippicis Ciceronis in Antonium incitatus, bellum Hirtio & Panſæ Coſs. ſimul Cæſari Octaviano juveni mandaverat: iiſque Lepidum & Plancum auxilio eſſe juſſerat. Lepidus tanquam Senatui obſecututus, M. Silanum Tribunum militum Mutinam miſerat: ſed utri parti, Silano non ſatis expreſſerat, ait Dio. Silanus ſenſus Lepidi ſatis gnarus, ad Antonium ſponte ſe adjunxerat. Unde (pergit idem infrà) Senatus id intelligens, Lepidum ac Plancum, veritus ne & ipſi ad Antonium accederent, miſerunt qui eis dicerent, Nihil jam eorum Remp. opus habere. Ac ne quid ſiniſtri ſuſpicarentur, facinuſq; aliquod perpetrarent, juſſi ſunt à Senatu iis urbem condere, qui quondam Viennâ provinciæ Narbonenſis ad Rhodanum

Dio l. 46.

oppido, ab Allobrogibus expulſi ad confluentem Rhodani Araríſque fluviorum conſederant, urbem condere. Itaque illi ſubſiſtentes, Lugdunum (quod olim Lugudunum dictum fuit) ædificarunt. primis adhuc anni 3. Iuliani menſibus. Non quod, ſi quidem voluiſſent, non poſſent cum exercitibus in Italiam proficiſci; cùm eo tempore nihil Senatuſconſultis illi deferrent, qui exercitus habebant; ſed exitum belli Antoniani expectantes, Senatui interim obtemperantes videri, ſuáſque res confirmare volebant. Ita Dio.

M. Antonius ex Mutinæ obſidione, in Galliam ad Lepidum fugit. D. Brutus ad collegâ Plancum.

Ad Mutinam verò, medio circiter Aprili, cùm Hirtius Panſaque Conſules, & cum iis Proprætor Cæſar Octavianus Antonium denique prælio ſuperaſſent; hic in Galliam Narbonenſem ad Lepidum per Alpes maritimas, cum reliquo exercitu, tribuſque præterea novis Ventidii legionibus celeriter ſe contulit. Similiter, etſi paulò tardiùs, Decimus Brutus jam liber, Cæſare Octaviano cum ſuis in Italia relicto, per Alpes Penninas ad collegam deſignatum L. Plancum iter inſtituit, uterque mutuum ab amico auxilium hauſturus; Lepidus poſt modicam fluctuationem, Antonio ſe conjunxit. Plancus per duos amplius menſes, primùm ceu Decimi Bruti collegæ adjutor manſit; poſtremò Cæſaris jam Conſulis Romæ menſe Sextili, ut Macrobius ac Dio, ut Velleius ad 14. Kalendas Octobris creati, ut & Aſinii Pollionis ad Antonium converſione perculſus, eodem & ipſe, collegâ Senatuque deſerto, ſe vertit. Ita D. Brutus fugiens, ſenſimque à milite ſuo derelictus, à latronibus captus, ad Capenum quemdam, ſeu Camillum Sequanorum Dynaſtam ducitur, & tandem ab eo juſſu Antonii occiditur, caput ad Antonium mittitur. Hic Decimi finis fuit (ait Appianus libro 3. Civ. finiente) qui Cæſaris Magiſter equitum fuerat; eóque vivo Galliæ ulteriori præfuerat, Maſſiliæ expugnatione, & Bellovacorum Atrebatiumque noſtrorum ſubjugatione percelebris. Conſul in proximum annum, Julianum tertium, cum L. Planco ab eo deſignatus, denique Citerioris Galliæ Rector. Hic ſecundus poſt Trebonium, Cæſariani homicidii ſeſquianno poſt pœnas dedit. Ita Appianus Decimi cædem in Septembrem referens.

A quo deſertus, & fugiens, tandem occiſus eſt.

Appian. l. 3. Civil. fin.

Lepidus à Senatu hoſtis judicatus.

Interea ab Lepido 4. Calendas Iunias, ſeu Maii 28. receptus Antonius, titulo quidem imperii, ait Velleius, cedebat Lepido; ſumma virium penes eum erat. Lepidus inde à Senatu hoſtis judicatus eſt, pridie Kal Quintiles ſeu Iulias, ut antè fuerat Antonius. Tum inter eum, Cæſaremq;, & Antonium commercia epiſtolarum, & conditionum facta mentio. mox etiam inita potentiæ ſocietas, & denique hortantibus orantibúſque exercitibus affinitas, Antonii privignâ Cæſari deſponsâ. Vell. nempe (ut Suet. c. 61.) Claudia Fulviâ ex P. Clodio tribuno plebis, Ciceronis inimico, filia vix dum nubili, quam paulo poſt dimiſit, intactam adhuc & virginem. Ita præpotens Antonius iterum factus (ait in ejus vita Plutarchus) Alpes tranſgredi, ſecumque in Italiam ad Cæſarem ducere integras 17. peditum legiones, equitum decem millia conſtituit. Hos ego equites non parum è Gallis noſtris auctos credo, iis præſertim qui Planco Brutoque adhæſerant. Nam Lepido exilem fuiſſe equitatum, è Planci ad Ciceronem epiſtolis intelligimus. Nec dubium peditum quoque, maximè Belgarum fortiſſimorum, auxilia legionibus adjuncta, Iulii præſertim Cæſaris exemplo tam utili. Præter hos (pergit Plutarchus) præſidio Galliæ ſex alias legiones reliquit, ſub Vario quodam fami-

Cum Antonio & Cæſare jungitur.

Antonius è Galliâ in Italiâ cum 17. legionibus abit: relicto in Galliis Fuſio Caleno.

liari & competore ſuo, quem ideo Cotylonem appellabant. quaſi vini amphoram ſcilicet: cujus etiam meminit ridens Philippica 13. Cicero. Dio tamē Legatos plurium numero in Galliis ab Antonio relictos ſcribit; nec alios quàm Fuſium Calenum Ventidiumque poſtea memorat. quod etiam ſignificat Appianus. Fuerat Calenus Cæſaris in Gallia Legatus, eique fidelem ad Uxellodunum operam, mox etiam toto civili bello contulerat, ut Cæſar ipſe teſtatur & Hirtius. Galliæ igitur curam minimè novus ſuſcepit. Unde Cotyla diu præeſſe non potuit, quia nulla ejus deinceps ibi mentio. Fortè ad tempus impoſitus, donec Fuſius adveniret; an quia animam nimio potu quaſi fuſam efflaverit?

Cum Antonio in Italiam abiit Lepidus ad ineundum cum illo Cæſareque Triumviratum, Plancus ad ſequentis anni Conſulatum, collegâ jam Lepido, loco Decimi Bruti cæſi. erat tum adhuc Cæſar Romæ Conſul, & cum eo Cicero, non tam illum quàm Antonium ſemper, nec ſine cauſa metuens. Cæſar tamen ut Antonii Lepidique adventum cognovit, Româ egreſſus, iis cum validâ manu propè Bononiam occurrit, ſatis paratus ad vim propulſandam, ſi quam illi inferre voluiſſent. ſed ea nulla fuit, ait Dio fine libri 46. Pacatè congreſſi ſunt ad colloquium, in parvâ quadam inſulâ Lavinii fluvii, qui Bononiam præterlabitur, menſe, quantum diſpicio, aut finiente Octobri, aut ineunte Novembri. *Statueruntque* (ait Appianus l. 4. init. Dioni l. 46. fin. conformis) *Ut Cæſar Conſulatum in reliquum anni*, quod menſium vix duorum erat, *Ventidio*, Antonii ſcilicet amico, *cederet*. *Ut novus Magiſtratus Triumvirorum ad tollendas civiles diſſenſiones crearetur; eum Lepidus, Antonius, ac Cæſar in quinquennium Conſulari poteſtate gererent, & quidem ex animi ſententiâ ſine ullo Senatus Populive ſcito, Magiſtratus urbanos in quinquennium deſignarent. Provincias ipſi inter ſe partirentur, ut Cæſari Africa utraque cum Sardinia & Sicilia cederet; Lepido Hiſpania omnis cum Galliâ Narbonenſi; Antonio reliqua omnis Gallia, quæ cis & trans Alpes jacet. Dilatis in aliud tempus Tranſmarinis aliis provinciis, à M. Bruto Caſſioque tunc occupatis: contra quos Antonius & Cæſar bellum geſturi eſſent, Lepido ceu proximi anni Conſule Planci collegâ Romæ manſuro, Hiſpaniamque per Legatos recturo. Ita Urbem ingreſſi 5 Kal. Decembris Triumviratum inierunt, fœdâ proſcriptione innumeros perſecuti ſunt, & in iis Ciceronem 7 Idus Decembris. quæ omnia fuſiùs omnes hiſtorici: nos omittimus. Lucius Plancus interim ex Gallia 4 Kalendas Ianuarias, Lepidus ex Hiſpania biduo pòſt, pridie Kal. eaſdem triumpharunt.

Qui cùm ſequenti die Kalendis Ianuariis anno Iuliano 4 U.C. 712. Conſulatum iniiſſent, proſcriptione fervente, Triumviri juramento ſeſe aliosque obſtrinxerunt, omnes Iulii Cæſaris actiones ſe ratas habituros eum honoribus ſummis affecerunt; ſacellum ei in foro ubi crematus fuerat erexerunt, aſylumque eſſe voluerunt. Pridie Ludorum Apollinarium (6. Iulii) Natalitia Cæſaris peragi juſſerunt; diem cædis ejus atram pronuntiarunt; conclave, in quo confoſſus fuerat, obſtruxerunt. Tum Lepido Romæ relicto Cæſar & Antonius in Brutum Caſſiumque moverunt, cùm jam antè Decidium Saxam & C. Norbanum cum octo legionibus in Macedoniam præmiſiſſent. Brutus enim ac Caſſius tranſmarinis omnibus provinciis exercitibusque in poteſtatem ſuam redactis, Philippos in Macedonia cum 19. legionibus advenerant, ait Plutarchus. In quibus ait Appianus l. 4 civil. Brutus Gallorum (nota) Luſitanorumque quatuor millia, Caſſius Hiſpanorum Gallorumque duo millia numerabat, licèt ex Oriente prodirent. Quanto plura Cæſar & Antonius qui ex Occidente ipſisque adeo Galliis exercitus ſuos trahebant? Adeo jam Noſtrates, tametſi recentiſſimâ libertate, velut ejus tamen immemores, Romanorum factionibus adhærebant.

Brutus Caſſiusque bello Philippēſi cæſi.

Poſt Caſſii Brutique cædem, quos rectè *Romanorum ultimos* Cremutius Cordus apud Tacitum annali 4. appellavit; partito rurſum inter victores Imperio, ait Dio l. 48. init. Cæſari quidem Hiſpania ac Numidia, M. Antonio Gallia nuſtra atque Africa adſignatæ ſunt. ea conditione, ut ſi id animo ferret iniquo Lepidus, Africa ei cederetur. Has autem ſolùm regiones ſortiti ſunt, quod Sardiniam Siciliamque Sextus Pompeius adhuc tenebat. reliquæ extra Italiam Provinciæ nondum pacatæ erant. Italiam verò eximiam in hujuſmodi rerum ſtatu dicere, nihil attinet; cùm non de eâ, ſed pro ejus ſalute certare ſe præſeferrent. Ea igitur ſemper in medio relicta. Antonio, licèt in Orientem abituro, Gallia tota novo pacto firmata, & per ejus legatos Calenum Ventidiumque in ejus poteſtate retenta. Adeo ſcilicet homines iſtos imperii ſitientiſſimos illa prolectabat.

Cæſar & Antonius victores partiuntur Imperium.

Gallia Antonio relicta.

Nam cùm Cæſar in Italiam, veteranis præmia diviſurus, rediiſſet, ulterioris & ipſe Galliæ cupidine ſuccenſus, eam primùm ex patris (ut aiebat) præſcripto, liberam fieri poſtulabat, ut Appianus 5. Civil. occaſionem ſcilicet ejus adeundæ ſeminans. Imò Salvidienum ex amicis intimum in Hiſpaniam ſibi aſſerendam, & legiones inde in Italiam adducendas, ex pacto immittens, eum per Alpes Galliamque Narbonenſem, terrâ ſcilicet, non mari, iter habere voluit; Gallorum aliquem motum ſibi commodum fortè captans. Ac licèt Calenus Ventidiuſque Galliæ pro Antonio Præfecti, Alpium eum tranſitu prohiberent, invitis tamen illis ipſe perrupit, & ſex ex Hiſpania legiones ad Cæſarem, contra Lucium Antonium, Marci fratrem tum Conſulem (anno Juliano 5) ſalvas ad bellum Peruſinum adduxit. Lucius quippè bellum in Cæſarem, Fulviæ uxoris Marci inſtinctu moverat. Sed Cæſaris exercitibus undique concluſus, in Galliam trans Alpes ad fratris legatos tentabat evadere. Verùm Peruſiæ interceptus, longâ obſidione tandem Cæſari ſe dedidit, ineunte anno Juliano ſexto, Calvino & Pollione Conſulibus, à Julii cæde quarto vertente, ab U. C. 714.

ANNUS U. C. 714.

Cæſar ergo nullo jam in Italia hoſte, M. Antonio Cleopatræ amoribus irretito, animum ad Gallias ſibi adſerendas iterum appulit. Quas jam antè, ait Dio, per alios occupare tentaverat, ſed à Fuſio Caleno, aliiſque Antonio addictis, impeditus non potuerat. *Erat tum Calenus ſub Alpibus* (ait Appianus l. 5.) *cum copiis. Has Cæſar quoquo modo ad ſe pertrahere cogitabat; ſuſpecto jam Antonio: ne aut amico ſumeret eas, aut contra eundem, ſi hoſtis fieret, multum virium acquireret. Dum cunctatur, & honeſtā quærit occaſionē, ecce Calenus fato fungitur. Eò igitur Cæſar arrepta occaſione profectus, & exercitum & Galliam Antonii provinciam occupavit* (anno Juliano 6. ferè medio) *Fuſio Caleni filio per metum omnia dedente ſine certamine. Sic Cæſar eâdem*

Gallias Cæſar Octavianus ſuas facit, & deinceps retinet.

operâ

operâ undecim legionibus, & Provinciis ampliſſimis potitus, amotis Antonii Præfectis & aliis ex ſuâ factione ſubſtitutis, Romam reverſus eſt. Hæc Appianus. Qui fuerint iſti à Cæſare ſuffecti, non exprimit. Niſi quod paulò infrà, Saluidienum Narbonenſis exercitûs Ducem vocet. Galliæ Comatæ Belgicæve Præfectus Agrippa fuiſſe videtur. Ita Gallia & Belgica noſtra Cæſari deinceps ad mortem uſque fida manſit. Nam Romam revetſus, Bruduſium petiit; quod M. Antonius, Lucii fratris uxoriſque Fulviæ bello in Italiam ex Ægypto excitus, obſidebat, Cæſari infenſus. Sed amicorum interceſſione mutuoque metu facilè in concordiam reducti ſunt. Factâque nova Imperii diviſione, ab ſinu Ionio Antonius Orientem verſus ſita. Cæſar occidua & in iis Galliam Belgicamque noſtram tenuere. Inde Romam anno Juliano ſexto jam extremo ovantes unà reverſi ſunt, & Octaviæ ſororis cum Antonio ipſo nuptias celebrarunt. Quibus diebus Herodes Aſcalonita Judæus ab Antigono & Parthis Judæâ pulſus, Romamque veniens, Antonio ejus amico curante, novus Judæorum Rex à Senatu dictus; contra Parthos Syriam tunc occupantes auxilio commodè futurus. Sceptro jam de tribu Juda deficiente, eóque Meſſia proximè venturo; ut fuſiùs infra libro ſecundo in Christi Nativitate reddam.

CAPUT IX.

Cæſaris Octaviani primæ res in Belgica noſtra geſtæ, M. Agrippâ Legato. Coloniæ ad Rhenum conſtructio.

Ab Anno U. C. 715. Iuliano 7. ad 14.

Cæſar Octavianus Galliæ Belgiq; Rector, annos totos 53.

1. HACTENUS Galliæ Comatæ, ſpeciatimq; Belgicæ nullus, niſi qui cum Julio Cæſare bellis Gallicis interfuerat, impoſitus fuit. D. Brutus, Plancus, M. Antonius, ejuſque Legati, Fuſius Calenus, atque Ventidius in bellorum iſtorum partem ſaltem aliquam intervenerant. Primus Octavianus Julii ex nepte Actiâ pronepos, hæres, & adoptione filius, Galliarum nullâ vel exili notitiâ, Præfecturam illam excepit: quia per ætatem proavunculo ſuo tunc adeſſe non potuit, annorum in ejus interitu vix octodecim. & eo anno Iuliano ſexto, menſe Iulio nondum ætatis annum 23. expleverat, cùm eam Rector iniit cedente Antonio, qui jam cæcis Cleopatræ Ægyptiæ amoribus Occidentem Romamque faſtidiebat. Et quia Præfecturam iſtam par annos deinceps 53. totos obtinuit; plura jam hinc & certiora de Belgica noſtra reperiemus, ſi non in ejus ſinu geſta, certè in contiguis Transrhenanorum regionibus, ſolo Rheni alveo disjunctis. Nec enim unquam Transrhenani iſti nobis oppoſiti, ſoli ſui ſterilitate permoti, Belgicæ noſtræ fœcunditatis præ oculis poſitæ cupidine ardere deſtiterunt: non tantùm ante ſed etiam longè poſt Iulii ipſius tempora: donec annis abhinc præter propter quingentis ſub novo FRANCORUM nomine, perrupto tandem cum ceteris à Septentrione Barbaris Rhenano ruentis Imperii limite, in Belgicam noſtram primùm, mox in reliquas quoque Gallias peruaſerunt.

Hiſtoria Belgica antiqua, Romanam magna ex parte cōtinet & illuſtrat: maximè tempore Nativitatis Christi.

2. Quæ ſanè hiſtoria hactenus perobſcura, ſi hic, ut ſpero, eruatur, non poterit Lectori non eſſe jucundiſſima. Tantum abeſt ut verum ſit, quod nonnemo exiſtimavit, non Belgicam me, ſed Romanam condere hiſtoriam. Belgicas enim res Barbaricis atque Romanis immixtas tum atque ſubditas quomodo ſine illis ediſſerere poſſum? Non magis certè quàm bella externa ſine hoſte geri poſſunt. Ut ergo Livius aliique Romanæ conditores hiſtoriæ, cùm hoſtium externorum in Romanos conſilia, copias eductas, illorum item iſtâ occaſione mores ac Principes evolvunt, extra propoſiti ſui limites exilire non putantur; imò tanto magis eos illuſtrant: mihi quoque veniam non negabit credo Lector, ſi eorum imitatione, Germanica quoque, ſubinde Britannica, Gallica, Hiſpanica, Italica ſubtexo, ceu finitima, adverſantia, impetentia, aut ex adverſo faventia, fœderata, ſuccurentia. Si ut priſci ac Romani ævi modò perſequor, ita hujus noſtri Belgica pertexerem, an propoſiti immemorem me quiſpiam incuſaret, quia Bohemica, Suecica, Danica, Neapolitana, Hiſpanica, Gallica noſtris immixta permiſcerem? Sub Romanis tunc Europa pœnè tota degebat, eos unicos ſui ſuperiores agnoſcebat; Belgarum Reſpublica iis æquè ſubdita, qui potuit ab iſtis ſeparari, aut in rerum narratione non pendere? Pauca ſanè in ipſo Belgii noſtri ſinu tum geſta reperio; cum Germanis ac finitimis hoſtibus, cum Romanis amicis atque Rectoribus ferè omnia. Hoc igitur inſtituto, non alio, opus aggredior.

3. Duo tum Octaviano Cæſari maximè familiares erant & intimi; Q. Rufus Salvidienus, & M. Vipſanius Agrippa: uterque obſcuriſſimè natus. Neſcio tamen quo ei caſu jam inde à pueritiâ adhæſerant. Ante Julii Cæſaris quidem cædem, illi adhuc Apolloniæ in Epiro agitanti, domeſticum utrumque comitem Velleius fidus & oculatus auctor adjungit. Quare nihil mirum ſi eorum ceu contubernalium, & quidem induſtriorum operâ Cæſar in bellis negotiiſque gravioribus tam fidenter uſus ſit. Horum prior Salvidienus ætate quantum diſpicio uſuque provectior, licèt fide minor, Galliæ ſaltem Narbonenſi ab Octaviano jam occupatæ, abs anni hujus æſtate ad ejuſdem exitum præfuit. Nam cùm primùm à Brunduſina concordia Romam cum Antonio Cæſar ovans rediit, de nefariis ejus in ſe conſiliis ex ipſo Antonio, ad quem deficere moliebatur, certior factus; eum continuò ad ſe evocatum, & in Senatu accuſatum, ad voluntariam mortem adegit: ejuſque exercitum ceu ſuſpectum Antonio reddidit. Ut pluribus Epitome Livii 127. Velleius, Appianus 5. Civil. Dio libro 48. *Salvidienus* (ait Velleius) *natus obſcuriſſimis initiis, parum habebat ſummam accepiſſe, & proximus à Cn. Pompeio ipſoque Cæſare ex Equeſtri Ordine, Conſul creatus,* aut ut Dio, *deſtinatus eſſe; niſi ſimul aſcendiſſet, quo infra ſe & Cæſarem videret & Rempublicam.* Locum ejus in Gallia Narbonenſi accepit Agrippa, jam antè Comatæ Præfectus. Ut paulò infrà.

Salvidienus Galliæ Præfecti interitus.

4. Proximo anno U.C. 715. Julianæ correctionis 7. *Antonius ad Orientem & bellum Parthicum à Labieno in Syria Aſiaq; excitatum, profectus eſt* (ait Appianus ſuprà) *actu ejus S.C.to probatis,* ac proinde *Herode Idumæorum* (meliùs *Iudæorum*) *Samaritarúmque Rege,*

M. Antonius Athenas & in Orientem abit.

aliisq;

aliiſque ex Antonii arbitratu confirmatis. Ducibus item ſuis rurſum (Notu) *in varias ſua jam ſortis Provincias dimiſſis: in Parthinos* quidem *gentem Illyricam* (credo & Dalmaticam) C. Aſinio, Pollione, ut ex ejus triumpho, hoc anno de Parthinis ducto Octobris 25. in Tabulis adhuc Capitolinis ſuperſtite, certò intelligimus. Item in Dardanos æquè Illyricos, Macedoniam incurſare ſolitos; alios in Epiro præſtolari voluit: Quæ omnes Provinciæ ultra ſinum Ionium ſitæ, Antonio ex poſtremâ ad Brundiſium pace obtigerant. Ita ipſe Athenis ſeneſcente hoc anno hibernaturus, omnes circum ſe copias ac Duces retinebat, promptum in Labienum Aſiam cum Parthis pervagantem, ut & Pompeium ſi in Peloponeſum moveret, auxilium. Appianus, Dio. Athenas porro Octaviam novam uxorem ſuam ſecum duxit, *ex quâ filiam jam ſuſtulerat*, ait in ejus vita Plutarchus, hyemem finientis hujus anni denotans. Ibi hibernanti primæ Ventidii res proſperè geſtæ nuntiatæ ſunt, Labieno & Pharnapate Parthorum Duce in ipſis Ciliciæ Siriæque ad Amanum confinibus interfectis.

Cæſar in Celticam ſeu Galliam Sicut ergo Athenas contra Labienum ac Parthos Antonius ſe vertit, ita & *Cæſar in* Κελτικὴν, *turbatam nonnihil, expeditionem ſuſcepit*, ait eodem anno Iuliano 7. Appianus. Nec quid per Κελτικὴν intelligat, nec quid in Celticâ turbationis acciderit prorſus explicat. Aliquid videtur ſuggerere Dio, libro 48. cùm *ante Agrippæ Caniniique Galli Conſulatum*, ſeu ante annum U. C. 717. Iulianum 9. id eſt Iuliano octavo adhuc labente ſcribit, κίνησιν *commotionem ſeu tumultum quempiam in Galliâ exortum eſſe, cui & Cæſar intenderit; Agrippam item contra Gallos eos, qui res novas moliti erant, ſeu rebellaverant, Græcè* νεωτερίσαντας, *bellum geſſiſſe: cujus cauſa ſecundus ipſe Romanorum* (nempe poſt Iulium Cæſarem) *Rhenum tranſierit*, antequam in Aquitanos moveret, uti mox. Duplicem enim de Gallis victoriam, biennali hac Præfecturâ ſua priore, obtinuit Agrippa: primam *Belgicam* hanc ad Rhenum; alteram *contra Aquitanos*, adulto jam anni ſequentis Iuliani octavi vere, ut in Appiano l. 5. Civil. diſertè legimus, poſtquàm à Cæſare, ſuæ contra Pompeium claſſis naufragio primum afflicto Romam revocatus, claſſi reparandæ præfectus eſt. Priore igitur anno Belgas ad Rhenum repreſſerat, Rhenum contra Germanos ac Suevos ſeu Belgarum auxiliares, ſeu Ubios aſſiduè infeſtantes tranſierat: quando nonniſi biennio præfuit.

M. Agrippa Galliæ maximè Belgicæ Præfectus, pro Cæſare, & ad Rhenum.

Quem tranſiit.

Nam profectò ab Suevis hoc tempore Ubios vi pulſos, ex Strabone l. 4. diſcimus, cùm ſcribit: *Omnem hanc* Rheni ulteriorem *ripam accolunt Germani, Suevi dicti; à quibus* οἱ (lege Οὔβιοι) ἐξελαυνόμενοι *Ubii pulſi confugerunt in citeriorem Rheni ripam*. Ait ecce Ubios à Suevis *pulſos*, primò non ſine bello; tum in interiorem ſeu Belgicam Rheni ripam *confugiſſe*. ſeu (ut Tacitus bis libro de Germ. & annali 12.) *tranſgreſſos eſſe, ab Agrippa in fidem acceptos, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocatos, ut arcerent* ceu novi Romanorum inquilini & auxiliares, *non ut cuſtodirentur*. Sed ſi Ubii ſponte *tranſgreſſi*, aut ut Strabo, à Suevis pulſi intra Rhenum *confugerunt*; quomodo *ab Agrippa traducti*? Nam diſertè Strabo ſuprà, tradit etiam eos *ab Agrippa traductos*. Exiſtimo majorem Ubiorum partem primò pulſam cis Rhenum ad Romanos *confugiſſe*; reliquos ne Suevis exponerentur, Agrippam ad ſe quoque traducendos advocaſſe: illum ideo Rhenum trajeciſſe, Suevoſque repreſſiſſe: idque anno priore Juliano 7. quo ab Cæſare contra Pompeium redeunte, bello patrando relictus eſt; quando ſequente proximo octavo, Aquitanos quoque ſuperaſſe ex Appiano conſtat. duobus tantis bellis duas quoque æſtates facilè exigentibus. Scio nonnullos iſtam Ubiorum traductionem in 2. Agrippæ Præfecturam, & annum ab hoc 19. U.C. 735. Iulianum 27. differre. Quo *Galli quoque invicem tumultuati, & à Keltis ſeu Germanis transrhenanis infeſtati*; juxta Dionem libro 54. Tamen quia ibi Rheni tranſacti nulla mentio, hic annus 7. Iulianus potior viſus. Adde, quod ſi Agrippa iſto primùm anno U. C. 735. Iul. 27. id feciſſet; non primus tum Rhenum trajeciſſet: quando Vinitius Germanos, ſpeciatimque Sicambros, tranſrhenanos anno U. C. 729 Iuliano 21. oppugnare, niſi Trajecto Rheno, non potuit.

& Ubios cis eum transfert.

Sic igitur UBII in Romanum Belgicumque fundum recepti anno ante veram Chriſti Nativitatem 34 ante Dionyſianâ, quam hodie uſurpamus, 38. Julianæ Correctionis octavo, U.C. Varroniano 716. confeſtim munimentum ſeu opidum contra Tranſrhenanos Maximeque Suevos extruere cœperunt. Quod primò quidem de eorum nomine *Ubiorum oppidum appellatum*: appellat certè Tacitus in Auguſti morte, anno abhinc 51 quo eodem extremo genita quoque fuit prima Germanici Cæſaris filia Agrippina, Neronis poſtea mater. Quæ etiam poſtmodum jam Claudii Imperatoris patrui ſui conjux, *quo vim ſuam ſociis quoque Nationibus oſtentaret, in opido Ubiorum, in quo genita erat, veteranos Coloniámque deduci imperavit, cui nomen inditum ex vocabulo ejus.* Ita Tacitus annali 12. quidni & de vocabulo Agrippæ ipſius, licèt colonia à nepte deducta ſit? Ita quidem videtur etiam innuere Tacitus libello de Germaniâ, cùm Ubios ſcribit *Libentiùs Agrippinenſes ſe conditoris ſui* (nota, non conditricis) *nomine vocare.* Et deducta ea Colonia anno demum ab hoc 87. Juliano 95. U. C. 803. à Chriſti Paſſione 20. à verâ Nativitate 57. Dionyſianâ ſeu vulgari 53. Tanta tamque illuſtris eſt præſtantiſſimæ, maximæ, frequentiſſimæque Civitatis origo, Religionis inſuper vel inter hæreticos Catholicæ Romanæque propugnatione ſanctiſſimæ; Cæſaris & Agrippæ primum in Belgica noſtra opus, ominis longè fauſtiſſimi.

Cæterùm Commentariorum Agrippæ de Galliâ Strabo lib. 4. Pliniuſque lib. 4. c. 17. meminere. Quos in aut ex hac primâ ferè biennali, & alterâ inde annuâ expeditione contextos ſuſpicio prona eſt. *Lugdunum*, ait Strabo l. 4 ſin. *in medio Galliæ ſitum eſt, inſtar arcis: tùm ob fluminum confluentes, tùm quòd omnibus partibus eſt propinquum. Itaque etiam Agrippa hinc vias aperuit. Unam per Cemmenos montes, in Aquitaniam & ad Santonas uſque. Alteram ad Rhenum. Tertiam ad Oceanum per Bellovacos & Ambianos*, Bononiam ſeu Geſſoriacum, adeoque Portum Ictium uſque. *Quartam in Narbonenſem Galliam, & ad littus Maſſilienſe.* Ita Strabo. Tertiam viam ad Ambianos & Oceanum Geſſoriacenſem adhuc hodie videmus. Et Antonini Itinerarium Peutingerique Tabula ab Ambianorum Samarobriva, per Duroicoregium, hodie *Donqueurre*, per Lullia, & Lutomagum Kantiæ ſeu Quantiæ fluminis in Arteſia noſtra geniti (hodie Canche) opidum, ad Bono- Agrippæ de Gallia Commentarii, & viæ in eâ ſtratæ.

niam uſque deducunt. Noſque ipſi ex parte obivimus.

8 Poſt priorem hanc & biennalē Agrippæ in Galliis Præfecturam anno Juliano 8. terminatam, quis ſucceſſerit, ego quidem hucuſque non reperio. Nec quicquam toto ſequente triennio de Galliâ lego: Cæſare nimirum & Agrippa in Sextum Pompeium bello Sicilienſi, mox in Illyricum ſeu Dalmatas atque Pannonios obverſis, trienniî ferè intercapedine. Galliis, ne quid à tergo moverent, in pace retentis. Poſt pulſum Siciliâ vitâque Pompeium, poſt Liburnos Pannonioſque bello ſubactos; Militum ſuorum ſeditionem aliquam Cæſar anno U. C. 719. Juliano undecimo expirante paſſus; *paucos ex ipſis natu maximos ac veteranos* non ſatis quieſcentes *in Colonias Gallicas, veriſimiliter Belgicas*, à ſe tum patris exemplo deductas *dimiſit*. ait Dio l. 49. gemino fructu: & ſeditioſo ſe milite liberans, & gentem vixdum ſubactam novo præſidio compeſcens.

Cæſar veteranorum colonias in Galliam Belgicamq; deducit.

9. Vere ſequentis anni U. C 720. Juliani 12. ne ſegnem otio militem atteneret, *Expeditionem* (ait Dio l. 49) *patrem æmulatus ſuſcepit. Jamq; in Galliam uſque ejus rei cauſâ progreſſus erat, poſt eam hyemem qua Conſulatum Antonius iterum & L. Libo gerebant, cum Pannoniorum recens ſubactorum, & cum eis Dalmatarum rebellio exorta* glorioſis neceſſaria præponere coëgit. Magnam alioquin expeditionis iſtius Britannicæ famam, magnam omnium expectationem fuiſſe, ſola Horatii Ode 35 libri primi nos docet, quâ fortunæ commendat Auguſtum:

Annus U. C. 720. Julianus 12. Cæſaris Octaviani in Britanniâ expeditio.

O Diva gratum quæ regis Antium, &c.
Serves iturum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen, eöis tremendum
Partibus Oceanoq; rubro.
Eheu cicatricum & ſcelerum pudet
Fratrumq; Quid nos dura refugimus
Ætas? Quid intactum nefaſti
Liquimus? &c. Quaſi diceret,

Pudet tot bellorum civilium, quæ utilius Barbaris, non noſtris intuliſſemus, ut modò infert Cæſar, ingenti juvenum tyronúmve examine in Britannos delecto. Sed à Pannoniis modò impeditus, procinctum hunc ſeptennio toto diſtulit Ut ibi dicam. Horatii tamen hanc odam huic primæ deſero, quia ante bellum Actiacum cantata eſt. Cæterùm nullus dubito, quin Britannici hujuſce belli tanto ſonitu, Belgica quoque noſtra Nobilitas ac juventus arma ſumpſerit, in Britanniam alacris tanto Duce trajectura. Quod ad firmandam Romanis Belgicani profuerit, odio à Romanis in hoſtes tranſlato. Neque tamen Cæſar belli hujus interruptionem ægrè tulerit; gliſcente jam adverſus Antonium bello civili. Quo imminente Româ tam procul, fortèque tam diu abſcedere, periculo non carebat. Ergo contentus in ipſâ Italiæ viciniâ, & capite ſemper in Ægyptum, ubi tum maximè degebat Antonius obverſo, in Dalmatiam arma retulit, militem ſuum ad gravioris tutioriſque belli molem, hoc & ſequenti anno exercitaturus.

Per Pannonios impedita.

CAPUT X.

Bellum Actiacum, & eo durante BELGICUM, à Morinis noſtris ac Suevis. De quo C. Carrinas cum Cæſare triumphavit.

Ab Anno Iuliano 14. ad 19. quo AUGUSTUS appellatus.

1. ERgo C. Soſio jam & Cn. Domitio Conſulibus, anno U. C. Varroniano 722. Juliano 14. à Julii Cæſaris nece tertio-decimo, ruptis mutuâ diffidentiâ fœderibus, apparatus palam utrinque fieri cœptus, & Romani Imperii Provinciæ in utrumque diviſæ. Stetêre pro Antonio totus Oriens ab Ionio mari in Euphratem, Ægyptus, Syria Aſia Græcia omnis, & interfuſæ Inſulæ. Pro Cæſare Occidens Univerſus, Italia, Illyricum Africa, Hiſpania, noſtráque quàm latè patet Gallia, tota jam in Romanorum partes factionéſque tranſgreſſa. M. Antonium quidem, cum quarto antè anno in Parthos movit, ſcribit Plutarchus habuiſſe in exercitu partim *Gallorum* partim Hiſpanorum, qui Romani jam tum cenſebantur, *decem millia*. An pauciora Cæſar iis modò ſolus imperans habuerit, expendat Lector. Veteranum quidem è Galliâ militem, patris Julii jampridem ſuiſque ſignis aſſuetum, quin ſatis copioſum ſecum cum Agrippa Galliis paulò antè Præfecto, traxerit, non dubito. Novum Tyronum, ſaltem è Belgio noſtro, delectum an habuerit, dubitare cogit Dio libro 51. qui MORINOS alioſque rebellionis eorum ſocios, Atrebates credo noſtros. Comio, ſi adhuc ſupererat, Duce, aliôve, Nervios, Menapios & confines, Actiaco bello pendente, in armis fuiſſe, ſicut & *Suevos magno numero Rhenum tranſgreſſos* ſcribit. Cur autem Morini rebellarint, Suevi Rhenanum Imperii limitem irruperint, cauſam aliam nullam video, niſi titillantem libertatis recuperandæ ſpem: Romanis inter ſe tantâ contentione commiſſis, ut externis motibus vix attendere poſſent. Ita ipſi juventutis ſuæ delectum, quem fortè Cæſar habere cœperat, ſibi ſervaverint, & in diſcordes intulerint. Votis fortuna nummè reſpondit C Carinas à Cæſare, ſeu cum in Antonium moveret, ſeu cum Britannicam expeditionem ſucceſſiſſet, Belgicæ noſtræ impoſitus, *Morinos bello domuit*, *Suevos* è Galliâ trans Rhenum unde venerant *propugavit*. Utrumque in Belgicâ ex gentis utriuſque procinctu ſituque. Fuerat C. Carinas anno U C. 710. Juliano 2. poſt Cæſarem Octavianum 1. Conſulem bimeſtrem (ut vocat apud Ciceronem Plancus) ſuffectus in anni iſtius exitu tertius Conſul. Ex T. C. Quare Belgicæ noſtræ Proconſul obiſgerit.

Annus U. C. 722. Julian. 14.

Belli Actiaci apparatus utrinque.

In quo Galli utrique Duci militant.

Ejus occaſione Morini noſtri, aliiq; vicini Belgæ rebellant.

Sed à Carinate Belgic. Præfecto vincuntur.

2. Magnam porrò ejus de Morinis Sueviſque victoriam extitiſſe, docet triumphus, quem cum Cæſare ipſo, poſt Antonium Cleopatramque domitos, duxit. Unde Dio ſuprà, de triplici Auguſti triumpho ad annum U. C. 725. Julianum 17. agens ait:

Qui ideo cum ipſo Cæſare triumphat. Dio.

Primo

Primo die (8. *Idus Sextiles* non ut mendoſè Oroſius, *Ianuarias*) *Cæſar triumphum egit de Pannoniis, Dalmatis, Iapydis, eorúmque finitimis, ſimul de nonnullis Galliæ Germaniaq; populis. Nam C. Carinas* MORINOS *aliosq; rebellionis eorum ſocios domuerat. Suevóſque Rhenum magno numero tranſgreſſos profligaverat. Itaque & ipſe, (quamvis pater ejus à Sylla interfectus, & ipſe cum aliis proſcriptis ſuis ſimilibus Magiſtratum gerere prohibitus fuerat) triumphum duxit, & Cæſar: quoniam victoria ad ſumma rei Præfectum Imperatorem referri ſolebat. Secundo die Cæſar de Actiacâ navali pugna triumphavit. Tertiò de Ægypto ſubactâ.* Hactenus Dio. Tanti triumphi ſocium Carinatem non facilè Cæſar admiſiſſet, niſi magnæ victoriæ compotem. Unde Virgilius in amœna illa & elegante triumphi Cæſariani deſcriptione, canit:

—— Incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam veſtis & armis.
Hic Nomadum genus, &c. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum MORINI, RHENVSQVE *bicornis.* Ultra cujus ſuperiora Suevi repulſi.

Bellum ergo & triumphus Cæſaris hic geminus à Virgilio canitur, contra Morinos ac *Suevos*; & hoc *Germanicum* videtur appellatum à Virgilio, cùm fine libri primi Georgicon ita canit, *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.* Germania per Suevos; Euphrates per Parthos, quos ex Ægypto rediens victor in Italiam quaſi tranſitu laceſſivit. Nam certè Virgilius fine libri 4. Georgicon, cum eos libros Cæſari jam inde reverſo Atellæ recitavit, ita concludit:

Hæc ſuper arvorum cultu pecorúmque canebam,
Et ſuper arboribus: Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello: victórque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo. Et Dio utrumque deſcribit libro 51.

Cæterùm propter has victorias ac triumphos, Janum ſequente anno U. C 725. Juliano 17 aut ſi fortè ſequentis exordio Cæſar Conſul *manu ſuâ ipſe clauſit*; ait Additamentum vetus ad Victorem Schotti. *Tametſi*, addit Dio lib. 51. *tum quoque in armis eſſent Treviri, Keltois, Germanis ſibi adjunctis, & Cantabri, Vaccæi, Aſturéſque. Verum Cantabros Statilius Taurus, Gallos Germanóſque Nonius Gallus domuit*: Carinatis veriſimiliter ſucceſſor. Unde Germaniæ bellum Virgilio hic memoratum commodè de Nonii quoque procinctu capi poteſt; maximè cum Carinatis expeditio paulò antè Cæſaris ad Euphratem iter contigiſſe, Nonii in ipſum ferè incurriſſe, videatur. An iſtis Carinatis Noniique bellis legiones Romanæ ad Rhenum ſtatutæ ſint, commune in Gallos Germanóſque ſubſidium, excutere mecum poteſt Lector. Sicut etiam an quadringenti iſti milites Galli, Cleopatræ primum ab Antonio ſatellites dati, mox eo cæſo ab Cæſare in Herodem Regem tranſlati, Belgæ noſtrates ſaltem ex parte non fuerint. Illi enim Gallorum noſtrorum omnium, Iulio teſte, fortiſſimi.

Poſt triumphum de Antonio Cleopatraque ductum, Cæſar (ait Dio ineunte libro 52.) armorum deponendorum, reſque omnes Senatus Populique poteſtati reſtituendi conſilium agitavit; Agrippa reddendum ſuadente; Mœcenate Monarchiam ſtabiliendam perſuadente. Neque enim, ut rectè Dio, ſub populi Imperio diutiùs reſp ſubſiſtere poterat incolumis. Igitur eodem anno quo quintū Conſul Sexto Appuleiò collegâ fuit, U C. 725 Iuliano 17. IMPERATORIS *primùm nomen accepit: non quale propter victoriam tribuis more vetuſto ſolebat; id enim ſæpius & antè & pòſt reportavit; ſed quo Summa Imperii demonſtratur: quod Patri quoque ejus Iulio, filiis ac nepotibus decretum fuerat.* Deinde anno ſecundo ineunte, V. C. 727 Iuliano 19. ſeptimum Conſul M. Agrippâ tertium collegâ, oratione in Senatu habitâ, Imperio exuere ſe velle ſimulans, effecit, ut id ei à Senatu Populoque firmaretur; ipſeque *Principatum ſolus obtineret. Statimq; futuris ejus ſtipatoribus, quo accuratiore cuſtodia cinctus incederet, duplex ejus quod reliquis militibus ſtipendium ut daretur decretum eſt.* Ita diſertè Dio libro 53. Qui *hos ſtipatores ex parte Batavos noſtros* extitiſſe, poſtea tradit lib. 55: *Corporis Imperatoris cuſtodes ſunt decies mille, Prætoriani milites, in decem diviſi ordines: Urbis præſidiarii ad ſex millia, quadrifariam diſtributi. Equites peregrini ſelecti,* BATAVI *appellati, à Batavia Rheni inſula, quòd equitandi arte pollent. Eorum ſicut evocatorum ſummam dicere non poſſum. Uti illis cœperat Auguſtus, ex quo veteranos Patris ad arma adverſus Antonium rurſus evocarat: eoſdemque deinceps retinuit. Ac ſunt etiam nunc peculiare corpus; & baculos geſtant inſtar Centurionum.* Sic & Suetonius Auguſto cap. 99. *Certum numerum militum partim in urbis, partim in ſui cuſtodiam allegit; dimiſſa Calagurritanorum manu, quam uſque ad devictum Antonium, item* GERMANORVM Ciſrhenanorum, ſeu Batavorum, *quam uſque ad Varianam cladem inter armigeros circa ſe habuerat.* Calagurritanos gente Hiſpanos (quos & Julium patrem habuiſſe prodit in ejus vitâ Suetonius cap. 86.) primos ſui cuſtodes habuit Auguſtus. Iis Batavos Antonio ſuperato, ſaltem ex parte ſuffecit, ad Varianam uſque cladem: quâ ſcilicet cum Tranſrhenanis ſuſpectos dimiſit. Sed mox recepit, ut infrà ſuo loco. Magna omnino Batavorum Ciſrhenanorumque Germanorum, Belgicorúmve laus, à robore fideque noſtratium maximè hauſta. Sicut modò Helvetiorum apud pleroſque Principes.

Annus U. C 725. Julian. 17.

Cæſar primus Romanorum Imperator. Lib. 52.

U C. 727. Julian. 19.

Corporis cuſtodibus ſtipatur.

Et quidem Batavis.

Ita munitus Imperator Cæſar, *cùm & à Senatu & à Populo confirmatum haberet Imperium; ac nihilominus popularis eſſe videri vellet; recepit hoc quidem in ſe, ut ſolicitò publicis negotiis præeſſet, quod iſta cujuſpiam diligentis indigerent cura: ſed nolle ſe Provinciis omnibus imperare: aut quas regendas ſumpſiſſet, in perpetuum gubernaturo dixit. Ideoque infirmiores, tanquam pacatiores Senatui reſtituit; potentiores, ut quæ plus periculi oſtenderent, ac ut limitanea hoſtes accolas haberent, vel Nova per ſeipſa motus, ciere poſſent, ſibi retinuit. Vaferrimo juxta ac ſibi tuto conſilio: tanquam Senatus optimis Imperii partibus tutò perfrueretur, ipſe laboribus & periculis expoſitus videretur. Cum tamen eo prætextu Senatum verè inermem imbellémque redderet; arma militéſque in ſe unum ſolúmque transferret.* Hac ergo de cauſa redditæ Senatui Populoque Provinciæ, ſi Ovidio 1. faſtorum, verſu 587. & 590 fides eſt, *Idibus Ianuariis* anni Juliani 19. quo Cæſar ſeptimum cum Agrippâ tertium Conſul, & AUGUSTUS à Senatu ex L. Planci, nuper Galliæ ulterioris & Belgicæ noſtræ Præfecti ſententiâ, viciſſim dictus fuit. Licèt Cenſorinus id quarto tantùm inde die, ſeu 16. *Kal. Februarias* id factum velit, de die Nat c. 21.

Provincias cum Senatu populóque partitur.

Dio l. 53.

Augustus à Senatu appellatur.

Senatus Populóque obtigerunt (pergit Dio) *Africa, Numidia, Aſia, Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia,*

Creta. Libya, Cyrenaica, Bithynia, Sardinia, Bætica. Cæſari autem Hiſpania reliqua, Gallia omnis, etiam Belgica, cujus populi hoc loco vocantur à Dione Κελτικοί, ἄλλοι τε, καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνων ὁρμῶν. *Celticos & ipſi & ipſorum colunt.* Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν. *Nam alia quidam, quos Germanos vocamus, cùm omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum eſt occupaſſent, effecerunt, ut ea Germania vocaretur; Superior, quæ à Rheni fontibus incipit; Inferior quæ ad Oceanum Britannicum uſque porrigitur. Item Cœleſyria, Phœnicia, Cilicia, Cyprus, Ægyptus.* &c. *Deinde Cæſar utriuſque generis Provinciis Senatores præfecit.* Hæc & plura de his Dio. quem vide.

CAPUT XI.

Poſt urbem Provincias ordinavit AVGVSTVS; primò Galliam, in qua & Cenſum primum agit.

Anno Iuliano 19.

1 LICET verò Auguſtus à tantis triumphis, multis ſe populumque ſpectaculis toto anno oblectârit; Reip. tamen curam non abjecit. Nam anno U.C. 725. Cenſor (ait Dio lib. 50. fin.) Collegâ Agrippâ fuit, multa emendavit, Senatum examinavit. Anno ſequente, U.C. 726. Juliano 18. Cenſum inchoatum perfecit, ait idem Dio l. 52. initio, & quidē ut Ancyranum monumentum, poſt annum alterū & 40. quo cenſa ſunt Civium capita quadragies centum millia 63. Apollinis in Palatio Templum Bibliothecaſque perfecit atque dedicavit; Templa alia reſtauravit. ut fuſius Dio lib. 52. Suetonius, & alii.

Tac. Annal. 1 init. 2. Ita rebus in Urbe conſtitutis, Provincias quoque ordinare, cenſere, & Monarchiæ aſſueſcere inſtituit. *Neque Provinciæ illum rerum ſtatum* Monarchiæ *abnuebant* (addit prudentiſſimè Tacitus) *ſuſpecto Senatus Populique imperio, ob certamina potentium & avaritiam Magiſtratuum, invalido Legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur.* Ab Occidente inchoare primùm diviſum. Quò ne inermis & intutus accederet, exercitum ſecum in Gallias abduxit, ut in Britanniam bellum tranſlaturus. Hanc enim expeditionem patris exemplo jam ante annos ſeptem (ut ſuprà ex Dione lib. 49. anno U.C. 720. Juliano 12. monuimus) ſuſceperat, concorde adhuc Antonio, eâque cauſa in Galliam uſque proceſſerat cùm à Pannoniis avocatus eſt. Nunc pace terrâ marique partâ, rebus in Urbe conſtitutis; impetum belli reſumpſit, eâdem operâ Gallias compoſiturus. *Ibi rùm Oratores legatóſve Britannorum pacem orantes invenîſſet* (ait Dio lib. 53.) *ſubſtitit, & ut de pace tractarent poteſtatem fecit.* Propter hoc bellum, ſimul quia Cantabri Aſtureſque, duæ fortiſſimæ gentes Hiſpaniæ, ſuis etiamnum legibus utebantur, ipſe ſeptimùm Conſul & Agrippa 3. (non ſexies. & Agrippa 2. ut Oroſius lib. 6. c. 2.) anno U. C. 727. Juliano 19 Janum aperuit. Ex quo quantus fuerit ſecundæ iſtius Britannicæ expeditionis apparatus, quanta expectatio, intelligitur. Sanè ſicut primam Horatius tum florens, Auguſtóque peramicus Ode 35. libri 1. celebraverat, ita & hâc eâdem celebrare potuiſſet aptari certè poſſet.

Secunda Cæſaris in Britanniam expeditio.

Annus U.C. 727. Julian. 19.

3. Sufficit ejus veſtigium argumentumque, quod noſtra hæc ætas, tantâ licèt temporis intercapedine reddidit, anno ferè Chriſti 1615. Cerſiacum (vulgo *Cerſy*) vicus eſt in Arteſia noſtra, medio ferè Cameracum inter & Atrebatum itinere. Ibi dum ruſticus quidam aratrum ſolo fortè validiùs imprimit, immane quoddam ſaxum impegit. Eo refoſſo, Romani cujuſpiam ſepulchrum apparuit, undique cœmentatum. Inerant ternæ majores urnæ, ex criſtallo priſco ferè cæruleo. Quarum una vinum continebat, coloris nondum, ſed ſapore prorſus evanidi; altera cineres & oſſium adultorum reliquias; tertia neſcio quid aliud. Inerat & lanx una teſtacea, velut carnibus vetuſtate abſumptis adhuc imbuta: cujus fundo medio inſculptū legebatur, VIRTUTI SYLVINI. Junctum erat ſalinum. Ac ne annum hunc ipſum neſciremus, nummus denique in cinerum urnâ repertus cum inſcriptione, AGRIPPA III. COS. ego quidem rogatus, non dubitavi, Sylvinum iſtum ex Auguſti Legatis aut Tribunis unum pronuntiare, Qui dum ſtativis hic ſixis hunc Auguſti in Britanniam trajectum ſuſtineret, fato denique abſumptus, ſe more Romano ſepultus fuerit. Nam Atrebates noſtros, & his junctam Morinorum partem ad Oceanum trajectumque Britannicum attinere, docet Coſmographia. Fuit igitur ingens expeditionis iſtius apparatus & expectatio. Quæ Gallorum quidem pleroſque, ſed noſtrates maximè Belgas, Britanniæ oppoſitos in arma traxerit, & nonnullas Romanorum legiones huc uſque intulerit.

Expeditionis iſtius Britannicæ monumentum in Arteſia noſtrâ repertum.

4. Verùm cùm pax Romanos atque Britannos inter, toto hoc & ſequente ferè anno tractatur, ait Dio, *interim Auguſtus componendis Gallorum rebus fructuosè tempus inſumpſit. Gallorū enim res adhuc incompoſitæ confuſæq; erant: quia ſubactionem eorum Cæſarianam bella civilia ſtatim exceperant. Totum igitur CENSUM, Græcè* ἀπογραφὴν *deſcriptionem egit, vitamque & Remp. efformavit.* Ita Dio paucis, ſed fœcundis, eòque non leviter ſtatim ſecundis verbis. Notat primùm, jam inde à Gallorum per Julium Cæſarem ſubactione, id eſt annis omnino tribus ac viginti, res eorum ob bella civilia mox ſecuta fluctuaſſe, id eſt nullis adhuc legibus adſtrictas ſtabiléſque conſtitiſſe: cùm neque Julio Cæſari vita, neque ſucceſſoribus otium ad eas ordinandas huc uſque ſuperfuerit. Notat ſecūdo, GALLIÆ COMATÆ CENSUM ideò ante omnia actum. De quo Livii Epitome 134. *Cùm Auguſtus Narbone conventum ageret. CENSUS à tribus Galliis* (Comatis ſcilicet, Aquitaniâ, Celticâ & BELGICA) *quas Cæſar pater vicerat, actus.* Nimirum Cenſus ut Romæ primùm ad Civium numerum, qualitatem, opes, liberos, potentiamque cognoſcendam inſtitutus; ſic aucto poſtmodum Imperio, ab Urbe Italiáque etiam ad Provincias, Provincialiumque frequentiam, facultates, viréſque perſpiciendas, ab Auguſto prudentiſſimè tranſlatus. Et Gallicus iſte Provinciarum omnium planiſſimè primus eſt; bis etiam poſtmodum ab Auguſto ibidem repetitus. ſemel viginti pòſt annis, paulò ante CHRISTI Domini Nativitatem: iterum vicenis totidem aliis, paulò ante Auguſti mortem. ut in tempore memorabo. Erat Gallia quaſi Julii patris caſtrenſe peculium, ſolius ejus armis ac virtute partum, eóque hæredis ipſius Octaviani ferè patrimonium. Quare nihil mirum, ſi Provincialem hunc omnium primum Cenſum, primus item, in Galliam intulerit.

Pax cum Britannia tractatur. Interim Cæſar Gallias componit.

DE CENSU Galliarum aliorū Provincialium exemplari.

Cenſus iſte Galliæ tantum Comatæ, non Braccatæ ſeu Narbonenſis fuit.

5. Namquod hic præ ceteris obſervaudum, Primus iſte Cenſus, non Narbooenſis Provinciæ, Jam pridem ſcilicet Romanis adjunctæ probéque perſpectæ; ſed trium Comatarum duntaxat, aut ſaltem præcipuè, nondum ſatis cognitarum, nondum ordinatarum fuit. Quo quidem Auguſtus gentium illarum numerum omnem, arma maximè ferre valentium, genus, vires, facultates, agros intimè perſpexerit, ſimul quaotam peperiſſet Imperio Pater Provinciam, omnium oculis eapoſuit; in Imperii deoique Rationarium, tum primùm ſeriò à ſe condi cœptum retulit. Et erat Imperii membrum fortè præcipuum Gallia; certè maxime porrectum, credo & populis frequentiſſimum; Populi fortes, audaces, bellicoſi, ſæpiùs ad quamvis auram mobiles, nec niſi ſerò, magna clade, multo labore domiti. in quos ideo intentior cogitatio curáque defigenda.

Cur Narbone Cenſus ipſe actus?

Cur autem Cenſum hunc primum Narbone eatra tres Comatas peregerit, mihi quidem alia ratio noo ſuppetit, quàm loci commoditas: quà & Romæ per mare, & Hiſpaniis, & Gallis tanquam è centro poterat intendere, copias item viréſque ſubitò colligere, ſi forte opus hoc Gallis adhuc inaſſuetum, arduum, & quaſi ſervitutis indicium, tempeſtatem aliquam velut denſi nigráque nubes cieret, tumultúmve aut etiam rebel honem in gente vixdum ſub jugum miſsâ moveret. Et erat Narbo civitas jampridem tota Romana, fidáque Colonia, in Provincia planè Romanâ; nulli è tribus Comatis invidiam conciliatura. In eâ functione ſenos illum facilè menſes eahauſiſſe video. Nam paulò ante anni medium eò appuliſſe, & paulò ante exitum in Hiſpaniam tranſiiſſe videtur. uti mox.

Galliæ Comatæ nova ab Auguſto Ordinatio.

6. Porrò Comatarum Galliarum Remp. eo maaimè formatam intelligo, cùm iis leges Romanas dedit, municipales etiam nonnullas fortè reliquit, aut correxit; cùm provincias certioribua terminis fluviiſque maximè diſtioxit; ſingulis capitales urbes, è quibus jura peterentur, impoſuit. Julii certè Cæſaris limites eum immutaſſe Aquitania ſola docuerit, quam Celticâ detritâ non parum auait. Unde non tantopere moraoda Julii deſcriptio, non modò quia confuſior minúſve continuo bellorum interventu diſtincta; ſed & quia vix ultra viginti annos quomodocũque uſurpata. Auguſtæa iſta deinceps quingentos ferè ſtetit annos in ſtatu quidem civili & politico; in Eccleſiaſtico autem, Chriſti fide jam inductâ, etiamnum hac ætate ooſtra, ut plurimùm ſtat. Singulas primùm partes in geoere perpendamus, civitates moa in particulari videbimus.

Primùm Aquitaniæ.

7. Aquitania ſub Julio primùm intra Pyrenæum, Oceanum, Garumnamque fluvium ſtringebatur. Auguſto id ſpatium, quia anguſtius erat, ampliare viſum; & quod à Septentrioue Garumnam inter ac Ligerim interjacet ei adjicit: ſicque ab Occidente adhuc Oceano latiore, Cemmenis montibus ab Oriente definivit. eo terræ tractu gentes 14. porrigebantur: quas in Aquitaniam Primam, & in Secundam diviſit.

Strabo l. 4.

Aquitaniæ Primæ populos adſcripſit, Velaunios, olim Aruernis adſcriptos, Gabalas, Aruernos, Lemovicas, Cadureos, Albigenſes, Ruthenos, & horum omnium Principes Biturigas Cubos, medio Ligeri definitos: Secundæ verò Biturigas, Vibiſcos ſeu Burdegalenſes, Sanctonas, Pictonas, omnes Oceano confines: introrſum Ageſinates, qui nunc Engoliſmenſes, Petracorios, Nitiobrigas ſeu Aginnenſes. Has, inquam, 14. gentes Auguſtus ex ea Galliarum parte ſuccidit, quam Celticam Julius pater appellaverat; oiſi fortè Aruernos & Velaunios à Narbonenſi potiùs Romanorum jam antiquâ Provincia avulſerit. Ita, quod notant Æthicus & Oroſius, Aquitania ſic aucta, obliquo Ligeris fluvii curſu velut in ſemicirculum à Septentrione redacta eſt.

Oroſ. l. 1.

Tertiam quoque Aquitaniam inſtituit, eam ſcilicet quam Julius pater Aquitaniam ſimpliciter appellaverat; quæ tuoc gentes plures viginti juata Strabonem, trigiuta juxta Plinium contiuebat, ſed exiguas & obſcuras. Auguſtus ad novem præcipuè redegit: Eluſates ceterorum tunc principes, Auſcios horum in principatu ſucceſſores, utroſque mediterraneos; ad Garumnam verò Vaſates; & Auſciis adſcriptos Lactorates aut Sontiates; Conſoranos; Ad Pyrenæum Convenas, Bigerrones, Beneamos, Tarbellos ſeu Bayoncnſes, aut Vapurdos jam etiam Oceano contiguos, & denique Datios ſive Cocoſates. A novem hiſce populis eminentioribus priſcam Julii patris Aquitaniam, Novempulaniam oovo nomine dixit Auguſtus, & reſpectu duarum priorum, etiam Tertiam numeravit.

Deinde Celticæ ſeu Lugdunenſis.

8. *Celticam* verò ſic acciſam novo nomine *Lugdunenſem* vocare maluit, à novâ & illuſtri Romanorum coloniâ Lugduno, poſt Julii cædem ad Araris atque Rhodani confluxum conditâ. Eamque ſecundum Ligeris meatum in longum ad Oceanum uſque Occidentalem ſimul & Boreâlem ſeu Britannicum productam, ita in anguſtum redegit, ut juata Oroſium, amnis iſte Aquitaniam novam ſemicingat.

Lib. 1 cap. 2.

Longiorem ergo ſtrictioremque iſtum terræ tractum, rurſum in provincias binas ſubdiviſit, Lugdunenſem. Primam ſub capite Lugduno, & Secundam in occaſum vergentem, capite Rothomago. Quas adhuc Theodoſius Magnus, quantum video, aut ſi fortè Gratianus Valentioianúſve junior, aut juxta Valeſium Honorius, ceu nimis amplas, quatuor effecit; Tertiam Turoniam, Quartam Senooiam. BELGICAM reliquam, quia maximè ad inſtitutum, ſequens caput explicabit.

CAPUT XII.

Quid in Belgicâ præ Iulio patre novaverit Auguſtus; quibus terminis populos ejus circumſcripſerit, in BELGIO hodierno maximè.

Anno U. C. Varroniano 727.

Denique Belgicæ.

1. SUprà capite ſecuodo quæſtionem hanc ſolvere cœperamus; ſed ſatiùs in hoc rejiciendam cenſuimus; temporis ſcilicet & hiſtoriæ ſeriei commodiùs. Belgicam univerſam Julius Cæſar non aliis limitibus, quàm Matronâ & Sequanâ, Oceano, Rhenoque diſtinguit. Subdiviſionem nullam niſi fortè in populos peculiares agnoſcit; ſed neque populos ipſos certis cancellis, niſi ſubinde paucis, circumſcribit. Neque fortè certi ſtabiléſve erant, mutuo armorum potentiæve metu variè aucti ſucciſivè. Unde ooo tantam deſcriptio-

nis

ois illius rationem habendam monui, utpote nondum ſatis ei cognitæ, quia nondum conſtantis; & ut certa fuerit, vix ultra annos poſt illum viginti productæ. Nunc igitur accuratiùs oovam diuque duraturam Auguſti ordinationem exeutere conſilium eſt.

Quam in tres ... partes divid.

2. Lugdunenſem Galliam Auguſtum hoc tempore in duo tantùm membra ſubalterna ſecuiſſe jam monuimus; & ex Hilario Pictavienſi Epiſcopo, Ammiano, Sextoque Rufo certò intelligimus. Circa Theodoſii Honoriive imperium, vix antè, in quatuor primùm membra ſubdiviſam omnes agnoſcunt. Belgicam hoc anno ſtatim tripartitam, ut Aquitaniam, ſtatuit Auguſtus. Et partem quidem illius occiduam, duabus aliis non multo imparem, Belgicæ nomen ſervare voluit: Orientaliorem Rhenoque contiguam, *Germaniam* appellaſſe, & duplicem feciſſe, *Superiorem* nempè ſeu *Primam*, & *Inferiorem* ſeu *Secundam* ex Dione & aliis intelligimus. Superioris & Inferioris nomen Rhenus ſuo fluxu ſuggeſſit; *Primæ* ac *Secundæ*, major minórve Romæ vicinia. Germaniæ Ciſrhenanæ ſive Belgicæ Gallicæve origo nunc eruenda. Et ut à fundo eruatur, Taciti verba primùm, tum Julii Cæſaris accuratiùs expendenda.

Cur Augu... ... Rhe... Ger... ... duas ... Belgica ... luerit

3. Sic ergo libro de Germania generaliùs ſumptâ Tacitus: *Quidam plures gentis*, Teutonicæ ſcilicet ſive Germanicæ, *appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant; eáque vera & antiqua Germanorum nomina. Cæterùm GERMANIÆ vocabulum recens & nuper additum.* Longè omnium poſt antiquiora iſta veráque nomina. *Quoniam qui primi Rhenum tranſgreſſi, Gallos expulerint, ac nunc TUNGRI*, ſcilicet vocantur, *tunc Germani vocati ſunt. Ita nationis* peculiaris *nomen, non gentis* univerſæ, *evaluiſſe paulatim. ut omnes primùm à victore ob metum, mox a ſeipſis invento nomine vocarentur.* Sic enim minus corruptè in Bambergenſi Codice, teſte Lipſio, legitur. Poſterior tamen ſententia mendoſa eſt. Quomodo enim cohærent verba *a victore ob metum?* An *victores*, & non potius victi metuunt? Quos per vocem, *à ſeipſis* intelligi vellet, niſi quos ſuprà *victores*, ſi mendum non ſubeſſet, appellaſſet? Ita victores iidem bis, ac ſuperfluè ſibi nomen impoſuiſſent. Nihil à tam acri Taciti judicio remotius. Prius ille ſententiæ membrum poſteriori opponere vult ac debet; & *victoribus* primùm à *victis* nomen aliud, puta GERMANI, mox aliud à ſeipſis impoſitum vult, puta TUNGRI. Omnino itaque reponendum, *Ut victores primùm à victis ob metum, mox à ſeipſis invento nomine vocarentur.* Quare verò Galli victi ſuos victores ob metum GERMANOS appellarunt? GERMAN nihil aliud ſonat, quàm belli ſeu bellicus vir. *Gerra* quippè ſive *Guerra*, adhuc hodie idem quod *bellum* Belgis & Gallis noſtris eſt, & *man* vir. Tranſrhenanos igitur iſtos Belgæ cùm ſuis primùm finibus ab illis expellerentur, aptè Bellatores, pugnaces, Martiales, prorſuſque viros ob metum, ut quibus ipſi reſiſtere non valerent, appellarunt. Hoc jam ex ipſo textu & ſcoteotiæ ſcopo clarum, tametſi aliunde nòn juvaretur. Sed juvat abundè ſummus Auctorum Julius Cæſar.

...actum.

Condruſi, Eburones, Careſi, Pemani, Segni

4. Hic enim Commentariò 2. *Condruſos, Eburones, Careſos, Pæmanos* uno nomine GERMANOS ſua ætate appellatos diſertè ſcribit, quibus & *Segnos* commentario 6 adjungit. Quæ verba ſuperioribus & proximis Taciti juncta, tria certa nos docent. *Primum*, Germanorum nomen quinis iſtis gentibus, priuſquam cæteris omnibus inditum. Fruſtrà quippè Cæſar illos iſto nomine vocatos moneret, ſi jam tum aliis cis Rhenum gentibus, æquè à Tranſrhenanis ortis convenisset. *Secundum*, eaſdem quinque Gentes Rhenum primas omnium tranſgreſſas, ſingulas propriis à primâ ſui origine nominibus: *Condruſos, Eburones, Careſos, Pæmanos*, ac *Segnos*: mox etiam à Gallis ſeu Belgis victis ob metum, uno communique nomine *Germanos*, denique à ſeipſis invento alio TUNGROS appellatos. Ut enim rectè Logici, Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. *Tertium*, Germanorum nomen à quinque gentibus iſtis nationis peculiaris & cis Rhenum dumtaxat victoribus, ad alios quoque gentis univerſæ populos *evaluiſſe paulatim*, puta tam cis quam trans Rhenum populos; originis, linguæ, ac morum eorundem; quando omnes tandem Germani paſſim, ſaltem à Romanis dicti. Ita juncti Cæſar ac Tacitus, ſeſe invicem probè juvant explicantque, & Germaniæ vocabulum, veteribus Gentis nominibus nuper additum conſentiunt.

primùm Germani uno nomine dicti: Mox TUNGRI.

5. Sed quando *Germanorum* vocabulum ab quinis illis nationibus ad alias ejuſdem originis cis Rhenum poſtea tranſgreſſas, & quâ ratione evaluit? Quando quinæ iſtæ nationes TUNGRI nominatæ? Id maximè jam inquiro. Non aliàs utique, quàm in iſta Auguſti Gallicanâ ordinatione. Is enim hoc anno totum Galliæ corpus in certa membra diſtinguens, Germanorum nomen ad alios æquè tranſrhenani ſanguinis, æquè cis Rhenum victores, transferri poſſe rectè judicavit, uſu præſertim jam præeunte, imò & ad Tranſrhenanos paulatim evaleſcente. Ergo Teutonas ſeu Theutiſcos, ſeu ut Dio vocat Celtas omnes, qui tum cis Rhenum incolerent Imperio Romano ſubjecti, GERMANOS communi voce appellari voluit, SUPERIORES, qui Rheni fontibus, INFERIORES qui Oceano propiores. Atque hoc prorſus eſt quod Dio vult, cùm hoc anno, & vix ante hanc Auguſti ordinationem, de diviſis Auguſtum inter ac Senatum provinciis, ita ſcribit: Cæſari adſcripti ſunt Γαλάται πάντες, οἵ τε Ναρβωνήσιοι, καὶ οἱ Λουγδουνήσιοι, Ἀκυιτανοί τε, καὶ Κελτικοί, αὐτοί τε καὶ οἱ ἄποικοι σφῶν. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ ΓΕΡΜΑΝΟΥΣ καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, ΓΕΡΜΑΝΙΑΝ ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν: id eſt, *Galatæ* ſeu Galli *omnes Narbonenſes, Lugdunenſes, Aquitani, & Keltici* (Belgæ) *tam ipſi, quam eorum coloni. Celtarum enim* ſeu Tranſrhenanorum *quidam, quos modo GERMANOS appellamus, cùm omnem quæ ad Rhenum eſt Celticam occupaſſent, ut GERMANIA diceretur, effecerunt: SUPERIOR, quæ à Rheni fontibus incipit INFERIOR quæ ad Oceanum uſque Britannicum porrigitur.* Ita Dio. qui per *Kelticos* hic, apertiſſimè Belgas, à ſufficiente partium enarratione intelligit, ut & alibi ſemper.

Quando id factum?

Dio lib. 53.

6. Duo quippe hic, licèt in tranſitu, maximè notanda. Primò vocem Βελγικὴ aut Βέλγας nunquam in Græco Dionis textu, ſed pro eâ ſemper Κελτικὴ & Κελτικοὶ reperiri. Exempli causâ, libro 40. ubi interpres vertit, *Belgæ finitimi ad Commium quemdam atrebatem ſummâ rerum delatâ, diu reſtiterunt*, pro Belgæ, textus Græcus Κελτικοὶ diſertè habet:

Vocibus Βελγικὴ & Βέλγας nunquam utitur Dio.

licèt hic non de Germaniâ ſuperiore vel Inferiore, ſed de Belgis ſtrictè ſumptis, in quibus erant Atrebates & Bellovaci, ſermonem inſtituat. Similiter libri 39. principio, Belgarum qui tum primum omnes, Remis exceptis, uno animo in Cæſarem conſpiraverant, ſitum ex 2. Cæſaris Commentario deſcribens, *Celticos* non ut Cæſar *Belgas* vocat: *Celtici*, inquit, *ad Rhenum variis & permixtis gentibus habitantes, ſeq; ad Oceanum usque Britannicum porrigentes.* Imò cum Belgas ſtrictè ſumptos à Ciſrhenanis ſeu Belgicis Germanis diſtinguere vult, circumſcribere quàm Belgas appellare mavult; ut loco ſuprà citato libri 53. Κελτικοὶ αὐτοὶ, καὶ οἱ ἄποικοι σφῶν, *Celtici tam ipſi quàm ipſorum coloni*, ſeu *qui ab ipſis orti*: nempè Belgæ, *quorum plerique à Germanis*, ut ait Cæſar, *orti*. Tanta eſt Dionis à vocabulo *Belgæ* averſio. Neſcio quare. Præſertim cùm vocem Latinam Γερμανίαν & Γερμανοὺς tam ſæpè ſine ſcrupulo ullo Græcè uſurpet, ut mox videbo; & Strabo æquè Græcus, ipſi Auguſto coævus, nunquam niſi Belgas Græcè vocet; ut & Plutarchus, Appianus, & alii.

Germanos Transrhenanos *Dio* nunquam Germanos, ſed Κελτοὺς ſẽper vocat. Ciſrhenanos contra ſemper Γερμανοὺς.

7. Alterum in Dione notandum eſt, quod Transrhenanas gentes contrà, nunquam Græcè Γερμανοὺς, nunquam eorum regionem Γερμανίαν vocet, ſed ſemper Κελτοὺς & Κελτικήν. Et quia è Celtis iſtis quidam Gallicam cis Rhenum in Belgicâ regionem jam olim occupaverunt, hanc ipſam quoque ſubinde *Kelticam*, ut totam ſemper Belgicam appellat: licèt Belgas ſtrictè ſumptos, non Celtas, ſed derivativè *Kelticos* vocet, aut Celticorum colonos. Frequentiùs tamen iſtam Ciſrhenanorum Germanorum regionem etiam Græcè Γερμανίαν nominat. Nec unquam per Γερμανίας aliud quam Ciſrhenanam iſtam intelligit, ut attento Lectori perſpicuum eſſe poteſt, & Cluverus ante nos animadvertit. Tametſi lib. 39. finiente ſcribat, *populos ab utraque Rheni parte habitantes, antiquitus admodum, Celtas uno nomine dictos.* Sed *antiquitus admodum*, & longè antè Cæſarem. Unde ipſe antiquitate iſtâ poſthabitâ, Transrhenanos quidem, *Celtas* primitivè vocare pergit: ſed Belgas à Transrhenanis ortos, generatim nonniſi derivativè *Celticos*, ſpeciatim autem cis Rhenum habitantes ſæpiùs Γερμανοὺς appellat. Et rationem tangit, quia *Celtas* ait, etiam transrhenanos, *unde GERMANOS vocamus* q. d. Belgæ, ſicut à *Celtis* antiquo nomine *Celtici*, ita à Germanis novo nomine etiam Transrhenanis, ex uſu jam indulto, tandem quà Rhenum attingunt, GERMANI dicti ſunt. A quo, niſi ab Auguſto, quem eorum provinciam paulò antè ſortitum, hoc anno Remp. ordinaſſe ac formaſſe ſcribit? Quaſi ſcilicet in iſtâ ordinatione Germanorum nomen Auguſtus abs Eburonibus, Condruſis, Cæreſis, Pæmanis, & Segnis particularibus avulſum, in alias ejuſdem originis ac linguæ gentes, Rhenum æquè tranſgreſſas victriceſque diffudiſſet. Quod & expreſſiùs multi alii teſtantur.

Germaniæ Ciſrhenanæ meminit Meſſala.

8. Primùm Libellus Meſſalæ Corvino adſcriptus; vetus certè auctor, Auguſtum ipſum alloquens, *Ad Danubium*, inquit, *Rhenumq; tuis auſpiciis, victorioſiſſime Principum, perventum: & utriuſque fluminis utramque ripam tua induſtria ſubjugavere vires. Duæ Germaniæ, Inferior & Superior, tibi uni ceſſere.* Idem à Livio, ſi ſupereſſet, certiùs hauriremus. Nec tacent tamen ejus quantumvis exiles epitomæ. Primùm 137. alias 139. *Civitates Germanicæ cis Rhenum* (nota) *& trans Rhenum poſitæ, oppugnantur à Druſo.*

Et Livii Epitomæ.

Rurſum 138. al. 140. *Cauci aliaq; Germanorum trans Rhenum gentes.* Denique ultima, *Bellum adverſus Germanorum trans Rhenum gentes, &c.* Quare voci *Germanorum* toties *trans Rhenum* jungit? Niſi quia jam tum & aliæ eorumdem Germanorum cis Rhenum eſſent; quæ & Germanicæ, ampliato ab Auguſto vix 14. ante annis non ine, dicerentur? Ipſe quoque Tacitus annali primo, eamdē Germaniæ appellationem, in ipſo Auguſti exceſſu, tanquam abs eo jam antè inſtitutam ſignificat, cùm ait: *Duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen Superiori, ſub Caio Silio Legato, inferiorem A. Cæcina curabat.* Exercitu ſcilicet utroque nomen ab utrâque cis Rhenum Germania trahente. Germaniam igitur utramque jam antè, nempè hoc anno, Auguſtus inſtituerat, & mutuato à quinis iſtis gentibus, *Germanis* una voce dictis, nomine, ſic appellaverat. Quod Dio ſæpiùs hic inculcat.

Et Tacitus.

Inde Condruſi, Eburones, Pæmani, &c non amplius Germani propriè, ſed Tungri dicti.

9. Ita diffuſo jam nomine, facilè intelligimus, Condruſos, Eburones, &c. non potuiſſe deinceps Germanos propriè vocari, non recté abs aliis novè Germanis ſat diſtingui. Quare Auguſtus ut novum ſibi pro libito & peculiare nomen inderent, imperavit. Et indidêre TUNGRI, ut ſuprà ex Tacito vidimus, cùm ſit: *Quoniam qui primi Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerint, ac nunc Tungri* (ſcilicet dicuntur) *tunc GERMANI vocati ſunt: ut victores primùm a victis ob metum GERMANI, mox à ſe ipſis invento nomine* (nota) *TUNGRI vocarentur.*

Unde Tungrorum nomen?

Cur autem ſe *Tungros* dici voluerint, nemo priſcorum dicit. Hubertus Thomæ Leodius à vico *Tungernheim*, infra Ubios ſito, ubi ſcilicet prius incoluerint, hauſiſſe putat. Vidi qui à *Tunger* deducere mitteretur, fluviolo qui in Albim, paulò infrà Magdeburgum, in veteri Marka Brandeburgica ad Tangermundam influit. Verùm ſi ita eſſet; mirum, nomen Tungrorum non [illegible] ſervatum, certè neque à Julio Cæſare neque ab Auguſto primùm cognitum: quando eos tantùm aut peculiari ſingulorum nomine, aut communi *Germanos* dictos memorat, altiſſimo Tungrorum ſilentio. Examinent, quibus Goropii genius ineſt. Id unum addo, hinc factum ut auctorum nemo poſt Auguſti tempora, quod ſciam, Eburonum, Condruſorum, Pæmanorum, ſociorúmve meminerit; neque tam anxio ſedes eorum ſcrutandi labore defuncti ſimus. Quod enim tantum operæ pretium, gentium extinctarum limites noſſe, quas nec Julius Cæſar, qui ſolus eas nominat, ulla ratione diſtinguit, & vix annis 20. antè hanc Auguſti ordinationem ſcripſit? Scio Strabonem poſt Auguſtum adhuc Eburonum meminiſſe; ſed ſemel tantùm, idque ex ſolo Cæſare; novæ interim iſtius Auguſtanæ mutationis aut immemorem aut incurium. Nihil tamen obſtat, quin & Eburones proprio adhuc nomine dici potuerint aliquamdiu; GERMANI nullâ ratione, niſi jam communiter ut Ciſrhenani reliqui, quos ad id nominis Auguſtus hac Galliarum ordinatione pro certo, nec abſque ratione diffudit, ut diximus. Sed & *Advaticos*, de quibus itidem nulla poſthac mentio, TUNGRORUM deinceps nomine comprehenſos, veriſimile eſt, ſi non & certum. niſi fortè *Betaſii* dicti fuerint, ut putat Cluverus. Certè Tungrorum Metropolis *Advatuca*, nomen ſemper retinuit, urbs ab Advaticis ipſis victoribus, etiam ante Cæſaris adventum, in Eburonibus, Moſâ non procul ad Jecoram fluviolum ædificata; & Tungris

Incertum.

ipſis

ipſis novo eorum nomine inducto, Metropolis ſub Auguſto aſſignata.

Qui populi Germaniæ Superioris?

10. His de utrâque cis Rhenum Germaniâ evolutis, videndum quænam illis gentes inſuerint. SUPERIORIS ſeu PRIMÆ (ut quæ primo Romanis ex Italia venientibus occurrebat) fuere *Tribocci*, nunc Argentinenſes & Alſatii; Nemetes nunc Spirenſes, Vangiones nunc Vormatienſes & Moguntini à Druſo conditi, iiſdem finibus, quibus adhuc eorum ſtat Eccleſiaſtica Diœceſis, jam à Romanorum ævo conſtituta. An Treviri quoque ad eam primùm attinuerint, quæri poſſit.

An in iis Treviri?

Attinuiſſe, ſuadeat fortè Tacitus, cùm eos ait, *Circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitioſos fuiſſe.* Sanè parum ambitioſi fuiſſent, ſi eùm vicinos Vangionas Germanis accenſeri vidiſſent, ipſi eamdem ut ſanguinis ſic & nominis gloriam non ambirent. *per quam à ſimilitudine & inertiâ Gallorum ſepararentur.* Adde parum æquam, parum concinnam futuram fuiſſe utriuſque Germaniæ Ciſrhenanæ partitionem, ſi à Superiore Treviri, imò ſi & Mediomatrices, Veroduni, Leuciq́ue abfuiſſent. Nam Germania Superior etiam cum his omnibus, Inferioris magnitudinem non adeo ſuperat. Ne quid dicam de Trevirorum ipſorum territorio. quod ad Rhenum uſque longo tractu diffuſum, Germaniam utramque interſecuiſſet, & à ſe invicem diſſuiſſet, medio & inconcinno Belgicæ gentis intercurſu: cùm decoris & concinnitatis in Auguſto curam infuiſſe ſat conſtet.

Non. quia Belgæ, & Belgicæ primæ caput.

Verùm Tacitus ipſe ſtatim ab Auguſti exceſſu Treviros *Belgas*, non æquè *Germanos* vocat; ut appareat ab Auguſto ipſo Belgis ſemper adjunctos. Sub Conſtantino ſaltem, ſi non antè, ac deinceps Treviros BELGICÆ Primæ caput fuiſſe, nimis compertum eſt. Nec illa quæ hic objicitur Germaniarum à ſe invicem ſeparatio tam inconcinna videri debet. Quàm multæ aliæ provinciæ in ſe mutuo incurrunt nullâ Juriſdictionis confuſione? Nec à Rheno, quem ſemper attigerant, libenter excluſi fuiſſent Treviri, cuicumque provinciæ demum adſcribendi; apud quos adhuc ſuo tempore Strabo, pontem à Romanis, qui bellum gerebant Germanicum, ſtratum ſcribit libro quarto. Treviri igitur, licèt Germanicâ gloriarentur origine, Belgis tamen ab Auguſto adſcripti, Germanias duas Ciſrhenanas interſecabant. Si ut autem Treviros Tacitus Belgas vocat; it Nervios à Germanis diſtinguit, lib. hiſt. 4. prorſus ut & hi Belgicæ Secundæ ab Auguſto acceenſi, ut ſupra cap. 2.

Inferioris Germaniæ populi, Ubii & Tungri præcipuè.

11. Inferioris ſeu Secundæ Germaniæ duas tantùm recenſet civitates Ammianus lib. 15. ſed amplas & copioſas, Coloniam Agrippinam Ubiorum, & Tungros. Inerant tamen particulariores aliæ iſtis ſubalternæ: quales Tungris quidem, hinc Sunnici.

Tũ Sunici, Betaſii, Batavi, &c.

ſortè Cæſaris Segni, circa *Sinnich* pagum hodie Limburgicum; inde Betaſii, unde Vicus *Bets* propè Demeram amnem. Ubiis autem ad Rhenum, Gugerni & Batavi, &c. de quibus hic Plinium, qui poſt hanc Auguſti partitionem ſcripſit, audire juverit; libro 4. a cap. 15. *In Rheno ipſo, propè centum millia paſſuum in longitudinem, nobiliſſima Batavorum Inſula, Canineſatum, & aliæ Friſiorum, Cauchorum, Marſaciorum; quæ ſternuntur inter Helium ac Flevum*, hodie *Te Vlie*. *Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus ab Septentrione in lacus ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit: medio inter hæc ore modicum nominis ſuo cuſtodiens alveum.* Ita Plinius.

Rheni oſtia Helium ac Flevum.

Bataviæ Inſulæ certiſſimus eſt ſitus, inter extrema duo Rheni cornua, Vahalim & Rhenum: Belgicæ noſtræ latè ſumptæ, & Germaniæ Inferioris Ciſrhenanæ terminus ad Septentrionẽ extremus. Inde ergo cum eodem Plinio l. 4. c. 13. *Exeamus ut extera Europæ dicantur, & litus Oceani Septentrionalis in lævâ, donec perveniamus Cades, legamus.*

Bataviæ Inſulæ ſitus certus, inter duo Rheni cornua.

Paulò poſt ibidem, ſubdit: *Totum autem hoc mare ad Scaldim uſque fluvium, Germanicæ accolunt gentes.* Quales ſunt ab eo jam dicti: *Friſii, Batavi,* &c.

Cui ad Boream Friſii confines.

Quid deinde à Scaldi, verſus Cades? Proſequitur capite 17. *A Scaldi ad Sequanam Belgica*, nempè Secunda, & jam ſtrictiùs ſumpta, prout à Germania Inferiore Ciſrhenanâ diſtinguitur.

Ad Meridiẽ Moſæ & Scaldis oſtia & Toxãdri.

Mox ibidem: *A Scaldi*, jam ſcilicet finiente, *incolunt extera Toxandri pluribus nominibus. Deinde Menapii, Morini, Oromanſaci, juncti pago, qui Geſſoriacus appellatur, BRITANNI, Ambiani, Bellovaci, Haſſi. INTRORSUS* (benè nota) id eſt, non jam ultra in exteris ſeu extimis & maritimis; ſed in Mediterraneis Belgicæ; *Caſtologi, Atrebates, Nervii liberi, Veromandui, Suevoni* (ſic enim lego, non Sueconi prorſus incogniti) *Sueſſiones liberi, Tungri, Sunici* (mendosè Rinuci) *Betaſii, Treviri liberi antea* (ante Galbam Imp. ſcilicet) *Remi fœderati.* En Belgicæ noſtræ hodiernæ civitates ſeu populi omnes poſt Auguſtum, & Plinii tempore, primo maritimi, tum etiam *Interiores* ſeu Mediterranei.

A Scaldi per oram Oceani ſequũtur Menapii, Morini, Oromãſaci, Britanni.

Quinam Toxandri? Pars aut cliẽtes olim Menapiorũ.

12. Inter maritimos *à Scaldi* primi nominantur a Plinio *Toxandri*, qui Cæſari & Tacito prorſus innominati: ſub Menapiis tamen Orientalioribus comprehenſi; ut exiſtimo. quæ res majore explicatione digna eſt. MENAPIOS, cùm Julii Cæſaris ætate Uſipetes ac Tenchteri cis flumen Rhenum in Gallias irruperunt, utramque illius paulò ſupra ipſum divortium ripam accoluiſſe, teſtis eſt oculatus Julius Cæſar. Rurſus inde ad Oceanum uſque Britannicum porrectos, docet idem Cæſar Comment. 3. cùm Venetos (hodie *Vannes* in Britanniâ Gallicâ) bellum in ſe navale parantes, inter alias auxiliares Armoricas civitates, ſcribit *Morinos & Menapios* ſibi adſciviſſe, *auxiliaq́; è Britanniâ* inſula, *quæ contra eas regiones poſita eſt, accerſiſſe.* Et Comm. 6. cùm Ambiorigem Eburonem perſequeretur, *Labienum*, ait ſe *cum legionibus tribus Oceanum verſus*, in eas Eburonum partes, *quæ Menapios* (ergo Oceanitas) *attingunt*, proficiſci juſſiſſe. Strabo quoque libro 4. *Menapiis*, ait, *continuantur ad mare Morini.* Mox: *Qui a propinquis Rheno partibus trajiciunt*, in Britanniam ſcilicet, *ii à Morinis Menapiorum cõterminis ſoluunt.* Dio denique lib. 39. ut & Plinius ſuprà, *Morinos atq; Menapios finitimos* appellant. Maritimi igitur etiam Cæſaris ævo Menapii. Quod ſi eſt, ergo quod Oceani oras iſtas & Rheni ripam paulò ſupra divortium interjacet terræ ſpatium, quâ modò Kempinia Brabantica, Zelandiáque ſaltem ex parte protenditur Demeram inter ac Moſim, Menapios quoque tenuiſſe; imò & per medium Scaldim Oceano jam imminentem, Gandavum, Brugas, ad confinem Oceanum & Morinorum limitem procurriſſe conſequitur. Sed Cæſaris, ut toties monui, diviſio non diu ſtetit.

13. Quippè Menapios ſtatim, Auguſtus Belgicam ordinans, in duas partes ſecuit, Scaldi jam intermedio; ita planè ſciſcente Plinio, quem Germaniam Inferiorem Ciſrhenanam à Belgicâ ſtrictiùs ſumpta ita diſtinguere, paulò antè vidimus. Si Batavi Plinio, Tungri Ammiano & aliis, Germaniæ Ciſrhe-

Menapii per Auguſtum in duas partes ſecti, medio Scaldi.

nanæ populi ſunt; & Menapii tamen à Scaldi Sequanam & Gades verſus, Belgicæ ſtrictè dictæ relinquuntur; planè lineam Auguſtus à Scaldi, ex quo Demeram ſeu Rupelam & Demera Diliam haurit verſus Hannoniæ Namurciſque confinia, per medios ferè patris Julii Menapios ducere debuit: quâ etiamnum Leodienſem ſeu Tungrenſem, & Cameracenſem Nerviorúmve ſacras antiquiſſimáſque Diœceſes disjungi videmus. Atque ita ex unâ Menapiorum gente Julianâ binas effecit: quarum illa quæ in Boream Orientemque Moſam verſus protendirur, TOXANDROS appellavit: ſeu quia jam antè cùm Menapiorum adhuc ſubditi aut clientes eſſent, eo quoque nomine vocarenrur, ſeu quâ alia ratione nobis incompertâ. Inter Batavos tamen certo, nt dixi, ſitu fixos atque Scaldim, inter Demeram item & Moſam cùm in Occaſum ſe flectit, eos deinceps incoluiſſe, ſæpiùs infrâ, circa S. Lamberti præſertim ævum, videbimus. Alteram Menapiorum partem, in occaſum Meridiemque flexam, & ad lævam Scaldis ripam in hodiernâ Flandriâ ſitam, Menapiorum nomen antiquum retinere, & Belgicæ ſtrictiùs ſumptæ accenſeri voluit.

Pars Borealior ad dexteram Scaldis ripam, Toxandri deinceps dicti.

Pars altera Scaldis ſiniſtra, Menapiorum nomē retinuit.

14. Jam itaque ad Belgicæ populos vertatur Narratio. MENAPII igitur iſti Auguſtæi ad Neoportum Flandriæ hodie oppidum maritimum, primóſque Morinorum terminos extendebantur, quod hodiéque eorum ſacra Diœceſis obtinet. Inde MORINI per eamdem maris oram, Iccium Promontorium ſeu *Viſan*, Geſſoriacum ſeu BONONIAM, ad Quantiam ſeu Kantiam Kantiúmve amnem, hodie *Canche*, & Vicum *Eſtaples* oſtio ejus adſitum prætexebantur. A Kantio flumine *Britanni*, Inſulanorum Britannorum parentes; hodiernum fortè pagum *Le Ponthieu*, ſeu Pontivum occupabant ad fluvium Altheiam & fines Ambianorum: qui jam extra Belgium noſtrum hodiernum. INTRORSUS verò, pergit Plinius eodem libro 4. cap. 17 id eſt in Mediterraneis noſtris, verſus Orientem, à Kantiæ præter propter fontibus, ſequebantur, ut & nunc ATREBATES noſtri, uſque ad Scaldis item fontes ejuſque ſuperiora; Cameracum & Valencenas uſque. ita ſcilicet ut intra Valencenas quoque ipſas, Scaldis præterfluens quidquid ad lævam caderet, Atrebatium eſſet; quidquid ad dexteram, Nerviorum: ſicut & hodie in ſacris fit. Excipiebant ad Septentrionem MORINI; inde MENAPII, prout utrique in Mediterranea procurrebant; capite illi Tarua-â; hi Tornaco, ad lævam Scaldis ripam porrecti, quo à NERVIIS etiam in ipſa urbe Tornaco ſejungebantur, Scaldi gentis utriuſque partes propè æquales in urbe uno eodemque muro cinctâ interſecante. quod & ad Oceanum uſque etiamnum in ſacris facere pergit. Adeo ab antiquo fluvius iſte nomine ſuo Teutonico *diviſionem* & ſignificat & facit. Proximi jam ad dexteram Scaldis ripam, etiam in ipſâ urbe Tornacenſi, Orientem verſus, NERVII inibant, inclyta multúmque Julio Cæſari celebrata gens; Hannonii hodie ut plurimum, Aloſtenſes nem. & Bruxellenſes, credo & Mechlinienſes aduſque fluvium jam dictum Demeram, appellati. Gentis univerſæ rum caput BAVACUM NERVIORUM, hodie quoque nomen poſt tot ſecula retinens *BAVAI*: ut Ptolemæus, Itinerarium Antonini, Tabula Peutingeriana clarè ſciſcunt. Sciſcit etiam, ſaltem implicitè, Julius ipſe Cæſar, cùm *ad Sabim in eorum finibus amnem*, nec Bavaco procul, conflixiſſe ſe diſertè ſcribit: tametſi Bavacum non nominet; ſicut neque Tornacum.

15. Nervii porrò, ut & Treviri, an ad Germaniam Ciſrhenanam, an ad Belgicam ſtrictiùs ſumptam, ſub Auguſto attinuerint, altera quæſtio eſſe poteſt. Sanè eos quoque Tacitus, non minùs quàm Treviros, circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitioſos aſſerit: tanquam & ipſi per hanc ſanguinis gloriam, à ſimilitudine & inertiâ Gallorum ſepararentur. Ad hæc intra Scaldim, verſus Rhenum maximè, continebantur; & à Scaldi primùm, Sequanam verſus, Belgicam propriam orditur Plinius. Verùm tametſi eos Germaniæ Inferiori Auguſtus attribuiſſet (quod non puto: cur enim magis quàm Treviros Superiori ſeu Primæ?) poſtmodum tamen, ac ſub Conſtantino maximè, Belgicæ propriæ adjunctos docet eorum temporum hiſtoria, & Romanorum inſuper in Galliis Provinciarum Libellus. Sed neque Germaniam Inferiorem tantopere in Occaſum, ad Scaldis uſque ſuperiora, protruſiſſe videtur Auguſtus, decori amantior; ne Belgicæ ab hac parte limitem inconcinniùs cum Scaldi ſinuaret arcuarètve. Quare jam antè lineam à Demerá fluvio, paulò ſupra Mechliniam, per ipſa Cameracenſium Leodienſiúmve confinia, ad Franciæ uſque hodiernæ limites ducere malui: vetuſtiſſimas Nerviorum Tungrorumque Diœceſes Eccleſiaſticas, quæ etiamnùm eâ parte ferè ſtant, ſecutus. Nam Nerviorum Bavacique Diœceſin ſacram, ad Cameracenſes jam attinere, in tempore demonſtrabo; planè intra dexteram Scaldis ripam Tungrorumque fines Occiduos definitam. Adde, quòd Cameracenſis ſeu Nerviorum Antiſtes nunquam Colonienſi Metropolitano, ſemper Remenſi ſeu Belgicæ Secundæ, aduſque Patrum etiam noſtrorum ætatem ſubfuiſſe legatur. Porrò linea iſta Nervios à Tungris dividens, ad oppidum hodiernum *Reving*, ſeu ad Moſam ducenda; inde adverſo fluminis ejuſdem curſu in *Dun*; mox per Naſium ad Vogeſum montem continuanda eſt, ut ſic Belgicam Secundam à Primâ diſcernat.

An Nervii aliquando ad Germaniam Inferiorem attinuerint?

Non videntur attinuiſſe.

Sed potius ad Belgicam Secundam.

Sub Remēſi Archiepiſc.

16. Nerviorum autem clientes Centrones, Grudii, Levaci, Pleumoſii, atque Gorduni, quibus finibus conſtiterint, quærere, ejuſdem operæ exiſtimo, ac Eburonum, Pæmanorum ſeu Famennorum ſociorumque; hoc eſt ſuperfluæ: quando utrorumque nomina Auguſtus iſtâ Belgarum ordinatione æquè extincta voluit. Certè illorum nulla poſt Auguſtum mentio; quia cum Nerviis confuſi.

17. Ita Belgica ſpeciatim ſumpta, haud paulò minùs quàm mediam Belgicæ latè ſumptæ, & Rheno non Scaldi finitæ partem effecerit. Nam pars Orientalior Rhenoque vicinior Germaniam utramque & Belgas Primos amplectens, non adeo patuerit Quæ etiam an ab Trevirorum Auguſtâ primùm jura petierit; ut & altera Durocortoro Remorum (quando illud *Romanorum Præfectis hoſpitium præbuiſſe* Strabo notat) quæri poteſt. Ammianus quidem de quartâ Galliarum parte Belgicâ loquens, diſertè ſcribit *Superiorem & Inferiorem Germaniam Belgasq́, duæ Juriſdictiones iiſdem rexere temporibus*, nempè priſcis. Quænam duæ iſtæ Juriſdictiones, potiùs quàm Trevirenſis & Remenſis? Jure tamen proprio & municipali tùm regi potuerint eæ Civitates, quas Plinius *liberas* appellat; Nervii, Sueſſiones, Sylvanectes, Leuci. Treviri; & quas *fœderatas* ſubdit,

Lingones

Lingones ac Remi. Cæteræ jure Romano, aut quod Auguſto viſum, uſi fuerint; idque à Romanorum Præfectis acceperint. De quo tamẽ magis cogitandũ.

Octo legiones ad Rhenum hoc tempore.

18. Sed minimè ſileudum, hoc quoque tempore, ſi non antè, binis iſtis cis Rhenum Germaniis, octo legiones ab Auguſto impoſitas; firmum contra Tranſrhenanorum irruptiones, Gallorumque rebelliones Imperii præſidium. Id ipſa neceſſitas; & M. Vinicii de Germanis Tranſrhenanis victoria, anno poſt hunc ſecundo parta; ſimul M. Lollio decem poſthac annis ibidem illata clades evincunt: quâ Quintæ Legionis Aquila, teſte Velleio, amiſſa. Quintam quippe legionem cum alterâ undeviceſimâ vel unâ & viceſimâ, *Veteribus*, hodie aut *Santen* aut *Byrten* ad Rhenum in Cliviâ tetendiſſe, notat Tacitus Annali primo. Duas alias Bonnæ ad Aram Ubiorum (ibi enim Ara Auguſto mortuo poſita) ſtativa habuiſſe, Primam ſcilicet & Viceſimam, ex eodem Tacito ſcimus. Hiſce quaternis in Inferiore Germaniâ legionibus M. Lollium, cùm cæſus eſt, præfuiſſe conſequitur. Quatuor alias in Superiore circa Moguntiam excubaſſe, Secundam, Tertiamdecimam, Quartamdecimam & Sextamdecimam, id eſt, univerſim, præter propter, militum millia 40. monet ibidem Tacitus. Qui proinde Annalis 4. exordio benè notat; Præcipuum militum robur, Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſque ſubſidium, octo legiones erant; Germanis ab irruptione, Gallis à rebellione continendis. Ab iis legionibus magnam Belgarum noſtrorum partem ortam vix dubito.

Viæ militares tunc ductæ.

19. Vias quoque Militares hac ordinatione ſequentibúsve, ab eodem Auguſto, ſicut & paulò antè à M. Agrippa, ac deinceps ab aliis, per Galliam duci cœptas, nullus dubito. Hoc enim anno, priuſquàm ex Italia in Gallias adveniret; vias extra Urbem ipſe aliique reficiendas curaverant. Quantò magis in Galliis, ubi tanto pauciores? Eas etiamnum in Belgica noſtrâ ſuperſtites, & labore herculeo rectiſſimâ procedentes, non ſine admiratione videmus & calcamus; à cujuſvis Gentis capite, ad quodvis aliud ſine ullo deviandi metu ducentes. Bavaco quidem octo emanant: quarum una Coloniam Agrippinam per Tungros; altera per Moſæ ſuperiora propter Dionantum & per Ardennam, Auguſtam uſque Trevirorum: Tertia Durocortorum Remorum: Quarta Auguſtam Veromanduorum: Quinta per Cameracum, lævâ quidem Bapalmas & Samarobrivam Ambianorum, hodie *Amiens*; dexterâ Nemetacum Atrebatum, Taruanam Morinorum & Bononiam ad mare. Sexta Viroviacum hodie Vervik ad Liſam; Caſtellum Morinorum, *Caſſel*; Marcis ad litus Saxonicum, hodie Flandricum, *Mardyck*. Septima Gandavum in Menapios: an & inde ad Oceanum? Octava denique per Enghien, Keyſter, Aſche in Brabantiam, Rheno-Trajectum, hodie Ultrajectum tendebat. Eæ ſcilicet tunc erant illuſtriores Belgii Urbes. Sed de viis iſtis aut earum nonnullis, ab Imperatoribus inſecutis poſtea ſtratis, commodior erit plura dicendi locus.

Maximè Bavacenſes.

20. Atque hæc modò de Gallorum Belgarumque Rep. poſteriore hujus anni ab U.C. 727. antè verum Chriſti natalem viceſimi tertii parte ab Auguſto formatâ, occurrebant. Plura certioraque Livii hiſtoria, ſi tota ſupereſſet, haud dubiè ſuggereret. Solatur utrumque Strabo & alii; quos per otium conſulere poteſt Lector. Nos ad hiſtoriam.

CAPUT XIII.

Auguſti in Britanniam expeditio bis tentata, bis rupta. Ejuſdem de Cantabris & Germanis Tranſrhenanis victoria, eoq; Ianus 2. clauſus. Agrippæ Tiberiiq; Præfectura Gallicana.

Abs Anno U. C. 728 ad 737.

1. BElgicâ ceteriſque Galliis ordinatis, Auguſtus in Hiſpaniam, ipſam quoque ordinaturus, hujus anni exitu tranſiit: Narbone (ut credo) Tarraconem. Hic enim octavum, teſte Suetonio, Conſulatum Statilio Tauro collegâ anno U.C. 728. naſcente, Juliano 20. iniit: & ad annum jam adultum permanſit: Galliis ſemper vicinus; quando Britannicam expeditionem, ex occaſione dilatam magis quàm omiſſam, adhuc animo verſabat. Anno igitur adultiore, *cùm Britanni* (ait Dio lib 53.) *de pacto non convenirent, eam in illos animo reſumpſit*. Verùm novo Salaſſorum in Italiæ Alpibus, Cantabrorum Aſturumque in Hiſpania Borealiore tumultu, rurſus omittere coactus eſt. In Salaſſos Terentium Varronem miſit: Ipſe in Cantabros Aſturéſque nonùm jam M. Silano collegâ Conſul: U. C. 729. Juliano 21. bellum ſuſcepit, quod annos quinque tenuiſſe ſcribit Oroſius; credo illud ab anno U. C. 725. præcipitante inchoans, ut ſuprà, & in ſequentem producens. Hoc autem anno ipſo in ſummis difficultatibus conſtitutus, ex labore curiſque, ait Dio, in morbum lapſus, C. Antiſtium ei bello præfecit: ipſe Tarraconem ſe retulit. Antiſtius in ejus belli adminiſtratione multa præclarè geſſit. non quod artibus Imperatoriis Auguſtum ſuperaret; ſed quòd eo contempto barbari auſi ſunt prælio congredi; idque ſiniſtrum fecerunt. Ita & quædam ipſe cepit; & T. deinde Cariſius Lanciam urbem Aſturiæ maximam deſertam occupavit: multáque alia in poteſtatem redegit. Dio. Quæ eadem fusè Florus & Oroſius. Ita tamen ut in anni quoque ſequentis U.C 730. Conſules Cæſarem 9. & L. Ælium Lamiam producta ſint: Nam iſtis Coss. ita Caſſiodorus, *Aſtures & Cantabri per L. Lamiam perdomiti*, cùm ſuperioris anni Conſulibus eos à Cæſare domari cœptos *cum Germanis & Salaſſis* notaſſet. Et Florus *Hæc per Antiſtium Furnium, Agrippam legatos, hibernans* (Nota) *in Tarraconis maritimis Cæſar accepit. Ipſe præſens hos deduxit montibus, hos obſidibus adſtrinxit, hos ſub coronâ jure belli venumdedit*. Si hibernans Tarracone hæc fecit; ergo in anni U.C. 730. initium bellum hoc extendit. Et Conſulatum ſuum hunc nonum (ſicut & præcedentem octavum) Auguſtus Tarracone quoque iniiſſe, & annuum geſſiſſe, notat Suetonius. Quod & morbus ejus ut anno priore cœptus, ita & hoc continuatus evincit. Sed iſta nobis externa ſunt.

Nova Cæſaris in Britanniam molitio, iterum fruſtra.

Annus U.C. 729. Julian. 21.

Lib 6. c. 21.

Fl. l. 4. c. ult. Oroſ. l. 6. c. 21

Aug. c. 26.

Bellum à Germanis in Belgas geſtum.

2. Magis ad inſtitutum noſtrum eſt, quod apud Caſſiodorum in Chronico legimus; *C. Auguſto Cæſare 8.* (lege 9.) *& M. Silano Coss.* (anno U. C. 729. Iul. 21.) *Cantabros, Germanos, Salaſſos Cæſar perdomuit.*

Germani quippe hi ceu vicini, & Rheno ſolo diſjuncti ex Livio haud dubiè deprompti, Belgicam noſtram ſibi poſitam maximè impetebant: & bellum tunc hujus ætatis longè diuturnum, ſi non & *maximum* (ut 9. ab hinc annis appellat Dio) inchoarunt. Dionem imprimis hoc eodem anno Iul. 21. audire juvat: *Fere hoc ipſo tempore*, inquit, *M. Vinicius Germanos quoſdam ultus eſt: qui homines Romanos regionem ipſorum comercii gratia ingreſſos, obtruncaverant. Ex quâ ipſe victoriâ nomen Imperatoris Auguſto* (8.) *conceſſit, cui & triumphi propter hanc aliasq; eo tum geſtas decreti ſunt, quos recuſavit.* Ecce ut bellum Germanicum etiam hoc anno inchoat Dio, quod annis ab hinc 28. licèt aliquoties interruptum aliquoties reſumptum, vix tandem compoſitum eſt paulò antè Chriſti nativitatem. & *Germanicum* quidem verè illud fuit diciturque, quia omnium pœnè Germanorum in Romanos conjuratione ſuſceptum eſt: à primis tamen belli auctoribus magis *Sicambricum* Horatio dici videtur, qui in Odis ſuis nunquam Germanorum, ſed Sicambrorum duntaxat meminit.

Quod & Sicambricum.

3. Unde rectè Strabo l. 7. init. *Belli initium fecere Sicambri, Melone Duce, Rheno vicini; atque alii poſt alios ſucceſſerunt, potiti imperio; eóque deturbati poſtea: rurſúmque inde deficientes, fide & obſidibus proditis. Adverſus hos plurimùm utilitatis eſt in incredulitate: quibus fides habita eſt, ii plurima damna intulerunt. Ut Cheruſci & eorum ſubditi: apud quos tres Romanæ legiones, cum Duce Quintilio Varo, contra datam fidem, inſidiis circumventa perierunt.* Ecce ut Strabonis ſententiâ belli initium à Sicambris Rheno vicinis, & Coloniæ Cliviæque hodiernæ oppoſitis ortum eſt. Mox Cheruſcorum quoque ſocietate ad Varianam uſque cladem per annos ſupra triginta propagatum. Addunt & alias gentes Germanicas idem Strabo, Florus, Oroſius, Epitomæque Livianæ. Strabo quidem dum ibidem, ſed paulò antè, ſcribit: *Aliæ minores Germanorum ſunt gentes, Cheruſci, Catti, Gamabrivii, & Chattuarii*: Mediterranei. *Ad Oceanum autem Sicambri, Chaubi, Bructeri, Cimbri, Cauci, Caulci, Campſiani, & aliæ plures* Mox. *Innotuere iſtæ gentes, cum bellum contra Romanos gererent; deinde concederent; poſt vel rurſum deficerent, vel ſuas habitationes desererent.* Scilicet aliò ab Auguſto tranſlatæ, vel ultrò tranſmigrantes. Sic enim paulò antè tradit, cùm ait: *Hujus partis populos Romani in Galliam traduxerunt*: nempè Sicambros ac Suevos ceteris inquietiores & infeſtiores: *reliqui migraverunt in penitiores Germaniæ partes, ut Marſi. Sed & Sicambrorum exigua reſtat portio.* Iſta omnia & plura Strabo, quæ nos infrà ſuis annis exequemur; nempè in annos facile 34. producta; ſæpè ſpecie pacis intermiſſa, ſæpè eâ ruptâ perfidè reſumpta, obſidibus etiam proditis. Nec eo toto ſpatio diutiùs unquam conſtantiuſque, quam tempore Nativitatis Chriſti quieverunt. Ut ibi dicam.

Adjunctis tamen aliis etiam gentibus vicinis.

4. Cæterum primâ hac de illis M. Vinicii victoriâ, Cantabricæ, aliiſque pluribus, puta de Salaſſis, de Dacis ſeu Getis, Sarmatiſque adjunctâ, *Triumphi Auguſto* (ut dicere cœperam, ex Dione) *decreti ſunt. Quos cum recuſaſſet, arcus triumphalis cum tropbæo in Alpibus ei poſitus eſt. Dataq; poteſtas omnibus Kalendis Januariis corona & veſtis triumphalis geſtandæ. Et Auguſtus quidem iſtis bellis ea geſtis; ſimul Iani Templum, quod propter hæc bella fuerat reſeratum, clauſit.* Ita Dio, etiam Germanico huic Vinicii bello Iani & reſerationem, & iteratam clauſuram rectè attribuens; meliùs quàm Oroſius, qui Cantabrico ſoli tribuit: *Cantabrica victoria* (inquit) *hunc honorem Cæſar detulit* (addo ego & Germanicæ) *ut tùc quoq; belli portas clauſtro cohiberi juberet. Ita tunc ſecundò per Cæſarem, quartò poſt Urbem conditam clauſus eſt Ianus.* Et mox: *Cantabrico bello per quinque annos acto, totaq; Hiſpaniâ in æternam pacem cum quadam reſpiratione laſſitudinis reclinatâ ac repoſitâ, Cæſar Romam rediit.* Nempè anno U. C. 730. jam adultiore. Unde videndum an Auguſtus ſequentis anni 731. Kalendis Ianuariis, cùm decimum Cn. Piſone collegâ iniit conſulatum, Ianum ſecundò clauſerit. Nam Conſules id facere plerumque ſolitos ex Annalibus haurimus; ſaltem innuit Virgilius libro 7. v. 613.

Ianus inde ſecundò clauſus.

5. Cæterum quod dicere cœperam, reſumptam ab Auguſto in Britannos expeditionem, rebelles Cantabros ac Salaſſos, iterum impediviſſe; in poſterum ab eodem Auguſto Romaniſque neglectam, docet Strabo: *Britanniam* (inquit) *Romani cùm occupare poſſent, ſpreverunt. Nullo ſcilicet ab iis metu, quando virium non tantum iis meſt, ut in noſtras ditiones* (puta Belgicam maximè vicinam) *impreſſionem faciant: ſed neque tantâ utilitate, ſi occuparent. Videtur enim nunc plus percipi ex vectigalibus, quàm tributum pendere poſſet: ſi, quod in militem præſidio Inſulæ futurum, & ſtipendia exactiorum ſumptus neceſſarius eſt, detrahitur. Multumque videbatur incommodi ab aliis gentibus Inſulam circumjacentibus oblatum iri.* Ita Strabo. Qui & libro 4. pacem quibuſdam Britannorum Regulis ac commerciorum facultatem indultam addit: *Noſtra ætate, Regulorum quidam Britannicorum* (Belgicæ ſcilicet Galliæque viciniores) *legationibus & officiis Auguſti Cæſaris amicitiam conſecuti, donaria in Capitolio dedicarunt. Familiarémque Romanis totam penè Inſulam redegerunt. Et ex iis rebus, quæ a Galliâ* (maximè Belgicâ) *ultro citróque vehuntur, vectigalia jam tolerant non gravia. Ea autem ea ſunt, eburnea fræna, torques, electrina atque vitrea vaſa, aliaq; id genus viles ac promiſcua merces. Ita nullo ad tam Inſulam opus eſt præſidio. Una enim ad minimum legio requireretur, & equitatûs aliquid, ſi tributa inde eſſent auferenda. Sicque tributum æquarent ſumptus in præſidium faciendi. Neceſſariò enim vectigalia, tributo ſemel impoſito, minuerentur; & vi factâ, aliquid impendéret periculorum* Hactenus Strabo. Ex quo intelligimus Auguſtum, ſicut & eo mortuo Tiberium, ſola cum Britannis pace commercioque qualicumque contentum, nihil deinceps de Britannia moviſſe; imò *conſilium* id vocaſſe *coërcendi intra terminos Imperii*, ait Tacitus annali 4. nempè intra Oceanum, Rhenum, Danubium, Euphratem, & Atlantem. Ne ſcilicet tanquam nimiæ molis navigium regi flective nequiret.

Auguſtus Britanicam expeditionem neglexit ceu inutilem. Lib. 2.

6. Ob hanc tamen qualemcumque pacem Britanniæ conceſſam, opinor ab Horatio Poetâ, libro 3. Ode quintâ ita cani.

Licèt Horatius Britannorum Imperio adjunctos canat.

Cælo tonantem credidimus Iovem
Regnare. Præſens Divus habebitur
Auguſtus, adjectis Britannis
Imperio, gravibúsque Perſis.

Nam Perſas quidem eorumque Regem Phraatem, pacis leges, anno U. C. 734. id eſt annis ante hunc tribus ab Auguſto, quando eum cum Tiridate rebelli compoſuit, accepiſſe, Caſſiodorus in Chronico tradit. Eóque Odem hanc ab Horatio expreſſam veriſimile eſt, occaſione maximè Britanniæ pacatæ. Nec aliam Britannorum ad Romanos adjectionem, Horatio quidem ſuperſtite, præter hanc invenias. Imò tenuit ea Britanniæ conditio toto

quoque

quoque Tiberii Imperio: nec ulla ullius Imperatoris in eam Inſulam expeditio legitur, ante inſanam illam ridiculamque Caligulæ; de quâ infrà ſuo anno. Ceterum duabus hiſce Auguſti expeditionibus, in Sicambros ad Rhenum unâ per Vinicium; in Britanniam per ſe alterâ, notet mecum Lector, Belgium noſtrum ab ortu, à Septentrione, ab occaſu, non parvâ deprædatione ſuccuſſum.

Annus U. C. 735. Julian. 27.

M. Agrippa Galliis iterū Præfectus.

Dio l. 54.

7. Anno inde U. C. 735. Iuliano 27. Sentio Saturnino, & Lucretio, tum M. Vinicio Germanorum nuper victore ſuffecto Coss. Auguſtus è Syria Orienteque tunc etiam ordinato reverſus, *M. Agrippam* ſuum jam ductâ Iulia filia, Marcelli paulò antè mortui viduâ, generum, *e Præfecto Vrbis Galliis rurſum adminiſtrandis immiſit*: ait Dio. *Tumultuabantur enim invicem Galli, & à Keltis* (ſeu Tranſrhenanis Germanis) *infeſtabantur. Iis motibus ſedatis, in Hiſpaniam adverſus deficientes Cantabros tranſiit.* Ita Dio res Gallicas perſtringens dumtaxat, credo, quia non tanti tum momenti. In Belgica tamen noſtrâ & ad Rhenum hæc geſta, *Kelta* qui ei tranſrhenani ſemper ſunt, abs Agrippâ tranquillati, ſignificant, quia Belgis oppoſiti. Nec ſatis ſcio an nunc primùm Ubios, longiore jam experimento fideles cognitos, cis Rhenum ita cupientes admiſerit; & oppidum eo loco inchoare juſſerit, quod poſtea Agrippina Neronis mater, ipſius Agrippæ proneptis, Agrippinam de ſuo nomine Coloniâ eo deductâ vocavit, & ut natale ſolum vehementer auxit. Ut ut ſit, Ubios Agrippa hoc anno, ſeu jam ante tranſvectos, ſeu adhuc tranſrhenanos, cis amnem primùm adductos, ſaltem contra tranſrhenanos ſemper iis infeſtos tutatus fuerit, & pace donaverit, ſimul Gallos inter ſe tumultuantes compoſuerit. Hocque ipſo anno Virgilius Cæſari ex oriente revertenti occurrens, Brundiſii 22. Septembris morte immaturâ abſumptus eſt, C. Sentio Saturnino & Lucretio Veſpillone Conſulibus: quibus etiam B. Virginem Deiparam, diebus antè quindecim, in lucem editam, Chronologia noſtra ſciſcit; ut Poetæ ſcilicet Principis ac Virginis jacturam, ortu ſuo tam optato Virginum Regina magno fœnore penſaret; quando & Agrippa ipſe (ne quid Virginum concurſui deeſſet) *Aquam Virginem in Vrbem induxit*: longè aliam aquam ſalientem in vitam æternam, matrem inquam Virginem, Deo Patre non in Urbem dumtaxat, ſed in totum etiam orbem, longè felicius longè fructuoſius inducente.

Virgilii mors.

Deiparæ Virginis Nativitas.

8. Poſt Agrippam in Hiſpaniam Cantabroſque rebelles tranſgreſſum, *Tiberius* poſtea Imperator, annorum ferè viginti quatuor, *Comatam Galliam* (id eſt totam, exceptâ Narbonenſi, quæ Braccata dicebatur) *anno fere* uno *rexit*: V. C. partim 736. partim 737. Iuliano 28. & 29. *& Barbarorum incurſionibus, & Principum diſcordiâ inquietam*, ait Suetonius Tib. c. 9. id eſt eodem planè ſtatu quo Agrippa paulò ante rexerat, & *a tumultuantibus invicem Gallis, & à Germanis infeſtatam.* Prorſus ut ſuſpicio prona ſit, Tiberium Agrippæ primùm in Gallias advenienti comitem, deinde in Cantabros tranſeunti, etiam ſucceſſorem datum. Nam prætorios ei honores, poſtridiè ſui in Urbem è Syriâ reditus (qui in 12. Octobris diem, & annum Julianum 27. incurrerat) conceſſerat Auguſtus, teſte Dione lib. 54. paulò ante quàm Agrippam Galliis immitteret. Puto etiam illum in Belgica ad Rhenum contra *Barbaros*, id eſt Tranſrhenanos cis Rhenum incurrentes, egiſſe; præſertim cùm mox etiam proximus ejus ſucceſſor Lollius, à Sicambris, Ubiorum novæ cis Rhenum habitationi oppoſitis, aliiſque finitimis Uſipiis ac Tenchteris, anno ſequenti tantùm non oppreſſus ſit, amiſſa Quintæ Legionis Aquilâ; quæ juxta Vetera (hodie vel *Santen* vel *Fyrten* in Clivia) cum alterâ undevicesimâ ſtativa de more habebat. Unde hos omnes barbaros Tranſrhenanos, & quos M. Vinucius vicit, & quos Agrippa Tiberiuſque tantiſper pacavit, non alios quàm Sicambros iſtos, Uſipetas, atque Teuchteros exiſtimo, quorum ſedes caput ſequens docebit.

Tiberius Nero Galliis Præfectus.

CAPUT XIV.

Ejuſdem belli Germanici ſive Sicambrici continuatio. Lolliana clades. Colonia in Gallias ab Auguſto deducta. Cenſus.

Ab anno Iuliano 30. ad 33.

Annus U. C. 738. Julian. 30.

Ex Suetonio Ner. c. 4. 5.

1. ANNO ab U. C. Varroniano 738. ex quo autem faſtos Julius Cæſar correxerat, ſeu anno Juliano 30. Conſulatum inierunt L. Domitius Ænobarbus, & P. Cornelius Scipio. Uterque ut genere perilluſtres, ita & affinitate Auguſto conjuncti. Domitius quidem Antoniæ majoris, ex M. Antonio triumviro & Octavia Auguſti ſorore genitæ, jam ferè biennio maritus, & inde Neronis poſthàc Imperatoris avus. Scipio Iuliæ Auguſti è Scribonia filiæ, frater uterinus, licet ejuſdem poſtea adulter inceſtus. Iſtis Coss. Auguſtus in Galliam iterum ab Actiaco bello venit, bella inibi conturbata obtendens; licèt nonnulli ob Terentiam Mœcenatis uxorem diſcedere ſuſpicarentur, quâ ſine aliquo vulgi ſermone Romæ frui non poterat. Eam certè ſecum abduxit; ut & Tiberium privignum tametſi tunc Prætorem; Druſo ejus fratre qui Prætoris vicem gereret, Liviâ ejuſdem matre, eademque uxore ſuâ, Romæ relictis. Ut & Statilio Tauro Urbis & Italiæ gubernatore ſeu Præfecto.

Auguſtus Româ in Galliam & Belgium venit. *Dio l. 54.*

2. Bella autem Auguſto tum obtenta varia fuerunt. *Camuni & Venones gentes Alpinæ, arma contra Romanos ſumpſère: victiq; a P. Silio & ſubacti ſunt. Pannonii cum Noricis in Hiſtriam incurſiones fecerunt; & à Silio ejuſq; legatis, incommodis affecti pacem rurſus acceperunt. Sed Norici cauſam ſervitutis præbuerunt. Qui in Dalmatia & Hiſpania tumultus extiterant, parvo negotio ſedati ſunt. Macedoniam Dentheleta & Scordiſci infeſtavere. In Thraciâ Marcellus Claudius* (ſic enim cum Pighio lego) *Rhymetalci, filiorum Cotyis tutori ac patruo auxilium ferens, Beſſos domuit. Poſt verò Lucius Caius eâdem de cauſâ contra Sauromatas bellum gerens, victos trans Iſtrum repulit.*

Bella tum varia.

3. *Ceterum maximum ea tempeſtate bellum, quod ipſum adeo Auguſtum Vrbe extraxit, contra Celtas* ſeu Germanos Tranſrhenanos *fuit. Sicambri, Vſipetæ, & Tenchteri, primùm quidem* τὸ μὲν πρῶτον, (ſeu jam antè) *Romanorum quoſdam in territorio ſuo deprehenſos in crucem egerant. Poſtmodum verò Rheno tranſmiſſo, ex Germania* (nempè Ciſrhenanâ ſeu Belgica, eaque quantum diſpicio, Inferiore, utpote ſibi oppoſitâ)

Sed maximum ejus ævi Sicambricum

Sicambri in Belgicam ſeu Germaniam Belgicam irrumpunt, & prædantur

Legiones Rhenanas, ſaltē Quintam, cædunt ad Vetera ſeu Byrten.

imò & ex Galliâ prædas egerant. Mox equitatum Romanorum contra ſe miſſum per inſidias circumvenerant. Et à fugientibus uſque ad Lollium Præfectum præter opinionem ſuam pertracti, hunc quoque vicerant. Huc uſq; Dio.] Nec equitatum dumtaxat Romanum fuderant, ſed & legiones, ſaltem *Quintam* malè ab iis exceptam ſcribit Velleius: *Accepta*, inquit, *in Germaniâ*, utique

Quæ tunc ſub Lollio Præfecto

Ciſrhenanâ, *clades ſub Legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quàm rectè faciendi cupidiore, & inter vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimo. amiſſaque legionis Quintæ Aquila vocavit ab Vrbe in Gallias Cæſarem.* Quintam iſtam legionem (cum alterâ una & viceſimâ) ſub exceſſum Auguſti in Secundâ, ſeu Inferiore Germaniâ Belgicâ, apud Vetera hodie *Santen* in Cliviâ Ciſrhenanâ, ſeu ut aliis ex nominis affinitate placet, apud *Byrten* haud inde procul, ſtativa habuiſſe teſtatur non Tacitus ſolùm Annali 1. ſed & Tegulæ hoc noſtro ævo apud *Vetera* effoſſæ vetus inſcriptio, LEG. V. Sanè è Veterum ſeu Byrtæ regione in altera trans Rhenum ripa Uſipetas incoluiſſe, mox oſtendam. Peditem ergo Romanum nec tantùm equitem, malè tunc exceperunt Tranſrhenani iſti; eóque *Galliam ipſam*, addit Dio, id eſt, quantum ego

Belgium noſtrum vaſtant.

quidem video, Belgicæ noſtræ interiora, puta Nervios Atrebates & vicinos deprædati fuerant; adeóque prædæ cupiditate, & Romanorum fuga *ad Lollium uſque Præfectum*, id eſt, Inferioris Germaniæ *Legatum*, ſeu Bavaci ſeu Tungris, ſeu Treviris aut alia vicinâ urbe degentem, *præter opinionem pertracti fuerant.* Cladem tamen tantam non fuiſſe docet Suetonius, cum de Auguſto ſcribit: *Graves ignominias cladéſque duas omnino, nec alibi quàm in Germaniâ accepit, Lollianam & Varianam; ſed Lollianam majoris infamiæ quàm detrimenti.* Imò Euſebius in Chronico, an Hieronymus, hoc tempore, *Germanos, ait, in arma verſos M. Lollium ſuperat.* errore credo; Dionis certè, Sue-

Aug. c. 23.

tonii Velleiique ſcriptis contrario; quod & Scaliger mecum ſentit: licèt Pontacus utrumque diverſis præliis accidere potuiſſe ſuſpicetur. Sanè Obſequens de prodigiis, quæ ex Livio ad verbum deprompſit; *Inſidiis Germanorum Romanos circumventos, & ſub M. Lollio graviter vexatos*, diſertè ſcribit. quod & Auguſti nova in Galliam ex ea cauſa profectio, tam à Dione quàm Velleio clarè notata, validè confirmat.

Jani fores hoc tempore reclusæ.

4. Quin & planè convincit Janus hoc ferè tempore ſecundùm ab Auguſto recluſus. Quinto namque poſt hunc anno, Juliano 36. Julo Antonio & Q. Fabio Coſs. decretum fuiſſe ſcribit Dio, *ut Janus clauderetur.* Ergo iterum à bello Cantabrico patefactus: Nec majus iſto Germanico bellum aliud, quo pandi potuerit, facilè reperies. Et quis non credat Auguſtum hoc eodem bello æquè Jani fores aperire, quàm Româ in Gallias evocari avellíque debuiſſe? An majus Cantabricum; cui teſte Oroſio, hunc honorem ille detulit, ut & exorto Janum panderet, & patrato ſecundùm occluderet? An alia Cantabrico tunc concurrentia bella, iſtis aliis hoc identidem anno concurrentibus minus æſtimanda?

Sicambri 20 Cēturiones Romanos ad ſe ingreſſos crucifixerant.

Dio l. 53.

5. Imò Germanicum hoc ego quidem non aliud exiſtimo, quàm quod 20. e annos novem cum Cantabrico cōcurrit; ut ibi narravi; quodque à M. Vinicio geri cœptum, mox intermiſſum ac reſumptum hucuſque perduxaverit. An autem cauſa belli, quâ Germanos ſcribit Dio, Romanorum quoſdam regionem ſuam ingreſſos obtruncaſſe, hic etiam particularius *in crucem egiſſe*, aut ut Acron in Odē Horatii lib. 4. 2. crucibus defixiſſe notat; una eademque ſit, non definio. nec multum intereſt. Utcumque fuerit, Acron certè (ex Livio ut opinor) id *Sicambris* ſpeciatim tribuit (ut hic Dio.) additque Romanos illos, fuiſſe *Centuriones*, & quidem numero (juxta Florum, ex eodem Livio) viginti; *qui ad ſtipendia* colligenda in Sicambros *miſſi erant*: planè ad Velleium hic, dum non otioſè notat, Lollium pecuniæ, quàm rectè faciendi cupidiorem. à quo ſcilicet, ceu rapace Harpyiâ, Centuriones iſti pecuniæ; ſtipendiorum nomine, extorquendæ causâ, in Sicambros immiſſi: unde & bellum intermiſſum, acriùs hîc inſtauratum. Suffragatur his omnibus hoc tempore ſcribens, eóque omni exceptione dignior Strabo; *Belli*, nempe

Str. l. 7. init.

Germanici, ſeu Tranſrhenani, *initium fecere Sicambri, Rheno vicini, Melone Duce*, annis nimirum ante hunc ferè novem, tunc a M. Vinicio repreſſi. Rurſum ſub Agrippa Tiberióque, & ſub Lollio denique modò, ex illius rapacitate rebellantes. *Melone enim*, pergit Strabo, *alii poſt alios ſucceſſere, potiti imperio, eóque deturbati poſtea. Rurſumq́ue inde deficientes, fide & obſidibus proditis. Adverſus hos plurimum utilitatis eſt in incredulitate. quibus fides habita eſt, ii maxima damna intulerunt*, &c. Ita Strabo.] Ex quo vides non

Sicambri perfidi. quorum Dux hoc bello, aut Bætorius Melonis frater, aut Theudorix Bætorii filius.

aliud à Germanicis prioribus hoc eſſe bellum, quibus & initium dederint Sicambri; unde & Sicambricum dici poteſt: & alii poſt alios imperio ſuccedentes continuaverint, ſæpè novo fœdere intermiſerint, ſæpiùs obſidibus ſuis etiam proditis inſtaurarint. Quare nihil mirum ſi & hac vice Auguſtum Urbe extraxerint & ille ultionis tam juſtæ deſiderio, ſecundam hanc in Gallias expeditionem ſuſceperit: & ut feriò poſt tot perfidias agere videretur, Jani fores paulò ante obſeratas, iterato hoc non minus quàm priore in Gallias adventu, recluſerit.

6. Porro Sicambris tanti belli primis auctoribus, Uſipetas atque Tenctheros jungit hic Dio. quod & prioribus rebellionibus accidiſſe, licèt ille Straboque taceant, exiſtimo. Quod ut meliùs intelligamus,

Eorum trās Rhenum ſitus.

eorum omnium ſitus primò detegendus. SICAMBROS Horatii Propertiique verſibus hoc tempore celebratos, Strabo paulò ante *Rheno vicinos* dicit. & ſuperiùs addiderat, *ad Oceanum pertinere.* quod poſterius, tametſi paulò largiùs dictum, tamen ad inferiores Rheni partes pertinere ſignificat. Ad hæc annis proximè ſequentibus è Dione videbimus, Lupiam amnem per Sicambrorum fines volvi. Is hodiéque nomen retinet, vulgo *Lippe* dictus, & propè *Paderbornam* in Weſtphalia oritur. Lupiæ ad Meridiem duo alii amnes propè paralleli fluunt, *Roer*, & *Sieg*. Ad Ruram, ubi minorem fluvium

A fluvio Sieg nadicti.

Leunam haurit, oppidum adhuc ſupereſt, antiquam Sicambrorum vocem prodens, *Sigbourg*. Siga quoque ſuo ſe nomine prodit, ortus non procul a Dillenbourg, Naſſovicæ ditionis oppido, è regione Bonnæ Rheno mixtus. Ad hunc jacent ejuſdem ferè nominis ac ditionis oppida duo; *Sigen* fluvii fontibus propius; & paulò infra *Sigbourg*, Benedictino Cœnobio percelebre. Sicambros igitur ea regione ſitos, & *à Sieg* fluvio maximè dictos vix dubito. cujus diphthongum *ie* vel *ee*, cum Latini Græcique non ſatis exprimerēt, ejus accolas modo per *i* ſimplex, modo per ὔψιλον *y*: modo per *e*. modo per *g*. extulerunt, Sicambros, Sygambros & Sugābros. Ita eorum fines ab occaſu quidem primò Rhenus clauſerit: à Meridiè ferè totus fluvii *Sieg* decurſus ab Ubiis adhuc Tranſrhenanis, aut ab iis qui illorum

poſtea

poſtea locum occupavere, diſtinxerit, à Septentrione lineâ à Rheni divortio ad Lunam, Markenſis Comitatus oppidum, Lupiæ adſitum, indéque ad ejus fontes ductâ; ab Oriente denique lineâ ab Lupiæ fontibus ad Sigæ originem reductâ. Quibus terminis hodie concluduntur Bergenſis Markenſiſque ditiones integræ, Clivienſis pars Orientalior ad dexteram exterioremque Rheni ripam; Weſtphaliæ ſeu Angariæ Ducatus ad Archiepiſcopum Colonienſem pertinens; denique Paderbornenſis Epiſcopatus Occidentalis. Quamquam ii limites, ut inter Barbaros, ſeſe mutuò ſemper impetentes, variari potuerint.

Tenchteri & Uſipii Sicambris adjuncti.

7. Tenchteros & Uſipetas narrat Cæſar, agris tum ſuis à Suevis expulſos Rheno trajecto in Belgicam noſtram irrupiſſe, Pompeio & Craſſo iterum Coss. anno antè hunc 30. Julianum ferè quadrageſimo: iiſque à ſe victis, paucos qui prælio non interfuerant, trans flumen ad fines Sicambrorum ſe recepiſſe, & cum iis ita ſe junxiſſe, ut ne victori quidem Cæſari eos repetenti tradere voluerint. Quod idem narrans in Cæſare Plutarchus, *Paucos*, ait, *Rhenum tranſgreſſos rurſum recepêre Sicambri.* quomodo rurſum? Nempè antequam Rheno trajecto in Belgicam irrumperent, aliquamdiu cum Sicambris egerant; ſed prægravante multitudine novas in Belgicâ ſedes quæſierant. Ubi à Cæſare cæſi, pauci ſuperſtites eò libentiùs à Sicambris recepti, quò neque graves in poſterum, & oportunum in Suevos auxilium futuri eſſent. Ergo in conſortium admiſſi. Uſipetæ quidem eam Sicambricæ regionis partem nacti, quæ circa Lupiæ Rhenique inferiora porrigitur: paulò altiora ejuſdem Rheni verſus Auſtrum, Tenchteri. ut ſequentia ex Dione maximè docebunt. Ita tres hæ gentes ſimul junctæ, annorum via 40. intervallo, mirum quantum adoleverint, quantum fiduciæ petulantiæque induerint: tametſi terræ tractum non patentiorem incoluerint, quàm qui à flumine Sigo ad Rheni divortium intercipitur. Ex adverſo Colonienſis Epiſcopatus, Clivienſiſque Ducatus cis Rhenum hodierni; ab Ubiorum Arâ ſeu Bonnâ, ad Cliviam oppidum Schinkijve munimentum. Nihil ergo mirum, ſi illas in hoc Germanico Sicambricove bello Dio conjungat; ſine quibus ſcilicet Rhenum tranſgredi, & in Germaniam Inferiorem, Galliámque Belgicam irrumpere nequiverint: Strabo contrà Sicambros ſolos memoret, quibus Uſipii Tenchterique clientes obnoxii, & velut appendices eſſent.

Chattorum trans Rhenum ſitus.

8. Poſt Sicambros in Orientem à fluviorum Lupiæ, Adranæ, Sigæque fontibus ad Albim uſque, Chatti, ſive Chaſſi Háſſive hodierni, Thuringique latè porrigebantur; iidem à Meridie Suevis, maximè Marcomannis contigui, ad Mœnum amnem ferè tum porrectis, & Franconiam hodiernam incolentibus, Harudum Seduſiorumque itidem Suevorum, verſus Dannubii fontes ac ſuperiora ſociis. A Septentrione verò Chattorum latus claudebant eâdem ſerie, ad Albim item uſque Cheruſci, quos *Brunſuicenſes* ac *Luneburgenſes* hodie ferè nuncupamus; tum ad Oceanum uſque Chauci, medio ferè Viſurgi inferiore diſſecti, & ipſi Albim ab æſtivo Solis ortu contingentes, ab occaſu amnis Amiſiæ oſtiis concluſi: ultra quem minores aliæ Germanorum gentes, Amſivarii ab Amiſia ipſo nomen ſortiti, Angrivarii, Chamavi, Tubantes, Bructeri, Friſuque ad Rhenum uſque ſternebantur. Is tum

Cheruſcorũ item, Cauchorum &c.

ferè erat tranſrhenanorum ſitus, quos & Strabo per hæc ferè tempora ſcribens Romanis innotuiſſe tradit. Horum aliquam cum Sicambris tum contra Romanos conſpiraverint, non ſatis eruo: paulò poſt certè Suevos, ſpeciatimque Marcomannos, Chattos, Cheruſcos, Caucos, Friſios, aliosque à Druſo impetitos victosque, ex Livianis Epitomis, ex Floro, Dione, Oroſio, & aliis audiemus. Ut mirum videri non debeat, ſi propter tam multiplex intricatumque bellum, Jani tum fores ab Auguſto in Gallias adverſus eos tendente ſecundò recluſas, & toto belli hujus Germanici, quod geſſit Druſus, tempore apertas aſſeramus.

Hoc bellum à Sicambris cœptũ. ſub Francorum nomine ad Imperii finem ſtetit.

9. Plus etiam dico. Sicambri hi, ſeu Germani, quos bellum Romanis ſemel illatum ſæpè interrupiſſe, ſæpè reſumpſiſſe notat Strabo; eamdem deinceps conſuetudinem per annos ſupra quadringentos ſub variis variorum populorum nominibus, pertinaciſſimè tenuere: donec novo communique FRANCORUM aſſumpto, ſedes denique firmas in Galliâ primùm Bêlgicâ Rheno rupto, mox etiam Celticâ ſeu armis ſeu ex pacto fixerunt. ut in tempore reddam. Quod hìc præmoneo, ut ſecuturas Belgarum hiſtorias hoc bello tam contumaci maximè pertexendas præſciat Lector. Quod à nemine hactenus præmonitum, fortè nec animadverſum, ſæpè mirari ſubiit.

Auguſtus Sicambris pacem dat

Dio l. 54.

10. Jam pergat narratio. *Auguſtus igitur expeditionem adverſus Sicambros cum ſuſcepiſſet* (pergit Dio) *bellum nullum gerendum habuit. Barbari enim cùm Lollium arma parare, Auguſtum exercitum adducere audirent, in ſuam terram regreſſi, obſidibus datis pacem acceperunt.*] Sed non diuturnam, vixque triennalem; vix ad Auguſti è Galliâ in Vrbem receſſum. adeo verè dixit Strabo, *illos jam contra Romanos bellum geſſiſſe, deinde conceſſiſſe, mox rurſum defeciſſe, obſidibus etiam proditis*, quos hìc dediſſe ſcribit cum Strabone Dio. ſubditque: *Itaque Auguſtus cùm nihil armis ad id bellum opus haberet; reliquis rebus in Galliâ conſtituendis, hunc & poſteriorem proximè annum, quo M. Druſus Libo & L. Calpurnius Piſo Conſules fuerunt*, quóque Rhæti ac Vindelici à Druſo Tiberioque domiti ſunt, *abſumpſit.* Ac ſi quæ eorum, quæ priore ſuo in Gallias ante decennium adventu ordinaverat, nondum completa eſſent, aut uſus emendanda ſuaderet, ea ſeu perfecit, ſeu correxit. Octo ad Rhenum legiones, commune in Gallos Germanosque præſidium, ab ejus ad oſtia uſque fontibus ſi jam antè quidem diſpoſuerat, ut puto, longè ordinatiùs tutiùsque diſpoſuit. Similiter ad Danubium à Rhætiâ jam victâ aduſque Pontum Euxinum.

& res Gallicas ordinat.

ANNUS U. C. 739. Julian. 31.

Licinius Galliæ Procurator multa movet.

11. *Multa adhuc Germani* Græcè Κελτοί, ſeu Tranſrhenani (quod benè notandum, ſtatim ſubdit Dio ſuprà) ſive Sicambri ipſi tantopere perfidi, ſive eorum exemplo alii *movebant. Multa Licinius Galliæ procurator turbabat. Idq. videtur mihi potiſſimum cetus ille præmonuiſſe, qui viginti pedes latus, ſexaginta longus; ac præter caput cætera mulieri ſimilis, in terram ex Oceano* (utique Belgico) *proſilierat.* LICINIVS *origine Gallus erat; captúſque à Romanis Julii Cæſaris ſervus fuerat. Et ab eo quidem manumiſſus, ab Auguſto autem Galliæ Procurator conſtitutus eſt. Is cum avaritiâ barbaricâ Majeſtatem Romanam uſurpans, omne id quod ſibi præferretur evertebat: quod in præſenti vires haberet, opprimebat. Multas ex officio ſibi injuncto pecunias exigebat, multas ſibi ſuisq; conficiebat. Iámque eo malitiæ pervenerat, ut quoniam ſingulis menſibus collationes qua-*

dam

dam à Gallis pendebantur, quatuordecim anni menſes conſtitueret. Decembrem menſem vere decimum dictitans. Itaque duos alios Auguſti menſes, undecimum & duodecimum a ſe vocatos eſſe, pecuniamque in competentem Gallis conferendam. Has ob fraudes in periculum venit *Licinius. Galli enim Auguſtum nacti, tam graves detulere querelas, ut partim eis indignaretur, partim Licinium excuſaret: quædam ſe ignorare diceret, quædam ſe non credere ſimularet; nonnulla etiam occultaret; verecundia affectus, quod tali uſus eſſet Procuratore. Verùm alio Licinius uſus artificio, eos omnes inſigniter eluſit. Cum enim Auguſtum ſibi videret infenſum, pœnas ſe daturum intelligeret; in ædes eum ſuas adduxit, multiſq; argenti & auri theſauris, multis aliis rebus acervatim contributis, ei demonſtrans: Hæc,* inquit, *Domine, data operâ tibi Romaniſque collegi, ne indigenæ tantâ vi pecuniæ deficerent; Itaque omnia & ſervavi tibi, & nunc do. Ita Licinius quaſi vires Gallorum in Auguſti gratiam enervaſſet, diſcrimen evaſit.* Iſta Dio.

12. Quibus Gallorum per ea tempora, & in iis Belgarum noſtrorum ſtatum & oppreſſionem videre licet. Gallia, ut perampla ſic & dives ſemper habita, ſupra quindecim auri milliones annuatim Auguſto pependiſſe creditur: adjunctâ jam binorum iſtorum menſium Licinianorum tot jam annos manſiſâ, quantam inde pecuniæ vim emanaſſe neceſſe eſt? Sanè Seneca in ſuo de morte Claudii Cæſaris ludo, *Licinium hunc Lugduni multos annos regnaſſe*, ſeu Regis aut tyranni inſtar Procuratorem diutiùs egiſſe, huc planè alludens, teſtatur. & Suetonius
Suet. Aug. c. 67.
Auguſtum multos libertorum ſuorum in honore & uſu maximo habuiſſe, ut Licinium Enceladum aliósque conſentit. Joſephus Judæus originum lib. 17. c. 14. *Celadum* vocat, Alexandro Herodis Infanticidæ ex Mariamne filio familiarem, eóque ad Pſeudo Alexandrum detegendum ab Auguſto ſubmiſſum notat, aliis tamen nihilo in dignoſcendo ſagaciorem. Quod tredecim poſt hunc annis accidit. Ego hac accuſatione Licinio Procuratione iſtam abrogatâ exiſtimo, Belgiúmque noſtrû cum ceterâ Galliâ ab hujus Harpyiæ fœda rapacitate pro tempore liberatum.

Annus U. C. 739. Julian. 31.
13. Ita totum hunc annum U. C. 739. Julianum 31. in Galliis abſumpſit Cæſar: dum Rhæti qui per Alpes Tridentinas irruperant, a Druſo primum mox etiam à Tiberio, quem è Galliis quoque (quas illi adhuc urgere pergebant) ſubmiſerat Auguſtus, unicâ hac æſtate debellantur. Quo ipſo tempore
Multas Auguſtus in Italiam Hiſpaniamque Colonias duxit.
multas Auguſtus (addit Dio) *in Galliam, multas in Hiſpaniam Colonias deduxit.* E quibus tamen ne unam quidem nominat Dio. Nec puto ullum ſ pereſſe, qui omnes aut etiam plures nominet. Paucas ſive hujus ſive poſterioris ævi memorant veteres Gruteri Inſcriptiones. Eminent in Belgicâ quidem, Colonia Agrippina, & quidem ſolo Coloniæ nomine κατ' ἐξοχὴν nobilis, ſed longe poſt ab Agrippinâ
Item in Belgicam.
Germanici filiâ deducta, quia ibi nata. Item Auguſta Trevirorum, Tacito l. 4. hiſt. celebrata. Colonia Morinorum. Denique omnes quæ Auguſtæ nomen prætulere, quando ſolis Coloniis id nomen indultum: Auguſta Sueſſionum, Auguſta Veromanduorum, Auguſtomagus Sylvanectum, & pleræque totâ Galliâ ſimiles. Scilicet Auguſtus hic Julii pàtris, imò & Romuli majorumque veſtigiis inſiſtebat, ut qui modò alienigenæ & hoſtes, ii ſubitò indigenæ civéſque fierent; ut Dionyſius Halicarnaſſeos adnotat. & Tacitus; qui inſuper addit,
Dionyſ. l. 2. Tacit. ann. 11. & 12.
Colonias in agros captivos deductas, & adverſus rebelles ſubſidium, & ſociis ad officia legum imbuendis: addit adhuc Sigonius, ut ſtirps Romana augeretur, ut Sig. l. 2. de jure Ital.
Veterani præmiis aſſicerentur; demum ut omnes Romani fierent; quando *iſtæ coloniæ* (ut Gellius ait, l. 16. c. 13. *Populi Romani parva effigies, & ſimulacra quædam erant*, moribus, legibus, animiſque Romanis. Unde Strabo l. 4. jam tum Auguſti Tiberiique imperio, *Gallos* ſcribit *& linguâ & vitâ, quoſdam & civili gubernatione Romanum in morem tranſiiſſe.* quod & de Britannis in Agricolæ vita notat Tacitus. & in Itinerario Rutilius Romam ipſam alloquens,

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis te dominante capi.
Dúmque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti quod prius Orbis erat.

Sed juris diverſi.
14. Neque tamen aſſerimus Auguſti Colonias pari omnes jure extitiſſe: aliæ haud dubiè pleno Romanóque, aliæ Latino, aliæ Italico fuere. Urbium quædam fœderatæ, quædā liberæ; variis erga Remp. meritis, aut Principum favoribus, juxta poſteriora Dionis hoc anno verba, *Libertatem ac jus civitatis aliis dedit, ademit aliis.* Coloniam quidem Agrippinenſem juris Italici fuiſſe, ſcribit Paulus libro 2. de Cenſibus. Plinius *liberos* in Belgis nominat *Nervios,* Lib. 4. c. 17.
Treviros, Sueſſionas, Sylvanectas & Leucos. Fœderatos, Lingonas ac Remos. Quin & Belgas noſtros ad ſtipendia Legionarios inter, ſaltem auxiliares, admiſiſſe mox hoc etiam bello Germanico videbimus: *Nervios* ſaltem cum ſuis *tribunis Annectio & Senectio*; & *Treviros* qui *ad has aliaſque provincias regendas evecti* dicuntur à Tacito. Inde fida in Galliis, ferèque Tacit. lib. hiſt. 4
communis pax, ut propria. Ita vides quibus maximè rebus triennium hoc abſumpſerit Auguſtus: dum Galliam pœnè omnem, Rhenanum maximè limitem, prout exigebant ordinanda, percurrit. Germanias certè noſtras, ſive Belgicas inviſiſſe, ex Tacito diſcimus, dum *Auguſtum feſſa etiam ætate toties in Germanias commeare potuiſſe*, diſertè notat, Ann. 1.
Tiberium vigentem annis ſidere in Senatu, verba Patrum cavillantem. Alioquin Auguſtum in Gallicis iſtis excurſionibus, Lugduni maximè, & ſi fortè Treviris Romæve morari ſolitû, ex Dione ſcimus: in Germaniā utramque Ciſrhenanā etiā deſcendiſſe, ex citatis Taciti verbis, & urgente belli neceſſitate docemur.

Annus U. C. 741 Julian. 33.
15. Sed jam Auguſti in Urbem reditum, hoc eodem anno Juliano 33. ex Dione audiamus. *Auguſtus rebus in Galliis, Germaniis,* Græcè ἐν ταῖς Γερμανίαις, *Hiſpaniiſq; omnibus confectis; cum multos in ſingulas ſumptus feciſſet, magnam ab aliis pecuniæ vim accepiſſet,*
Romam è Belgica redit Auguſtus.
(nota, an non & a Belgis?) *Libertatem ac jus civitatis aliis dediſſet, aliis ademiſſet* (iterum nota) *Druſo in* τῇ *Γερμανίᾳ relicto, Romam reverſus eſt, Tiberio jam & Quintilio Varo,* trium poſtea ſuarum legionum cladè celebri, *Coss.* Varus Ludos votivos pro Auguſti reditu conceptos fecit, ut antiquæ docent Inſcriptiones. quarum etiam Dio meminit, & Horatius Ode 2. libri 4. hoc ferè tempore cantatâ, quâ & Sicambrorum ceu brevi debellandorum mentionem ingerit,

Concines majore Poeta plectro
Cæſarem, quandoq; trahet feroces
Per ſacrum clivum, meritâ decorus
Fronde Sicambros.
Concines lætóſque dies, & Urbis
Publicum ludum, ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu, forúmque
Litibus orbum.

Romam

Romam noctu Auguſtus, ne cui moleſtus eſſet iniit. Poſtridie populum in Palatio ſalutavit: & in Capitolium aſcendens, lauream faſcibus detractam ad Iovis genua depoſuit. Eademque die balnea & tonſores populo gratis præbuit. Deinde convocato Senatu, libellum per Quæſtorem recitari curavit; quo res ab ipſo geſta (credo in Galliis maximè) *continebantur.* Vide Dionem qui hoc ipſo anno & Auguſtum Lepido mortuo Pontificem Max. creatum, & Agrippam è Syria reverſum, moxque Martio proximè ſequentis anni mortuum narrat; Credo ex Livio, cujus Epitoma 136. ſuperſtes ita tradit: *Agrippa Cæſaris gener mortuus. & à Druſo Cenſus actus eſt.* Nempè in Galliis noſtris. de quo, capite proximè ſequenti.

Dio l. 14.

CAPUT XV.

Bellum Germanicum à DRVSO, è Belgicâ maximè, geſtum, & ab eo ibi Cenſus actus.

Anno Iuliano 33. 34. & 35.

1. SEquitur bellum Germanicum, in Sicambris annorum 22. ſpatio jam quartò repetitum, à Druſo geri cœptum, ac deinceps ad quatuor ſecula, variâ licèt interruptione propagatum, ut monere cœpi. cui etiam hoc ævo Druſus tandem immortuus; belli fine needum patrato. Quod quia è Belgicâ noſtrâ maximè geſſit, omni inde apparatu ſemper educto, maximè ad inſtitutum pertinet; eoque accuratiùs retexendum. Hoc capite tres ejus priores annos, ſequente reliquos & Druſi mortem exequar.

2. Hujus belli Druſiani vel ſolum compendium daturus Florus, ſic præfatur: *GERMANIAM Auguſtus utinam vincere tanti non putaſſet! magis turpiter amiſſa eſt, quam glorioſè acquiſita. Sed quatenus ſciebat patrem ſuum Cæſarem, bis trajecto ponto Rheni, quæſiſſe bellum; in illius honorem concupivit facere provinciam. Et factum erat; ſi barbari tam vitia noſtra quam imperia ferre potuiſſent.* Ita Florus. Non Germanorum ergo petulantiâ perfidiaque magis, quàm Auguſti ambitioſâ cupidine, bellum iſtud exarſit. Neſcio an non & inſitus in Druſum, ſuſpicione filium, amor, momenti reliquum attulerit. Hunc quidem *Livia* mater (ait Suet.) *cùm Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit. Fuitque ſuſpicio ex Vitrico (Auguſto) per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certè vulgatus eſt verſus,* Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία: *Fortunatis etiam trimeſtres gigni liberos.* Unde nihil mirum ſi Auguſto tam charus; ſi tantum illi tam juveni bellum creditum; ſi tantum Imperii robur, octo ad Rhenum legiones, commune in Gallos Germanoſque præſidium, ipſo primo tyrocinio creditum; ſi Cenſus illi repetendus operis tam ardui ab Aug. mandatus. Annum ætatis ille tunc explebat 25. quantilla tanto oneri ætas? *Cura tamen tanta, atque onus illius,* ait Velleius, *delegata Druſo Claudio, fratri* Tiberii *Neronis. adoleſcenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit. Cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt: morum certè dulcedo ac ſuavitas; & adverſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio, inimitabilis fuiſſe dicitur.* Nam *pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit.* Vell. Sed anno tamen iſto U. C. 741. Juliano 33. quo & Romam Auguſtus è Germaniâ, & Syriâ Agrippa redierunt, Germanicum bellum Druſus vix aggreſſus eſt. Præfecturæ ſuæ Gallicæ res primum ordinans, ante omnia octo ſuis ad Rhenum legionibus, & bello inſtanti Germanico, ſimul Cenſui Gallorum alteri, ſibi ab Auguſto demandato intentus.

Flori de bello Germanico ſeu Sicambrico præfatio. Lib. 4. c. ult.

quod à Druſo geſtum. Suet. Claud. c. 1.

Adoleſcēte magnarum virtutum.

Ann. U. C. 741. Jul. 33.

3. Anno proximè ſequenti, Juliano 34. M. Valerio Meſſala, & P. Sulpitio Quirino (de quo ſub nomine Cyrinî, Lucas in Evangelio & Nativitate Chriſti) Coſſulibus; quo & *Auguſtus à Meſſala Conſule & Senatu Pater Patriæ* (& quidem *Nonis Februarii,* ut Ovidius 2. Faſt.) *Populo* quoque *conſentiente,* dictus eſt; & Agrippa è Pannonico bello reverſus, in Campania Quinquatribus ſeu Martii ferè die 20. mortuus eſt; *Cenſum* in Gallis (igitur etiam in Belgica noſtra) *Druſus egit*: ait Epitome Liviana 136. aliàs & credo veriùs 138. Fuit iſte Cenſus Galliarum 2. haud dubiè Auguſti Romam inde redeuntis, qui 15. antè annis primum fecerat, mandato repetitus. Sic enim illa Epitome: *Agrippa Cæſaris gener mortuus. & à Druſo Cenſus actus eſt.* Hujus in Dione Cenſus nullam mentionem video: niſi fortè tacitè innuit, cùm ſcribit *Sicambri eorumque auxiliarii* (puta Uſipetæ Tenchterique) *propter abſentiam Auguſti* (qui Romam anno priore redierat) *ac quia videbant Gallos* (maximè Belgas Germanis oppoſitos) *jugum ſervitutis gravatè ferre, bellum moverunt.* Romanis jampridem Galli ſerviebant: cur igitur modò id gravatè ferunt? Nempè quia Cenſus iſte 2. durum ſervitutis ſtigma, anno poſt priorem vix quintodecimo repetebatur. Nam primum quidem nullo motu, ſummâ quiete tulerant, ſive Auguſti præſentis ac cenſum per ſe agentis auctoritate inducti; ſive quia primus, eoque ignotus, ad cognoſcendam ſemel formandámque Remp. neceſſarius tolerandúſque videretur. Ubi repeti viderunt, quaſi certo jam ſervitutis argumento ſæpius recurrente, non tulerunt: arma ſatius inferre viſum. Ergo tumultu facto, ſuas Germaniæ cis Rhenum civitates Druſo clauſerunt, ac contra eum tutati ſunt, Sicambrorum haud dubiè vicinorum auxilio petito vel oblato. Donec Druſus & civitatum iſtarum oppugnationibus, & prudente clementiâ tumultum iſtum ſedaret.

Annus U. C. 742. Julian. 34.

Suet. Aug. c. 58.

Cenſus Provincialis ſecundus in Gallia, à Druſo actus

Ex quo tumultus

4. Sic enim priùs Epitome Livii 137. aliàs 139. ſtatim ab hujus 2. Cenſus mentione factâ: *Civitates Germaniæ, cis Rhenum* (nota) *& trans Rhenum poſitæ oppugnantur à Druſo.* Mox: *& tumultus, qui ob Cenſum exortus in Galliâ erat, compoſitus.* haud dubiè, nonniſi à Druſo, Galliæ tum Præfecto. *Compoſitus,* inquam, primùm armis & civitatum Ciſrhenanarum oppugnatione; tum ſolerti jucundóque ſtratagemate. & arma quidem quæ & quibus Germanis Ciſrhenanis illata ſint, nulla ſive in Livii Epitomis, ſive in Dione, ſuperſtes in præſenti memoria; Stratagematis in Dione quidem aliqua, ſed brevis: *Druſus, ait, Gallorum Primoribus, prætextu ejus feſti, quod etiam nunc Lugduni, ad Aram Auguſti celebratur, evocatis, motum ſubditorum præoccupavit.* Et aræ iſtius in Epitome Livii ſtatim à Gallorum iſto tumultu compoſito, hæc ſubditur mentio: *Ara Cæſari, ad confluentem Araris & Rhodani* (qui fit Lugduni) *dedicata; Sacerdote creato C. Julio Vercondari dubio, Heduo.* Sed unde Ara iſta Cæſari Auguſto adhuc vivo erecta, dedicata, feſtiva? Dicam quod occurrit.

Unde Druſus Germaniæ cis & trans Rhenum civitates oppugnat.

Mox componit occaſione Aræ Lugdunenſis.

Auguſto tunc dicari cœptæ.

5. Galli omnes triennali Auguſti præſentiâ, jam ſecundò repetitâ, tótque ejus beneficiis, ac maximè Reip. ſuæ ordinatione novâ obſtricti, quo ſe gratos exhiberent, eximio quopiam illum honore decorandum, aliarum gentium exemplo, piáque ut in Idololatris æmulatione, cenſuerunt. Hiſpani quidem ante annos 26. novam annorum Epocham, quam Æram Hiſpanicam modò nominamus, alias alii in ejus honorem inſtituerant. *Quin & quadam Italia civitates* (ait Suetonius) *diem, quo primùm ad ſe veniſſet, initium anni fecerant. Provinciarum pleraque ſuper templa, & aras, ludos quoque quinquennales penè oppidatim conſtituerant. Reges amici atque ſocii, & ſinguli in ſuo quiſque regno Caſareas urbes condiderant.* vel condebant, ut in Mauritania Juba, in Palæſtina Herodes: ne quid de tot Auguſtis, Græcè Sebaſtis dicam. *Cuncti ſimul ædem Jovis Olympici, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi ſumptu deſtinabant, Geniòque ejus dedicare:* tantus ejus amor incrat. His ergo ne cedere viderentur Galli noſtri, Templum illi ſaltem & aram, in urbe Coloniáque celeberrima Lugdunenſi, in qua ceu Galliarum capite plurimum agere conſueverat, communi conſenſu ſumptúque hoc tempore decreverunt. de quo Strabonem tum ſcribentem, quando Livius interiit, hîc audire juvat; *Lugdunum ſub colle conditum, ubi Araris in Rhodanum influit, Romani coloni obtinent. Poſt Narbonem hac urbs, Gallicarum maximè omnium, hominum frequentiâ pollet. Præfecti enim Romanorum eo utuntur Emporio; monetamq; ibi tam auream quam argenteam cudunt. Sed & Templum ab omnibus communi ſententia à Gallis, Cæſari Auguſto decretum, in hac urbe ad fluviorum concurſum eſt poſitum. Eſt autem Ara memorabilis Gentium 60. Inſcriptionem habens, earúmque ſingularum ſtatuas ſingulas, & poſt has alia ingens locata.* Credo totius Galliæ. Gentes iſtæ 60. Gallicæ omnes erant, ſingulæ ſuis ibi ſingulis ſtatuis exhibitæ. Quas inter è Belgio noſtro erant Morini, Menapii, Atrebates, Nervii, Tungri, Treviri, Ubii jam Ciſrhenani, Batavi, alii utriuſque Germaniæ Ciſrhenanæ, alii item reliquæ Belgicæ quæ hodie extra Belgium noſtrum, Francorum regno continetur. Hi omnes ac ceteri ad aram iſtam quotannis, & quidem Kalendis Sextilibus, quæ paulò poſt Auguſtæ dictæ, ſumma ſolennitate ingenti ſuperſtitione Auguſto, ceu jam Deo ſacrificabant, ei ſubjectos ſe profitebantur, opem ejus in neceſſitatibus ſuis implorabant. Quod genus adulationis ita mox evaluit, ut Ara alia Lingonibus, alia Bonnæ ad Rhenum, Ubiorum inde dicta, alia Narbone, aliæ alibi ſingulatim, immani non ſuperſtitionis minus quàm amoris teſtimonio accreverint.

Aug. c. 59.

Strabo l. 4.

A Galliæ populis 60.

6. Druſus igitur gemino tumultu Gallico interiore ſimul ac Germanico externo ſubitò diſtractus, inteſtinum ceu periculoſiorem, ex Cenſu natum primò componere inſtituit: & feſti hujus hoc primùm anno Juliano 34. celebrandi natam occaſionem, an deliberationem, in hoc conſilium ſolertiſſimè vertit. *Gallorum primoribus* (ait Dio) *ejus feſti, quod etiam nunc* (Dionis nimirum ipſius ævo) *ad Aram Auguſti celebratur, evocatis, ſubditorum metum præoccupavit*, ac penitus extinxit. Blandâ credo morum & orationis ſuavitate; quâ Cenſûs initi & rationes expoſuit, & duriora mollivit. adeoque ſedavit, ut ſibi mox in Tranſrhenanos verſo, non ſecuram modò à tergo pacem quiete ſuâ præſtiterint, ſed etiam magnam è ſuis militiæ vim præſtiterint; quâ victi Germani. De quo ſic Claudius poſtmodum Imperator hujuſce Druſi filius, Germanici frater, ſic in ſua pro Gallis ad Senatum oratione extremâ: *Pater meus Druſus à Cenſu, novo tum opere & inaſſueto Gallis* (eoque tumultum concitante) *ad bellum* Germanicum *vocatus eſt. Quod opus quam arduum ſit nobis; quamvis nihil ultrà, quam ut publicè nota ſint facultates noſtra, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* & paulò antè. *Galli patri meo Druſo Germaniam ſubigenti* (non hoc igitur tantum, ſed ſequentibus etiam annis) *tutam quiete ſua ſecuramq; à tergo pacem præſtiterunt. & quidem cum à Cenſu* (& tumultu inde orto) *ad bellum avocatus eſſet.* Bellum igitur illud jam videamus.

Druſus in Tranſrhenanos Gallorum auxilio movet.

7. *Sicambri eorumq; auxiliares* (ait Dio, puta Uſipetes ac Tenchteri) *tum propter abſentiam Auguſti*, Druſi maximè ætate novitateque contemptâ; *tum quia videbant Gallos inguiu ſervitutis*, & Cenſum, *gravate ferre, bellum* hujus ejuſdem anni, reor, exordio, *moverant*; ruptâ denique fide, ut ait Strabo, obſidibúſque ſuis quos ſub Lollio ante triennium dederant contemptis. Tam dira inerat prædæ cupido, tantum in Romanos odium. Et Gallis quidem ob Cenſum tumultuantibus ſuum obtulerant auxilium. & credo tulerant, cùm Druſus Germanorum Ciſrhenanorum ſeu Belgicorum civitates tumultuantes oppugnaret. Horum Gallorumque ceterorum tumultu compoſito, nondum tamen ipſi quieſcebant: novam in Gallias expeditionem Rheno trajecto moliebantur. Eos ergo Druſus, jam jam (ut audiebat) trajecturos, expectare quàm in ſedibus aggredi, tutius duxit. *Gallis*, ait Dio, ſeu Tranſrhenanis *intentus, quando Rhenum tranſirent, eos primum facilèque repulit. Atque ipſe deinde in Vſipetarum regionem*, Rheno ſcilicet vicinam ac primò obviam, *ſecundùm inſulam Batavorum*, circa urbes hodiernas Embricam, Reſam atque Veſaliam *trajecit. Inde in Sicambrorum terram* (Lupia flumine haud dubiè trajecto) *tranſgreſſus, magnam agri partem vaſtavit*. Sicque eos, credo, hac ſaltem æſtate continuit. Neque enim de illis aliiſque mediterraneis plura Dio, partium iſtarum ceu Græcus aut contemptor aut ignarus.

Dio l. 54.

Maximè Sicambros eorumque auxiliares.

8. Nos, quia è Belgicâ maximè iſta proceſſit expeditio, è Floro & Oroſio ſuppleamus. *Miſſus in Germaniam Druſus*, ait Florus, *primos domuit Vſipetas, inde Tenchteros percurrit & Cattos.* Sic & Oroſius: *Druſus in Germania primò Vſiperes, deinde Tenchteros & Cattos perdomuit.* Rectiùs è Livio Florus, *domuit Vſipetes*, nempè ſolos; ceteros, puta Tenchteros, Sicambros, & Cattos *percurrit* duntaxat, multa alia hoc anno meditans. Si Chattos percurrit, ergo ultra Sicambros in Orientem tranſierit, quando in eum ibi Catti, ut ſupra deſcripſi, latè porriguntur. Iis percurſis in Auſtrum ad *Marcomannos* flexit, Mœnum amnem in hodiernâ Franconia tum incolẽtes. Nam *Marcomannos*, ut ſubdit Oroſius, *penè ad internecionem delevit.* Nec aliter Florus, utcique haud dubiè è Livio, ut ſolent: *Marcomannorum ſpoliis inſignibus quemdam editum tumulum in tropæi modum excoluit.* Illum tumulum editiorem ego quidem vehementer ſuſpicor, quem nunc arx Herbipolenſis occupat ad Mœnum in mediis ejus ævi Marcomannis. quando illum Druſus ita excoluit, ut incolis deinceps frequentari habitarique cœperit. Unde intelligimus, Marcomannos, Arioviſto Julii Cæſaris ætate Suevorum Regi ſubditos, ſedem illam ſuam huc uſque tenuiſſe; neque dum hoc anno Juliano 34.

Tenchteros & Chattos.

Item Marcomannos, qui ad Mœnum fluvium.

in Bohe-

Cluv. l. 2. c. 3 Germ. antiq.

in Bohemiam à Maroboduo tranſlatos quando Druſus adhuc eos bello petit. tametſi Cluverius quinquennio anterius, ſcilicet ante ſubactos Noricos, id factum exiſtimet. Ac mihi quidem etiam vero ſimile eſt, ne priore quidem hoc Druſi bello, Romà Maroboduum ab Auguſto dimiſſum, nedum Marcomannis Suevis gentilibus ſuis impoſitum. annis id proximè ſequentibus magis convenit; quò ille beneficiis Auguſti jam antè Romæ devinctus populares ſuos propè fractos in Romanos flecteret. Sed de Maroboduo mox plura.

Nondum Maroboduo ſubditos.

CAPUT XVI.

Druſi bella in Belgio navalia.

Eodem anno Iuliano 34. & 35.

Primùm in Friſios ad Oceanum.

1. NEc hîc belli Germanici hac æſtate finis. Mediterraneis hiſce gentibus compreſſis, in Oceanum Druſus, Julii credo Cæſaris æmulatione, ſe vertit. Prorſus ut Galliarum ex Cenſu tumultum, prioribus anni menſibus ſedatum, veréque nondum adulto tranſrhenanos armis impetitos ac ſuperatos oporteat, niſi id anni prioris exitu cœptum fuerit. Æſtate igitur adhuc fluente, & ſaltem Auguſto menſe adhuc labente, *ſecundo Rheno in Oceanum devectus, Friſios ſubegit:* ait Dio ſuccinctè, ut hic ſolet. Latiùs tunc quàm hodie patebant Friſii: nam, ut Tacitus, *uſque ad Oceanum Rheno prætexebantur, ambiebántque immenſos inſuper lacus, & Romanis claſſibus navigatos.* Si Rheno ad Oceanum uſque prætexebantur, prorſus Hollandiæ hodiernæ Borealiora à medio Rheni alveo poſſidebant. Unde etiamnum quæ ultra Harlemium & Amſterodamum in Boream extenduntur, *Weſtfriſiam* appellant. Cùm addit, eoſdem Friſios *ambire immenſos lacus*; de pluribus qui in Hollandia adhuc viſuntur, accipere quoque poteſt: ſed eum maximè, qui *Zuyder-zee* hodie dicitur, intelligit: cùm multò immenſior ceteris ſit, & à Melâ *ingens* eâdem ratione vocetur. Ita Friſii à medio Rheni alveo, qui Ultrajectum Lugdunúmque Batavorum alluit, ad Amiſiam uſque ſe porrexerint; hinc Oceano, hinc linea à Rheni divortio ad oppidum Iſalæ oppoſitum *Hattem*, indeque ad Amiſiam flumen hodie *Ems*, & ei adſitam *Embdam* ductâ. Nam ultra Amiſiam, ſtatim *Cauchos* excepiſſe, ſat conſtat. Ita immenſus iſte lacus, *Zuyder-zee*, medium ferè Friſiorum fundum obtinuerit, rectèque illis cinctus fuerit. Hos ergo Friſios Druſus *ſecundo Rheno in Oceanum devectus ſubegit*, ait Dio, nimis ſtrictim, nullâ prælii vel obſidionis ullius mentione. quod abundè (reor) libro ſuo 137. vel rectiùs 139. præſtiterat Livius.

Illorum ſitus e Tacito.

Inde in Cauchos ultra Amiſiam amnem, hodie *Ems*. *Strabo l. 7. init.* Byrchanis ſeu Burchana Inſula, hodie *Borchum*

2. Friſiis ſubactis eorum que aliquot ſecum aſſumptis, *per* eamdem illam, *paludem* (ſeu λίμνην ut Dio) ἐς τὴν Χαυκίδα, *in Chaucorum regionem profectus eſt.* Ultra Amiſiam fuiſſe Chaucos jam antè monui, moxque repetam. Dum ergo maris litus illud, quod paludem illam ſeu lacum ingentem *Zuyder-zee*, & Amiſiæ oſtia interjacet, *claſſe ſua legit*, ait Strabo, *inſulas quoque obvias ſubegit, inter quas* ibi pluſculas *eſt Byrchanis, ab eo tunc expugnata.* de quâ etiam Plinius: *Inſularum infra Cimbrorum promontorium, quæ Romanorum armis cognitæ, nobiliſſima eſt Burchana: fabaria à noſtris dicta, à frugis ſimilitudine ſponte provenientis.* Ea etiam hodie nomen retinet *Borchum* in ore Amiſiæ fluminis, vi tunc à Druſo expugnata. Sed & in Amiſiam amnem Druſum illatū, docet idem Strabo: *Amiſia* (hodie Ems) *navigabilis eſt fluvius, in quo Bructeros Druſus navali prælio vicit.* Nempè *Bructeri* tunc Friſios inter & Amiſiam ſeu Cauchos incolebant, Sicambris à Meridie Uſipiiſque contermini; à *Broek* ſeu paludibus, quæ inibi plurimæ, nominati. Hos igitur Amiſiæ fluenti ſiniſtros, ſibi verò è mari ſurſum aſcendenti dexteros, Druſus navali prælio ſuperavit, Friſiorum etiam operâ, *qui ei ſe militia pedeſtri* (Dione teſte) *junxerant*, & ad ſiniſtram Amiſiæ ripam terra jam pervenerant. & ſuſpicio pronior eſt, Friſios Bructeris ex vicinia, ut ſolet, inimicos ultionis avidos, Druſum in eos animaſſe; imò & pedeſtri ac navali militiâ, cujus tunc ut modò peritiſſimi erant, non parum adjuviſſe. Scribit certè Dio; *Druſum circa Chaucorum fines in periculo fuiſſe, navibus ob defluxum maris in ſicco deſtitutis: ſed Friſiorum operâ diſcrimen ſuperaſſe.*

Bructeros etiam ſubegit.

Cauchorū amplitudo.

3. Cauchos porrò ultra Amiſiam & Viſurgim ad Albim uſque per Oceani litora protenſos, an tunc aggreſſus quoque fuerit Druſus, nullibi lego. *Cauchorum gens*, inquit Tacitus, *quanquam incipit à Friſiis, ac partem litoris occupet; omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur. Tam immenſum terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci, ſed implent, Populus inter Germanos nobiliſſimus.* Et Ptolemæus: *Loca juxta Oceanum ſupra Bructeros tenent Friſii uſque ad Amiſiam amnem. Poſt hos Chauci minores* (mallem *majores*, Tacito conſormiùs) *uſque ad Viſurgim fluvium: deinde Chauci majores* (potiùs *Minores*) *ad flumen Albim.* Ita tota gens Amiſiam inter & Albim, ab occaſu hiberno in Orientem æſtivum concluſa, verſus Meridiem, tanquam cuneus in Chattos uſque, & vicum hodiernum *Remen* Viſurgi adjacentem ſinuatur. Hanc gentem Cauchos Druſus Amiſiam ſcandens ad ſiniſtram habebat, alioquin Amiſiæ defluenti ſiniſtram. Nec eam tamen impetiiſſe videtur; tum quia nimis validam, appetente præſertim jam hyeme: tum quia Friſii non incitabant, iis æquè ut Bructeris minimè inſenſi; & à quibus tam lato amne in Oceanum ſeſe exonerante diſcreti, vix quidpiam bellorum habebant. Igitur quod reliquum erat, quo eos juxta & Bructeros frænaret in poſterum, Caſtrum in utrorúmque, ut & Friſiorum confinio, ad ipſum ferè Amiſiæ oſtium munimentum amnis cognomine (hodie *Embden*) erexit, præſidioque firmavit; ſimul claſſi eò poſtmodum tutiùs reducendæ ſolerter aptavit. Crevit deinde oppidum, & Romanorum militum aſſiduo meatu, & mercatorum ex loci commoditate concurſu. prorſus ut à Ptolomæo inter tria præcipua Germaniæ numeretur oppida. quam dignitatem etiamnum egregiè tuetur.

Embda caſtrum ad Amiſiam a Druſo erigi cœptum.

4. Nec Suetonius hic ſilentio tranſmittendus, Claudio cap. 1. *Druſus Germanici belli Dux Oceanum Septentrionalem primus Romanorum Ducum navigavit. Trans ij, Rhenum foſſas novi & immenſi operis fecit, quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur.* Plures ecce foſſas memorat; easque ſi non opere, ſaltem ſui crebritate immenſas: ut in fundo ad hoc aptiſſimo. Una maximè celebris eſt, hodieque perilluſtris; quam Tacitus ideo foſſam Druſianam unius numero appellat; ab Rheno, ubi hodie vicus *Iſeloort*, in Iſalam

Qui Romanorum primus Oceanum navigavit teſte Suet.

Et Foſſas Druſianas duxit, ab Rheno in Iſalam.

& oppidum *Doesbourg* ducta, per octo non amplius paſſuum millia. Opus non adeo immenſum: niſi Iſalæ infra *Doesbourg* alveum ad lacum uſque *Zuyderzee* latiorem ac profundiorem effecerit, ut puto: cum claſſem hanc per immenſam paludem, adverſus Friſios, Bructeros, & Cauchos tranſvehere moliretur. Quod & Germanicus poſtea patris exemplo repetiit. Atque hæc omnia nec pauca ſanè nec parva, hoc anno Juliano 34. antè ſtatutam à nobis Chriſti nativitatem octavo, patravit Druſus. donec appetente hyeme regrederetur, & Romam ad Præturam urbanam (quanquam jam antè prætoris adeptus honores) contenderet.

Et Romam ad Præturam redit.

ANNUS U. C. 743. Julian. 35.

5. Nec multo pauciora minoráve geſſit anno ſequente trigeſimo quinto; *Paulo Fabio Maximo* (ad quem eſt Horatii Ode prima, libri quarti) & Q. Ælio Tuberone Coss. *Primo quippè vere ad bellum* è Belgica noſtrâ de more *profectus*, pergit Dio, *Uſipetas*, credo rebellantes, aut non planè ſubactos, χειρώσασθαι *perdomare*, ſortè & ad tributi ſolutionem cogere inſtituit. *Inde ripis Luppiæ fluminis* (hodie *Lippe*) *ponte junctis, in Sicambros irrupit; ac per hos in Cheruſcorum,* qui nunc Brunſuicenſes Luneburgenſeſque dicuntur, *regionem ad Viſurgim uſque proceſſit. Id ut ei liceret, Sicambrorum in Chattos* (hodie Haſſos ſimul ac Thoringos) *qui finitimorum ſoli auxilia negaverant, totius populi viribus facta expeditio effecerat. Quo tempore Druſus, iis imprudentibus, regionem peragravit: Viſurgim etiam tranſiturus, ni eum alimentorum inopia hyemis propinquitas, prætereàque examen apum in caſtris viſum deterruiſſent.* De quo ita in Prodigiis è Livio depromptis Obſequens, iiſdem Conſulibus: *In Germania in caſtris Druſi, examen apum in tabernaculo Hoſtilii Rutilii caſtrorum præfecti conſedit; ita ut funem prætendentem, præfixamq; tentorio Lanceam, amplecteretur. Multitudo Romanorum per inſidias ſubacta eſt.* Ita Obſequens è Livii Epitoma, librôve 138. aliàs 140. Quæ tamen Epitoma ſine libro ipſo ſuperſtes, paucis admodum ita comprehendit: *Cheruſci, Tenchateri, Cauci, aliiq; Germanorum trans Rhenum gentes ſubacta à Druſo referuntur.* Sicambros (quibus juncti Tenchateri) & Cauchos ſolos memorat Dio ſuprà: Cheruſcorum tantùm cis Viſurgim incolentium mentionem facit, reliquos potiores excludere videtur, cum Druſum Viſurgim minimè tranſiiſſe ſcribit: ultra quem tamen Cheruſcorum benè major pars incolebat. Sed fortè Chattis illi ſe junxerant, aut de Druſi reditu intelligit. De quo ſic Dio hoc eodem anno pergit:

Druſus iterum in Uſipetas,

& trâs Luppiam fl. in Sicambros, ac Cheruſcos ad Viſurgim.

6. *Propter examen apum* (ceu malum omen ſcilicet) *ultra Viſurgim Druſus haud proceſſit; & regreſſus in ſociorum terram, in ſummum devenit periculum; inſidiis hoſtium frequenter læſus, & aliquando in loco anguſto concavóque circumcluſus, haud procul abfuit quin toto cum exercitu periret. A quâ eum pernicie nihil aliud eripuit, quàm hoſtium temeritas. Qui cum contemptu Romanis, quaſi jam captis, & uno velut ictu concidendis, nullo eos ordine adgreſſi eſſent, victi inde feroci àque ſua fractâ diſceſſere. Ex eo namq; barbari propius adire veriti, eminus tantum hoſtem infeſtavêre. Ita ut Druſus in viciſſim contemptus, caſtellum contra eos ad Lupiæ & Eliſonis fluviorum confluentes, aliudq; in Chattis ad ipſum Rhenum exſtruxerit.* Hucuſque Dio. qui hoſtes iſtos, quorum inſidiis tantùm non periit Druſus, præter Sicambros non exprimit. Livii Epitome vulgo 138. melius 140. *Cheruſci*, inquit, *Tenchateri, Cauci, aliiq; Germanorum gentes ſubacta à Druſo referuntur.* Puto hos fuiſſe.

Unde rediês pœnè opprimitur.

Sed ſuperat, & Eliſonem caſtellum erigit.

quando Florus & Oroſius miro verborum conſenſu, velut ex uno Livio depromentes, Cheruſcos, Suevos, & Sicambros diſertè nominant. Et profectò, *Si* (quod Dio notat) *ſoli ex finitimis Chatti Sicambris belli Ducibus auxilia negaverant*, Tenctheros, Cheruſcos, Cauchos, Bructeros, ac Suevos iis acceſſiſſe neceſſum eſt. Ac de quatuor primis, qui & ubi fuerint, jam dixi. de Suevis nondum.

7. *SUEVI*, ait Strabo, *ſupra totam hanc* [Rheni] *ripam degunt*, Germanis reliquis, *numero & potentiâ ſuperiores. à quibus hi* (credo Ubii, de quibus paulò antè) *pulſi, in regionem Rheno interiorem*, ſeu Belgicam, *nunc confugerunt.* Rurſus lib. 7. *Maxima eſt Suevorum natio, nam & a Rheno ad Albim uſque pertingit; & trans Albim habitat pars eorum; ut Hermunduri & Longobardi.* En Suevi à Rheno ipſo ad Albim. Denique libro 4. finiente, *Fontes Iſtri ſunt*, inquit, *apud Suevos & Hercyniam ſylvam.* Vult dicere Dannubium in Suevis oriri, juxta illud Auſonii Dannubium loquentem inducentis, *Quà gelidum fontem mediis effundo Suevis.* Quibus omnibus populi quidem omnes, qui à Rheno per Dannubii fontes ad Albim uſque porriguntur, Suevis accenſentur; ſed ex illis omnibus, qui Rheno & Iſtri fonti viciniores, *Suevi* propriè ſtrictéque vocantur. Cujus generis erant *Marcomanni, Seduſii, Harudes* & alii. propter quos Arioviſtus Rheno Galliiſque imminens, peculiariter Suevorum Rex appellebatur. Unde Plinius, *Germanorum mediterranei Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.* En Suevi propriè dicti, à Chattis, Cheruſcis, Hermunduriſque diſtincti, generatim alioqui Suevis. & quidem Rheno viciniores, quando inde procedere videtur Plinius. Suffragaturque Dio, cùm de priore Auguſti poſt Ægyptum ſubactam triumpho loquitur: *C. Carinas Morinos, aliósque rebellionis eorum ſocios domuerat: SUEVOSQUE Rhenum magno numero trangreſſos profligaverat.* Mox expreſſiùs: *Suevi Celtica*, ſeu Germanica *natio, ſi accuratè loquimur, trans Rhenum incolunt. multi tamen alii etiam id nomini uſurpant.* Quaſi dicat; qui proximè trans Rhenum ſuperiorem habitant, accuratè & propriè loquendo Suevi ſunt: licèt multi quoque alii, longè trans Rhenum, Suevi nuncupentur. Ex quibus certò intelligimus, Suevos hoc ævo eam Germaniæ partem tenuiſſe, quæ & Dannubii fontem emittit, & Allemannorum poſtea nomine innotuit. Quos ideo Gregorius Turonenſis, Auſonius, & alii æquè Suevos exiſtimant. ut nihil mirum ſit, ſi Suevos Dio Rhenum magno numero Actiaci belli tempore trangreſſos memoret; Galliæ ſcilicet ex vicinia, & priſco jam more, maximè ab Arioviſti ætate, regno inhiantes. Scio Cluverum Chattos quóque Suevos apud Cæſarem exiſtimare. Sed non fuere certè hoc bello, quando *Suevos* Dio Sicambris hic auxiliatos refert; *Chattos* contra è finitimis ſolos auxilia negaviſſe, eóque illos totis viribus impugnaſſe.

SUEVI quinam & ubi fuerint

Juxta Strabonem *lib. 4. & 7.*

& Auſonium.

Juxta Plinium, *l. 4. cap. 14.*

& Dionem *lib. 51.*

Suevi poſtmodum Alemanni.

Cluverius l. 3. c. 3. & l. 2 c. 19.

8. Ergo, ut unde diverti redeam, Suevos hoſce ſtrictè ſumptos Sicambri in Druſum à Chattis regreſſi, cum Cheruſcis, Cauchis, Bructeris aliiſque (ut ait Epitome) trans Rhenum gentibus, frequentibus redeuntem illum inſidiis afflixere; & loco quodam anguſto ita clauſere, ut Romanos uno ictu conciſum fuerint, ſi ordinatè non temerè proceſſiſſent. Temeritas & ferocia barbarica victoriam ferè certam è manibus eripuit. Unde Oroſius è Livio: *Poſtea fortiſſimas nationes, quibus natura vires, conſuetudo*

Cheruſcorum, Suevorum, & Sicambrorum ferocia pœnè victrix.

Oroſ. l. 6. c ult.

experientiam dabat, Cheruſcos, Suevos, & Sicambros pariter uno bello, ſed ſuis aſpero ſuperavit. Quorum ex eo conſiderari virtus ac feritas poteſt, quod mulieres quoque eorum, ſi quando præventu Romanorum inter plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re quâ velut telo uti furor poſſet, parvos filios colliſos humi, in hoſtium ora jaciebant; in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ. Florus itidem ex eodem Livio: *Inde validiſſimas nationes, Cheruſcos, Suevos, & Sicambros pariter aggreſſus eſt. qui viginti Centurionibus concrematis, hoc velut ſacramento ſumpſerant bellum; adeo certâ victoriæ ſpe* (credo cùm Romanos ita clauſos tenerent) *ut prædam in anteceſſum pactione dividerent. Cheruſci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorſum. Victor namque Druſus, ex eorum barbarica temeritate, equos, pecora, torques eorum, ipſoſque, prædæ diviſit & vendidit.* Ita Florus. Reliqui ergo *victi, ferociâ fractâ, diſceſſere*, dixit ſuprà Dio. *Et Druſus caſtellum contra eos* (nempe in confiniis) Aliſonem, *aliudque in Chattis propè ipſum Rhenum erexit.* quo firmiùs ſcilicet eos frænaret, & illuc ire redireque poſſet.

Flor. l. 4. c. ult.

9. Ita tria jam minimum in Germania munimenta Druſus erexerat: primum *Amiſiam* ſeu *Embdam* in Cauchis; ſecundum *Aliſonem* ad Lupiæ Aliſoniſque confluſum, in Epiſcopatu Paderbornenſi hodierno; ubi etiamnum ejuſdem ferè nominis vicus *Elſen*. circa quem ego quidem iſtius pugnæ locum fuiſſe puto: certè Lupiâ non procul. Tertium non procul à Rheno in Chattis, & monte Tauno, ubi poſteà Trajani munimentum Moguntiam inter & amnem Lonam, in Ubiorum, antequam cis Rhenum transferrentur, ſedibus: quas Chatti jam, ut hic audis, obtinebant. Concludit tandem Dio: *Ob hoc Druſo ornamenta triumphalia, & ovandi jus, ac peractâ Præturâ Proconſulare imperium decretum eſt.* Romæ ſcilicet à Senatu: *Nomen autem Imperatoris, etſi ſicut paulo ante Tiberius à militibus Imperator dictus fuerat; & ob utramque rem geſtam numerum appellationis adauxerat: non tamen ab Auguſto datum eſt.*

Tria à Druſo erecta trans Rhenum Caſtra, Embda, Aliſo.

Tertium in Chattis & monte Tauno.

Unde ei ornamenta Triumphalia.

CAPUT XVII.

Reliqua Druſi prælia, Mors, funus, ſepultura.

Annis U. C. 744 & 745. Iulianis 36 37.

1. PRoximo anno Juliano 36. U. C. Liviano quidem 740. Varroniano autem 744. *Julo Antonio* Marci Triumviri è Fulviâ Clodii viduâ filio, & *Paulo Fabio Maximo Coſs.* Auguſtus iterum *in Galliam & quidem cum Tiberio & Druſo* ſuis è Liviâ privignis, fratribus germanis, *advenit, & in Lugdunenſi plerumque verſatus eſt; quo non procul à bello Germanico remotus, illius eventus melius intenderet*, ait Dio fine libri ſui 54. Unde Suetonius *Claudium* poſtea Imperatorem his Coſs. *Lugduni ex Druſo & Antonia minore*, Juli Conſulis ſorore licèt matre diverſa, *natum* ſcribit, & quidem *Kalendis Auguſti, eo ipſo die, quo primùm Ara ibi Auguſto dedicata eſt.* licèt ante biennium ex Dione facta videatur iſta dedicatio. Quod autem hic notat Dio, Auguſtum per hos annos in Gallia Lugdunenſi *plerumque verſari ſolitum*, non otioſè tranſmittendum. Lugduni quidem ille ceu Romanorum Coloniâ longè ſplendidiſſima frequentiſſimè ſed & Lingonibus in eadem Lugdunenſi nonnunquam agitabat, bellis Germanicis tanto vicinior: unde Caſſiodorus, è Livio haud dubiè, ſequentibus Coſs. Druſum notat *Cæſaris apud Lingonum gentem templum ſacraviſſe*: Sed quin eâdem ratione in Belgicam ſæpè tranſmiſerit, nemo non intelligit. Imò diſertè tradit Tacitus, cùm *Auguſtum, feſſâ etiam ætate, toties in Germanias*, utique Ciſrhenanas ſeu Belgicas, *commeaſſe* ſcribit. quo ſcilicet bellis Germanicis, non modò tanto propior, ſed & præſens intenderet. Idque particulâ *toties* tantò fortiùs affirmat. & Dio ſaltem innuit, cùm illum in Lugdunenſi, non *ſemper*; ſed *plerumque* duntaxat verſatum dicit. Quo loquendi modo, quin Treviros Auguſtus, Coloniam, Tungros, Bavacum Nerviorum, & ſimilia Belgicarum gentium capita inviſerit, ego quidem nullus dubito, & hæc ſcribens ita ſuppono.

Ad hunc Julum eſt Od. Horatii 2. libri 4. quæ etiam Auguſtû Rom. ob rebellantes Sicambros tunc abfuiſſe canit.

Auguſtus rurſum in Gallias cum Druſo veniens.

Lugduni plerumque agens.

Sæpè etiam in Germaniis Ciſrhenanis, ſeu Belgicis

2. Illo igitur Belgis noſtris præſente *Druſus* (pergit Dio) armis per hujus anni æſtiva alacriter reſumptis, *Germanos cùm alios* (puta Sicambros & Tenchteros) *tum Chattos iſtis ulteriores partim malè exceptos, partim ſubegit. Chatti quippè* tametſi priore anno Sicambris auxilia negaverant; hoc tamen mente jam aliâ, *relicto eo, quem illis aſſignarant Romani, agro, Sicambris ſe conjunxerant.* Ager iſte Chattis à Romanis aſſignatus, pacem inter eos, hoc tempore quamdam indicat. Sed quis ager ille? Ubiorum opinor, in Gallicam ripam antè annos 28. traductorum nuper ſolum: adhuc propè Rhenum, ſaltem Sigum inter & Mœnum amnes vacuum. Niſi fortè remotior alius ab aliis allatus. Utcumque ſit, neglecto Romanorum munere, & Sicambris barbarâ levitate rejuncti; cum ipſis à Druſo partim afflicti, partim ſubacti.

Dio. l. 54. fin.

Druſus Chattos ſubigit.

3. Quo in bello, id maximè quod ad rem noſtram Belgicamque facit, quodque ex Epitome Livii 139. aliàs 141. deſumitur, ante cetera notandum: *Bellum contra tranſrhenanas gentes à Druſo geſtum refertur. In quo inter primores pugnaverunt SENECTIUS & ANECTIUS, Tribuni civitatis NERVIORUM.* Nervii hodie Hannonii noſtrates, & finitimi, puta Aloſtenſes & Bruxellenſes, olim capite Bavaco, nominantur. uti jam ante monere cœpi, & magis infra oſtendam. Ac NERVIOS quidem Plinius ævo ſuo liberos appellat; neſcio an & Romano Latinóve jure donatos. quos in legione Romanâ merere potuiſſe tradit Feſtus. Videndumque per *Primores*, num aciei tantùm primæ milites, num legionis cohortiſve ductores intelligat. Nam cùm de pugna hic loquatur, Tribunos militum eos ſtatuere neceſſe eſt. Si de cohorte capit cùm mille eam quingentorúmve militum fuiſſe conſtet, totidem gentiles illi ſuos in aciem eduxerint: cúmque ſinguli ſingulas cohortes duxerint, duobus ferè millibus Nerviorum, minimùm mille conflixerint, non modicis pro gente copiis. Enimverò ſive Romanis adſcripti tum Nervii, ſive ſocii & auxiliares extiterint, amici certè deinceps, non ampliùs hoſtes aut ſuſpecti habiti. Ingenti Auguſti prudentiâ, profundiore conſilio; hoſtibus in ſocios commilitoneſque verſis, etiam fortiſſimo quóque turbidiſſimóque ſecum ſpecie honoris abducto, & rebellandi materie ſuccisâ. Hinc illud Provincialium ſæpè repetitum: *Nihil validum in exercitibus Romanis, niſi quod externum* (ut Tacit. Ann. 3.) *& Provincialium ſanguine Provincias vinci.*

In quos etiā pugnant NERVII noſtri

Sub Senectio & Anectio Tribunis ſuis.

5. Nec

4. Nec verò Nervios hic è Belgis ſolos, Romanis ſignis adſcriptos exiſtimo: Parem ferè è Morinis, Atrebatibus, Menapiis, Tungris, Treviris aliisque noſtratibus Belgis delectum fuiſſe vehementer ſuſpicor. adeoque deinceps Belgarum iras ac odia ab Romanis in Tranſrhenanos verſa puto; cum quibus poſthac vix unquam concordarunt. Romanorum mores, animos, cauſaſque ſenſim induerint, è Belgis Belgo-Romani deinceps appellandi; in Germanos, tanquam ejuratâ ſui origine, efferati. Et agitavit inter eos non rarò Auguſtus, ferè aſſiduè Druſus genituſque Druſo Germanicus, aliique deinde Duces Romani. Bellum in iis maximè parabant, militem colligebant, ex iis trans Rhenum movebant. Ad eos, bello parato redibant, accepta damna ſarciebant, hiberna in iis ferè ſolis per totam maximè Rheni ripam prætexebant. Prorſus ut bellum hoc, ſicut ab hoſte Sicambricum Germanicumque primo, lapſu deinde temporis diuturno, nempè ſub Gallieno Imp. etiam Francicum; ſic ab eo unde prodibat ſolo, BELGICUM dici potuerit. tanto eminentiùs, quanto Duces ad illud ex Auguſti Cæſarumque domo, amicitiâ intimâ, ſæpiùs etiam ſanguine ſubmiſſi.

Duces Romani hoc bello fuere Auguſtus, & ex ejus ſanguine affinitatíve præcipui.

5. Eadem æſtate *Dalmata quoque* (ait Dio) *propter exactum tributum* (an Cenſum?) *rebellionem fecere. eos Tiberius ex Gallia, in quam cum Auguſto profectus fuerat, adverſus eos miſſus pacavit.* De quo etiam Epitome Livii 139. alias 141. *Dalmatas & Pannonios Nero frater Druſi ſubegit. Pax cum Parthis facta eſt; ſignis à Rege eorum* [Phraate jam ſeniore] *quæ ſub Craſſo, & poſtea ſub Antonio capta erant, redditis.* Quatuor inſuper filiis ſuis pacis obſidibus Titio Syriæ tum Præſidi ultrò traditis. quemadmodum Strabo libro 6. extremo, & rurſum 16. & nos infra cum ipſo fuſius exequemur. Unde addit denique Dio ſuprà, *Decretum* (Romæ credo ab Senatu) *ut Jani Gemini Templum, quod bellis, quæ dixi, exortis apertum fuerat, iis jam compoſitis, clauderetur. Quod tamen ne fieret, Daci obſtitere; qui Iſtrum frigore concretum tranſgreſſi, ex Pannoniâ prædas abſtulerant.* Dio. Nec niſi tertio ab hinc anno Janus tertiùm ac poſtremùm ab Auguſto clauſus, ut ibi reddam. *His peractis* (concludit idem Dio) *Tiberius & Druſus cum Auguſto Romam redierunt, & quæcumque pro victoriâ decreta erant, aut aliàs fieri debebant, peregerunt.* Ibi tum Auguſtus, *ætatis annum jam agens 54. ſororem Octaviam amiſit*, ait Suetonius Aug. cap. 61. ergo poſt Septembris hujus anni diem 23. quo ille quondam natus. Illam vitâ functam in ſacrario Julio ſepelivit; tribus Octaviæ generis funus ejus efferentibus; Julo nempè Antonio hujus anni Conſule ordinario Marcellæ ſenioris marito; L. Domitio Ahenobarbo, Neronis Imperatoris avo, Antoniæ minoris; Druſo Nerone Antoniæ majoris. Ut ex eodem Dione Suet. aliiſque haurimus. Atque hic libri Dionis è Græciâ quondam allati deſiciunt; qui ſequuntur, mutili aut male ſucciſi ſunt: ut in tempore reddam.

Pax cum Parthis. *Strab. l. 6. fin.*

Unde decreta Jani clauſura: quæ tamen ad biennium dilata. *Dio l. 54. fin.*

Octavia ſoror Auguſti mortua. *Dio ſuprà.*

An contra?

6. Succedit annus U. C. Livio quidem 741. Varroni 745. Julianus 37. Druſo Nerone, & Quinctio Criſpino Coss. Druſo Duci noſtro licèt primùm Conſuli ſupremus. Româ Druſus ab ſocrus Octaviæ funere, in Belgium ad belli Germanici (hodie ferè Weſtphalici diceremus) finem primo vere regreſſus, *apud Lingonum gentem Templum Cæſari ſacravit.* Ut in Chronico ſuggerit, haud dubiè ex Livio, Caſſiodorus, ut ſolet: Quod hic ideo noto, quia Bonnæ mox ad Rhenum ſimile quid erexiſſe credo. Nam *Aram Vbiorum* illic quoque Auguſto dicatam, inferius audiemus. Adeo Romanorum non mores modò, ſed & ſuperſtitiones adulationeſque pleno pectore noſtri bibebant Belgæ. *Inde in Chattorum* (pergit Dio) *terram irrumpens, obvia quæque, non ſine magno labore ſubigendo; congreſſoſque, prœliis haud incruentâ victoriâ ſuperando, ad Sueviam uſque pervenit. Inde converſo in Cheruſcos* (hodie Brunſuicenſes) *itinere, Viſurgim tranſgreſſus eſt.* Suevia igitur iſta cis Viſurgim Dioni eſt, & quidem à Chattis diverſa, ex quibus ſcilicet ad eam pervenit. Nec alia proinde, quàm quæ ſuperiùs à nobis definita; à Mœno circiter amne ad Helvetios Rheno protenſa; Danubio naſcente nobilis. & ex eâ aptè iter in Cheruſcos ac Viſurgim vertiſſe Druſus ſcribitur.

Annus U. C. 745. Julian. 37. Druſo ſupremus.

qui Auguſto Templum apud Lingonas ſacrat. *Caſſiod.*

Dio 55. init.

7. *Viſurgim ergo tranſgreſſus, omnia populando, ad Albim uſque penetravit. qui ex Vandalicis montibus profluens, in Oceanum Septentrionalem, ingenti aquarum mole effunditur.* ait Dio, Bohemicos montes Vandalicos appellans; quod ejus ævo Bohemiam Vandali jam, ſeu vi ſeu pacto invaſiſſent, & cum Marcomannis incolerent, ut in tempore reddam. *Albim hunc tranſire Druſus fruſtra conatus; trophæis,* Magdeburgo non procul opinor, *conſtitutis, receſſit. Etenim mulier quædam, humanâ amplior formâ, ei occurrens, Quo tandem,* inquit, *tendis Druſe, inſatiabili cupidine? Non hæc videre fatis indultum. operum & vitæ jam tibi finis adeſt. Rem profectò miram! ſed quam probavit eventus. Nam & retro iter continuò Druſus cœpit, & in itinere, priuſquam Rhenum attingeret, morbo deceſſit.* Iſta Dio additis propterea prodigiis. *Ex fracturâ, equo ſuper crus ejus collapſo, triceſimo quàm id acciderat die mortuum,* tradit Epitome Livii poſtrema. *Cùm Salam inter ac Rhenum bellum feliciter gereret,* addit Strabo lib. 7. Mortis diem horum nullus exprimit. Tertio Idus Julias fato functum, videtur innuere Ravennæ apud Lipſium Inſcriptio, in Taciti Annalem 2. notâ 28. Cui & ſuffragari videtur Suetonius, Claudio cap. 1. *Druſus hoſtem frequenter cæſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum, non prius deſtitit inſequi, quàm ſpecies barbara mulieris, humanâ amplior, victorem tendere ultra ſermone latino prohibuiſſet. Ac poſt prætuream, mox Conſulatu, atque expeditione repetitâ, ſupremum diem morbo obiit; in æſtivis caſtris, quæ ex eo Scelerata ſunt appellata.* Æſtiva iſta caſtra, ab die mortis tertio Idus Julias non abſcedunt. *Ita illum* (concludit Velleius) *magnâ ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas, Conſulem, annum agentem triceſimum rapuit.*

Inde bellum ad Albim profert.

Cujus fontes in Bohemiâ, Dionis ævo Vandalica.

Unde rediens moritur.

In caſtris æſtivis.

Vell. l. 2.

8. *Ad famam ægrotantis Druſi,* rurſùm Dio, *Auguſtus qui non procul aberat* (nempè Ticini) *Tiberium celeriter miſit. iſque fratrem animam adhuc agentem reperit.* Sic & Epitome Livii ultima. Omnium fuſiſſimè Valerius Maximus: *Tiberius Princeps parenſque, noſter, cùm Ticini* (quò victor hoſtium, Dalmatarum atque Pannoniorum, *ad complectendos parentes venerat*) *gravi illum & periculoſa valetudine in Germaniâ fluctuare cognoſſet; protinus inde metu attonitus erupit. Iter quam rapidum & præceps uno ſpiritu corripuerit, eò patet, quòd Alpes Rhenúmque* (credo in Helvetiis) *tranſgreſſus, die ac nocte mutato ſubinde equo* (*vehiculis tribus,* ait Plinius) *ducenta millia paſſuum, per modo devictam barbariem, Antabagio Duce ſolo comite contentus evaſit. Sed tunc maximo labore & periculo implicatum, mortaliúmque frequentia deſtitutum, ſanctiſſimum Pietatis Numen, & Dii fautores eximiarum virtutum, & fidiſſimus Romani*

Dio lib. 55. Quem tamen frater Tiberius accurrens, adhuc ſpirantem invenit.

Val. Max. l. 5. c. 5.

Plin. l. 7. c. 20.

Imperii cuſtos Iupiter comitatus eſt. Druſum namque, quanquam fato jam ſuo, quàm ullius officio propior erat, vigore ſpiritûs & corporis viribus collapſum; eo ipſo tamen quo vita & mors diſtinguitur momento, legiones cum inſignibus ſuis fratri obviam procedere juſſit, ut Imperator ſalutaretur. Præcepit etiam dextrâ in parte prætorium ei ſtatui, & Conſulare & Imperatorium nomen obtinere voluit. Eodemq; tempore & fraternæ Majeſtati ceſſit, & vitâ exceſſit. Ita Valerius.

Conſol. ad Polyb. c. 34.

9. Corpus ejus ab exercitu pœnè vi retentum, & funere militari combuſtum, canit Elegia Pedonis potiùs quàm Ovidii ad Liviam, in Virgilii Catalectis. Eóque ferè ſenſu Seneca: *Tiberius Druſum Germanicum, minorem natu fratrem, intima Germania recludentem; & gentes ferociſſimas Romano ſubjicientem imperio, in complexu & oſculis ſuis amiſit. Modum tamen lugendi non ſibi tantum ſed etiam aliis fecit. Ac totum exercitum non ſolum mæſtum, ſed etiam attonitum, corpus Druſi ſui ſibi vindicantem, ad morem Romani luctus redegit. Indicavitq; non militandi tantum diſciplinam eſſe ſervandam, ſed etiam lugendi.* Ita Seneca, ſimilia quoque Conſolatione ad Marciam cap. 3. ſcribens.

Et corpus illius Romā revehit.

10. *Raptum ergo Druſi corpus* (pergit Dio) *Tiberius Romam revexit; portantibus ad primum uſque ad hiberna* Rhenana ſeu Belgica *Centurionibus ac Tribunis militum; inde ſingularum in itinere civitatum Decurionibus.*] Et Suetonius: *Corpus Druſi fratris* (inquit) *pedibus toto itinere prægrediens Tiberius, per Municipiorum Coloniarúmque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, Romam uſque pervexit.* Cui *Auguſtus*, addit Tacitus Annali 3. init. *aſperrimo hyemis Ticinum uſque progreſſus occurrit; neque abſcedens à corpore, ſimul ad urbem acceſſit. Cadavere in foro Romæ poſito,* rurſum Dio, *duplex Druſi laudatio: una à Tiberio in ipſo foro, altera in Circo Flaminio* (qui tunc adhuc extra urbem) *ab Auguſto habita eſt. Quia enim res bello geſſerat, fas ei non erat ea prætermittere, quæ poſt bella confecta, in ipſo pomœrii introitu de more præſtabantur. Druſi inde funus ab iis, qui Ordinem Equeſtrem cum dignitate ſervabant, & à genere Senatorio natis, in Campum Martium delatum eſt. Ibi cremati reliquiæ in Auguſti ſepulchro,* ſeu ut Epitome ult. *in C. Iulii tumulo, conditæ ſunt.* GERMANICI *cognomen ei, ac filiis datum: honoresq; ſtatuarum, Arcus triumphalis & Cenotaphii ad ipſum Rhenum dati.* Statuæ & Arcus Triumphalis credo Romæ, Cenotaphium ad Rhenum ſeu ut Eutropius *Monimentum apud Moguntiacum.* quod etiam hodie ſuperſtes ibi viſitur. Suetonius Claudio c. 1. *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit; circa quem deinceps, ſtato die quotannis miles decurreret; Galliarumq;* (Belgicæ præſertim) *civitates publicè ſupplicarent.* Quæ ſupplicatio Aram ibi adjunctam innuit: ut & aliam ad Aliſonem caſtellum Tacitus annali 2. *Prætereà Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via appiá decrevit; & Germanici cognomen ipſi, poſteriſq; ejus.*

Suet. Tiber. c. 7. & Claud. c. 1.

Quod Auguſtus Mauſoleo ſuo infert. Dio l. 55.

Germanici nomen illi ac filiis indulget.

Druſi elogium.

11. *Fuiſſe autem creditur non minus glorioſi quàm civilis animi,* ſeu ut Velleius, *tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit. Cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certè dulcedo ac ſuavitas, & adverſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio, inimitabilis fuiſſe dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit.*] *Ex hoſte ſuper victorias* (iterum Suetonius) *opimaquoque ſpolia captaſſe; ſummóque ſæpius diſcrimine Duces Germanorum totâ acie inſectatus. Nec diſſimulavit unquam, priſtinum ſe Reip. ſtatum quandóque reſtituturum, ſi poſſet.* Quod & Tacitus Annali 1. teſtatur. Sed *Tiberius frater* (ut idem Suetonius) *prodidit ejus epiſtolam, quâ ſecum de cogendo ad reſtituendam libertatem Auguſto, agebat. Unde exiſtimo* (ſuperaddit idem) *nonnullos tradere auſos, ſuſpectum eum Auguſto, revocatumque ex provinciâ. & quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis ne prætermitterem retuli, quàm quia verum aut veriſimile putem: cùm Auguſtus tantopere & vivum dilexerit, ut cohæredem ſemper filiis inſtituerit, ſicut quondam in Senatu profeſſus eſt; & defunctum ita pro concione laudaverit, ut Deos precatus ſit, ſimiles ei Cæſares ſuos facerent: ſibique tam honeſtum quandóque exitum darent, quàm illi dediſſent. Nec contentus Elogium tumulo ejus verſibus à ſe compoſitis inſculpſiſſe, etiam vitæ memoriam proſâ oratione compoſuit.* Suet. Ac licèt anno vitæ triceſimo raptum dicat Velleius, *ex Antoniá tamen minore,* Antonii Triumviri & Octaviæ ſororis Auguſti filiâ *complures liberos tulit: verùm tres omnino reliquit; Germanicum, Livillam, & Claudium* poſtea Imperatorem, nunc vix anni unius.

Tib. c. 5.

Claud. c. 1.

& proles.

alii majore

Quid ille in Belgica ad Rhenum condiderit. Flor. l. 4. c. ult. Nempe pluſquam 50. caſtella

12. Verùm ad inſtitutum magis eſt, quod de Druſo tradit Florus: *Præterea in tutelam Provinciarum præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit: per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella direxit.* Si 50. caſtellis oppidiſve Rhenum Druſus prætexuit, ſanè vix ulla ad Rhenum loca, veteribus Romanorum Scriptoribus celebrata, ab Druſinis excludi poterunt. *Ita Druſenheim* paulò infrà Argentoratum, quaſi Druſi domicilium, Ita *Taberna Rhenana, Vicus Julius, Alta ripa,* adhuc hodie *Altrip*, paulò infrà Spiram: *Moguntiacum, Bingium, Veſalia, Bodobriga, Confluentia, Antennacum, Rigomagus, Ara Ubiorum, Noveſium, Gelduba, Aſciburgium, Vetera, Arenacum, Vada, Grinnes, Trajectus Inferior, Lugdunum Batavorum,* à Druſo vel condita vel aucta fuerint: Ad Moſam verò etiam *Trajectum Superior,* Ponte ibi muniendo. quem ex pravâ Ammiani lectione *Obtricenſium* vernaculo idiomate vocatum exiſtimant; & alia ſimilia.

Bonnam & Moguntiacum claſſibus firmavit & pontibus.

13. Sed pergit ad Rhenum Florus: *Bonnam & Moguntiacum pontibus junxit, claſſibusque firmavit.* Moguntiacum enim hic omnino legendum, non *Geſoniam* aut *Geſſoriacum*: quando Germanicus Druſi filius Maguntiaco ſemper in Chattos oppoſitos, tanquam ex ponte trajecerit, ut infrà: claſſemque Romanam & quatuor in vicinia legiones ſemper excubaſſe, ex Tacito aliiſque intelligimus. Legionum nomina erant *Secunda, Tertia-decima, Quarta-decima, Sexta-decima.* Hæ Superiorem, ſeu Superioris Germaniæ exercitum componebant, Moguntiæque aut non adeo procul agitabant. Totidem in Inferiore Germaniâ, Prima & Viceſima Bonnæ; Quinta & Unde-viceſima (Una & viceſima mavult Lipſius) *Veteribus, ſexageſimum apud lapidem*, hodie *Santen* vel potius *Byrten* in Clivia.

Ara Auguſti ad Bonnam.

14. *Bonnam quoque* Druſo ponte claſſéque firmatam, conſtanter omnia Flori exemplaria ſuggerunt. Nec certè pontes limitaneos ſine claſſe, ſine milite, ſtatiſque ibi caſtris facilè tueatis. Eamdem & *Aram Ubiorum* dictam è Tacito aliiſque conſtat. Cujus autem Aram non item. Suſpicantur nonnulli Druſo poſitam, ut priorem alteram Moguntiæ. tanquam inferior exercitus, cum Druſi funere in hiberna reductus, Superioris pietati & in Ducem amori cedere noluerit. Ego Auguſto potiùs ab ipſo Druſo, quem & Lingonibus idē feciſſe ſupra retuli, ſacratam

opinor: cùm prior illa Gallorum omnium Lugduni poſita floreret quàm maximè; nec non & in ſingulas ſucceſſu & adulatione gliſceret. Adeóque brevi invaluit, ut Tranſrhenani quoque mox pacati Sacerdotium ejus ambierint; certè admiſerint etiam Principum filii. quando quinto antè Auguſti exceſſum anno, abhinc ſexto-decimo, ipſa clade Varianâ, Segimundum Cheruſcum eâ dignitate decoratum Tacitus infrà docebit. Auguſti Nummum profert Goltzius, cum Inſcriptione COL. JULIA BONNA. quem ego quidem ad Bonnam hanc Lubentiùs, quàm ad Juliobonam aut Luliobonam, aliasque ſimiles vertero.

Cujus Sacerdotes etiam Tráſrhenani.

15. Nec vero Belgicæ laus ea minima, quod Druſum Romanæ ſeu civilis ſeu militaris diſciplinæ primum maximumque doctorem nacta ſit: exin quippè rudiores ferèque barbaros togæ bellique mores exuit, amœniſſimis florentis atque regnantis Italiæ gratiis & Charitatibus induta jucundiſſimè: Nec iſtud hîc oſcitanter advertendum, quod ſecundum mediúmque Belgicæ noſtræ, totiúſque adeò Galliæ Cenſum Auguſtus ſecundò jam à ſe indictum, Druſo noſtro peragendum commiſerit. qui deinde quantumvis variâ bellorum incurſatione aliquoties interruptus, continuâ tamen octennii ſucceſſione in varias ad Orientem provincias inductus, in Syriam ac Judæam denique aduſque Chriſti natalem annum propagatus ac perductus eſt. ut ibi monſtrabo. Huic non parvæ Druſi felicitati, ſi unica inſuper eáque ſuprema acceſſiſſet, Chriſti mox naſcituri viſio plena cognitióque, nihil quod ipſi optaremus reliquum eſſet. Annis vix paulò plus quatuor ab ejus ortu abfuit, & de tanto tamen fonte, vel in ipſo fontis labio bibere non potuit. Beati qui viderunt & crediderunt. Nunc è diverticulo in viam.

Druſi in Bélgicam beneficia.

Druſus annis ante Chriſtum natum quatuor, mortuus.

CAPUT XVIII.

Bellum Sicambricum ſeu Germanicum à Tiberio patratum. Inde Pax Univerſalis: Ianus tertium ab Auguſto clauſus.

Anno U. C. 746. Iuliano 38.

Annus U. C 746. Julian. 38.

1. SEQUITUR annus à Druſi morte proximus, ante Chriſtum natum tertius, C. Aſinio Gallo, & C. Marcio Cenſorino Conſulibus. Rerum geſtarum copiâ majeſtatéque memorabilis; ſi integer ad nos, ut olim extabat in Livio, perveniſſet. Sed præterquam quòd Dio iſtos Auguſti ſatis jejunè hîc breviavit annos; etiam in iſtâ ſuâ brevitate, adhuc mutilus aut abs alio adhuc contractior eſt. Sat enim conſtat, priores ejus 20. libros à 35. ad 54. ſolos è Græciâ nobis allatos: reliquos ſex-decim à neſcio quo miſerè conſarcinatos, ſubinde etiam è puro Xiphilino quomodocumque ſuppletos. Quod præmoneo, ne Lector, cum aliis plериſque decipiatur, néve me ſupplere conantem admiretur.

Dio hic mutilus.

2. Auguſtus anno ſuperiore, licèt victor è Germaniâ reverſus, in Urbem tamen intrare, ob Druſi mortem noluerat. ait Dio. Hoc tandem anno *primum inivit*; non triumphans tamen, ut ſperabatur, aut ovans; *ſed Lauream tantùm in Iovis Feretrii Templum, præter conſuetudinem Romanam invehens. Neque feſtum ullum è victoriâ diem egit: plus ſibi Druſi morte damni, quàm victoriæ commodi, accidiſſe ratus. Conſules verò ea quæ pro victoriâ fieri ſolebant, fecerunt. Inter alia captivos quoſdam*, Germanos puta, Dalmatas, Pannonios, Dacos, *inter ſe dimicare juſſerunt*, &c. *Poſthæc Auguſtus principatum, ſecundo iam exacto decennio, cùm, ut dicebat, depoſuiſſet; invitus ſcilicet iterum ſuſcepit. Simul expeditionem in Keltas*, ſeu Germanos Tranſrhenanos *reſumpſit. Et ipſe quidem ἐν τῇ οἰκίᾳ in Provinciâ*, nempè Germania Inferiore Ciſrhenanâ ſeu Belgicâ remanſit. *Tiberius autem Rhenum traiecit.* Ita Dio, hactenus Velleio conformis, cùm ſcribit: *Moles deinde eius belli* Germanici, poſt Druſi mortem, *tranſlata in Neronem eſt*, ejus fratrem. *Quod is ſuâ & virtute & fortunâ adminiſtravit: peragratúſque victor omnes partes Germaniæ, ſine ullo detrimento commiſſi exercitûs (quod præcipue huic Duci ſemper curæ fuit) ſic perdomuit eam, ut in formam penè ſtipendiariæ redigeret provinciæ. Tum alter triumphus, cum altero conſulatu, ei oblatus eſt.* in victoriæ præmium ſcilicet. Denique Caſſiodorus in Chronico, breves ex Livio Periochas Conſulibus ſuis de more ſubnectens, ait: *C. Aſinio & C. Marcio Conſulibus*, hoc ipſo anno, *inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti.* Tiberio inquam, qui *omnes Germaniæ partes victor peragraſſe* à Velleio dicitur. Quid clarius?

Expeditionem in Germanos reſumit.

Dio ult.

Caſſiodor. in Chron.

3. Ex his certè quid in Dione verum, quid turbatum, facilè videre eſt. *Forum* Auguſti ſcilicet & Tiberii *vim metuentes Barbari* Tranſrhenani, *omnes, exceptis Sicambris* (ſic enim hic ex Eclogis Urſini Dionianis, ipſóque adeo Dione, qui de Tranſrhenanis hîc (non de Hiſpanis *Cantabris* diſertè agit; ex Suetonio item, Eutropio, & aliis legendum eſt) *legatos miſerunt, pacem petentes. Sed neque eam tunc impetraverunt; quòd Auguſtus niſi Sicambris ad cauſam adſillam ſe daturum negaret: Neque etiam poſtea. Nam licèt Sicambri quoque ipſi Legatos miſerunt pacem petentes: nihil tamen profecerunt. Prorſus ut & ipſorum pleriſque, iíque præſtantiores interierint. Illos quippe ſimul collectos Auguſtus, cùm in quaſdam Urbes*, Belgicæ utique, *diſſoſuiſſet*, vult dicere *tranſtuliſſet; ipſi id ægerrimè ferentes, manum ſibi violentas intulerunt.* Hactenus non malè, ſi de Sicambris ſolis intelligit. Si verò neque ipſos, neque alios Tiberio deditos ſciſcit, planè Velleio hæc videnti, planè Caſſiodoro ex Livio excerpenti, probè Horatio contradicit: qui his ipſis diebus Auguſto canit, *Te cæde gaudentes Sicambri compoſitis venerantur annis.* Imò & ipſi quoque Tiberio hujus belli patratori contrarius, qui apud Tacitum Annali 2. Germanico ex fratre nepoti, adoptione filio, ita ſcribit: *Se novies à D. Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos: ſic Suevos Regemque Maroboduum pace obſtrictum. Poſſe & Cheruſcos, ceteraſque rebellium gentes, internis diſcordiis relinqui.* En Sicambri Tiberio cum ceteris diſertè *dediti*: en Suevi quoque cum Rege ſuo Maroboduo *pace obſtricti*, & quidem à Tiberio ipſo victore, idipſum de ſe teſtante. Quid contra illos Dio Græcus, ducentis viginti annis poſt hæc, compendio ſi non & diſpendio, ſcribens? Accedit quoque Suetonius Aug. cap. 21. *Germanos ultra Albim fluvium ſubmovit. ex quibus Suevos & Sicambros dedentes ſe* (nota) *traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Idem habet Tib. cap 9. Sed de iſta traductione,

Dio corruptus.

Horat. l. 4. Ode penult.

Sicambros & Suevos Tiberius in deditionem accipit.

Auguſtus Romam intrat. Dio l. 55.

paulò

paulò infra commodiùs. Nunc de Germanorum pace ago.

Pacem hanc Velleius agnoſcit.

4. Illam certè Velleius bis agnoſcit: primò cùm Gemaniam hîc in formam ſtipendiariæ Provinciæ redactam ſcribit. Iterum cùm paulò pòſt ſubdit, *eamdem averſis domitoris ſui* (Tiberii) *oculis*, cùm Rhodum nempè ſeceſſiſſet, *rebellaſſe*. Quomodo rebellaſſet, ſi Pax nunc ei nulla? Quâ fronte Horatius *Sicambros* caneret, *Compoſitis Auguſtum armis venerari?* Quomodo Tiberius præter *Sicambros in deditionem acceptos, Suevos etiam Regemq́; Maroboduum à ſe pace obſtrictum*, Germanico ſcriberet? Quis Suevis pace obſtrictis, Sicambris Auguſtum venerantibus, imò in Gallias traductis, adeóque teſte etiam Tacito annali 12. *ſic excisis, ut nomen eorum penitus extingueretur*; Germanis denique omnibus Albim inter ac Rhenum deditis; Quis, inquam, bellum reſumere potuit? Quomodo *pax infecta manſit*, ut Xylander Dionis interpres, hîc de ſuo, ex Dione male intellecto, addit? Planè Chatti, Cheruſci, & confines pacem hanc tenuere; quando Segeſtes Cheruſcorum Dux, Arminii poſtea ſocer, Germanico apud Tacitum Annali primo loquens, *pacem ſe quam bellum probaſſe, & tunc à D. Auguſto civitate Romana donatum* jactare audet. Nam in hoc tempus veritatem iſtam ætas ejus confert.

Segeſtes Cheruſcorũ Dux civitate Romanâ donatus.

Janus ab Auguſto tertium clauſus.

5. Sed longè præcipuum, adeóque palmare pacis hujus argumentum eſt, JANUS hoc ipſo anno tertiùm ac poſtremùm ab Auguſto clauſus; quantumvis hucuſque toties claudi decretus, ſed variis ſemper caſibus impeditus. Quod quia ad Chriſti Domini Nativitatem maximè pertinet, hic validè fuſiúsque ex fidis hujus ævi Scriptoribus probare conſilium eſt; ſed ſeparatim, & paulò infra, ne ſeriem hiſtoriæ importunè ſuccidam.

Sicambri parum fidi: eóque cis Rhenum traducti.

6. Ita ergo pacatos trans Rhenum Germanos, quomodo certiùs in poſterum frænare poſſet, feriò cogitare cœpit Auguſtus. Duas maximè illis res faciles & expeditas obſervarat; expeditam primò ſoli mutationem, cùm ob tenuitatem victus, & agriculturæ neglectum, rebus ſuis in currus impoſitis ſtatim cum pecore ſuo diſcederent: tum verò parum fidelitatis, ac crebram fidei fractionem. prorſus ut adverſum illos, nulla quàm in incredulitate diffidentiaque major ineſſet utilitas. Quod libro 7. ſub initium notat Strabo: ſubdens, eos quibus fides habita eſſet, damna intuliſſe maxima. Præcipui in iis erant Sicambri Suevíque, ut Rheno viciniores, ita & Belgis confinibus infeſtiores. Eos ergo ſolo patrio avulſos, in Gallias transferre conſtituit, & traducendi curam Tiberio impoſuit. Isque, ut infrâ dicam, feliciter id executus eſt, omni deinceps rebellionis occaſione ſtirpitùs excisâ. Quod genus pœnæ multis etiam paris farinæ gentibus, hac tempeſtate Auguſtus quò pacem magis toto imperio firmaret, intulit. ut ſequentia plura docebunt.

Legiones aliquot Rhenanæ trans Rhenum præſidio deductæ.

7. Neque verò Sicambros Suevoſque ſolos hæc ipſa traductio, ſed & eos qui in patriis remanebant ſedibus, ſimilis pœnæ metus à rebellione continuit. Quóque magis continerentur, poſita ad Rhenum adverſus eoſdem præſidia mutavit rectiúsque diſpoſuit Auguſtus. Jam ante in Lollianâ clade annis ante hunc totis octo, integras ibidem excubaſſe legiones octo, ex quinta maximè legione Velleio teſte tunc cæsâ ſuppoſui. Harum plures quin ad poſtremam hanc Tiberii in eos expeditionem miſerit Auguſtus nullus dubito: cum paucis reliquis velut ad ſarcinas in Belgio ipſe remanens, ut ex Dione ſupra monui. Reliquæ Tiberium ultra Rhenũ comitatæ legiones, non omnes cis flumen hac pace reductæ. Earum quaternas facilè in ſolo Barbarico relictas, ſuadet conjectura veriſimilis. quas in hæc præter propter præſidia diſpoſitas non invitus admittet Lector. Verbi gratia (ut ab Oceano ſurſum aſcendam) in *Flevum* litorale Friſiorum caſtellum; in *Amiſiam* item (hodie *Emden*) commune in Bructeros Chaucosq́ue munimentum, utrumque ante annos quatuor à Druſo conſtructum. Addamus & tertium quod in Chattis ad Rhenum idem erexerat. Quibus omnibus conſervandis unam facilè legionem exhauſerit. Tres alias circa quartum Druſi opus atque munimentum *Aliſonem*; ad Lupiæ ferè fontem, in media pœnè Germaniâ tranſrhenanâ, ſtativa deinceps habere caſtra voluit. ut ex Vari triumq́ue legionum clade poſteà ſecutâ pervidemus. Reliquæ erant ex Rhenanis octo legionibus, quatuor. Earum partem in alia mihi incomperta præſidia diſperſerit; partem cis Rhenum in ſtativa ſoluta remiſerit. Duas ſaltem integras, in Superiore cis Rhenum Germaniâ, cladis Varianæ tempore, remanſiſſe teſtatur Velleius: quas & ad hoc tempus ex ſimili transfero. Neque verò Inferior Germania Rhenanis omnibus fuerit nudata præſidiis. Sic promoto jam limite, tranſrhenanos victos ibique remanentes, novis ultra Rhenum præſidiis compeſcuit; eaque antiquorum Ciſrhenanorum metu non ſolvit.

Ita Belgica nonnihil levata.

8. Belgicam tamen noſtram magno deinceps incommodo ac ſervitute levatam, negare non poſſumus; quatuor nempe legionum gravi onere: nec minùs tot aliarum copiarum itu redituque importuno; nonnullâ item vectigalium remiſſione. Nec potuit pacis hujuſce fructus ad remotiores alias Galliarum regiones uberior proveniſſe. Quin & ipſæ cis Rhenum reductæ legiones, majore diſciplinâ coercitæ; laxiùs ubique quia pauciores diſpoſitæ; cõmercio connubiiſque, ceu novi inquilini, cum incolis ipſis adſtrictæ, ſenſim denique in gentem unicam adjunctæ. Hæc omnia tunc in Germaniâ patravit Auguſtus, tot gentium hac ætate victor; interim dum Sicambros atque Suevos transferre Tiberius adgreditur.

Auguſtus Romam reverſus Imperatoris nomen XIV accepit; Tiberius ſecundum.

9. Ipſe Romam ante autumnum, Auguſto ferè Septembríve menſe regreſſus, poſtquam ingenti omnium gratulatione receptus eſt, animum ad componẽdas res urbanas advertit. de quibus ita Dio c. 55. Primùm *Imperatoris nomen accepit, & Tiberio communicavit*; ipſe quidem XIV. Tiberio ſecundùm. ut ex Nummis & Occone docemur. *Tum militibus non victoriæ quidem nomine, ſed quod Caium* natu â nepotem ſuum, adoptione filium, *tunc primum exercitiis militaribus deditum ſecum habebant, pecuniam donativi nomine largitus eſt. Tiberium Imperatorio nomine decoratum, Conſulem iterum* in ſequentem annum *fecit; triumpho etiam ornavit. Nam triumphum ipſe ducere nolebat; id potius accipiebat, ut Natalitiis ſuis* (Septembris 22.) *ludi perennes eſſent Equeſtres*. Denique *Pomerii quoque terminos* (ut ampliato ſolebat Imperio) *protulit*. Iſta omnia Dio: ingentium ſanè victoriarum & magnæ Pacis argumenta. Neque tamen omnia ſuggerit, compendio ſcribens inſuperque mutilus. Nihil certè de tertiâ Jani ab Auguſto clauſurâ: nihil de anni Juliani nimia Intercalatione luxati reſtitutione, niſi quod Sextilem menſem Auguſtum tunc dictum tangat: nihil de Luſtro Romæ condito,

Pluſcula Pacis & victoriæ argumenta.

ſimul

ſimul Generali iterato, & in Provincias abhinc ſeriò tranſlato. Nos aliunde exequemur. & primùm quidem hoc & ſequenti capite Clauſuram Jani ab Aug. tertiam; ab U. C. quintam.

Primum. Janus tertiò ab Auguſto clauſus.

10. Suetonius Auguſto cap. 22. *Janum Quirinum ſemel atque iterum à Condita Urbe ad memoriam ſuam clauſum in multo breviore temporis ſpatio, terrâ mariq́, pace parta, ter clauſit.* Ter, inquam. primùm (ut vidimus ſuprà) Antonio Cleopatrâque victis, anno Juliano 17. U. C. Varroniano 725. quintùm Conſul. Iterum anno inde quarto nonùm Conſul. Tertiùm iſto, Germanis debellatis; ſimul Parthis biennio antè novâ ultroneáque pace devinctis. ut ibi & mox fuſiùs. Ita annorum unius ac viginti ſpatio, multo breviore quàm Reſp. bis annis totis 729. Chriſto nempe jam naſcituro Pax iſta parabatur. Ac biennio quidem antehoc, Janum Senatus claudi decreverat, ait Dio Julo Antonio Fabióque Coss. multis jam Druſi de Germaniâ, multis L. Piſonis de Thraciâ, multis de Pannonia Dalmatiâque Tiberii victoriis. *Daci*, ait Dio, *Iſtrum gelu concretum tranſgreſſi, Pannoniamque deprædati, Dalmatæ quoque ob exactum tributum rebellantes obſtiterant.* Nunc omnibus his, ac maximè Germanis hac æſtate debellatis cur diſtuliſſet? Dacos quidem Suetonius Auguſto cap. 21. incurrentes coercitos ſcribit, tribus eorum ducibus cum magnâ copiâ cæſis. annum non ponit. Niſi quòd immediatè ſubdat, *Germanóſque ultra Albim fluvium ſubmovit*, ad hunc prorſus annum. Ita nullus ab Occidente motus.

Quia Germani victi aut pacati.

Et Parthi cum Rege Phraate.

11. In Oriente verò *Parthi pacem à biennio*, ut jam dixi, *fecerant, ſignis à Rege eorum, quæ ſub Craſſo & poſtea ſub Antonio ceperant, redditis*, ait Epitome Livii penultima. *Ipſe eorum Rex Phraates Regus vetus* (ut Tacitus Ann. 2.) *quanquam depuliſſet exercitus Ducéſque Romanos, cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat; partemq́, prolis, firmandæ amicitiæ, miſerat; licèt haud perinde noſtri metu, quàm fidei popularium diffiſus. Vocatoque ad colloquium Titio, Syriæ tum Præſide* (addit Strabo) *quatuor legitimos filios illi tradidit; Saraſpadem, Caroſpadem, Phraatem & Vononem; & uxores horum duas, & quatuor liberos, veritus domeſticas ſeditiones & inſidias.* rebellante nimirum Mithridate quodam, ut tangit Joſephus Orig. lib. 16. c. 11. fin. Titii quoque Syriæ Præſidis mentionem capite 12. ſequenti faciens. & aptiùs adhuc idem Strabo lib. 6. finiente: *Parthi licèt ditionem Romanæ conterminam habeant, & maximâ valeant potentia; tamen Romanorum noſtræ ætatis Principum majeſtati adeò conceſſerunt; ut non ſpolia modò, quæ de Romanis aliquando retulerant, Romam remiſerint; ſed & filios Phraates Auguſto Cæſari nepoteſque crediderit: amicitiam* (& non ſolum pacem) *datis obſidibus emereri officioſè voluerit.* Mox: *Quippe Republicâ jam uni tanquam patri commiſsâ, quòd tantam à pluribus gubernari dominationem nimis arduum eſſet: Nunquam Romanis eorúmque ſociis tanta Pax, omniumque bonorum abundantia contigit, quantam & Cæſar Auguſtus præbuit, poſtquam ad eum ſolum ſumma rerum delata, & nunc præſtat filius ejus ac ſucceſſor Tiberius, filiis adminiſtris Germanico & Druſo.* Ita Strabo etiam ante Germanici mortem; quæ in annum ab exceſſu Auguſti ſextum ineuntem, ab hoc Juliano 38. vix 26. incurrit, iſta ſcribens. Tantam Phraatis ſubmiſſionem Joſephus quoque Judæus commemorat, Orig. l. 18. c. 3. & ad Thermuſæ, Phraatis primùm concubinæ, tum etiam uxoris technas refert: ut filiis Phraatis natu majoribus abſentibus, ſuo Phraataci juniori Regnum afferret. quod & mariti cæde tandem extorſit; ut quinto abhinc anno, Chriſti nati tertio reddam. Interim tot tantorúmque Scriptorum teſtimonio fixum maneat; hoc anno Juliano 38. pacatis ab Occidente Germanis, ab Oriente ante biennium Parthis, nullo jam hoſte reliquo, Jani portas tertiùm ab Auguſto victore, quintùm ab Urbe condita obſeratas.

Str. l. 16. & l. 6

CAPUT XIX.

Eadem Iani clauſura magis probata, & quamdiu ſteterit. ab Horatio moriente decantata. Annus Iulianus ab Auguſto per hanc pacem reſtitutus. Hiſtoriæ Livianæ finis. Qui tùm Poëtæ.

Eodem Anno Iuliano 38.

1. FUit hæc Jani clauſura ab Auguſto tertia & poſtrema; duorum priorum conſtantior atque productior; CHRISTO Pacis Principi, ejuſque Præcurſori, mox naſcituris, obſecutura. Prima Auguſti, vix tres annos tenuit. Secunda non plures octo. Tertia hæc totos duodecim: ab hoc anno U. C. 746 Juliano 38. ante veram Chriſti nativitatem tertio, uſque ad annum U. C. 758. expletum, Julianum 50. à Chriſto nato nonum. Quod plurium hujus ævi Scriptorum teſtimoniis validè probare, conſilium eſt.

Tertia Jani ab Auguſto clauſura anno Juliano 38. facta.

2. Ac imprimis Horatii Poetæ tunc viventis, videntis, & hoc ipſo anno ſcribentis. De quo ſic in ejus vitâ Suetonius: *Natus eſt Horatius ſexto Idus Decembris, L. Cotta, & L. Torquato Conſulibus. Deceſſit quinto Kalendas Decembres, C. Martio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo Conſulibus.* Id eſt, hoc ipſo anno Juliano 38. ante Chriſtum natum tertio. Igitur quod poſtremis duabus Odis ſuis de Auguſto ſcribit, poſt iſtum mortis ejus diem contingere non potuit; nec ſeriùs iſto contigerit. Canit autem Ode penultima, ſeu 14. finiente libri quarti, *Te cæde gaudentes Sicambri compoſitis venerantur armis.* En Sicambros pace donatos, quod jam ſuprà monui. Ode verò proximè ſequente, decimâ quintâ & ultima ejuſdem libri quarti, Auguſtum ſemper alloquens, ita ſubdit:

Probatur è Horatii tùc ſcribentis teſtimonio.

——— Tua Cæſar ætas
Fruges & agros rettulit uberes,
Et ſigna noſtro reſtituit Jovi,
Direpta Parthorum ſuperbis
Poſtibus. & vacuum duellis
JANUM Quirini clauſit. & ordinem
Rectum evaganti fræna licentiæ *
Injecit, &c.

*Videtur anni evagantis reſtitutionē tāgere.

Rurſum: *Cuſtode rerum Cæſare, non furor*
Civilis, aut vis eximet otium:
Non ira, quæ procudit enſes,
Et miſeras inimicat urbes.
Non qui profundum Danubium bibunt
Edicta rumpent Julia; non Getæ,
Non Seres infidive Perſæ,
Non Tanaim propè flumen orti.

En præcipuæ gentes pacatæ.

Canit

Canit ecce iſtis, quibus obiit Martio Cenſorino, & Aſinio Conſulibus, ante quintum Kal. Decembris, ſeu Novembris 27. diem, *JANUM Quirini clauſum*: nempe tertiùm & poſtremùm ab Auguſto. Igitur anno Juliano 38. ante veram Chriſti Nativitatem tertio jam inituro. Et quidem Sicambris ſeu Germanis pace donatis: ut & ante biennium Parthis; cùm ſigna militaria ſub Craſſo Antonióque capta reddidiſſent; ut Epitome quoque Livii penultima, & Suetonius Aug. cap. 21. ſciſcunt. Poteſtne certiùs, quàm hoc Horatii videntis & ſcribentis, de Pace Janóque clauſo proferri teſtimonium?

Horatii morientis ætas.

3. Scio ſcrupulum hic cuipiam enaſci poſſe, ex eo quòd ſubdit Suetonius; iſtis *Cenſorino Aſinióque Conſulibus* Horatium ætatis annum egiſſe 59. cùm inter iſtos, quibus natus ac mortuus eſt Conſules Cottam ac Torquatum, non plures 57 intercurſent. Verùm nemo negaverit, faciliùs in numeros, quàm in Conſules mendum irrepere potuiſſe. Ideóque pro 59. planè 57. reponendum, quot diſertè profert Euſebii Hieronymive Chronicon; quodque etiam Suetonius ipſe ſatis innuit, cùm nati mortuique Horatii Conſules eos recenſet, qui annis ſolùm 57. non 59. inter ſe diſtant. Janus ergo illis Coss. tertiùm ab Auguſto certò clauſus, ante veram Chriſti Nativitatem tertio mox inituro.

Probatur 2. ex Tacito apud Oroſium.

4. Sicut autem ex hoc Horatii teſtimonio, primum Jani clauſi annum, ita & ex Taciti apud Oroſium aſſertione poſtremum ſeu duodecimum diſcimus. quod ſecundum eſt Pacis hujus & obſerati Jani argumentum. Scribit Oroſius lib. 1. cap. 1. *A Nino vel Abraham, ad Cæſarem Auguſtum, id eſt uſque ad Nativitatem Chriſti, quando factâ pace cum Parthis* (nota: & mecum inſuper adde, etiam cum Germanis) *IANI portæ clauſæ ſunt, & bella tota Orbe ceſſarunt; colliguntur anni duo millia quindecim*, juxta Euſebii Chronicon ſcilicet, quod ſequitur hic Oroſius. Rurſum libro ſexto, cap. ultimo. *Cæſar Auguſtus ab Oriente in Occidentem; à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus unâ Pace compoſitis, Iani portas tertiò ipſe clauſit. Quas ex eo per DUODECIM FERE ANNOS, quietiſſimo ſemper obſeratas otio, ipſa etiam rubigo conſignavit. Nec prius unquam, niſi extremâ ſenectute Auguſti pulſata, Athenienſium ſeditione, & Dacorum commotione patuerunt.* Ita Oroſius. Optimè, ſi pro Athenienſium ſeditione, ferè nihili habitâ; multo majorem Dalmatarum, Pannoniorum, forteque Dacorum rebellionem, annis poſt hunc aptè *duodenis* exortam poſuiſſet: ut ibi fuſiùs. Aptiùs iterum libro 7. cap. 3. *Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, ſene Auguſto IANUS patefactus, dum apud extremos terrarum terminos, novæ gentes ſæpè ex uſu, & aliquando cum damno quæruntur, uſque ad Veſpaſiani duravit imperium.* patefactus ſcilicet apertúſve.

Janus annis 12 clauſus juxta Tacitum.

Taciti verba apud *Oroſ. l. 7. c. 3.*

Auguſti ſenect.[9] anno ætatis ejus 68.

5. Auguſti ſenectutem iſtam, quâ Janum apertum ſcripſit Tacitus, ego nullam aliam invenio, quàm quâ duodenis ab hinc annis Janus ab illo ingenti Dalmatarum rebellione reſeratus; anno ætatis illius ſexageſimo octavo, rectè ſenili, ante ejus exceſſum nono. Ita Tacitum quoque tantum Scriptorem nobis hic ſuffragantem habemus, quo meliorem vix proferre potuit Oroſius: ſi benè aſſecutus eſſet; & Chriſti Nativitatem biennio toto, cum Euſebii Chronico moratus non fuiſſet. Quis credat Jani portas, ſolâ Athenienſium ſeditiunculâ patefactas; non item Dalmatico, Pannonico, Dacicoque bellis tanto gravioribus, & toto triennio prioribus? Sed nimirum bella hæc Oroſius in Euſebii Chronico non legerat: in Velleium tantum hujus ævi Scriptorem, in Dionem aliosque iſta narrantes non inciderat. de quo plura alibi commodiùs. Nos interim duodenos clauſuræ iſtius annos à Tacito definitos, ab anno Juliano feneſcente 38. ad 50. expirantem deducamus; ad bella iſta Illyrica, ad hiſtoriæ ſeriem, ad ipſam etiam Auguſti ſenectutem, tam diſertè à Tacito notatam, aptiſſimè veriſſiméque; imò & ad Ovidii tunc viventis ac faſtos ſuos edentis mentem, ut anno ſuo reddam.

Ovidius quoque libro 1. faſtorum Janum clauſum canit.

6. Accedat ad hæc omnia Imperatoris nomen, ut antè & poſt hunc annum, toties Auguſto repetitum & auctum: ita & hoc ipſo Juliano 38. quartumdecimum dici cœptum: ut priore XII. & XIII. Id ex ipſomet Dione, quantumvis ſucciſo turbatóque, primùm diſcimus: cùm hic *Auguſtum ipſum Imperatoris nomen accepiſſe, & Tiberio dediſſe* ſcribit. Deinde etiam ex veteribus apud Gruterum Inſcriptionibus, & apud Occonem aliosque Nummis. Dio quidem Nominis iſtius Imperatorii numerum non exprimit: exprimunt Inſcriptiones ac Nummi, dum Imperatoris Auguſti appellationem quartam-decimam, cum ejuſdem Tribunitiâ poteſtate Sexta-decimâ comparare incipiunt, ac per annos duodecim inde totos conſtanter retinent, neque ullâ augent unitate. Donec de integro, cum Tribunitiâ Poteſtate XXVIII. demum augere, & Quintam-decimam ſupputare incipiunt. Atqui Tribunitia iſta Poteſtas Quartadecima, ab anno Juliano 38. præcipitante iniit; & quinquageſimo itidem feneſcente deſinit. Quare duodecim annorum interfluxu clauſus manſit Janus: nec niſi *ſene Auguſto*, ut Tacitus, de novo patefactus; anno ſcilicet ætatis illius 68. ante mortem nonò. ſupputatione certiore neſcias, an juſtiore. Adeo verum vero coaleſcit, ſeu aliunde advocatum, ſeu ingenio junctum. Igitur totâ illâ temporis intercapedine, ab armis quies, & pax firma, vel nonniſi modicè laceſſita permanſit. quando iſta Imperatoris nomina ſolis bellis, & relatis inde victoriis dari augerique ſolebant. Næ Livius quidem, ſi ſupereſſet integer, certiùs quàm Nummi iſti Tacito juncti tertiam hanc Jani clauſuram, & clauſuræ tempus definirent. Quis enim contra Nummos tunc publicè cuſos ac receptos, quis contra Tacitum apud Oroſium, quis contra Horatium laudes Auguſti palàm canentem auſit obniti?

3. Probatur ex Inſcriptionibus & Nummis. *Dio l. 55.*

Apud Gruterum & Occonem.

7. Sequitur alter Pacis ejus fructus: Anni Juliani, vitio Pontificum & nimiâ Intercalatione corrupti, facta item hoc anno Romæ reſtitutio. De quâ clariùs ipſe quoque Suetonius Aug. cap 31. *Annum a D. Iulio ordinatum, ſed poſtea Sacerdotum negligentia conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit. In cujus ordinatione Sextilem menſem è ſuo nomine nuncupavit* Auguſtum, *magis quàm Septembrem, quo erat natus: quia hoc ſibi & primus Conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent.* En primò Sextilis in Auguſtum tranſlatus. quod & hic notat Dio, licèt Reſtitutionis anni mentione prorsùs nullâ. & clariùs adhuc Cenſorinus de die Natali cap. 22. *Qui Sextilis Menſis fuerat, & S. C. Martio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Coss. in Auguſti honorem dictus eſt Auguſtus: anno Auguſtano*, ex quo Cæſar ipſe Auguſtus eſt dictus vigeſimo. In quo autem iſta Reſtitutionis ordinatio ſita fuerit, ſilet iterum Dio, ſilet & Cenſorinus. exprimunt Plinius, Solinus atque Macrobius.

Kalendarii Romani correctio.

Qua Menſis Sextilis dict.[9] Auguſtus.

In quo illa conſtiterit.

Unius hic Solini verbis contenti erimus capite 3. *Vitium per Sacerdotes admiſſum eſt. Nam cùm præceptum eſſet, anno quarto ut intercalarent unum diem: & oporteret confecto 4. anno id obſervari, antequam quintus auſpicaretur; illi incipiente quarto intercalarunt, non deſinente. Sic per annos ſex & triginta* (à Cæſaris ſcilicet ordinatione hucuſque fluentes) *cùm novem dies tantummodo ſufficere debuiſſent, duodecim ſunt intercalati. Quod deprehenſum Auguſtus reformavit; juſſitq́; annos 12. ſine intercalatione decurrere. ut tres illi dies, qui ultra novem neceſſarios temerè fuerant intercalati, hoc modo poſſent repenſari. Ex quâ diſciplinâ omnium poſtea temporum fundata ratio eſt. Hæc & multa alia Auguſti temporibus debentur, qui penè ſine exemplo rerum potitus eſt.* Eadem ferè Macrobius 1. Saturn. cap. 14. ita concludens: *& omnem hunc ordinem Auguſtus æreæ Tabulæ ad æternam cuſtodiam inciſione mandavit.*

Cùr Auguſtus tres dies abundantes annis 12 peremerit,

8. Poterat Auguſtus tres iſtos ſuperfluè intercalatos dies, uno eodémque anno, imò & menſe perimere. quemadmodum decem totos, itidem ætate noſtrâ ſuperfluentes, ſubitò tranſmitti voluit Summus Pontifex Gregorius XIII. Sed ſolotum intercalarium trium omiſſionem Auguſtus occultiorem, eoque vulgi admirationi murmurique minùs obnoxiam prudenter exiſtimavit. Nec defuerunt etiam hoc ævo noſtro, qui Gregorium quoque ſilentiùs, ac ſine ullo vulgi murmure, decem iſtos abundantes dies, decem quoque Biſſextorum diſſimulatione, annorum 40. ſcilicet intervallo, peremptum fuiſſe contenderent. Cujus ſententiæ fuerat ante annos 60. Stofflerus. Sed hæc præterquam quòd adiaphora ſunt; ſapientiſſimè quoque Gregorius Pontifex intercurſantes rerum humanarum viciſſitudines, variaſque variorum hominum, præſertim hæreticorum, & quidem Regum Principúmque tùm maximè vigentium, oppoſitiones expendit, quibus tam neceſſaria Anni correctio, 40. annorum interfluxu, ſi non omnino ſuccidi, certè impugnari turbarique potuiſſet. Qui metus in Auguſtum tunc non Pontificem dumtaxat in ſacris ſuis, ſed in Politicis etiam omnibus abſolutè Monarcham, non incurrebat. Unicâ iſtâ ſuâ ſubitâque ſucciſione Gregorius pericula omnia devoravit: vulgi admirationem murmurſque nihil in tantâ Eccleſiæ neceſſitate deſiderioque moratus, & res benè vertit. Atque hæc de Auguſtæa Anni Juliani Reformatione. Præ quâ Ægyptus, Antonius, & Germani ſubacti, tres item ejus Triumphi, fumus & umbra ſunt. quando jam inde ad noſtram ætatem temporum ſtetit fundata ratio, tametſi Solis motibus paulò longior. Tam proficua ille mortalibus invexit, exiguo licèt à bellis otio. Princeps annorum mille vitâ, imò & immortalitate digniſſimus; Chriſti figura longè ſupra Cyrum expreſſior.

Non uno anno, ut noſtra ætate Gregorius Pont. XIII.

Livianæ hiſtoriæ finis, hiſce Coſs. Aſinio & Cenſorino.

9. Interim Livianæ hiſtoriæ finem poterit hic mecum notare Lector; è Sextili menſe in Auguſtum his Conſulibus immutato. Nam licèt illius Epitome non ultima, ſed 134. Menſem Sextilem Auguſtum in ejus honorem appellatum notet: id tamen anticipatione & ex occaſione prænarratum nemo non videt primùm, donec ad hos uſque Conſules Cenſorinum & Aſinium opus ſuum perduceret Livius, quo primùm Sextilis Auguſtus Senatuſconſulto eſt appellatus; ut Macrobius 1. Saturn. c. 14. *Cum Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili & primum Conſulatum inierit, & triumphos tres in Vrbem intulerit; & ex Janiculo legiones deductæ ſecutæq; ſint ejus auſpicia ac fidem; & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem Populi Romani redacta ſit; finiſq́; hoc menſe bellis civilibus impoſitus ſit; atque ob has cauſas hic menſis huic Imperio feliciſſimus ſit ac fuerit: Placere Senatui, ut hic Menſis AVGVSTVS appelletur. Idem Plebiſcitum factum ob eandem rem, Sexto Pacuvio Tribuno plebem rogante.* Inter hos hujus anni 38 Juliani Conſules Aſinium atque Cenſorinum; & Cæſarem ſextum, Agrippamque tertium, quibus ille Auguſtus à Senatu dictus, anni intercurſant omnino viginti. Tanto ecce narrationem hanc prævenit Livius, adhuc incertus num hucuſque ſcribendo pertingere poſſet. eoque nec ſcribere deſiit, donec hucuſque pertingeret. Accedit & aliud ejuſdem rei ex Caſſiodori Chronico argumentum. In quo cùm ſuos iſte Conſules è Livio ſe depromſiſſe disertè ſcribit; ſimul Periochas illis à ſe ſubditas hauſiſſe ſatis innuit. earum poſtrema his iiſdem Conſulibus Cenſorino & Aſinio ita terminatur: *His Coſs. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti. per Sextum Apuleium Pannonii ſubacti.* Ita Livius hoc feliciſſimo tantæ Pacis Chriſto ſimulaturæ termino, ſuos tantæ Majeſtatis Annales libris omnino 142. concluſerit: annorum ab Urbe Conditâ ſeptingentorum, 42 ex ſuo quidem calculo; ex Varronis autem 746. ex Faſtorum Capitolinorum uno minus. Nihil ulterius, ſive in Epitomis ſive in aliis Auctoribus ex eo profertur: nempè quia nihil ultrà ſcripſit.

Quem etiã Caſſiodori Chronicon deſignat.

Ætas Livii.

10. Agebat autem Livius poſtremis hiſce Operis ſui Conſulibus annum vitæ ut ſummum 52. ſatis adhuc integer; quando non ante annum Vitæ 76. Tiberiani Imperii tertium fato conceſſit, annis ab iſto operis ſui termino adhuc ferè 24. ſuperſtes. Unde licèt hiſtoriæ materiam ultra hunc annum non produxerit, ſcribendi tamen curam produxiſſe nihil inhibet. Potuit fœtum deinceps velut urſa lambere; aut ſi nondum compleverat, perficere. Cæterum Horatio mortuo, Poetarum Regnum inivit Ovidius, annum ætatis agens tunc triceſimum ſextum. qui etiam alios ſibi coævos ita celebrat:

Poëtæ hujus ævi.

Ovidius l. 4. Triſt. eleg. 10.

Et tenuit noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum canit Auſoniâ carmina ſcripta lyrâ.
Virgilium vidi tantum. Nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Succeſſor fuit hic tibi Galle, Propertius illi.
Quartus ab his ſerie temporis ipſe fuit.
Utq́; ego majores, ſic me coluere minores,
Notaq́; non tarde facta Thalia mea eſt.

Hæc attexere viſum tum animo relaxando: tum verò quia ex Poetis iſtis immanem per hæc tempora Romanæ hiſtoriæ defectum nonnunquam ſupplemus. Reliquus hic erat à Dione item omiſſus Provinciarum Cenſus, iterum hoc anno ſerò reſumptus, & cum Civium Luſtro item 2 (quod ſolum ſe peregiſſe ſcribit Auguſtus in Monumento Ancyrano) conjunctus. Illum nos aptiùs in Chriſti natalem annum differemus. Nunc ad binas Suevorum, in Belgium noſtrum primò, tum in Bohemiam tranſlationes vertatur oratio.

CAPUT XX.

Sicambri ac Suevi, plerique in Belgicam Auguſti juſſu traducti.

Eodem anno Iuliano 38. & 39.

Sicambros & Suevos Germanos in Rhenum transfert Auguſtus.

1. TANTA rerum hujus anni copia eſt, ut uno capite comprehendi nequeat. Duplex ſequitur Sicambrorum Suevorumque Tranſlatio. Una in Belgium noſtrum Auguſti juſſu, Tiberii ductu. Altera Suevorum aliorum in Bohemiam, Maroboduo Rege auctore. Illam hic ea inſtituto noſtro perſequemur; hanc ex occaſione; ut utriuſque cis & trans Rhenum Germaniæ Belgis oppoſitæ ſtatus Chriſto naſcente tanquam è profundis tenebris eruatur: quod Lectori non poteſt non eſſe jucundiſſimum.

2 Auguſtum longior docuerat experientia, Sicambros & Germanorum pleroſque ab fide datâ facilè deficere; fide ſæpiùs obſidibusque proditis, ut Strabo l. 7. Unde & ab *eorum quibuſdam*, teſte Suetonio, *novum genus obſidum feminas exegerat, quod negligere marium pignora ſenſiſſet*. Per iſtos *quoſdam*, ab Suetonio Germanos intelligi, ſuggerit Tacitus, cùm ſcribit, Inter Germanos *efficacius obligari animos civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur*. Sed cùm neque ſic illi fide ſtarent; ſtatuit illos hac demum victoriâ intra Romani Imperii fines aliò transferre, totque rebelliones ſtirpitùs exſcindere. Ergo ut Suetonius Aug. c. 21. & Tiberio c. 9. *Suevos ac Sicambros dedentes ſe traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit*. Traducendi tamen curâ Tiberio mandatâ, qui ut Suet. c. 9. *bello hoc Germanico* patrato (unde annus hic Julianus 38 intelligitur) *quadraginta* (alii XC. pro XL. legunt) *millia deditiorum* (*quadringenta millia captivorum* habet Eutropius; licèt Suetonio conſentiat Oroſius) *trajecit in Galliam: juxtaq; ripam Rheni ſedibus aſſignatis collocavit. Quas ob res & ovans, & curru Vrbem ingreſſus eſt*, primis nimirum ſequentis anni Kalendis. In eamdem ſententiam Strabo, tum vivens ac ſcribens: *Germanorum partem quæ ad occiduum Germaniæ latus ac Rhenum eſt* (quales erant Sicambri ac Suevi) *Romani in Galliam traduxerunt. pars interioris Germaniæ partes migraverunt, ut Marſi*. Addo ego, & Longobardi, & Marcomanni etiam Suevi; ut mox. Subdit:

Aug. c. 21.

Suetonio teſte.

Eutropio item & Oroſio,

& Strabone.

Sicambrorum nomen extinctum. *Ex Tacit. Ann. 12.*

3. *Sed & Sicambrorum exigua reſtat portio*. Nempè in priſco ſolo: ſeu gravi ætate, ſeu morbo, ſeu fraude, Tenchteris, qui Sicambrorum inde ſolum occupavit, immixti & occulti. Quibus ſi non Dux, comes certè fuerit Theudorix, Bætoriti, qui Melonis frater fuit, filius: annis poſt hunc ferè 24. Romæ in triumphum à Germanico ductus: *Sicambrorum* tranſlatorum *nomine* jam *exciſo*: ut Tacitus annali 12. cap. 39 quamvis gentis tam inclytæ memoria effecerit, ut ejuſdem fundi incolæ poſteri, ſeu Teuchteri, ſeu Bructeri, ſeu Franci & alii fuerint, à Martiali, Claudiano, Sidonio, Remigióque *Sicambri* ſubinde vocati ſint.

Suevi in Belgium noſtrum tranſlati.

4. Ceterum *agri* iſti *Rheno proximi*, in quos illi tranſlati, quinam fuerint tacent Suetonius ac ceteri. In Belgio noſtro fuiſſe jam videbo. Nam quod eos in *Gugernos* ad Belgicam lævâque *Rheni* ripam, Noveſium inter ac ejuſdem Rheni divortium traductos putat Cluverius, fruſtrà eſt, quando tunc rebellionem, ferè ut antea movere, à Tenchteris Uſipiisque ſociis ſolo amne diſcreti, certè ad ſuos redire pertacilè potuiſſent. Neque enim *ut arcerent*, quemadmodum olim Ubii; ſed ut tam infidi cuſtodirentur, traducti ſunt. Quod in Belgicæ interioribus, tametſi Rheno adhuc vicinis, multo ſecurius erat, Scalde adhuc intermedio. Accedit, quod tranſlationis hujus tædio, pleroſque primores eorum manus ſibi violentas intuliſſe tradit Dio. quod ſola Rheni ſeparatio non ſuaſiſſet, tam proclivi ad ſuos fugâ. Inter iſtos primores ſui parricidas, Melonem cum fratre Bætorito, ego quidem facilè adſcripſero, nullâ eorum in poſterum mentione. Theudoria unus ibi reliquus, a Germanico triumphatus, quantum diſpicio, cum Arminio in patris ac patrui vindictam facilè ſe junxerit. In Belgis tamen noſtris nulla hodie memoria, nomine prorſus extincto, ut Tacitus, ſeu Auguſti irâ, ſeu voluntaria ipſorum diſperſione.

Dio l. 55.

Tac. Ann. 12

5. Suevorum contrà longè maxima certiorque. Teſtis primùm Suetonius Aug. c. 21. licet ibi Caſaubonus ac Gruterus pro Suevis Ubios reponant. Nam Suetonius & ibi & in Tib. c. 9. clarè ſcribit. Auguſtum eos traduxiſſe *bello Germanico* (nempè patrato; unde & hic annus intelligitur) & quidem per Tiberium dicitur. quod de Ubiis volentibus, non ut hic ſibi manus violētas inferentibus; & per Agrippam, non Tiberium, longè antè bellum Auguſti Germanicum traductis, dici non poteſt. Certè Suevorum in Belgium & Flandriam noſtram traductorum, crebra certaque etiamnum mentio. Primùm enim narrat, in Agricolæ vitâ cap. 28. Tacitus fidus auctor, eique junctus Dio lib. 66. Cohortem Uſipiorum (qui Sicambrorum nondum tranſlatorum ſocii) in Germania jam antè conſcriptam, & in Britanniam tranſmiſſam; cum cæſo Centurione Rectoribusque ſuis tres Liburnicas occupaſſent; usque Britanniâ per Occidentem circumnavigatâ, in patriam ad Rheni ferè divortium redirent; primùm à SUEVIS, mox à Friſiis interceptam. & ex eâ quoſdam ad Romanam uſque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti caſus illuſtraſſe.] Ut Britanniâ ad Occidentem circumnavigatâ, ad ſuos redirent Uſipii, nemo Geographiæ gnarus non videt, eos intermedium Galliam inter ac Britanniam mare primo ſulcare, tum Flandriæ, Zelandiæ & Hollandiæ hodiernæ oras legere debuiſſe; ut per oſtia Rheni ad ſuos reveherentur. Intercepti ſunt primùm à Suevis, mox à Friſiis. Ergo Britanniam inter & Friſios interjacebant ad mare Suevi. Ubi quæſo niſi in Flandriâ, & ſi fortè Zelandiâ, planè in Menapiis Auguſtæis, Morinos inter ac Batavos ad lævam Scaldis ripam contractis? Ecce in Flandria & vicina Zelandiâ SUEVI; & quidem annis ab eorum tranſlatione vix 90. Qui locus etſi ſolus eſſet, abundè ſufficeret.

Quorum diuturna poſthac in Flandria hodierna mentio.
Ex Tacito in Vita Agricolæ.

6. Sed pluribus etiam aliis conformatur. *Sueveghem*, quaſi dicas Suevorum domicilium, Vicus eſt Cortracum Flandriæ urbem inter & Scaldim fluvium. In ejus agro trecentos ferè æreos Romanorum Nummos, nuper Maio anni 1637. vidimus & excuſſimus; quos Nobilis loci Toparcha Florentius à Griboval nobis communicavit; ab Auguſto ipſo ad Commodum Imperatorem, certiſſimum & veteris loci, & Suevorum illuc ſub Auguſto traductorum

Ex variorū vicorum nominibus.

argumentum. Ejuſdem ferè nominis Cortracum inter & Brugas alter vicus eſt *Zuevezele*. Nec abludit alter ad Scaldim propè Gandavum, *Severghem*. Supra omnia fidem facit S. Eligii vita, ab Audoeno Rothomagenſi Archiepiſcopo ante annum Chriſti 690. ſcripta. cùm inter Flandrenſes, Antverpienſes, & Friſonas *Suevorum* quoque meminit, quos ad Chriſti fidem ille perduxerit. Quem in finem idem Eligius Tiluenum quemdam prædicationis ſuæ ſocium adſciviſſe ſcribitur, *quia Suevus erat*; linguæ nimirum Suevorum ejus ævi locique gnarus. Denique Belgæ cujuſdam Anonymi, ſed vetuſti Chronicon Normannicis Andreæ du Cheſne immixtum, Normannos refert, ad annum Chriſti 880. *è Corturiaco caſtro progreſſos, Menapios & SVEVOS ad internecionem deleviſſe.* Quos hîc Suevos Menapiis junctos exiſtimabimus, niſi quos Tacitus ſupra ibidem collocat; & quos Auguſti juſſu Tiberius, annis antè hoc Taciti teſtimonium 90. iſtuc traductos Menapiis ita miſcuerat, ut ne nomine quidem, tanto licèt temporum curſu abolito, ſeſe propagarint?

Ex S. Eligii vita.

Ex Annalibus Normānorum, qui Suevos Menapiis jungunt.

7. Scio non deeſſe, qui Suevos hoſce velint, eorum fuiſſe ſemen, qui cum Vandalis anno Chriſti 406. & ſequentibus in Gallias irruperant. Sed quid ad Tacitum illi reſpondebunt, Vandalis iſtis atque Suevis irrumpentibus, plus trecentis annis anteriorem? Sed neque ullos ego Suevos Vandalorum ſocios in Belgio ſedes fixiſſe reperio: benè quoſdam quidem in Lugdunenſi 2. ſeu Normannia hodiernâ: quorum præſidia memorat ac recenſet Notitia Imperii Baiocis, Conſtantiæ, Cenomanis, Arvernis, &c. quos etiam B. Ebrulphi Vita Decembris 29. apud Surium, cap. 1. & 2. Ordericus item Vitalis hiſt. Eccl. l. circa annum Chriſti 520. aut 530. prædas in pago Oxienſi Saltuque Uticenſi agere conſueviſſe commemorant: veriſimiliter à Suevis iſtis Vandalorum ſociis, aut aliis etiam poſterioribus exortos. Verùm & iſtos & quoſvis alios dictum Taciti teſtimonium tanto antiquius, à Suevis hiſce noſtris quos Auguſtus per Tiberium traduxiſſe dicitur, excludit. præterquam quod Saxones aut ſoli aut præcipuè Vandalicæ irruptionis tempore Belgium noſtrum vaſtaverint inſederintve: ac deinceps Littus noſtrū, *Saxonicum* à ſe appellarint. Maneat ergo Suevos hos Eligianos atque Flandricos Menapiis junctos, non alios eſſe quàm ab Auguſto Tiberióve traductos, & *in agris Rheno proximis collocatos*; quando Flandria longè Rheno vicinior eſt quàm Normannia, & juſta tamen intercapedine ab eo diſtet, quâ in patriam illi fugere commodè nequiverint. Adde quod ſuos Auguſtus Suevos commodiùs in Menapiis, quos avia Belgarum occupaſſe prodit Tacitus hiſtoriarum libro 4. c. 28. quàm in Lugdunenſi 2. tunc cultiore frequentioreque collocaverit.

Suevi iſti verè ab Auguſto traducti. Non à Vandalis relicti.

8. Auctis porrò tantâ Suevorum acceſſione Menapiis, quin horum quoque agrum auxerit Auguſtus, augere certè potius quàm minuere debuerit, nemo non videt. Ita ſcilicet, ut ſi Tornacenſis ac Lillenſis ager, Pleumoſiorum Nerviorúmve ſub Julio Cæſare hucuſque fuiſſet, Menapiis deinceps adjunctus fuerit; & Tornacum gentis utriuſque ſic commixtæ caput evaſerit. Nam quòd gentis alicujus ea Princeps urbs extiterit, priſtina ejus gloria ſatis evincit. Cujus autem potiùs, quàm tam vicinæ commodæve, Menapicæ Suevicæque? quarum nempè memoriam Vici duo pænè contigui, *Sueveghem & Menin* adhuc hodie repræſentant. Certè aliæ circumpoſitæ nationes, ſuis ſingulæ capitibus jam tum ornabantur, Bavaco Nervii, Nemetaco ſeu Nemetocennâ Atrebates, Tarvanâ Morini, &c. Tornacum ſolùm Menapiis Suevisque ſupereſt: quod etiam rectè antè alios advertit ſcripſitque Philippus ab eleemoſyna Bonæ Spei Abbas, S. Bernardo coævus, cùm vitæ S. Amandi cap 20. *Tornacum Menapiorum urbem* abſolutè appellat.

Tornacum inde Suevorum Menapiorumque caput.

Ex Philippo Abbate Bonæ Spei.

9. Nec planè tacet Plinius, cùm libro 4 cap. 17. Belgicæ populos enumerans; poſt Atrebates, Nervios ac Veromanduos etiam *Succonos* accenſet. Qui ſunt iſti Sueconi, prorſus inauditi, incogniti? Ego *Suevoni* vel *Suevones*, ſi non & *Suevi*, lego. Antiquis equidem iidem ſunt Lygii & Lygiones, Gothi & Gothones, Friſii & Friſones, Franci & Francones. Quidni etiam Suevi & Suevones ſeu Suevoni? Neſcio an hoc ipſum Cluverius advertit, cùm Germaniæ Ant. l. 2. Sueconorum ſeu potius Suevonorum iſtorum caput Tornacum ponit: certè ſi ex hoc noſtro argumento, ſatis eruditè; ſi à caſu, planè feliciter. Ego rem vero ſimillimam exiſtimo, donec quid certius afferatur. Atque hæc de Suevorum in Belgium noſtrum tranſlatione: non tamen omnium; ſed eorum maximè, qui Rheno prætenſi, Belgicam infeſtare non deſinebant. Sequitur in Bohemiam altera, Maroboduo Duce: ex occaſione quidem inſerta, ad hujus tamen ævi ſacri lucem peropportuna. quando Tornacenſis noſter Epiſcopus, & Menapiorum & Suevorum, ab Auguſto, Chriſto naſcente traductorum, ſic dici poteſt. Sicut olim dictus S. Eligius; & annis adhuc ante ipſum centum, S. Medardus: imò qui Medardo deceſſit S. Eleutherius.

Ex Plinio.

CAPUT XXI.

Marobodui Suevi cum Marcomannis ſuis in Bohemiam migratio.

Eodem anno Iuliano 38. & ſequent.

1. SUEVORUM gens quàm latè patuerit, Cæſar ipſe abundè, ſi non & hyperbolicè ſcribit. libri 4. exordio. *Suevorum gens eſt longè maxima, & bellicoſiſſima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis ſingula millia armatorū bellandi cauſa ſuis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi remanſerint, ſe atque illos alunt. Hi rurſus invicem anno pòſt in armis ſunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio neque uſus belli intermittitur.* & mox: *Publicè maximam putant eſſe laudem, quàm latiſſime à ſuis finibus vacare agros. hac re ſignificari, magnum numerum Civitatum ſuam vim ſuſtinere non potuiſſe. Itaque una ex parte à Suevis circiter millia paſſuum ſexcenta agri vacare dicuntur.* Ita Cæſar. ſupra fidem haud dubiè. ſed rectè cùm ſubdit: *Ad alteram partem ſuccedunt Ubii: quorum fuit civitas ampla, florens atque humanior; propterea quod Rhenum attingunt.* Cæſari conformis eſt Dio lib. 51. ferè extremo; cùm occaſione triumphorum Auguſti ſcribit: *Turma quoque Dacorum & Suevorum depugnantes invicem, introducta ſunt. quarum altera Scythica eſt quodammodo, altera Germanica natio. Nam SVEVI, ſi accuratè loquamur, trans Rhenum incolunt.*

Suevorum Transrhenanorum amplitudo

nempè

nempè ut Ubiis ita Rheno vicini. *Quanquam multi quoque alii Suevorum nomen ſibi ſumant.* ex multis iſtis aliis, Cæſar libro 1. ferè extremo *Harudes, Marcomãnos, Seduſios, Suevos* nominat. quod moneo, ut Marcomannos Lector Suevos eſſe ex Cæſare videat. pro dicendis.

Quæ Marcomannorũ Suevorum, trans Rhenum ſedes? ad Mœnũ ſl.

2. Quo ſitu trans Rhenanæ hæ fuerint nationes, ex aſſidua lectione, ita comperio. Marcomanni ad Mœnum porrigebantur, à Septentrione. Chattis confines; eúque a Druſo, ceu proximè & quaſi ultrò occurrentes impetiti; ut ſuprà ex Floro Oroſióque monui. Ab Occidente, Rhenum attingebant, hodiernæ ferè Franconiæ ſolum occupantes. His à Meridie Rheno item prætexebantur Seduſii aduſque Danubium: Harudibus ultimis ab Oriente ſecundùm ejuſdem Danubii fluxum conjuncti. Ita hi omnes uno communique nomine Suevi, Rheno, Mœno, Danubióque ſuperiore concluſi, verſus Boiohæmum ſeu Bohemiam hodiernam porrigebantur. ſicut tempore Julii Cæſaris Arioviſto Regi, ita ſub Auguſto his annis Maroboduo ſubditi: & hoc ipſo anno Juliano 38. ab eodem ipſo traducti. Nam Tacitus quidem Annali 2. cap. 26. clarè geminam hanc Suevorum & ſb Auguſto, & à Maroboduo tranſlationem cum Sicambrorum deditione convolvit: maximè ſi Strabonem libro 7. cum eo componimus. uti mox.

Maroboduus Marcomannos & Suevos ſuos in Bohemiam tranſfert.

3. Verba Taciti ſunt, cùm Tiberium Imp. Germanico nepoti filioque ita loquentem inducit: *Se novies ab Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos; ſic Suevos Regemq́, Maroboduum pace obſtrictum: poſſe & ceteras gentes internis diſcordiis relinqui.* Ecce cum Sicambris hoc anno Tiberio deditis, *Maroboduum Suevorum Regem pace obſtrictum.* Hic ergo in iſtâ cum Romanis pace, cùm videret Suevos Rheno prætextos, puta Seduſios, & ſi quos Rheno viciniores alios ſedibus ſuis avulſos, procul in Galliarum ad Oceanum extrema ab Auguſto traductos, certè traducendos; ſentirétque potentiâ ſe Romanos æquare non poſſe; ſimilem ſibi caſum metuens, ſtatuit Auguſti exemplo ſuos quoque reliquos Marcomannos & Harudes eò traducere, ubi nullus aut non tantus à gravi Romanorum viciniâ timor eſſet. Id conſilii hoc anno exequi cœpiſſe, præter jam dicta, evincit etiam Druſi primùm in Marcomannos ipſius Marobodui populares, anno ante hunc 4. dumtaxat, aut 5. bellum in ſolo adhuc ſuo degentes: quos proinde Maroboduus, pace hoc primum anno à Tiberio Druſi fratris in bello Germanico ſucceſſore obſtrictus, antè transferre non potuerit. Quod moneo ne nos ſecum fallat Cluverius, qui Germaniæ antiquæ libro 3. cap. 3. traductionem hanc ante octennium, Noricique ſubactionem factam putat. Quomodo ante octennium, cum 4. inde anno Druſus illos adhuc in ſolo patrio bello impetierit? Sed ante omnia, Marobodui vitam, ætatem, réſque prius geſtas retexuiſſe juverit. Nihil niſi ex antiquis fidisque Auctoribus producam.

Marobodui ætas & res geſtæ. E Strabone lib. 7.

4. Omnium antiquiſſimus, & qui his annis Romæ ſcribens Maroboduum ipſum videre potuit Strabo primùm, tum Velleius ferè coævus audiendi. *In hac Germania* (ait Strabo lib. 7.) *eſt etiam Hercynius ſaltus, & Suevorum* (Nota) *gentes, quarum quædam ipſam incolunt ſylvam, ut Colduli; in quibus eſt & Boviaſmum,* lege Boiohæmum, *Marobodui Regia. In quem tum alios complures ille tranſtulit, tum populares ſuos* (nota) *Marcomannos.* Marcomanni igitur etiam Straboni Suevi ſunt, quando Maroboduo ipſi Suevo populares. *Occupavit enim dominationem privatus poſt reditum ſuum Roma: ubi juvenis vixerat, & beneficiis ab Auguſto affectus fuerat. reverſus autem regnavit.* primò ſcilicet in Marcomãnis ad Mœnum; deinde illis tranſlatis, in Bohemia. Ubi *ſubjecit ſibi præter dictos Lugios gentem magnam* (hodie Polonos Lituſilanos) *Zumos, Gutones.* Tacito Annal. 2. *Gotones, Mugilones, Sibinos, & ex ipſis Suevis gentem magnam Semnones.* Ita Strabo. quem magis extendit explicatque Velleius lib. 2.

Ex Velleio lib. 2.

5. *Gens Marcomannorum Maroboduo Duce excita ſedibus ſuis, atque in interiora refugiens, incinctos Hercynia ſylva campos incolebat. Nulla feſtinatio hujus viri mentionem tranſgredi debet. MAROBODVVS genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quàm ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum: ſed certum imperium vimq́, regiam complexus animo, ſtatuit, avocatâ procul à Romanis gente ſuâ, eò progredi, ubi cùm propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Occupatis igitur quos prædiximus locis* (nempè *incinctis Hercynia ſylva campis*, & quibus *Boiohæmum nomen eſſe* infrà ſcribit) *finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit. Corpus ſuum cuſtodientium, Imperium perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens, & noſtro quoque Imperio timendum perduxit faſtigium. Gerebatq́, ſe ita adverſus Romanos, ut neque bello eos laceſſeret; & ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi declararet*; & cetera, quæ mox producam, cùm hæc in ſuos annos diſtinxero.

Nota brevi.

Marobodui ætas quomodo eruatur?

6. Primùm Marobodui ætas eruenda. Illum Tacitus Annali 2. (ad annum U. C. 772. Julianum 64. qui eſt Æræ Chriſti, vulgaris quidem 19. veræ 23. Tiberii ab exceſſu Auguſti quintus, ſb hoc Juliano 38. vigeſimus quintus) ſcribit, *à Catavaldâ Gotone juvene Regno pulſum, ad miſericordiã Tiberii confugiſſe. Indeq́, Ravennæ habitum per duodeviginti annos, Italia non exceſſiſſe; conſenuiſſéque multum imminutâ claritate, ob nimiam vivendi cupidinem.* Ab anno 64. Juliano excluſo, devoluti anni octodecim, deſinunt in 82. quo & Tiberius fato abſumptus, ætatis ſuæ anno 78. Ait ergo Tacitus, Maroboduum iſto anno inglorium conſenuiſſe. innuens, ni fallor, etiam mortuum: quando ultra de illo non agit. licèt Caligulæ apud eum acta perierint. Ponamus quinque ſexve annis, præter propter, Tiberio juniorem, fatóque functum anno ætatis 72. videbimus an cetera reſpondeant. Demptis ex 72. octodecim, reliqui erunt vitæ illius 54. Poſt quos aptè regno pulſus ſit. Rurſum de annis Julianis 82. ſubſtrahe 71. Natus fuerit Maroboduus anno Juliano (ſemper, *præter propter*) undecimo; annis ferè ſex Tiberio minor. Jam geſta ejus recolamus.

Erat Suevus nobilis, & juvenis ſub Auguſto Romæ.

7. Primùm gente Suevus, & quidem Marcomannus extitit, quando iſta gens ei popularis dicitur. *Genere nobilis, natione magis quàm ratione barbarus.* Addit Strabo, *νέον* ſeu juvenem, certè in ipſo juventutis & adoleſcentiæ confinio, fuiſſe Romæ. Demus annorum tunc fuiſſe fere 20. Ita Romam anno Juliano circiter 30. aut 31. adhuc νέος advenerit. & quia beneficiis ibi ab Auguſto affectus eſt, ad annos quinque hæſiſſe credamus. id eſt, ad annum uſque Julianum 35. ætatis ſuæ 25. Is annus eſt, quo de Marcomanis opima ſpolia retuliſſe Druſum, Florus

Unde dimiſſus Druſo adhuc vivo.

Oroſiúſque è Livio teſtantur: quóque proinde Marcomannos ooodum ſedibus ſuis excitos neceſſe eſt. Quod & ſuprà contra Cluverium ootavi; annis ante hunc plus quinque excitos ſciſcentem: ante Norici videlicet ex Dione ſubactionem. Iſto igitur anno Juliano 35. quo Marcomannos primùm vicit Druſus, commodè Maroboduus Româ ab Auguſto dimiſſus fuerit, ut gentem ſuam à pertinaciore bello in Romanorum amicitiam potiùs inflecteret. Quod ille ſi non ſtatim, ſaltem oon ita multò pòſt præſtitiſſe videtur: tum regnum eóam licèt privatus occupaſſe, ut Strabo monere pergit. In eo ut ſe confirmaret, toto ſequente triennio, quo Druſus bellum continuavit, ſi non amicum ſe populo Romano, certè quietum præſtitit, uſque adeo, ut Druſus, cùm Chattos vaſtando ad Sueviam illis ab Auſtro contiguam, Marcomannorum Maroboduíque patriam, id eſt circa Mœnum, eo quo mortuus anno U. C. 745. Juliano 37. perveniſſet, eam minimè iniret; ſed converſo in Cheruſaos ſeu Brunſuicenſes itinere, Viſurgim tranſiret, & verſus Albim contenderet; ut ex Dione vidimus. Poſtquàm mortuo tunc fratri Druſo, Tiberius anno proximè ſequente Juliano 38. ſucceſſit; belloque mox patrato Sicambros Suevorumque nonnullos, Rheno ſcilicet propiores, Galliisque ſæpiùs infeſtos, tunc verò ſe dedentes, Auguſti juſſu traducere inſtituit; Maroboduus quoque novus adhuc Rex à Tiberio *plenâ ſe pace cum ſuo obſtringi* ſivit: ut disertè Tacitus. Nimirum, ut quod animo volvebat, tandem exequeretur. Nam cùm ſe reliquorum Suevorum, Marcomannorumve ſuorum Regem nonniſi clientelarem atque precarium, Romanis obnoxium, ad nutus eorum mobilem animadverteret; *certus imperium complexus animo* (ut Velleius) *ſtatuit & ipſe collectam avocatamq́, procul à Romanis gentem eò transferre, ubi cum potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima.*

Et favente.

Marobodu' paulò ante Chriſti Nativitatem ſuos transfert in Bohemiam.

8. Igitur Auguſto non modò non reluctante, ſed & veriſimiliter impellente, quo Germanos, ut ait Tacitus, *internis diſcordiis relinqueret*, imò inter ſe committeret (& quod notat Suetonius, *ultra Albim ſummoveret*) hujus anni Juliani 38. exitu, aut ſequentis vere, ante verum Chriſti Natalem anno tertio, antè Epocham hodiernam ſeptimo, cum Marcomannis ſuis, *pluſq́, pluribus* ut Strabo; puta finitimis; à Rheno Mœnoque in Boiohæmum ſeu Bohemiam, ſe tranſtulit. Boiiſque gente quondam Gallicâ terræ cultoribus, quâ vi quà conſilio ſibi adjunctis, ſedes in ea ſuas, Regiam autem ubi nunc eſt Praga fixit. Nec eo contentus, finitimos quoque omnes (addit Velleius) aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit. ſeu ut Tacitus ann. 2. per dona & legationes fœdus eorum petiit, & precibus ſcilicet armatis obtinuit. Eos Strabo nominat *Lugios, Semnonas, Zumos, Gotonas* (ſeu Gothos, è quibus Catavalda) *Mugilones, Sidinos.* adde ex Tacito *Longobardos.* Quos ego omnes, etſi corruptè fortè nominatos, partim Moravos, Sileſios, Luſatios, Miſnios, Brandenburgicos, partim Polonos Occidentaliores ſeu Ciſviſtulanos exiſtimo. Unde ſubdit aptè Velleius, Marobodui Imperium *brevi in faſtigium adeo eminens perductum, ut Romanis quoque timendum eſſet.* quando Tiberius illum invadere molitus, annis abhinc duodecim. tot enim reperies, ab anno ineunte Juliano 39. ad 50. Temporis intervallum, quo & tot gentes ſuperari adjungive, & *brevi* tamen, tantâ potentiâ firmari potuerit, aptiſſimum. Interim quò pacem

Finitimos ſibi adjungit.

Magna ejus potentia.

cum Romanis ſervaret, *ita ſe gerebat, ut neque eos bello laceſſeret; & ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi declararet.* Pergit adhuc Velleius:

9. *Legati quos mittebat ad Cæſares, interdum ut ſupplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusq́, a nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium; totumq́, ex male diſſimulato agebat æmulum. Exercitum, quem LXX. millium peditum, quatuor equitum fecerat, aſſiduis adverſus finitimos bellis exercendo, majori quàm quod habebat operi præparabat. Erátque etiam eo timendus, quòd cum Germaniam ad lævam & in fronte* (Septentrionem ſpectando ſcilicet) *Pannoniam ad dexteram, à tergo ſedium ſuarum haberet Noricos: tanquam in omnes ſemper venturus ab omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam. quippe cum à ſummis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus finium haud multo plus ducentis millibus paſſuum abeſſet.* & mox. *Boiohæmum regiom, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt.* Ita Velleius. Cui conformis adeóque licitator accedit Tacitus annali 2. c. 63. cùm Tiberium Imperatorem narrat *apud Senatum diſſeruiſſe, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Extareque* ſubdit *Tiberii orationem, quâ magnitudinem viri, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis eſſet,* oſtenderit.

Etiam Romanis metuenda.

10. In faſtigium adeo eminens, Imperium ſuum extolit ille, ab anno ferè ætatis ſuæ 28. ad 40. toto propè infantiæ Chriſti, Janique tertiùm ab Auguſto cluſi tempore. Quò maximè jucundum eſt Germaniæ, Belgii, Italiæ, imò & totius terræ ſtatum intelligere. Mox Tiberio à ſe in rebellantes Dalmatas atque Pannonios, ut ibi reddam, avocato; aliis ferè 12. annis regnum pacatè tenuit. Donec anno Juliano 62. Cæcilio Rufo, Pomponióque Coſs. U. C. 770. ab Arminio Cheruſcorum Principe, Varique cum tribus legionibus interfectore, impeteretur: ac Regis nomine inviſus, Hercyniæ latebris defenſus, proditor patriæ, ſatelles Cæſaris incuſaretur. Denique biennio pòſt, Iuliano 64. Chriſti vulgari 19. vero 23. à Catavaldâ juvene Gotone Regno pelleretur; quod annos jam 26. totos obtinebat. Verùm quantumvis regno exſortis obierit, Marcomannis ſeu Bohemis tamen, & Quadis ſeu Moravis, Hungariſque hodiernis vicinis, Reges ex ipſorum gente ad ſuam memoriam manſiſſe, Nobile Marobodui Tudríque genus, auctor eſt Tacitus libro de Germania cap. 42. Atque hæc de geminâ Suevorum tranſlatione.

Aucta tanto Infantiæ Chriſti tempore.

11. In eorum ortale ſolum qoioam ſucceſſerint, ſcire in ſequentem hiſtoriam noſtra intereſt. In Sicambrorum quidem, Uſipios ac Tenchteros maximè ſucceſſiſſe, docet ſæpè Tacitus hiſt. 4. cùm Tenchteros ab Agrippinenſibus Rheno ſolo diſcretos aſſerit. Et ratio perſuadet: quando illis jam antè immixti ferè erant. Suevorum autem agros binâ jam traductione tanto deſertiores, ii paulatim replevere, qui novo nomine poſtmodum ALEMANI dici cœpti: *Non numeraverim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumq́, conſederint, eos qui decumates agros exercent. Leviſſimus quiſque Gallorum, & inopiâ audax, dubiæ poſſeſſionis locum occupavere. Mox limite acto promotiſque præſidiis, ſinus Imperii & & pars Provinciæ habentur. Ultra hos* (in Boream ſcilicet) *Chatti.* Gallos iſtos occupatores, plurium quidem gentium, maximè tamen Sequanos Helvetiósque fuiſſe, prona conjectura eſt, tanquam vici-

Quinam in Suevorum traductorũ agros ſucceſſerint?

Alemani.

Tacitus l. de Germ.

Ex Sequanis Helvetiiſque.

niores,

niores, & ſolo quoque Rheno diſtinctos. Ii quoniam iſto ſolo convenæ & miſcellanei, ALLEMANI à Germanis dicti; *All* quippe omnem, *Man* hominem, denotat. Ac licèt Galli iſti, ſeu Gallo-Germani, Romanis primùm fuerint amici, ſenſim tamen ſolo cœlóque Germanico in libertatem cum finitimis efferati, Romanorum hoſtes evaſerunt. Nec ſolo Allemannorum novo nomine, ſed & ejus agri priſco SUEVORUM inclaruêre, ut in tēpore memorabo. Ita ſcilicet in orbem omnia revolvuntur. Cæterum, quod *limite per iſtos* Gallo-Suevos *acto auctóve, promota quoque* notat Tacitus *præſidia*; idem de aliis Germanis ſubjugatis exiſtimandum eſt. Id quomodo factum, ſuperiore capite, §.6. declaravi. Atque ita, quod notat Velleius, *Germania* tantiſper *in formam ſtipendiaria redacta Provincia*, altam ſeptennio ferè toto quietem obtinuit.

Suevi & ipſi à loco dicti.

CAPUT XXII.

Variarum aliarum Gentium circa hos annos ab Auguſto facta Tranſlatio.

Aliæ pluſculæ traductæ hoc ævo gentes.

1. Nihil dubium quin tranſlationibus iſtis, Pax maximè coaluerit: eò firmior ac generalior, quo plures validioréſque tranſlatæ. In iis certè per hos ac priores annos Auguſtum pœnè totum fuiſſe, docent abundè quæ ſuprà diximus, & mox dicemus. ex quibus hîc pluſcula ſimul congeram, ſeu ultrò ſeu vi peracta. Primùm *Marſos* ſcribit Strabo lib. 7. *in penitiores Germania migraſſe partes*: quin & *Longobardos tunc fugâ factâ in ulteriorē omnino regionem trans Albim ſe conjeciſſe* adjungit. Prorſus ut huc reſpexiſſe videatur Suetonius, *Auguſtum* memorans, *trans Albim ſummoviſſe Germanos*. Etiam GETÆ per hæc tempora, ſaltem ex parte, eodem Strabone teſte traducti. *Noſtrâ ætate* (ait) *Ælius Catus ex tranſiſtrianis partibus à Getis, qua gens eodem ac Thraces ſermone utitur, in Thraciam* 50. *hominum millia traduxit, qui nunc ibi habitant, & Myſi appellantur*. Par Auguſti in diverſis gentibus transferendis conſilium, eumdem quoque finem, nempe Pacem, idemq́ue ferè tempus inſinuat. Fueritq́ue veriſimiliter iſte Ælius Catus poſt decennium Conſul. aut ſi quis ejus fortè gentilis ante biennium ab Auguſto in Getas ſeu Dacos, poſt Lentulum aut cum eo immiſſus; quando hi Iſtrum gelu concretum trangreſſi, Pannoniamq́ue deprædati, tertiam Jani clauſuram tunc decretam impediverunt. Eóque demum hoc anno devicerit; & ex iis validiores, ne poſthac rebellare pergerent, cis Iſtrum traduxerit. Equidem Strabo, cum ſubdit, *& nunc exercitum Auguſtus in eos miſit*; vocula *nunc*, hanc potiùs quàm vetuſtiorem expeditionem ſignificat. Getæ ergo qui trans Iſtrum remanſere, gentis ſuæ robore nudati, pacem quàm bellum maluerunt. Unde Victor Schotti, *Getarum populos Baſtarnáſque lacesſitos bellis ad concordiam compulit*. & vetus ad eumdem Additamentum: *Scytha, Sarmata, Daci, quos non devicit, dona miſerunt.*

Marſi & Longobardi.

Aug. c. 21.

Getæ.

Aliæ ſub haſtâ venditæ & tranſlatæ. Ut Salaſſi & Rhæti.

2. Hiſce porrò tranſlationibus non diſſimiles ſunt variorum populorum ſub haſtâ venditiones. Sic *Salaſſos Inalpinos Terentius Varro Murena* cùm primùm *ſubegit* anno Juliano 20. *omnem eorum juventutem Auguſti juſſu ſub haſtâ vendidit. eâ conditione, Ne quis ante viceſimum annum liber fieret.* aiunt Dio l. 53. & Strabo l. 4. Idem ferè de Rhætis Dio à Druſo Tiberióque anno Juliano 31. ſubactis ſcribit: *Gentis, videlicet, quia frequens erat, videbaturq́; bellum denuo tentatura, maximam & ætate validiſſimam partem inde abductam: iis ſolum relictis, qui & colendæ regioni ſufficerent, & ad rebellandum non ſatis virium haberent.* Rurſum Pannonios Tiberius ſubegit anno Juliano 34. *& eorum juniores in alias regiones abducendos, vendidit.* addit Dio libro 54.

Item Homonades Cilices per P. Quirinū, ſeu Cyrinu evangelicum.

3. Denique his etiam ipſis annis P. Quirinius (quem Cyrinum Lucas noſter cap. 2. appellat) anno U. C. 742. Juliano 34. Conſul, *poſt Conſulatum in Homonadas* Ciliciæ populum *rebellantes ab Auguſto miſſus, cum eos fame expugnaſſet, quatuor eorum millia cepit, & in vicinas urbes diſtribuit, regione ſpoliatâ omni juventute*. ſcribit Strabo libro 12. finiente. Tot ergo gentibus ſua juventute ſpoliatis, Quis rebellaſſet? Quis pacem tot fulcris innixam turbaſſet? Potiùs cum Oroſio concludamus: *Velut omnes Gentes ad conſtitutum pacis diem feſtinarent, ita omnes ad experientiam belli deciſionemq́; ſedentes undatim commovebantur; aut ſuſceptura conditiones pacis ſi vincerentur, aut uſuræ quietâ libertate ſi vincerent. Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mœſi, Thraces, Daci, Sarmatæ, plurimiq́; & maximi Germaniæ populi, per diverſos Duces vel ſuperati, vel repreſſi; vel etiam objectu maximorum fluminum Rheni Danubiique ſecluſi ſunt.* Quod idem notat Dio, ad annum Julianum maximè 30. U. C. 738. ſimul Duces à quibus ii victi recenſet. Camunnii, inquit, & Venonii gentes Alpinæ; Pannonii item cum Noricis à P. Silio: Dalmatæ item, & in Macedoniâ Dentheletæ; Scordiſci denique parvo negotio ſedati. In Thraciâ Marcellus Lollius ſeu Claudius Rhymetalci tutori filiorum Cotyis auxilium ferens, Beſſos domuit. poſt eum autem Lucius Caius eâdem de cauſâ contra Sauromatas bellum gerens, victos trans Iſtrum repulit. Ita Dio, anno ante hunc Julianum octavo, ſubactos ejuſdem ferè Illyrci populos unà convolvens.

Omnes gentes in Pacem conſpirant.

Limes Romanos inter ac Barbaros.

4. Unde rectè concludit Sextus Rufus in Breviario: *Limes inter Romanos ac Barbaros per Danubii ripam, ab Auguſtâ-Vindelicorum, per Noricum, Pannonias ac Mœſias eſt conſtitutus.* Nimirum ut ad Rhenum pro Gallis, ita & Danubium pro Illyriis & Italiâ, legiones ritè cautèque diſpoſitæ. illic octo; hic ſex. *Ripam Danubii*, ait Tacitus l. 4. *duæ legiones in Pannoniâ, duæ in Mœſiâ, totidem ab tarum tergo in Dalmatiâ attinebant.* Prorſus uti tam ad Danubium quàm Rhenum quatuordecim legionibus frænaretur Germanica, Sarmatica, Scythica; id eſt, omnis ad Septentrionem Europæa Barbaries. Cetera ad Orientem & flumen Euphraten ad Syriam uſque adverſus Parthos, quatuor legionibus coërcita. Ad Meridiem Ægyptus duabus legionibus. duabus Africa, Mauri Iubæ Regis copiis, Hiſpaniæ tribus legionibus habebantur.

Variæ in limitibus legiones ad pacem ſervandam.

Atque hæc omnia ſtatum Imperii ferè totius: & ſaltem verſus Belgium noſtrum (quod maximè intendimus) Lectori ſatis exhibeo.

CAPUT XXIII.

Tantam in Chriſti Nativitate Pacem Germanorum Parthorúmque quiete maximè productam. Bella civilia nulla.

Anno Iuliano 38. ad 50.

1. HOc igitur planè tempus eſt, quo de Auguſto non minus quàm de Alexandro Magno illud primi Machabæorum dici poteſt: *Poſtquam conſtituit prælia multa, obtinuit omnium munitiones. Interfecit Reges terræ, & pertranſiit uſque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium. ET SILVIT TERRA in conſpectu ejus.* SILUIT, inquam, armorum ſtupitu libera, inaudita pace tranquilla. Nam quis Imperii tanti vim, non jam plurium libidinibus obnoxiam, ſed ab unius Monarchæ victoris nutu pendentem laceſſere moliretur? Hoſtem illum aut externum aut internum eſſe debuiſſe oportuit, & quidem animo manuque potentiſſimum. *Externus* tum omnino nullus niſi ab Oriente Parthus, aut ab Occidente Germanus. Juxta illud Virgilij hoc ævo canentis, *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.* Per Euphratem, adſitos illi Parthos; per Germaniam, gentes illius liberas, SICAMBROS maximè SUEVOSQUE dexteræ Rheni ripæ prætextos ſignificans. Quâ etiam phraſi utitur hiſce annis florens Velleius, cùm de Tiberii in Rhodum inſulam ſeceſſu ita loquitur: *Senſit terrarum orbis digreſſum à cuſtodiâ Neronem Urbis. Nam & Parthus deſciſcens à ſocietate Romanâ, adjecit Armeniæ manum: & Germania amotis domitoris ſui oculis rebellavit.* Audis illum nec duo hæc verba, *Terrarum orbis*, cùm in Romanos inſurgit; duas quoque ſolas gentes intelligere comprehenderéve, Parthum & Germanum?

Parthi & Germani hoc tempore pacati. qui ſoli turbare poterant.

Virg. 1. Georg. ſinemte.

2. Parthi Regum libidinibus & ambitu, Germani libertatis impetu agebantur. Unde Tacitus fine libelli de Germania cap. 37. *Ex quo Cimbrorum audita ſunt arma, anno ab V. C. 640. ad alterum Trajani Imperatoris Conſulatum*, ſeu annum U. C. 851. excluſum, quo Tacitus libellum iſtum publico dedit; *ducenti ferme & decem anni colliguntur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio, multa invicem damna non Samnis, non Pœni, non Hiſpania Galliæve, ne Parthi quidem ſæpiùs admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Quaſi dicat, Armis quidem ſuis fecere Parthorum Reges, ne nos invictos putaremus: Non tamen acriùs ſæpiùſve, quàm Germani liberi & ſine Rege. Præſertim cùm ab his reliquæ in Boream gentes motum quietémve ſuam haurirent libraréntve. quod Strabo quoque monet: *Getæ ac Daci, tametſi parùm abeſt, quin Romanis ſe ſubmittant; nondum tamen prorſus ſe dedunt: quod ſpes aliquid illis ſuperſit in Romanorum hoſtibus Germanis.* Ergo illis ſubmiſſis ſe quoque ſubmittebant, bellantibus bellabant. Ita vides binas haſce gentes, quæ ſolæ populi Romani quietem per ſe quatere, aut aliis quatiendi impetum affundere poterant; tot adverſis præliis traductionibúſve defeſſas, pacem armis hoc tempore, conditione quieſcendi meliore, prætuliſſe. Pacem inquam venturo jam famulaturam Redẽptori.

Germani, magni antehac Romanorum hoſtes.

3. Ac de Germanis quidem abundè dictum. De PARTHIS etiam idem plures aſſerunt, quos hic contra Neotericos quoſdam proferre operæ pretium fuerit. LIVIUS ipſe in Epitome penultimâ ſtatim à Dalmatarum ſubactione, & ante Druſi mortem, hoc eſt anno Juliano 36. Julo Antonio, & Q. Fabio Max. Coss. anno U. C. 744. *PAX*, inquit, *cum Parthis facta, ſignis à Rege eorum Phraate, quæ ſub Craſſo, & poſtea ſub Antonio capta erant, redditis*, imò & regiis inſuper obſidibus datis, ut mox. Unde Dio lib. 54. fin. iſtis iiſdem Coss. *Decretum quoque, ut Jani Gemini templum, quod bellis quæ dixi exortis apertum fuerat, iis jam compoſitis clauderetur. Verùm ne id fieret, Daci obſtitêre, qui Iſtrum frigore concretum tranſgreſſi, ex Pannoniâ prædas abſtulerant. Dalmatæ quoque rebellantes à Tiberio ſubacti.* Ita Dio Livio conformis quoad pacem cum Parthis factam. Licèt Janus nonniſi biennio pòſt, Germanis jam pacatis, obſeratus.

Parthi item quieſcunt.

Livius epit. penult.

Signis ultrò redditis.

4. Sed de eâ cum Parthis pace, & obſidibus regiis adjunctis, fuſiùs diſtinctiuſque Livio ſuppar Strabo: primum libro 6. fin. *Parthi tametſi & ditionem Romanæ conterminam habent, & maxima pollent potentiâ; Romanorum tamen noſtræq; ætatis Principum majeſtati ita conceſſerunt, ut non ſpolia modò quæ de Romanis aliquando retulerant, Romam miſerint* (nempè ſigna militaria) *ſed & filios Phraates Auguſto Cæſari nepotéſque crediderit; amicitiamque datis obſidibus promereri officioſè voluerit. Ac jam propè eſt, ut omnem poteſtatem Romanis ſubjiciant.* Rurſus libro 16. ante medium: *Phraates tantùm Cæſaris Auguſti amicitiæ detulit, ut etiam illi tropæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant. Et vocato in colloquium Titio, qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos tradidit obſides, Saraſpadem, Seroſpadem, Phraatem, & Vononem. duas eorum uxores, & filios 4. ſeditionẽ metuens, & nè ſibi inſidiæ ſtruerentur. Intelligebat enim neminem adverſum ſe prævaliturum, ſi neminem ex Arſacio genere, cujus Parthi valdè ſunt amantes, metuendum haberet.* Iſta omnia & plura Strabo. quem vide.

Et obſidibus regiis à Phraate oblatis.

Strabo l. 6. & 16.

Titius Syriæ Præſes.

5. Straboni Livioque conſonat Tacitus, Annalis 2. principio: *Phraates, quanquam depuliſſet exercitus Duceſq; Romanos, cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat, partémque prolis firmandæ amicitiæ miſerat: haud perinde noſtri metu, quàm fidei popularium diffiſus.* Nec aliter Trogus apud Juſtinum lib. 42. fin. *Sed & filii nepotéſque Phraatis obſides Auguſto dati, pluráque Cæſar magnitudine nominis ſui fecit, quàm armis alius Imperator.* En pacis teſtes omni exceptione majores.

Tacitus Annalis 2. de Phraate & obſidibus.

6 Iis tamen ſigillum appendat quoque Joſephus Judæus, Trogo etiam Tacitoque vetuſtior, cauſam inſuper aliam obſidum datorum aperiens, libro 18. c. 3. *Phraates habens liberos legitimos, ancillam Italici generis Thermuſam nomine, inter cetera dona à Cæſare Auguſto miſſa* (cùm in Syriam anno Jul. 26. rediit) *primùm in concubinarum numero habuit. Procedente tempore obſtupefactus præcellenti mulieris pulchritudine, ſuſcepto jam ex eâ Phraatace filio* (circa annum Julianum 27.) *illam ſibi legitimo conjunxit toro. Quæ cùm quidquid vellet Regi perſuaderet, cogitans filio ſuo Parthorum regnum adſtruere, nihil ſe facturam intellexit, niſi legitimi Phraatis filii ablegarentur. Perſuaſit ergo marito, ut eos Romam obſides mitteret. Quod illi ſine cunctatione faciendum fuit, patre voluntati Thermuſæ tum obnoxio. Interea Phraataces ſolus domi ad Regnum educabatur.* Hoc ſcilicet anno Juliano 38. & 36. &

Item *Joſeph. Iud. l. 18. c. 3.*

ſequen-

Phraates ab ... uxore & filio ... juniore trucidatur.

ſequentibus.) *Qui tadioſum ratus à Patre decedente principatum expectare, cum matre conſpiravit; cum quâ creditus eſt etiam ſtupri habere conſuetudinem.* Ita Joſephus de Phraatace jam juvene. Velleio conformis, qui illum in eo colloquio, quod cum Auguſti nepote filióque Caio Cæſare ad Euphratem, circa annum Julianum 48. habuit, *Juvenem excelſiſſimum* vocat, addo ego & matris inſtar formoſiſſimum, in ipſo ætatis flore & anno ferè 22. Verùm quod ad obſides illos Auguſto miſſos attinet, idem Joſephus antiq. l. 16. c. 11. fin. ſatis innuit Mithridatem tunc quemdam regnum Parthorum affectaſſe, cujus amicitiam Romanæ præferre voluerit Herodes Judæus. Eóque Phraatem fidei popularium diffiſum ad Auguſtum miſſis obſidibus ſe vertiſſe.

Florus de ... univerſali.

9. Quæ omnia ex tam diverſis Scriptoribus hauſta, pacem cum Parthis factam evincunt, biennio antè quàm cum Germanis hoc anno Iuliano 38. fieret; quo denique Ianus tertiùm ab Auguſto poſt Germanos etiam pacatos clauſus. *Omnibus igitur*, ut Flori finientis verbis utar, *ad occaſum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoque, dumtaxat inter Rhenum atque Danubium; item ad orientem inter Taurum & Euphratem; illi quoque reliqui qui immunes Imperii erant, ſentiebant tamen magnitudinem, & victoriam Gentium populi Romani reverebantur. Nam & Scythæ legatos miſerunt & Sarmatæ, amicitiam petentes. PARTHI quoque quaſi victoriæ pœniteret, raptâ clade Craſſianâ* (adde & Antonianâ) *ultrò ſigna retulerant. Sic ubique cuncta atque continua totius humani generis aut PAX fuit aut pactio.*

Oroſius.

Oroſius verò, libro 6 c. 21. fin. *PARTHI quoque, ait, quaſi toto terrarum Orbe vel domito vel pacato, omnium oculis ſignarentur; atque in ſe ſolos omnis vigor Romani Imperii vertendus eſſet, (quippe quos priſtinæ ulciſcendæ Craſſianæ cadis conſcientia mordebat, ultrò ſigna quæ Craſſo interfecto, &* Antonio depulſo *abſtulerant, ad Cæſarem remiſerunt, regiiſque obſidibus traditis, firmum fœdus fideli ſupplicatione meruerunt.* Rurſus libro 1. cap. 1. *Circa Nativitatem Chriſti, facta pace cum Parthis, Jani portæ clauſæ ſunt, & bella toto Orbe ceſſarunt.* Nihil tantâ teſtium nube clarius certiúſve.

... di con... hanc Pa... opinio.

8. Atque hæc ipſa PAX eſt, quam vetuſtiſſimi quique Patres CHRISTO naſcente agnoſcunt ac celebrant. Unus Rualdus ſuis in Plutarchum animadverſionibus capite 8 Iani fores tertiùm ab Auguſto clauſas ſciſcit, anno U. C. 730. Iuliano 26. toto ante nos duodecennio. Oroſium incuſans, hoc fuco Dominicum adventum illuſtrare voluiſſe. Nec *ſene Auguſto*, ſed vigente; ætatis nempè ejus anno 45 Ianum poſtremò patefactum; vocem denique *Sene* ab Oroſio additam concludens. Quæ omnia ex Dionis libro 54. ad annum U. C. 734. patere putat; cùm ſcribit: Signa militaris à Parthis Auguſto remiſſa; eóque ſacrificia indicta: Templũ Marti Ultori decretum; Auguſtum ovantem Romam iniiſſe; nihil demum belli eo anno attigiſſe Quod quid eſt aliud quàm Ianum clauſiſſe, annis ſeptemdecim totis ante Oroſii ſcitum, & Chriſti Natalem anno Iuliano 43. finiente ab eo defixum? Unde cùm addit Dio anno U. C. 744 Iuliano 36. *Ianum claudi decretum*, non tamen clauſum, quartò tunc claudendum fuiſſe.

Refutatur.

9. Nollem viro docto ſententiam iſtam tam firmiter inhæſiſſe. Primùm enim, Si anno U. C. 734. Iuliano 26. clauſus ob ſigna à Parthis remiſſa Ianus, cur non & anno U. C. 744. Iuliano 36. claudi decretus: biennio autem pòſt, Germanis jam quoque pacatis, verè clauſus? cum ab iiſdem Parthis non ſigna reliqua tantùm, ſed & 4. Regis Phraatis filii obſides adjuncti? Cùm item Dalmatæ atque Pannonii, à Tiberio ſubacti, ac denique etiam Sicambri aliique ad Albim uſque Germani Tiberio dediti? Rurſum quid ſibi volunt diſerta illa Livii verba Epitome penultima, *Pax cum Parthis facta*, quæ anno illo V. C. 734. non reperiuntur? Quid ad Horatium reponet, ode ultimâ canentem, *ſigna à Parthis Iovi Romano* ſeu *Capitolino reſtituta*; ſimul *vacuum duellis* ſeu bellis *Ianum Quirini clauſum*. &c.? & quidem paucis ante Horatii ipſius exceſſum diebus, Aſinio & Cenſorino Coss. ut ſuprà oſtendi Quid ad duodenos Jani clauſi annos, ab Tacito memoratos; quos ego ex Nummis Occonianis & aliis lõgè fidiſſimis, ab anno V. C. 746. Iuliano 38. ſeneſcente, ad Iulianum 50 aut 51. deduxi? quo Ianus ab Auguſto jam ſene, & 68. vitæ annum agente, poſtremùm patefactus, ob bellum Illyricum, Velleio Suetonióque teſtibus *longè maximum ac formidoloſiſſimũ*? Cùm Auguſtus XV. Imperator cognominari cœpit, duodecennio antè toto XIV. dumtaxat appellatus; quòd bella tunc ceſſaſſent ac victoriæ. Fixum ergo ratumque maneat, Pacem toto Orbe tertio ante Chriſti ortum anno Juliano 38. firmatam; ſimul Jani portas tertiùm ab Auguſto, quintùm ab V. C. clauſas.

10. Duobus porrò hoſtibus hiſce potentiſſimis externis tanta pace devinctis, quis eam laceſſere quis carpere auſus eſſet? Ceteri Reges Romanis immiati, vel hauſto ab iis regno obnoxii, non ii erant qui turbare poſſent. Non certè Juba in Mauritaniâ: non Comageni in Syria: non qui in Syriâ, Cappadociâ, Aſiâ Thraciâ. Ne ipſe quidem vixdum adultus in Bohemia Maroboduus. non quivis alius etiam novandi cupidiſſimus. De liberis autem Gentibus, quales erant Germani, quænam reliqua tam feroa, poſt tot alias, propriis à primâ ſui origine ſedibus avulſas, & procul aliò traductas, paris avulſionis terrore non quateretur, pari à rebellione periculo, certâ à quiete ſecuritate? Atque hæc de hoſte externo. | Bini Romanorum hoſtes externi, Germani & Parthi quieſcunt.

11. INTERNUM verò nihil niſi bella civilia ſuſcitare poterat. Sed enim populus ipſe Duceſque Romani tot bellis civilibus pridem feſſi, ne mutire quidem audebant: ſed neque optabant; conditione parendi ſub tam moderato Principe longè potiore. Non pœnituiſſe quidem, teſtatur Tacitus annali 1. *Cùm ferociſſimi quique*, inquit, *per acies aut perſecutiones cecidiſſent. Ceteri Nobilium, quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur; ac novis ex rebus aucti tuta & præſentia quàm vetera & perículoſa mallent. Neque Provinciæ illum ſtatum abnuebant; ſuſpecto Senatus Populique imperio, ob certamina potentium & avaritiam Magiſtratuum; invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur.* Quo Taciti dicto nihil verius, nihil ad Pacis firmitatem robuſtius. | Interni hoſtes nulli. Nulla bella civilia.

12. Tanto igitur armorum extra intráve Imperium ſilentio, converſus ad Opera pacis Auguſtus, *pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens ſeculum* (concludit Florus) *gravibus ſeverìſque legibus multis coercere inſtituit.* Verâ in hoc Chriſti figura, qui æternam Deum inter & homines Pacem, eraſis peccatis, in terram inducturus, deſcenſum è cœlo parabat. Ac prima quidem reſtaurationis cura fuit, | Unde Auguſtus Imperium legibus in pace cõtinet.

Et Cēſu generali repetito, de quo Lucas.

io Civium Luſtro, Provincialium Cenſu repetendo: quando utrumque hoc anno Juliano 38. Cenſorino & Aſinio Coss. veluti poſtliminio reſumptum docet nos Monumentum Ancyranum, quo res à ſe geſtas Auguſtus ipſemet enumerat. Quamvis enim ſolius ibi Luſtri, quod Civium dumtaxat erat, meminerit; Cenſum tamen etiam Provincialium eâdem occaſione, ſi non ſimul, ſucceſſivè tamen omnium egiſſe, & pronior conjectura, & vero Edictum Orbis univerſi deſcribendi, his diebus ab ipſo, Lucâ teſte, promulgatum, concludit. De quo, ut & de aliis hujus ævi rebus geſtis atque circumſtantiis, maximè Belgicis, fusè libro proximo, in Chriſti Nativitate.

CAPUT XXIV.

Quid poſt Ianum ab Auguſto tertiò clauſum, Romæ & in Belgio geſtum; toto ante Incarnationem Chriſti biennio.

Annis Iulianis 39. & 40.

1. IANI fores tertiùm ab Auguſto ante Decembrem anni Juliani 38. obſeratas, Horatii mors arguit. Quæ cùm in quintum Kalendas Decembris, Cenſorino & Aſinio Coss. anno iſto Juliano 38. U.C. 746. teſte Suetonio contigerit: & Horatius ipſe poſtremâ Lyricarum ſuarum odè, Janum canat obſeratum; ſequitur ut ea obſeratio ante quintum Kalendas Decembris acciderit. ac proinde Pax ſolidos illos *duodecim Taciti annos* inde tenuerit. Ab hac pace biennium ad Chriſti Incarnationem intercurrit. quo quid Romæ, quid in Belgio noſtro geſtum ſit, de more conabor eruere. Juvat quippe tempora Chriſto vicina excutere.

Annus U.C. 747. Julian. 39.

2. Anno igitur ab eâ clauſurâ proximo, U.C. 747. Juliano 39. Tiberium Auguſtus generum ſuum, *ob redactam* anno priore *in formam penè ſtipendiariæ Provinciæ Germaniam* (ut Velleius) altero triumpho cum altero item Conſulatu auxit. Tiberius enim teſte Dione *Kalendis hujus anni Januariis iterum cum Cn. Piſone Conſul triumphavit.* Poſt triumphum paucáque inde geſta, *coortis* ἐν τῇ Γερμανίᾳ (nempe Ciſrhenanâ Belgicáque, ut ſolet, & ut etiam reor, Inferiore) *motibus*, velut ad bellum, tametſi Jano clauſo, profectus eſt, illos ipſo eorum ortu oppreſſurus. Neque verò tanti fuere; ideò à Dione ferè tranſmiſſi. Ortos illos ego quidem ab incolis ipſis Belgico-Germanis ſuſpicor, ex tantâ Sicambrorum Suevorúmque multitudine, quibus novæ inter Belgicæ incolas, ſeu ut Suetonius, *in proximis Rheno agris* ſedes, non ſine horum incommodo quærebantur. Ac Sicambrorum quidem, ceu toties rebellium turba, tam Tiberio quàm Auguſto gravior, acriùs citiúſque coërcita. uſque adeo, ut *illorum maximè conſpicui primores*, teſte Dione l. 55. *tædium rei non ſerentes, manus ſibi violentas intulerint.* Reliquum vulgus hinc inde temerè contemtimque diſperſum. prorſus ut (quod notat Tacitus lib. 12. c. 39.) etiam *nomen eorum exciſum ſit.* Suevi minus odioſi in extima feréque maritima Belgicæ, ſive ut alibi idem Tacitus, *in avia Belgarum*, id

Dio l. 55.

eſt Flandriam noſtram hodiernam, tunc ibi parùm cultam, Menapiis inſeſſam, & ſi fortè Zelandiam, nullius invidiâ moleſtiáque trajecti. Sic motu iſto brevi pacato, pax intacta manſit. Quare Dio hunc annum claudens, *nihil eo in Germania memorabile geſtum* monet.

Dionyſ. Halic. de Statu Imperii hoc anno

3. Cui perbellè quadrat Dionyſius Halicarnaſſæus, in hiſtoriæ ſuæ, quam hujus anni Conſulibus edidit, Præfatione. Ubi ſtatum hujus anni deſcribēs, *Romanorum civitas*, inquit, *per omnes terræ plagas imperat, quæ quidem inacceſſæ non ſunt, ſed ab hominibus habitantur. Toto enim mari dominatur, non ſolùm intra columnas Herculis* (.i Mediterraneo) *verùm etiam Oceano, quacumq; navigabilis eſt. Primáque & ſola in omni hominum memoria, ortum & occaſum terminos Imperii ſui poſuit. Tempus quoque potentiæ ejus non breve; annorum jam ſeptingentorum 45. uſque ad Claudium, Neronem, ſeu Tiberium iterum & Capurnium Piſonem Conſules, qui Magiſtratum hunc inierunt Olympiade CXCIII.* Mox: *Nulla ampliùs non barbarâ gente, non Græcâ de principatu contendente. ſeptimam jam ætatem dominium omnibus in terris conſtanter obtinet. Nec ulla eſt gens, ut breviter dicam, quæ non agnoſcat univerſorum dominam, aut detrectet ejus Imperium.* Ita Dionyſius. poſtremis verbis Pacem horum annorum univerſalem clariſſimè ſignificans. Annos porrò ab U.C. 745. numerans, planè completos intelligit: quos ſi cum Parilibus ſeu 21. die Aprilis inchoat & finit, anno primùm 746. terminat, tribus ferè ante inchoatam Olympiadem 193. menſibus. cujus anno adhuc primo labente, Kalendis Januariis proximè ſequentibus, Conſulatum ſuum ſecundum Tiberius inierit. Unde cum Tabulis Capitolinis, hoc quidem loco, ferè congrueret; Varrone anno uno contractior eſſet.

4. Proximo inde anno Juliano 40. ante Chriſti quidem Incarnationem primo, ante Nativitatem ſecundo; cujus Septembri Joannis Baptiſtæ conceptio contigit; D. Lælio Balbo, & C. Antiſtio vetere Coss. pauca ad Belgium noſtrum attinentia comperio. Quæ ut ex profundâ adhuc caligine eruam, unicum hic primò monendum: Tiberium jam bis Conſulem ac Triumphalem, Tribunitiâ quoque poteſtate in quinquennium acceptâ; Armeniâ item, quæ Tigranis morte defecerat, ſibi mandatâ. ut Dio, Zonaras, Suetonius, Velleius, aliique notant, *integrâ licèt ætate ac valetudine, tot proſperis undique confluentibus, Rhodum repentè receſſiſſe. Dubium* (ait Suetonius) *uxoriſne Juliæ* Auguſti filiæ unicæ *tædio, quam ob aſſidua* pœnè adulteria *neque criminari aut dimittere auderet, neque ultrà perferre poſſet; an ut vitato aſſiduitatis faſtidio auctoritatem abſentiâ tueretur atque etiam augeret, ſi quando ſui indigeret Reſpublica; an ut adultis jam Auguſti liberis* (Caio ac Lucio Cæſaribus) *ſponte cederet; tantam illius evectionem, ſe neglecti*, quod addit Dio, *ægre ferentibus; ne ſuâ aut obſtare, aut obtrectare videretur. quam cauſam & ipſe ſed poſtea reddidit. Tunc autem honorum ſatietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum* ab Auguſto *petiit. Neque aut matri ſuppliciter precanti, aut vitrico Auguſto deſeri ſe etiam in Senatu querenti, veniam dedit. Quin & pertinaciùs retinentibus, cibo per quatriduum abſtinuit.* Tiberium ſcilicet Auguſtus ſeu in Armenios deficientes, ſeu in Germanos ſemper ſuſpectos, ſi quid ſimile fortè molirentur, ſibi deeſſe nolebat: quando Ducum vix ullus aut melior aut fidelior apparebat, factâ tandem abeundi poteſtate diſceſſit.

Annus U.C. 748. Julian. 40

Tiberius Rhodum ſeceſſit tempore nati Chriſti.

Cujus munus bellicũ ad ſubita, videtur P. Quirinius tenuiſſe.

5. Abſenti quis ad generalia ſubitáque, quis apud Germanos Inferiores Ciſrhenanos adverſus Tranſrhenanos ſuffectus ſit, nullibi lego. Ad ſubita quidem P. Sulpitium Quirinium, Lucæ Evangeliſtæ Cyrini nomine memoratum, ego quidem ſuffectum exiſtimo. Eóque anno ſequente, ſi non iſto, Æmyliæ Lepidæ generoſiſſimæ fœminæ conjugio decoratum, inferius oſtendam. In Germanos noſtros, qui hic maximè ad inſtitutum, L. Domitium Ahenobarbum tantiſper ſubmiſſum videor mihi è Suetonio Tacitóque eruere poſſe. Erat Domitius Antoniarum duarum ex octaviâ Auguſti ſorore & M. Antonio genitarum, Majoris, ſi Suetonio quidem fides, Minoris ſi Tacito, maritus, ante annos decem ideo Conſul; Neronis poſtmodum Imperatoris avus. Hunc Rhenanis contra Germanos Legionibus aliquando impoſitum certò ex Suetonio Tacitóque habemus. Ac tametſi annum neuter determinet; nullum tamen iſto aptiorem, nullum certè poſteriorem invenio. vix ullum inventurum credo. Vacuo jam primum loco, quem hucuſque Druſus alterius Antoniæ vir, ac Tiberius ejus frater inſederant; ſimul rebus ab eo in Germaniâ geſtis & ætate congruentibus, Tacitus quidem fidus auctor eſt, *Eum exercitu flumen Albim tranſcendiſſe; longiùs penetrata Germaniâ, quàm quiſquam priorum. Eáſque ob res inſignia triumphi adeptum.* Eumdem Suetonius in Nerone c. 4. *Ornamentis è Germanico bello triumphalibus clarum* tradit.

Æmyliæ Lepidæ cõjugio decoratus.

L. Domitius Ahenobarbus Neronis avus, Germaniæ Inferioris Præfectus.

Suet. Neron. cap. 4.

Tacit. Ann. 4.

6. Quod è Germaniâ magis Inferiore quàm Superiore hoc ævo fieri ſolitum, ſuperiora docent. Sanè ad Albim, quem ille longiùs quàm ceteri tranſcendiſſe memoratur, urbs etiamnum celebris ſupereſt in Ditione Daneburgicâ, *Domitz* appellata. an à Domitio hoc, conjicere poſſunt ſagaciores. Ea quidem ad Albis inferiora pertinet, Inferiori quoque Rheno magis oppoſita. Addit Tacitus ann. 1. *Pontes longos* trans Rhenum, ſeu *anguſtum tramitem vaſtas inter paludes* ab hoc eodem *aggeratum.* Quæ omnia in hoc tempus aptè incurrunt, vacuo (ut dixi) à Neronibus fratribus loco; ſimul magnâ Pace, ſine quâ longi tramites iſti, tantâ mole vix invitis incolis aggerari potuiſſent. Porrò pontes iſtos ſeu anguſtum tramitem eodem haud dubiè ſitu fuiſſe putat Cluverius, quo nunc etiam vaſta ſatis palus in medio oppidorum *Ham, Alen, & Lunighuſen* in Epiſcopatu Monaſterienſi ſternitur; decem circiter millium longitudine. Viámque iſtam addit à Veteribus (hodie *Byrten*) ad Aliſonem caſtellum duxiſſe. Quæ omnia Germaniæ prorſus Inferiori Ciſrhenanæ opponuntur. Cui proinde L. Domitius ipſe præfuerit; Tiberio abſenti, hoc anno ſubſtitutus, tanquam ipſi Auguſto etiam affinis. Huic deinde ſucceſſit ſaltem mediatè, M. Vinucius; Vinucio Sentius Saturninus: Saturnino Quinctilius Varus ſicut jam ante in Syriæ Præfecturâ; is qui tandem cum tribus legionibus miſerè trans Rhenum cæſus eſt, ut ſuo loco. Sed Domitio Belgicæ noſtræ ad Rhenum præſidente, Natus eſt Chriſtus univerſali iſtâ pace. De quo jam agendum.

Tramitem anguſtum inter paludes aggeravit.

Cluver. l. 3. Germ. cap. 9.

Ejus tres ſucceſſores.

Sub eo Chriſtus natus.

FINIS LIBRI PRIMI.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER SECVNDVS.

De Chriſti Incarnatione, NATIVITATE, & Pueritia, ad annum uſque duodecimum, &c. Rebus item Belgicis eo tempore geſtis.

Ab Anno Iuliano 40. & 41. ad 54. clademque Varianam.
Per annos tredecim.

PRÆFATIO.

1. NON erat animus, cùm illum ad hæc ſcribenda primùm appuli, alia quàm Belgica, primùm Civilia tum Eccleſiaſtica, niſi fortè compendio tractare. quæ in majus ac ſeparatum Opus, Annales inquam Sacros referenda cenſebam, quæque ſaltem affecta apud me habeo. Sed cùm horum etiam Belgicorum tempora ac fundamenta ab anno Chriſti pendere ſenſi, in quo non omnes eruditi conſentiunt; mei muneris eſſe duxi, ſaltem breviter ac dilucidè, quæ mea ſit hac in re opinio, aperire. Præſertim cùm jam vergat ætas, annorum propè octoginta; & neſciam ſi intra paucos annos tollat me factor meus. Nec verò mihi ſimilia hîc tractanti veniam negare poteſt Lector; niſi BELGIUM minùs quam ceteras regiones Chriſti ortu Prædicationéque inſtructum, morte redemptum ſtatuere velit. Sed neque Belgica interim omittam. gratiora potiùs ſacratioráque reddam. ſimul promulſidis aut Breviarii loco Annalibus eſſe poterunt.

Nativitas Chriſti etiã ad Belgium Eccleſiaſticum pertinet.

2. Dico igitur, Jampridem mihi cum Deckerio Petavióque Patribus noſtris, Godeſrido Vendelino familiari meo, & aliis ſtare ſententiam, Annũ Chriſti Natalem in Annũ U.C. 749 Varronianum; Julianum 41. deſinentem, Decembris die 25. Periodi Julianæ Prolepticæ ſive Suppoſititiæ 4709. item expirantem, Auguſti à nece Julii Cæſaris 40. A pugnâ Actiaca 27. Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ quartum incurriſſe; Auguſto ipſo 12. & L. Cornelio Syllâ Conſulibus ordinariis.

Quo anno illa contigerit.

3. Quò me inducunt *Primò* JOANNIS Baptiſtæ Præcurſoris Chriſti tot characteribus inſignita Conceptio. *Secundò* Cenſus, ſeu univerſalis illa Ἀπογραφὴ *Deſcriptio*, quâ totus Orbis Romanus, & cum eo tum Naſcens Chriſtus in Tabulas Cenſuales adſcriptus eſt. quas adhuc ætate ſua Tertullianus Romana Archiva cuſtodiſſe, alii etiam ducentis poſt eum annis, ſcribere nihil veriti ſunt. *Tertiò* C. Sentii Saturnini ætas. qui Cenſus illius ſaltem poſtremus exactor Cenſitorque, Tertulliano, Joſepho Judæo, adeóque ex ratiocinatione etiam Tacito Suetonioque fidiſſimis Auctoribus, ceu Syriæ tum Præfectus exiſtit. *Quartò* HERODIS Regis mors; & Anni ex quo Romæ à Senatu, M. Antonio auctore Rex dictus eſt, triginta ſeptem; ex quo autem Antigonum Aſſamonæorum poſtremum debellavit, triginta quatuor: omnes pariter in ejus mortem, & Paſcha Judaicum Anni Juliani quadrageſimi tertii deſinentes, etſi nondum expleti. *Quintò*, Ipſa denique CHRISTI ætas *Annorum quaſi triginta*, ut ait Lucas: & verò nos huc trahens Hiſtoriæ Romanæ, Iudaicæ, & Evangelicæ ſeries gratúsque concentus. Quod in aliorum opinione vix, certè non ſine aliqua contortione, reperias. De ſingulis aliquid expediam.

Ex Joannis Baptiſtæ Conceptione.
Ex Cenſu.
Ex C. Saturnini Syriæ Præfecti ætate.
Ex Herodis regno & morte.
Ex Chriſti ipſius etiam ætate.

CAPUT PRIMUM.

IOANNIS Baptiſtæ Conceptio.

1. OPTATISSIMAM, totque Sanctorum Patrum jam inde ab Orbe condito votis expetitam CHRISTI Incarnationem, ceu Lucifer Solis ortum præceſſit tot ſignis illuſtrata Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini Conceptio. Charactere à D. Lucâ non minus certò determinata, quàm ſi Conſules Herodíſve annum certum nominaſſet. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia*, &c. *Qui cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm conſuetudinem Sacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret, ingreſſus in Templum Domini. Apparuit autem illi Angelus, ſtans à dexteris Altaris incenſi, & ait: Uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus JOANNEM*, &c. *Erit enim magnus corã Domino; multos filiorum Iſrael convertet ad Deum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ*, &c. *Ut autem impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth uxor ejus; & occultabat ſe menſibus quinque*, &c. *In menſe autem ſexto, Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, in civitatem Galilææ Nazareth ad Virginem* MARIAM *deſponſatam viro Joſeph*. Iſta & plura Lucas capite primo. Qui cùm Zachariam notat *Sacerdotem de vice Abiâ ſorte incenſum poſuiſſe*, certâ temporis notâ nobis indicat annum, quo Evangeliſmus iſte Ioannis Conceptióque contigit. ſi primùm hoc Lector ſciat

Joannes Conceptus cùm pater de vice Abia Sacerdotio fungeretur. Lucæ 1.

Quænam vices Sacerdotum? Ex 1. Paral. cap. 24.

2. Paralipomenon liber primus c. 24. cùm dixiſſet duos Aaroni filios fuiſſe Sacerdotes, Eleazarum & Ithamarum, ſubdit verſu 3. *Et diviſit eos David ſecundum vices ſuas & miniſterium. Inventique ſunt multo plures filii Eleazar in Principibus viris, quam filii Ithamar. Diviſit autem David eis, hoc eſt filiis Eleazar, Principes per familias ſedecim; & filiis Ithamar per familias & domos ſuas octo. Porrò diviſit utraſque inter ſe familias ſortibus. erant enim Principes Sanctuarii & Principes Dei, tam de filiis Eleazar, quàm de filiis Ithamar.* Tum verſ. 7. & exiit ſors prima Jojarib, 2. Jedei, 3. Harim, 4. Seorim, 5. Melchia, 6. Mariman, 7. Accos, 8. ABIA, &c. uſque ad 24. Tum verſu 19. Hæ vices eorum ſecundùm miniſteria ſua, *ut ingrediantur domum Domini.* hoc eſt, ut quidem vult Joſephus Antiq. l. 5. c. 11. *Inſtituit ut una cognatio miniſtraret Deo per dies octo, à Sabbatho uſque in Sabbathum.* Quæ prima tunc ſortita eſt, primum quoque locum deinceps retinuit, Abia octavum, reliquæ item ſuum. Eumque ordinem ſubdit Joſephus in hodiernũ uſque diem permanere. id eſt ad Veſpaſiani Imperium, & Templum à Tito deſtructum. tamque religioſè ſemper obſervatum, ut ne mortis quidem periculo vicibus ſuis deturbarentur. ſicut patet cùm Ptolemæus Lagi filius, cùm Antiochus Eupator, cùm Pompeius, cùm Soſius & Herodes, cùm Titus ipſe irrupere. Negari quidem non poteſt, quin à Davidis ad Judæ Machabæi tempora aliquot intervenerint interruptiones: ut cùm Nabuchodonoſor templum evertit, cùm Antiochus Epiphanes prophanavit. At ex quo Judas Machabeus reſtituit, nulla recurrit interruptio.

A tempore Machabæi ad Templi deſtructionẽ conſtantiſſimæ.

Quando Judas Machab. Templum expiarit?

3. Expiavit Templum Judas, & Sacrificium obtulit ſecundùm Legem; ac proinde Sacerdotum vices reſtituit anno Græcorum 148. Menſis Caſleu 25. lib. 1. Mach. c. 4. verſ. 52. 53. 54. Is annus eſt Periodi Julianæ 4549. dies autem Solaris Novembris 22. feria 7. ſeu Sabbatum litera Dominicali E. & eo quidem expiationis Sabbato, nihil impedit, quo minùs omnes indiſtinctè Sacerdotes, velut in communi lætitia, ſacris operari potuerint. Ab illo tamen eodem inivit Iojaribi Ephemeria, ut quæ prima jam olim à Davide eſſet; ſimul Iudæ ipſius Machabæi expiantis ac fratrum ejus gentilis & patria. Verùm quod Ioſephus paulò ſuprà, & Rituales Iudæorum libri docent, Ephemerias Sabbato cœpiſſe, & Sabbato poſt dies 7. deſiiſſe; quæri fortè poſſet, An Sabbato priore deſinente primùm inierint, poſteriore jam expleto deſierint? quando Sabbatum Iudæis non primus, ſed extremus hebdomadæ dies eſt. Communiùs tamen à Sabbato priore incluſo acceſſunt Interpretes; quos hîc ſequemur. parumque noſtra intereſt, dum de integrâ conſtet hebdomade.

Abiæ Ephemeria octava erat.

4. A Sabbato igitur iſto diei Novembris viceſimæ ſecundæ, primis ſeptem Ephemeriis expletis, (quod diebus omnino 69 fiebat) inivit Ephemeria octava ABIÆ, die Menſis Scebath quinta decimâ, Ianuarii verò Iuliani ſuppoſititii decimâ, feriâ ſeptimâ ſeu Sabbato; & per totam hebdomadem uſque ad ejuſdem Ianuarii decimam-ſeptimam completam, quæ fuit feria ſexta, ſacris operata eſt. Ab die inde ſeptima-decima ejuſdem anni Græcorum 148. Periodi Iulianæ 4550. ſi dies omninò 57960. ſeu Orbes Hieraticos integros 345. (quorum ſinguli 168. dies conficiunt) numeremus, reperiemus illos Septembris Iuliani die ſeptima-decimâ, feria ſextâ compleri. Igitur ab ejus veſperâ, Septembris jam octava-decima, inchoante feria ſeptimâ ſeu Sabbato, Ephemeria ABIÆ vicem ſuam, jam quingenteſimam quadrageſimam ſextam inierit, Anno Græcorum 307. Periodi Iulianæ 4708. Iuliano quadrageſimo, literâ Dominicali C. De quâ Zachariam Ioannis Baptiſtæ patrem fuiſſe, & ſortitum ut incenſum poneret, tradit Lucas cap. primo, verſu 9. & poſuit uſque ad feriam ſextam ſequentem expletam, ſeu Septembris viceſimam quartam diem; quâ eo ſæculo Æquinoctium, Medium ſaltem, committi paſſim credebant, & verè hoc anno commiſſum videtur, tametſi Aſtronomicum ac cœleſte uno die ſecutum ſit. Hujus porro hebdomadis uno quopiam die, Gabriel Angelus Zachariæ ſuffitum adolenti filii Ioannis Conceptionem Nativitatemque mox futuram annuntiavit, teſte Lucâ capite primo, verſ. 13. Quem diem Chryſoſtomus Homilia de Joannis Bapt. Nativitate vocat Jejunii ac Pœnitentiæ, adeòque Scenopegiæ. Jejunium nempe Kippurim ſeu expiationum, quod in decimam Septimi menſis ſeu Tiſri diem Moſes Levit. cap. 23. verſ. 27. indicit, ſicut decimo-quinto proximè ſequente feſtum Tabernaculorum ſeu Scenopegiæ inire, & octiduo toto durare voluit: ibidem verſ. 14. Cujus octidui primo die, ipſius Scenopegiæ ſolemnitate, Ioannis Conceptionem nonnulli affigunt. Quod nos modò neque probamus, neque rejicimus. Scripturæ tantum verbis hic inſiſtimus.

Initque 18. Septembris. anno Græcorum 307. Juliano 42. litera Dominicali C

5. Quæ Lucas ita proſequitur à verſu 23. *Vt impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth uxor ejus. Et occultabat ſe menſibus quinque. In menſe autem ſexto* (ut videtur, adhuc labente; & ut veriſimilius eſt, etiam Lunari) *Miſſus eſt* (idem) *Gabriel Angelus à Deo ad Virginem* MARIAM *deſponſatam Joſeph*; Chriſti quoque Conceptionem & Nativitatem Evangelizaturus. Ea Conceptio ex conſtante Eccleſiæ ſenſu, viceſimo quinto Martii menſis die peracta eſt. Ex quo ſi per ſex menſes Lunares adhuc labentes retrò ſupputas, in Octobris initium, aut ſi fortè in Septembris extrema relabêris. Ita & vices Abiæ, moxque ſecuta Joannis Conceptio, certum Conceptionis Chriſti ſeu Incarnationis ferè diem; & viciſſim ipſa Chriſti Conceptio ipſum propè Conceptionis Præcurſoris ſui annum determinant; & quidem è Scriptura, ſaltem cum antiquiſſimo Eccleſiæ Romanæ ſenſu conjunctâ. Neque enim poſtremis hiſce Herodis Regis annis, ſeu ut Matthæus Lucaſque ſcribunt, *In diebus Herodis Regis*, vicem ABIÆ Septembri menſe, circa Æquinoctii autumnalis ac Scenopegiæ dies ſacris operatam facilè reperies, niſi anno iſto Iuliano quadrageſimo, qui annum Chriſti Natalem proximè antecedit. & Chryſoſtomus quidem Homilia de Ioannis Nativitate, Ioannis ortum tam cum Æquinoctii quàm Lunæ ætate jungere inſuper audet. nec nos ut dixi rejicimus probamúſve, verùm ſatius hic viſum è ſolis certiſque Lucæ verbis, quàm è Doctorum quantumvis eruditorum opinione, veritatem eruere; cætera poſtmodum alio tempore locóve diſcuſſuri. Atque hoc primum eſt pro anno Chriſti Natali noſtrum argumentum. Alia priuſquam perſequar, amœnius hîc aliquid inſerendum.

CAPUT

CAPUT II.

Romæ figuram Incarnationis Auguſtus, ceu alter Cyrus, in nepote filióve ſuo adoptivo Caio Cæſare, adumbrare viſus.

1. CHRISTI Domini INCARNATIO licèt in totius Mundi ſalutem inſtituta, non Hieroſolymis aut loco vicino, ſicut Joannis Baptiſtæ, non Romæ Mundi capite, uti decere videbatur; ſed Nazarethi, perobſcuro vico in extremis Imperii finibus, reipſa peracta eſt. ſolito Dei judicio, qui infirma Mundi ſemper eligit ut fortia quæque confundat. Romæ tamen eodem quaſi jam ejus umbram iiſdem diebus ducere viſus in Auguſto, cùm Caium Cæſarem, ſuum ille naturâ nepotem, adoptione filium, togâ virili indutum, in forum atque Capitolium, quaſi in Orbem terrarum æquè induxit. Annus erat Julianus 41. ut dixi, U. C. Varron. 749. Æræ Græcorum ſive Seleucidarum 308. cujus Æquinoctio verno Incarnatus eſt Chriſtus, Solſtitio æſtivo natus Joannes Baptiſta, hiberno CHRISTUS.

Auguſtus filios ſuos adoptivos deducit in forum: Caium anno Jul. 41. Lucium 43. & togâ virili induit.

2. Suetonius Auguſto, capite 26. *Conſulatus ſuos* Auguſtus *à tertio ad undecimum continuavit. Multiq; mox, cùm deferrentur recuſatis, duodecimum magno, id eſt ſeptemdecim annorum intervallo, & rurſus tertiumdecimum biennio poſt, ultro petiit: ut Caium & Lucium Cæſares filios, ampliſſimo præditus Magiſtratu, ſuo quemque tyrocinio deduceret in forum.* quod & fecit; Caium primogenitum quatuordecennem iſto anno Juliano 41. Lucium biennio minorem, quadrageſimo tertio. Annum ætatis tunc agebat Auguſtus 58. Ita quod maximè parentes ſeniores ac præpotentes affligit, maturum domus ſuæ nullum videbat heredem. ſed neque ex ſe; verùm ex filiâ tantùm Juliâ & M Agrippâ genitum, eóque nepotem & adoptione duntaxat filium. Hanc tamen qualemcumque ſpem ad Reip curam admovere, iiſdem quibus ipſe olim annorum honorúmque gradibus ac ſpatiis inſtituit. Ipſe anno ætatis quinto-decimo togam virilem ſumpſerat (ut ex Nicolai Damaſceni tum florentis ac ſcribentis nuper repertis Eclogis, & ex certâ Valeſii interpretis animadverſione ſatis conſtat) *in forum deſcenderat, poſitâ prætextâ togam puram indutus; quod tyrocinii virilis argumentum; Diis ſacrificaverat, & in locum L. Domitii tum defuncti, Collegio Pontificum Populi ſuffragiis adſcriptus fuerat.* Caium igitur eodem ætatis illius anno deduxit in forum. Et, ut in Ancyrano monumento teſtatur, effecit *ut Senatus Populusq; Romanus Conſulem deſignaret; ut eum Magiſtratum iniret poſt quinquennium ex eo die quo deductus in forum.* & quo ſicut olim ipſe, annum acturus eſſet vitæ viceſimum. Quod & factum anno Juliano 46. U. C. 754. à quo reductum quinquennium in anni Juliani 41. Kalendas Januarias, & annum Caii quintum-decimum labentem recidit.

Magnâ ſolemnitate & pompâ.

3. Ceterùm iſta in forum deductio, ſeu Tyrocinii dies, nihil minus ſolemnitatis habebat & pompæ, quàm Nuptiarum. Primùm enim non à Patre ſolo, ſed & ab amicis agnatiſque & primariis fieri ſolebat, ut de Atilio inter ceteros notat Appianus libro 4. Civilium. Tum in Capitolium & Templa cum illis Tyro pergebat, Diis ex more ſacrificabat, eodem & hic Nic. Damaſceno de Auguſto teſtibus. Mox cauſas quaſi vir agere poterat: quod de M. Cottâ ſcribit Valerius Maximus. Denique quod de Nerone Tranquillus ait, Deductus in forum Tyro (ſi Princeps erat) Populo Congiarium, Militi donativum proponebat: aut potius tyronis nomine parentes. Quod & de altero Nerone Germanici primogenito notat Tacitus annali 3. Hæc omnia profuſè Caio Cæſari Tyrocinii die præſtitit Auguſtus. Quippe duodecimùm Conſul deduxit in forum, non ſolus, ſed ingenti comitatu pompâque: cum illo Diis in Capitolio pro Reip. ſuorumque ſalute ſacrificavit: Populo Congiarium, Militi Donativum dedit ex Ancyrano monumento, ubi legimus, *Duodecimum Conſul trecentis & viginti millibus plebis urbanæ ſexagenos denarios viritim dedi*, &c. Quin & honores Nepoti pro eâ ætate procuravit; ut Conſul poſt quinquennium eſſet: ut Senatus decreto conſiliis publicis intereſſet: ut Pontificatus ei, ſicut olim ſibi, deferretur. Quæ omnia ex veteribus apud Occonem Nummis apparent.

Quo die anni id factū? An Kal. Januarius?

4. Sed quo tandem iſtius Anni die Caius in forum Capitoliumque deductus? Kalendas ipſas Ianuarias non obſcurè deſignat Auguſtus, cùm ſcribit, *Conſulatum illum inire debuiſſe, poſt quinquennium ex eo die, quo deductus in forum* Certum eſt Conſulatum iniiſſe Kalendis Ianuariis anni Iuliani 46. Igitur eodem hujus anni 41. die Togam virilem induit. & Dio, l. 56. *Galba*, inquit, *qui deinde Imperio potitus, Kalendis Januariis ejus Anni*, quo mortuus Auguſtus, *togam virilem ſumpſit.* Tacitus item, Ann. 4. *Anni principio Druſus ex Germanici filiis Togam virilem ſumpſit.* Nihil clarius. Obluctari tamen videtur, qui iſta oculis uſurpare potuit Romæ tum præſens Ovidius, annorum vir 38. nec talium negligens; cùm tertio Faſtorum canit:

An Liberalibus, ſeu 17. Martii.

Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho. Id eſt Martii 17. ſunt Liberalia, Baccho ſeu Libero ſacra. quibus Toga virilis ſeu Libera pueris dari ſolita. unde pergit:

Reſtat ut inveniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris, candide Bacche, tuis.
Sive quòd es Liber, veſtis quoque Libera per te
Sumitur, & vita liberioris iter.

Denique concludit:

Ergo ut Tyronum celebrare ſequentia poſſet,
Viſa dies danda non aliena Toga.

Favet Ovidio ipſe Cicero ad Atticum: *Quinto Togam puram Liberalibus cogitabam dare.* Ex horum itaque ſententiâ, Caium filium Auguſtus ſeptima-decimâ Martii in forum vel deduxiſſet, vel ex more priſco deducere debuiſſet. & ſi Kalendis Ianuariis deduxerat, iſto tamen adhuc die aliquid ſolennitatis addiderit. Suffragari videtur quædam Plinii lectio, quæ Auguſtum dicit Conſulatum hunc ſuum 12. non ultra tertium Idus Apriles geſſiſſe: tanquam Caii in forum deductione exhauſtum.

Octo diebus ante Incarnationem Chriſti.

5. Quod ſi eſt, Inter Togam virilem, & humanum CHRISTI amictum, vix octo dierum diſcrimen interfluxerit. Quis hic Auguſtum, velut alterum Cyrum, Caium filium in forum deducendo, Dei veri typum geſſiſſe non admittat? Quis Deum celeſtia terrenis adumbrantem hic non miretur? Miratus eſt certè primus & piè meditatus in ſuis Theſibus Deckerius noſter. Quibus (ait) diebus, Imperator Orbis, *Auguſtus Cæſar, Divûm genus, aurea*

Auguſtus hic velut alter Cyrus. & Chriſti aliqua figura aut etiam Dei Patris.

cordens Sæcula, Caium Cæſarem, Naturâ nepotem, Adoptione filium, Imperii hæredem deſtinatum, Togâ virili induit; in forum magno amicorum comitatu pompâque deduxit; Pontificem creavit, Principem Juventutis appellavit, Conſulem deſignavit, omnibus Senatûs conſiliis intereſſe voluit: iiſdem ferè, aut paucis pòſt (nam Typum figurantem aptiùs ſequitur figuratus Antitypus) Deus Pater, Rex Regum, Dominus Dominantium, Filium ſuum unicum, naturâ divinâ ſibi Conſubſtantialem, humanâ adoptivum;

Epiſt. ad Hebr.

Quem conſtituit hæredem Univerſorum, figuram ſubſtantiæ ejus, portantem omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum facturum, ſedentem ad dexteram Majeſtatis in excelſis; tanto meliorem Angelis, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit; Illum inquam talem tantumque Filium, *primogenitum in Orbem terræ*, ceu Mundi forum, *introduxit: dixitq́, Adorent eum* (non comitentur tantùm) *omnes Angeli Dei*, Togâ virili viliique, utpote *in ſimilitudinem peccati, per omnia fratribus*, hominibus, *absq́, peccato ſimilem* induit;

Caius tunc factus Pontifex.

ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta Populi: Principem Pacis & Juventutis, *Patrem futuri ſæculi*, Conſulem ſive *Conſiliarium, & Magni conſilii Angelum* appellavit atque conſtituit.

Princeps Juventutis ut Chriſtus Pacis.

Ita in humanis ſæpè ludit Deus: & quod in cæleſtibus inviſibiliter operatur, in humanis viſibiliter adumbrat. Incarnationem certè Nazarethi ignobili vico diebus his exertè peractam, Romæ ſplendidiſſimo Theatro, ſed virtutibus ac veritati cæco, figuratè peregit: Myſteria tanta ut *parvulis revelans*; ita & *abſcondens à ſapientibus. ut videntes non viderent, audientes audirent & non intelligerent. Incraſſatum enim erat cor populi iſtius.*

6. Et hæc igitur qualiſcumque Cyri Romani de Chriſto nato figura ejus Incarnationem non ineptè repræſentat, ſimul annum Chriſti Natalem, Julianum 41. ultrò, etiam neſcientibus offert. Scio non defuturos, quibus hæc profana deſipiant. Deſipiet ergo etiam illis *Cyrus*, itidem *Chriſtus* ab Iſaia capite 45. v. 1. disertè nuncupatus. & capite 44. fin. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es*, &c.

In qua figura nihil abſurdi.

Deſipiet item alter Chriſti typus *Salomon*, qui primus in Jeruſalem & Iſraël idololatriam invexit. Deſipiet & *David*, quem in Solario deambulantem, indéque Berſabeam Uriæ uxorem depereuntem, figuram Chriſti facit Gregorius Magnus, tertio Moralium in Job, capite 21. ſicut & cum l. 4. c. 4. *Saülem Regem* impium, à Samuele 1. unctum, mox etiam reprobatum, in Gelboë monte demum miſerè mortuum, Chriſti mortem expreſſiſſe ſubjungit. Latet ſæpè in fimo gemma; & ſub fœdo peccati velo Chriſti candoris æterni ſcintillat umbra. In figura iſta nihil peccati, nihil inhoneſti, non magis quidem quàm in Cyro.

CAPUT III.

Quid fuerit illa Orbis ex edicto Auguſti Deſcriptio, ſeu Cenſus? Quando & quomodo peractus?

Anno Iuliano 41.

1. CHARACTERE primo, quo Ioannis Præcurſoris adeóque etiam Chriſti Conceptionem ac Nativitatem ſignat Lucas, illuſtriorem adhuc alium, notioremque ſubjungit: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis.* Nempe Romano ſubjectus Imperio. Quis enim tempus iſtud ignoraret, quo ſe cum parentibus, totâ familiâ, toto natali ſolo, toto demum orbe, in Tabulas Cenſuales, nomine, cognomine, domo, patrimonio, facultatibus relatum deſcriptumque ignorare non poſſet?

Edictû Auguſti ut deſcriberetur orbis, ſeu CENSUS fieret.

Et nunquid oportebat, ejus qui pro omnium ſalute de cœlis in terram deſcendebat, ortum omnium quoque teſtimonio cognoſci? æterna memoria recoli? Defuturi non erant Marciones, qui veram Chriſti carnem, veram in carne Nativitatem protervè negarent, qui à Deo corpus aſſumptum in phantaſma verterent, aliis etiam perſuaderent; ni Cenſum iſtum Monarcha Auguſtus generalem indixiſſet, indictum conſtanter, labore prorſus Herculeo peregiſſet, peractum Tabulis publicis incidiſſet.

2. Hinc Cenſum hunc Tertullianus perantiquus ac gravis auctor, *fidiſſimum Dominicæ Nativitatis teſtem* appellat: *quem*, ait, *Romana Archiva cuſtodiunt*. imò poſt ducentos etiam annos legendum exhibebant. & quem ſi ipſe quoque deſcripſiſſet, ingens nobis lumen, ingentem certitudinem affudiſſet.

Fidus Nativitatis Chriſti teſtis.

Supplet ita Lucas capite 2. *Factum eſt in diebus illis, exiit edictum à Cæſare Auguſto ut deſcriberetur univerſus Orbis: & ibant omnes ut profiterentur ſinguli in civitatem ſuam.* ex quâ ſcilicet quiſque oriundus, licèt in ea natus minimè fuiſſet, minimè habitaret.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 7.

Sic enim facilior atque certior erat ſingulorum deſcribendorum ratio, Iudæis jampridem uſurpata. *Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa, de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem; eò quòd eſſet de domo & familiâ David; ut profiteretur cum MARIA deſponſatâ ſibi uxore prægnante. Tam enim* (ait ad hoc aptiſſimè Tertullianus) *diſtincta fuit à principio Judæa per tribus & populos, & familias, & domos, ut nemo facile ignorare de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis Cenſibus, adhuc tunc fortaſſe pendentibus.* Duplicem ecce hîc Cenſum memorat; primò Judaicum ante Romanos uſurpatum, & inde à Davide Rege inductum: tum Romanum, ab Auguſto primùm in Provincias ex Urbe tranſlatum.

Cenſus iſte Auguſti videtur etiam Judaicus.

De Romano maximè hîc cum Lucâ ago. quanquam & ex Judaico antiquo multa hic intervenìſſe non negem; Judæâ nondum in Provinciam, ſicut ceteræ, propriè redactâ, quando Regem adhuc habebat, ac licèt Romanis potentioribus obnoxium, adhuc tamen Regem: quem aliæ Provinciæ verè Provinciæ non habebant. ut in tempore progreſſuque memorabo.

3. De Romano igitur ut agam, ante omnia revocandum in memoriam; Servium Tullium Regem Romæ ſextum atque penultimum, Cenſus & Luſtri Urbani primum auctorem, teſtibus omnibus, extitiſſe.

Romanus CENSUS quis, & à quo?

Breviter ac nervosè præ ceteris Florus lib. 1. cap. 6. *Ab hoc populus Romanus relatus in Cenſum, digeſtus in claſſes, Curiis atque collegiis diſtributus. ſummaq́, Regis ſolertiâ ita eſt ordinata Reſpublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq́, diſcrimina, in Tabulas referrentur: ac ſi maxima Civitas minimæ domus diligentiâ contineretur.* Populum hîc Florus primò Romanum intelligit: *quem* (addit Dionyſius libro 4.) *quò melius cenſeret Servius, voluit certi pretii nummum in æraria varia pro ſingulis capitibus inferre. Et in Illithyæ quidem ſeu Junonis Lucinæ ærarium, pro iis qui naſcerentur: in Veneris, quam Libytinam appellabant, pro iis qui morerentur: in Iuventutis denique, pro iis, qui inter viros referri inciperent. Unde dignoſcere poterat,*

quotannis, & qui eſſet omnium civium numerus, & qui ex illis militari eſſent ætate. Similiter, ut Ruſticanæ multitudinis numerus iniri poſſet (addit idem auctor)

Paganalia.

feſtum quoddam celeberrimum, Paganalia dictum, inſtituit. ad quod juſſit omnes, qui eumdem pagum incolebant, commeare; & in ſingula capita nummum inferre, alium viros, alium mulieres, alium impuberes. Quibus per Sacrorum præſides adnumeratus hominum numerus per ſexus, ætatéſque diſtinctus apparebat. & infrà: *His conſtitutis juſſit, Omnes Romanos tam urbanos quàm ruſticos nomina dare: ſua item bona pecuniâ æſtimatione cenſere: eáque omnia bonâ fide relata jurare; nomina parentum, quibus nati eſſent, conjugum ac liberorum adſcribere, ætatis annum declarare: addito & urbis loco, & regionis pago, quo ſinguli habitarent. Et verò qui cenſus non fuiſſet, eam pœnam impoſuit, ut bonis ſpoliaretur, & virgis cæſus ſub haſtâ veniret. Ita peracto Cenſu, & Tabulis, quibus omnium nomina inſcripta erant, acceptis; eorúmque numero & fortunis cognitis; ſapientiſſimum Reiq; publicæ ſaluberrimum inſtitutum induxit.* Iſta omnia Dionyſius Halicarnaſſæus. Sanè accuratè ut ſolet, quæque à nobis etiam pro Cenſibus Provincialibus poſtmodum additis, benè notanda ſunt. Stetitque ea Lex, quamdiu Reſpublica ſub Conſulibus Cenſoribusque perduravit.

Cenſum Romanum Urbanum, primus ad Provincias etiam tranſtulit Auguſtus Monarcha.

4. Poſtquam Imperium Auguſtus Monarcha ſuſcepit, Magiſtratuum quoque, Cenſorum maximè ac Tribunorum plebis munia in ſe traxit. Simul Cenſuræ rationem iſtam à Dionyſio tam diſtinctè explicatam, non ad Civium modò ex antiquo more, ſed & ad Univerſorum omnino, qui in Imperio tantopere aucto degebant, novo more primus extendit; juxta illud Caſſiodoro à nonnullis attributum;

Caſſiodorus var. lib. 5. Epiſt. 52 habet aliquid ſimile.

Cenſus Romanorum civium primus Servius Rex inſtituit: mox Auguſtus per Orbem ampliavit. Effecitque (addo ego) ut ſicut antea (teſte Floro ſuprà) *maxima civitas quaſi minima domus*; ita totus Orbis quaſi minimæ urbis *diligentiâ contineretur*. Eamdem ferè utrobique cenſendi viam quadam proportione ſecutus. Ad id animū appellere cœpit, ſextùm jam, Agrippâ ſecundùm collegâ Conſul, altero poſtquam de Antonio & Cleopatra triumpharat anno; Monarchiâ integrè pacatéque potitus; anno U. C. 726. Iuliano 18. ante veram Chriſti Nativitatem 24. Sic

Lapis Ancyranus

enim ipſemet in monumento ſuo Ancyrano: *In Conſulatu meo ſexto Cenſum populi, collegâ M. Agrippâ egi. Luſtrum poſt annum alterum & quadrageſimum feci, legi. Quo Luſtro Civium Romanorum* (nota *Civium*, non quorumcumque Provincialium, quando non omnes Provinciales erant *Cives*) *cenſa ſunt capita quadragiens centum millia & ſexaginta tria*: id eſt, ut noſtro more loquamur, capitum milliones ſolidi quatuor, inſupérque 163. millia: iis etiam accenſis, qui non Romæ tantùm, & in Italiâ, ſed & per omnes Imperii Provincias, Civium tamen jure donati, agitabant. Sic & Dio libri 53. limine, *Eo quidem anno Auguſtus ſextùm Conſul τὰς Απογραφὰς* (nota verbum Lucæ) ἐξετέλεσε. *deſcriptiones ſeu Cenſum peregit. in quo & Princeps Senatûs ipſe dictus eſt; pro eo more, qui integro etiamnum populi in Rep. ſtatu receptus erat.* Ita Dio, credo, ex hoc eodem Ancyrano Indiculo: ſicut & Suetonius Aug. cap. 27. *Recepit & morum legúmque regimen. Quo jure, quanquam ſine Cenſuræ honore, Cenſum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum collegâ medium ſolus.* Vides trium horum Scriptorum concordiam; de ſolo tamen *Civium Romanorum*, non item de Provincialium omnium Cenſu. qui nihil adhuc ad noſtram hanc Orbis univerſi Deſcriptionem, certè non integrè facit. ſi ſolitarius quidem capitur. plurimùm autem, ſi cum iis quæ ſecum trahit. Nam nullum Civium Cenſum fecit Auguſtus, quin & Provincialium omnium, etiam non Civium, eodem ferè tempore peregerit. Imò illum non niſi ter, ut ex eodem Ancyrano Breviario Suetonius; hunc pluries etiam obivit, ut probatum eo.

Primus Cēſus Provincialis Galliarum, *apud Dionem lib. 53.* ANNO U. C. 727. Jul. 29.

5. Prima quidem Cenſus ſeu Deſcriptionis Provincialis nondum hactenus uſurpatæ mentio, ſequenti proximè anno Juliano decimo nono, apud Dionem Livianámque Epitomen 134. reperitur. *Auguſtus ſeptimùm Conſul*, ait Dio, *cùm exercitu ab Urbe ad expeditionem Britannicam profectus, cùm in Gallias advenìſſet, ibi ſubſtitit. Nam & Britanni Legatos pro pace miſſuri videbantur; & res Gallorum inquieta erant: quia ſubactionem eorum civilia ſtatim bella exceperant. Itáque & illorum Απογραφὰς ἐποιήσατο, Cenſum egit: & vitam Rémque publicam ordinavit.* Eo ſcilicet ipſo anno U. C. 727. quo AUGUSTUS primùm à Senatu nuncupatus. Similiter Livii, ex

& apud *Livianam Epit. 134.*

quo hauſit Dio, Epitome 134. *Cùm Auguſtus conventum Narbone ageret, Cenſus à tribus Galliis, quas Cæſar pater vicerat, actus.* En primum omnium Provincialem Auguſti Cenſum, vix toto ab Actiaco triumpho

Trium Galliarum quas Julius Cæſar vicerat.

biennio actum, aut agi cœptum. Neque enim uno facilè anno tanta rei moles peragi poterat. Unius verò ſolùm anni intercapedine à primo ejuſdem urbano ſeu civico diſtinctum: quo Galliæ dumtaxat tres Comatæ cenſitæ; Belgica noſtra, Lugdunenſis ſeu Celtica, & Aquitania. ab Julio ſcilicet ſolæ devictæ: quartâ Narbonenſi ſeu Braccatâ Romanis jam pridem addictâ cognitaque, tunc non accenſâ. Et Gallorum quidem iſtorum, qui tum cenſi fuere numerum, nemo quod ſciam adſcribit: ſed ſi ex hodiernâ eorum frequentiâ conjicere licet, quem in ſolo Franciæ hodiernæ regno ad quindenos aut octodenos milliones efferre audent nonnulli, tum quidem nullâ caſtitatis obſervatione curáve, nullo cœlibum Religioſorúmque conventu; additis inſuper iis quæ Rhenum inter ac mare extra Franciam hodiernam porriguntur regionibus, potiùs exceſſiſſe crediderim.

6. Jam ſi tunc in Galliis ab Auguſto Cenſus

E Galliis in alias quoq; Provincias tranſlatus Cenſus.

actus; quis enim in alias quoque Provincias (ſucceſſu præſertim, & reliqui Imperii æquè ordinandi cupidine prolectante) ſenſim tranſlatum non colligat, non admittat? Nam cur in Gallia potiùs, etſi fortè priùs, quàm in Hiſpania, Africa, Ægypto, Syriâ, Aſiâ, Græciâ, Illyrico? Sanè nonniſi ex hoc primo reliquarum æquè Provinciarum univerſali Cenſu manare potuit Rationarium illud ſive Breviarium

Ex quo Rationarium Imperii.

Imperii, quod anno poſt hunc ſolùm quarto, U. C. 731. Juliano 23. Piſoni collegæ tradidit undecimum Conſul Auguſtus: ut Suetonius ac Dio disertè ſcribunt: cùm valetudinis diuturnæ tædio de reddendâ Rep. cogitavit. Illud enim nihil aliud erat, quàm

Dio & Suet.

exercituum & redituum publicorum Index, juxta Dionem: aut ut Tacitus annali 1. quo *Opes publicæ, quantum Civium ſociorúmque in armis, quæ claſſes, Regna, Provinciæ, tributa aut vectigalia, neceſſitates ac largitiones continebantur.* Quo item (ut ſenſum meum ex Halicarnaſſæo ſuprà citato addam) ſingulorum capitum ut antea in Urbe, ſic & nunc in Provinciis numerus, ætas, ars, dignitas, officium, facultates, parentela cognoſcebatur: indéque ulterius ac

Tac. ann. 1.

Quid illud continuerit.

potiſſi-

potiſſimùm, quæ familiarum potentia, quàm facilis conjuratio, quænam & publicæ & privatæ opes; quid in ærarium ordinariè, quid extra ordinem inferri, quantum militum ubique, ſive ſubitò, ſive per otium cogi poſſet. Nam hæc & ſimilia Auguſtus Cenſu Provinciali peracto, in Libellum iſtum referre inſtituerat, mole exiguum, re ingentem; nec niſi univerſarum Provinciarum, non Galliæ ſolius ſolorúmve in ea Civium, ſed omnium prorſus capitum deſcriptione concinnatum. qui Principis oculis aſſiduè citoque ſubjectus, memoriam & conſilia ad ſubita quævis expediret. Quid enim tãtopere Civium ſolorum quantitas qualitáſve cognita, reliquâ Provinciarum tanto majore potioréque ignoratâ, profuiſſet? Penes Cives quidem erat Imperium, Provincialibus tanto numeroſioribus, Imperii maximè robur inerat. Cenſus ergo Provinciales non Galliæ modò, ſed & ceterarum Provinciarum generales jam tum actos, & à Civicis ad Provinciales ab Auguſto transfuſos; arguit contextus iſtæ è Rationibus Imperii Libellus ſeu Rationarium, Piſoni Collegæ, anno ab Actiaco triumpho, initâque Monarchiâ ſexto; ex quo autem primus Galliarum Cenſus erat, 4. traditum.

Tertius & ultimus Auguſti Cenſus in Provincias.

7. Idem evincit Tertius ultimusque Auguſti Cenſus, quem annis poſt primum hunc omnino quadraginta, uno ante mortem ſuam, collegâ Tiberio tunc Imperii in Provinciis conſorte condidit. ut ex eodem Suetonio ſuprà audivimus, & in monumento Ancyrano legimus: *Tertium nuperrimè Luſtrũ feci, collegâ Tiberio, Sexto Pompeio & Sexto Apuleio Coſs. Quo Luſtro cenſa ſunt Romanorum civium* (nota Civium, quales erant per Provincias quidem plerique, ſed non omnes) *capitum quadragiens centum millia triginta & ſeptem millia.* id eſt millia viginti tria minus, quàm in primo. Fuiſſe illud Civium diſertè ecce teſtatur hic Auguſtus; cujuſmodi fuit ſemper ſolorum; nam Cenſus erat etiam non Civium, ut mihi dixit aliquando Lipſius noſter. Sed & tunc quoque fuiſſe Provinciarum, ſaltem expreſſa docet memoria Gallicarum, apud Tacitum annali primo: cùm in Auguſti morte *Germanicum agendo Galliarum Cenſui intentum* fuiſſe tradit. Nec mihi quidem dubium, quin idem & in aliis Provinciis actitaretur: nullâ præſertim, cur ſolis Galliis imponeretur, obviâ ratione. Sed dubium inſuper omne tollit Dio lib. 56. cùm illo qui mortem Auguſti prævertit *anno ita ſcribit: Quia viceſima penſio omnibus adeo moleſta erat, ut aliquid motus excitatura videretur; miſſo in Senatum libello, aliorum vectigalium excogitandorum munus ei dedit* Auguſtus. Et mox: *Multis eâ re ſermonibus in Senatu ventilatâ, nonnulliſq́; etiam ſibi per literas indicatis; cùm quævis eos facilius, quàm vigeſimam toleraturos intelligeret; in agros & domos penſionẽ tranſtulit. Ac confeſtim, non oſtenſo quantum cuilibet, aut quo pendendum modo foret, alios aliò dimiſit, ἀπογραψαμένους qui privatorum ac civitatum prædia deſcriberẽt. Ut cùm ſinguli majorem jacturam vererentur, mallent vigeſimam pendere. Idq́; conſilium ita res ipſa probavit.* Cùm dicit Auguſtum *alios aliò miſiſſe, qui privatorum ac Civitatum* indefinitè *prædia deſcriberent*; ſatis Provincialem Cenſum innuit. & rationarium Imperii tunc quoque contexuit Auguſtus, moriensque Senatui tradi juſſit, iiſdem Tacito, Suetonio, Dioneque teſtibus, tanto haud dubiè prioribus accuratius & auctius, quanto ætas, experientia, & tertium jam repetitus univerſalis Cenſus, Auguſti ipſius miniſtrorúmque operas atque curas acuerat. Atque hæc de Primo Tertióque Auguſtæo tam Civium quam Provincialium juncto Cenſu.

apud Tacitũ Annali.

& Dionem lib. 56.

Unde ultimum Imperii Rationarium ab Auguſto moriente.

Cenſus Medius præcipuus, qui Chriſti nati tempore.

8. Quorum tamen nulla tantopere nobis hic habenda ratio; niſi quà Secundo Medióve facem præferunt. De hoc enim, quia circa Chriſti Natalem annum, Julianum quadrageſimum primum contigit, præcipua quæſtio eſt, & Civium quidem primò Luſtrum ſive Cenſum C. Marcio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Conſulibus ſe feciſſe, teſtatur ipſe in Ancyrano rerum ſuarum Breviario Auguſtus, anno U. C. 746. Iuliano 38. ante natum Chriſtum tertio, pari ferè vicenorum annorum, à Primo Poſtremóve intervallo, renovandis Imperii Rationibus aptiſſimo. Unde cùm biennio priùs, ineunte ſcilicet Juliano 36. quo Conſules fuere Iulus Antonius & Fabius Maximus, Auguſtus referente Dione lib. 54. Ἀπογραφὰς ποιήσασθαι, Deſcriptionem ſeu Cenſum egiſſe, facultatibus etiam ſuis, tanquam privatus eſſet, deſcriptis, Senatúmque legiſſe dicitur (more nempe priſco; ſicut in Primo anni Iuliani decimi-noni fecerat) illum potiùs inchoaſſe intelligendus eſt quàm perfeciſſe: quia bellis adhuc Dalmatico, Pannonico Germanicóque durantibus interruptum, hoc demum ſeriò reſumpſit, &, ut ait, ſolus perfecit. Provinciarum autem Cenſus etiam circa hæc tempora, teſtatur primò Livii 136. aliàs 138. Epitome, cùm ait: *A Druſo Cenſus actus.* Mox etiam ſequẽs, *Tumultus, qui ob Cenſum exortus in Galliâ erat, compoſitus.* Cadit hoc juxta Dionem utcumque ſuffragantem in annum U. C. 742. Julianum 34. biennio rurſus ante relatum ab eodem Dione Romæ Luſtrum Cenſúmve; ante deſignatum autem ab Ancyrano Lapide quadriennio. Cenſus ſcilicet iſtius generalis jam repetendi primam in Galliâ functionem Druſo ibidem relicto, Romam rediens Auguſtus impoſuerat: ſimiles jam tum (ſi in Italiâ non fecerat) in aliis quoque Provinciis per otium ſecundò meditans, & ex occaſione prævertens aut ſuſtinens.

A Druſo inchoat⁹ ſubinde interruptus & reſumptus.

9. Ac de aliis quidem Cenſis hoc tempore Provinciis, nihil in hiſtoria Romanâ benè lacerâ lego. Cenſita tamen jam antè, primò per Auguſtum, tum per Druſum iterum cenſeri cœpta Gallia, par primò argumentum ſuppeditat. Cur enim ibi potiùs, etſi ſæpè priùs, quàm alibi? Et verò cogit Evangeliſta Lucas, cùm caput 2. ita inchoat: *In diebus illis exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur* ſeu cenſeretur *univerſus Orbis*: Nota *univerſus* πᾶσα οἰκουμένη, *tota terra habitata*, licèt à ſolis Romanis; quibus imperabat Auguſtus. Nam de primo poſtremóve non loqui, vel ſola temporis ratio convincit. Cogit item Ioſephus Originum libro 17. cap. 3. cùm decem uno undecimve ante Herodis exceſſum menſibus, ſeu ante ſeneſcentem Martium anni Iuliani 43. *totam Judæorum gentem fidem ſuam jurejurando Cæſari Regiq́; Herodi* paulò antè *obligaſſe* ſcribit. Id enim vix ſine Cenſu, Capitumque Ἀπογραφῇ ſeu deſcriptione, peragi potuit. Ita paulò antè póſtve Deſcriptionem hanc, Cenſumve Medium Romæ ab Auguſto acceptum, alii quoque in orbis Romani Provincias eodem fine transfuſi. quo jam factâ non parvâ rerum hominumque à vicenis annis mutatione, Rationarium innovaretur Imperii. Speciatim autem iſte qui in Galliis à Druſo (ut vidimus) inchoatus, ſed variorum mox bellorum tumultibus interruptus ac reſumptus, in alias deinde Provincias, ut quæque paratæ erant, aut Auguſtus intendere poterat; in-

De quo Lucas c. 2.

& Ioſephus lib. 17. anti. cap. 3.

Actus in Syriâ & Judæâ anno U. C. 749. Juliano 41.

Hiſpaniam, Italiam, Illyricum, Græciam, Aſiam, Ægyptum, Africam, ſeptem totos annos illatus eſt. Syria certè Iudæaque. Provinciatum ut loco, ita & Cenſu extremæ, non ante annum quadrageſimum primum Iulianum deſcriptæ Cenſitæque fuerunt. Nec Ioſephus cum uxore MARIA ejusque filio JESU tùm primùm nato ante Decembris finem in Tabulas Cenſuales referri potuit. parentum quibus nati omnes eſſent, nominibus adſcriptis; regionis & urbis loco quo habitarent addito (quod Lucas hîc & Tertullianus ſuprà ſubindicant) ætate quoque deſignatâ, facultatibus ſuis pecuniæ æſtimatione cenſitis; Nummo quodam in capita ſingula illato; & ſimilibus ſuprà à Dionyſio Halicarnaſſæo notatis, bona fide juratis (ſi quidem Cenſus iſte Romano planè more peractus eſt) juramento denique, ſi Oroſio ipſique Joſepho Judæo fides eſt, in Cæſaris Herodisque nomen edito. Adbuc enim Judæa Regi proprio obtemperabat, nondum Provincia planè Romana.

10. Atque hæc de Cenſibus Provinciarum Auguſtanis dicta, ſeu potiùs libata ſunto. Non ergo verum eſt, quod plerique tantopere queruntur, Nullam Cenſus iſtius univerſalis à Lucâ memorati, in Ethnicorum ſcriptis extare mentionem. non certè magis, quàm urbanorum Civiumque nullam; quando populi Cenſum ſine Provinciali vix unquam Auguſtus accepit. Sed quia Romani Scriptores id una Perioche, ſicut Lucas, non expediunt, eorum non meminiſſe videntur.

Alii Cenſus Provinciarum particularium.

11. Quid verò, ſi etiam Provinciarum, quàm Urbis & Civium Cenſus, frequentiores ab Auguſto conditos oſtendero? Sanè nulla ſupra terna iſta Civium luſtra vel ipſe Auguſtus agnoſcit. quibus nos totidem Provinciarum (Galliæ ſaltem) adjunctos jam vidimus. At ſeparatum præterea recenſionem Italicorum, qui ad ducenta ſeſtertia poſſiderent, ab Auguſto initam, memorat Dio lib. 55. anno U. C. 757. Juliano 49. decem dumtaxat poſt Secundum Mediumve, totidem ante Poſtremum annis: *Pauperibus, & iis qui extra Italiam venirent, ad Cenſum non coactis, ne quid turbarum darent.* Rurſum anno inde tertio, Juliano 52. ſeu ut rectè Joſephus ab Actiaca pugna 37. Quirinius idem hic noſter Evangelicus, in Syriam ab Auguſto miſſus eſt, ſeu iterum, ſeu tùm primùm verè Præſes. τὰ ἐν Συρίᾳ ἀποτιμησόμενος, qui per Syriam Cenſum ageret; Archelai tum proſcripti domum venderet, omnium facultates cenſeret, τιμήσεις τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. Quem ideo Cenſum Judas Gaulanites, & qui adhæſerant, nihil niſi manifeſtam ſervitutis profeſſionem eſſe dictitabant. Ita binos extra Urbem, & ſine Civium Luſtro, variorum Provinciarum Cenſus, in tanta hiſtoriarum inopiâ jam tenemus; abſque aliis quos alibi indubiè peractos ævum abolevit. Prorſus ut pœnè certa ſubeat opinio, Auguſtum toto ferè principatu, in hujuſmodi Cenſus incubuiſſe. Tanti erat Imperii totius Rationarium accuratè contexere, ſæpè recenſere; quo ſingulorum Capitum Provinciarúmque ſtatus, id eſt anima ipſa Imperii, pernoſceretur. Nec alium, non certè potiorem, producere potuit partum, tam generalis, tam repetita orbis Romani Ἀπογραφὴ *Deſcriptio*. Quæ omnia cùm ad unicum aut certum quempiam annum referri concludíque vix poſſint, in plures ac pœnè ſingulos diffuſa, ſubinde & interrupta; Quid mirum ſi Dion aliíque profani Annalium conditores, iíque compendioſi & laceri. Deſcriptionis tam variæ, tam interpellatæ ſeriem uno narrationis anno, aut etiam unâ cum Lucâ perioche non referant? Rei, quod ſatis eſt, ipſius non pauca nobis, non obſcura, tametſi ſparſa, reliquêre veſtigia. Plura, ſi vel unus ſupereſſet Livius, hauriremus. & ego in Annalibus ediſſerere conabor.

Quirini Cēſus in ſola Syria & Judæa. *Apud Ioſephū l. 18. c. 1. & 3.*

Anno poſt Chriſtum natum undecimo. poſt Actiacam pugnam 37.

Auguſtus tota pœnè vitâ in Cenſus incubuit. pro Rationario Imperii.

12. Porro Cenſum iſtum Medium in Judæâ, non ultrà quindenos ante Herodis exceſſum menſes actum, infrà è Joſephi ſcriptis oſtendam, qui proinde Lucæ conformis, in Chriſti Nativitatem incurriſſe, ſatis innuit. Innuit & Saturnini Cenſitoris ætas; quem non ante Quinctilii Vari ſucceſſionem, Syriæ Judææque adminiſtratione deceſſiſſe, Varum autem ſucceſſorem, vix ultra trimeſtre ſpatium Herodi conviaiſſe, prodit idem Ioſephus. eóque Chriſtum in Tabulas Cenſuales non abs alio quàm Saturnino referri potuiſſe cum Tertulliano tacitè quidem, ſed neceſſario concludit. Ita binos Auctores minimè dubios, Ioſephum atque Tertullianum, pro Saturnino Deſcriptionis ſeu Cenſus hujus exactore tenemus. Ut capite proximè ſequenti fuſiùs.

Cenſus iſte medius ante Herodis mortē actus menſibus 15.

CAPUT IV.

Caiúſne Sentius Saturninus, an P. Sulpitius Cyrinus ſeu Quirinius, Cenſus hujus acceptor?

SECTIO PRIMA.

Quis fuerit Sentius Saturninus.

1. SENTIA gens Conſularis fuit & illuſtris, cognomento Saturnini. ex eâ maximè eniruit circa Chriſti Nativitatem C. Sentius Saturninus Præſes & Cenſor Syriæ, ut ex ejus deceſſoribus ſucceſſoribúſque ſeriatim enumeratis docet evincitque Joſephus. Prima illius in hiſtoriis Romanis mentio (quod ſciam) in Velleio reperitur; poſt M. Antonii & Cæſaris Octaviani cum Sexto Pompeio pactum fœdus; ante vel circa æſtatem anni U.C. Varroniani 715. Juliani 7. *Id temporis*, ait ille, *patriæ ſalutare attulit, quòd omnibus Proſcriptis reditum ſalutemq; pactus eſt. Qua res & alios clariſſimos viros, & Neronem Claudium, & M. Silanum, Sentiumq; Saturninum, & Arruntium ac Titium reſtituit Reipublicæ.* Juvenem tum adhuc fuiſſe ſequentia docebunt. Verùm nonniſi quarto abhinc anno ad Antonium illum acceſſiſſe, tradit junior Velleio ſcriptor Appianus, libro 5. Civil. finiente, paulò antequam Sextus Pompeius à Titio Antonii Duce Mileti interficeretur. Unde ſequeretur Saturninum nonniſi Sexto Pompeio cæſo, ad Antonium ſe adjunxiſſe, anno Juliano undecimo, poſt pacem ad Miſenum quarto. Sed conciliari poſſunt hi Scriptores: & ut non poſſent, nemo negabit Velleium Appiano præferendum. Conſul non fuit Saturninus ante annum U. C. Varronianum 735. Julianum 27. Quo ſi, ut apparet, ferè quadragenarius fuerit; equidem paulò poſt primum C. Julii Cæſaris Conſulatum, circa annum U.C. 696. natus fuerit. ſatis aptè ad ſequentia. Nam anno illo Iuliano ſeu 7.º ſeu undecimo annum ætatis egerit præter propter viceſimum aut 24. in Conſulatu primo quadrageſimum aut 44. De quo ita Velleius:

Prima Sentii Saturnini in hiſtoria Roman. mētio. apud *Velleiū*.

& *Appianū*.

Quando Conſul?

2. *Præcla-*

Saturnini Conſulis magnanimitas.

2. *Præclarum excellentis viri factum C. Sentii Saturnini circa ea tempora Conſulis, ne fraudetur memoriâ. Aberat in ordinandis Aſiæ Orientiſq; rebus Cæſar, circumferens terrarum Orbi præſentiâ ſuâ pacis ſuæ bona. Tum Sentius fortè & ſolus, & abſente Cæſare Conſul, cùm alia priſcâ ſeveritate ſummaq; conſtantiâ, veterum Conſulum more ac ſeveritate geſſiſſet, protraxiſſet publicanorum fraudes, puniſſet avaritiam, regeſſiſſet in ærarium pecunias publicas; tùm in Comitiis habendis præcipuum egit Conſulem. Nam & Quæſturam petentes, quos indignos judicavit, profiteri vetuit. & cùm id facturos ſe perſeverarent, Conſularem, ſi in campum deſcendiſſent, vindictam minatus eſt. Et Egnatium florentem favore publico, ſperantemq; ut Præturam Ædilitati, ita Conſulatum Præturæ ſe juncturum, profiteri vetuit. Et cùm id non obtinuiſſet; juravit, etiamſi factus eſſet Conſul ſuffragiis populi, tamen ſe eum non renunciaturū. Quod ego factum cuilibet veterum Conſulum gloriæ comparandum reor. Niſi quod naturaliter audita, viſis laudamus libentiùs; & præſentia invidiâ, præterita veneratione proſequimur: & his nos obrui credimus.* Ita Velleius in Saturnini Conſulis laudem.

Fit Syriæ Præſes anno U. C. 746. quo & PAX univerſalis. Ante Chriſtum natum tertio. Ex *Ioſepho l. 16. c. 13.*

3. Anno inde decimo exacto, Iuliano 38. expirante, quo acta Olympias 193. & Herodes Romam poſtremò ivit rediвitque; ætatis ſuæ ferè 49. vel 50. ante Chriſtum natum tertio; Syriæ Præſes reperitur in Ioſepho, Orig. lib. 16. c. 13. & 1. Excidii cap. 17. Titii ſucceſſor, collegâ Pedanio Legato, Procuratore Volumnio, tribuſque filiis, legatis item ſuis, ut diſertè Orig. l. 17. cap. 17. (unde vides Saturninum jam ſenem, trium filiorum adultiorum, quia Legatorum, patrem) cum his omnibus ab Auguſto de more miſſus, quia Cenſum acturus, Pedanium quidem atque Volumnium Syriæ quoque Præſides, Græcè ἡγεμόνας, uno eodémque vocabulo ſubinde vocat, licèt Saturninum omnium principem agnoſcat. argumento ferè certo quod ad magna, cujuſmodi Cenſus eſt, ab Auguſto deſtinatus eſſet. Et quatuor annos totos Syriæ præſedit: eorumque tertio finiente, vel ineunte quarto, Juliano 41. ſeneſcente, filiorum Herodis Alexandri & Ariſtobuli damnationi, Judicii Præſes interfuit. Quarto exacto, & Quinctilio Varo ſucceſſore circa anni Juliani 42. finem accepto, Romam rediit: multis muneribus ab Antipatro Herodis filio natu maximo, fratrum ſuorum parricidâ, donatus, ſi non & corruptus. non æquè tamen ac ſucceſſor Varus Syriæ ſpoliatione infamis; in Germaniæ deinde adminiſtratione longè felicior atque celebrior.

Præſeditque annos 4.

In Germaniam cum Tiberio jam adoptato miſſus. Ex *Vell.*

4. Octavo poſtea anno Juliano 49. U. C. Varroniano 757. Tiberius ab Auguſto adoptatus, & in Germaniam à triennio nonnihil moventem miſſus, *Sentium hunc Saturninum, qui tum* (ſeu paulò antè) *Legatus patris ejus in Germaniâ*, Ciſrhenanâ ſeu Belgicâ *fuerat*, ait Velleius, ſecum aſſumptum; *ut qua minoris erant diſcriminis præfecit: virum multiplicem in virtutibus, navum, agilem, providum, militariumq; officiorum patientem ac peritum pariter. ſed eundem, ubi negotia feciſſent locum otio, liberaliter lautéque eo abutentem; ita tamen ut eum ſplendidum ac hilarem potius, quàm luxurioſum aut deſidem diceres.* Erat tum ille annorum ferè 62. iſtius anni quadrageſimi noni jam iterum Conſul ordinarius, credo ob legationis iſtius Germanicæ merita, in quâ etiam Tiberium toto minimùm biennio ſtrenuè juvit. Qui proximo inde anno U. C. 760. Iul. 52. Maroboduum Suevum tum Bohemiæ Regem aggreſſurus, *Saturnino mandavit, ut à Rheno* Belgicæque noſtræ finibus, *per Cattos* (rurſum Vellei verba) *exciſis continentibus Hercyniæ ſilvis, legiones Boiohæmum* (*id regioni quam incolebat Maroboduus nomen eſt*) *ipſe à Carnunto* (*qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat*, Romanæ Danubii ripæ adſitus) *exercitum, qui in Illyrico merebat, duceret in Marcomannos*, Bohemiæ tunc incolas, & cum Maroboduo Duce ſuo victores ac Dominos. quod & fecit. *Cumq; admoto*, hic Saturninus, *ad Danubium exercitu, non plus quàm quinque dierum iter* (militare ſcilicet) *à primis hoſtium*, per Chattos *admoviſſet, intra paucos dies ſe Tiberio juncturus*, Pannonia Dalmatiáque rebellantes, inchoatam expeditionem ſuccidere, Romanos à Maroboduo in ſe traxerunt. ut in loco fuſiùs dixi. Romam Saturninus rediit.

In Maroboduum Regē & Bohemiā è Belgicā mittitur. Ex eodem.

Anno U. C. 760. Julian. 52.

5. Ultima Saturnini mentio eſt in Ioſepho, Orig. l. 18. c. 5. cùm dicitur Fulviæ Religione Iudææ vir ac maritus, Tiberii amicus, utpote ætate ferè ſuppar. Qui autem priore ibidem capite Saturninus memoratur, è filiis ejus unus eſſe videtur; quia Paulinæ ætate formáque florentis maritus. Ad annum autem U. C. 772. Iulianum 64. iſta pertinent, ut Tacitus annali 2. finiente. cùm annum ageret Saturninus noſter præter proptèr 77. Quem multùm exceſſiſſe non puto, quando Velleius anno U. C. 783 Juliano 75. ſcribens, de eo ut diu mortuo agere videtur, ejus vitia carpens (ut hic vides) audaciùs.

Ultima Saturnini mētio in Ioſepho.

6. Atque hæc præcipua ſunt, quæ de hoc Saturnino reperio. Cui ceu præcipuo unicóque Cenſitori Cenſus hujus ac Deſcriptionis acceptionem planiſſimè, nihil fluctuans Tertullianus vetuſtiſſimus eruditúſque, & quod præſtat, Chriſtianus ſcriptor, adſcribit, libro contra Marcionem 4. c. 19. *Sed & Cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judæa* (ſic enim lego) *per Sentium Saturninum: apud quos genus ejus* (Chriſti) *inquirere potuiſſent.* & anteà cap. 7. dixerat, *Cenſum iſtum Dominicæ Nativitatis teſtem fidiſſimum, quem Romana Archiva cuſtodiunt.* quaſi ſuo adhuc ævo, imò & ducentis pòſt annis ſuperſtitem. Nec miror id tam intrepidè conſtanterque affirmare, Ioſepho Iudæo iſtius ferè temporis hiſtorico ceu fido vade munitum. Sed quod Lucæ Periochen iſtam: *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino.* vel ut in Græco ſine præpoſitione *a* ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου; *Præſidente Syriæ Cyrino*; quam tàm ſæpè legerat, tam huic ſuæ aſſertioni, ſaltem primâ ſpecie, contrariam ſibi vir tam acutus, tam ſeriùs non opponat, non explicet; imò quod neque Marcion hæreticus illi objiciat, ut ſe à moleſtis iſtis Scotiis Cenſibus expediret; id verò mirari & obſtupeſcere non deſino. Planè latinam ejus ævi lectionem aut ab hodiernâ diverſam fuiſſe, ut tunc verè erat, ſine præpoſitione *A*; teſte ipſo Tertulliani interprete Pamelio, qui iſtam præpoſitionis *A* omiſſionem, tam ex Græco & originali textu, quàm ex veterum Patrum lectione, emendatiorem cenſet; aut ſenſum è Græco textu alium elicuiſſe neceſſe eſt. De quo plura mox, ubi quæ de Quirinio collegi, evolvero. Quidquid ſubit, Tertulliano tam vetuſto, fidóque & Chriſtiano Scriptori, Ioſephum quoque Iudæum tanto vetuſtiorem, ſuffragatorem clariſſimum adjungere cogimur; imò & Tacitum Suetoniumque, ut infrà. quorum tantorum virorum tam unanimem ſententiam nemo ſanus, credo, facilè rejecerit.

Saturnino iſtū Tertullianus Cenſum Chriſti tribuit.

Ut & Ioſephus, Tacitus & Suetonius.

SECTIO SECUNDA.

DE QVIRINIO ſeu Kyrino, Quis fuerit?

7. De eo igitur qui Græcè à Lucâ Κυρήνιος, à Dione titulo libri 54 Κυρίνιος; Latinè P. Sulpitius Quirinius à Tacito, Quirinus à Suetonio, Cyrinus à Latino Lucæ interprete nũcupatur; audiendus ante omnes Cornelius Tacitus, annali 3. capite juxta Gruterum 48. *Sub idem tempus*, anno nempe U. C. 774 *ut Mors Sulpitii Quirinii publicis exequiis frequentaretur, petivit Tiberius à Senatu. Nihil ad veterem & patriciam Sulpitiorum familiam Quirinius pertinuit. Ortus apud municipium Lanuvium* (*obſcuriſſimâ domo* addiderat ejuſdem Annalis capite 23.) *ſed impiger militiæ, & acribus miniſteriis, Conſulatum ſub D. Auguſto* (ordinarium anno U. C. 742. ante natum Chriſtum octavo) *mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis inſignia triumphi adeptus: datusq́, Rector C. Cæſari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit in Senatu: laudatis in ſe officiis; & incuſato M. Lollio, quem auctorem C. Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat. Sed cæteris haud læta memoria Quirinii erat: ob intentata, ut memoravi, Lepidæ pericula, ſordidamq́, & præpotentem ſenectam.* Audiendus & Joſephus Origi. libro 18. cap. 1. *Κυρήνιος Kyrenius ſeu Quirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad Conſulatum uſque provectus, & in primis clarus, in Syriam à Cæſare mittitur; ut jura populis redderet, omniumq́ facultates cenſeret. Cum eo venit Coponius turmæ equitum præfectus, penes quem eſſet Judææ totius adminiſtratio. Quin & ipſe Quirinius in Judæam venit, provinciæ Syriæ jam attributam; ut Civium quoque regionis illius facultates percenſeret; & Archelai* Judæorum Ethnarchæ, Viennam Galliæ *paulò antè relegati, pecunias in poteſtatem ſuam redigeret.* Ita Joſephus. Qui dum Quirinium, per omnes honorum gradus inferiores, ad Conſulatum pertigiſſe notat, verba Taciti iſta, *impiger militiæ & acribus miniſteriis*, explicare videtur, quaſi dicat, ob impigram militiam & acria miniſteria, per omnes honorum gradus ad Conſulatum uſque provectum: nempe per Centurionatus, Tribunatus, Legationéſque militares & ſimiles; in urbanis autem per Ædilitatem, Quæſturam, Præturam, &c.

Mors ejus ex Tacito.

Ubi natus.

Impiger militiæ.

Conſul anno U. C. 742.

Syriæ Cenſor anno Chriſti vero 10. Dionyſiano ſeu vulgari 6. & ſequente.

8. Ætatem ejus neuter explicat: è Conſulatu maximè & morte eruenda. In hac Tacitus ſordidam & præpotentem *ſenectam* memorat. quam etiam annó priore cum ejuſdem orbitate notaverat. Ad altam ergo *ſenectam* moriens pervenerat. Mortuus eſt anno U. C. 774. Iuliano 66. præcipitante. nam immediatè poſt mentionem de anni fine facit Tacitus: eodem Annali 3. Demus illi annos vitæ præter propter 72. quot Saturnino dedimus. Ita in Conſulatu ſuo, quem Iuliano 34. geſſit, annum pariter egerit quadrageſimum. Denique anno U. C. 702. Cn. Pompeio 3. & ſolo Conſule, vel circiter, natus fuerit. ante Ciceronis mortem fere nono: Saturnino quidem ſex aut 7. annis junior, Tiberio autem Imperatore denis fere ſenior. Conſul, ut dixi, fuit quadragenarius, anno Juliano 34. U. C. 742. poſt Saturnini Conſulatum ſeptimo: poſt Quinctilii Vari, primo; collegâ M. Valerio Meſſalâ Barbato, qui tunc Auguſtum Patrem patriæ primus appellavit. Si viceſimo ætatis anno, aut paulò antè militiam inivit; anno 14. Juliano non multò priùs inierit ipsâ Actiaci belli ſi nondum flammâ, certè fumo primo. In eo igitur miles impiger effulſerit: & ſequentibus omnibus ſeu Hiſpanicis Cantabricisque, ſeu Germanicis & aliis, Auguſti gratiam & inferiores honorum gradus *acribus illis ſuis miniſteriis* obtinuerit; donec ad Conſulatum proveheretur jam illuſtris.

Ætas ejus è Conſulatu & morte eruitur.

9. Poſt Conſulatum (pergit Tacitus) mox Homonadenſium caſtella per Ciliciam expugnavit; eâ geſtorum famâ, ut Triumphi quoque inſignia novus homo, domo etiam obſcuriſſimâ, adeptus ſit. De Homonadenſibus aliquid hîc dicendum. Plinius libro 5. c. 27. *Cilicia*, inquit, *Pamphiliam* (ab occaſu) *omnes junxere, neglectâ gente Iſauricâ. Simili modo omnibus, qui eadem compoſuere, ignorata eſt contermina illi gens Homonadum, quorum intus oppidum Homona. Cætera caſtella 44. inter aſperas convalles latent. Inſident verticem Piſidæ, &c.* Strabo deinde, libro 12. ante finem: *Meâ*, ait, *ætate Iſaura* (Iſauriæ urbem) *& Derbam habuit Amyntas Rex. Iſaura ab Romanis accepit, & Regiam ſibi illic condidit.* Mox: *Cæterum Cremnâ Romanorum coloniâ captâ, cùm in Homonadenſes expeditionem feciſſet, qui maxime putabantur inexpugnabiles, & jam pleraque loca cepiſſet, ipſorum quoque tyrannum ſuſtuliſſet; dolo uxoris ejus captus periit.* anno U. C. 729. Iuliano 21. ex Dionis libro 53. annis ante Quirinii noſtri Conſulatum fere 14. Quirinius poſt Conſulatum (ut ſuprà Tacitus) iſtos *Homonadas fame expugnavit* (quaſi vi inexpugnabiles, ut paulò ante Strabo, qui pergit) *quatuor virorum millia vivos cepit, eóſq; vicinis urbibus collocavit; regione vacuâ hominum vigentis ævi relictâ.* More ſcilicet per hoc tempus Auguſti, quo omnis in poſterum bellorum occaſio tolleretur. Ea Quirinii expeditio illo ſexennii ſpatio contingere debuit, quod ejus Conſulatum ſeu annum U. C. 742. Julianum 34. inter & 40. interfluxit. quo ferè, ſi non antè, Romæ eum reperiri mox oſtendam: Cilicia porrò, ſicut & Syria, Cæſaris erant, non populi Provinciæ, ut disertè Dio lib. 53. & in eas Legatos ipſe ſuos, non poſt annum quintum à geſto Romæ Magiſtratu, ut in populi Provinciis factum tradit ibidem Dio; ſed quando & quamdiu ipſi lubebat, emittebat. Ab Cæſare igitur miſſus in eas ſucceſſivè Quirinius. & quidem *mox à Conſulatu*, ut ſuprà Tacitus. Quod ut melius intelligatur, & quia ad hunc Cenſum maximè ſpectat, hæc præmitto.

Homonadas vincit in Cilicia.

Quatuor Homonadum millia transfert.

10. Ipſomet Quirinio adhuc Conſule, anno U. C. 742. Juliano 34. ante veram Chriſti Nativitatem octavo, Auguſtus poſt M. Agrippæ generi ſui mortem eodem iſto anno, Martio finiente obitam, ut Dio lib. 54. Magiſter correctorque morum in aliud quinquennium conſtitutus (nam & hoc ſicut Imperium ad certum tempus accipiebat) ad Cenſus iterandos animũ adjecit. Quippe Livii Epitoma 136. aliàs 138. ſtatim ab Agrippæ morte ſubdit, *& à Druſo Cenſus actus eſt.* nempè in Galliis. ubi illum Auguſtus Romam rediens anno ſuperiore loco ſuo reliquerat. *Et tumultus qui ob eum ibidem exortus erat, ab eodem compoſitus*; ut ſequens Epitoma; prætextu ejus feſti, quod tunc ad Aram Lugdunenſem Auguſto celebrabatur, Galliarum primoribus evocatis & ſedatis; ut ſub hoc eodem Quirinii Conſulatu ſubdit etiam Dio. magiſque declarat atque confirmat ipſius Druſi filius Claudius poſtmodum Imperator, ea quam pro Galliis ad Senatum habuit oratione, etiamnum Lugduni in Tabulâ æreâ ſuperſtite, cùm ait: *Illi* Galli *patri meo Druſo Germaniam ſubigenti*, Quirinio

Quirinio Conſule Auguſtus morũ Corrector, ſeu Cenſor Galliarum Cenſû per Druſum egit. *Dio l. 54. Livii Ep. 130.*

quoque

quoque Conſule, *tutam quiete ſuâ ſecuramq́, à tergo pacem præſtiterunt, & quidem cùm ab Cenſu, novo tum opere, & inadſueto Galliis* (etſi jam iterato) *ad bellum evocatus eſſet. Quod opus quàm arduum ſit nobis, nunc cùm maximè, quamvis nihil ultrà quam ut publicè notæ ſint facultates noſtræ exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* en Cenſum ſecundò repetitum in Galliis, ipſo Quirinii Conſulatû. Nec dubito quin in Hiſpanias, Africam, aliáſque deinde Provincias propagatus ſit; tametſi bellorum interventu ſubinde ſucciſus. Certè biennio poſt anno mox Iuliano 36. Iulo Antonio & Q. Fabio Maximo Coſs. tradit Dio libro 54. fin. *Auguſtum* tanquam iſti rei ſemper intentum, *Cenſum egiſſe*, ſeu jam cœptum continuaſſe, *facultatibus ſuis, ac ſi privatus quiſpiam foret, deſcriptis: Senatumq́, legiſſe.* credo ut ſubditis exemplo præiret. Nam eodem anno U. C. 744. Iuliano 36. Dalmatæ licèt anno priore à Tiberio ſubacti, *propter facultatum* tamen (ex Cenſu opinor) *exactiones* rebellarunt. Cenſu nempe jam in iſtam quoque Provinciam traducto. Sequens annus Druſi morte funeſtus, rurſum Cenſuales Auguſti curas interrupit. donec Thracibus à Piſone, Dalmatis ac Germanis à Tiberio proximè ſubactis, eóque Iano tertiùm à ſe clauſo, recreatus, Cenſum eumdem Romæ primùm anno Iuliano 38. Cenſorino & Aſinio Coſs. (ut diſertè lapis Ancyranus) reſumpſit, & in Syriam Iudæamque ſub Saturnino jam Præſide, annis Iul. 40. & 41. in Chriſti Nativitate transfudit, ibique complevit.

Alius ſ item Provinciarũ per alios, bellis tamen interruptũ ac reſumptum.

Denique etiam Syriæ ac Judææ, in ipſa Chriſti Nativitate.

11. Iſtorum igitur annorum ex prioribus aliquo, Quirinium hunc noſtrum in Syriam Cenſitorem futurum deſtinare potuerit; ſi quidem verſionis noſtræ Latinæ vulgatæ rationem habeamus. Alioqui de iſtis ne cogitaremus quidem. Jam ex Strabonis libro ſexto-decimo, ſcimus Phraatem Parthorum Regem regni veterem, & qui cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat (ut cum eodem Strabone Tacitus annalis 2. exordio) *vocato in colloquium Titio Syriæ tum Præſide, quatuor ei filios ſuos pacis obſides tradidiſſe.* Quod anno Iuliano 36. actum ex Epitome Livii 139. alias 141. factum ex præcedentibus ac conſequentibus intelligimus. Titius ergo Syriæ Præſes ex Strabone hic & è Ioſepho libro 1. Exc. cap. 17. & rurſum libro 12. Orig. cap. 12. finiente, locum in Syriæ Præfecturâ Quirinio noſtro nullum tribus iſtis annis relinquit. Reſtat igitur ut annis poſt ejus Conſulatum Iulianis vel 35. vel 36. vel 37 Syriam ille ceu Præſes ac Cenſor inierit, ſi ut Latinus noſter interpres, verè inierit. Arridet præ cæteris annus 35. vel 36. quia primò Cenſus utérque continuatione celebratus, ut jam vidimus. quia ſecundò mox ab illius Conſulatu, ut innuit Tacitus. Ita anno Iuliano 35. in Syriam miſſus, Cenſum ibi deſcriptionemque, jam antè in Galliis alibive cœptam inferre inchoareque potuerit. Quod ſi ſtat, rectè à Lucâ ex verſione quidem Latinâ, ſcriptum fuerit, *Hæc deſcriptio prima* ſeu primùm *facta eſt*, id eſt inchoata, *à Præſide Syriæ Cyrino.* quam etiam ad ejúſdem anni finem produxerit. Incunte 36. cùm jam Homonades rebellaſſent, in eos ab Auguſto revocatus fuerit, Titio ſupradicto ſucceſſore ſubmiſſo. qui tamen Syriæ Cenſum ob quædam impedimenta tantiſper intermiſerit. donec omnibus ſedatis, pace terrâ marique partâ, Iano tertiùm ab Auguſto, quintùm ab U. C. clauſo, anno Iuliano 38 Aſinio Cenſorinoque Coſs. Saturninus ei ſuffectus ſit, ut Cenſum interruptum reſumeret, & ad finem perduceret. Nam ut Quirinium Saturnino ſucceſſorem demus, nimis vetat Ioſephus, qui Saturnino Quinctilium Varum diſtinctè certoque ſufficit, Originum libro 17. cap 7. Ita verſio vulgata fortè ſtabit.

Quando Quirinius [illegible]næ præ[illegible]e, eamq; cenſere potuiſſe videatur?

12. Ceterùm Quirinus in Homonadas è Syriâ verſus, cùm *ut inexpugnabiles* (ut Strabo) videret; *fame* prudenter aggreſſus, tandem ad deditionem compulit. Eorum quatuor millia in vicinas urbes diſtribuit, regione ſpoliatâ omni juventute; indéque rebellandi prurigine extinctâ. Biennium ſaltem lentæ iſti fami, & ſecutæ inde juventutis tranſlationi, per me perque tempus licet ut quis attribuat. Et ſi quæ vicina alia gens compeſcenda fuerit; annum etiam tertium & quartum indulſero; donec Romam ab Auguſto revocatus anni circiter 39. Iuliani curſu finéve, triumphi inſignia obtinuit. Quin & nobiliſſimo inſuper Æmyliæ Lepidæ conjugio donatus eſt. Quod ut fuſius hic & clariùs explicem, tempus & inſtitutum noſtrum exigit. Iucundâ hiſtoriæ Romanæ ferè ſepultæ ſub Chriſti nativitatem velut in vitam revocatione.

Homonadas Quirinius fame tandè ſubegit, & tranſtulit.

13. Erat Romæ Æmylia Lepida majoribus longè eminentiſſimis. ut ei *ſuper Æmyliorum decus* (verba ſunt Taciti annali 3.) *Lucius Sulla ac Cn. Pompeius proavi erant.* imò (addo ego) Iulia unica Auguſti filia, unicus ſanguis, etiam matertera. Quippe Scribonia prima Auguſti uxor, & ex eo Iuliæ mater, Cornelio Scipioni priore toro juncta, P. Cornelium Scipionem, poſthac anno U. C. 738. Iuliano 30. Conſulem, ejuſque ſororem Corneliam genuerat. Cornelia ex Paulo Æmylio, Cenſoris (ut ex ætate reor) filio, ternam prolem, L. Paulum Æmylium, Iuliæ Iunioris Auguſti, ex filiâ item Iuliâ & M. Agrippâ, neptis maritum: Manium item Æmylium Lepidum; & Æmyliam denique Lepidam hanc noſtram protulerat. Ut ex Propertio libro 4. Elegia ultima, Tacito, & aliis haurimus. Ita hæc Lepida Scribonia quidem uxori Auguſti, ex primâ ejus filia Corneliâ neptis erat; Iuliam autem ejuſdem Corneliæ ex Auguſto ſororem uterinam, materteram agnoſcebat. Eóque digna Auguſto viſa, quæ Lucio Cæſari ipſius Auguſti filio adoptivo, Caii Cæſaris fratri, deſtinaretur uxor, Auguſto nurus. Tantùm ætas Lucii maturior expectabatur. Enimverò cùm toto quinquennio ſexenniôve Lucio ſenior eſſet; jamque viro matura & acriore libidine, moræ impatiens, filiam ex Scauro Æmylio, conſanguineo opinor ſuo, etſi remotiore, ſuſtulerat, auctore Tacito ſuprà. Eóque flagitio meditatâ tantæ domus affinitate exciderat. Cùm ergo aut cœlebs in poſterum permanſura, aut longè impare conjugio copulanda videretur; Auguſtus caſu in conſilium verſo, conjugem Quirinio dedit; ætate quidem ac domo valdè impari, ſed Conſulari jam ac triumphali, eóque ſibi pernitili, ſi non neceſſario. Quippe Agrippa & Druſus obierant; Tiberius ſe Rhodum amoverat, neque Auguſto vitrico deſeri ſe quærenti veniam dederat; Caius ac Lucius Cæſares, filii adoptivi immaturi erant. Nec ullum ſibi reliquum videbat ille munimentum, cui totò inſiſteret. Aptiſſimus ergo Quirinius iſte viſus eſt, quem in Agrippæ aliorumque locum ſufficeret; militiæ æquè impiger; tot & tam acribus miniſteriis. Et quantumvis potentiâ augeretur, nullo tamen ab obſcuro novoque homine periculo. Initum ergo utrinque his prorſus annis cônubium. Non tamen ante annum 40. Iulian.

Lepida Quirini uxor, quænam fuerit. *Tac. Ann. 3.*

Lucio Cæſari Auguſti ex filia nepoti uxor primùm deſtinata.

Mox à Scauro vitiata tanti conjugii ſpe excidit.

Et Quirinio jam triumphali uxor data.

vacuâ tum primùm Principis domo: Quirinio quoque ex Homonadum ſubactione reverſo; & ratione denique ex Taciti Suetoniique ſcriptis, temporumque ſerie certò deductâ. De quâ mox.

Orbo ac divitiis.

Lepida ex prolis deſperatione & Juliæ materteræ exẽplo adultera.

14. Ad hanc Quirinii tantam gloriam accedebant ingentes divitiæ; & orbitas: quibus Lepidæ uxoris ſpes & aviditas, ſi fortè prolem ex ipſo tolleret, non modicùm acuebatur. Verùm cùm nulla, ſeu viri ſenio ſeu aliunde ſuccederet, Lepida primùm in adulteria ſe projecit, materteræ Juliæ exemplo ſi non hortatu. Tum nullo quoque inde fructu, partũ ex viro ſimulare auſa, ignobilioris Mariti ſecura: veneno denique illum tentare nihil verita. Tot flagitiorum ergo compertam, repudio circa anni Juliani 44. exitum aut ſequentis initium Quirinius abjicit; ut clarè è Taciti Suetoniique ſubductis rationibus deducitur. Tacitus enim annali tertio; Quirinium narrat Lepidam uxorem ſuam accuſaviſſe, quod partum ex ſe ſimulaſſet, adulteria adjeciſſet, etiam veneno ſe petiiſſet. Quod & Tiberius ipſe præſens è Quirinii ſervis ſibi compertum aſſeruit. Ita infamem atque nocentem condemnatam, anno U.C. 773. Juliano 65. quem Suetonius Tiberii capite 49. poſt eam è matrimonio dimiſſam ſeu repudiatam, *vigeſimum* aut etiam *poſt viceſimum* diſertè numerat. De annis U.C. 773. labentibus deme viginti ſolidos; & quod ultra illos, vi vocis *poſt* excurrere poteſt; planè in Juliani 44. aut U.C. 752. exitum, vel ſequentis exordium revolvêris. quo Lepidam ob ſimulatum partum repudiaverit Quirinius; iis rectè diebus, quibus Juliam filiam ſuam ob ſimilia ſcelera relegavit Auguſtus; eique Tiberii mariti abſentis nomine libellum repudii miſit. Jam partum è Quirinio Lepida ſimulare, quomodo niſi præciſâ omni prolis ſpe; ſpes autem quomodo planè ſuccidi, niſi poſt triennii quadrienniive conſortium, potuit? Ita conjugium hoc, ſi Lepida quidem ante vel circa anni 45. Juliani initium repudiata eſt, ut jam probavimus, non ſeriùs anno Juliano 42. nec citiùs quadrageſimo iniri potuerit. & ut dixi potius quadrageſimi finientis aut 41. ineuntis hyeme contigerit. cùm jam Auguſtum deſeruiſſet Tiberius, Quirinius eodem ferè tempore Romam è Cilicia reduxiſſet. Qui proinde ab anno Juliano 41. ad expirantem 44. Romæ ut plurimùm, cum uxore Lepidâ prolis ob ejus divitias aviduſſimâ, omniaque etiam neſanda eo fine tentante, agitare coactus fuerit; Cenſum certè in Judæâ Syriáve tunc agere, aut Chriſtum annis iſtis natum deſcribere nequiverit. Non in eorum quidem, & maximè, ſententiâ, qui Chriſti deſcriptionem ab hoc Quirinio ſeu Cyrino factam, ad annos Julianos aut 41. 42. 43. aut 44. cum Chriſti Nativitate referunt. Omninò enim id ante vel poſt eos patratum, ſi Cyrinus quidem patravit, neceſſe eſt. Noſque planè aptius veriusque ad annum 41. exeuntem referimus. Dicimuſque illam Orbis univerſi ἀπογραφὴν ſeu Deſcriptionem à Quirinio, paulò poſt ejus Conſulatum anno Juliano 35. vel 36. inchoari ſeu primùm fieri potuiſſe: deinde illo in Homonadas avocato, ab Saturnino ſuffecto mox Syriæ Præſide, Chriſto naſcente, completam. ut rectè Tertullianus, Ioſepho Tacitóque conformis, nec Lucæ contrarius, non ſemel inculcat. Quæ tamen omnia Latinæ noſtræ vulgatæque Verſionis occaſione reverentiâque dicta ſunt.

Partum ex viro ſimulat.

Illum veneno tentat.

Tandem repudiatur ex *Tac.* & *Suet.*

Anno fere U.C. 752. Juliano 44. Chriſti nati tertio exeũte, vel initio ſequentis.

Ideò Quirinio juncta, circa annũ Julianũ 41. ineuntem, aut 40. ſi nientem.

Cogitet Lector an tunc Quirinius Syriæ Cẽſor.

Quomodo hic ſalvari poſſit Verſio vulgata.

15. Nam ſi ea non eſſet, nemo fortè de Quirinio, tanquam hujus *Primæ* Deſcriptionis Iudaicæ exactore cogitaſſet cogitarétve: quando alius ab eâ nullus (quod ſciam) præter Euſebium, & ſimiles qui ab eo deinde hauſerunt, illius mentionem facit. Non quidem Ioſephus, qui tam accuratè ſeriatimque ſingulos Syriæ per hæc tempora Præſides accenſet; non Tertullianus tam vetuſtus tam eruditus Chriſtianorum Scriptor; non Tacitus, non Suetonius, non Dio, aliive ſimiles Romanorum hujus ævi hiſtorici: è quibus contrarium potius, paulò antè eruimus. Alterius quidem ac ſecundi Iudæorum Cenſus, & Cenſitoris ejus Quirinii noſtri Syriæ Præſidis mentionem infert Ioſephus Originum libro 18. cap. 1. & tertio; ſed anno poſt hanc Chriſti nati Deſcriptionem facilè decimo, ſi non undecimo, ſive (ut ipſe vocat) ab Actiaca pugna 37. cùm jam Archelaüs Iudæorum Ethnarcha, Herodis Infanticidæ (in cujus diebus natum Chriſtum ſcribunt Matthæus ac Lucas) filius relegatus eſt. Sed neque ipſamet Lucæ de hoc Cenſu Perioche Græca, eaque originalis, Deſcriptionem iſtam à Quirinio factam tradit. ſolùm eo *Syriæ præſidente*, non item accipiente ſeu faciente, ſcribit; nullo modo alium, puta Saturninum, exigere potuiſſe negat. Præpoſitio à, ſeu *ab* vulgatæ & hodiernæ verſioni addita, ut neque in Græco textu originali, ita neque à Tertulliano, neque à Patribus antiquis Latinis agnoſcitur. quemadmodum clarè Tertulliani ipſius Interpres Pamelius, ad librum contra Marcionem 4. & caput 19. notâ 276. demonſtrat. Nihil igitur ex Luca Græco impedit, quò minus ea Deſcriptio à Saturnino alióve quàm Quirinio exacta ſit. A quonam autem præpoſitio à vel *ab* deinceps addita ſit, non liquet.

Lucæ Græcus textus, & veteres Patres legũt ſine præpoſitione A.

16. Eruditiſſimus Joannes Georgius Herwart Bavariæ Cancellarius Novæ ſuæ Chronologiæ capite 141. & Joannes Keplerus Cæſaris Mathematicus peracutus, plus etiam audent; nec improbat ſuæ Baronii Epitomes apparatu Spondanus, §. 28. Verba illa Perioches, πρώτη ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου non Latinorum, ſed Hebræorum comparativo carentium, Phraſi capienda eſſe; Lucamque licèt Græcè ſcribentem, vocem tamen πρώτη pro πρότερα uſurpare, eóque πρότερα ἡγεμονεύοντος vertendum, *prior præſidente Syriæ Quirinio*, ſeu latiniùs, *priuſquam præſideret Syriæ Quirinius.* Neque verò ſub Præfecturâ Quirinii Syriacâ, ſed ante illam ea Deſcriptio facta eſt. Sic ubi Joannes Evangeliſta capite 1. ſcribit, πρῶτός μου ἦν, vertit vulgatus noſter Interpres, non *primus*, ſed *prior me erat*. & cap 15. v. 18. ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, *me priorem vobis*, ſeu *prius quàm vos odio habuit.* Imò ipſiuſmet Lucæ capite 11. v. 26. ubi legimus, *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*, Græca habent χείρονα τῶν πρώτων, *pejora primis.* quæ eadem verba Græca Matthæi 12. verſ. 45. eodem modo vertuntur. Quod ſi ut in duobus hiſce Joannis locis & uno Lucæ, ita & in hac Lucæ Perioche ſervaſſet idem Interpres, & πρώτη non *prima*, ſed *prior* æquè vertiſſet (cur enim ibi potiùs quàm hic, aut hic minùs quàm ibi?) ſenſum prorſus alium, & ut puto veriorem, Lucæque etiam Græcè hebraizanti conformiorem expreſſiſſet: *Hæc Deſcriptio facta eſt prior præſidente Syriæ Cyrino.* ſeu Latiniùs, *Prius quam præſideret Syriæ Quirinius*, Quaſi Iudæos Lucas ita monere vellet: Deſcriptionem hic non illam intelligo, quæ undecimo poſt hunc anno, à Quirinio Syriæ tum Præſide, poſt relegatum Archelaum facta, vobiſque notiſſima

Herwartius & Keplerus non improbabiliter explicare videntur.

ac perodioſa eſt, quando & Numiſma Cenſus cuſum impoſitumque vobis eſt; ſed aliam Auguſti priorem, toti Romano orbi communem, non Syriæ Iudææque peculiarem. Equidem in Græco præterquam quòd non habetur Ἀπὸ præpoſitio; etiam ἡγεμονεύοντος *Præſidente*, non ἡγεμόνος Præſide legitur, aptè ad comparativum πρώτη. Ita Lucas ad ſuam, Ioſephi, Tertulliani, Taciti, Suetonii mentem planiſſimè loqueretur. Neque nos labor exerceret, ut Quirinium Syriaci hujus Cenſus acceptorem, Syriæve ante Saturninum Præſidem inveniremus. quod tamen ego ſuprà ex ſolâ vulgatæ lectionis reverentiâ facere conatus ſum, ut debui. ne quis me novitatis aut temeritatis argueret. cùm hanc Heruartii, Kepleri, Spondani, & aliorum interpretationem verſionémve ſanè peracutam propono, Eccleſiæque & virorum Doctorum Cenſuræ ſubjicio.

Joſephus unam tantùm Quirinii in Syriâ Deſcriptionem agnoſcit. & quidem in Archelai exilio.

17. Joſephum hiſtoricum ſanè permirum eſt, inter alios ante Chriſtum natum Syriæ Præſides, ſatis accuratè recenſitos, ne minimam quidem mentionem intuliſſe Quirinii, tanti viri, tam in Syria, Iudæa, totóque Oriente decantati. Multóque mirius, cùm primùm in Archelai relegatione illam inſert, ejus laudes, functiones, dignitates tam operosè percenſet; nullam omnino prioris alterius in Syriâ Præfecturæ, ſi fuiſſet, memoriam refricare. Quod ad rem tamen facere nemo non videt, nemo Lectorum non expectat. Examinet Lector, mecum mirabitur. mihi ſenſum utrumque proferenti, non modò non ſuccenſebit, ſed & Heruartio, Keplero, Spondano volens accedet.

Quirinius in Syriam cum Caio Cæſare, ejus tantum conſiliarius primùm miſſus.

18. Utcumque res habeat, Æmyliam Lepidam Quirinius Romæ, circa vel paulò ante Chriſti Nativitatem, ſibi ab Auguſto accepit. ad triennium quadrienniúmve priuſquam illi certam de prole deſperationem injicere poſſet, ibidem convivere debuerit: Cenſum in Syriâ tunc agere proinde nequiverit, nedum Chriſtum tunc natum in Tabulas referre Cenſuales. præſertim cùm poſt triennium illud quadrienniúmve, anno ſcilicet Chriſti quarto labente, Iuliano 45. in Syriam ipſam ab Auguſto non ut Syriæ Præſes, ſed Caii Cæſaris filii conſiliarios, & Lollio moriente etiam moderator, immiſſus eſt. Quorſum enim ejuſdem viri tot tamque denſæ in eamdem Provinciam legationes? Non fuit iſte Auguſti mos, non ea levitas & inconſtantia. Verùm Caii in Orientem cum Lollio Quiriniòque iter, & reliqua inde Quirinii geſta in ſequentibus exequar: ſi priùs alias Chriſti nati circumſtantias, maximè quas in Ioſepho ipſo noto, accuratè retexuero. Interim rurſus moneo, iſtam Heruartii Keplerique verſionem, quæ Cenſum ſeu Deſcriptionem Chriſti nati, Quirinii Syriæ Præſidis Deſcriptione priorem aſſerit, Lucæ Hebraizanti primùm, tùm etiam hiſtoriæ Romanæ, Ioſepho, Tertulliano, Tacito, Suetonióque conformem planè videri: & ſalva vulgatæ Verſionis auctoritate, quam etiam fulcire conatus ſum, veram haberi poſſe. ſi ita judicio Doctorum & Eccleſiæ videatur.

CAPUT V.

In hoc Cenſu quid Ioſeph cum uxore & filio profeſſus ſit? Idem Cenſus Ioſepho hiſtorico, Magorum item adventus, & Infanticidium ſubindicatur.

Cenſus iſte generalis, medius, in Gallia à Druſo cœptus, in Syriâ Judæamque pervenit.

1. CENSUS iſte generalis ſive Deſcriptio, jam inde ab anno ſeneſcente Iuliano 38. quo Iano tertiùm Auguſti felicitate clauſo, pax Orbe toto Romano coaluit, ab Auguſto Romæ primùm indicta; per varias Provincias delata, in Syriam denique pervenit, & à C. Sentio Saturnino illius Præſide peractus eſt. Eóque Ioannem Baptiſtam in montanis Iudææ & opido Hebron, Iunii 24. feria ſeptima ſeu Sabbatho; mox ſex inde menſibus CHRISTUM quoque Decembris 25. feria 2. in Bethleem Iuda naſci; & utrumque ea Deſcriptione cenſeri contigit.

In eo quid Joseph cũ B. Maria fecerit. Ex Lucæ c. 2.

2. Fervente igitur Cenſu, *Ibant omnes* (pergit Lucas) *ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem. Aſcendit autẽ Ioſeph à Galilaá de civitate Nazareth in Iudæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem; eò quòd eſſet de domo & familiâ David. ut profiteretur cum MARIA deſponſata ſibi uxore prægnante.* Quod hîc Lucas bis repetit, *ut profiterẽtur*, Græcè habetur Ἀπογράφεσθαι, quod alii vertunt, *ut deſcriberentur*. ſicut paulò antè Ἀπογραφὴ vertitur *Deſcriptio*. Quæ ſæpè ſolius nominis, aut familiarum, aut etiam facultatum enumeratio ſeu recenſio erat, ſine ullâ earum æſtimatione, ſive taxatione, ſive tributo: τίμησις autem ſeu τίμημα, præter deſcriptionem ſimplicem, etiam facultatum æſtimationem, & certæ ſummæ Nummíve taxationem ſolutionémque dicit. hácque voce Joſephus utitur, cùm Archelao relegato Quirinium refert in Syriam Iudæámque veniſſe, ut omnium facultates cenſeret, Ἀποτιμησόμενον αὐτῶν τὰς οὐσίας. Sicut ergo tunc, cùm Judæa primùm in veram Provinciam redacta eſt, ſingulorum facultates non deſcriptæ modò, ſed & æſtimatæ taxatæque ſunt, aut tributum in capita ſingula impoſitum; unde nata Judæ Gaulanitis rebellio: Ita in hoc Chriſti Cenſu, ſolum nomen ejus, ætatem, parentes, & habitationis locum deſcriptum exiſtimo. Neque enim à Regibus etiam ſibi obnoxiis, aliquotam bonorum partem exigebat Auguſtus; ne à Iudæis quidem ipſis qui nondum hoc Chriſti nati tempore Provinciales erãt ſeu Romano imperio immediatè ſubiecti. *Nam quid à Provinciâ differet Regnum*, ait rectè Keplerus, *ſi eadem utrinſque eſſent onera?* Quare & nulla tum orta rebellio. Nec JOSEPHUS hîc aliud profeſſus eſt, quàm ſuum, uxoris MARIÆ, filiique IESU nomen, ætatem, parentes, habitationem, familiam, & ſimilia; abſque ullo in prædia, facultates, capitáque ſua onere impoſito. Unde aptè Tertulianus in Marcionem libro 4. c. 9. *Sed & Cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judæa per Sentium Saturninum; apud quos genus ejus* (Chriſti) *inquirere potuiſſent* & cap. 4. *Tam diſtincta fuit à primordio Judæa gens per tribus, & populos & familias, & domos, ut nemo facilè de genere ignorari potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis Cenſibus, adhuc*

Lib. 18. Orig. cap. 1.

Diverſa onera Provinciarum Romanarũ, & Regnorũ Romanis obnoxiorũ.

tunc (cùm Chriſtus prædicationem ſuam miraculis confirmaret) *fortaſſis pendentibus.* Ecce ut Chriſti genus tantùm tangit Turtullianus, & ſub gente fortè etiam nomen; non facultates.

Joseph cũ Deipara in Auguſti nomen juravit. ut & Judæi omnes.

3. Præter hæc in Tabulas Cenſuales relata, addidit pro ſe ſuiſque Ioſephus inſuper *Juramentum*, quo ſicut & *reliqui Iudæi, fidem ſuam Cæſari, Herodiſq́, Regis negotiis obſtrinxit.* illis ſcilicet ſe ad mortem uſque fideles fore; ſive in Parthos & hoſtes externos, ſive in domeſticos rebellantes. quod apud Ioſephum de Iudæis disertè legimus, Orig. lib. 18. c. 3. & confirmat Oroſius lib. 7. cap. 2. fin. *Cenſu iſto maximo in hoc unum Cæſaris nomen Vniverſa magnarum gentium creatura IVRAVIT.* & libro 6. cap. ultimo. *Eodem anno* (quo nempè natus Chriſtus) *cenſum agi ſingularum ubique Provinciarum, & cenſeri omnes homines juſſit. quando & Deus homo videri & eſſe dignatus eſt. Tunc igitur natus Chriſtus Romano Cenſui ſtatim adſcriptus, ut natus eſt. Hæc eſt prima clariſſimáque profeſſio, quæ Cæſarem omnium Principem, Romanóſque rerum Dominos, ſingillatim cunctorum hominum editâ adſcriptione ſignavit; in quâ ſe & ipſe, qui cunctos homines fecit, inveniri hominem adſcribique inter homines voluit.* & paulò poſt: *Chriſtus hanc urbem Romam ſuo nutu auctam defenſámque in hunc rerum apicem provexit. cujus potiſſimè voluit eſſe, cum venit: dicendus utique Civis Romanus, Cenſus profeſſione Romani.* Quare cùm dicit Lucas in Bethleem veniſſe Ioſephum *ut profiteretur cum Mariâ uxore prægnante*; profeſſionem illius iſtam, ſolâ nominis ſui ſuorúmque deſcriptione, ſolo item fidelitatis juramento ſuperaddito exhauſtam intelligit.

Tres nati Chriſti circumſtantiæ à Joſepho hiſtorico notatæ.

4. Atque hæc eſt primâ Nativitatis Chriſti circumſtantia, ab Ioſepho hiſtorico quindecim ferè menſibus ante Herodis mortem aptè notata, uti mox oſtendam. Tres enim circumſtantias ille notat: *Cenſum hunc, Magorum adventum*, & inde ſecutum *Infanticidium.* Pro primâ Circumſtantiâ Cenſus ſeu Deſcriptionis, ſunt hæc ejus verba, paulò poſt Alexandri Ariſtobulíque filiorum Herodis ac Mariamnes cædem: *Erat quædam Iudæorum ſecta, exactiorem patriæ legis cognitionem ſibi vindicans: quibus tanquam Deo, ut videri volebant, caris, addictum erat hoc mulierum ſodalitium; Nempe Pheroræ fratris Herodis uxor, ſocrus, ſoror, & Antipatri mater Doris, prima Herodis conjux.* Nam hæ quatuor mulieres conſentiebant in omnibus (ait ibidem, ſed paulò ante Ioſephus) *Hi Phariſæi vocantur: genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum ipſis quoque Regibus infeſtum; ut eos etiam apertè impugnare non vereatur. Nam cùm tota gens Iudæorum fidem ſuam jurejurando Cæſari Regiſque rebus obligaſſet; hi ſoli non juraverunt, excedentes ſex millium numerum.* Ecce Chriſti naſcentis Ἀπογραφὴ ſeu Deſcriptio. Quomodo enim ab vniuerſa Iudæorum gente (ergo etiam à Ioſepho cum vxore, à Phariſæis, à Simeone &c.) potuit exigi juramentum: & qua causâ aut viâ, niſi per Cenſum? ſeu ut Oroſius paulò antè, Quando *Cenſu illo maximo in unum Cæſaris nomen univerſa magnarum gentium creatura JVRAVIT? ſimul per communionem Cenſus, unius effecta eſt ſocietatis?* & cur iurare nolebant Phariſæi, niſi quod de Chriſto nato ex adventu Magorum tum primùm certò ac determinatè intellexiſſent; & ex ſacris Prophetarum vaticiniis idem confirmari vidiſſent? Quæ ad ſecundam nati Chriſti circumſtantiam etiam ſpectant. & unde ſex eorum præcisè millia numerata, niſi ex ipſo Cenſu?

Phariſæorũ ſecta.

Prima Circumſtantia. Juramentum.

Secunda. Magorum adventus, & quæſtio Ubi Chriſtus naſceretur?

5. Secundò igitur notat Ioſephus, Magorum in urbem Hieroſolymitanam adventum, interrogationem inſuper illam, *Vbi Chriſtus naſceretur?* Herodis inde & omnis Hieroſolymæ cum illo turbationem; omnium denique Principum Sacerdotum & Scribarum (quos inter maximè Phariſæi) factam ab Herode congregationem, ſciſcitante ubi Chriſtus naſceretur? quæ narrat capite 2. Matthæus. Quis ſatis aſſequatur, quantopere Phariſæorum reliquorumque Judæorum curioſitatem acuerit illa quæſtio, conſultatio, Diſquiſitio, & ipſa tandem Veritatis inventio? *At illi dixerunt; In Bethleem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam Michæam cap. 5. v. 2. & tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. ex eo enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.* Meſſias ſcilicet tam diu expectatus: novus Rex, *quem deſtinarent vaticinia* (ait Joſephus lib. 17. cap. 3.) *cuique proſperè ceſſura eſſent omnia, conſtabiliendo ſucceſſione prolis legitima.* Quis inde Judææ totius admirationem, & natam inde lætitiam, ſatis animo concipiet? Quis auctum in Herodem odium, & certam de extinguendo tyranno ſpem affulſiſſe non palpet? Ergo fidelitatis poſtulatum ab eis juramentum, primò recuſant audaciſſimè. *Quibus hoc nomine* (pergit Joſephus) *à Rege mulctatis, Pheroræ uxor pro eis mulctam perſolvit. Cui reponentes gratiam Phariſæi; quoniam ex Dei colloquiis* (adde & Scripturarum ſcrutatione) *futura præſcire credebantur, prædicebant, Decretum eſſe Deo, Regnum ablatum ab Herode & ejus progenie, transferre in ipſam maritúmque Pheroram, ac communes liberos.* Nempe illos ut Meſſiæ genitores, liberos autem veros Meſſias, ſi non omnes, at ex illis quempiam unum. Ita ſcilicet boni iſti Prophetarum interpretes vaticinia ſacra ad lucra ſua, aſtutè juxtà & malignè detorquebant: ſimul reliquorum Herodis liberorum, Antipatri maximè, ſpem metúmve acuebant; ſi fortè ſpes illa novi Regis in ſe an alios verteret: Unde Nicolaus Damaſcenus illâ, quam coram Varo Syriæ Præſide paulò pòſt habuit in Antipatrum oratione (libro eodem 17. c. 7.) ei exprobrat, *Conſultos de regno vates, & ſacris exitialibus impetitum Regis caput.* Quando enim conſulti de regno vates, quando de novo Rege recens nato, mota quæſtio, niſi iſto hoc Magorum adventu?

Et inde Sacerdotum Herodiſque conſultatio, Judæorum curioſitas, & exaltatio

Herodis metus ac diffidentia.

6. Non poterant ſimilia Herodem & aſſeclas non maximè percellere, quin ſibi rerumque ſummæ diffiderent. cùm illam maximè Iacobi Patriarchæ Prophetiam accini toties audiret: *Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Alienigenam ſe eſſe nunquam non meminerat: Tyrannum ſe haberi non ignorabat: pluribus ſe jam conſpirationibus, à propriis quoque liberis impetitum ſæpè revolvebat: Quid tandem ſe futurum! ergo efferatior, & novæ iſtius longè immaniſſimæ certus, ad eam ejuſque fundamenta funditùs extirpanda animum vertit: conſcios omnes, quin & ſuſpectos tantùm, ipſoſque adeo Infantes innocentiſſimos indiſcretâ cæde ſublaturus. Quæ eſt tertia Chriſti nati circumſtantia his à Ioſepho verbis expreſſa:

Mox etiam Phariſæorũ & Innocentium cædes quæ eſt, Tertia Chriſti nati circumſtantia, à Joſepho hiſt. notata.

7. *Sed; hoc quoque* (nempe iſta vaticiniorum à Phariſæis interpretatio, Meſſiæque jam nati declaratio, ad Pheroram ejúſque filios, aut ad quemvis alium ſibi faventem adplicatio) *Regi per Salomen ſororem innotuit. & quod aulicorum quoſdam Phariſæi ſollicitarent muneribus atque corrumperent.*

Qua

Quâ in culpâ Phariſæos aliquot deprehenſos, authores hujus conſilii præcipuos interfecit. cumq; in Bagoam Eunuchum, & delicias ſuas Carum, præſtantiſſimæ formæ gratiâ ſibi commendatum. & præter hos, quoſcumque è domeſticâ familiâ (nota) *cum Phariſæis conſpiraſſe, ipſorum judicio compererat. Nam Bagoas in eam ſpem ſublatus erat, quaſi parens & benefactor appellandus Regis* (ſeu Meſſiæ) *quem deſtinarent vaticinia. proſperè enim ſucceſſura novo Regi omnia, conſtabiliendo ſucceſſione prolis legitimæ.* Iſta omnia Ioſephus libro 17. cap. 3. Phariſæos opinor inceſſerat cupido, novum iſtum Regem tunc natum agnoſcendi. ſed cùm certò reſcire nequirent (Chriſto præſertim, quem Magi adoratione ſuâ ferè prodiderant; in Ægyptum maximè, Angeli monitu tranſlato) quibuſvis curioſis credulisque, quos ad ſe pertrahere poterant; applicabant; etiam Eunuchis plerumque ditioribus ac Regi junctioribus; etiam Cinædis, formæ gratiâ nihil non ſibi promittentibus; denique aulicis quibúsque talium ſumorum avidiſſimis. Ac pro Bagoa quidem & ſimilibus Eunuchis, vix dubito, quin illum Iſaiæ locum capite 56. verſ. 4. & 5. proferrent: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, Dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit,* &c. quæ tu ibi perlege, cum præcedentibus junge; & videbis de Chriſti adventu, ac benedictionibus cuivis hominum profundendis, ſermonem eſſe.

Eunuchi etiam cum Phariſæis cæſi.

8. Sed neque dubito, quin iidem iſti Phariſæi, qui Chriſtum in Bethleem naſciturum, ea Micheæ capite 5. perviderant, multa quoque de Bethleemicis pueris ac parentibus inquiſiverint; multa de Chriſto à Magis adorato per illos agnoverint. Quis enim teouiorum iſtorum Bethleëmitarum, cùm Magos iſtos, ſeu Reges, Regúmve Chaldæorum ſapientes, habitu, linguis, moribus, adeo ſibi diſſimiles & ignotos adſpiceret, curioſiùs non exploraret, quò tenderent, quid facerent, quos convenirent, quid tanto & inſolito apparatu adventúque, in tam exili viliſque oppidulo prætenderent? Quis etiam peregrinus, multò magis Phariſæus, cùm illi abuſſeot, quò primùm divertiſſent, quid ibi feciſſent, expiſcari non conatus eſt? Quis tandem infantem Chriſtum, tametſi ignotum, ab iis tamen adoratum, non reſcivit? Et Dei quidem digitum hic fuiſſe, qui Phariſæos & Herodem occæcarit, nullus dubito: quando, ſi vel minimum ſanæ mentis habuiſſent, nullo rem omnem negotio certiſſimè haurire potuiſſent; ſubmiſſis qui Magos iſtos ad tam pauca, vixque 4. paſſuum millia Bethleem uſque comitarentur, ſingula viderent, viſa referrent. Quis Herodis ſtuporem non miretur, cùm Magis dicit; *Ite, & interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* quaſi nullos ſibi addictiores haberet, qui cum Magis vel ignoti Regem natum æquè detegere poſſent. Utcumque res habuerit, Phariſæos certum eſt, iſtius vaticinii Micheani ſuggeſtione, & variâ in pueros Bethleëmiticos inquiſitione, ſtomachum Herodi ſuſpicaciſſimo diffidentiſſimóque moviſſe; & in eorum carnificinam per ſe ultrò currentem, tanto vehementiùs impuliſſe.

Quidā item Herodis domeſtici. Imò & unus quidam ex ejus filiis bimulus.

9. Id quoque notandum è Joſepho, Herodem non Phariſæos, non Bagoam eunuchum, non Caium Cinædum ſolos; *ſed quoſcumque è domeſticâ familiâ cum Phariſæis conſpiraſſe eorum indicio compererat, occidiſſe.* Inter domeſticos iſtos ego quidem unum quoque ex Herodis filiis bimulum, ex matre Bethleëmiticâ, ſeu externâ, ſed Bethleemi genitum educatúmve: ut ſuggerit Annii Pſeudo-philo, ſeu quem alium nobis ignotum adnumero. ſuffragante quoque Macrobio & cum Joſepho planè conſentiente: *Cùm audiſſet Auguſtus inter eos, quos in Syriâ Herodes Rex Iudæorum inter* (an intrà?) *bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait, Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium.* Pluſcula hîc notanda. Ait 1. *Herodis filium,* nempè ut Joſephus è domeſticâ ejus familiâ. Ait 2. *inter bimulos,* quibus nempe ſuppar eſſet iſte filius; & cujus matrem æquè deceperant Phariſæi. Si dixiſſet, *inter alios bimulos,* verbo *alios* rem planè confeciſſet. Tamen cùm ſolùm *inter bimulos* dicit, in eos magis quàm adultiores pendere ſe ſatis innuit. Cur enim cum bimulis adultiorem filium occideret, qui non tunc primùm, ut quærebant Magi, ſed jampridem natus eſſet? qui nihil ad quæſtionem Magorum attineret, de recèns natis quærendum? quem Herodes etiam intellexit, cùm Magis dicit, Ite & interrogate diligenter *de puero,* non de adulto, qualis erat Antipater. quando propter eum alios nonniſi *à bimatu & infrà,* non ſuprà occidi voluit. Ait 3. Auguſtum dixiſſe, *Melius eſt, Herodis eſſe,* non fuiſſe, *porcum.* Eſſe, de præſenti dicitur, quaſi vivo valentéque tunc adhuc Herode: *fuiſſe,* de præterito, & quaſi jam mortuo. Diutiuſculè igitur ante Herodis exceſſum id dixit Auguſtus, ex phraſi Macrobii. Aptiſſimè item ad Joſephum & Matthæum: ad Joſephum quidem, quia Infanticidium ſtatim à juramento recuſato ſubjungit, & juramentum ferè cum Cenſu conjungit: ad Matthæum verò, quia ſtatim ut Herodes ſe à Magis illuſum vidit. quod non multùm ultra binos menſes exigit.

Macrobius lib. 2. ſat. cap. 4.

10. Ita vides Joſephum cum Macrobio Matthæóque convenire. Simul tertiam eámque eximiam nati Chriſti circumſtantiam, *Infanticidium,* ut & duas priores aperire; tametſi paulò tectiùs. quo Herodis & poſterorum tantam infamiam ad poſteros non tam clarè tranſmitteret; aut Chriſtianis Judæus ipſe favere videretur. quod diſertè in genere fatetur, Originum libro 16. cap. 11. initio. Quin & ipſum infanticidii tempus ſignificat; non multo ultra exeuntem hujus anni Juliani 42. Februarium. aptè ad Matthæum & Lucam; quando Matthæus Herodem, ut à Magis illuſum ſe vidit, in cædem Infantium proripuiſſe narrat: Lucas autem innuit; poſtquam ea, quæ in Templo Hieroſolymitano, Chriſtique oblatione, quadrageſimo ab ejus ortu die patrata ſunt, intellexit. Atque hunc talem Joſephi, licèt Judæi cum duobus Evangeliſtis, & profano Macrobio conſenſum, quis non ultrò, multóque jucundiùs amplectatur, quàm aliorum acriores in eum invectivas, certiſſimam Evangeliorum fidem ſuſpectiorem potiùs quàm firmiorem reddentes? Nos pro Scriptorum veterum concordiâ quàm pro diſſenſione laborare maluimus.

Infanticidii tempus circa finem Februarii menſis poſt Chriſtum natū.

11. Jam de Chriſti in Ægyptum ante cæſos Infantes fugâ nihil dico, quia ſatis notâ; & quia à Ioſepho nullo verbo ſignificata. Reliqua hujus anni 42. Iuliani parte, quæ ferè decem menſium eſt, nihil de Chriſto addunt Evangeliſtæ, niſi, iis expletis, Herodis exceſſum. de quo nos mox fuſiùs. Ioſephus autem quædam hic non omittenda ſuggerit. Inter Herodis enim exceſſum, & Infſoticidium Februarii exitu Martiive initio patratum, tredecim facilè

Ab Infanticidio ad Herodis exceſſum, menſes facile tredecim.

menſes

menſes fluxiſſe docet Ioſephus. Quippe Antipatrum Herodis ſeniorem filium, fratrum Ariſtobuli Alexandrique credo & Infantium cæde cruentum, eóque triumphantem, ſcribit Ioſephus Originum lib. 17. c. 3. fin. & ſequentibus, cum Pherora patruo ejusque uxore arctiorem iniiſſe conſuetudinem. Quam ceu ſuſpectam cùm pater Herodes inhibuiſſet, illi tamen per latentes comeſſationes, conveniebant; non ſine rumore, quod Pheroræ uxor cum Antipatro coosueſſet. Quare veritus Antipater, ne patris odia in ſe quoque ſerperent, effecit ut & Romam ab amicis vocaretur, & ipſe pater Herodes cum teſtamento ſuo (quo Regni hæres declarabatur Antipater) ultrò mitteret, multo comitatu, & pluribus ornatum muneribus. Factum id videtur Aprili jam vertente; tum ex Phariſæorum Innocentiúmque ſtrage, tum ex Antipatri literis Romam ad amicos ut eò vocaretur miſſis, amicorúmque receptis; tum ex ſequentium ſerie. Vix menſis abierat, cùm Pheroras patruus moritur, & ejus cum Antipatro conſilia prava deteguntur; pluribus libertorum indiciis ultrò manifeſtata; ancillarum deinde quarumdam, adeoque regiarum etiam mulierum tormentis atque quæſtionibus extorta. Ab hoc tempore, ſcelere inquam Antipatri detecto probatoque, ait diſertè Ioſephus libro Excidii 1. cap. 20. & Orig. l. 17. c. 6. fin. ad illius uſque in Iudæam ex urbe reditum, *ſeptem menſium intervalla fluxerunt.* Quæ proinde in Decembrem hujus anni Iuliani 42. incidiſſe neceſſe eſt: ut menſes adhuc inde tres ad ejuſdem & Herodis interitum aptè interſint. Adeò Joſephus ubique ſibi conſtat.

Pheroræ mors, unde Antipatri conſilia detecta.

Inde ad ejus necem menſes ſeptem.

12. Hinc clarum deducitur argumentum, eos qui mortem Herodis in Paſchate anni Iuliani 42. ex eclipſi Lunæ cum Keplero conſignant, non poſſe Chriſti Nativitatem in anni Juliani 41. fine nobiſcum collocare. quando inter utrumque non niſi trium menſium intervalla relinquuntur, contra Ioſephum ſeptenos diſertè menſes illius intervalli ſaltem parti, plures etiam ante Romanam Antipatri profectionem, plures item poſt reditum indulgentem. Quod Keplerus cùm acutiùs pervidiſſet, Chriſti ortum uno anteriùs anno toto, in anni ſcilicet Iuliani non jam quadrageſimi primi, uti nos & illi, ſed plane quadrageſimi finem promovit. Verùm ille jam in aliam difficultatem impingit, cùm Ioannis Baptiſtæ conceptionem uno pariter anno promovere cogitur: ac proinde nequit illam nobiſcum in eo Septembri, quo Zacharias de vice Abia ſacris operatus eſt, reperire. In noſtra ſententia quam congruè cuncta fluant, nemo non videt. Fixa igitur hic certáque maneat Baptiſtæ Chriſtíque Conceptio: fixa anno Iulian. 41. utriuſque Nativitas. ſimul Herodis morte jam dicendâ confirmetur.

Quare Herodes poſt tres inde menſes ſolos mori nō potuit.

Eoque Keplerus Chriſti ortum uno anno prævertit.

Sed Joannis Baptiſtę Nativitatem turbat.

CAPUT VI.

Quot annos regnarit Herodes? Vnde illi advocandi, ubi finiendi? Mors ejus.

Ad annum Chriſti maxime 2. Iul. 43.

Miræ de annis Regni Herodis diſputationes.

1. MIRUM quot & quātas hæc quæſtio pepererit opiniones. non tantæ alioquin difficultatis; ſi Ioſephum, & qui toto Regis Herodis tempore vixit, ei à ſecretis fuit, ejuſdem denique morti interfuit; Nicolaum Damaſcenum (alterum plane Livium Judaicum, ſcriptâ librorum 43. hiſtoriâ percelebrem, ex quo præcipua ſua Ioſephus hauſit) audiremus. At enim quia illum cum Lucâ cōciliari non poſſe credunt, quia ſcilicet ipſi conciliare nequeunt; acriter admodum in vitium eunt. Scribit Lucas Chriſtum, cùm à Ioanne baptizaretur, *annorum fuiſſe quaſi triginta.* Simul Baptiſmum hunc, cum anno Imperii Tiberii quintodecimo, Iuliano 73. (cujus Ianuario ineunte Chriſtum baptizatum exiſtimant) quaſi ſuo jure componunt, à quo die per annos 30. ſolidos retrocedentes, Nativitatem Chriſti in exitum anni Iuliani quadrageſimi tertii incurrere concludunt: mortuo jam, juxta Ioſephi quidem ſententiam, à novem totis menſibus Herode, contra Matthæi Lucæque Evangelia, qui Chriſti Nativitatem *in diebus Herodis Regis* contigiſſe ſcribunt. Ioſephum igitur errare nihil addubitant. Hinc ad aliud initium finemque regni Herodiani quærendum converſi, in varias abeunt opiniones; nec alium tamen vetuſtiorem certioremque indicem nanciſcent[illegible] in avia rapiuntur. Sed iſta paulò poſt, cùm h[illegible]ſtabiliverimus. Quæ quia pluſcula ſunt, fuſiúsque quàm hic vellem tractanda; plures in ſectiones claritatis causâ, faſtidióque Lectoris vitando, diſpeſcam: plura noſtris de Chriſto Annalibus excuſſurus.

SECTIO PRIMA.

Initium Regni Herodis.

2. Anno Iuliano ſexto ſeneſcente U.C. Varroniano 714. quo celebrata diebus æſtivis Olympias 185. Cn. Domitio Calvino iterum, & C. Aſinio Pollione, oratore hiſtoricóque perceleb̄ri, Conſulibus ordinariis, Anno ante fixam à nobis Chriſti Nativitatem trigeſimo ſexto, ante Æram Dionyſianam hodie paſſim uſurpatam quadrageſimo; Herodes è Iudæa, ab Antigono Aſſamonæorum Rege poſtremo, junctis Parthorum armis expulſus; in Ægyptum & Alexandriam ad Cleopatram Reginam M. Antonio junctiſſimam, primùm venit. A quâ quamvis honorificè ſuſceptus, teneri tamen non potuit, quin Romam ad eundem Antonium (cum Cæſare Octaviano poſtea Auguſto, tum forte circa Brundusium in Italiâ bellantem) properaret. *licèt hiberno tempore* (ait Ioſephus Orig. libro 14. cap. 25. 26.) *& turbatiſſimis ut nunciabatur Jtaliæ rebus. Solvens igitur Alexandriâ, nihil hyemis aſperitatem veritus, gravi tempeſtate conflictatus, ægrè Rhodum evaſit. Vbi maximâ nave triremis ædificatâ* (quod an paucis diebus confici potuerit Lector expendat) *cum amicis tandem Brundusium appulit.* ſolutâ jam antè, quam Antonius aggreſſus erat, ipſius obſidione. *Vnde continuò Romam profectus, M. Antonium* (eòdem pace cum Antonio factâ tranſgreſſum) *primò convenit. A quo in Senatum inductus, Cæſare quoque Octaviano juvante, Senatorum omnium ſuffragiis, Iudæorum Rex dictus, & inſperatâ felicitate intra ſeptem dies ex Italiâ dimiſſus eſt. primo tamen Regni ſui die convivio prius exceptus ab Antonio.* Jta Joſephus expreſſam hujus hyemis mentionem, cùm Herodes Alexandriâ ſolvit, aptiſſimè faciens; adeo ut gravi tempeſtate ſarcinarum jacturam fecerit. Quæ omnia quæſtioni iſti non parum lucis affundunt.

ANNO U.C. 714. Juliano 6. Herodes Hieroſolymis pulſus.

Alexandriâ & Rhodo ſolvit hyeme.

Brudusium & Romam venit. Ubi Rex dictus, fine anni.

3. Joſepho non minus aptè conſonant hiſtorici

Res à Romanis eo anno geſtæ, aſſios méſes relatæ.

Romani complures omni exceptione majores; Appianus Dio, Suetonius & alii. Ejuſdem quippe anni primordio, ut rem altiùs repetam, Cæſarem Octavianum ſcribunt, Peruſiam urbem, expugnato Lucio Antonio, Marci in Ægypto tum primùm cum Cleopatra luxuriantis fratre cepiſſe; ibidemque *Idibus Martiis* plures Antonianos ad Divi Iulii aram hoſtiarum more mactaſſe; quod ſpeciatim notat Suetonius Aug. cap. 16. & Propertius Elegia 1. lib. 4. Id bellum Fulviæ M. Antonii uxoris Zelotypia, quo Marcum maritum à Cleopatræ æmulæ amoribus in Italiam revocaret, moverat. Eodem item anno Labienus Pompeianus cum Parthis Aſiam ad Lydiam & Ioniam uſque, pervaſerat. Duobus hiſce nuntiis inopinatis Antonius vix tandem velut è gravi ſomno excitatus (ait in ejus vita Plutarchus) rebus animum adjicere cœpit. Ipſoque *vere demum* (addit Appianus) *Alexandriâ mari profectus*, velut Parthos primum aggreſſurus, Tyrum in Phœnicem appulit. Sed occupatam à Pacoro Partho jam iſtam regionem reperiens, Sexti Pompeii Siciliam occupantis bellum prætendens, in Occaſum vertit. *Ceterum circa Tyrum* (ait Plutarchus) *literis à Fulviâ acceptis lamentationum pleniſſimis* (Martio an Aprili) *per Cyprum* (addit Appianus) *Rhodumq; mare in Aſiam navigans, de Peruſina obſidionis exitu cognovit.* C[...]terum Plutarchus) *ab Italiâ ad ſe profugientibus receptus*; in iis Pollione Conſule; fratre autem [...]cio, Fulvia uxore, & maximè Manio incuſatis, App. *in Græciam* tandem Dione teſte *tranſmiſit.* *Uxorem* (rurſum Appianus) *Athenis invenit Brundiſio profugam*: Maio ferè jam menſe. Ibi diutiuſculè hæſiſſe videtur, quando Appianus paulò poſt notat, Claſſem eum ducentarum navium in Aſia confeciſſe: quod moræ non parum exigit. *Eâ coactâ, & Fulvia conjuge Sicyone relictâ languente* (*jam enim morbum ex mariti Antonii incuſatione contraxerat*) *in Italiam ſe vertit.* App.

Peruſiæ obſidio & deditio menſe Martio.

Plutarch. in Antonio. & Appian. Antonius ex Ægypto in Italiam navigat initio veris.

Maio fere menſe aut paulò poſt in Græciam appellit.

4. Cæſar interim Italiâ poſt Peruſinam obſidionem pacatâ, & Antonianis tota Italia pulſis, Romam triumphali habitu inierat (Dio l. 48.) & ad bellum contra Sextum Pompeium ſe parabat. Sed cum de potentiâ ejus audiret, multis jam ad illum & claſſe Murci tranſgreſſis; nè contra utrumque ſimul bellum gerere cogeretur, Pompeium ſibi conciliare ſtatuit. eóque Muciam matrem ultrò ei remiſit; ſimul ſororem Lucii Scribonii Libonis, qui Pompeii ſocer erat, Scriboniam ducere propoſuit, ejus ſocietatem ambiens. Ubi id non ſucceſſit, Marco Agrippæ bellum in illum mandavit. Ipſe in Galliam profectus eſt; eam ſibi cum undecim legionibus Antonianis ibidem agentibus adjuncturus. quod & fecit. Eo cognito Pompeius, obſervato tempore, quo *Ludis Apollinaribus exhibendis* (*pridie Nonas Quinctiles* de more) occupatus erat Agrippa tum Prætor Urbanus, in Italiam è Siciliâ tranſmiſit. ac tam diu prædas egit, donec Agrippâ adveniente, Siciliam repetiit. Gallias jam antè Cæſar per alios tentaverat. Fuſius Calenus & alii Antonio faventes inhibuerant. Caleno fortè tunc mortuo cùm accurriſſet, & exercitum omnem, & cum Galliis etiam Hiſpanias occupavit: Fuſio Caleni filio per metum omnis dedente, ſine ullo certamine. Ita Legionibus undecim, & provinciis ampliſſimis auctus, & ſuorum præſidio munitis, Romam reverſus eſt, ait cum Dione Appianus. utique non ante menſem Sextilem Septembrémve, ut ex ludis Apollinaribus, tantarúmque Provinciarum adjunctione ordinationéque non uno menſe tranſigendâ, certò intelligimus.

Cæſar Octavianus Gallias ab Antonio ad ſe trahit.

Menſe fere Quinctili ſeu Julio.

5. Romæ quoſdam ad Antonium Athenas ex Italia navigaſſe, & Domitium Ænobarbum cum claſſe ei conjunctum agnovit. Legionum tamen numero utrumque etiam cum Pompeio ſuperaturum ſe fidebat, quas ad 40. jam habebat. Sed illorum naves jam etiam quingentas verens, quibus Italiam circum errando famem inferre poſſent; Mœcenati ſcripſit, ut cum Scriboniâ Libonis ſorore tranſigeret; ſicque Pompeium tali affinitate non haberet inimicum. Nuptiæ ergo Romæ factæ; quæ omnis menſem Auguſtum ſi non & Septembrem facilè exhauriunt. præſertim cum tunc quoque Lepidum in Africam, Lucium Antonium Marci fratrem in Hiſpanias mitteret; honoris quidem ſpecie, revera ut à fratre divelleret.

Scriboniam Romæ uxorem ducit, circa Sextilem aut Septembrem.

6. M. Antonius interea magna claſſe per Corcyram & Ionium mare, relictâ Sicyone Fulviâ uxore languidâ, pauló que pòſt abſumptâ; & Ænobarbo in viâ ſibi cum claſſe adjuncto (per Pollionem hujus anni Conſulem addit Velleius) Brundiſium tandem appulit, Septembri utique jam labente. Cumque portas ea urbs illi clauſiſſet, terra marique obſedit. Simul Pompeium inducit, ut claſſe Italiam invaderet. Quod ille lubens admiſit: ac primò Sardiniam cum duabus legionibus Cæſari per Menam abſtulit: ipſe Thurios & Conſentiam obſedit; equites ſuos in eorum agris collocavit. Antoniani Sipontem in Auſoniâ ceperunt. Cæſar tot locis eodem tempore oppugnatus, Agrippam Sipuntinis auxilio miſit. ipſe Brundiſium contendit; Canuſii tamen per aliquot dies corpore languens hæſit. Cumque Antonium munitionibus ſuperiorem ſuperare non poſſet, eum ex inſidiis obſervabat. Ille licèt fortiorem etiam facere poſſet, exercitum tamen adhuc è Macedoniâ properè vocavit, ſibiqne Cæſare vel inſpectante ſremente que conjuxit. Brundiſium inde machinis oppugnare aggreſſus, magno dolore Cæſaris, opem obſeſſis ferre non valentis. Cùm ecce ſub veſperam utriſque nunciatur, Sipontem ab Agrippâ receptam, Pompeium à Thuriis repulſum, adhuc obſidere Conſentiam. Unde æquatâ utrinque fortunâ, ventum à partis utriuſque militibus ad criminationes primùm, tum etiam ad colloquia. Dumque ſermones ultro citroque commeant, Fulviæ uxoris Antonii mors Sicyone nunciatur. quæ viſa utrique parti perutilis, & de pace ſeriò agi cœptum.

Antonius Brundiſiū obſidet.

Fulvia Antonii uxor moritur.

7. Erat L. Cocceius Nerva, Nervæ poſtmodum Imperatoris avus, utrique peramicus (pergit Appianus libro 5.) qui *priore hujus anni æſtate* in Phœnicen ad Antonium à Cæſare miſſus (nota *æſtate priore*, & collige hæc autumno geſta) cum eodem Antonio remanſerat, & Brundiſium inde venerat. Is captatâ hac pacis occaſione, finxit ſe revocatum à Cæſare. permittente ut abiret Antonio, ad Cæſarem venit. eumque ſubiratum quòd citiùs non rediiſſet, multis de pace ſermonibus, quos refert Appianus, delinivit; & ut de pace agi ſineret, perſuaſit. Cumque è Cæſaris caſtris diſcederet, multi Centuriones illi mentem exercitûs aperuerunt. Quæ cùm Cocceius Antonio retuliſſet, adhibitis quoque Juliæ matris illius precibus, effecit ut Pompeium Antonius in Siciliam revocaret, Ænobarbum in Bithyniam cum poteſtate mitteret. Id ubi Cæſaris comperit exercitus, legatos elegit, qui utrumque Imperatorem adirent. Hi querelis eorum cohibitis, quippe non

L. Cocceius Nerva, primus auctor pacis Brundiſinæ. Appianus lib. 5.

ad judicandum, ſed ad pacem dumtaxat ſarciendam electi, effecerunt, ut per amicos ſeorſim ſeriò de pace ageretur. Appianus lib. 5. qui tamen ubi pax tractata non dicit.

Quæ Anxure ſeu Terracinæ concluditur.

Ex Horatio vidente & ex ejus Interpretibus.

8. Dicit tunc vivens & videns Horatius, ſermonum libro 1. Satyra 5. quâ ſuum iter Româ Brundiſium tunc ſuſceptum deſcribens, & Anxure ſeu Terracinæ agens ita canit. *Huc venturus erat Mæcenas optimus, atque Cocceius, miſſi magnis de rebus uterque Legati, averſos ſoliti componere amicos.* Mox. *Mæcenas advenit atque Cocceius, Capitoque ſimul Fonteius, ad unguem factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.* Ubi Acron & Porphyrion interpretes, *Diſſenſione,* aiunt, *coortâ inter Cæſarem Antoniumque, Cocceius Nerva avus Imperatoris, petiit à Cæſare, ut aliquem, cum quo de ſumma rerum tractaret, mitteret* TERRACINAM, ſeu Anxur. *Ergo miſſus eſt primùm Mæcenas, mox & Agrippa.* ab eodem Cæſare. *Hi pepigerunt fidem confirmatiſſimam, & in una caſtra conferri ſigna utriuſque exercitûs juſſerunt. Hoc & Titus Livius libro 127. refert, excepta Fonteii Capitonis mentione. Intelligendum autem, quod Fonteium miſſo ab Antonio, Auguſtus Mæcenatem & ceteros ad eumdem locum miſerit.* Ita illi juncti. Similiter & Appianus: *Milites adhibito Cocceio, ut communi eorum amico, & ex Antonianis Pollione, ex Cæſarianis Mæcenate, mutuam præteritarum offenſionum amnistiam, & in poſterum amicitiam decreverunt.* Coccejus ergo quaſi ſequeſter, mediator, & arbiter erat: ex parte Cæſaris Mæcenas & Agrippa; ex Antonii Fonteius Capito (licet a Livio Appianoque prætermiſſus) & Aſinius Pollio, hujus anni Conſul ordinarius.

Atque adeò ex Livii ipſius lib. 127.

Menſe ferè Octobri.

9. Hi quinque pacem Terracinæ pepigerunt confirmatiſſimam menſe Octobri adultiore. Quod præter hiſtoriæ ſeriem, ſuis huc uſque menſibus probabiliter ſi non certò à me diſtinctam, docet Vetus Inſcriptio marmorea ad oppidum S. Germani, in agro Caſinate, vix unius à Terracinâ diei itinere, patrum noſtrorum ævo reperta, & in Faſtos à Pighio relata, his verbis: SIGNUM CONCORDIÆ EX S.C. AD QUARTUM IDUS OCTOBRES RESTITUTUM. CN. DOMITIO ET C. ASINIO COSS. EX SENATUSCONSULTO. ecce ait reſtitutum. Nempe cùm Senatus etiam ipſe, Antonium inter ac Cæſarem Concordiam votis omnibus expeteret, & ab iſto conventu Terracinenſi ſperaret, ſi nondum obtinuerat. Vides Octobri hæc geſta: planè conformiter ad prædicta ſimul & ſequentia. Certè tot itus reditusque, tot colloquia, tam diverſis diſſitiſque locis inſtituta, non parum temporis exhauſère.

Ut vetus Inſcriptio.

Lætitia ex Pace, & Imperii inter Antonium ac Cæſarem diviſio.

10. Pace factâ, ingens & Romæ, & in utriſque caſtris lætitia fuit. Móxque Imperatores Imperium inter ſe ita partiri ſunt, ut à ſinu Ionio omnia in Orientem Antonius, cetera in Occidentem Cæſar haberet. Africa Lepido relicta. Hæc ex Appiano & Dione. qui inſuper libro 48. ſubdit: His ita in caſtris ad Brundiſium conſtitutis, convivio ſe mutuo exceperunt. quod Cæſar more militari Romanóque, Antonius Aſiatico Ægyptióque inſtruxit. *In Urbem deinde reverſi* (ſubdit Appianus) & quidem *ovantes* addunt Faſti Capitolini, Dióque, nuptias celebrarunt Antonii cum Octavia Cæſaris ſorore, Marcelli tum viduâ, licèt prægnante; paulò *ante Ludos Equeſtres* notat Dio, ſeu *Conſualia*, Idibus Decembris celebrari ſolita. Ac licèt *in exitu jam annus eſſet*, rurſum Dio, abrogato tamen Prætoribus

Qui Romã redeunt. Ibi Antonius Octaviam ducit.

Menſe ferè Decembri.

Seu anni exitu.

Conſulibúſque Magiſtratu, alios eis ſuffecerunt: nihil morati, quod in paucos dies in ea dignitate futuri eſſent. Suffecti Conſules L. Cornelius Balbus tametſi Gadibus natus; & P. Canidius ex Dione, & Tabulâ Collotiana apud Pighium.

11. Parcat Lector, ſi hæc tam fusè, tam operoſè pertexui. Diem quo Herodes Romæ Rex à Senatu dictus eſt, detegere aliter haud potui. Nunc res plana eſt. Nam ex Romanâ quidem hiſtoriâ clarè pervidemus, Antonium vix ante *Decembrem* hujus anni Romam pervenire potuiſſe: Ex Judaicâ verò Joſephi, Herodem ſimiliter *eadem hyeme* ferè naufragum, Rhodo Brundiſium trireme maxima, quæ nimirum hyemis tempeſtatibus reſiſtere poſſet; moxque terrâ Romam attingere, ante eumdem *Decembrem* jam adultum nequiviſſe. Antonius igitur ac Cæſar, Romæ tunc agentes, Herodem, in eum jam antè proclives, in Senatum induxerunt; ejus atque patris in Romanos affectum, per Meſſalam & Atratinum Oratores cõmendarunt: Antonius etiam illum ad Parthicum bellum, ſibi ex pacto impoſitum maximè conducere, eóque Regem dici debere docuit, ſtatimque Senatus omnium ſuffragiis idem ſanxit. Quo dimiſſo, Antonius & Cæſar medium habentes Herodem egreſſi ſunt, Conſulibus ceteriſque Magiſtratibus deducentibus, aſcenderuntque in Capitolium, ſacra ibidem more facturi, & Senatuſconſulta depoſituri. [illegible] & plura Joſepus, hic omnino legenda.

Quò etiam Herodes hyeme venit.

Ex Joſepho

Et Rex Judæorum à ſenatu dicitur.

12. Ac diem quidem quo Romæ Rex dictus Herodes, ex Decembris poſterioribus extitiſſe, ſatis docent præcedentia omnia. Propiùs tamen adhuc è Joſepho erui poſſe credo. Hic enim Originum ſeu Antiquitatum libro 15. planè finiente notat, *In celebritatem ſeu Dedicationem Templi ab hoc Herode abſoluti, Natalem quoque Regni incidiſſe, quem Herodes anniverſariâ hilaritate ſolebat colere: ut hoc pacto lætitia publica duplicaretur.* Templi Hieroſolymitani Encænia nulla eo ævo alia quàm 25 Caſleu celebrata legimus. à Juda quidem Machabæo inſtituta, ſed ab Herode Rege ac Judæis poſtea confirmata; tantóque majore ſolemnitate peracta, quanto Herodianum hoc Templum Machabaico magnificentius. Quis enim credat avidiſſimum gloriæ Herodem, tanto opere, tanto ſumptu laboréque peracto, nullam Encæniorum ſuorum diem annuè recolendam inſtituiſſe? Quis Judæos illam plenis votis non optaſſe, non admiſiſſe? Cumque à Machabaicis alia Judaicum Kalendarium non agnoſcat Encænia, prorſus in eumdem utraque Encænia diem incurriſſe ſtatuendum eſt: ne ejuſdem feſti ſolennitas plebeculæ damno multiplicaretur. Ita de utriſque Encæniis capiendum illud Joannis 10. v. 22. *Facta ſunt Encænia Hieroſolymis; & hyems erat.* Quod ſi eſt, ut planè videtur, planè quoque ex Joſepho in eamdem Caſleu 25. diem Natalis Regni Herodiani ſolennitas incurrerit. Encænia Templi hoc anno, Juliano ſexto, Calvino & Pollione Coss. ordinariis, cum Decembris Juliani 29. ferè die, ex Periodo noſtrâ Judaica concurrunt, feriâ primâ, literâ Dominicali C. ſeu unâ Sabbathi Regno Herodis Natali, quâ Rex à Senatu Romæ dictus. Quod & Herodianæ navigationi hibernæ, & Antonii Romam poſt pacem Brundiſinam reditui triumphali apprimè conveniens eſt, ut vides.

Feſto Encæniorum. ut Joſephus Antiq. L. 15. planè finiente

Quæ hyeme celebrari ſolita.

Joan. 10.

13. Quare Joſephus hic nihil à vero deviat. Niſi fortè Librarii error intervenerit; cùm hoc

pacto

Rex Romæ dictus Herodes, Olympiade non 84. ut mendosè Joſephus tenuis: ſed 185.

pacto legimus: *Atque hoc pacto ille Regium faſtigium adeptus eſt, Olympiade 184.* ἐπὶ τῆς ρ. ϰ̔ π. ϰ̔ δ. Ὀλυμπιάδ☉. Nam Olympias æſtivis hujus anni diebus habita, planiſſimè eſt 185. ſeu ΡΠΔ. facili lapſu δ pro ε. ſubſtituto. ſicut plerique unanimiter conveniunt, in annis ætatis Herodis pro ιε. legendum κε. id eſt 25. pro 15. Niſi Joſephus hic Olympiadem 184. planè evolutam intelligat; contra Scriptorum ſuumque morem, quo Olympias abſolutè poſita, pro ineunte non expletâ capi ſolet. Hoc autem anno Decembris 19. menſe vix quinto fluebat Olympias 185. Neque ſilendum, hujus quoque veritans ſcintillam aliquam in Appiano radiare. Nam anni proximè ſequentis exordio, inter ceteros tunc ab Antonio Romæ conſtitutos Reges, HERODEM quoque* Idumæorum ac Samaritanorum memorat; non tam quia eos conglobat, quàm quòd Herodem videbat, hujus anni Juliani ſexti exitu, Romæ dictum Regem, nonniſi ſequentis anni primordio in Judæam redire, novique regni poſſeſſionem adire potuiſſe. reliquis paucis anni diebus pro nihilo habitis. Additque omnes Antonianos hoſce Reges certum Romanis tributum pependiſſe. Ut proinde Herodes nonniſi tributarius Rex, beneficiarius, cliens, ſuperiori obnoxius, utque modò loquimur *Vaſallus* extiterit. Quod tamen Joſephum non tenuit, quò minus ſcriberet; eò inſignius fuiſſe Antonii erga Herodem beneficium; non tantùm, quia præter ſpem Regnum ei paraſſet, quod ipſe Ariſtobulo Mariamnes ſibi deſponſæ fratri petiturus erat; ſed etiam quia intra ſeptem dies inſperatâ felicitate ornatum dimiſit ex Italiâ. Ita diem & annum, quo Romæ Rex dictus Herodes, tenemus. ingenti hiſtoriæ non Eccleſiaſticæ minus, quàm Iudaicæ bono.

Quod etiam innuit Appianus 5 Civil. *ubi pro Idumæorum, lege Judæorum.

SECTIO SECUNDA.

Qui Romæ ſermones ex Herode novo Rege? Nempe Magnum Regem ſeu Meſſiam brevi naſciturum.

Herodes Rex convivio ab Antonio exceptus.

& a Pollione

14. Creatus Rex Herodes, *primo Regni ſui die convivio abs Antonio exceptus eſt.* ait Ioſephus lib. 14. c. 26. haud dubiè in Cn. Pompeii ædibus, quas in Carinis ſitas tunc occupabat Antonius. Mihi vix dubium, quin ſecundo etiam à Cæſare, & tertio quoque ab Aſinio Pollione, ordinario hujus anni Conſule, Herodi peramico, exceptus ſit. In Pollionis autem epulò arbitror eclogam Virgilii quartam, quæ *Pollio* dicitur, à Virgilio ipſo auctore recitatam; M. Antonio Cæſareque præſentibus. Quæ res ut clarior euadat, quædam præmittenda probandaque.

Herodis ſtudioſiſſimo

& hoſpite.

15. Primùm Herodis ſtudioſiſſimum fuiſſe Pollionem, ex diſerto Ioſephi teſtimonio intelligimus, Orig. lib. 15. cap. 13. uſque adeo, ut cùm ſuos ille è Mariamne Aſmonæa, uxore nobiliſſimâ cariſſimaque filios, Alexandrum & Ariſtobulum, Romam ad Cæſarem anno Iuliano 22. adultiore mitteret (annis ab iſto ſedecim) non alio quàm *Pollionis hoſpitio illos uti voluerit, licèt & Cæſaris uti liceret.* Magnam eam fuiſſe neceſſitudinem oportet, quæ etiam Cæſarianam ſuperaret, illi certè præferretur. & quis hinc non vehementer ſuſpicetur, Herodem quoque ipſum his diebus apud Pollionem potiùs quàm Antonium divertiſſe? Pollionis autem ædes in monte Aventino, ſicut & *Atrium Libertatis* ab eodem erectum, non deſunt qui exiſtiment. Ad hæc idem Ioſephus eodem libro 15. cap. 1. ſtatim ab Hieroſolymorum expugnatione, quæ anno Juliano nono, Regni hujus Herodiani tertio contigit, rurſum notat: *In præcipue apud Herodem honore erat Pollio Phariſæus, & Sameas ejus diſcipulus. Dum enim obſiderentur Hieroſolyma, hi conſulebant civibus, ut Herodē in urbem reciperent.* Imò idem Pollio, cum Herodē olim (nempe annis antequam Rex Romæ diceretur ferè ſeptem) capitis reum ab Hyrcano ceteriſque Judicibus abſolutum videret, prædixerat, pœnas ab omnibus iſtis aliquando exacturum. quod & accidit. ex quo vides Phariſæum hunc totidem quoque annis antehac Pollionem appellatum. Unde quæſo Phariſæus ille, pari ac ceteri ſupercilio, pari ceterorum maxime Gentilium aſpernatione, Pollionis gentilis nomen induiſſet, niſi quopiam ob hoc noſtro Conſule affectus beneficio? & quo potiùs, quàm libertatis ab eo receptæ, cùm fortè captivus ac ſervus ejus eſſet, eaque occaſione ritum ſuum ab idolis ad ſacra Iudaica tranſtuliſſet, aut legem ſaltem ſuam docuiſſet? ut de tot aliis Romanis in Victorio noſtro diximus. Ita Pollio Conſul, non ſolùm amicus, ſed & ejuſdem Religionis ac Proſelytus, certè in illam pronus extitiſſet. Quod ſanè hæc ipſa ecloga facilè perſuaſerit; tot non Sibyllinorum modo, ſed & ſacrorum vaticiniorum teſtimoniis adeo plena. quanto faciliùs induxerit, ut hoſpitio Pollionis uſum Herodem credamus?

Pollio Phariſæus apud Joſephum

Pollionem Romanum Judaicâ Religione imbuit.

16. Rurſus advertendum, ſub hujus anni, quo Conſul Pollio fuit, finem; renovatum Romæ de novo Rege brevi naſcituro rumorem, qui ſæculum aureum reduceret. Similia jam ante Ciceronis Conſulatum paſſim Romani credebant ſparſerantque. Salluſtius in Catil. *Lentulum diſſimulantem accuſatores coarguunt; præter literas, ſermonibus quos ille habere ſolitus erat, ex libris Sibyllinis Regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea; ſe tertium eſſe, cui fatum eſſet Vrbis potiri &c.* Clara ecce novi Regis mentio: Clarior in Suetonii Auguſto cap. 94. *Auctor eſt Julius Marathus, ante paucos quàm Auguſtus naſceretur menſes, eodem Ciceronis Conſulatu; prodigium Romæ factum publicè, quò denuntiabatur, Regem populo Romano Naturam parturire. Senatum territum cenſuiſſe, Ne quis illo anno genitus educaretur.* Mox: *Quo natus eſt die cum de Catilinæ conjuratione ageretur in Curiâ, & Octavius ob uxoris puerperium ſerius adfuiſſet; nota ac vulgata res eſt, P. Nigidium compertâ moræ causâ, ut horam quoque partus acceperat, affirmaſſe, Dominum terrarum orbi natum.* Idem Suetonius in Julio Cæſare cap. 79. paulò ante ejus cædem, anno poſt prædicta 20. refert *Lucium Cottam Quindecimvirum proximo Senatu ſententiam dicturum fuiſſe; ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos niſi à Rege non poſſe vinci, Cæſar Rex appellaretur.* Quod tradit etiam Dio libro 44. & fuſiùs ipſe quoque Cicero libro 2. de Divinat. *Sibyllæ verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur. quorum interpres* (ille Cotta) *nuper falsâ quadam hominum famâ dicturus in Senatu putabatur, eum quem revera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus.* En plura de novo Rege.

Eóque hoc anno Conſule renovatus Romæ de novo Rege, ſeu Meſſia ſermo. Salluſt. in Catil.

Suet. Aug.

17. Ea cur ſub finem Conſulatus Pollionis inſtaurata inflatáque ſint, reſtat ut dicam. Paulò antè vidimus geminum eodem hoc anno Iuliano 6. Triumvirorum quaſi Regale connubium, Cæſaris cum Scriboniâ, ſororis item ejus Octaviæ cum

Occaſione conjugiorũ Cæſaris & Antonii

M. Antonio. paci ſcilicet firmandæ; nuptiáſque magna Senatûs populique Romani gratulatione celebratas. ex tali talium Principum conjunctione juxta & affinitate, quis decantatum iſtum Regem non ſperaret? Quis ex adulatorum palpatione ſpatſum non admitteret? maximè cum Reip. Romanæ Ariſtocratiam in Monarchiam vergere, id eſt novum Regem, novum ſæculum inſtare perſpiceret? Ergo novo illo ſtatu vertête, novi etiam Regis proxima ſpe Roma perſonabat, quem tot Sibyllarum carmina prædicerent atque prædicarent. Cùm ecce iſto celeste rumore, interveniens à Judæa & Oriente Herodes, Rex à Senatu dicitur, ingenti Iudæorum Romam magno tum numero incolentium admiratione juxta & ſacro quodam horrore primùm: tum collectis animis, & Scripturarum ſacrarum adjunctis ad oracula Sibyllina Prophetiis, mirum quantopere horrorem iſtum accenderint. Proferunt Iacobi Patriarchæ vaticinium Gen. 49. & quomodocumque demum intellectum, ſeptuaginta Danielis Hebdomadibus, in hæc ferè tempora deſinentibus, aptant, roborantque: *Quo finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Juſtitia ſempiterna*: & impleatûr viſio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Iſtas quippe Prophetias per iſtud, nec non inſecutum proximè belli Judaici tempus, inter Iudæos maximè agitatas, teſtatur ipſe Ioſephus Excidii l. 4. cap 12. aut ex Græco textu libro 6. cap. 31. finiente: Reſponſum erat ambiguum in ſacris literis inventum, quòd eo tempore quidam eſſet ex eorum regione terræ Imperium habiturus. Ac licèt non ignorarent Iudæi, novum iſtum *Regem Sanctum Sanctorum ſeu Meſſiam*, non è Romanâ gentilíve, ſed è ſui Judæ Davidiſque ſtirpe ſurrecturum; Romanorum tamen ultrò credulitatem acuebant, horrore non diſpari affundebant. Romani quoque Iudæorum contempto ſenſu, ſuis ea omnia ſe ſibus atque ſpebus aptare non ineo deſinebant. Ita concordi tam diſparium Religionum concentu, novum illud ſæculum aureum tam diu expectatum, & qui illud conditurus erat Regem novum, communi certaque ſpe ſibi, non minus quam orbis Imperium adſcribebant.

Maximè autem quod Herodis Rex tunc Romæ dictus.

Judæis Prophetias ſuas ad oracula Sybillina jungentibus.

18. Tacitum hic atque Suetonium credulitatis hujuſce teſtes hic addere juvat. Ille hiſt. libro 5. *Pluribus*, ait, *perſuaſio inerat, antiquis* (nota) *Sacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore, ut val[esc]eret Oriens, profectiq; Judæa rerum potirentur. Quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus more humana cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, nec adverſis quidem ad vera mutabantur.* Suetonius Veſp. c. 4. *Percrebuerat Oriente toto* non tantùm ergo Romæ) *vetus & conſtans* (iterum nota) *opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Iudæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu poſtea patuit* (tertio nota) *prædictum, Iudæi ad ſe trahentes, rebellarunt.* Vides eamdem utrique genti iuditam, licèt diſpari interpret[at]ione, perſuaſionem. S[ed] hæc à Tacito Suetonioque de bello Iudai[co] ſcribi. ſed cum ille *antiquis* id dicat *Sacerdotum literis contentum*: hic *veterem* illam ac conſtantem opinionem fuiſſe, ſatis docent, multò ante bellum iſtud, imò & ante Herodem dictum Regem invaluiſſe. Hoc igitur tempore & à Iudæis & a Romanis illa repetebantur. tanto avidiùs quanto Cæſaris cum Scribonia, Antonii cum Octavia conjugia, & Herodis ad Regnum evectio, adeo concurrebant.

Tacitus hiſt. lib. 5.

Suet Veſp.

19. Quare in eo quo Herodem excepit convivio Aſinius Pollio, Iudaicæ Religionis ſi non proſelytus, ut ſuſpicor, ſaltem probè gnarus & amans, Virgilium ſibi peramicum, ad hanc ex utriuſque gentis oraculis contexendam eclogam, & coram Triumviris, aliiſque nec paucis nec infimis, recitandam impulerit. Quam tam elegantem, argumentique tam curioſi tam divini, valde placuiſſe, & etiamnum placere, ſatis conſtat. Prorſus ut univerſim canere poſſit Virgilius, Non *Pollio* ſolus, ſed totus *Mundus amat noſtram, quamvis ſit ruſtica Muſam.* Imò & illud, quod tamen probare non videtur Hieronymus ad Paulinum, *Maronem* hac eclogâ *Chriſtianum ſine Chriſto* fuiſſe. Nec deſunt, qui Secundinum ſub Decio Imperatore, Verinumque pictorem quemdam, aut ut alii Marcellinum oratorem, Chriſtianos ex ea factos teſtentur. Conſtantinum certè tantum Imperatorem non puduit, Bucolicum illud non pro vulgari profanóve, ſed pro ſacro celeſtive, Sanctis Nicænæ Synodi Patribus ceu Prognuſticon prælegere & explicare; quo ſcilicet Chriſtus *expectatio gentium, Deſideratus cunctis gentibus, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*, etiam per os inimicorum, ut ait Auguſtinus, oſtenderetur. Adeo ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ea invaluit opinio.

Unde contexta & recitata Virgilii Ecloga Pollio

Hier. ad Paulinum Epiſt. 103.

Etiam Conſt. M. gratia interpretatione

Apud Euſeb. in Conſtantini orat. ad Patres Nicænos cap. 20.

20. Sapientiùs utique veriuſque, quàm neſcio quis Grammaticus, Servius Honoratus, Conſtantino ut totis 150. annis poſterior, ita longè vilior. Qui ut eclogam hanc Ethnicus homo Chriſtianis eriperet, cuidam Pollionis filio adſcribere auſus eſt, ipſi in Conſulatu, ut putat, genito; & à devictâ ante Conſulatum Dalmatiæ urbe Salunâ, Salonino nuncupato. nec ullum ejus rei teſtem profert. Nam Acronem, qui idem tradit, puto illo adhuc juniorem, & ex ipſo hauſiſſe. Appianus lib. 5. Civil. Dio l. 48. tanto ſeniores, etiam refutare videntur: hic quidem, cùm Pollionem hunc noſtrum ſequenti primùm anno, Juliano ſeptimo, U. C 715. *Epidaurios, qui & Parthini*, inquit, *compreſsiſſe*, faſti Capitolini etiam *triumphaſſe*; Appianus autem eum eodem iſto anno, *exercitum à M. Antonio in Parthinos gentem Illyricam*, pace cum Sexto Pompeio ad Miſenum factâ, *ſubmiſiſſe* ſcribunt. Cumque Parthinos juxta & Epidaurios Dalmatiæ Plinius adſcribat lib. 3. cap. 22. Pollionis autem triumphum unicem omnes *de Parthinis* quidem *octavo Kal. Octobres anno U. C. 714.* qui eſt Varroni 715. Iulianus ſeptimus) Faſti Capitolini, Horatius autem lib. 3. ode 1. de Dalmatis numero ſingulari agnoſcant; ſequitur, ut Pollionis unica eadémque, & de Salonis, & de viciuis Parthinis Dalmatis populis victoria fuerit, quæ & Dalmatica generali nomine dicta ſit. Quam cùm Faſti Capitolini, Appianus, Dio, aliique anno qui hunc Pollionis Conſulatum proximè excepit, affigant; unde Servius, & ejus aſſecla Scaliger in Euſebii Chronicon, unicam Pollionis & de Salonis & de Parthinis victoriam atque triumphum, ſemper Dalmaticum, in duos dividit? Unde Saloninum ante patris Conſulatum, Parthinorum poſt illum contigiſſe deprompſit? Vides Servii Scaligerique, ſupra Conſtantinum, ſcilicet fidem. Sed neque Salonini filii ullam hic Virgilius mentionem infert: nedum natum dicit: imò ſemper de futuro venturóque loquitur; nec quis ille futurus ſit, conſcium ſe prodit. A Spiritu ſancto duntaxat, velut Balaam & ejus aſina in Chriſti brevi naſcituri honorem agebatur. De quo & nos cum Conſtantino proinde capimus. & varia

Contra vanum Servii interpretationem.

Acron in 1. Oden l. 3.

i[...]us

Loca Scripturæ tracta a Virgilio.

illius hîc expreſſa epitheta in illo agnoſcimus.

21. Ait ecce Virgilius primò: *Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.* Ubi aut quando hoc ipſum Saloninus ejúſve pater Pollio præſtitit? Præſtitit Chriſtus, Iſaiæ cap. 9. v. 6. (unde accepit Virgilius) *Pater futuri ſaculi* dictus. 2. Chriſtus eſt *expectatio gentium, ſeu cunctis gentibus deſideratus*; Quibus Saloninus? Quando ſub illo *redit Virgo, redierunt Saturnia* ſeu *aurea Regna*? Virgo illa, quæ ut rectè Ovidius, *Cade madentes Vltima de ſuperis terras Aſtraa reliquit*, eſt Iuſtitia terris ante Chriſtum exulans, poſt illum *reducta ſempiterna*, ut Daniel capite 9. verſ. 24. Hæc tamen rectè etiam ad Deiparam VIRGINEM Chriſti matrem refert Conſtantinus. An Saloninus, aut quivis alius, Ceu *nova progenies cælo demiſſus ab alto*, ut Chriſtus? qui *non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo natus.* Ioan. 1. *Chara* ſeu *Clara Dei ſoboles*, ut hîc Virgilius, *magnum Iovis* ſeu potius *Iehova, incrementum.* An naſcente puero Salonino, ſicut Chriſto, *ferrea primùm Deſiit, & toto ſurxit gens aurea Mundo*: 5. *Decus hoc avi* rectè *miturum dicitur, Pollione Conſule*; quia tum *deficere cœpit Sceptrum de Iudâ, & Dux de femore ejus*; *venturo* proximè *qui mittendus erat Silo.* 6. Eodem *Chriſto Duce ſi qua manebant ſceleris veſtigia noſtri Irrita perpetuâ ſolverunt formidine terras.* Quis Saloninus, imò quis hominum Heroúmve, *peccata remittere poteſt potuítve*? Solus id poteſt Deus, & Homo-Deus ſeu Θεάνδρος. & Virgilius, quidem, quod Puerum iſtum Aurei ſæculi conditorem, Hominem agnoverit, nihil adeo mirum. quando verè *poſthac In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus*, ut Baruch cap. 3. v. 38. Sed quod à Naturâ ejus humanâ, ad divinæ quoque cognitionem evolet, id verò mirò mirius. *Ille Deûm vitam accipiet*; imo ut Iſaias c. 9. v. 6. *Admirabilis* erit ac *Deus*: Sed quid ad ejus Divinitatem, quod ſubjungit, *Divisq; videbit Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis*? Si de Deo puro intelligeret, nihil adeo. De perſona loquitur, quæ una quidem, Deus tamen eſſet & Homo: ſed ut Ethnicus gentili phraſi Heroëm vocat. *Heroas* enim perſpicuum eſt à Poëtis dictos, qui matre quidem homine, ſed patre Deo nati erant. Regem ergo novum illum venturum *Heroa* vocat. ex ſacris Literis, & Pollionis Judaizantis ſuggeſtione, aliquâ ſaltem luce; multò magis Spiritûs ſancti afflatu, ceu Balaam alter affuſus. Denique in ſuavi illo Iſaiæ epitheto concludit, *Pacatumq; reget patriis virtutibus Orbem.* Nempè ut idem Iſaias, *Princeps Pacis*, ſed internæ & æternæ. Licet Virgilius terrenam intelligeret, multo-magis quàm Apoſtoli Act. 1. *Domine, ſi in tempore hoc, reſtitues Regnum Iſraël.* Ecce quomodò Virgilium Deus, neſcientem quid diceret, ceu alterum Caipham impellebat; non ut à ſemetipſo Prophetantem, ſed tanti myſterii deſtinatum Gentilibus ignaris Interpretem, anni & rei iſtius vatem.

22. Jam divina iſta ſeponens, ad communiora facilioraque deſcendit: *Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores, occidet & ſerpens*: ubi ad Geneſis caput tertium alludit, cum *ſerpentis* qui protoplaſtos noſtros deceperat, *caput à muliere & ejus ſemine* (nempe Chriſto) *conterendum* prædicit; ſopito eraſoque ejus veneno, quod è fallaci arboris ejusque fructûs pomi pulchritudine, comedentium interiora vitiaverat. Illius loco *Aſſyrium vulgò naſcetur Amomum.* Id eſt, Conſtãtino quidem interprete, nova odoris ſuaviſſimi progenies, omnibus inquinamentis emundata, juſtitiæ gemmis ornatiſſima. Et cetera, quæ in Oratione Conſtantini repræſentat Euſebius capite 20. toto. Præter ea quæ cuique ſuggerere poteſt pia Meditatio, lumine cœli perfuſa. Et hæc Salonino Pollionis filio tam obſcuro aptare quiſpiam audeat, quiſpiam poſſit, ut maximè velit?

SECTIO TERTIA.

Regni Herodis Anni & mors.

23. Ex ipſo anni Juliani ſexti fine, Joſephus annos Regni Herodis deinceps numerare pergit. Nam ſequenti proximè capite 27. finiente, poſt narratas binas duorum annorum expeditiones, Herodem ſcribit, tempeſtate jam deſinente Hieroſolymam cum exercitu moviſſe, caſtra ad urbem metatum fuiſſe, *anno tertio poſtquam Romæ Rex declaratus fuerat.* Igitur ipſis anni Juliani noni primordiis, quem & Sabbathicum fuiſſe verè notat. Addit libro 1. Excidii cap. 13. menſes quinque duraſſe obſidionem, imo libro ſexto ſeq. ſextum quoque menſem addit, nempe Lunarem; quia annus iſte erat Embolimæus. Originum autem libro 14. finiente, Urbem demum vi expugnatam *M. Agrippa & Caninio Gallo Coſs. Olympiade* 185. (anno nempe ejus tertio jam expiraturo) *menſe tertio* (ſcilicet anni Judaici, qui dicitur Siban, quando obſidionis menſes quinque numerat) *Feriis quibus ſolemne fit jejunium.* quarum ego feriarum eam eligo, quæ cum die Siban 25. & cum Junii Iuliani 22. concurrit; quia dies iſte in Sabbathum eo anno incidit, aptiſſimè ex Dionis quoque ſententiâ. Atque ita (concludit Ioſephus eodem libro Orig. 14. finiente) Aſſamonæus ſeu Macchabaïcus Principatus deſiit poſt annum centeſimum vigeſimum ſextum. De anno U.C. Varroniano 717. labente, ſeu Iuliano nono, deme 126. labentes, reliqui erunt 591. etiam currentes; annus item Græcorum centeſimus quinquageſimus æquè Sabbathicus, quo Iudas Machabæus, Templi cultu paulò antè reſtaurato jam victor, ab Antiocho Eupatore Epiphanis mortui filio, gentis ſuæ Dux & Princeps conſtitutus eſt. ut lib. 2. Mach. cap. 13. verſ. 24.

Herodis anni à Joſepho notati, ex quo Rex ille Romæ dictus.

24. A captis ergo Hieroſolymis menſe tertio Siban, ſeu à Menſe Iunio Iuliano, incipit deinceps annos novi Regni Herodis plerumque numerare Ioſephus. Ut ſeptimum, Tertium-decimum, 17. & 18. quos cum Romanorum annis rebusque ſatis diſtinctè comparat. Niſi quod Orig. l. 16. c. 9. cùm ſcribit *perfectam eſſe Cæſaream Paleſtinæ, decimo poſtquam ædificari cœpta eſt anno*, ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ τῆς ἀρχῆς, *octavo & viceſimo regni ſui, Olympiade* 192. id eſt anno Iuliano 34. M. Valerio Meſſala, & P. Sulpitio Quirinio (ſeu Cyrino apud Lucam) Conſulibus annum iſtum 28 non à captis Hieroſolymis, ut putat Keplerus; ſed ex quo Romæ Rex dictus eſt, deducit. Sic enim exactè cum ipſa Olympiade 192. componitur. Quod etiam accuratè notat in Chronico ſuo Euſebius ipſe Cæſarienſis, quem urbis propriæ natalis annus latere non potuit; quinquennali in Auguſti honorem certamine, jam inde ad ipſius Euſebii ætatem annuatim repeti ſolitus. Ab iſtâ Olympiade 192. ſeu anno Iuliano 34. ad proximè ſecutam 193. annumque Iulianum 38. anni quatuor interfluunt, ſine ullâ in Ioſepho temporum notâ. Hanc tamen Olympiadem ſatis innuit Ioſephus lib. 1. Exc.

Anni aliquot Herodis à captis Hieroſolimis.

Annus tamẽ 28 quo perfecta Cæſarea, eſt ab ejus Regno Romæ obtento.

Quia cum Olympiade 192. apte cõpoſitus.

Quã etiam Euſebius ipſe Cæſarienſis agnoſcit.

 cap. 16.

cap. 16. & Orig l. 16. c. 12. & 13 cùm ſcribit Herodem tunc ultimò Romam proficiſcentem, Græcè *παραπλεύσαντα* ſeu *adnavigantem*, in *Pentaeteridem* ſeu Olympiadem incidiſſe; in quâ perpetuus Agonothetes ob beneficia creatus eſt. Eam quippe non aliam quàm 193 eſſe potuiſſe, & temporis & hiſtoriæ ſeries evincit. Ac licèt cum iſtâ Olympiadis 193. celebratione, nullum regni Herodis annum commemoret, ex antecedentibus tamen atque conſequentibus, annum illius, ex quo quidem Rex Romæ dictus eſt, triceſimum ſecundum; à captis autem Hieroſolymis, viceſimum nonum finitum, & triceſimum ineuntem, ſimul annum Iulianum 38. labentem certò deducimus: cujus exitu Hieroſolymam Herodes ipſe redierit.

Olympias 93 componenda cum Herodis anno 32. ex quo Rex Romæ dictus.

25. Ab eo anno Iuliano 38. expirante, ad ejuſdem Herodis mortem, anni ſuperſunt ſolidi quatuor, menſesque tres, nullâ ſaltē adeo clarâ tēporum notâ, aut cùm Romanis rebus æquè tunc obſcuris, compoſitione diſtincti. Niſi forsè à mortis illius anno diéque ſurſum regredientes aliqua colligamus. Scribit igitur Ioſephus tum Orig. lib. 17. cap. 10. tum Excidii l. 1. c. 21. ſub finem, Herodem mortuum, cùm *poſt Antigonum regno detruſum*, ſeu ab Hieroſolymis captis, *annos* τέσσαρα κ̀ τριάκοντα *quatuor & triginta regnaſſet: ex quo autem à Romanis Rex declaratus eſt*, ἑπτὰ κ̀ τριάκοντα, *ſeptem & triginta*. Et quidem, ut paulò pòſt idem Ioſephus, ἐνστάσης τῆς τῶν Ἀζύμων ἑορτῆς, ἣ Πάσχα καλεῖται. *inſtante Azymorum feſto, quod Paſcha vocatur.* quódque iſto anno Iuliano 43. in viceſimum ferè Martii diem incidit. Vides annos hîc Regno Herodis à Ioſepho tributos Cardinales eſſe, non Ordinales τέταρτον vel ἕβδομον κ̀ τριακοστὸν *quartum* vel *ſeptimum & triceſimum*. licèt ſic veriùs dixiſſet: quando Ordinales de plenis, non adhuc labentibus capi ferè ſolent; & anni Regni Herodis hic utrobique non completi, ſed labentes dumtaxat exiſtunt. Nam ab 18. vel 19. die Decembris, quo præter propter Herodem Regem Romæ dictum oſtendimus anno Iuliano expirante ſexto, ad Paſcha anni Iuliani 43. nonniſi triginta ſex anni integri, menſesque inſuper tres anni triceſimi ſeptimi intercurſant. Ab Iunii verò die 22. anno Iuliano nono, ad idem Paſcha anni 43. anni triginta tres tantum ſolidi, menſesque ferè novem intercedunt. Rectiùs ergo ſcripſiſſet Ioſephus, mortuum Herodem anno regni ſui 37. & 34. ſicut vertit Gelenius; quàm, *poſtquam regnaſſet annos* 37. *vel* 34. Benè tamen habet, quod Cardinalibus quaſi plenis, potiùs quàm ordinalibus quaſi incompletis Ioſephus ipſemet uſus eſt. Sic enim opinionem compeſcit illorum, qui ut vel 37. vel 34. qualeſcumque reperiant, ex annis 37. vel 34. paucos primi & ultimi menſes, aut etiam dies, pro duobus annis ferè ſolidis abs eo computari volunt: præter morem Epitaphiis maximè & Regum Edictis Contractibusque hactenus uſurpatum.

Anni omnes Regni Herodiani 37 & 34. quomodo capiendi?

26. Quod tanto majorem adhuc habet in Kepleri & aſſeclarum ſententia admirationem. Mortem enim Herodis ille cum anni Iuliani Paſchate non quadrageſimi tertii, ſed 42. dumtaxat, uno ante nos anno toto componit. atque ita inter ejus initium, à nobis quidem validis rationibus adfixum, & finem; annos tantùm 35. ſolidos menſesque tres, aut à captis Hieroſolymis annos 32. menſes 9. invenies. Quos quis in 37. & 34. abſolutè ſupputatos rationabiliter extenderit? Præſertim in epitaphiis & Inſcriptionibus, edictiſque Regum publicis; quantumcumque annorum fragmenta pro integris obtruſerit? Nemo id impunè hodie præſtaret; nemo auderet: maximè cùm ſculptoris operâ laboréque non graviore, verum Regni vitæque calculum inſcribere poſſit. Quis enim Lectorum intelligentiam tali, tamque falſo calculo, ultro gratisque torqueat, cùm liquidiores & integros labentésve pro ſolito numerare nihil vetat?

Maximè in Epitaphiis, Inſcriptionibus publicis, contractibus, & edictis Regum.

27. Joſephum autem hîc lapſûs alicujus arguere, mihi quidem ridiculum videtur. Nam ſi ego vitam Caroli Quinti v. g. modò, centum ferè pòſt annis ſcriberem; & illam pronepoti illius Philippo IV. Hiſpaniarum Regi offerrem; poſſémne annis in exceſſu novem, vel ſeptem, vel duobus ut plerique, vel etiam uno ut Keplerus, in tam illuſtri, tam recenti memoriâ falli? Recténe, aut ad Lectorum benevolentiam facerem, ſi menſes diésve paucos pro annis ſolidis acciperem, meâ ſolâ libidine, à nihilo prorſus aliunde coactus? Etſi ita facerem fallerérve, Rex ipſe Philippus IV. aut ex Commentarienſibus ejus aliquis, errorem libidinemque meam caſtigari non curaret? Herodis pronepoti Agrippæ juniori ſuam ſeu addixiſſe ſeu obtuliſſe ſcribit in vita ſuâ Joſephus hiſtoriam; & in proavi illius exceſſu tantopere falleretur? & ſi falleretur, non Rex ipſe Agrippa, non aliquis ei à ſecretis aut Archiviis, nullus è tot Judæis ſuperſtitibus, qui Herodem per ſe ſuóſve patres videre potuerant, erroris vel laſciviæ cujuſpiam admoneret? Tot adhuc Herodis ſupererant edicta, tot Leges, tot Contractus, tot ſculptæ ſaxis & ædificiis illius Inſcriptiones, certis Regni & filiorum ejus annis ſignatæ; ipſum denique Regis ipſius Epitaphium, in Regio caſtello Herodio, Hieroſolymis ferè contiguo, omnium oculis expoſitum; non anno modò, ſed & menſe diéque mortis inſculptum, centies à Joſepho quoque ipſo perlectum, & in codicillos haud dubiè pro hiſtoricâ ſuâ relatum (quis enim non faceret?) & in re tantâ, tantus vir deviaſſet? Hiſtoriam ille ſuam è Nicolai Damaſceni ſcriptis tùm publicis compilavit; Nicolaus Herodi morienti tanquam intimus præſens adfuit: diem hic mortis, cui interfuit, ignoraſſet, malè tranſcripſiſſet, aut Joſepho ceteriſque impoſuiſſet? An Joſephus ex genere Joiarib, ſeu ex prima Sacerdotum vice oriundus, Regium etiam Aſmonæorum genus ex matre contingens, vir ab adoleſcentiâ undequaque laudatus, Iudæorum ipſo contra Veſpaſianum bello Dux celebris, Nicolaum Damaſcenum, Livium alterum, aut etiam Herodis Epitaphium ſine errore non potuit exſcribere? Homines novi, Ioſepho Nicolaóque annis ferè 1500. poſteriores, clariùs in Herodis morte, quàm teſtes oculari vidiſſent? Credat Iudæus Apella. Non ego. Simul parcat Lector, ſi tot verbis ago; cogunt adverſarii. cogit eclipſis mox memoranda.

Joſephus hîc falli nullâ ratione potuit.

Sed neque partes pro toto commodè capere.

28. Quam antequam excutio, duo adhuc ex annis filiorum Herodis argumenta profero. Idem Ioſephus libro 2. Excidii cap. 6. ſcribit, Archelaum *nono* regni ſui à morte patris anno pulſum in exilium. & libro Orig. 17. cap. 15. id *decimo* factum refert. Quod & in vita ſuâ confirmat, cùm patrem ſuum Matthiam eodem anno Archelai *decimo* natum, idque in publica relatum Tabularia tradit. Rurſumque confirmat Orig. lib. 17. cap. ult. cùm ſomnium ejuſdem Archelai narrat; quo ille diebus antè quàm Romam ab Auguſto vocaretur tantùm quinque, vidit ſpicas decem maturas ac tritico plenas à bobus

Anni Herodis certi ex Archelai filii annis.

absumi,

abſumi, totidem regni illius annos denotantes. Quare ut Ioſephus ſibi non contradicat, dicendum, nono Regni anno Romæ accuſatum; & poſt aliquot menſes decimo jam labente, relegatum, prorſus ut meſſes novem integras viderit, decimam ſaltem attigerit; ante eam collectam, ab Auguſto Romam evocatus. Jam idem Ioſephus eo pulſo, Quirinium ab Auguſto in Syriam Iudæamque miſſum ſubdit, qui Cenſum ageret, facultates omnium cenſeret, ipſius autem Archelai fiſco addiceret. Mox libro 18. c. 3. notat, *Cenſum illum in annum ab Actiaca pugna 37. incidiſſe*; qui quidem ineunte Septembri anni Iul. 52. complebatur. Decimus autem Archelai à morte patris, poſt illius Paſcha primùm inierat: prorſus ut nonniſi aut Aprili Maióve, aut Iunio Iulióve ejuſdem anni Iuliani 52. relegari, ſimul decimam meſſem maturam in Iudæa videre potuerit. Scio Keplerum in ſua quoque ſententiâ idem aptare poſſe; quia 37. ille Actiacæ pugnæ annus inivit Septembri anni Iul. 51. Sed an tam liquidè, Lector viderit. Ioſephus certè in noſtrâ ſententia probè ſibi conſtat. Nam ſi de æſtate anni Iuliani 52. annos decem labentes demas, in Martium Iuliani 43. quo obiit Herodes, relabêris.

Idem ex 37. annis regni Philippi alterius filii.

29. Philippum autem Ituræ Tetrarcham idem Ioſephus libro 18. cap. 6. ſcribit, *Mortuum anno Imperii Tiberii 20. cùm annos 37.* præfuiſſet. Annus Tiberii ab Auguſti morte 20. inivit ab 19. Auguſti menſis, anno Iuliano 78. deſiit eodem die anni proximè ſequentis 79. Philippi autem à morte patris 37. nonniſi à Paſcate ejuſdem anni 79 inire potuit. id eſt, ante expirantem Tiberii viceſimum menſibus duntaxat quinque. Igitur uno iſtorum quinque, ſeu Aprili Maióve, ſeu Iunio Iulióve, & ſummum prioribus octodecim Auguſti diebus, fato abſumptus fuerit. De 79. labentibus annis dempti item labentes 37. Martium anni Iuliani 43. aptè relinquunt, quo mortuus Herodes. adeóque aptiùs quàm in Kepleri ſententiâ, cui ſcilicet hic ut priùs, ſavet etiam annus Philippi 37. de duobus annis Iulianis nonnihil participans.

Kepleri Objectio.

30. Keplerus, qui anno 42. Iuliano mortem Herodis affigit, prius illud noſtrum de Archelai annis argumentum in nos pro ſe retorquet. Dio (inquit) anno U. C. 759. qui eſt Iulianus 51. *M. Lepido & L. Arruntio Coss.* ſcribit, *Herodem Palaeſtinum à fratribus accuſatum, trans Alpes iiſſe relegatum, & partem ditionis ejus in fiſcum redactam.* De anno Iulia. 51. labente tolle novem ſolidos, & decimum ineuntem, reliquus erit annus 42. cujus Paſcate pater Herodes vivis exceſſit, juxta Dionis Keplerique ſententiam. Confirmatur, quod iſto eodem anno 51. quo relegatus Archelaus, & à Quirinio Cenſus actus, indeque nata Iudæ Sadocíque rebellio, Ioſephus libro Orig 18. cap. 1. *Extremam famem ſuperveniſſe* tradit: conformis Dioni, qui eamdem eodem quoque anno memorat. Ita Keplerus & qui eum ſequuntur.

Solutio.

31. Facilis reſponſio eſt. Antequam Archelaus anno Regni ſui decimo Viennam in exilium pelleretur; menſibus aliquot Romæ præceſſerat ejus accuſatio; ut ſatis ex Ioſepho colligi dixi. Ita ille anno regni ſui nono, qui ex noſtrâ quoque ſententiâ, cum Iuliano 51. majore ſui parte componitur, accuſatus & Romam ab Auguſto vocatus, ſe pro virili defendit. donec poſt aliquot menſes convictus, & decimo demum regni anno jam currente exilio damnatus eſt. Ita Juliano 52. Viennam abiit. Et annus ab Actiacâ pugnâ 37. hic à Joſepho notatus, prioribus quatuor ſui menſibus cum Iuliano 51. præcipitante, poſterioribus octo reliquis cum 52. (utriuſque quidem ſententiæ, ſed magis noſtræ favore) concurrit. Fames autem Dioni tunc, Ioſephóque memorata, & abs anno Iuliano 50. nata, duobus ſequentibus pariter annis, 51. & 52. ingruit, pari Dionis utrobique ſavore. Cur ergo, repones, cum anno 51. Iuliano potiùs quàm 52 Archelai tam relegationem damnationemque, quàm accuſationem, Dio affigit? More nempe ſuo facit; cùm brevitati compendióque ſtudens, narrationis alicujus initium finémque convolvit. Ita Hieroſolymorum obſidionem ab Soſio Herodeque anno Iulianô octavo deſinente cœptam, & nono poſt 5. menſes finitam, unico priore licèt expirante comprehendit: & quod Ioſephus Agrippæ Canidiique Conſulatui veriſſimè potiore parte, ipſe Claudii & Norbani anteriorum ſolitâ anticipatione adſcribit. Quæ profero, ut Keplerum non tam convincam, quando elabi poteſt; quàm ut Joſephum à nobis æquè, ſi non magis ſtare patefaciam. Quis verò Dionem tanto ætate poſteriorem, in Iudaïcis præſertim rebus, Ioſepho Iudæo ſcriptori, Archelao ferè ſuppari populaříque, prætulerit?

SECTIO QUARTA.

Eclipſis Lunæ in morte Herodis anno Iuliano 42. non 43. reperta quomodo ſolvi poſſit?

32. Adverſus hunc Herodis exceſſum anno Juliano 43. ſtabilitum, objiciunt Mathematici, & in his Keplerus maximè, ſuo de Natali Chriſti libro, cap. 9. Joſephi ipſius verba ex libro Originum 17. cap. 8. *Herodes poſt Matthiam Pontificem Sacerdotio mulctatum, alterum Matthiam ſeditionis auctorem, ejusq́; ſocios vivos exuſſit.* καὶ ἡ Σελήνη τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλιπε. *& Luna eadem nocte defecit.* Hanc eclipſin digitorum pœnè ſex, mane diei 13. Martii, anno 42. Iuliano, tribus horis ante Solis ortum reperiri dicit; nullam autem ante Paſcha annorum 43. & 44. fuiſſe. Herodem proinde annis aut 42. aut 45. mori debuiſſe. nam anno 45. altera quoque reperitur illuſtrior, Ianuarii decimo, horâ à mediâ nocte ſecundâ. unius ac viginti digitorum, id eſt ferè totalis. Annum 45. Scaliger; 42. præfert hic Keplerus, quia (credo) eſt 43. propior. Atque hic eſt unicus è cœlo character, quem aliquâ ille ſpecie nobis objicit.

Kepleri objectio ex eclipſi Lunæ anno Juliano 42. non 43.

Et Scaliger anno 45.

33. Reſpondeo P. Joanni Deckerio hujus ſententiæ noſtræ Auctori, centies eclipſin hanc objectam, nihil tamen eum moviſſe, quò minus ad mortem uſque in anno illo 43. perſtiterit, tametſi ea quæ ſuperiori Sectione, §. 27. protuli in mentem ei veniſſe non videantur. Quæ ſi Lector hîc repetere, ſerióque diſcutere dignabitur, nauci certè non eſſe pervidebit. Quis enim credat Joſephum, primâ ſcriptione liberrimum, nullâ adhuc re coactum, iſtos Herodis Regis annos omnes, præter ultimum, completos, maluiſſe ſecare; eorum unum ſolum pro duobus accipere, ſicque Lectorum mentibus tricas potiùs quàm nudam veritatem affundere? An ipſimet adverſarii noſtri ita ſcribere mallent? Reſpondent objiciúntque nonnulli: Quomodo ergo varios Regum Iſraël & Iuda annos, ſibi in ſacra Scriptura minimè conſentientes, inter ſe conciliabis? Repono: ad id me ex aliorum ſcriptione cogi;

Solutio.

Joſephum, cum primò ſcripſit, nihil adigebat, annorum partes pro integris accipere.

cujus ego cauſam nec ſcio, nec inquiro; tantùm legitimam ſuppono. ex quâ quantum licet, me extrico. Joſephum hic ad ſimilia nihil adigebat;' ad ſimplicem nudámque veritatem Lectori proponendam liberrimum tunc adhuc, imo etiam obſtrictum. Petunt alii, Unde mihi tot Herodis edicta annua; tot ſculptæ ædiſiciis ejus Inſcriptiones, ſuis ſignatæ annis; Ipſum etiam ejus epitaphium, certis vitæ illius annis diebusque notarum innotuerint? Peto viciſſim, An idem de Francorum, Hiſpanorum, Germanorum, Romanorum, ac ceterorum omnium Regum operibus & edictis petere audeant? Quid hoc aliud eſſet, quàm rebus deſperatis experiri ultima? Herodem nempe hominem aliàs corruptiſſimum vaniſſimúmque, facient ſanctiſſimum, ſola virtute nullâ gloriolâ ad ſimilia concitatum, potiùs quàm expanſis tot edictorum, Inſcriptionum, Contractuum publicorum, ipſius etiam epitaphii annis convinci ſe ſinant. Quid eſt victoriæ deſperatio ſi hæc non eſt?

Negare Regum edicta, & inſcriptiones publicas, deſperationis eſt.

Hiſtoriæ certæ præferre Phænomenon unum, minime decẽs.

34. His adde jam, Herodis hiſtoriam & Chronologiam tot aliis temporum, perſonarum rerúmque concurrẽtium circumſtantiis, tot hiſtoricorum non Judaicorum modò, ſed & Romanorum Græcorúmque conſenſu roboratam, à nobis hucuſque per annos ferè ſingulos validè probatam: an unicum cœli phænomenon, oculis non raro noſtris, ſicut plerumque Parallaxes, imponens, tanto tam diverſorum Scriptorum conſenſui præpones? Joſephus equidem libro Excidii 1. cùm Herodis texit mortem, nullius meminit eclipſeos. An Tabulas Aſtronomicas toties à tam variis ſibi ſuccedentibus Aſtronomis caſtigatas, ab ipſo etiam Tychone Brahe novo & ſupremo cœli Atlante, ad annos vix ducentos, nonnullâ adhuc formidine propoſitas, tot Scritorum ætate ſupparium concentibus anteferes? Tycho quidem ipſe fatetur ingenuè, ad anteriora ſæcula Methodum ſe ſuam extendere non auſum, quòd neque de Apogæi & eccentricitatis varietate, neque de Æquinoctiorum anomaliâ ſimilibusque ſatis ei conſtaret. Quis nos è Tabulis iſtis de duorum ferè millium annorum eclipſibus certos in anteriora reddet? Neque nos tamen illæ tantopere rejiciunt. Scribit ecce ipſe adverſarius noſter Keplerus, in Sylva Chronologicâ: *Anno Juliano 43 quo nos impellit Joſephi calculus, primá Martii contigit Plenilunium, proximè nodum, ſed non eclipticum. Medium tamen Plenilunium cadit intra terminos eclipticos, ſic, ut ſuſpicionem primâ computatione facere poſſit eclipſeos.* Parúmne eſt quod aliquam defectus ſuſpicionem ex mediis motibus, inter iſta Tabularum fluctuantium ſcita eruamus?

& Tabulæ Aſtronomicæ ſæpè correctæ ac mutatæ.

Quæ tamen nobis proximè favẽt, etiam Keplero teſte.

Eclipſis aliquando impropriè ſumitur.

35. Eclipſin certè hanc Ioſephus videre non potuit, utpote annis poſt eam ferè 40. natus. Ab alio igitur accipere debuit. A nullo certiùs, quàm à Nicolao Damaſceno, vel ſimili. Qui ſi ex Tabulis ſuis eam pronunciarit, faciliùs & audaciùs quàm Keplerus, primâ iſtâ ſupicione aſſeruerit (quis enim credat, eum ſupra Keplerum ſapuiſſe?) ut Herodis mortem eo cœli ſigno illuſtriorem redderet. Tanto etiam magis, quò illam in regionibus Iudæâ Orientalioribus certò viſam, à Iudæis inde Hieroſolymam ad Paſcha tunc venientibus, intellexerit. Nam eam illic contigiſſe certum eſt. Si verò oculis uſurpaſſe ſe dixerit; pronum eſt cum Chriſtmanno in Alfraganum, reſponſum; *Nomen eclipſis non propriè ſemper accipi; ſed interdum quoque pro tenebris ſive prodigiis circa Solem, & Lunam apparentibus.* ut cùm denſiore quapiam nube obſcurantur. Ita Scaliger lib. 6. emend. Phlegantis eclipſin pro ordinariâ non recipit: uti neque illam Dionis lib. 56. neque Euſebii alteram in exceſſu Auguſti: Idem ſentiunt Lucidus, Buntingus, Calviſius, & alii Mathematici celebres. Habet hoc plebs, ut tenebras & pallorem circa planetas apparentem, eclipſin appellet: præſertim cùm ſuperſtitione aut etiam Religione aliquâ ducitur. Sic Plinius & Plutarchus in Cæſare, anno quo ille cæſus toto, pallorem Solis fuiſſe tradunt; cùm ut Virgilius canit *Impiaq; æternam timuerunt ſæcula noctem*. Quidni & idem in hac Herodis morientis eclipſi dicamus, præſertim cùm ob Matthiæ ſocios ab Herode vivos exuſtos, quidlibet Iudaica plebs in Naturæ luctum, Deique vindictam avidâ ſuperſtitione verteret? Tot igitur hiſtoriæ Herodisque Regis circunſtantiis & edictis adeo certis; tot Hiſtoricorum tam diverſæ gentis teſtimoniis adeo concordibus, Tabulis etiam Aſtronomicis proxime accedentibus; potius quàm unico cœli phænomeno ſubinde fallaci acquieſcamus: & Herodis exceſſum anno Iuliano 43. tam conſtante Ioſephi aliorumque ſupputatione fixum, ne luxemus. Certè neque Petavius noſter, neque Vendelinus nobis amiciſſimus, tametſi Herodis obitum anno Iuliano 42. cum Keplero defigant; uno tamen, propterea anno cum Keplero Chriſti Nativitatem ſurſum promovent, ſed 41. nobiſcum retinent. Adeò illis non minùs quàm nobis certus viſus iſte Chriſti natalis annus.

Scaliger, Lucid. Buntingus, &c.

Plinius, Plutarchus.

Joſephus inter Cenſum factũ, ſeu Chriſtũ natum; & Herodis mortem, mẽſes plus quam 7. diſertè interponit.

Keplerus vix tres.

36. Pro quo, præter ea, quæ à nobis in illius confirmationem hactenus allata ſunt, iſtud etiam hic aptè proferri poteſt; quod Ioſephus Iudæorum hiſtoricus, Antiq. lib. 17 cap 6. finiente notat, inter Romanam Antipatri è Judæâ profectionem (quam poſt Iudæorum Cenſum, & Iuramentum Auguſto Herodíque ab iis in eo præſtitum, eóque poſt Chriſtum natum, initam, ex Ioſepho clarè cognoſcimus) ejuſdem Antipatri reditum, menſium ſeptem intervallum fluxiſſe diſertè ſcribit. in Kepleri ſentẽtia inter Chriſti nativitatem & iſtum Antipatri ex urbe reditum vix trium menſium intercapedo reperiri poteſt. Hæret itaque immobilis in ipſo anni Iuliani Paſchate funeſta Herodis infanticidæ mors; quódque inde manat, quindecim totis menſibus antea, ſolidè figitur in anni quadrageſimi primi exitu deſideratiſſima Chriſti Domini Nativitas. Ne reliqua repetam hîc argumenta, quæ libri hujus ſecundi Præfatione promiſeram, ex Ioannis Baptiſtæ Conceptione; ex univerſali Provinciarum Romanarum Cenſu, ſeu Deſcriptione, à C. Sentio Saturnino Syriæ tum Præſide acceptâ completáque; ex ipſis denique Regni Herodiani annis 37. & 34 Ipſius Chriſti circa Baptiſmum ætas *quaſi* tricenaria, in ipſius Prædicationis limine demonſtrabitur. Nunc pergat liquidior Hiſtoriæ noſtræ ſeries.

SECTIO QUINTA.

Herodis hæredes ab Auguſto confirmati. Chriſti in Ægyptum fuga, & reditus.

Herodis Teſtamentum legitur.

37. Herode mortuo, Salome ſoror ejus, & Salomes maritus Alexas, congregatâ in Amphitheatrum Hierichuntinum militia, Teſtamentum illius per Ptolemæum (cui ſignatorius Regis Annulus traditus erat ad Cæſarem deferendus) legi curarunt.

Eo

Eo Judææ Regnum Archelao; Herodi Antipæ, Galilææ ſimul Perææque Tetrarchia; Philippo germano Archelai fratri Ituræa, Trachonitis & Paneas ad Jordanis fontes, dabantur. Salomæ Regis ſorori Jamnia, Azotus, & Phaſaelis. Cæſari quoque ipſi legabantur argenti ſignati centies centena millia; ſimul vaſa aurea & argentea, ingens veſtis pretioſæ numerus. Liviæ Cæſaris uxori, & quibuſdam amicis, quinquagies centena millia. Ita tamen ut Teſtamentum, ſine Cæſaris conſenſu ratum non eſſet. Funus inde Herodium per octo ſtadia ductum, ibique ſepultum: comitantibus amicis atque militibus, in quibus *Germani* nonnulli *Galliq;* maximè credo Belgæ. Poſt dies luctûs ſeptem, in Templum Hieroſolymitanum Archelaus aſcendit, è ſolio aureo conſpiciendum ſe dedit; commodiorem patre ſe fore pollicitus, populi gratiam captans. Poſtremò re divinâ peractâ, convivium cum amicis iniit.

Funus duci-[...]

38. Feſtum erat Iudæis patrium, PASCHA dictum, veteris ex Ægypto effugii monumentum: quo azymis ſeu non fermentatis panibus Iudæi veſcuntur; populuſque ſummâ alacritate, majorem ſolito mactat victimarum numerum: infinita turba, etiam extra regionis terminum habitantes, confluunt, Religionis gratiâ. Ibi ſeditioſi quidam, ob Iudam ac Matthiam Legis Doctores & ſocios, ab Herode paulò antequam moreretur occiſos, cum ſeditionem moverent, Archelaus primùm verbis eos lenire conatus eſt. cùm nihil proficeret, per milites tria eorum millia occidit: & quidem die feſto, Templo etiam cadaveribus referto. Ita re quomodocumque ſopitâ, Cæſaream ad mare cum ſuis deſcendit, & Romam ad Auguſtum navigavit. Abiit & Antipas jus ſuum defenſurus.

Paſcha Judæorum

Quo magna Judæorum ab Archelao cædes.

39. Illis abſentibus, magni ſecuti ſunt Hieroſolymis, & tota regione tumultus. quos Varus Syriæ Præſes cum exercitu adveniens, magnâ ex parte compeſcuit. Simul Iudæorum Legatos 50. Romam proficiſci permiſit: qui ab Cæſare poſtularent, ut mutatâ Reip. formâ, poſthac ſine Regibus agerent, & Syriæ adſcripti Romanis parerent Magiſtratibus. His Romam ingreſſis, ſtatim adfuere Iudæorum Romam incolentium pluſquam octo millia. Adfuit & Philippus Vari hortatu, ut Archelai fratris advocatum ageret, cui Varus benè cupiebat: nonnihil etiam de Regno pro ſe ſperans. Auguſtus igitur, amicorum & Civium primariorum concilium, in Apollinis ædem, magno à ſe ſumptu extructam, convocat. Et in his CAIUM Agrippâ Iuliáque filia ſuâ unicâ genitum, jam à ſe adoptatum; primum ei locum in conſiſtorio tribuens. [tametſi annum ætatis agentem vix decimum-octavum, ſed tertio ante hunc anno conſiliis publicis intereſſe permiſſum.] Inde Herodis teſtamentum confirmat. Niſi quod Archelaum non Regem, ſed Ethnarcham declarat, Regium quoque nomen pollicitus, ſi dignum ſe redderet.

Judæi Regē recuſant.

Judæi Romam incolentes pluſquam 8000.

Caius Cæſar Auguſti filius adoptivus.

Teſtamentū [...]dis cō[...] Auguſtus.

40. Ita fratres in Judæam circa Auguſtum Septembrémve reverſi, Regnum patris tripartito rexerunt. Regni tamen ſui annos non ab Auguſti confirmatione, ſed à Patris exceſſu ſupputarunt. præſertim cùm in patris teſtamento nihil Auguſtus immutaſſet. Ita regnavit Archelaus ad annum uſque decimum, quo in exilium, Viennam Galliæ pulſus: ut ibi reddam. Philippus ad annum uſque triceſimum ſeptimum, quo morte quietâ ſolutus. Antipas ad annum uſque quadrageſimum, Caligulæ primum: à quo cum pellice Herodiade, fratris ſui uxore, eadémque nepte ſuâ, Lugdunum Galliæ relegatus eſt; inde quoque in Hiſpaniam Caligulæ advenientis metu, tranſgreſſus.

41. CÆTERUM tribus iſtis fratribus in Judæam reducibus, Chriſtum jam bimulum reduxit ex Ægypto in Judæam Joſephus ejus nutricius, ut Matthæus cap. 2. ỿ. 19. & ſeqq. monente Angelo, *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri.* Nempe Herodes pater, Antipater filius, & ſimiles, ſibi à novo Judæorum Rege Meſſiáve timentes. Ioſephus accepto puero & Matre ejus *venit in terram Iſraël. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode patre ſuo, timuit illo ire. Et admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth.* In Ægypto Chriſtus ab exeunte Februario, reliquos anni Iuliani quadrageſimi ſecundi menſes, & ſequentem annum 43. exegerat. quo & Herodes Infanticida paulò ante Paſcha miſeram animam expuerat. A Paſchate ejus anni ad menſem ferè Septembrem Romæ inter fratres Hæredes Teſtamenti Tabulæ coram Auguſto examinatæ fuerant. eóque Ioſephus in Ægypto iſta audiens, reditum diſtulerat; donec litis exitum certiùs acciperet. Rebus jam compoſitis, & fratribus in ſuâ Tetrarchiâ pacatè agentibus, Angeli monitu jam iter occœperat. cum ecce Iudæam ingreſſurus, Archelaum Hieroſolymis regnare cognoſcit. eum ergo paternæ crudelitatis & zelotypiæ hæredem prudenter timens; à Iudæâ in Galilæam ſecuriùs vertit. non pari à Galilææ ac à Judææ Tetrarcha metu: quando Chriſtus non Galilææ, ſed Judææ Rex à Magis atque Prophetis appellaretur. Nazarethum ergo vicum obſcuriorem, uxoris natale ſolum contendit, ibique ad tot annos ſe abdidit. Biennium igitur exilii ſui Ægyptiaci non totum implevit Chriſtus, ab expirante Februario anni Juliani 42. ad Ianuarium anni quadrageſimi quarti patrio ſolo extorris. Quæ eſt antiquorum plurium ſententia, Scripturæ ſenſui maximè obvia.

Chriſtus [...] ex Ægypto redu[...]

Biennale Chriſti exilium.

Atque hæc de Chriſto nato & infante dicta, pro inſtituto noſtro, ſufficiant. Nunc quid interim Romæ Auguſtus cum ſuis, ac Caio Nepote præſertim, quid cum Belgis noſtris egerit, videndum. Caii certè Cæſaris juvenis, & Chriſti actiones benè contrariæ.

CAPUT VII.

Phraatis Parthorum Regis mors, ſuccedit filius Phraataces. Iuliæ Auguſti filiæ relegatio. Caii Cæſaris F. in Orientem apparatus.

Anno U.C. 751. Iulian. 43. Chriſti 2. & 3.

1. CAIUM Cæſarem Auguſti ex filiâ nepotem mox etiam filium adoptivum ſuprà, quamdam Incarnationis Chriſti umbram Romæ geſſiſſe demonſtravi. Nunc quid in Chriſti infantia Orienti præpoſitus in Iudæa Syriaque geſſerit, quam diverſus à Chriſto extiterit, videre, ſimul noſtram Chronologiam confirmare, & Intercurſantia Belgica permiſcere, conſilium eſt.

2. Quo

Annus adhuc Julianus 43.

Phraates Parthorum Regis cędes.

Ioſephus l. 18 cap. 6.

2. Quo anno Herodes impiam animam expuit, Chriſti 2. Iuliano 43. eodem ferè ut docebunt ſequentia, Phraates Parthus regni vetus, à filio Phraatace (quaſi Phraatem parvum ſeu Phraatulum dicas) regno ſimul & vitâ exutus eſt: nempe quod ipſe patri fratribuſque jam annos ante ferè 35. fecerat, æquâ menſurâ mercedem recipiens. adeo redit in auctorem ſcelus. Ioſephum unicum rei teſtem audiamus. *Eodem tempore Phraates Parthorum Rex, per inſidias à Phraatace filio ſublatus eſt, hujuſmodi causâ. Phraates legitimos habens liberos, ancillam Italici generis Thermuſam nomine, inter cetera dona ab Auguſto* (ſic enim reponendum pro *Julio Cæſare*) *miſſam, primum in concubinarum numero habuerat. Procedente deinde tempore obſtupefactus praecellenti mulieris formâ, ſuſcepto jam ex eâ Phraatace filio, legitimo thoro eam ſibi conjunxit. Quæ cùm quidquid vellet Regi perſuaderet, cogitans filio ſuo Parthorum Regnum adſtruere; nihil ſe effecturam intellexit, niſi legitimi Phraatis filii prius ablegarentur. Marito igitur perſuadet, obſides eos ut Romam mitteret. idq́; illi ſine cunctatione faciendum fuit. patre Thermuſæ voluntati prorſus obnoxio.* anno ſcilicet ante hunc 7. Iuliano 36. ante Chriſtum natum ſexto, *tum Phraates vocatô in colloquium Titio, qui per id tempus Syriæ præerat*, ait Strabo, ſuffragante Epitoma Livii 39. *quatuor ei filios legitimos obſides tradidit, ſeditionem metuens, & ne ſibi inſidia ſtruerentur.* ut in annalibus noſtris diximus. ei conſormis Tacitus annali 2. *Phraates*, inquit, *quanquam depuliſſet exercitus Ducesq́; Romanos, cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat, partémque prolis firmandæ amicitiæ miſerat: haud perinde noſtri metu, quàm fidei popularium diffiſus.* Ita illi Ioſepho conformes: qui pergit:

Strabo l. 16. Epitome Livii 39. Tacitus ann. 2.

Phraataces Parthus parricida à ſocietate Romanâ deficit.

3. *Interea Phraataces ſolus domi ad Regnum educabatur. Sed tædioſum ratus expectare, dum à patre decedente principatum acciperet, cum matre contra eum conſpirat, cum quâ creditus eſt etiam ſtupri habere conſuetudinem. Ergo patrem cum illâ perimit, parricidio utriuſque parentis immani ad matris inceſtum adjecto.* Nec eo contentus, juventute juxta ac ſcelerum conſcientiâ væcors, primùm *à ſocietate Romana*, quam adeo coluerat pater, *deſciſcit; tum etiam adjicit Armeniæ manum*, ait Velleius, novum Parthorum Regem, & à Phraate ſeniore Auguſtum venerante diverſum, ſatis innuens, annis ferè tribus poſtquam Rhodum ſeceſſiſſet Tiberius; uno toto ante Martis Tēplum ab Auguſto 13. Conſule Kalendis Auguſtis dedicatum, Iuliano 44. ut ibi oſtendam. Nam tunc Cajum Cæſarem in Parthos deſtinatum canit Ovidius de Arte l. 1. v. 177. Erat Armeniis paulò antè *juſſu Auguſti impoſitus Artavaſdes*, ait Tacitus annalis 2. inino (quem eclogæ Dionis Urſinianæ *Artabazum* appellant) *& non ſine clade noſtrâ dejectus*; ſive à Phraatace ipſo novo Rege Parthorum, quietis impatiente, & Auguſti mancipium (ut vocabat) non ferente, eóque Tigranem quemdam tertium, ejus loco intrudente: ſive ipſo Tigrane in Artavaſdem prius inſurgente, opemq́ue à novo Parthorum Rege implorante. Dejecto Artavaſdi Auguſtus perfugium fuit. quando ejus intereſſeat illum tueri qui impoſuerat. Fuit hic primus à Chriſto nato tumultus: ſed quia Româ procul, & necdum huc uſque tantus; Jani portas Romæ non reſeravit. *Tum tamen* (pergit Tacitus) *Caius Cæſar componendæ Armeniæ deligitur*: ab Auguſto. anno Iuliano 44. Phraatacis ferè 2. ſaltem ineunte; Chriſti noviſſimè nati tertio.

Vell. l. 2.

& adjicit Armeniæ manum.

Reges Armeniæ. *ex Tacit. ann. 2.*

4. *Armenia quippe Parthorum inter & Romanas opes infida erat* (ſemper verba Taciti) *ob ſcelus M. Antonii. qui Artavaſdem Regem Armeniorum*, ejus nominis primum, *ſpecie amicitiæ illectum, dein catenis oneratum, poſtremò interfecerat. Ejus filius Artaxias memoriâ patris nobis infenſus, Arſacidarum* ſeu Parthorum *vi, ſeque regnúmque tutatus eſt. Occiſo Artaxia per dolum propinquorum, datus à Cæſare* Auguſto *Armeniis Tigranes, deductusq́; in regnum à Tiberio Nerone.* anno Iuliano 27. ante hunc 16. *Nec Tigranis diuturnum imperium fuit, neque liberûm ejus, quanquam ſociatis more externo in matrimonium regnumq́; dein juſſu Auguſti impoſitus Artavaſdes*, qui & Artabazus. E quatuor ecce Regibus, duo à Romanis, Tigranes 2. & Artavaſdes item 2. impoſiti; duo item à Parthis Artaxias & Tigranes 3. Ita Armenia Parthos inter & Romanos, ut dixi, infida, jam ad hos jam ad illos ſe ſubtrahebat. & tamen eam *Pompeius* (ait Florus) *in hoc unum ſervitutis genus aſſuefecerat, ut Rectores à nobis acciperet. Intermiſſum ſeu interruptum ergo jus per hunc Caium recuperari placuit.* quæ tamen expeditio nonniſi anno ſequenti decreta. ſorteque eſt ante alterum annum ſuſcepta.

Verba Tacit. ann. 2.

Florus l. 4. cap. ult.

5. Anno igitur Juliano 44. Chriſti tertio Auguſtus XIII. Conſul Lucium naturâ nepotem, adoptione quoque filium, ut triennio antè Caium fratrem, pari ſolennitate ac prærogativa deduxit in forum, annum æquè 15. agentem: utq́ue Conſulatum poſt quinquennium iniret, Senatuſconſulto obtinuit. Monumentum Ancyranum. Suet. Aug. c. 64. Dio l. 55. Ita Auguſtus Orbis Romani Imperator nullo non honoris genere ſuos extollebat, cùm Unigenitum ſuum Deus Pater omnipotens nullâ non demiſſionis ſpecie deprimeret. Dei adeo hominumq́ue conſilia diſparata. Sed dum adoptivos ille ſuos exaltat, immanè quantum à Juliâ verè filiâ dejectus eſt. De qua jam dictum eo.

Annus Chriſti tertius, Julian. 44. Lucius Cæſar in forum ab Auguſto deductus, togam virilem induit.

Lapis Ancyranus. *Suet. Dio.*

6. Nam *in Vrbe* (ait Velleius) *eo ipſo anno, quo magnificentiſſimi gladiatorii muneris, naumachiaq́; ſpectaculis D. Auguſtus, abhinc annos triginta* (nempe ab anno Juliano 75. quo Velleius ſcribebat) *ſe* (13.) *& Gallo Caninio* (ſuffectò) *Conſulibus* anno 44. Juliano vergente, Chriſti tertio, *dedicato Martis templo* (& quidem Kalendis Auguſti, ſi veteri Kalendario Romano, & Dionis libro 60. fides eſt) *animos oculóſque populi Romani repleverat; fœda dictu, memoriáque horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit.*] de qua antequā plura dicam, juvat Ovidium Libro de arte amandi primo, verſu 171. & ſequentibus audire. Nam his planè diebus eos edidit.

Varia Auguſti ſpectacula Romæ edita.

Martis templum dedicatum.

Quid modò cum belli navalis imagine Cæſar,
Perſidas induxit Cecropidaſque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ
Venêre, atque ingens Orbis in urbe fuit.

Belli navalis ſpectaculū.

Cùm dicit *modò*, libros hoſce de Arte eodem ſaltem menſe publico dediſſe ſe planè ſignificat. Nempe hujus anni Juliani 44. menſe Auguſto, vel ineunte Septembri. certè antequam Iulia in exilium hoc eodem anno ſeneſcente relegaretur: ut mox. Quomodo enim Ovidius infames iſtos, licèt elegantes libros, & fornicandi artem edere auſus eſſet, rectè cùm filiam infamem tanto ſuo pudore projicere cogebatur Auguſtus? Sanè decennio pòſt non Iuliam tantùm neptem, hujus filiam, paribus adulteriis infamem, ſed & cum eâ Ovidium ipſum ob iſtos libros jam veteres ac ferè exoletos Tomos in exilium projecit: & cum Iuliâ filiâ non projeciſſet? Omnino ante ejus ejectionem, Octobrem inter ac

Ovidius libros de Arte edit.

Paulò ante Juliæ adulteria detecta.

Decem-

Decembrem, Artem hanc editam oportet, ſi hoc ipſo anno, ut ſciſcit Velleius, Iulia relegata. His ergo diebus libros iſtos edidit Ovidius: decreto de Caii in Parthos expeditione jam facto.

(margin: ...itera ante Caii Cæſaris in Parthos expeditionē. Ovid. l. 1. de Arte.)

7. Nam ita ſubdit:

ECCE parat Cæſar domito quod deſuit Orbi
Addere. Nunc Oriens ultime noſter eris.
Parthe dabis pœnas: Craſſi gaudete ſepulti,
Signáque barbaricas non bene paſſa manus.
Victor adeſt, primiſque ducem profitetur in annis
Belláque non puero ª tractat agenda puer.
Parcite natales timidi numerare Deorum:
Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit, & ignava fert mala damna mora.
Auſpiciis annisque patris ᵇ puer, arma movebis,
Et vinces annis auſpiciíſque patris.
Tale rudimentum tanto ſub Principe debes:
Nunc Juvenum Princeps, deinde future Senum.
Cùm tibi ſint fratres, fratres ᶜ ulciſcere læſos.
Cúmque pater tibi ſit, jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor ᵈ patriæq́; tuúſque;
Hoſtis ab invito Regna ᵉ parente capit.
Tu pia tela feres: ſceleratas ᶠ ille ſagittas:
Stabit pro ſignis júſque piúmque tuis.
Vincuntur Parthi cauſa, vincantur & armis,
Eoas Latio dux meus addat opes.
Márſque pater, Cæſárque pater date numen eunti,
Eſt Deus è vobis alter, & alter erit.
Auguror, en vinces; votiváque carmina reddam,
Et magno nobis ore canendus eris.
Conſiſtes, aciémque meis hortabere verbis.
O deſint animis ne mea verba tuis.
Tergáque Parthorum, Romanáque pectora dicam,
Teláque ab averſo, quæ jacit hoſtis equo.
Quid fugis ut vincas? Quid victos Parthe relinquis?
Parthe malum jam nunc Mars tuus omen habet.
Ergo erit illa dies, quâ tu pulcherrime rerum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis.
Ibunt ante Duces oneraſi colla catenis
Ne poſſint tuti quâ priùs eſſe fugâ.

(margin: a Puer, quia tunc adhuc annorū 18. erat Caius. b Cæſar Octavianus pater adoptivus Caii, arma movit an. ætatis 19. c Fratres intelligit Phraatacis, ab ipſomet cum patre cæſos. d Auguſtus dictus Pater Patriæ, ut & pater Caii hujus adoptivus. e Nempe Armeniam. f Sceleratas, quia imbuta erāt ſanguine patris & fratrum.)

Hucuſque Ovidius Romæ teſtis oculatus, 42. ætatis ſuæ anno, Chriſti tertio. utinam tam caſtè ubique, quàm eleganter. Feliciùs certe tam lætum ac fertile ingenium ad diviniores Chriſti recens nati, veréque ſacri Cupidinis amores tráſtuliſſet, ſi notum & æquè earum habuiſſet. Interim his omnibus certò docet, hoc tempore & Phraatem ſeniorem Phraatacis filii impio gladio cecidiſſe, & Caium nepotem, paulò ante detecta Juliæ propriæ matris adulteria, in Parthos expeditionem procinctumque parare cœpiſſe.

(margin: Julia Auguſti filia unica, adulteriis infamis. Vell. l. 2.)

8. In iſto igitur apparatu ſanè glorioſo, Auguſto Cæſari tam læto, *Fœda dictu* (ait Velleius) *memoriáque horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit. Quippe Julia ejus filia*, Caii Cæſaris illius mater, *per omnia tanti parentis ac viri* (Tiberii tum Rhodi agētis) *immemor, nihil, quod facere aut pati turpiter poſſet femina, luxuriâ, libidine infectum reliquit. magnitudinemq́; fortunæ ſuæ, peccandi licentiâ metiebatur; quidquid liberet, pro licito judicans.* Vell.] annum licèt ageret ætatis 38. teſte Macrobio, l. 2. Saturn. c. 5. & Suet. Aug. cap. 65. *Dedecus iſtud impatientiùs quàm ſuorum mortem tulit Auguſtus. Nam de filia abſens ac libello per Quæſtorem recitato, notum Senatui fecit. abſtinuitq́; congreſſu hominum diu, præ pudore, etiam de necandâ deliberavit. Certè cùm ſub idem tempus una ex conſciis liberta, Phœbe, nomine, ſuſpendio vitam finiſſet. Maluiſſe ſe, ait, Phœbes patrem fuiſſe.* Suet.] Verùm, ut rectè Tacitus, *In nullius unquam ſuorum necem duravit Auguſtus.*] eam igitur (ait Velleius ſuprà) *relegavit in inſulam* (Pandatariam, addit Dio, *quæ ad Campaniam ſita*; in alto mari Pontiâ haud procul disjunctam, addit Strabo) *patriæq́; ac parentum ſubduxit oculis. Quam tamen comitata mater Scribonia, voluntaria exilii permanſit comes.* ex adulteris porro ejus, rurſum Velleius. *Julus Antonius* Marci Triumviri è Fulvia filius, *ſingulare exemplum clementiæ Cæſaris, violator ejus domus, ipſe ſceleris à ſe commiſſi ultor fuit. Quinctiusq́; Criſpinus, ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, & Appius Claudius, & Scipio* (omnes ſuis annis Conſules) *& Sempronius Gracchus, aliiq́; minoris nominis, utriusq́; ordinis viri, quaſi cujuſlibet uxore violatâ pœnas pependere, cùm Cæſaris filiam, & Neronis violaſſent conjugem*] Iſtud tum fuit Imperatoris terreſtris opprobrium. Quanto purior Deiparæ, ejusque ſponſi gloria? quæ hujus ejuſdem anni primordio, ab Ægypto, quo ab Herodis facie ſe ſubduxerat, reducta, pacatiſſimè ſanctiſſiméque Nazarethi cum filio, cùm tribulationes æqua toleraret, non ſupervixit modò, ſed & cœlo terráque gratior inclaruit.

(margin: Tacitus. — Julia in Pandatariam inſulam relegata. Strabo l. 2. & 5. Dio l. 55. — Juliæ adulteri.)

9. Ceterum non omittendum quod hîc ad rem maxime noſtram addit Dio: *Multis etiam aliis mulieribus ob ſimilem adulteriorum culpam delatis, non omnium cauſas judicandas ſuſcepit; ſed tempus certum nominavit, ante quod ſi quæ acta eſſent, de iis inquiſitio nulla fieret. Ita aliis parcendum duxit, qui in filiam nihil mediocre ſtatuiſſet.* Quis non videt hîc Quirinii ſeu Cyrini noſtri Evangelici conjugem Lepidam indicari, & eodem temporis ſynchroniſmo, & criminis æqualitate ſtigmoſam? Nam & eam ſeu hujus anni fine, ſeu ſequentis exordio, ob paria adulteria, venena, partusque ſimulationem, non relegatam quidem, utpote majore Auguſti, quàm hîc Dio notat, indulgentiâ toleratam, tantùm repudiavit Quirinius: & quidem *ante vigeſimum* quam illam in exilium novâ delatione projici curaret, *annum*. ab Iuliano 65. retro hucuſque ſupputatum; ut ſupra in ejus vita fuſiùs deduximus. quam tu hîc tibi repræſenta. *Juliam porro uxorem* (ait in ejus vita Suetonius c. 11. *compertt Tiberius* (Rhodi adhuc agens, *ob adulteria damnatam, repudiumq́; ei ſuo nomine, ex auctoritate Auguſti remiſſum. & quanquam lætus animo, tamen officii duxit, quantum in ſe eſſet, exorare filia patrem frequentibus literis; & vel utcumque meritæ, quidquid unquam dono dediſſet concedere.* credo quod reditum iſto ſperaret officio; tranſacto præſertim unà cum hoc anno Tribunitiæ poteſtatis ſuæ tempore quinquennali. Sed ultrò admonitus eſt dimitteret omnem curam ſuorum, quos tam cupidè reliquiſſet. Ita in Imperatoris familia nihil niſi triſtes exiliorum umbræ regnabant, cùm in Chriſti Regis æterni domuncula caſtitas & pax altiſſima regnaret. Sed jam ad Caii in Orientem iter; jucundum quippe ſtatum urbis & orbis Chriſto naſcente & adoleſcente cognuſcere: maximè cùm Eccleſiaſtica quoque, & eorum primas origines narrare inſtituamus.

(margin: Dio l. 55. Plures aliæ adulteræ, in quibus etiā Lepida Quirinii uxor. — Suet. Tib. c. 11. — Suet. Aug. c. 65.)

CAPUT VIII.

Caii Cæſaris in Syriam iter. Anni à Chriſto nato vulgares, ſeu Dionyſiani. Levis in Germaniâ motus repreſſus.

Annis Iulianis 45. & 46. Chriſti 4. & 5.

ANNUS U.C. 753. Julian. 45. Chriſti nati 4

1. ANNO Iuliano 45. U. C. Varroniano 753. Chriſti 4. ſuam demum in Orientem Caius ſuſcepit expeditionem; tanto opinor, libentiùs, quanto longiùs à Iuliæ matris abſcedebat infamiâ. Nam ſtatim ejus relegationem quæ in anni prioris exitum incidit; iter illud excepit. Velleius: *Breve ab hoc* (Iuliæ exilio) *intereeſſerat ſpatium cum Caius Cæſar antè aliis provinciis ad ſe dandum* (ſive ad viſendum) *obitis, in Syriam miſſus eſt.* Paulò fuſiùs Zonaras. haud dubiè, ut ſolet ex Dione, ex quo adhuc integro ſua excerpſit: *Cum Armenii defeciſſent, & à Parthis juvarentur; eáre dolens Auguſtus, quid ageret anxius erat. Nec enim ipſe propter ſenectutem* (annum agebat ætatis 62.) *bellum gerere poterat: Tiberius jamdiu ſeceſſerat; nec alium è potentioribus mittere audebat* (imò nè ipſum quidem Tiberium licèt hoc anno privatum, ſed ſuſpectum) *Caius verò & Lucius* (Cæſares) *adoleſcentes & rerum imperiis erant. Verum neceſſitate urgente, Caium delegit: poteſtate Proconſulari, & uxore ei datâ: ut ea quoque re dignitas ejus augeretur, & conſiliatiis ei adjunctis.* Fuit ea Caii uxor Livia ſeu Livilla, Druſo & Antoniâ minore genita, Germanici ſoror, ex quâ Caius nihil liberorum tulit. Conſiliarii autem plures, credo, fuerunt: nunc obſcuri. Duo clari ſunt & certi, è Romanorum illius ævi primatibus, *M. Lollius*, anni Iuliani 25. U.C. 733. Conſul, legionum Rhenanarum in Germania Inferiore ante annos 15 præfectus, ut ibi dixi: *quem filii ſui moderatorem eſſe voluit Auguſtus*, ait Velleius: tum P. Sulpitius Quirinius, & ipſe anni Iuliani 34. U. C. 742. Conſul ordinarius, Lepidâ uxore infami propudio his rectè diebus exſolutus, Lollio non multo poſt in Caii moderatione ſuffectus, ut ſuo anno reddam.

Vell. l. 2.

Caius Cæſar abit in Orientem; cum conſiliariis, & uxore ductâ.

2. His & aliis adjutoribus Caius in Orientem adverſus Parthos & Armenos Româ diſceſſit, anno ætatis ſuæ decimonono, ſeu vere, ſeu autumno hujus anni Iuliani 45. quando prioris anni finem videtur occupaſſe Iuliæ matris relegatio; poſt quam, *brevi licèt intervallo*, eum diſceſſiſſe ſcribit disertè Velleius. *Nepoti exeunti Auguſtus fortitudinē Scipionis, gratiam Pompeii, & ſuam fortunam optavit*, ait Plutarchus. Opinor, ut ſicut Auguſtum ipſum ad Monarchiam fortuna provexerat, ita & filium oraculi illius compotem faceret, *quo Judæâ profecti rerum potiturі* dicebantur, ut è Tacito Suetonióque ſuprà vidimus. Simul occaſione Infanticidii & Chriſti, multa de hoc novo Rege prædicto inaudierat, quæ in Caium filium verti poſſe credebat. *Iter igitur ille ingreſſus* (ait è Dione Zonaras) *ab omnibus ut Imperatoris nepos ac potius filius, honorificè exceptus eſt.* Nec rectâ proceſſit: *alias antè Provincias ad ſedandum obiit*, ut modò Velleius: Legiones etiam ad Imperii limitem excubantes varias adivit. Sic enim eclogæ Dionis nuper ab Henrico Valeſio Pariſiis editæ: *Caius Cæſar legiones, quæ ad Iſtrum caſtra habebant, pacis more obiens, ſpectavit. Bellum enim ab eo nullum geſtum: non quod nullum ingrueret* (tranſiſtrianis nempe ſemper incūbentibus) *ſed quia ipſe quidem in ſummâ pace ac ſecuritate, principatus artes diſcebat, belli autem diſcrimina aliis mandabantur.* Adverto ſimile a Germanico Cæſare in Orientem iter annis poſt hunc octodecim ſuſceptum, & a Tacito narratum; iiſdem ferè veſtigiis inſtituiſſe; nam & per Illyricam oram & Dalmatiam, Hadriaticum Ioniúmque mare Nicopolim Achaiæ illum perveniſſe, ibique hyemaſſe, & 2. Conſulatum iniiſſe Tacitus refert. Caius hic per Illyricum etiam ad Iſtrum ecce tranſiit, ad Dalmatiæ credo Mœſiæque legiones.

Plutarchus de fortunâ Romanorū.

Dionis Ecloga Peireſciana.

Tacitus Annali 2.

3. Inde quo verterit, obſcurum eſt. ſuſpicor Danubio ſive Iſtro ſecundo in Pontum defluxiſſe. Innuit id quidem Velleius Caii in hoc itinere comes, cùm ſcribit, *Tribunum ſe jam antè militum, non in Thraciâ modo Macedoniaq., mox Achaiâ Aſiâque; ſed & omnibus verſum Orientem provinciis; item ore, atque utroque maris Pontici latere, ad Euphratem uſque* peregrinatum eſſe. Caius ergo Pontici maris os inierit, latus utrumque ſtrinxerit (quod & Germanicum feciſſe tradit ſuprà Tacitus) & per Helleſpontum in mare Ægæum progreſſus, Chium tandem Samumque tenuerit, ibique hyemarit, & anni proximè ſequentis Iuliani 46. Kalendis Ianuariis Conſulatum Sami (patris quondam exemplo) inierit, collegâ Romæ ſororio ſuo L. Æmylio Paulo. Lentum quippe ejus iter reddebat frequens comitatus, ac molle præſertim gynecæum, quod junior ac tenera ejus uxor Livia ſecum trahebat; ſimul ab omnibus conjuges iſti, ut Auguſti filii ac hæredes miris ac prolixis honoribus excipiebantur, tantâ toties ideo remorâ. *In Samum* certè (ſeu ut Dio) Chium, *ejus viſendi gratia* (ait Suetonius Tib. cap. 12.) *Rhodo trajecit Tiberius; privatus* tum: *tranſacto* ſub anni hujus initium *Tribunitia poteſtatis ſuæ quinquennalis tempore. Ibi eum alienorem ſibi ſenſit, ex criminationibus M. Lollii comitis & Rectoris ejus.* Falsò igitur & adulatoriè ſcribit Velleius, *Caium prius conveniſſe Tiberium, cui etiam omnem honorem ut ſuperiori habuerit.* Nam præter Suetonium hic, tradunt è Dione quoque Xiphilinus ac Zonaras, *Tiberium cùm Chium* (è Rhodo) *trajeciſſet, adoleſcentem ſtudioſè coluiſſe: humilem quippe* (aiunt) *ſe gerendo, purgandoq. ſuſpiciones, non tantum Caio, ſed etiam comitibus ejus ſe ſubmittebat.* Inter comites iſtos erat & *Quirinius* ſeu *Cyrinus* noſter evangelicus: cujus anno poſt hunc 21. mortui *Laudavit in Senatu erga ſe officia Tiberius*, ipſe tunc Imperator *menſato Lollio, quem auctorem Caio Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat.* Erat tum Tiberius abjectus, & Romam redire, tametſi poſtulaſſet, ab Auguſto prohibitus. quid privatus & contemptus in filium Auguſti, tunc florentiſſimum, Proconſulem Orienti toti prępoſitum, auderet? Nec tantùm ipſi, ſed & comitibus ipſius ſe ſubmiſit.

Caius Cæſar in Pontum Euxinum Iſtro defluit.

Chium in Ægæo Samumque tenet.

ANNUS U.C. 754. Julian. 46. Chriſti 5.

Suet. Tib. cap. 12.

Ibi eum convenit Tiberius è Rhodo.

4. Hoc eodem anno Juliano, expirante, quo Chriſti nati quintus inibat, initium quoque ducit Æra ſive Epocha Chriſti vulgaris, hodiè ab Eccleſia Romanâ & Occidentali paſſim uſurpata: Dionyſiana dicta ab ejus propagatore, ſi non & interpolatore Dionyſio exiguo, origine quidem Scythâ, ſed Romano Abbate, qui quingentis triginta ferè poſt hunc annis ſub Juſtiniano Imperatore florens, Caſſiodoro coævus ac familiaris, Cyclo ſuo Paſchali, quem ex

Cum Anno à vera Chriſti Nativitate 5. incipit Æra Chriſti vulgaris ſeu Dionyſiana, quâ hodie utimur. Vide Petavium & alios.

Alexandrinorum placitis præter Latinorum veterum rationes tum condebat, annos à Chriſti Incarnatione ſeu Nativitate præfixit, expunctis Diocletianeis, quibus Alexandrina Eccleſia pridem utebatur. eſt iſta quidem Æra, ut hîc vides, quatuor totis annis verâ Chriſti Nativitate tardior, quam nos à 25. Decembris, anni Juliani expirantis 41. ſolidis quatuor ante hunc annis deduximus; tot characteribus hiſtoriæque ſerie alibi firmavimus, magisque in ſequentibus firmabimus. Nec illam ſtatim uſurpavit Eccleſia Romana, Cyclis eam Paſchalibus Dionyſianis, ſeu Alexandrinis, quos & ipſa multò pòſt admiſit, affixam privatim reliquit, & ſine examine curáve toleravit. donec longo ducentorum ferè poſt annorum uſu, à Cyclis iſtis privatis, in publicam Eccleſiæ ſupputationem ſenſim ſine ſenſu, Caroli Magni maxime tempore, ſubrepſit, ac diſſimulatione coaluit. Erant ea tempora, quibus barbaræ nationes Occidenti ferè toti ſuperfuſæ, liberalium artium ſtudia reſtinxerant, rarus Aſtronomiæ, rarus Hiſtoriarum, ceterarumque ſcientiarum uſus: ſcientia penes Eccleſiaſticos ac Monachos reliqua qualiſcumque erat; libri niſi in eorum Bibliothecis fere nulli: quorum adhuc cognitio ab iis unis emanabat. Ita illis cum Cyclos iſtos Paſchales annis Chriſti Dionyſianis notatos ſuſtinerent, ſoli ferè cognoſcerent, facile fuit Æram iſtam in vulgus inducere: nec vulgus, aut Eccleſia reliqua illos ad Lydium exigere lapidem magnopere curavit. & accedens ſæculorum inſecutorum curſus certam antiquitatis auctoritatem affudit, vixque ante ætatem hanc noſtram iſte 4. annorum defectus oboluit. Neque verò illa propterea abolenda; quando nihilominus tantas artificio ſuo utilitates hucuſque protulit: neque aboleri ſine mirâ temporum confuſione rerumque perturbatione facile poſſit. Sufficiat nobis ſcire, quatuor eam annis veram Chriſti Epocham morari, & qui illi primus eſt, veræ huic noſtræ eſſe quintum, qui ab 25. Decembris anni Juliani 45. ad eumdem diem inſequentis 46. producitur. Quod & in ſequentibus ſemper uſurpabo, ſæpè monebo.

Annus U. C. 754. Julian. 46. Chriſti non quintus ver. Dionyſ. 1.

5. Anno igitur Juliano 46. Chriſti autem quinto vero, Dionyſiano ſeu vulgari primo, Conſulatum Sami Caius Cæſar, L. Paulus Æmylius Romæ quantum perſpicio ſuſceperunt. Samo Antiochiam profectus videtur Caius ſeu terrâ per Aſiam, ſeu mari per Rhodum & Ciliciæ litora, quod & feciſſe Germanicum notat Tacitus ſuprà. Ibi, ſi non etiam antè, obnoxios Romanis occurriſſe, adventumque gratulatos Reges, ego quidẽ non dubito: Cappadocem Archelaum, Samoſatenũ, Antiochũ novos Judæorum Tetrarchas, Archelaum, Antipam, atque Philippum fratres, Aretam Arabem & ſimiles; Varum item Syriæ hucuſque Præſidem; quem an ſecum retinuerit, an dimiſerit, nondum comperi. Alii Caio obſequia ſua de more detulerint, omni deinceps officio coluerint. Ita totius ferè Orientis humeris in Syriæ poſſeſſionem inductus, rerum habenas capeſſere cœpit. *In quo*, ait Velleius, *tam varie ſe geſſit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat.* Militem ante omnia in Parthos Armenósque paraſſe, pronum eſt ſuſpicari; Regulis auxilia offerentibus. quâ in re præſens annus effluxerit: quando à Parthis & Armenis, pacem affectantibus, nihil tunc tanti metus.

Antiochiam tandem venit Caius Cæſar.

Ejus metu Parthus pacem petit. Urſiniana Dionis eclog.

6. Nam, ut Urſinianæ Dionis eclogæ, & ejuſdem epitomator Xiphilinus, *tum Caii expeditionem Parthi famâ accepiſſent, Phraates* (qui paulò ante Phraataces) novus *Parthorum Rex literas ad Auguſtum miſit: culpam eorum quæ facta fuerant à ſe removens; ſimul fratres* (Romæ, opinor, ejus matriſque dolo obſides) *de pace ſolicitans. Auguſtus ei reſcribens, Phraatem tantummodo nominavit. quinimo Regis eum titulum deponere* (quem fratribus nempe rapuerat) *Armeniáque cedere juſſit. Quâ re adeò nihil territus eſt Phraates, ut etiam reſcriberet arroganter; ſeq. Regem Regum, illum tantummodo Cæſarem appellaret. Tigranes verò* (intruſus Armeniorum Artavaſde pulſo Rex) *non ſtatim legatos miſit. ſed cùm deinceps Artabazus* (qui & Artavaſdes) *morbo extinctus eſſet, dona miſit Auguſto, velut adverſario de medio ſublato: tituléque regio literis haud inſcripto, Regnum abs eo petiit. Auguſtus his adductus, & bellum præterea Parthicum veritus, & ea munera accepit, & bonâ eum ſpe Tigranem in Syriam ad Caium proficiſci juſſit.* Regnum tamen non impetraſſe, ſequentia docebũt. Ceterùm his aliiſque literis ac legationibus Romam mittendis remittendiſque, præter alias ex diverſis conſiliis iteratas, non reliquum modò hunc annum, ſed & ſequentem abſumptum, prona conjectura eſt Caium quidem ante ſecundum abhinc annum pacem cum Partho non concluſiſſe, ibi ex Seneca aliiſque videbimus.

Tigranes Armeniæ Rex.

7. Ad hunc item annum Iulianum 46. Chriſti 5. pertinet ſuperſtes apud Gellium Auguſti ad Caium hunc nepotem filiumque ſuum Epiſtola: *Nono Kalendas Octobres* Romæ data: *Ave mi Cai, meus ocellus jucundiſſimus; quem ſemper medius fidius deſidero, cùm à me abes: ſed præcipuè diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt Caium meum, quem, ubicumq; hodie fuiſti, ſpero lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides,* χλιμακτῆρα *communem ſeniorum omnium, tertium & ſexageſimum evaſimus. Deos autem oro, ut mihi quantumcumque ſupereſt temporis, id ſalvis nobis traducere liceat, in ſtatu Reipubl. feliciſſimo:* ἀνδραγαθούντων ὑμῶν ϗ διαδεχομένων, ſeu *viriliter agentibus vobis, mihique ſuccedentibus.* Hactenus epiſtola. hoc anno U. C. 754. ætatis Auguſti 63 finito, & 64. ineunte data. ex qua diſcimus nihil hucuſque de Caio ſiniſtrum, nihil de Lollio inaudiſſe. licèt ubi Caius eſſet, ignoraret.

Auguſti ad Caium nepotem & filium epiſtola. Gellius l. 15. cap. 7.

8. Hoc denique anno ineunte, ſi non priore ſeneſcente, Germania Belgicæ noſtræ oppoſita, *amotis domitoris ſui* (Tiberii Rhodi agentis) *oculis rebellavit*, ait Velleius. quod bellum *ante triennium quam ab Auguſto Tiberius adoptaretur, exarſiſſe; & a M. Vinicio quibuſdam in locis geſtum, quibuſdam ſuſtentatum feliciter*, ſcribit: *eóque nomine decreta ei, cum ſpecioſiſſimâ Inſcriptione operum ornamenta triumphalia*: præter Conſulatum filio ipſius anno proximè ſequenti indultum. M. Vinicius iſte ipſe videtur qui ante annos 25. Germanos hoſce primùm compeſcuiſſe, ex Dione diximus. Sed de his nos ex profeſſo inferiùs. Tantùm hîc moneo, Pacem univerſalem tribus ante Chriſtum natum annis in Orbem inductam, propter hæc Germaniæ & Armeniæ bella, non tam ruptam, quàm modicè laceſſitam: eôque minimè recluſas ab Auguſto Jani fores; quas ad ſextum quóque poſthac annum obſeratas manſiſſe, ſuprà ex Oroſio Tacitóque, & rurſum infrà ex ſequentibus videbimus. mediis Imperii gentibus, longè pluribus atque periculoſioribus ſemper intactis, nihilque moventibus.

Ex Dione lib.

CAPUT IX.

Caii Cæſaris in Arabiam Iudæamq́; excurſus. Pax cum Parthis. Armenica expeditio. Mors. & cum puero Chriſto Parallela contraria.

Ab anno Iuliano 46. ad 49.

1. P. Vinicio Marci filio igitur anni proximi Jul. 47. Conſule, ut Velleius, qui eſt verus Chriſti ſextus, Dionyſianus ſecundus; Rhodo Tiberius in Urbem rediit, ait item Sueton. Tib. c. 13. 14. Nam *biennio fere jam privatus agebat, contemptior in dies & inviſior: adeò ut imagines ejus & ſtatuas Nemauſenſes* (in Gallia Narbonenſi) *ſubverterint: ac familiari quodam convivio* (credo in Syriâ) *mentione ejus ortâ, extiterit qui Caio polliceretur, confeſtim ſe, ſi juberet, Rhodum navigaturum, caputq́; exulis* (ſic enim appellabatur) *relaturum. Quo præcipuè non jam metu, ſed diſcrimine coactus eſt, tam ſuis quàm matris impenſiſſimis precibus, reditum expoſtulare. impetravitque adjutus aliquantum etiam caſu. Deſtinatum Auguſto erat, nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate majoris filii, Caii, ſtatuere. Is forte tunc M. Lollio offenſior, facilis exorabiliſque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio, revocatus eſt: verùm ſub conditione, ne quam partem curámve Reip. attingeret. Rediit octavo poſt ſeceſſum anno* (Suet.) ineunte ſcilicet, *cùm jam 7. annos* (completos) *Rhodi moratus eſſet*, ut ait Velleius. Unde intelligimus Lollium nondum Caii rectoratu demotum; nondum Parthicam expeditionem ab eo ſuſceptam, quâ primum Lollio amoto ſucceſſiſſe Quirinium videbimus. Tiberius *Romam reverſus* (pergit Suetonius) *deducto in forum filio Druſo* (tunc forte quindecenni, ſi non & ſedecenni, ut infra) *ſtatim è Carinis ac Pompeianâ domo, Eſquilias in hortos Mæcenatianos tranſmigravit: totúmque ſe ad quietem contulit, privata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers.* ſicut Rhodi jam antè fecerat; cùm tamen *Proconſules legatique illùc tranſeuntes* (ſi fides Velleio) *faſces illi ſuos ſubmitterent, faterentúrque otium ejus honoratius imperio ſuo.* Adeò ſcilicet *Philoſophia ſacrum quiddam eſt, & venerabile, ut etiam ſi quid illi ſimile eſt, mendacio placeat. Habet auctoritatem inertia quoque pertinax.* ait divinè Seneca Epiſtola 55.

Tiberius Rheno Romam redit.

Caius Cæſar in Arabiam.

2. In Syria igitur hujus adhuc anni 47. primordiis cum Lollio Rectore ſuo pacatus agebat Caius; nullius hucuſque belli motu. cum ſcilicet literis legationibúsve ex Artavaſdis ſeu Artabazi morte fortuitâ repetitis, Auguſtum ad pacem conantur inflectere Parthus & Armenus: à qua nec ipſe abhorrebat Auguſtus, *Bellum*, ut ait Dio, *Parthicum veritus*. Germanico novo maximè ſuperfundendum. Quare Caius ne Antiochiæ tempus otiosè tereret, verſus Arabiam, cujus jam pridem famâ ardebat, contendere inſtituit. Sic enim Plinius lib. 6. cap. 27 fin. *Dionyſium terrarum Orbis ſitus recentiſſimum auctorem ad commentanda omnia, in Orientem præmiſit D. Auguſtus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicáſque res, majore filio*, Caio. Mox: *In hac parte arma Romana ſequi placet nobis; Iubámque Regem* Mauritaniæ, *ad eundem Caium Cæſarem ſcriptis voluminibus, de eâdem expeditione Arabicâ.* Rurſum libro 12. c. 14. *Caius Cæſar Auguſti filius ex Arabia gloriam petiit.* Mox: *Iuba Rex iis voluminibus, quæ ſcripſit ad Cæſarem Auguſti filium ardentem famâ Arabiæ.* Tamen libro 6. c. 28. velut ſe explicans, *Romana arma*, ait, *ſolus in Arabiam adhuc intulit Ælius Gallus ex equeſtri ordine. Nam Caius Cæſar Auguſti filius proſpexit tantum Arabiam.* Hoc igitur anno (aut ſi fortè prioris autumno) Caius in Arabiam, ſaltem proſpecturus, excurrerit. ejuſque excurſus itu reditúve, contigerit haud dubiè. quod tradit Suetonius Aug. cap. 93. *Auguſtus non modò in peragrandâ Ægypto paulum deflectere ad viſendum Apim ſuperſedit; ſed & Caium nepotem, quòd Iudæam prætervehens apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudavit.* Quod Oroſius lib. 7. cap. 3. ſic interpolavit: *Poſtquam Redemptor Mundi Dominus JESVS CHRISTVS venit in terras, & Cæſaris cenſu civis Romanus adſcriptus eſt: dum per duodecim, ut dixi, annos clauſa belli porta beatiſſimâ pacis tranquillitate cohibentur; Caium nepotem Cæſar Auguſtus ad ordinandas Ægypti Syriæque provincias miſit. Qui præteriens ab Ægypto fines Palæſtinæ, apud Hieroſolymam in Templo Dei tunc ſancto & celebri adorare contempſit, ſicut Suetonius Tranquillus refert. Quod Auguſtus ubi per eum cognovit, pravo uſus judicio, prudenter feciſſe laudavit.* Ita Oroſ. Sed apud Suetonium, Ægypti peragratio non ad Caium, ſed ad Auguſtum pertinet. Nec auctorum veterum ullus, quod ſciam, initam à Caio Ægyptum memorat. licèt eam Germanicus poſtea inierit, teſte Tacito, neſcio an Caii Cæſaris imitatione: In Oroſio majorem ſubinde attentionem judiciumque deſideres. In Arabiam ergo cùm tenderet, aut inde rediret, Hieroſolymam inierit.

Suet. Aug cap. 93.

Hieroſolymam prætervehitur.

3. In illius porrò Templo cùm ſupplicare contempſit, patrem quoque Agrippam contempſiſſe ſe prodit. quem cùm Herodes *Hieroſolymam ex Aſia*, anno Iuliano 31. ante hunc 17. *perduxiſſet, & Agrippa occurrentibus populariter omnibus, amictu tultuq́; feſtivo, tum fauſtis acclamationibus exceptus eſſet* (quod & de Caio ejus filio hîc quoque præſumendum) *Deo Hecatomben immolavit* (tantum abeſt ut contempſerit) *epulum; populo præbuit.* ut Ioſephus Orig. l. 16 c. 2. Si ſuperſtes adhuc Herodes hoc anno fuiſſet, quâ pollebat auctoritate, & Auguſti ipſius amicitiâ, facilè Caium in patris Agrippæ exemplum induxiſſet; ſed neque Auguſtus contemptum iſtum filii collaudaſſet, tum ne ab officiis amicitiæ cum Herode diſcederet; tum verò quod in Iudæorum religionem non male affectus eſſet. ut alibi oſtendimus. Deum certè Iudæorum, Θεὸν ὕψιστον Deum altiſſimum appellaſſe, & ejus uxorem Liviam cæteras inter ancillas Acmen genere Iudæam habuiſſe, docent aliunde Philo ac Ioſephus. Prorſus ut Auguſti ingens illa & nobiliſſima in terris Curia non parvâ ex parte Iudaizare videretur: cujus penè totius, teſte Philone, dona extabant in Templo. Adeo ut omnes ubique gentes, quamvis ſuopte Ingenio Iudæis parum propitiæ, ſacra tamen Iudaica violare, Imperatoris metu vererentur. Caium ergo hîc minimè patriſſantem, ideo forte laudarit Auguſtus, quòd tenerum ejus animum Religionum varietate confundi magis quàm in pietatem firmari crediderit. Et Rex tum Iudæorum Archelaus etſi quintum jam annum Auguſti approbatione regnaret, nullo tamen præ Herode patre apud Romanos loco erat, quantumvis ingenti ſplendore Caium &

In ejus Tẽplo adorare contemnit.

Agrippam patrẽ ſuum non imitatus.

Comites excipere cum fratribus Tetrarchis, Antipa Galilææ Philippóque Itureæ, cum omni cognatione ſua, Pontificibus atque Sacerdotibus ſtuduerit. Sed quid de altero petulantioris ejuſdem adoleſcentis contemptu dicemus, quo ille Hieroſolymam eundo redeundóve per mediam forte Galilæam, Nazaretho non procul prætervectus, præſentem tamen Θεὸν iſtum ὕψιστον IESUM CHRISTUM ne adire, ne inquirere quidem, nedum ut Magi adorare, dignatus ſit?

Lucius Cæſar Caii frater moritur.

4. Neque diu tantum inſolentiæ tulit Deus. Illum & fratrem ejus Lucium nimo tantæ fortunæ riſu præſidentes brevi, duodeviginti menſium ſpatio terris exegit. Ac primum quidem hujus anni autumno ineunte, Lucium ad Hiſpanienſes euntem exercitus adhuc ingloriũ mors brevi abſtulit, Maſſiliæ morbo repentino (ut Zonaras) ſolutum. Et quidem ſi Lapidi Piſano (quem ad Lipſium noſtrum Lovanii tum agentem ſub ſæculi hujus initium miſit Hieronymus Mercurialis, mihi Lipſius ipſe anno 1605 ibidem tradidit) fides eſt, anno Tribunitiæ poteſtatis 25. id eſt hoc ipſo, circa 10. Octobris, ut Inſcriptio, quam totam alibi reddo, ſatis indicat: Caiũ ipſum vix ad ſeſquiannum diſtulit, ut ibi videbo. De Lucii morte, ita conſolatione ad Polybium Seneca:

Seneca conſol. ad Polyb.

Caius Cæſar D. Auguſti nepos, circa primos juventutis ſuæ annos, Lucium fratrem (vix decemnovennem) *cariſſimum ſibi, Princeps juventutis Principem ejuſdem juventutis, amiſit in apparatu Parthici belli: & graviore multo animi vulnere, quàm poſtea corporis ictus eſt.* Si Lucium fratrem Caius Octobri hujus anni, qui eſt Tribunitiæ poteſtatis Auguſti, viceſimus quintus, ut Piſana iſta vocat Inſcriptio, in ipſo Parthici belli apparatu amiſit; necdum igitur ad Euphratem ſeu bellum iſtud geſturus, ſeu pacem pacturus abiverat. Potius in anni ſequentis exordia diſtulerat, uti dictum eo.

ANNUS Julian. 48. Chriſti verus 7. Dion. 3.

5. Anno itaque Iuliano 48. Chriſti vero 7. Dionyſiano 3. vere jam appetente, Caius omnibus ad bellum ſeu Parthicum ſeu Armenicum abundè paratis, poſt tot Regum iſtorum ad Auguſtum literas legationeſque miſſas remiſſáſve, ad Euphratem tandem utriuſque Imperii limitem cum exercitu, & quidem quantum diſpicio, Parthi ipſius evocatione, proceſſit: Tanto enim ille *Caii apparatu territus, ſimul domi res odio ſui turbandas ſuſpicatus* (ait è Dione Xiphilinus) *pacem petiit, & ea conditione ut Armeniam miſſam faceret impetravit.* Velleium hic prætereuntem audire juvat:

Caius ad Euphratem procedit. Xiphilinus. Velleius l. 2.

Caius Auguſti filius, cum Rege Parthorum, juvene excelſiſſimo (nempe Phraatace, ſeniore patre Phraate jam antè mortuo) *in Inſulâ quam amnis Euphrates ambiebat, æquo utriuſque partis numero, coiit. Quod ſpectaculum ſtantis ex diverſo, hinc Romani, illinc Parthorum exercitûs; cùm duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita, perquàm clarum & memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum, Tribuno militum mihi viſere contigit. Quem militiæ gradum antè, ſub patre tuo M. Vinicio, & P. Silio auſpicatus in Thraciâ Macedoniâq; mox Achaiâ Aſiâq;, & omnibus ad Orientem viſis provinciis, & ore atque utroque maris Pontici latere haud injucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in noſtra ripa, poſterior hic apud Regem in hoſtili epulatus eſt. Quo tempore M. LOLLII* (quem

Lollii mors.

veluti moderatorem juventæ filii ſui Auguſtus eſſe voluerat) perfida, & plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia, per Parthum indicata Cæſari (nempe Caio) *fama vulgavit. Cujus* (Lollii) *mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit, ignoro.* Ita Velleius. Voluntariam fuiſſe diſertè ſcribit Plinius: *M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdictâ amicitiâ à Caio Cæſare Auguſti filio, venenum bibit.* Lollius igitur hucuſque (id eſt ad Martium ferè hujus anni Juliani 48.) Rector Caii permanſit: Quirinio noſtro ſemper privato, Caii Comite & Conſiliario, ſed primario. Lollio mortuo, *datus Caio Rector, Armeniam jam obtinenti* (ait Tacitus) quam hac pace miſſam fecerat Parthus, eo tamen in munere, nonniſi annum manſit. uti mox.

L. 9. c. 35.

Tacitus Annal. 3.

Armeniam Caius Cæſar, aggreditur.

Sexti Rufi breviarii.

6. Icto cum Partho fœdere Caius, Quirinio jam Rectore, *Armeniam ingreſſus* (ait Velleius) *primâ parte introitus proſperè rem geſſit.* Nam ut Sextus Rufus, cùm *per majeſtatem Romani nominis facile cuncta ſedaſſet, elſe Armenii, qui tunc temporis validiores erant, cum Parthis dediderunt. Utilius ratі* (addit Jornandes) *cum Romanorum amicitiâ proprias ſedes incolere, quàm novâ cum Parthis conjunctione ſedes ſuas perdere, & Romanos infeſtos habere. Iis ergo Judices* (iterum Rufus) *inſtituto Pompeii Caius Cæſar, ſimul Ariobarzanem origine Medum, ob inſignem corporis formam, volentibus impoſuit* (ait Tacit. ann. 2.) Tigrane Artabazi æmulo, neglecto. *Sed Artagêras* (ait Strabo lib. 11.) *ad defectionem perduxit Ador, caſtelli Præfectus.* Adduonem vocant Velleius & Zonaras, *Domnem* Sextus Rufus, *quem Parthis*, ait, *Arſaces* (ſeu ut credo Phraataces Arſacides) *præpoſuerat.* Et *Cæſaris quidem Duces* (pergit Strabo: puta Quirinius & ceteri) *diuturnâ oppugnatione, caſtellum id ceperunt: muroſq; dejecerunt.* Verùm durante adhuc obſidione, *Addon* (ait è Dione Zonaras) *Caium ad mœnia pellexit, tanquam arcani aliquid dicturus; proditione*, addit Florus, *ſimulatâ; eiq; libellum porrigit, ut theſaurorum rationes continentem. quem cùm ille intentiùs legeret, adortus virum ſtricto ferro cruentat vulnere, in tempore. Ceterum barbarus undique infeſto exercitu* obſidente *oppreſſus, urbe expugnata* (addit Zonaras) *gladio & pyra, in quam ſe percuſſus immiſit, ſuperſtite etiamtum Cæſari ſatisfecit.* Flor. *Muros caſtelli Cæſaris Duces dejecerunt*, dixit paulo ante Strabo. *Manſit Armeniæ Rex Ariobarzanes*, addit Tacitus ann. 2. *donec morte fortuitâ abſumptus eſt.*

Jornandes.

Zonaras.

Florus l. 4. c. ult.

7. At Caius Cæſar *reverſus in Syriam* (pergit è Dione Zonaras) *jam alioqui parum firmâ valetudine, & diſſolutiore ingenio, ex vulnere ægrotavit, & multo hebetior factus eſt.*] proſuſque *ut corpus minus habile* rurſum Velleius, *ita animum minus utilem Reip. habere cœpit. Nec defuit converſatio hominum, vitia ejus aſſentatione alentium. etenim ſemper magnæ fortunæ comes eſt Adulatio; per quæ eò ductus erat, ut in ultimo ac remotiſſimo terrarum Orbis angulo conſeneſcere, quàm Romam regredi mallet.* Vell.] Imò ut è Dione Zonaras, *petiit* ab Auguſto, *ut privatam vitam ſibi liceret ducere. Quod Auguſtus ægerrimè ferens, eum hortatus eſt, ut in Italiam reverſus, quod vellet ageret.* Zon.] *Diu reluctatus eſt*; addit Velleius. Atque hæc de Caii in Parthos & Armenios expeditione decantatiſſimâ. de quâ adhuc pendente Ovidius libros de Remedio Amoris, Julia jam relegatâ, velut in Artis expiationem tunc edens, ita falsò canebat l. 1. v. 156.

Ecce fugax Parthus, magni nova cauſa triumphi,
Jam videt in campis Cæſaris arma ſuis.

8. Anno proximo, Juliano 49. Chriſti verò octavo, ſed Dionyſiano 4. ſecundo Saturnini Cenſitoris Conſulatu, quem Lucius Cæſar, ſi vixiſſet, jam viceonis inire debebat, Caius ejus frater quartum

ANNUS Julian. 49. Chriſti verus 8. Dion. 4.

…anus Cęſar … Italiam …e Syriâ re…ens, mo…tur.

…et. Aug …p. 65.

…ac. ann. 1.

…lorus.

in Syria jam annum explens, revocanti Auguſto patri *Diu reluctatus*, inquit Velleius, *invitusq; revertens in Italiam* (*nave oneraria*, addit Zonaras) *in Lyciam advectus, Limyræ illius urbe morbo obiit. cùm ante annum Lucius frater ejus Hiſpanias petens Maſſiliæ deceſſiſſet.* Rectiùs Suetonius Aug. c. 65. ante *octodecim menſes*, qui in Aprilem hujus anni ineuntem deſinunt, eóque Caii mortem rejiciunt. *Caium remeantem Armeniâ* (ſcribit Tacitus ann. 1.) *& vulnere invalidum mors fato propera, vel noverca Liviæ* (imperium ſcilicet Tiberio ſuo parantis) *dolus abſtulit.*] & Florus, *in Syria* (Lycia potiùs) *Caius fato brevis ex vulnere deceſſit, cùm Armeniam ad Parthos ſe ſubtrahentem recipit.* Caii corpus Quirinius ejus Rector, cum toto comitatu, Romam revexit; *à Tribunis militum, & cujuſcumque civitatis obviæ decurionibus*, ait Dio, ut ante 12. annos Druſi, ante 18. menſes Lucii fratris, *allatum. Pelta quoque & haſtæ, quas aureas* (argenteas lapis Ancyranus) *ab equitibus, cum virilem ambo togam ſumerent, acceperant, in Curia ſuſpenſæ.* Utriuſque cadaver in Auguſti Mauſoleo haud dubiè conditum. Ita Auguſtum *& ſobole, & diſciplinâ domûs*, paulò ante *lætum atque florentem, non fortuna* ut Suetonius, ſed arcana Dei providentia *repentè deſtituit.* Ut *intelligeret, quod excelſus dominetur in Regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Non ultra 23. ætatis annum Caius, nec ultra 19. Lucius vixerunt, breves & infauſti Auguſti populique Romani amores. & Lucius quidem vixdum notus interiit: Caius ſatis inclaruit: ſed in hoc à Deo poſitus, ut quantum Dei inter & hominum conſilia intereſſet, Mundus quantumvis cæcus, aliquando pervidere poſſet. Illius ſpleodore terra ſcintillabat, laudibus omnia perſonabant: Chriſtus Dei filius obſcurus ignotuſque Nazarethi latebat. Admiratur gloriaturque Velleius, duo ſe eminentiſſima in terris capita, Caium & Phraatacem juvenem excelſiſſimum ad Euphratem vidiſſe: quanto ille CHRISTUM, ſi noviſſet, eminentiorem dixiſſet! quanto majore ſpectaculo gloriari potuiſſet! præ quo Caius & Parthus nonniſi fumus & umbra: vapor ad modicum parens nullóque ſemine: Chriſtus manet in æternum, videt ſemen longævum. Chriſto igitur Oriente, exorti quoque juvenes iſti, Caius maximè, ut tanquam paralleli, ſibi invicem compoſiti, ſed contrarii, magis eluceſcerent.

CAPUT X.

Tiberium, Germanicũ, & Agrippam adoptat Auguſtus, & ad bellum Germanicum remittit.

Annoadhuc 49. & 50. Iuliano.

1. AUGUSTUS maſculâ carens prole, pluſcula hactenus dominationis ſubſidia ſibi adſciverat. primo Marcellum ſororis Octaviæ filium, brevi ereptum. tum M. Agrippam victoriæ ſocium, mortuo Marcello generum quoque adſumptum. Ut Agrippa, ſimul filii ejus Caius & Lucius in familiam Cæſarum prius inducti, vitâ conceſſere: Tiberius Nero ſolus è privignis ſupererat: Rhodo jam ante biennium redux. Illuc ergo cuncta vergere, ait Tacitus. *Fortuna* quippe, ſcribit Velleius, *quæ ſubduxerat ſpem magni nominis, jam tum Reip. ſua præſidia reddiderat.* Quare non diu cunctatum Auguſtum ſubdit: *quando legendus erat qui emineret.* Suetonius tamen Calig. c. 4. diu cunctatum planiſſimè ſcribit, an Germanicum ſibi ſucceſſorem deſtinaret. & abſque Liviâ conjuge fortè deſtinaſſet. eâ importuniore Tiberium tandem adoptavit in foro, lege Curiatâ, cum M. Agrippa Poſtumo, Caii Luciique fratre: ſimul. *illum coëgit* (addit Suet.) *prius adoptare Germanicum fratris ſui filium.* Cùm *quo pluribus* (ait Tacit. ann. 1.) *munimentis inſiſteret*, tum *veritus* (addit Dio) *ne Tiberius animo quandóque elatus, novas ad res exurgeret.* Hic cum Velleio exclamare libet: *Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diverſa præſentibus, contrariáque expectatu; aut ſperet aut timeat?* Tiberius vix quadriennio antè Rhodi velut exul agebat; petenſque ut tanto pòſt ſpatio permitteretur reviſere neceſſitudines, quarum deſiderio teneretur; non modò non impetraverat, ſed ultrò etiam admonitus fuerat, dimitteret omnem curam ſuorum, quos tam cupidè reliquiſſet. Mox etiam ſuſpectus, reprehenſuſque quod centurionum quoſdam novas ad res tentaſſet, capitis quoque diſcrimen à Caio privigno, aut ejus comitibus adierat; denique tam ſuis quàm matris precibus impenſiſſimis vix tandem reditum eâ conditione impetrare potuerat, ut quam Reip. partem attingeret. Nunc ecce Auguſti *filius, collega Imperii* (verba ſunt Taciti) *conſors Tribunitiæ poteſtatis aſſumitur, omnes per exercitus oſtentatur*, nullam non Reip. capeſſit partem. Quin in ipſius Tiberii ita paulò ante contempti inviſique adoptione, adjecit etiam Auguſtus, *Hoc Reip. cauſa facio.* quaſi abſque Tiberio modo exule totieſque rejecto, illa ſtare non poſſet. ea ſcilicet ſors humana, is fortunæ luſus.

Suet. Calig. cap. 4. & Tib. c. 21. & Aug. c. 65.

Suet. Tib. c. 12. 13.

Tac. ann. 1.

Tiberium Auguſtus, & Germanicum adoptat. Tac. ann. 1.

2. Ceterum Germanicus huic adoptioni junctus, annum ætatis agebat ferè 19. quando moriens anno U. C. 772. Juliano 64. triceſimum quartum nondum exegerat. Unde non leve argumentum haurio, circa hanc adoptionem illum quoque ab Auguſto jam avo, neptis illius, Agrippinæ, Caii Luciique ſororis conjugio donatum. Erat Agrippina patre M. Agrippa, matre Juliâ, unico Auguſti ſanguine genita; uno dumtaxat anno ut fratre Agrippa Poſthumo anterior, ita marito Germanico conſobrino poſterior. pudicitia præter domûs ſuæ morem impenetrabili: eóque Auguſto carior, tametſi matris aviæque genio ferocior, adeo, ut eum in liberos quoque ſuos transfuderit, mariti benigna indole potentior. Ita quidem ſuadet curata tam ardenter Germanici adoptio, ſuppar Agrippinæ ætas, Auguſti mores, vidua Cæſaribus domus, denique ortorum ex hoc conjugio liberorum natales anni. quos novem intra connubii ſui quindenos annos extulit, à conjuge non raro abſens. Sed neque Tiberium nova affinitate privavit Auguſtus novus pater, data circa hoc tempus in uxorem ejus filio Druſo Liviâ ſeu Livillâ patruele, Druſi fratris illius filiâ, Caii Cæſaris hujus anni primordio mortui juniore viduâ. Ita domum ſuam Auguſtus in matrimonium principatumque more ferè externo ſociabat.

Germanici ætas, & cum Agrippina Auguſti nepte connubium.

3. Neque tamen tantæ lætitiæ defuit ſocius mœror. L. Æmylius Paulus, alter & quidem ſenior ejus progener, Juliæ ſororis Agrippinæ (itidem ſenioris) maritus, ante triennium cum Caio Cæſare Conſul, deſertum ſe & contemptum eâ adoptione videns,

L. Æmylius Paulus Juliæ junioris, Auguſti item neptis maritus.

non potuit non ægrè ferre, non indignari. Et verò Cur eum hic abjecerit Auguſtus, neque alibi lego, neque ſuſpicione ſatis aſſequor. Niſi fortè Paulus; ſubinde memor, quod ab Auguſto proſcriptus olim eſſet Paulus pater (quod de illius ſervo notat etiam Suetonius) nonnulla nondum æqui animi proderet indicia, ſocero nunquam non ſuſpecta. Auguſtum quidem *conjurationes complures, priuſquam invaleſcerent, indicio detectas, & in iis L. Pauli progeneri ſui compreſſiſſe*, ſcribit idem Suetonius. & vetus Juvenalis in Satyram ſextam Interpres, *Juliam Auguſti neptem* memorat *Æmylio Paulo nuptam, qui majeſtatis crimine perierit.* Id ego crimen, parricidium ab hoc Paulo mente conceptum accipio: ſicut & ſimile Plinii, *Conſilia parricida palam facta.* Paulus ideo non occiſus quidem, exilio tamen projectus. Julia uxor Romæ aliquot adhuc annos manſit; pejore utique quàm vidua loco: unde in adulteria & matris exemplo, & indignatione è mariti exilio repudióque cōceptâ, ſe & ipſa projecit, eoq́ue paucis poſt annis in Trimeram inſulam, ſicut & Ovidius in Scythiam relegata. ut ibi fuſiùs.

In Auguſtū cōmotior. *Suet. Aug. cap. 16.*

Juvenalis interpres vetus in Sat. 6.

Plinius l. 7. c. 45.

4. Adoptionem porrò iſtam *quinto Kal. Julias* factam *Ælio Cato ac Sentio Saturnino*, hujus anni Iul. 49. *Coſs.* notat Velleius: pergitque Dio: *His quaſi ſucceſſoribus adjutoribusq́, Auguſtus fiduciâ receptâ, iterum Senatus delectum haberi inſtituit: & per tres Senatores examinavit. Ipſe recenſionem Italicorum inivit,* ἀπόγραφας ἐποιήσατο *deſcriptiones ſeu Cenſum fecit, eorum qui ad ducenta ſeſtertium poſſiderent: pauperioribus & iis qui extra Italiam viverent, ad Cenſum minimè coactis, ne quid turbarum darent. Id ne Cenſor facere videretur, ad finem cenſus, cùm Luſtrale ſacrum fieret, proconſulare accepit imperium.* Hæc Dio. Quibus intelligis rem invidioſam fuiſſe Cenſum, & ſeditionibus obnoxiam: eóque prudenter ab Auguſto, tametſi verè Cenſum ageret, Cenſuris tamen nomen odiumq́ue declinatum. Quod autem ſolam Italiam hoc tempore cenſeat, innuit Generalem ſe non ita pridem Cenſum egiſſe, quo ſatis adhuc diſtinctum eſſet Imperii Rationarium. & ſi quid immutandum ſubinde foret, id cenſitis ſigillatim diſparatimq́ue Provinciis, minore turbarum periculo mutaretur. Ita Syriam Judæamq́ue particulari Cenſu deſcriptam, tertio abhinc anno videbimus. Quare ſi particulares hos Cenſus generalibus tribus conjunxeris, videbis Auguſtum toto pœnè Monarchiæ ſuæ tempore in Provinciarum Cenſus incubuiſſe, ut intima pervideret Imperii. Urbis Romæ nonniſi ter egiſſe ſe, in Ancyrano rerum ſuarum tradit Indiculo; quòd ſcilicet Romæ plerumque agitans, Civium quàm Provincialium perſpectiorem haberet ſtatum. Potuit tamen & hinc Italiæ Cenſum hoc anno agere, ut novos adoptione filios ſenſim in Reip. cognitionem induceret. Hæc Romæ. Nunc à Tiberii adoptione Belgica Germanicaq́ue noſtra retexamus.

Auguſtus Recenſionē & Deſcriptionē iterum init.

In Cenſus faciendos Auguſtus tota pœnè vita incubuit.

5. GERMANICUM jam à triennio reſumptum viguiſſe bellum, ſuperiore capite ex Velleio monuimus. hactenus a M. Vinucio (qui illud ante annos 25. primum gerere cœperat) ſuſtentatum feliciter. de quo ita quoque è Dione Zonaras: *Germanico bello orto, tùm ob corpus & ſenio & morbo feſſum, exercitum ipſe ducere non poſſet; Tiberium rebus ita urgentibus, partim Iuliæ* (Liviæ meliùs dixiſſet) *impulſu adoptavit* (quaſi non ob Cæſarum ſuorum mortem dumtaxat) *& in Germaniam ſtatim ab adoptione ſubmiſit.* Dioni conformis Suetonius, *Nihil,* ait, *ex adoptionis tempore prætermiſſum eſt ad majeſtatem ejus augendam: Data rurſus poteſtas Tribunitia* (quæ ante quadriennium expiraverat) *in quinquennium, & delegatus pacandæ Germaniæ ſtatus.* Fuſius, qui his interfuit Velleius: *Non diu vindicem cuſtodemq́ Imperii morata in urbe patria, protinus in Germaniam miſit: ubi ante triennium ſub M. Vinucio, avo tuo clariſſimo viro, immenſum exarſerat bellum. erat & ab eo quibuſdam in locis geſtum, quibuſdam ſuſtentatum feliciter. eóque nomine dicata ei, cum ſpecioſiſſima Inſcriptione operum, ornamenta triumphalia. Hoc tempus me functum ante Tribunatu caſtrorum, Tiberii Cæſaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione miſſus cum eo Præfectus equitum in Germaniam, ſucceſſor officii patris mei, cæleſtiſſimorum ejus operum, per annos continuos novem* (nota pro anno finalis ejus triumphi) *Præfectus, aut Legatus, ſpectator, & pro captu mediocritatis meæ adjutor fui. Neque illi ſpectaculo quo fructus ſum, ſimile conditio mortalis recipere videtur mihi: cùm per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ Provinciarum, veterem Imperatorem, & antè meritis ac virtutibus, quàm nomine Cæſarem reviſentes, ſibi quiſque quàm illi gratularentur plenius. At vero milites* (legionum ad Rhenum excubantium, in Germania Inferiore maximè, ex qua tum Rhenum illæ traductæ) *conſpectu ejus elicitæ gaudio lachrymæ; alacritasq́, & ſalutationis nova quædam exultatio; & contingendi manum cupiditas, non continentium protinus quin adjungerent: Videmus te Imperator, ſalvum recepimus. Ac deinde: Ego tecum Imperator in Armenia, ego in Ratia fui. Ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania* (contra Sicambros) *donatus ſum. Neque verbis exprimi, & fortaſſe vix mereri fidem poteſt.* Ita Velleius cum Tiberio in Belgicam noſtram ad Rhenum venit. Auguſtum quoque in Gallias tunc ab urbe veniſſe, ſaltem Lugdunum, ſi non & in Belgicam, quod *toties feſſa jam ætate fecit*, ut Germanico bello ferè præſens intenderet, & quidem cum uxore Livia Tiberii matre, infrà videbimus.

Tiberius adoptatus in Germaniam ab Auguſto remiſſus

Zonaras è Dione Suet. Tib. cap. 16.

Vell. l. 2.

Velleius Tiberii in Germania miles.

Legionum Rhenanarū ex Tiberii reditu gratulatio.

Tacitus Annal. 1.

6. Pergit de bello geſto Velleius. *Intrata protinus Germania* Tranſrhenana, circa ſi non & infra Rheni divortium. *Subacti Caninefates* in extremâ ad Oceanum Bataviâ: *Attuarii, Bructeri*, utrique Rheni divortio, illi in Septentrionem, hi in ortum confines. *Recepti* ultronea ſcilicet deditione, *Cheruſci gentes, & amnis mox noſtra clade* (Variana) *nobilis tranſitus Viſurgis.* ultra quem nempe ſiti Cheruſci, hodie Luneburgenſes ac Brunſuicenſes. *Penetrata ulteriora: cùm omnem partem aſperrimi & periculoſiſſimi belli Cæſar* (Tiberius) *vindicaret; iis iis quæ minoris erant diſcriminis, Sentium Saturninum, qui tum Legatus patris ejus in Germania fuerat, præfeciſſet. virum multiplicem in virtutibus,* &c. ut ſupra in ejus vitâ, & Cenſu. *Anni ejus æſtiva uſque in menſem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoria. Pietas ſua Cæſarem, penè obſtructis hyeme Alpibus, in Urbem traxit.* ad Auguſtum è Gallia paulò ante reducem. Vix dubito, quin Belgarum noſtratiū plerique ſignis Romanis è Germania noſtra Inferiore trans Rhenum eductis ſeſe adſcripſerint, ſaltem auxiliares; Atrebates, Morini, Menapii, Nervii, Tungri, Treviri, Batavorum, nonnulli, &c. Rediens Romam Tiberius, *in medio Germaniæ finibus ad caput Lupiæ fluminis* (Alisonis ſcilicet) *hiberna locavit.* Vell.

Victi Caninefates, Attuarii, Bructeri recepti Cheruſci.

Sentius Saturninus Tiberii eo bello legatus.

Aliſo caſtrum trans Rhenum.

7. Qui cùm ſcribit, *Caninefates, Attuarios, Bructerósque ſubactos; Cheruſcos* autem tantum *receptos*, duo

maximè inſinuat. Primùm hanc Germaniæ rebellionem ab Caninefatibus, Attuaris, Bructerisque Rheno inferiori vicinioribus inceepiſſe, quando vi armisque ſubigi debuerunt: Cheruſci autem tantùm *recipi*; non tam ſcilicet à Romanis averſi, quàm gentium iſtarum intercurſantium, Rhenanóque Imperii limiti vicinorum rebellione disjuncti. Alterum, Cheruſcos intermediorum populorum iteratâ ſubactione ut Romanis iterum contines redditos, ſic ad priſtinum fœdus armorúmque ſocietatem receptos. Eóque tunc contigiſſe, quod de Arminio & ejus fratre Flavio Cheruſcorum (hodie Brunſuicenſium) Principibus, notant ipſe Velleius ac Tacitus: ille, cùm Arminium adſiduum militiæ ſuæ prioris (Velleio inquam prioris) comitem & jam civitatis Romanæ jus equeſtremq; conſecutum gradum in Vari clade memorat: Tacitus, cùm Romanis in caſtris ductorem popularium meruiſſe, & Latinè ſciviſſe adjungit. Flavium autem inſignem fide laudat, quam adverſus Romanos volentibus Germanis ſumptam nunquam omiſerit. Ita Cheruſci hoc anno recepti, populares ſuos ultrò Romanis in militiam obtulere, ducibus iſtis fratribus junioribus, & viceſimum ætatis annum non multum ſupergreſſis: ſenioribus, ut Inguiomero Arminii patruo; Segeſte item civitate quoque Romanâ donato, cum fratre Sigimero domi remanentibus: Segimundo denique ab ipſo Segeſte patre, ad aram Ubiorum Auguſti, ſeu adhuc vivi ſeu poſtea mortui, Sacerdote conſecrato. Hæc de bello hujus anni Germanico. Cui dum Auguſtus Lugduni intendit (nam in Galliâ tunc moratum ſcribit Seneca) Cinnæ contra ſe conſpirationem detexit: quâ primùm non parum afflictus, Liviæ uxoris conſilio in bonum vertit. Nam & illi condonavit, & Conſulatum in annum ſequentem ultro detulit. amiciſſimum deinceps habuit; nullis amplius inſidiis ab illo petitus, ait Seneca. Plus etiam dicit Dio, nullas deinceps inſidias in eum compoſitas.

Cheruſci (hodie Brünſuicenſes) Romanis iterum fœderati.
E quibus tunc Arminius & frater ejus Flavius.

Inguiomerus, Segeſtes, Sigimerus, Segimundus.

Seneca de Clem. l. 1. c. 9.
Cinnæ in Auguſtum conſpiratio detecta, cō donata.
Dio l. 55.

8. Inſequenti anno Juliano 50. Cinna Conſule, à Chriſti vera Nativitate nono, Dionyſiano quinto, *Tiberium ex Vrbe, ubi hyemaverat, tutelæ Imperii, veris initio reduxit in Germaniam: in cujus mediis finibus, ad caput Lupiæ fluminis hiberna digrediens locaverat. Pro Dii boni! quanti voluminis opera inſequenti æſtate ſub Duce Tiberio Cæſare geſſimus!* exclamat ſolitâ ſua erga Tiberium adulatione Velleius. *Perluſtrata armis tota Germania eſt, victæ gentes pænè nominibus incognitæ. Receptæ Caucborum nationes; omnis eorum juventus infinita numero, immenſa corporibus, ſitu locorum tutiſſima* (nempe paluſtri) *traditis armis, una cum Ducibus ſuis, ſepta fulgenti armatoq; militum noſtrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam Germanâ feritate ferocior.* Incolebant tunc Longobardi Markam Brandenburgenſem hodiernam, quæ Antiqua dicitur, cis & trans Albim, teſte Strabone libro 7. ſupra urbem *Domitz*. Unde ſequitur in Velleio: *Denique quod nunquam anteà ſpe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringenteſimum milliarium a Rheno uſque ad flumen Albim* (per varios flexus ſcilicet) *qui Semnonum Hermundurorumq; fines præterfluit, Romanus cum ſignis perductus exercitus.* Ita Velleius, magnificentiùs opinor quàm veriùs. Nam & Tiberii frater Druſus, anno Juliano 37. ante hunc 13. & rurſum Domitius Ahenobarbus ante decennium, ad Albim pervenerunt, ut ibi docuimus. Adeo nullum Tiberio adulandi modum facit Velleius. qui pergit: *Et eodem* (nempe ad Albim) *mirâ felicitate & cura Ducis, temporum quoque obſervantiâ, claſſis quæ Oceani circumnavigarat ſinus, ab inaudito atque incognito antè mari, flumine Albi ſubvecta* (Druſi tamen claſſis ab eodem mari ſaltem Amiſiam inierat) *plurimarum gentium victoria, cum abundantiſſima rerum omnium copia, exercitus Cæſariq; ſe conjunxit.* Ea claſſis è Belgio noſtro, Hollandiâ maximè & Friſiâ, ſolvere debuit. & trans Amiſiæ oſtium, per ipſa Oldenburgi Bremenſisque Archiepiſcopatus litora in Albim illata, Cauchos & Cheruſcos à Meridie, Saxonas aut Cimbros (qui nunc Holſati & vicini) à Septentrione compeſcuit. Ut mirum non ſit, Cauchos maritimos ante Tiberii tribunal jacuiſſe; Cheruſcos antè receptos in Romanorum fide militiaque permanſiſſe. eoque Romanum militem circa Domitz in Longobardos uſque penetraſſe.

Anno U. C. 758. Julian. 50. Chriſti verus 9. Dionyſ. 5.

Belli Germanici continuatio. ex Vell. Chauci recepti. Longobardi fracti.

Ubi tūc illi?

Claſſis per Oceanum noſtrum ad Albim ſubvecta.

9. *Non tempero mihi* (ſubdit idem Velleius) *quin tantæ rerum magnitudini hoc qualecumque eſt, inſeram. Cùm citeriorem ripam prædicti fluminis* (Albis) *caſtris occupaſſemus; & ulterior armatâ hoſtium juventute fulgeret, ſub omnem motum noſtrarum navium protinus refugientium; unus è barbaris ætate ſenior, corpore excellens, dignitate* (quantum oſtendebat cultus) *eminens, cavatum* (ut illis mos eſt) *ex materia conſcendit alveum; ſolusq; id navigii genus temperans, ad medium proceſſit fluminis. & petiit, liceret ſibi ſine piaculo, in eam quam armis tenebamus egredi ripam, ac videre Cæſarem. Data petenti facultas. Tum adpulſo lintre, & diu tacitus contemplatus Cæſarem, Noſtra quidem, inquit, furit juventus; quæ cum abſentium veſtrum numen colat, præſentium potius arma metuit, quàm ſequitur fidem. Sed ego beneficio & permiſſu tuo Cæſar, quod ante audiebam, hodie vidi Deos: nec feliciorem ullum vita mea aut optavi aut ſenſi diem. Impetratoq; ut manum contingeret* (Germanorum more caudoréque) *reverſus in naviculam, ſine fine reſpectans Cæſarem, ripæ ſuorum adpulſus eſt. Victor omnium gentium locorúmque, quos adierat Cæſar, cum incolumi inviolatóque, & ſemel tantummodo cum ſumma clade hoſtium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit.* partim Aliſonem, credo, partim & maximè ad Rhenum in Belgicam de more. Quanquam & antiquum Druſi fratris in Caucbis munimentum, Amiſiæ flumini cognomine, hodie *Embdem*, hac expeditione receptum, hibernis quoque & præſidio novo muniverit, finitimis in officio retinendis. His actis è Belgica noſtra *eadem qua priore anno feſtinatione Vrbem petiit.* Vell. Dio utrumque belli annum ita compendio percurrit: *In Germanos expeditionem cùm aliis tum Tiberius fecit. progreſſusq; eſt primo* (anno) *ad Viſurgim. deinde* (anno 28.) *ad Albim fluvios. Nihil tamen magnopere memorandum actum eſt. Quanquam de Germanis Imperatoris nomen non Auguſtus modo* (xv. exhibent Nummi) *ſed & Tiberius etiam* (iv.) *invenerit. ut & triumphi inſignia C. Sentius Germaniæ Legatus; quod horum metu pacem Germani hi accepiſſent.* Dio.] Puto id anni ſequentis exordio, hyeme adhuc durante, factum; cùm jam Duces Romam rediiſſent.

Germani unus ad Albim cum Tiberio colloquium.

Dio l. 55.

10. Ceterùm Lectorem hic tria mecum notare velim. Primum, bellum hoc ab adoptione Tiberii Germanicum duabus dumtaxat æſtatibus, totidem æſtivis expeditionibus, unâ ad Viſurgim, alterâ ad Albim abſolutum; non Dione tantùm, ſed & Velleio ipſo hic teſtibus. Unde cùm apud hunc eumdem Velleium paulò ante Auguſti exceſſum legimus,

Bellū iſtud Germanicū tantùm biennale.

Tiberium

Tiberium ſtatim ab adoptione, fractis continuâ *triennii* militia Germaniæ viribus, triumphum peculiarem meruiſſe, pro voce *triennii*, *biennii* reponendum eſſe. Niſi Velleium ſibi Dionique adverſari velimus. Secundum, Nihil *ex adoptionis tempore prætermiſſum, ad majeſtatem ejus augendam*, ait Suetonius Tib. cap. 15. & 16. Nam cùm *delegatus ei eſſet pacanda Germaniæ ſtatus, Parthorum Legati mandatis Auguſto Romæ redditis, eum quoque adire in provinciam juſſi.* Quod, quantum diſpicio, Phraatace Parthorum Rege, ob parricidium, ſimul & cum matre inceſtum, à ſuis interempto (de quo Joſeph. l. 18. c. 3.) factum oportuit. cùm à novo eorum Rege Herode ſeu Orode ad Auguſtum pro pace miſſi eſſent, hoc ipſo anno Jul. 50. jam adulto. Unde Provinciam hic à Suetonio memoratam, Germaniam intelligi exiſtimo, in qua tum bellum gerebat Tiberius. Quod ſi ita eſt; Parthorum Legatos ab extremo tum Oriente Belgium noſtrum viderit. quod jam ne cogitatione quidem aſſequimur.

Miſſi ad Tiberium in Germaniâ Parthorú legati. *Suet. Tib. c. 15.*

Ab extremo Oriente in Belgium.

11. Denique Dionem, cùm hic monet, nihil hoc bello geſtum, magnopere memorandum, ſatis innuere illud à Romanis non tanti habitum, ut Jani portas ideo reſerare dignati ſint; nec proinde Pacem Chriſti nati ruptam hactenus. Quod & Tiberius ipſe apud Tacitum annali 2. confirmat, Germanico filio adoptivo ſcribens, *Se novies in Germaniam ab Auguſto miſſum, plura conſilio, quàm vi perfeciſſe.* Si conſilio, ergo nullo vel exili armorum ſtrepitu. quod & ſequens caput ex Ovidio tum vivo videntéque confirmabit.

CAPUT XI.

Pax Chriſto naſcente generalis Ovidio memorata, adhuc anno Iuliano 51. ineunte. Quo etiam ob bellum Illyricum rupta. Tiberii in Maroboduum expeditio ſucciſa.

Anno U. C. 759. Iuliano 51.

Annus U. C. 749. Julian° 51. Chriſti verus 10. Dion. 6.

1. ANno inde Juliano 51. Chriſti à vera Nativitate decimo, at juxtà Dionyſium Exiguum ſexto vulgari, Manius (non Marcus) Æmylius Lepidus (Pauli jam relegati frater) Conſulatum (in ſolatium reor afflictæ domus) accepit; collegâ L. Arruntio. Tiberius tunc Romæ agebat. ubi fames anno priore cœpta, hoc ipſo anno modice augebatur. ut pluribus hîc Dio, qui illam in ſequentem quoque propagat. Cujus item Joſephus Judæus originum libro 18. cap. primo, Euſebii Hieronymive Chronicon, Oroſius libro 7. cap. 3. meminere. Plinius autem libro 7. c. 45. tantam facit, ut ſcribat; *Peſtilentiâ Urbis & fame, injecta Auguſto deſtinatio ex pirandi; & quatridui mediâ major pars mortis in corpus recepta.* Nec tumultus in Urbe quievit (addit Dio) antè quam annonæ difficultate finitâ, *Tiberius in dedicatione Ædis Caſtoris ac Pollucis, non ſuum tantùm, ſed & Druſi fratris nomen ei inſcripſit. frequenter ſolitus ab adminiſtratione bellorum Romam commeare: metuens ne quem ſibi abſenti alium præferret Auguſtus.* Eam dedicationem die Januarii 27. factam canit libro 1. Faſtorum Ovidius à verſu 277. Unde intelligimus hoc plane tempore Faſtos ab eo editos. Quod moneo, ut conſtet, quod jam aliquoties tetigi, hiſce bellis modicis Janum ante annos duodecim clauſum hactenus minimè reſeratum. Sic enim eum ibi alloquitur:

Fames Romæ triennalis.

Lib. 55.

Jani fores huc uſque clauſæ. *Ex Ovidio Faſt. l. 1.*

2. *At cur pace lates, motiſque recluderis armis?*
Nec mora quæſiti reddita cauſa mihi eſt?
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet dempta janua noſtra ſerâ.
Pace fores obdo, ne qua diſcedere poſſit:
*Cæſareóque diu numine * clauſus ero.*
Dixit. & attollens oculos diverſa tuentes,
Adſpexit toto quidquid in orbe fuit.
Pax erat. & veſtri, Germanice, cauſa triumphi,
*Tradiderat domitas * jam tibi Rhenus aquas.*
Iane, fac æternos Pacem, Paciſq; miniſtros.
*Neve ſuum præſtâ deſerat auctor * opus.*
*Dexter ades Ducibus, * quorum ſecura labore*
Otia terra ferax, otia Pontus habet.

* audis adhuc clauſū?

* Bello ſcilicet iſto biennali ad Rhenū noſtrate Inferiorem poſt Germanici Tiberiiq; adoptioné.
* Auguſtus.
* Tiberio & Germanico.

Denique librum ſuum primum, ſeu menſem Januarium, ita concludit à verſu 709. Pacem adhuc alloquens:

Ipſum nos carmen deduxit Pacis ad aras,
Hæc erit a menſis fine ſecunda dies.
Frontibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum deſint hoſtes, deſit quoque cauſa triumphi,
Tu Ducibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus arma coerceat, arma;
Canteturque fera nil niſi pompa tubâ.
Horreat Æneadas & primus & ultimus Orbis,
Si qua parum Romam terra timebit, amet.
Thura Sacerdotes Pacalibus addite flammis
Albaque perfuſa victima fronte cadat.
Utque domus quæ præſtat eam cum Pace perennet,
Ad pia propenſos vota rogate Deos.

3. Hæc & plura de Pace Naſo, bellum Germanicum Belgicæ noſtræ maximè incumbens, nihil moratus, ut jam retuſum ac lentum. Nulla adhuc mentione longè gravioris Illyrici belli, quod tamen hoc eodem anno 51. Iuliano labente exortum, quanto metu Romam Auguſtumque perculerit, mox audiemus. Ceterùm cum Faſtos hos Germanico dedicet, poſtquam ille à Tiberio ceu patre, ab Auguſto ceu avo, priore anno adoptatus eſt; clarum eſt nec ante hos dies iſta canere potuiſſe. & rectè ab Iano tertium ab Auguſto clauſo duodecimus hic eſt annus. quo expleto ſub proximè ſequentis exordia, Janus ob bellum Illyricum reſerari coactus, pace Chriſti naſcentis ſeriò ruptâ. ut ex Taciti apud Oroſium fragmento, numinis aliiſque ſuperioris anni fine monuimus.

Reſeratæ tandem poſt annū duodecimum. *Ex Tacito apud Oroſ.*

4. Hyeme ſiquidem ejuſdem anni præcipiti, veréque jam appetente, novam atque graviorem in Germanos alios ſuſcepit expeditionem Tiberius. Quippe ut hîc Velleius, *Nihil erat in Germania, quod vinci poſſet, præter gentem Marcomannorum, quæ Maroboduo Duce*, ante annos duodecim, ut ibi memoravi, *excita ſedibus ſuis* (Rheno Mœnóque adſitis) *atque in interiora refugiens* (verſus Orientem) *incinctos Hercynia ſylva campos incolebat. Bojohemum* mox vocat: nos Bohemiam hodiè dicimus, cujus urbs Princeps Praga, Marobodui tum Regia; quam ille toto ferè ante Chriſti Nativitatem triennio incolere, & non

Tiberiú & Saturnini in Maroboduum Bohemiæ Regem expeditio.

modicis augere incrementis toto hucuſque duodecennio cœperat, toto item Infantiæ Chriſti novennio. Qua temporis intercapedine, præter Bojohæmum

Marobodui incremẽta.

iſtud, *finitimos quoque omnes* (addit Velleius) *aut bello domuerat, aut conditionibus iuris ſui fecerat.* ſeu ut Tacitus annali 2. *per dona & legationes fœdus eorum petierat*, & precibus ſcilicet armatis obtinuerat. eos

Strabo l. 7. init.

Strabo nominat libro 7. nominibus antiquis, nobis jam incompertis. ſed quos ſuſpicari facile ſit, Sileſios, Luſatios, Miſnios, Brandeburgicos, qui tum ſaltem ex parte *Longobardi*, Tacito quoque ſub Marobodui ditione contenti; Polonos denique Occidentaliores à Septentrione; ab ortu Moravos, & confines Hungaros; à Meridie quotquot Bohemiam inter & Dannubium incolebant. Unde ſubdit aptè

Velleius l. 2.

Velleius, *Corpus ſuum cuſtodientum, Imperium perpetuis exercitus penè ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens & noſtro quoque Imperio timendum perduxerat faſtigium.* ſolo, ut dixi duodecennio, quo tot Gentes & aptè ſuperare, & *brevi* tamen tantâ potentiâ creſcere potuerat. interea quo pacem cum Romanis ſervaret,

Quomodo ille ſe adverſus Romanos gereret.

5. *Ita ſe adverſus eos gerebat* (pergit Velleius) *ut neque bello nos laceſſeret; & ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæſares, interdum ut ſupplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibúsque à nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium; totúmque ex male diſſimulato agebat æmulum. Exercitum, quem 70. millium peditum, quatuor equitum fecerat, aſſiduis adverſus finitimos bellis exercendo, majori quam quod habebat operi præparabat. Erat, etiam eò timendus, quòd cùm Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dexteram, à tergo* (ſeu à Danubio) *ſedium ſuarum haberet Noricos, tanquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam. quippe cùm à ſummis Alpium* Noricarum *jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium eius finium haud multò plus ducentis millibus paſſuum abeſſet.*

Tacitus ann. 2.

Ita Velleius. Cui conformis imò & licitator Tacitus accedens Annali 2. narrat Tiberium tum Imperatorem *apud Senatum diſſeruiſſe, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Subdit extare Tiberii orationem, qua magnitudinem viri, violentiam ſubiectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis eſſet, oſtenderit.* Sic Tacitus Velleio junctus, teſtes omni exceptione majores. Quod inſuper notare juvat, Imperium iſtud Maroboduus ab ætatis ſuæ anno ferè 28. ad quadrageſimum in tantum culmen extulerat; toto (ut dixi) Infantiæ Chriſti tempore, quo maximè jucundum eſt, Germaniæ, Belgii, Italiæ, imò & totius terræ ſtatum intelligere. Nec nihil ad Belgas noſtros hæc pertinet hiſtoria; quando eos, ut & legiones Romanas ad Rhenum excubantes, in eum ab occaſu, ſicut & Tiberius à Meridie, duxit Germaniæ noſtræ Ciſrhenanæ Præfectus Sentius Saturninus.

Maroboduũ Tiberius ab Illyrico, Saturninus à Belgica aggredi parabant. ex Vell.

6. Sic enim pergit Velleius: *Hunc ergo virum* Maroboduum, *& hanc Suevorum nationem* Marcomannicam, Italiæ adeo imminentem, anno à Germanis pacatis proximo, id eſt, iſto ipſo U.C. 759. Juliano 51. Chriſti nati decimo ineunte, *diverſis è partibus Tiberius Cæſar aggredi ſtatuit.* Auguſto haud dubiè ita mandante, metumque tantum ac ferè continuum ſemel ac ſeriò amoliri parante. Quam in rem tantæ

Jani fores poſt Annos 12. apertæ.

molis atque periculi, quo Romanos magis animaret, Jani fores hactenus obſeratas aperiri juſſit; quas nimirum pro Philippo, Pyrrho, & Antiocho Regibus haud æquè metuendis pandendas judicaſſet. Et rectè duodecim iſti, Jani clauſi, ſeu pacis univerſalis, anni, à Tacito, Horatio, Nummiſque memorati, diebus iſtis expiraverant. Belli igitur decreti curam Tiberio Saturninoque impoſuit Auguſtus, juſſis è diverſis partibus Maroboduum aggredi.

7. Et *Sentio* quidem *Saturnino* (pergit Velleius) *mandatum*, ut è Belgicâ Transrhenanis jam victis oppoſitâ, *per Chattos, exciſis continentibus Hercyniæ* ad Bohemiam uſque *ſylvis, legiones* Romanas atque Rhenanas, *Boiohæmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) duceret. Ipſe Tiberius* Roma jam egreſſus, *à Carnunto (qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat* (hodieque *Petronel* appellatus, ad citeriorem Romanamque Dannubii ripam, in hodiernis Auſtriæ Hungariæque confinibus) *exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos* jam ab inſeſſo loco Bohemos, *orſus eſt. Rumpit, interdum moratur propoſita hominum fortuna. Præparaverat jam hiberna Cæſar Tiberius ad Dannubium: admotoq; exercitu non pluſquam quinque dierum iter à primis hoſtium, Saturninum* à Belgicâ & Chattis ſeu Haſſis Franconibuſque hodiernis eò jam progreſſum *admovere placuerat.* Ejuſque legiones *penè æquali diviſæ intervallo ab hoſte, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæſare juncturæ erant.* Omnes ſimul junctæ numero duodecim, ut notat Tacitus Annali 2. Planè non abſimili ætatis noſtræ modo, cùm anno Chriſti 1621. Ferdinandus Imperator II. illinc ab Auſtriâ ſua ferèque eodem Carnunto, hinc à Belgio noſtro cognatus ejus Albertus Archidux Bohemos eoſdem tum rebelles aggreſſi, feliciùs omnino patrataque victoriâ domuerunt: Et quidem binis è Gallo-Belgica noſtrate Ducibus, Buquoio Atrebate, Tillioque; qui ad Pragam fuſo Palatino Bohemiam vicinaſque Provincias Auſtriacæ domui reddiderunt.

Legionibus 12. eo fere modo, quo anno Chriſti 1621. Ferdinandus II Imp ab Auſtria, & Buquoius à Belgica in Bohemos illati ſunt.

8. Sed enim Tiberium ac Saturninum ita paratos, aliorſum gravior alia revocavit rebellio. Nam, ut Velleius, ecce *univerſa Pannonia* (Dalmatiam addit Dio; Suetonius autem & Oroſius, Illyricum in genere comprehendunt) *inſolens longæ pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractûs eius gentibus in ſocietatem adductis* (unde Suetonius & Oroſius Illyricum in genere vocant) *ex conſtituto arma corripuit. Tum neceſſaria glorioſis prapoſita: neque tutum viſum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hoſti* (Dannubii ſolius ac Norici intercapedine ab Italiâ ſejuncto) *relinquere Italiam.* Ita Velleius, & poſt ipſum Dio aliique. Quare Tiberium inter atque Maroboduum, pax tum æquis pacta conditionibus, ut Tacitus annali 2. cùm Tiberium tunc Imperatorem ita Germanico filio nepotique ſcribentem inducit: *Se novies à Divo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos; ſic Suevos, Regémque Maroboduum pace obſtrictum,* &c. & paulò inferiùs eodem annali 2. Maroboduus ipſe apud ſuos jactat, *Se duodecim legionibus* (quaternis ſcilicet à Danoubio, totidem à Rheno) *petitū duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam ſervaviſſe · mox conditionibus æquis diſceſſum.* Urgebant ſcilicet, ut ait Dio l. 55. *res iſta Dalmatica ac Pannonica, motibus longe majoribus concitata, & ad Jani recluſionem, ſi necdum facta fuiſſet, coactura.* Quare Maroboduus deinceps aliis fere 12. annis

Sed Dalmatarum Pannoniorum, Illyriive rebellione impediuntur. ex Velleio, Dione, Suet. Oroſio.

regnum

regnum pacatè tenuit: donec anno Juliano 62. U. C. 770. ab Arminio Cheruſcorum Principe, Varique& trium Legionum Romanarum interfectore impeteretur, *Regis nomine, & tanquam Cæſaris ſatelles Germanis cæteris inviſus.* Denique biennio pòſt, Juliano 64. U. C. 772. ætatis Chriſti 23. à Catavaldâ juvene Gothone ſeu Gotho regno pelleretur, quod totos jam 26. annos obtinebat. quodque numquam recuperare potuit. *ab eo tempore Ravennæ in Italia ſub Romanis ſemper habitus; ſi quando inſoleſcerent Suevi ab* eo in Bohemiam tranſlatus, *quaſi rediturus in Regnum oſtentatus. Sed non exceſſit Italiâ per duodeviginti annos; conſenuitque multùm imminutâ claritate, ob nimiam vivendi cupidinem.* ait Tacitus annali 2.

Quantus Illyrici belli terror.

9. Sed pergat in Illyrici belli ortu Velleius. *Gentium*, inquit, *nationumq; quæ rebellaverant, omnis numerus amplius octingentis millibus explebat. ducenta ferè peditum colligebantur armis habilia, equitum novem. Cujus immenſæ multitudinis, parentis acerrimis ac peritiſſimis Ducibus*, duobus nempe Batonibus, Dalmatâ uno, Pannonio altero; *pars* Pannonii *petere Italiam decreverat, junctam ſibi Nauporti ac Tergeſtis confinio; pars* Dalmatæ *in Macedoniam eruperat; pars ſuis ſedibus præſidium eſſe deſtinaverat. Prima duobus Batonibus ac Pinneti Ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis, non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoque notitia Romanæ. pleriſque etiam litterarum uſus, ac familiaris animorum erat exercitatio.* Quod & de Gallis noſtris affirmat Strabo, de Britannis Tacitus. Tam citò, tam intimè in Romanorum mores tranſierant gentes iſtæ. *Itaque, hercules, nulla unquam natio tam maturè conſilio belli bellum junxit, ac decreta patravit. Oppreſſi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem, eâ in regione quæ plurimum ab Imperatore aberat, cæſus. Occupata armis Macedonia. omnia & in omnibus locis igni ferroq; vaſtata. Quin tantus etiam hujus belli metus fuit, ut ſtabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientia Cæſaris Auguſti animum quateret atque terreret. Habiti itaque delectus, revocati undique omnes veterani, viri fœminæq; ex Cenſu* (nota, quia per hæc tempora valdè ad hunc & ſimiles effectus uſurpato) *libertinum coacta dare militem. Audita in Senatu vox Principis Auguſti*, *Decimo die, ni caveretur, poſſe hoſtem in urbis Romanæ venire conſpectum. Senatorum equitumq; Romanorum exacta ad id bellum opera pollicita.* Tanta de tanto bello Velleius: fuſiùs à me exſcripta pro Jani reſeratione tum factâ.

Inde Jani fores tandem ab Auguſto reſeratæ primò ob Maroboduũ, tum ob bellum Illyricum: anno Juliano 51.

10. Quis enim non videat Jani fores totos jam annos duodecim obductos, tanto metu, tam generali motu, ſtatim omnium omnino ſenſu conſenſuque reſerandas, ſi ob Maroboduum reſeratæ non fuiſſent? Quis non cenſeat, annis jam 12 ab Juliano 38. exactis, & ab Oroſio ex Tacito memoratis, his potius bellis, quàm Athenienſium ſeditione Dacorúmve commotione, ab eodem Oroſio lib. 6. c. 22. ex Euſebii Chronico tribus poſt hunc Julianum 51. annis primum hauſtâ, Janum patuiſſe? Bella duo, inter annum Chriſti nati tertium & hunc decimum intercurrentia, Armenicum atque Germanicum, non ea fuere, quæ ſtabilem Auguſti animum æquè ſuccuterent. Certè ſi quaſſaſſent, Ovidius hujus anni exordio Pacem toto adhuc Orbe, Iano clauſo manſiſſe, canere minimè potuiſſet. Neque Tacitus *ſene jam Auguſto*, ante ætatis ſcilicet ejus annum 68. patefactas Iani portas, aptè tradidiſſet. Longè aptius, longè veriùs ad Maroboduum, & iſtam adeo immanem Illyrici rebellionem refertur iſta recluſio, cujus vis ac terror omnes Iani vectes in fruſta redigere potuit.

Illyrici hujus belli cõpendium, *ex Suet. Tib. cap. 16.* Annis fere tribus.

11. Dalmaticum porro hoc Pannonicumque bellum, uno nomine *Illyricum*, ſolido geſtum triennio, ab hujus ſcilicet anni Iuliani 51. poſteriore potioreque parte, ad ſimilem ferè anni 54. fusè Lector apud Velleium Dionemque reperiet. Nos de illo hic, quando ad inſtitutum nihil prætereà pertinet, paucis Suetonii ſucculentiſque verbis contenti erimus: *Nunciatâ Illyrici defectione, tranſiit* Tiberius *ad curam novi belli. Quod graviſſimum omnium externorum poſt Punica bella* (undè mirum eſſet Ianum minimè recluſum) *per quindecim legiones paremq; auxiliorum copiam* (triginta ergo legiones) *triennio geſſit; in magnis rerum omnium difficultatibus, ſummaq; frugum inopiâ.* unde tanta Romæ etiam totaque Italia, imò toto Imperio trium annorum fames. *Et quanquam ſæpius revocaretur; tamen perſeveravit: metuens ne vicinus & prævalens hoſtis inſtaret ultro cedentibus. Ac perſeverantiæ grande pretium tulit: toto Illyrico, quod inter Italiam regnumq; Noricum, & Thraciam & Macedoniam; interq; Danubium flumen & ſinum maris Adriatici patet. perdomito & in ditionem redacto.* Suet. Quo in bello an Cheruſci, & in his Flavius Arminii frater, ſub Romanis militaverint, quæri poteſt. Ego militaſſe credo, ut ſuprà monui. Conſtat certè toto iſto triennio Germanos Inferiori Rheno adverſos ac pace nova obſtrictos, bellum Romanis non moviſſe: donec Varum Saturnini in eâ Præfecturâ, ſicut & in Syriâ ſucceſſorem deceptum, cum tribus legionibus perderet Arminius. ut paulò infrà videbimus.

Sentii Saturnini in Germaniis Ciſrhenanis ſucceſſor Quintilius Varus. ut prius in Syriâ.

12. Sentium Saturninum porro, Romam ad triumphi inſignia cum Tiberiò anno Iuliano exeunte 53. redeuntem, excepit in Germaniarum Belgicarum Præfectura ſeu Legatione Quinctilius Varus. prioribus hujus ævi viris in utraque Provinciâ ſibi mutuo ſubrogari ſolitis. Sed a Syriâ potius in Germaniam, duplo pluribus quàm Syria legionibus, octo nimirum inſeſſam, quàm contrà, gradum feciſſe videtur. Quirinius autem Lucæ quoque memoratus, poſt relatum è Syria Lyciáve Caii Cæſaris cadaver, vel Romæ biennium totum hæſit, vel contra Marmaridas & Garamantas in Africam miſſus fuit. Qui enim in vulgatis Flori Codicibus, lib. 4. c. ult. legitur eos ſubegiſſe *Furnius*, in Manuſcriptis pluribus, rectiùs legi videtur *Curinius*. ſeu ut planius ac emendatius præfert de Regnorum ſucceſſione cap 64. Iornandes, *Quirinus*. Qui & ipſe (ſubdit Florus) *potuit iſtinc redire Marmaricus. Sed modeſtior in æſtimandâ victoria fuit.* Verùm ſive è Marmaridis tum rediit, ſive Romæ manſit; in Syriam certè mox occaſione relegationis Archelai Iudæi & Cenſus agendi remiſſus eſt. de quo jam dicam.

Quirinius in Marmaridas miſſus. inde in Syriam ad Cẽſus agẽdos. *ex Ioſepho lib 18.*

13. Lectorem tamen antè hortor, ut ad B. Virginem Deiparam, ad ejus item ſponſum Joſephum, ad JESUM denique eorum filium Θεάνθρωπον ætatis annum jam decimum agentem, reflexæ mentis oculum vertere ne graveturs. Agitabant illi Nazarethi oppido exili, exiliore domo, vix ulli niſi vicinis ſuis cogniti. dum Tiberius ab Auguſto loco Cæſarum juniorum, bellis inclareſcit, & ad Imperium evehitur.

CAPUT

CAPUT XII.

Archelaus Viennam Galliæ relegatur. Quirinii in Syriâ Cenſus. Coponius primus Iudææ Procurator.

Anno Iuliano 52. Chriſti nati undecimo, Dion. 7.

Anno Iuliano adhuc 51. Chriſti 10.

Herodes Palæſtinus, ſeu Archelaus relegatur.

1. SUB Illyrici Dalmaticíve belli primordia, cum Ianus annos jam 12. clauſus, reſeratus eſſet, anno jam præcipitante Iuliano 51 Chriſti verò decimo, Dionyſ. 6. iiſdem Manio Lepido, & L. Aruntio Coſs. fame vehementer adhuc ingruente, HERODES *Palæſtinus*, ait Dio lib. 55. *à fratribus accuſatus, trans Alpes relegatus eſt; ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Iulianus iſte annus quinquageſimus primus, U. C. 759. erat Ethnarchiæ Archelai, ex noſtra quidem opinione *nonus* jam vergens. *Quo* ipſe *non ſolùm Judæis* (ait Ioſephus libro excidii 2. cap. 6.) *ſed & Samaritis crudeliter abutebatur.* At libro Orig. 17. cap. ult. quem longè poſt excidii libros, curis quaſi ſecundis, eoque accuratioribus contexuit, annum accuſationis illius etiam *decimum* vocat: *Decimo principatûs Archelai anno, Primates tam Judæorum* quàm Samaritarum, non ferentes ejus tyrannidem, detulerunt eum ad Cæſarem, maximè, cùm ſcirent eum contra ipſius mandatum feciſſe, à quo juſſus fuerat ex æquo & bono præeſſe ſubditis. *Hoc audito Cæſar irâ commotus,* ὀργῇ φέρων, *Procuratorem ejus Romæ agentem, & ipſum Archelaum nomine, ad ſe accerſit. Nec dignatus quicquam ſcribere, Tu vero,* inquit, *è veſtigio navigans, illum ſine ullâ dilatione adducito. Qui acceleratâ navigatione in Judæam delatus, reperit eum cum amicis in convivio. indicatâque voluntate Cæſaris, ad profectionem hortatus eſt. Mox ubi venit, Cæſar auditis ejus accuſatoribus, & ejus defenſione, miſit eum*

Viennam Galliæ.

Viennam in exilium, quæ eſt urbs Galliæ, mulctatum prius

Annus U. C. 760. Jul. 52.

omni pecuniâ.

Ejus ſomnium prognoſticon.

2. *Sed priuſquam Romam evocaretur, viſus ſibi in ſomnis erat, ſpicas decem maturas tritico plenas videre à bobus abſumi. Idq; ſomnium Simon vir Eſſæus, de regni ipſius anno decimo rectè interpretatus erat.* Spicas enim annos ſignificare, quod annuis vicibus redeant. quæ denæ à bobus abſumptæ, regnum quoque illius totidem annis terminandum, illum variis inde mutationibus abſumendum portendant. & ſane quintâ poſt ſomnii viſionem die, venit in Judæam procurator Archelaus, ad illum evocandum à Cæſare miſſus. Simile quid & Glaphyræ, uxori ipſius ſecundæ, primùm Alexandro fratri ipſius, tum Jubæ quoque Mauritaniæ Regi nuptæ contigiſſe narrat ſuis & Originum & excidii libris Joſephus. Quibus omnibus quis non videt, Archelai damnationem *decimo* prorſus Ethnarchiæ ipſius anno contigiſſe, tametſi nono vergente cœpiſſet? Omnino decimam meſſem, ut minimùm inchoatam, vidit Archelaus: eaque durante, ſi non

Annus U.C. 760. Julian 52. A Chriſto nato 11.

peractâ relegatus eſt. Sed & Ioſephus adhuc ipſe, initio vitæ ſuæ, *patrem ſuum Matthiam natum* diſertè ſcribit, *annum jam decimum regnante Archelao.* & rectè cum anno Iuliano 52. anni ipſius nonus decimuſque concurrunt; ille tribus ſui poſterioribus menſibus ad Martii diem ferè viceſimam, Herodi patri fatalem ac ſupremam; hic reliquis inde totis novem. Prorſus ut ſi Dio, alioquin in rebus Judaicis nullâ ratione cum Joſepho Judæo conferendus, Herodis ſui Palæſtini (qui nullus alius, quàm Archelaus noſter eſſe poteſt) relegationem ſub Lepidi & Arruntii Conſulatu, ſeu anno Iuliano 51. quantumvis expirãte, non poſuiſſet; ejus tamen non damnatio duntaxat, ſed & prima etiam accuſatio, ad primum quoque trimeſtre, & damnatio circa Maium & Meſſem in Iudæa fieri ſolitam commodiſſimè, ex Joſephi quidem narratione, referri potuiſſet. Adde, quòd Annus quoque ab Actiacâ pugnâ 37. (de quo mox Ioſephus) poſterioribus ſuis octo menſibus, ſecundâ Septembris die primùm evolvendis, aptiſſimè cum eodem hoc anno Iuliano 52. componitur. Prorſus ut Archelai ſeu accuſationi ſeu damnationi nullus aptior inveniri poſſit.

Strabonis de filiorum Herodis infelicitate narratio. Lib. 16.

3. Ceterùm antequàm hinc tranſeo, Strabonem audire juvat, libro 16. circa medium: *Filiis Herodis,* inquit, *res non feliciter ceſſerunt. Qui res falſi, alter Archelaus in exilio apud Gallos Allobrogas* (quorum caput eſt Vienna) *vitam exegit: reliqui ægre multis obſequiis reditum impetrarunt, & ſuam uterque* (Antipas reor ac Philippus) *Tetrarchiam.* Scribebat Geographica ſua Strabo circa annum Iulianum 64. & 65. ſeu annos Chriſti veros 23. & 24. ut alibi probo. Id eſt, poſt hunc Iulianum 52. annis fere tredecim. Eorum igitur interfluxu, & Archelaum Viennæ mortem obiiſſe, & fratres ejus apud Auguſtum cauſam dixiſſe neceſſe eſt; ſi Straboni fides. Ita Archelaus anno ante Chriſti Paſſionem ferè undecimo, miſer exul exceſſerit. Antipas ac Philippus fratres ægrè (ſubdit Strabo) nec niſi multis obſequiis reditum impetrarunt. Unde intelligimus, Herodem

Herodes Tetrarcha condit Tiberiadem.

Galilææ Tetrarcham, Auguſto jam vitâ functo, ne Tiberii quoque gratiâ excideret, ad condendam Tiberiadem, Joannis Evangelio celebrem, animum adpuliſſe, potioréque parte ante Chriſti Prædicationem perfeciſſe.

Quirinius in Syriam Præſes venit.

4. Subdit Ioſephus Orig. lib. 17. planè finiente: *Cæterum ditione Archelai contributâ Syriæ, miſſus eſt illuc à Cæſare vir Conſularis Quirinius,* Κυρήνιος Græcè, ut & in Lucâ, *qui Cenſum ageret per Syriam, ſimul ipſius Archelai domum venderet.* Mox ineunte libro 18. *Erat Quirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad Conſulatum uſque provectus, & in primis clarus; in Syriam à Cæſare miſſus, ut jura populis redderet, facultateſque cenſeret omnium. Cum eo venit Coponius, eque-*

Coponius Judææ Procurator.

ſtris apud Romanos Ordinis (ſicut Quirinius Senatorii) Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ, *cum omni ſeu plena in Iudæos poteſtate.* vitæ nimirum ac mortis. *Quin & ipſe Quirinius in Iudæam venit, jam attributam provinciæ Syriæ, ut omnium facultates percenſeret, & Archelai*

Cenſus in Syria & Judæâ.

pecunias in poteſtatem ſuam redigeret. Illi verò (Judæi) *tametſi primùm ægrè ferrent Deſcriptionis ſive Cenſus mentionem; non ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo authoritati Pontificis Joazari, qui Boethi filius fuit. Atque ita illius ſuaſu, Cenſus ſine controverſiâ peractus eſt,* ait Joſephus capite primo libri 18. & quidem cap. ſeq. tertio, *poſt victoriam de Antonio ad Actium reportatam, anno trigeſimo ſeptimo.* cujus anni priores

Anno ab Actiacâ pugnâ 37.

quatuor menſes, cum anno Iuliano 51. seneſcente: poſteriores octo, cum quinquageſimo ſecundo procedente concurrerunt. ſicque Cenſus iſte per totum eum annum 52. ſi non etiam ultra, productus eſt,

quo decimus Archelai à viceſima die Martii labebatur.

Annus Sabbathicus, & Iobelæus.

5. Anno autem ſuperiore; Iuliano 51. uſque ad ejus autumnum, Sabbathicus ſimul ac Iobelæus annus decurrerat (ut benè Vendelinus noſter advertit) quem Iudæi tanquam verum & inſigne ſuæ libertatis indicium celebrare conſueverant. Cui Cenſus Romanus, quo ſingulorum facultates cenſebantur, tum fortè compoſitus, tanto gravius ſervitutis indicium, & velut infame ſtigma Iudæis apparebat.

Iudæ Gaulanitæ rebellio ob Cenſum.

Iudas ergo quidam Gaulanites, ait Ioſephus eodem cap. 1. libri 18. *ortus ex oppido Gamalà, adjuncto ſibi quopiam Sadduco Phariſeo*, captatâ iſtâ occaſione, *populos ad defectionem ſollicitare non omiſit: Cenſum nihil aliud quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem eſſe dictitans: & univerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans.* nempe *qua Abrahæ ſemen eſſet, & nemini ſervîſſet unquam*, Ioan. cap. 8. v. 33. *fore enim, ut re benè geſtâ, fortunis ſuis fruantur feliciter, & in earum poſſeſſione confirmati, fortitudinis quoque ſibi laudē parent. Nec ſperandum celeſtis Numinis auxilium, niſi ſuis ipſi quoque rebus conſulant. Accipiebantur hæc pronis vulgi auribus; ita ut ad aliquid audendum accenderentur. Atque ita dici vix poteſt, quantum hi viri totam gentem conturbaverint, dum cædibus ac latrociniis, promiſcuiſq; (nullo amicorum aut inimicorum reſpectu) prædationibus, & inſignium virorum cædibus omnia miſcent; libertatis quidem publicæ propugnandæ prætextu, ſed revera privatorum lucrorum ſtudio. Itaque conficientibus ſe mutuo civibus & furioſiſſimâ contentione certantibus, ne externus quidem interim ceſſabat hoſtis. Ac ne extrema quidem fames fortè ſuperveniens eos compeſcere potuit, quò minus ſævirent expugnandis oppidis, & civili ſanguine fundendo. donec poſtremò malum eò progreſſum eſt, ut* (poſt annos 63.) *hoſtilis flamma Dei templum invaderet. Adeo periculoſum eſt patrios ritus convellere. Nam Iudas & Saddocus, omnium harum calamitatum auctores fuere; dum ſuper tres priſtinas ſectas, novam quartam inducunt; & novitatum cupidos affatim ad ſe contrahunt. Nam hi* (ut addit capite proximè ſequenti) *tametſi cetera cum Phariſæis conſentiunt, conſtantiſſimo tamen libertatis amore flagrant. Deum ſolum credentes habendum Dominum ac Principem; facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera cum cognatis atque cariſſimis ſuis perlaturi, quàm mortalem aliquem appellaturi Dominum.* Ita Ioſephus lib. 18. cap. 1. & 2. & libro 7. Excidii cap. 28. Latino, Græco autem 30. Qui rurſum pergit capite tertio.

6. *Quirinius autem venditis & confiſcatis Archelai facultatibus, peracto jam Cenſu* (*qui incidit in annum trigeſimum ſeptimum ab Actiaca Cæſaris adverſus Antonium pugnâ*; ſeu annum U. C. 760. Julianum 52) *cùm mota eſſet contra Ioazarum Pontificem plebis ſeditio, eum hac dignitate privavit, & Ananum Sethi filium ſubſtituit.*

Ananus ſive Annas Judæorum Pontifex à Quirinio factus.

Hic Ananus eſt Annas in Evangelio & Chriſti Paſſione celebris, qui filios quinque ſucceſſivè Summos Pontifices habuit; ut ſuis reddit annis Joſephus; & qui Pontificatum hunc annos octo totos, ad annum uſque Tiberii primum obtinuit. quo Valerius Gratus Procurator advenit, alterumque ſuffecit, Iſmaëlem Phabi filium. Neſcio porrò an Quirinius toto iſto anno Iuliano 52. ætatis Chriſti undecimo, Hieroſolymis aut in viciniâ perſtiterit. quando odioſa lentaque res erat Cenſus iſte; utpote prima adeoque inuſitata facultatum omnium recenſio, quæ & ſeditionem tantam moverit. Cumque Cenſum hunc Ioazari Pontificis authoritate ſuaſúque, ſine controverſiâ peractum diſertè notet Ioſephus, nonniſi anno hoc cum Cenſu exacto, abdicaverit Anano ſuffecto. & Quirinius poſt eum Antiochiam Syriæ redierit.

Hunc ſolum Quirinii Cenſum agnoſcit Joſephus hiſtoricus.

7. Ceterùm videa, mi Lector, nullam hîc, uti neque libro 7. Excidii, cap. 28. à Joſepho fieri prioris alterius Cenſus, à Quirinio in Syriâ Judæâve accepti mentionem: cùm id tamen maximè monendum eſſet. ratióque præſertim reddenda, cur in Chriſti nati Cenſu, minus quàm in iſto mota ſeditio. Unum duntaxat hunc Quirinii agnoſcit; ceu primum ac propriè dictum, Judææ peculiarem; eóque ſeditioni prorſus obnoxium. Quippè quo Judæorum non capita ſingula duntaxat, ut priore ſub Saturnino; ſed & facultates omnes accuratè deſcriptæ cenſitæque; quo tributorum modus aptus imponi poſſet. Simul Numiſma Cēſus tunc in Judæâ cudi cœptum, quod ab unoquoque penderetur. Quod nunquam anteà viſum, Judas Galilæus certum ſervitutis jugum ac ſtigma interpretabatur: quaſi tota gens eo dominata redemptáque eſſet.

Quo primùm Cenſæ tunc Judæorum facultates.

Sanè maximam hanc & arduam Cenſûs integri partem extitiſſe, Claudius imperator Oratione ſua ad Senatum pro Gallis (de quâ nos è Lipſio in Tacitum ſuprà) teſtatur, cum ait: *Quamvis nihil ultra, quàm ut publicè nota ſunt facultates noſtræ, exquiratur.* Erant quidem aliæ plures Cenſus partes; nempe nomen dare; patriam ac parentes, ætatem, artem, conditionem adſcribere; fidem juramento firmare. Sed hæc & ſimilia pleraque facilè ferebantur: ſola facultatum ſub juramento facta declaratio, & conſtitutus inde tributi Capitationiſve modus exaſperabat, & in ſeditionem impellebat. Quare prior in Chriſti Nativitate Cenſus, nullâ facultatum deſcriptione, nihil motûs excivit.

Eáque præcipua rebellionis occaſio.

Adde, quòd in Chriſti Nativitate, Judæa nondum erat Romanorum Provincia, Regi adhuc proprio gentilíque, tametſi Romanis obnoxio ſuberat: Jam Provincia fiebat; ab externo Procuratore, non ultrà à populari Rege gubernanda: certo indignæ ſervitutis argumento. Ac Quirinius quidem Cenſu peracto, in Syriam rediens, Coponium Procuratorem primum, Magiſtratum inuſitatum externúmque reliquit: anno, minimùm Juliano 52. completo, ſi non & 53. jam currente. qui jam deſcribendus.

Judæa tunc primum facta Romanorum Provincia.

CAPUT XIII.

Annus Chriſti duodecimus, quo inter Doctores inventus. Coponio Iudææ jam Procuratore. Nova Græcorum à Chriſto Epocha.

Anno U. C 761. Iul 53 à Chr. nato 12.

Annus U. C. 761. Julian 53. Chriſti verus 12.

1. SEQUITUR annus CHRISTI duodecimus, ſive bis ſextus; quo in faſtis Romanis Biſſextilis dies legitimè conſtitutus, diebus tribus ex nimiâ Pontificum intercalatione antea ſuperfluis, totidem nunc intercalationum, per annos duodecim omiſſione, Auguſti juſſu ſucciſis. ut ſuperiùs abundè dixi. *Ex qua diſciplinâ* (addit Solinus cap. 3.) *omnium poſtea temporum fundata ratio eſt.*

2. In hunc annum Chriſti duodecimum rectè incurrit Judaica Coponii Procuratoris Præfectura. quæ proinde ad illa Lucæ verba cap 2. v.42. penitus intelligenda quaſi manu nos ducit. *Cùm factus eſſet JESUS annorum duodecim, aſcendentibus* ejus parentibus *Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti* Paſchalis, aſcendit & ipſe: *conſummatiſque diebus cùm redirent, remanſit puer in Jeruſalem: & non cognoverunt parentes ejus.* Cur in Ieruſalem repetitur, manetque diebus etiam pluribus puer JESUS, rectè *cùm factus eſſet annorum duodecim?* Regno ſcilicet tum primùm exutus, & in Galliam procul à Judæa relegatus erat Archelaus; quem ex Ægypto cum MARIA puerόque JESU rediens *Ioſephus, & audiens eum regnare in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuerat illò ire, Nazarethúmque ſe contulerat.* metuens ne ex eadem patris ſuſpicione, & invidiâ *quæreret animam pueri.* Metum omnem iſtum eraſit primus Procurator Coponius, externus, nihil ad Iudæos Iudæorumque Reges attinens, nihil de Regis novi vaticiniis ſollicitus. Metu ſolutus ergo JOSEPH, puerum jam duodennem ad Paſcha palàm duxit. & puer ipſe Principes Sacerdotum ac Scribas populi, Herodis Archelaique palpones & adulatores, nihil ultrà veritus, divinitatis ſuæ ſcintillas & argumenta proferre cœpit intrepidus: *Sedens in medio Doctorum, audiens illos & interrogans.* Ac licèt *ſtuperent omnes qui eum audiebant, ſuper prudentiâ & reſponſis ejus*; vanuerat tamen novi Regis à Magis nuntiati ſimul & adorati memoria; multùm certè remiſerat affectus, nulla jam à Coponio peregrino homine præmii ſpe. Adeo ecce Chronologia noſtra Matthæi Lucæque Evangeliis, Ioſepho hiſtorico, Dioni aliiſque per omnia miro conſenſu reſpondet.

JESUS venit Hieroſolymam ad Paſcha

Sedet in medio Doctorum.

3. Quadrat item non malè, quod ſub eodem Coponio factum narrat Ioſephus, Antiq. lib. 18. c. 3. *In feſto Azymorum, quod Paſcha vocamus, mos eſt Sacerdotibus, poſt mediam noctem Templi januas aperire. Tunc igitur quamprimum aperta ſunt, Samaritani quidam Hieroſolymam clam ingreſſi, oſſa humana per porticus totúmque Templum diſperſerunt. Quo factum eſt, ut poſt hæc Sacerdotes, ſolito diligentiores cuſtodias agerent.* Quâ audaciâ tantam templi pollutionem tùm primùm auſi Samaritani; niſi quia nullus tùm primùm Hieroſolymis Iudaicæ Religionis Rex aut Præfectus eſſet? Procul certè ab eâ (uti vocabant) ſuperſtitione, aberant Quirinius atque Coponius: ille maximè; qui annis jam antè vix ſeptem Caium Auguſti filium adoptivum, cujus tum erat Conſiliarius, Iudæam prætervehentem, quòd apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, ab Auguſto collaudatum (teſte Suetonio Aug. cap. 93.) probè meminerat. Unde & hoc quoque priore ſub Coponio Paſchate cõtigiſſe reor.

Templum oſſib' mortuorum inſperſum.

4. Nec deſunt tamen, qui Ioſephi narrationem hanc creditu difficilem exiſtiment. Quomodo enim Templum ingredi potuerunt tot Samaritani, tantâ oſſium mortuorum quantitate onuſti? Quomodo & tot illis Templum otiosè inſpergere, quod tot Sacerdotes ac Levitæ quotidie, ac ſolemnitate Paſchali maxime, tantâ vigiliâ cuſtodiebant? Samaritanos iſtos, potius Angelos, ſuo famulantes conditori, vero Samaritano, fuiſſe putant: quem licet duodennem, Meſſiam tamen ſe tantâ ſapientiæ manifeſtatione prodentem, Sacerdotes ipſi non agnoverint, mortuis utique ſimiliores quàm vivis; oſſa magis mortuorum, quàm homines: quorum malitiâ aut ſtupore pollueretur Templum. Quare nec Chriſtus illis ultrà relictus eſt: ſed á parentibus poſt triduum inventus, Nazarethum non invitus traductus eſt; nullam deinceps illis divinitatis ſuæ ſcintillam, per totos octodecim annos, uſque ad ætatis annum triceſimum, emiſſurus. Parentibus ſuis in obſcuro vico, tam mirabili ſilentio, tam diu ſubditus; quantumvis ſapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum homineſque proficeret; ut Lucas capite 2. Quin ut ſe tanto magis occuleret, fabrilia & viliſſima quæque exercere minimè gravatus eſt. ut Marcus cap. 6. v. 3. & Iuſtinus de veritate Chriſtianæ Religionis.

Mirabile Chriſti ſilẽtium per annos 18.

5. Illud denique hic moneo, Græcorum Scriptores, nec paucos nec ignobiles, Æram ſuam à Chriſti Nativitate (ut putant) non ante annum Julianum 53. expletum, Chriſti verum 13. Dionyſianum nonum ineuntem exordiri. Atque ita veram Chriſti Æram ſeu Supputationem duodecennio toto, Dionyſianam quâ hodie utimur, octennio toto morari. Tales ſunt Maximus Monachus, ſcribens anno Chriſti vulgari ferè 640. Georgius Syncellus anno Chriſti 792. florens. Syncelli continuator Theophanes; & Theophanis Interpres Miſcella, ſeu Paulus Diaconus: Scriptor Vitæ S. Euthymii, & S. Sabæ Abbatum; aliique.

Nova Græcorum a Chriſto Epocha.

6. Porrò ejus Æræ duplex videtur origo, prior ab hiſtoriâ, poſterior à caſu. Ab hiſtoria eſt, hæc Quirinii Syriaca Judaicaque Deſcriptio, quaſi in Lucæ Evangelio certò deſignata. Quæ cùm à Ioſepho in annum Actiacæ pugnæ 37. disertè referatur, ſi annus iſte 37. à ſecundâ Septembris, anni Iuliani quintidecimi advocetur, ut debet, in annum Iulianum 52. Chriſti Dionyſianum ſeptimum poſteriore, ſed majore ſui parte incidet. Si à cæſis uno poſt anno Antonio & Cleopatrâ, Ægyptiorum more; in Iulianum 53. in vulgarem item Chriſti ſeu Dionyſianum octavum incurret. Prior calculus Dionyſianum annis ſeptem, poſterior totis octo moratur. Poſterior origo à caſu inde orta; quòd ſic videbant annum Chriſti 34. quo eum paſſum exiſtimabant, in Dionyſianum 42. Iulianum 87. incurrere, Cyclo Lunæ quinto, Solis 23. Literâ Dominicali G. Qui Cycli Lunam Paſchalem quintam decimam, in Martii 23. feriamque ſextam; ſeptimamdecimam verò in diem Dominicum, Martii 25. indicunt. quibus diebus Chriſtum rectè & paſſum & reſurrexiſſe, ex antiquiſſimâ traditione, & ex Synodo Cæſarienſi tenebant. Ibi ergo hæſerunt.

Quaſi Quirinii Censu.

Tum ob Characterẽ Paſſionis Chriſti.

7. Verùm boni viri dum Charybdim evitare ſe credunt, in Scyllam inciderunt. Certum eſt, Evangeliſtarum teſtimonio, *Chriſtum in diebus Herodis Regis natum.* Illi Chriſti Nativitatem annis poſt ejuſdem Herodis interitum, ferè decem ſtatuebant. Rurſum ex iiſdem Evangeliſtis æquè conſtat ſub Pontio Pilato paſſum: Illi ferè ſex annis totis poſt eumdem Pilatum à Vitellio Iudæa pulſum Chriſti Paſſionem defigebant; toti in hunc Quirinii Cenſum, novem poſt Herodis interitum annis à Ioſepho relatum; ut & in Cyclos Paſchales tam commodè quadrantes defixi: eóque graviſſimè decepti: ne quid de aliis inſuper abſurdis dicam.

Sed plura in eâ abſurda.

BELGII ROMANI

ECCLESIASTICI ET CIVILIS,

LIBER TERTIUS.

Ab anno Chriſti nati vero 13. Dionyſiano ſeu Vulgari 9 ad ejuſdem 35. & 31. ſeu ad Chriſti Aſcenſionem, & Acta Apoſtolorum. Per annos 23.

PRÆFATIO.

HACTENUS Chriſti Nativitatem & Infantiam, Belgicis rebus immixtam, pro virili pertexuimus. memores non Civilia modò nos, ſed & Eccleſiaſtica retexere; Eccleſiaſticorum porro omnium fontem unicum eſſe CHRISTUM. Nunc cum abs anno ejus duodecimo explicato, ad ejuſdem triceſimum primum, nihil de illo memorent Evangeliſtæ; ſed res geſtas ejus omnes, quarum nulla non admirabilis, æque mirabili ſilentio tranſmittant; nos quoque Eccleſiaſtica, tametſi non Judaica, eo temporis intervallo tranſmittere, & ad Civilia noſtra Belgica redire cogimur. In quibus Illyrico bello patrato, ad Varianam cladem ſanè memorabilem pertigeramus. ea fuit Legionum trium Romanarum, totidemq; alarum, quæ hactenus in Belgicâ Romanâ maximè Inferiore, cum aliis de more ſtativa habuerāt. ad Belgium proinde noſtrū, quod contra Germanos tranſrhenanos tuebātur, maximè pertinens. Illam ergo jam paulò fuſiùs & accuratiùs exequar. cùm Germanorum aliquot Stemmata præmiſero.

GERMANORUM ALIQUOT PRINCIPUM, SUB AUGUSTO, TIBERIO, &c.

STEMMATA.

N Sicamber, hodie Weſtphal.:

- MELO anno Juliano 30. Auctor & Dux Sicābrici belli, Strabo lib. 7. Inde nomen Melobaudes.
- BAITORITUS Melonis frater. Non fuit triumphatus cum filio à Germanico anno Jul 62. Chriſti vero 21. vulgari 17. fortè tunc mortuus cum Melone. an ſe occiderant, tædio tranſlationis.
  - THEUDORIX Sicamber, triumphatus à Germanico, anno Jul. 62. U. C. 770. 26. Maii, ut Strabo l 7. & Tacit. ann. 2. Igitur anno 24 poſt Sicambros in Gallias anno Jul. 38. finiēte traductos. Scilicet vel cum exiguâ illâ Sicambrorum portione remanſerat, vel Uſipiis ſe miſcuerat & Tenchteris, vel ad Bructeros Cheruſcoſque profugus bellum geſſerat.

N Cheruſcus hodie Brūſuicenſis:

- INGUIOMERUS *Arminii patruus*, Tac. ann. 1. & veteri *apud Romanos auctoritate*. credo quia contra Drusum Germanici patrem, aut contra Tiberium bellaverat. Natus primis annis Julianis.
- SEGIMERUS Cheruſcus. Velleius l 2. cum Vari cladem ſeriberet aggreditur. Natus circa primos annos Julianos.
  - *FLAVIUS Arminii frater, inſignis fide, quam adverſus Romanos volentibus Germanis ſumpſit* (ante Vari cladem) *&* *nunquam omiſit amiſſo per vulnus oculo, paucis ante annis* (mox a Vari clade, anno Juliano 55. vel 56) *duce Tiberio* Tac ann. 2. anno U. C 769 Jul. 61 & Ann. 11. Uxor illi ex Catumero Principe Chattorum. Tac, ibidem ejus filius,
    - ITALUS Romę ortus. A Claudio Imp Cheruſcis petentibus (cū per interna bella nobiles amiſiſſent; Rex datus, anno U. C 800. Jul. 92. Mox à ſuis bello petitus, victor fuit. Inde pulſus. Rurſus Longobardorum opibus refectus: per læta, per adverſa, res Cheruſcas afflictabat. *Tac ann. 11.*
  - ARMINIUS obiit anno U. C. 772. Jul. 64. juxta Tacitum, niſi forte biennio anticipet. ætatis 37. potentiæ 12. explevit. Tacit. ann. 2. fin. De 64 ſublatis 37 relinquuntur 27. quo ipſo Jul. anno natus fuerit, vel ſequentibus his, pace prima cum Germanis anno Jul. 38. fin. facta annorum erat 10 9 vel 8. *VARUM cecidit* anno Jul. 54. ætatis ſuæ 27 vel 28. potentiæ ſeu regni 3. ineunte. aut ſi 1. (ex Vari n. cæde potentiā adeptus videri poſſit) biennio ſerius obiit, & ſerius natus fuerit. *MAROBODUUM fudit* an Jul 62 ætatis 35. aut 33. Olim Romanis in caſtris ductor popularium meruerat eoque pleraque Rom. ſermone interjaciebat. Tac. ann. 2. *Aſſiduus militiæ noſtræ priorum comes, & jam Civitatis Romanæ jus, equeſtremq; conſecutus gradum*, ait Vell ſub Tiberio ſcilicet jam adoptato. quando & Velleius ipſe fuit ejus miles, ann. Jul 50.
  - ♀ *THUSVELDA Arminii uxor*, Strabo l 7. Rapta ab eo. Tac ann 1. A patre ad Germanicum prægnans adducta an. Jul. 62. poſt triumphū tamē nō hoſtiliter habita. Tac. an. 2.
    - THUMELICUS natus cis Rhenū (ut videtur) anno U C 768 fin. Jul. 60 Tac. annal. 1. Tres annos natus erat in triumpho Germanici, anno Julian. 62. Maii 26. Strabo l 7. Tacit. l. 2. Ravennæ educatus, inde ludibrio conflictatus. Tacit. l. 1.

N Cheruſcus hodie Brūſuicenſis:

- SEGESTES Cheruſcorum Princeps, Civitate Rom ab Auguſto donatus. anno circi Julian. 38. fin. poſt pacē primā Inde Romanis ſemper fidus, *pacem quàm bellum probabat* Arminio, filiæ alteri pactæ rapto, inimicus. ab eo aliquādo vinctus, & quem etiam vinxit. Tac. ann. 1. Vidit triumphum Germanici ut amicus. anno Jul. 62. Strabo l. 7.
  - SEGIMUNDUS, Legatus patris ad Germanicum juvenis cūctabatur *quod anno quo Germaniæ defecere, Jul. 54. Sacerdos apud aram Ubiorum, ruperat vittas, profugiens ad rebelles.* Tacitus ann. 1 anno Jul. 60. Tunc in ripam Gallicam cum patre & ſorore receptus.
  - ♀ SESITHACUS maritus RHAMIS Chattæ. Strabo l. 7. in triumpho Germanici. Tac. ann. 1 *Cunctantibus veniam mereri, quia Vari corpus inluſiſſe dicebatur.* Ibid.
- SAGIMERUS Ægimerus Straboni Segeſtis frater à Stertinio Romano deditione acceptus; & cum filio in civitatem Ubiorū perductus Non tamen Germanico triumphatus, ut filius. Strabo; forte quod tunc mortuus, aut cum Segeſti fratre Rom junctus. Dio tamē l. 56 Segimeru Arminio jungit.

Chattorum Principes hodie Haſſorum ſeu Heſſorum:

- ACRUMERUS, Manuſcripto Vatic. ACTUMERUS; vulgatis Taciti editionibus CATUMERUS, Princeps Chattorum Tac. ann 11.
  - RHAMIS Chatta, uxor Seſithaci Cheruſci. Strabo l 7.
  - N. Chatta uxor Flavii ſupra, ex Actumero ſeu Catumero Principe Chattorum. Tac. ann. 1.
- ARPUS Chattorum Princeps. ejus conjux, &
  - Filia N captæ à Silio Germanici Legato, anno U. C. 769. Jul. 61. Tac. ann. 2. Veriſimiliter triumphatæ.
- LIBYS Chattorum Sacerdos, triumphatus à Germanico. Strabo l. 7.

MARSORUM Dux Malovendus, nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defoſſam Varianæ legionis Aquilam modico præſidio ſervari indicat. Miſſi qui recluderent humum, & adſunt fortuna. Tac. ano 2. U. C. 769. Jul. 61.

CAPUT PRIMUM.

Variana clades. non procul à Viſurgi in Chattis ſeptemtrionalibus.

Anno U. C. 762. Iuliano 54. ab Actiaca Victoria 39. deſinente. Chriſti vero 13. Dionyſiano ſeu vulgari nono.

Variorum de clade Variana judicium. *Suetonius.*

1. SUETONIUS Auguſto cap. 23. *Graves ignominias Auguſtus cladesque, duas omnino, nec alibi quàm in Germania accepit, Lollianam & Varianam: ſed Lollianam majoris infamiæ quàm detrimenti*: in Germania Inferiore Ciſrhenanâ ſeu Belgica: *Varianam* in Transrhenanâ *penè exitiabilem; tribus Legionibus, cùm Duce Legatisque, & auxiliis omnibus caſis.* Lollianam ſuprà anno ante hunc 25. Juliano 30. U. C. 738. vidimus. Varianam hoc anno U. C. 762. Iuliano 54. Chriſti vero quidem 13. Dionyſiano nono. Utraque Belgio noſtro contiguo, ſi cui alteri Provinciæ, fuit terribilis ac periculoſiſſima. Velleium iſta videntem ante alios omnes audiamus.

Vell. l. 2.

2. *Tantum quòd ultimam impoſuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæſar* Tiberius *manum: cùm intra quinque conſummati operis dies, funeſta ex Germaniâ epiſtola caſi Vari, trucidatarúmque Legionum trium, totidémque alarum & ſex cohortium* allatæ ſunt. *velut in hoc ſaltem tantummodo indulgente nobis fortunâ, ne occupato Duce ſæviret. Ordinem atrociſſimæ calamitatis, quâ nulla poſt Craſſi in Parthis damnum, in externis partibus gravior Romanis fuit, juſtis voluminibus exponemus.* Sic & Suetonius Tiberio: *Iam*

Tiber. c. 17.

perſeverantia grande pretium tulerat Tiberius, toto Illyrico ad Macedoniam uſque perdomito, & in ditionem redacto. Cui gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit. Nam ſub id ferè tempus Quintilius Varus cum tribus Legionibus in Germaniâ periit. nemine dubitante, quin victores Germani juncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum prius Illyricum eſſet. Ita illi. nos etiam ceteros afferemus.

Lib. 4. c. 12. & ult.

3. Florus: *Germaniam* Auguſtus *utinam vincere tanti non putaſſet! Magis turpiter amiſſa eſt, quàm glorioſe acquiſita. Sed in patris (ut diximus) honorem, concupierat facere provinciam: & factum erat, ſi Barbari tam vitia noſtra, quàm imperia ferre potuiſſent. Sub Druſo quidem & poſtea, ea in Germania pax fuit, ut mutati homines, alia terra, cœlum ipſum mitius molliúsque ſolito videretur. Sed difficilius eſt Provincias obtinere, quam facere. viribus parantur, jure retinentur. Igitur breve id gaudium fuit.* Nempe triennale; ab ultimâ quidem pace, ob Dalmaticum Pannonicúmque bellum, renovatâ. *Quippe Germani victi magis quàm domiti erant: Moréſque noſtros magis quàm arma ſub Imperatore Druſo ſuſcipiebant.*

Dio l. 56.

4. Dio lib. 56. *Adverſus ea* τῆς Γερμανίας, *ex Germania Ciſrhenanâ allatus nuncius Tiberii de Illyrico triumphum impedivit. Loca quædam* ἐν τῇ Κελτικῇ, *in Germania tranſrhenana Romani tenebant; non ſimul, ſed ut fortè ſubacta fuerant, hinc inde. quam ob cauſam in hiſtoriis nulla fit eorum mentio:* Trans Rhenum quidem, nulla alia hoc tempore memorantur, quàm Aliſo ad caput Lupiæ; Amiſia, hodie Embden, & Caſtellum in Chattis prope Rhenum, & in Tauno monte. ſi ea diverſa ſint. *In iis locis* (circa Aliſonem maximè) *hiberna Romani milites habebant, colonias condebant: mores eorum jam Barbari accipiebant, in forum conveniebant, congreſſus cum eis pacatos habebant. Neque tamen patriarum conſuetudinum, morum innatorum, libertatis, armorúmque potentia obliti penitus erant. Itaque dum paulatim & viâ quadam in cuſtodia habiti ea dediſcerent; mutationem vitæ ſuæ adeò gravate non ferebant, ut ne ſentirent quidem.*

Varus Germaniæ Inferioris Præfectus, Saturnini hic quoque, ut in Syria, ſucceſſor.

5. *Ubi verò Quinctilius Varus, poſt adminiſtratam Syriam,* τῆς Γερμανίας *Germaniæ* Ciſrhenanæ *Præfectus* (Sentii Saturnini ſcilicet, ut prius in Syriâ, ſic modò in Germania, anno ferè Juliano 51. aut 53. ſucceſſor) *rebus ibi gubernandis ſuſceptis, inſtituit eam gentem ſubito transformare, tanquam ſervituti ſubjectis imperare, pecuniáſque ut à ſubditis exigere; Germani ejus inceptum non tulerunt. Primoribus quidem ipſorum* (puta Arminio jam adulto, & annorum præter propter 27. Segimero item Thuſueldæ patruo, fortè & Inguimero, ipſius Arminii itidem patruo, & ſiquibus aliis) *amiſſum principatum deſiderantibus: vulgo autem conſuetam rerum rationem peregrinæ dominationi anteferente. Quia verò Romanos multos apud Rhenum* (inter Legiones ibi excubantes) *multos apud ſe,* in novis præſidiis *verſari videbant; palam tentare non audebant. Ideoque Varum ita acceperunt, ut omnibus ejus juſſis obtemperaturi viderentur. Procúlque eum à Rheno* (ubi octo Legiones excubare ſolebant) *in Cheruſcorum* (hodie Brunſuicenſium) *fines, ad flumen Viſurgim* (mox clade noſtra nobilem ait Velleius) *abduxerunt.* Dio.

Ex octo ad Rhenum legionibus, tres ſecum in Germaniam tranſrhenanam abducit.

6. Superiùs aliquoties, octo ad Rhenum Legiones ab Auguſto ſtatutas monuimus, commune in Transrhenanos Galloſque ſubſidium, & ipſum Imperii robur. Ex iis, ut apparet, quinque Varus ibidem reliquerit; tres alias reliquas Aliſonem ad caput Lupiæ fluminis, in mediam, uti mox ex Velleio, Germaniam, ſeu ut Dio, in Cheruſcos abduxerit. Aut ſi Aliſone jam antè ſtativa habuerant, eas inierit, & à Cheruſcis mox invitatus, ulterius in eos abduxerit.

Velleius.

7. Velleius: *Cauſa & perſona moram exigit. Varus Quinctilius illuſtri magis, quam nobili ortus familiâ; vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobilior; otio magis caſtrorum, quàm bellica adſuetus militiæ. Pecuniæ verò quàm non contemptor, Syria cui præfuerat declaravit; quam pauper divitem ingreſſus, dives pauperem reliquit. Is cum exercitui, qui erat in Germaniâ, præeſſet, concepit eſſe homines, qui nihil præter vocem membráque haberent hominum, quique gladiis domari non poterant, poſſe jure mulceri. Quo propoſito mediam ingreſſus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, juriſdictionibus agendóque pro tribunali ordine, trahebat æſtiva. At illi, quod niſi expertus vix crederet, in ſumma feritate verſutiſſimi, natúmque mendacio genus, ſimulantes fictas litium ſeries, & nunc provocantes alter alterum injuria, nunc agentes gratias, quod eas Iuſtitia Romana finiret; feritáſque ſua, novitate incognitæ diſciplinæ, miteſceret; & ſolita armis diſcerni jure terminarentur; in ſummam ſocordiam perduxere Quinctilium. uſque eò, ut ſe Prætorem urbanum in Foro jus dicere. non in mediis*

Ibi armis omiſſis, jus dicit, & in ſocordiam perducitur.

Florus.

Germania finibus exercitui præeſſe crederet. Velleius. Sic & Florus: *Auſus erat Varus agere conventum, & in caſtris jus dicebat. quaſi violentiam Barbarorum, & lictoris virgis, & præconis voce poſſet inhibere. At illi, qui jampridem rubigine obſitos enſes, inertéſque cernerent equos; ut primum togas & ſæviora armis jura viderunt, Duce Arminio arma corripiunt.*

Inde Germanorum rebellio.

Velleius. Arminii Cheruſci genius.

8. Rurſum Velleius: *Erat Arminius juvenis, genere nobilis, manu fortis, ſenſu celer, ultra barbarum promptus ingenio: Sigimeri principis gentis ejus,* Cheruſcorum, *filius. Ardorem animi vultu oculiſque præferens; aſſiduus militiæ noſtræ prioris comes* (nempe in Germania & Illyrico ante triennium bello) *& jam civitatis Romanæ jus, equeſtriſque conſecutus gradum. Is ſegnitiâ Ducis in occaſionem ſceleris uſus eſt: haud imprudenter ſpeculatus neminem celeriùs opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentiſſimum initium eſſe calamitatis ſecuritatem.* Velleius.] Jam Germani, & maximè rebellionis authores Cheruſci, Varum in fines ſuos, ad flumen Viſurgim, ut ſuprà Dio, abduxerant. Ibi ſumma in pace & amicitiâ ergà eum viventes, in hanc eum opinionem induxere, quaſi poſſent abſque militum operâ in ſervitute contineri. Igitur Varus neque milites, quod in hoſtico fieri debet, uno loco continuit: & milites ex ſuis dedit hinc inde, petentibus infirmioribus ad locorum quorumdam præſidia; vel ad latrones comprehendendos; vel ad cômeatuum ſubvectiones. Erant inter eos qui conſpiraverant præcipui, inſidiarumque & belli Duces, Arminius, & Segimerus. Hi cum Varo ſemper converſabantur; adeóque ſæpiùs epulabantur. Duo fuere Segimeri, alter Arminii ipſius pater, ut jam Velleius dixit: alter Segeſtis frater, uxoris Arminii patruus. ut Tacitus annali ſecundo, & Strabo libri ſeptimi initio. Hunc Segeſtis fratrem cum Arminio conſpiraſſe credo. quia Seſilachus ejus filius Vari corpus mox inluſit. teſte Tacito. Ceterùm Arminium unum, aut certè præcipuum referunt cædis iſtius auctorem Florus & Velleius. ita tamen ut hic plures eum mox adſciviſſe, tantæ rei ſocios & adjutores notet.

Is præcipuus rebellionis auctor.

9. Sic enim pergit: *Primò igitur paucos, mox plures in ſocietatem conſilii recipit: opprimi poſſe Romanos & dicit & perſuadet: decretis facta jungit; tempus inſidiarum conſtituit. Id Varo per virum ejus gentis* (Cheruſcæ) *fidelem, clarique nominis Segeſtem indicatur.* Velleius.] *Erat Segeſtes iſte* (ait Tacitus annali 1.)

Tacitus annali 1.

non minus inſignis in Romanos fide, quàm perfidiâ Arminius, ejus gener. Hic *parari rebellionem ſæpe aliàs, & ſupremo convivio poſt quod in arma itum, aperuit: ſuaſitque Varo ut ſe & Arminium, & ceteros proceres conſcios vinciret: nihil auſuram plebem principibus amotis. Atque ipſi tempus fore quo crimina & innoxios diſcerneret.* Ita Tacitus, qui mox eumdem Segeſtem ſexennio poſt hanc cladem Germanico ita loquentem inducit: *Ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis veſtri Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præſidebat, reum feci. Dilatus ſegnitiâ Ducis, quia parum præſidii in legibus erat, ut me & Arminium & conſcios vinciret, flagitavi. Teſtis illa nox, mihi utinam potiùs noviſſima!* Tacitus.] Sed ut iterum

Velleius.

Velleius, *Prævalebant jam fata conſiliis; omnémque animi ejus aciem perſtrinxerant. Quippe ita ſe res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus eſt* (alii legunt, ut plerumque fortunam mutaturus Deus) *conſilia corrumpat: efficiátque, quod miſerrimum eſt, ut quod accidit, id etiam meritò accidiſſe, videatur; & caſus in culpam tranſeat. Negat itaque Varus ſe credere, ſpémque in ſe benevolentiæ ex merito æſtimare profitetur.* quod & Dio tradit: *Ita fidebat rebus Varus, ut nihil mali expectaret. ac non modò fidem omnem iis, qui rem ut erat ſuſpicantes, eum ut caveret ſibi monebant, abrogabat: ſed eos etiam objurgabat, quod fruſtrà ſibi timerent, illos in invidiam vocarent.*] *Nec diutiùs* (concludit Velleius) *poſt primum indicem ſecundo relictus locus.*

Mira Vari fiducia

Dio lib. 56.

Dio l. 56. Remotiores Germani primi inſurgunt.

10. Nam ut Dio: *Repente ex compoſito primi quidam ex longius ab eo remotis Germani inſurgunt. nimirum ut contra eos proficiſcens Varus, in itinere cladi eſſet opportunior, cùm ſe per amicorum regionem ire crederet; neve ſimul omnibus bellum ſubito moventibus ſibi caveret. Ac res quidem ſic erat comparata: Nam & exercitum abducentem cohortati ſunt; & ipſi tanquam Legiones ſocias adparaturi, celeritérque ſubſidio venturi, domi remanſerunt. Mox acceptis, quæ certo quodam loco jam in promptu erant, ſuis copiis; Romanos primum milites, quos ante imperatorem quiſque ſecum habebat, occidunt. Tum in ſylvis Varum jam invias hærentem aſſecuti; repente pro ſubditis hoſtes ſe oſtendunt: multa Romano exercitui mala & gravia ingerunt. Erant montes convallibus crebris intercepti & inæquales; arbores denſæ & immodicæ proceritatis; quibus Romani etiam ante adventum hoſtium cædendis, viamque parando, & quæ opus habebant pontibus jungendo, defatigati fuerant.* (plures primò dies hic inſumpti.] *Currus autem & jumenta impedimentis ferendis agebant, ut in pace. Sequebantur etiam non pauci pueri, mulieres atque calones magno numero. quo ipſo etiam iter magis incompoſitum facere cogebantur. Interim pluvia cum magno vento ſuperveniens, magis adhuc eos diſſipabat. ſolum lubricum ad radices & truncos arborum redditum, greſſus quàm maximè lapſui obnoxios efficiebat: arborum denique faſtigia confracta dejectaque eos perturbabant.*

Varum in ſylvis invius aggrediuntur.

Pluvia & ventus magnus.

11. *His difficultatibus conflictatos tum Romanos, Germani undequaque, ſimul per denſiſſimas ipſas ſylvas* (*quippe callium periti*) *ſubitò confectati circumvenere. Ac initio eminus tantùm impetiêre. Pòſt, cùm nemo ſe defenderet, multi vulnerarentur, cominùs congreſſi ſunt. Nempe nullo ordine, promiſcuo inter currus itinere, inermeſque, Romani proficiſcentes, neque coire inter ſe facile poterant. & ſinguli à pluribus cùm invaderentur, multa incommoda, nullo hoſtibus reddito, patiebantur. Locum modò ſibi, ut in monte ſylvis obſito, opportunum nacti, caſtra fecerunt. majoreque curruum, & quibus carere poſſent, impedimentorum parte combuſtâ aut relictâ, magis ordinato poſtridie progreſſi ſunt, in locum nemore vacuum. ne hoc quidem ſine ſuorum cæde. Hinc iterum in ſylvas inciderunt. & cùm ab invadentibus hoſtibus defendere ſe conarentur, haud parum hoc ipſis ad cladem contulit. Loco enim anguſto orbem volventes, ut confertim equites ſimul pediteſque in hoſtem incurrerent; non parum partim à ſeipſis partim ab arboribus impediebantur. Is tunc dies eis in itinere conſumptus. & iterum effuſus imber, ingenſque ventus, ſic eos adorti ſunt, ut neque procedere, neque conſiſtere firmiter poſſent; uſu quoque armorum ipſis adempto, ſagittis, pilis, ſcutiſque madentibus: & ideo nullo commodi uſui. Ea hoſtis, quòd plerique levioris erant armaturæ, & aggredi regredique tutò poterant, minus accidebant.*

Pugna primæ diei.

Secunda dies.

Poſtrema pugna. & Romanorum cædes.

12. *Jam etiam aucti numero Germani erant; cùm permulti hactenus ambigui, vel ſolius prædæ nomine ſe illis adjungerent; eóque facilius Romanos, qui ſuorum multos prioribus cladibus amiſerant, & circumdabant & trucidabant. Hinc Varus aliique primores jam acceptis vulneribus cùm metuerent, ne vel in hoſtium poteſtatem vivi venirent, vel ab infenſiſſimo hoſte interficerentur, ſibi ipſi manus attulerunt. rem duram quidem, neceſſariam tamen auſi. Horum auditâ morte, nemo jam, etiam eorum, quibus robur ſuppetebat, ſe defendit. ſed alij Ducis ſui exemplum imitati ſunt, alii armis abjectis cædi ſe præbuerunt. Nam fugere quidem nemo, etiamſi maximè vellet, poterat. Itaque nullo jam impediente metu, viri omnes equique cædebantur.* Hucuſque Dio; deinceps ſuccisſus, ut è Zonara patet.

Taciti de Vari cæde narratio.

13. Huic ſtragi lucem fortaſſis aliquam dabit etiam Taciti narratio, Annali primo, cap. 61. cùm de Germanici in eas partes expeditione ſexennio poſthac, ita ſcribit: *Ductum agmen ad ultimos Bructerorum. quantúmque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum. haud procul Teutoburgienſi ſaltu; in quo reliquiæ Vari Legionúmque inſepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæſarem exercitúmque invadit ſolvendi ſuprema militibus, Ducique Varo ibi taſis. Præmiſſus Cæcina, ut occulta ſaltuum ſcrutaretur. Incedunt mœſtos locos, viſúque ac memoriâ deformes. Prima Vari caſtra lato ambitu, & dimenſis principiis trium Legionum manus oſtentabant.* [nempe, ut Lipſius hic, quoties plures Legiones unis caſtris, principia ſuæ cuique Legioni deſcripta: in quibus Aquilæ & ſigna. item Principia majora.] *Dein ſemiruto vallo, humili foſſâ, acciſæ jam reliquiæ conſediſſe intelligebantur.* [In eo ſcilicet monte ſylvis obſito, ubi caſtra ſecunda, ſecundo die fecerant, aut facere cœperant.] *Medio campi albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, disjecta vel aggregata. adjacebant fragmina telorum, equorúmque artus. ſimul truncis arborum antefixa ora: lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas Tribunos, ac primorum ordinum Centuriones mactaverant. & cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi, referebant, hic cecidiſſe Legatos; illic raptas aquilas: primum ubi vulnus Varo adactum: ubi infelici dextrâ & ſuo ictu mortem invenerit. Quo tribunali concionatus Arminius. quot patibula captivis, quæ ſcrobes. utque ſignis, & aquilis per ſuperbiam illuſerit. Igitur Romanus exercitus ſextum poſt cladis annum trium Legionum oſſa mœſtus ſimul & infenſus condebat.* Ita Tacitus. ex quo quiſque quod volet colligat.

Vellei de eâ pugnâ concluſio.

14. Pergit Velleius: Ita exercitus omnium fortiſſimus, diſciplinâ, manu, experientiáque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore Ducis, perfidiâ hoſtis, iniquitate fortunæ circumventus; cùm ne pugnandi quidem egregiè occaſio, in quantum voluerant, data eſſet miſeris; caſtigatis etiam quibuſdam gravi pœnâ, quia Romanis armis & animis uſi fuiſſent; incluſus ſylvis, paludibus; inſidiis ab eo hoſte ad internecionem trucidatus eſt, quem ita ſemper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus nunc irâ, nunc veniâ temperaret. Duci plus ad moriendum quàm ad pugnandum animi fuit. *Quippe paterni* (in acie Philippenſi) *avitique* (in Pharſalicâ vel Africanâ) *exempli ſucceſſor, ſe ipſe transfixit.* Velleius.] Addit Florus: *Varus perditas res, eodem quo Cannenſem diem Paulus, & fato eſt & animo ſecutus. Nihil illâ*

Florus l. 4. cap. 12.

cæde per paludes, pérque ſylvas cruentius: nihil inſultatione Barbarorum intolerabilius. præcipuè tamen in cauſarum patronos: aliis oculos, aliis manus amputabant. Unius os ſutum, receſſâ priùs linguâ; quam in manu tenens barbarus, Tandem (inquit) vipera ſibilare deſiſte. Florus.] Audiendus hic etiam Seneca epiſtola 47. *Varianâ clade quàm multos ſplendidiſſimè natos, Senatorium per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſulæ fecit.*

Ceionii turpe factum.

15. Proſequitur Velleius: *At è Præfectis caſtrorum duobus, quàm clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Ceionius prodidit. Qui, cum longè maximam partem abſumpſiſſet acies, auctor deditionis, ſupplicio quàm prælio mori maluit. At Volumnius* (alii legunt, *Vala Numonius* fortè rectiùs) *Legatus Vari cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, ſpoliatum equite peditem relinquens, fugâ cum aliis Rhenum petere ingreſſus eſt. Quod factum ejus fortuna ulta eſt: non enim deſertis ſuperfuit, ſed deſertor occidit. Vari corpus ſemiuſtum* (an à Romanis?) *hoſtilis laceraverat feritas. caput ejus abſciſſum, latúmque ad Marobodunum* (in Bohemiam) *& ab eo miſſum ad Cæſarem* (Tiberium credo, non Auguſtum) *gentilitii tandem tumuli ſepulturâ honoratum eſt.* Velleius.] Idem *Vari corpus* Seſithacus Segimeri filius, *inluſiſſe dicebatur*, ait Tacitus annali primo. Nec aliter Florus: *Ipſius quoque Conſulis corpus, quod militum pietas humi* ſemiuſtum *abdiderat, effoſſum. Signa & Aquilas duas* (duarum Legionum) *adhuc Barbari poſſident. tertiam ſignifer, priuſquam in manus hoſtium veniret, evulſit: merſamq́; intra balthei ſui latebras gerens, in cruenta palude ſic latuit.* Florus.] Addit Velleius: *Cùm in captivos ſæviretur à Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cælius, vetuſtate familiæ ſuæ digniſſimus: qui complexus catenarum, quibus vinctus erat ſeriem, ita illas illiſit capiti ſuo, ut protinus pariter ſanguinis cerebrique profluvio exſpiraret.*

Locus tantæ cædis.

16. Tantæ cædis locum adhuc hodiè quærunt viri docti: Teutoburgienſem ſaltum à Tacito vocari, paulò ante audivimus; ſed ubi ille ſit, Cluverius & Lipſius non conſentiunt. Cluverius lib. 3. Antiquæ Germaniæ, capite 15. & 19. vult eſſe *Dietmelle* in Comitatu Lippienſi; Lipſius in Tacitum in eodem Comitatu quidem, ſed ad oppidulum Hornam, magis ad Orientem, ubi ſaltus adhuc hodie Teuteberg, & victoriæ cognomine inſignis campus Winfeldt. Quod magis arridet, & diuturnâ incolarum traditione, & Velleii ſuffragio, qui Variana clade nobilem Viſurgim appellat, prorſus Hornæ quàm Dietmellæ viciniorem. Et ibat Varus in Cheruſcos, quorum ad eum fluvium primi fines. Confirmat Strabo libro 7. *Apud Cheruſcos & horum ſubditos ſeu clientes, tres Romanorum Legiones, cum Duce Quinctilio Varo, contra datam fidem inſidiis circumventa interierunt.* Diem etiam tantæ cladis nemo prodit. Circa aut paulò poſt autumni Æquinoctium contigiſſe colligo, quod Germani licèt victores, præter Caſtelli unius obſidionem, nihil hoc anno moliti ſint. Idem firmant crebræ ventorum pluviarumq́ue tempeſtates; quibus quaſi autumnalibus Varum conflictatum ſuprà ex Dione audivimus.

CAPUT II.

Quid poſt tantam cladem à Germanis victoribus Romaniſq; geſtum.

Germani quibuſdam munitionibus Romanorum potiuntur. *Zonaras è Dione, tomo 2.*

1. IN ſuperſtite Dionis hiſtoriâ, hic mutilâ, vix de hac re quippiam. Zonaras ejus exſcriptor Breviatórve hæc ſuggerit: *Munitionibus omnibus* (Romanorum tranſrhenanis ſcilicet) *Barbari unâ exceptâ* (Aliſone ſcilicet, uti mox è Velleio) *potiti ſunt. Quam dum oppugnant, neque Rhenum ut debebant trajecerunt, neque in Galliam irruperunt. Ac ne caſtellum quidem iſtud occupare potuerunt; obſidendi imperitiâ; & ſagittariorum, quibus Romani utebantur, multitudine: à quibus repellebantur, & plurimi occidebantur. Deinde cùm præſidiis Rhenum teneri, & Tiberium cum magnis copiis adventare audiiſſent, ab Caſtello plerique receſſerunt. Reliqui ne ſubitis hoſtium* Romanorum *incurſionibus infeſtarentur, longiùs digreſſi vias obſederunt; ut penuria commeatus caſtellum expugnarent. Romani verò, quamdiu cibaria ſuppetebant, obſidionem auxilii expectatione tolerabant. Sed cum opem nemo ferret, ac fame urgerentur, tempeſtuoſa nocte captata egreſſi* (*erant autem pauci milites, multi inermes*) *primas ac ſecundas Barbarorum excubias fefellerunt. Apud tertias demum deprehenſi, omnes aut ad internecionem cæſi, aut capti fuiſſent:* (pergit Dio ſi non integer, ſaltem è Xiphilino) *niſi barbari diripiendâ prædâ occupati cœpiſſent. Sic enim factum, ut robuſtiſſimus quiſque evaderet. Ac tubicines, qui cum eis erant, ſignum curſus accinentes, ſe ab Aſprenate* (Vari nepote, & ad Rhenum Legato, uti mox) *ſuis auxilio miſſos, opinionem hoſtibus injecerunt. maximè cum jam ſuperfuſa nocte videre non poſſent. Ea res Germanos ab inſequendo cohibuit, & & Aſprenas re cognita, ſuis auxilium tulit.* Dio.

Romani Aliſone ad Rhenum ſe ſubducunt. *Dio lib. 56.*

2. Eadem fuſiùs ac diſtinctiùs Velleius: *Lucii Cædicii Præfecti caſtrorum, eorumq; qui unà circumdati Aliſone* (en caſtelli Zonariani nomen) *immenſis Germanorum copiis obſidebantur, laudanda virtus eſt. Qui omnibus difficultatibus ſuperatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hoſtium faciebat inexuperabiles, nec temerario conſilio, nec ſegni providentia uſi, ſpeculatiq; opportunitatem* (nocturnæ tempeſtatis ſcilicet) *ferro ſibi ad ſuos* (Rheni præſidiarias legiones ſcilicet) *peperere reditum. ex quo apparet Varum, ſanè gravem & bonæ voluntatis virum, magis Imperatoris defectum conſilio, quàm virtute deſtitutum militum, ſe magnificentiſſimumq; perdidiſſe exercitum.*

Aſprenatis Legati laus. *Velleius.*

3. At de Aſprenate quidem ſic idem Velleius paulò antè: *Reddatur verum Lucio Aſprenati teſtimonium. Qui Legatus ſub avunculo ſuo Varo, naviter ſtrenuéque* [sic: *nava virili*] *opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate ſervavit.* ad Aliſonem excurrendo ſcilicet; ut antè ex Dione. *Tum maturè ad inferiora hiberna* (nota hiberna) *deſcendendo, vacillantium etiam cis Rhenum ſitarum gentium animos confirmavit.*] Vacillabant ecce gentes etiam cis, non tantùm trans Rhenum ſitæ, in iiſque Belgæ noſtri maximè, tanta tot legionum ſtrage tam vicinâ, non immeritò conſternatæ. uſque adeo, ut *Segimundus Segeſtis filius*, *ſacerdos* jam antè *apud Aram Ubiorum creatus*, audita hac clade, *rupit vittas, profugus ad rebelles.* erat Ara iſta Auguſto extructa: ſicut & alia Lugduni, alia apud Lingonas à Druſo eidem dicatæ. & ad utramque Sacerdotes ex primoribus gentis. ut Tacitus annal. 1. cap. 57. & ibi Lipſius. Vacillantes ergo Belgas noſtros Aſprenas maturè confirmavit, eóque laudandus. Sunt tamen, addit Velleius, qui ut vivos ab eo vindicatos, ita jugulatorum ſub Varo occupata crediderint patrimonia; hæreditatemque exciſi exercitûs, in quantum voluerit, ab eo aditam.

Imperii limes ad Rhenum reductus.

4. Subdit Dio: *Poſtea temporis nonnulli quoque captivorum à neceſſariis redempti ſunt: iis enim hoc datum ſed eâ conditione, ut extra Italiam remanerent.* Concludit denique Florus: *Hâc clade factum, ut Imperium quod in litore Oceani non ſteterat, in ripâ Rheni fluminis ſtaret.* Innuit Florus ante cladem Varianam præſidia Romanorum trans Rhenum, uſque ad ipſum etiam Oceanum promota. quod & verum eſt. Amiſia quippe in Cauchis (hodie *Embden*, ad oſtium fluvii cognominis) poſthac ſemper in Romanorum ditione perſtitit, cum quibuſdam caſtellis aliis. ut ſequentia docebunt. Stetit tamen ut ſubdit in ripâ Rheni fluminis Imperium. quoniam ibi octo legiones iterum ab Auguſto Tiberióque reſtitutæ ſuppletæque, ſolita ſua ſtativa reſumpſerunt; præcipuum Imperii robur, & commune in Germanos Gallóſque ſubſidium. Tres abduxerat Varus: duas retinebat Vari nepos ac Legatus Aſprenas, quibus hiberna inferiora confirmavit. Nec ipſa hiberna tunc, ſine milite. Una ſaltem legio, aut aliquot minimum cohortes, præſidio relictæ erant. ſicut & in Superiore Germaniâ; quãdo nec Aſprenas inde præſidium omne, vagantibus adhuc circa Aliſonem Germanis victoribus, abduxiſſe poterat. ut mirum non ſit, ſi mox è Dione audituri ſimus, Germaniam utramque Ciſrhenanam adhuc ita præſidio munitas, ut hoſtis ad Rhenum accedere non auſus ſit. præſertim cùm annus jam in hyemem finemq; præcipitaret. Ad hæc ex vicinis regionibus, Galliâ & Italiâ, nova ſupplementa raptim Aſprenati ſubmiſſa; donec anno proximo Tiberius, novo delectu facto, priſtinam faciem limiti Rhenano reſtituit. Atque hæc poſt eam Vari cladem in Germania tam ultra quàm cis Rhenum eo anno patrata.

Quid interim Romæ geſtum?

Auguſti ingens luctus.

5. Nunc quid Romæ geſtum videndum eſt. Auguſtus (ait Suetonius cap. 23. *nunciata clade Variana, excubias per urbem indixit, ne quis tumultus exiſteret. Præſidibus Provinciarum prorogavit Imperium, ut & à peritis & aſſuetis ſociis continerentur. Vovit & magnos Ludos Jovi Opt. Max. ſi Remp. in meliorem ſtatum vertiſſet. quod factum Cimbrico Marſicoq; bello erat. Adeo namque conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barba capilloq; ſummiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quinctili Vare, legiones redde. diemq; cladis penè exitiabilis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem.* Suet.] Imò (addit Dio) *veſtem ut quidam memorant laceravit. in magno luctu fuit propter amiſſum exercitum, metumq; qui à Germanis & Gallis impendere videbatur: maximè quòd eas gentes, jam ipſam Italiam ac Romam petituras verebatur. Sed neque civium Romanorum juventus magni momenti ſupererat; & ſociæ legiones, quæ alicujus pretii, afflictæ erant. Nihilominus ad omnia ſe, quantũ præſens ferebat rerum conditio cõparavit. Et quoniam ii, qui militari erant ætate, dare nomina nolebant; ex iis qui nondum triceſimum quintum attigiſſent annum, quintum quemque, ex natu majoribus decimum, ut ſors in quemvis incidiſſet, bonis privatum*

Et novi delectûs cura, quem cum Tiberio ad Rhenum ſubmittit.

infamia notavit. Poſtremò, cùm multi ne ſic quidem obedirent, quoſdam morte multavit. Tum collectâ, quantam maximam potuit, celeriter ex emeritis & libertinis per ſortem multitudine, eam manum cum Tiberio in Γερμανίαν nempe (ut ſolet Dio) Inferiorem *ſtatim miſit. & quia complures Galli & Keltæ*, ſeu Germani Tranſrhenani, *Romæ obverſabantur, partim peregrinantes, partim inter Prætorianos militantes* (ut Batavi) *veritus ne quid novi molirentur, hos quidem in quaſdam inſulas miſit, illos inermes urbe exire juſſit. Hæc tum ab Auguſto acta: nec ex more vel alia, vel ipſi Ludi celebrati.* Dio.] Qui

Qui limitē Rhenanum firmat.

6. De Tiberio quod hic dicit, firmat quidem Velleius, ſed neſcio an rectè hoc anno: *Hic auditu revolat ad patrem Cæſar: perpetuus patronus Romani Imperii, aſſuetam ſibi cauſam ſuſcipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, diſponit exercitus, præſidia munit* (nempe ad Rhenum) *ſe magnitudine ſuâ, non fiduciâ hoſtium metiens, qui Cimbricam Teutonicamq; militiam Italiæ minabantur. ultra Rhenum cum exercitu tranſgreditur; arma infert, quæ arcuiſſe pater & patria contenti erant. penetrat interiùs, aperit limites, vaſtat agros, urit domos, fundit obvios. Maximaq; cum gloriâ, incolumi omnium quos tranſduxerat numero, in hiberna revertitur.*] an Inferiora cis Rhenum? Neſcio an horum quædam, in ſequentem annum non ſint producta. Suetonius quidem Tiberio cap. 17. nonniſi anno *proximo Germaniam ab eo repetitam*, clarè ſcribit.

Inde recreatur Auguſtus

* *Ita etiam Græcè habetur.*

7. Subdit Dio. *Secundùm hæc Auguſtus, ubi accepit nonnullos milites cædi ſuperfuiſſe, Germanias** (Inferiorem ſcilicet & Superiorem cis Rhenum, ſeu Belgicas) *præſidio contineri; hoſtem ad Rhenum non auſum accedere* (navâ ſcilicet primùm ac virili Aſprenatis operâ, tum adventu Tiberii repreſſum) *terrore liberatus, conſultationem inſtituit. Videbatur enim ei tantum hoc ac ſubitum malum non ſine dæmonis cujuſdam irâ accidiſſe. ſuſpectamque præterea Deûm voluntatem, propter prodigia quæ ante & poſt eam cladem evenerant, magnopere habebat.* Tu apud Dionem ea lege.]

Juliæ neptis adulteria exilio punit.

* *in Pandatariam.*

8. Qui cùm Deûm iram hîc memorat, tacitè Juliæ Junioris, Auguſti ex unicâ filia item Juliâ, neptis, adulteria hoc tempore patefacta punitaque ſignificat. propter quæ Auguſtus Deorum ſuorum iram placaturus, illam (ſicut anteà matrem ejus*) in Tremerum Appuli maris inſulam relegavit, hoc prorſus anno. Nam Tacitus fidus auctor, ſub finem annalis ſui 4. cap. 71. illam anno U.C. 781. Juliano 73. quo Chriſti Baptiſmum ſtatuimus, *mortem obiiſſe tradit, cum 20. annis exſilium toleraſſet, Auguſtæ Liviæ ope ſuſtentata.* De anno Juliano 73. ſolido tolle viginti labentes, reliquus erit Juliànus 54. qui eſt cladis hujus Varianæ; quo Julia neptis relegata.

Et cum illâ Ovidium Poetam.

Cum eâ Ovidium quoque Poetam, ceu adulteriorum ejus ſufflatorem aut conſcium Auguſtus Tomos in Scythiam projecit. cujus Libri Triſtium, & maximè de Ponto, hunc quoque exilii ipſius annum deſignant. Quin & ipſe quoſdam ſui ex urbe Româ diſceſſus characteres indicat. Primum l. 4. Triſtium e. 3. *Cum Luna nocturnos alta regeret equos*, id eſt Plenilunio, ut volunt: quod circa 20. Novembris hoc anno contigit. Item cùm Lucifer ſeu Venus oriretur manè: quod tunc tribus ante Solis ortum, duabus ante Auroram horis (ut ibidem indicatur) factum planè videtur. Denique cùm Tomos versùs navigaret, mari ſe Adriatico jactatum, *menſe* jam *Decembri*, disertè canit Elegia ejuſdem libri decimâ. Prorſus ut Ovidius Novembri præcipitante, Româ diſceſſerit; tum Brundiſio Decembri ſolverit. ad Varianæ cladis tempus aptiſſimè.

9. Suetonius Tiberio capite 17. cùm dixiſſet eum, Illyrico toto in poteſtatem poſt triennium magnâ perſeverantiæ laude redacto, Romam rediiſſe, ſubdit: *Cui gloria major adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit. Nam ſub id fere tempus Quinctilius Varus cum tribus legionibus, in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani juncturi ſe Pannoniis fuerint niſi debellatum prius Illyricum eſſet. Quas ob res triumphum ſibi decretum ipſe diſtulit, mœſtâ civitate clade Varianâ* moxque immediatè, quaſi Româ eo anno ſe non moverit, ita pergit:

ANNUS U.C. 763. Julian. 55. Suet. Tib. c. 17. & ſeq.

10. *Proximo anno* (nempe U.C. 763. Juliano 55. à vera Chriſti Nativitate 14. à Dionyſianâ 10.) *repetita Germania* (quam ſcilicet bello Illyrico intercurſante reliquerat) *cum animadverteret Varianam cladem temeritate & negligentia Ducis accidiſſe, nihil non de conſilii ſententia egit. ſemper aliàs ſui arbitrii, contentusq; ſe uno; tunc præter conſuetudinem cum pluribus de ratione belli communicavit. Curam quoque ſolito exactiorem præſtitit. Trajecturus Rhenum* (tum primùm ſcilicet, & quem anno priore nondum trajecerat) *commeatum omnem ad certam formulam adſtrictum, non antè tranſmiſit, quàm conſiſtens apud ripam exploraſſet vehiculorum onera: ne qua deportarentur, niſi conceſſa aut neceſſaria. Trans Rhenum verò, eum vitæ ordinem tenuit, ut ſedens in ceſpite nudo cibum caperet, ſæpè ſine tentorio pernoctaret, præcepta ſequentis diei omnia, & ſi quid ſubiti muneris injungendum eſſet, per libellos daret. addita monitione, ut de quo quiſque dubitaret, ſe nec alio interprete, quacunque vel noctu hora uteretur. Diſciplinam acerrimè exegit, animadverſionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam Legato legionis, quòd paucos milites cum liberto ſuo trans ripam venatum miſiſſet, ignominia notato.* Tanta illius erat, ne quis ripam temerè trajiceret, cura: tantus ſubiti cujuſpiam à Tranſrhenanis, & Arminio mali timor: Unde & *prælia minimùm fortunæ caſibusq; permittebat. Sed ea proſperè geſta, non multum abfuit, quin a Bructero quodam occideretur: cui inter proximos verſanti, ex trepidatione detecto, tormentis expreſſa confeſſio eſt cogitati facinoris.* Iſta omnia de hoc poſtremo ac triennali Tiberii in Germaniâ bello, tam in genere ſummatimque Suetonius.

Tiberii trās Rhenum vigilantia.

Velleius de hoc bello Tiberii Germanico narratio.

11. Nec multo particulariùs diſtinctiúſve Velleius, cùm ita ſcribit: *Audita Vari clade, revolat ad patrem* Auguſtum ex Illyrico bello *Cæſar* Tiberius. *perpetuus patronus Romani Imperii aſſuetam ſibi* (jam antè) *cauſſam ſuſcipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, diſponit exercitus, præſidia munit: ſe magnitudine ſua non fiducia hoſtium metiens, qui Cimbricam Teutonicamq; militiam Italiæ minabantur: ultra Rhenum cum exercitu tranſgreditur: arma infert* (ſic enim cum Lipſio lego) *quæ arcuiſſe, pater & patria contenti erant: penetrat interius, aperit limites, vaſtat agros, urit domos, fundit obvios. Maximaq; cum gloria, incolumi omnium quos tranſmiſerat numero, in hiberna* (credo cis Rhenum) *revertitur.* Et hæc quidem proximo ac primo à cæde Vari anno. Nam paucis interpoſitis, quæ nos aptiùs jam antè retulimus, de annis duobus proximè ſecutis, ita pergit: *Eadem virtus & fortuna, ſubſequenti tempore*, nempe 2. & 3. belli anno, *ingreſſa animum Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat. Qui concuſſis hoſtium viribus, claſſicis* ſeu navalibus, *pedeſtribusq; expeditionibus; cùm res*

Galliarum

Galliarum maxima molis, accenſaſq; plebis Viennenſium diſſenſiones, coercitione magis quàm pœnâ molliſſet, in Vrbem reverſus; jampridem debitum, ſed continuatione bellorum (Illyrici & Germanici) *dilatum ex Pannoniis Dalmatiſq; egit triumphum.* nondum ex Germanis, quia nondum, ac ne poſt aliquot adhuc annos, victis atque pacatis. Ita Velleius. duos ſaltem Germanici hujus belli diſtinguens. ſi non & tertium; quo haud dubiè illum ſuum duxit triumphum.

Item Dionis lib. 56.

12. Dubitationem omnem tollit Dio, tres annos ternis Conſulum collegiis disertè recenſens. Anno quippe à Vari cæde proximo (qui eſt U. C. 763 Julianus 55.) *Tiberius*, inquit, *ædem Concordiæ ſacravit, ſuo & fratris Druſi pridem mortui nomine.* Nec plura iſto anno, credo quia priorem Tiberii in Germaniam cum novo milite expeditionem ex occaſione narraverat. Tũ ſubdit: *M. Æmylio Lepido, Statilio Tauro Coss.* (qui à Vari cæde ſecundus annus eſt) *Tiberius & Germanicus (cui pro Conſule erat imperium) impreſſionem in* Κελτικὴν *ſeu Germaniam Transrhenanam fecerunt. Ac nonnullas partes populati, nullo tamen prælio vicerunt; cùm nemo manum conſereret; nec ullum populum ſubegerunt. Veriti quippe ne cladem iteratam acciperent, eò quidem progreſſi ſunt, ut à Rheno non admodum magno abeſſent intervallo. Sed illic alicubi uſque ad autumnum morati, ludis in honorem Natalium Auguſti* (23. Septembris) *actis, in Italiam reverſi ſunt*, &c. Mox annum 3. ità pertexit: *Poſt hæc Conſulatum Germanicus, nondum præturâ functus accepit, C. Capitone Collegâ. ac toto anno geſſit* (Romæ ſemper manens, ut ex ſequentibus colligitur) *nullâ re memorabili peractâ. niſi quod potiores tulit partes, cùm collega Capito obiter tantum numeraretur.* In eo Conſulatu natus eſt ei filius C. Cæſar Caligula, poſtea Imperator, pridie Kalendas Septembres, ait Suetonius Calig. c. 8. additque Plinius Secundus, *in Treviris natum vico Ambiatino ſupra Confluentes*: probatque ex Inſcriptione ibi repertâ. quod & verſiculi eo poſtmodum imperante divulgati confirmant, *In caſtris natus, patriis nutritus in armis*, &c. Quod ſi verum eſt, Agrippinam Germanici uxorem ibidem gravidam remanſiſſe neceſſum eſt, cùm Romam ad Conſulatum Germanicus redivit. Idem Tacitus ſubindicat. *At verò Auguſtus ſenectute gravis Germanicum Senatui, Senatum Tiberio commendavit ſcripto, quod Germanicus ipſe recitavit. Auguſtus autem ipſe à Senatu, ejuſdem belli Germanici excuſatione prælatâ petiit, ne ipſum poſt hac domi ſuæ ſalutarent.* Martis etiam ludos tam in foro ſuo, quàm in Circo fecit, quibus ducentos leones Germanicus occidit. Iſta ferè Dio l. 56. nec aliud præterea de bello Germanico.

Annus U. C. 764. Julian. 56.

Annus U. C. 763. Jul. 57.

Caii Caligulæ Nativitas in Treviris.

Tiberii de Illyrico triumphus.

Præſente Germanico tunc Conſule.

13. Ceterùm mirarer hic Dionem nullam de Illyrico Tiberii triumpho facere mentionem, ſi non ſcirem illum hoc & ſequentibus libris ſucciſum aut mutilum. Mirari tamen non deſino breviatorem, quiſquis fuit, tantæ rei nullam mentionẽ reliquiſſe, cùm tot ludicra reliquerit. Illi quidem triumpho vere hujus anni Juliani 57. labente ducto, Germanicum tunc Conſulem præſentem interfuiſſe, mihi nullum dubium; quando, teſte Suetonio Calig. c. 8. illum nonniſi exacto Conſulatu, in Galliam ad Rhenanas Legiones remiſſum conſtat; quando item filium Conſulem patris triumphantis honoribus deeſſe non decebat, quorũ etiam pars illi ex operâ collatâ non parva debebatur; &, ut Ovidius in illius triumphi deſcriptione, Germanico, ex rumore certo canit, *Oppida ſub titulo nominis iſſe tui* Qui inſuper cùm addit, platearum *Saxa ſilicéſve roratis erubuiſſe roſis*, vernum ſaltem anni tempus, ſi non & æſtatis, ſatis indicat. Addit ſupra Suetonius Tiberium triumphalem, *Prandium populo mille menſis dediſſe. Ac non multò poſt Legem per Conſules* (quorum primus ac præcipuus Germanicus) *latam, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret.* de quo nos pluribus capite proximo.

Tiberii de victoriis ſuis Germanicis ad Germanicũ verba. ex Tac.

14. Interim antequam hiſce bellis Tiberii poſt Druſum fratrem Belgo-Germanicis finem impono, juverit ipſius de illis verba hîc audire. Apud Tacitum quippe Annali 2. cap. 26. ita Litteris Germanicum monet, *Rediret* è Germania *ad decretum triumphum: ſatis jam eventuum, ſatis caſuum ac præliorum. Se novies à D. Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quam vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos: ſic Suevos Regemq; Maroboduum, pace obſtrictum.* Quem in ſenſum ipſe quoque Tacitus eodem annali finiente notat, *Arminium etſi florentiſſimum Imperium laceſſiverit, præliis tamen ambiguum, bello non victum.* Ad extremum tam diuturnæ Tiberii in Belgica belligerationis monumentum, adhuc in Ubiis extat oppidum *Tiberiacum*, vulgo *Berchem*, quindecim circiter cis Agrippinam Coloniam paſſuum millibus; & paulò etiam ultra *Juliacum*, à Julii nomine non minus ipſi quàm Cæſaribus omnibus indulto utrumque in ipſa militari viâ, quæ à Bavaco Nerviorum Coloniam per Aduatucam Tungrorum, Trajectum ad Moſam, per Juliacum Tiberiacumque protenditur. extatque etiamnũ ſat integra. Eruuntur item apud nos quotidie Nummi Ærei, argentei, aurei, tot illius è Belgica noſtra in Transrhenanos expeditionum indices certiſſimi.

Belli iſtius in Belgica noſtra, monumenta.

CAPUT III.

Tiberium ſtatim ab hôc Dalmatico Pannoniòve Triumpho, Auguſti in Imperio Collegam & conſortem, ſaltem in Provinciis, factũ; indeq; Imperii ejus annos à Luca aliiſq; deduci.

Tiberiani Imperii in Provinciis exordium, ante Auguſti mortem ex Suet.

1. ANTEQUAM ſequentem hiſtoriæ ſeriem pertexam, nodus hic de novo Tiberiani Imperii principio, diligenter enodandus, ut quintuſdecimus Imperii ejus annus, quo Joannes Baptiſta prædicare cœpit, benè capiatur. Ac primùm & ante omnes Suetonius audiendus Tiberii cap. 21. *Non multò poſt* (inquit; non multò, inquam, poſt iſtum de Pannoniis Dalmatiſque actum triumphum) *lege per Conſules* (qui tunc erant Germanicus & Capito) *latâ, ut PROVINCIAS CVM AVGVSTO COMMVNITER ADMINISTRARET* (Tiberius ſcilicet) *ſimulque Cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt.* Quis ad hunc Solem nebulas aut nugas? Si Provincias Tiberius cum Auguſto deinceps adminiſtrat, quid impedit, quo minus Imperii ejus anni, Auguſto etiamnum vivo, quaſi filii cum Patre, deduci poſſint? Fuit hoc in ſequentibus pleriſque Imperatoribus uſitatiſſimum, quorum agmen ducit hic Tiberius. Suetonium tanto magis confirmat Velleius,

Ex Velleio.

quanto teſtis oculatus, triumphíque comes ac particeps. *Cum hoſtium vires, claſſicu peditúmque expeditionibus concuſſiſſet* Tiberius; *& Senatus populúſque Romauns, poſtulante patre ejus* Auguſto, *ut æquum ei jus* (oota) *in omnibus Provinciis exercitibúſque eſſet, quàm erat ipſi, decreto couplexus eſſet* (*etenim abſurdum erat, non eſſe ſub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem nou judicari parem*; (nota iterum *parem*) *in Vrbem reverſus, jampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Dalmatiſque egit triumphum. Quem mihi fratríque meo, inter præcipuos, præcipuíſque donis adornatos viros, comitari contigit.* Nihil elariùs, nihil certiùs, à comite præſertim atque participe: ſi pariter notamus Imperium et iſtud non Romæ, ſed in Provinciis dumtaxat & exercitibus indultum, ut exerte Velleius hic Suetoniúſque monent.

Ex Tacito. 2. Suffragantur & aliæquè omni exceptione majores, Scriptores duo, Tacitus ac Plinius. Tacitus annali primo, ſub initium: *Vt Agrippa vitâ conceſſit, Lucium Cæſarem euntem ad Hiſpanienſes exercitus; Caium* ejus fratrem, *remeantem Armeniâ, & vulnere invalidum mors fato propera, vel Noverca Livia dolus abſtulit; Druſoq; pridem extincto, Tiberius Nero ſolus è privignis erat; illuc cuncta vergere: Filius adoptione* COLLEGA IMPERII (benè nota) *conſors Tribunitiæ Poteſtatis* (iterum nota) *adſumitur; omneſq; per exercitus oſtentatur: non obſcuris, ut anteà, matris artibus, ſed palam hortatu. Nam ſenem Auguſtum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam poſtumum* (Caii Luciíque Cæſarum fratrem germanum) *in inſulam Planaſiam projiceret*, &c. En ut Tacitus Tiberium Auguſti adhuc ſuperſtitis Collegam in Imperii adminiſtratione etiam ultra Tribunitiam poteſtatem diſertè ſciſcit. Cui junctus Plinius atque Suetonius iterum, etiam Imperii & Collegii iſtius initi tempus & annum aperiunt. Plinius libro 15.

Ex Plinio. cap. 22. *Tiberii juventa ad merum pronior. eáque commendatione credidere, L. Piſonem urbis Romæ curæ* (ſeu Præfecturæ) *ab eo delectum, quod biduo duabúſque noctibus perpotationem continuaſſet apud ipſum* JAM PRINCIPEM. Pari modo Suetonius Tiber. c. 42. *In caſtris, Tyro etiamtum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur. Poſtea* PRINCEPS, *in ipſa publicorum morum correctione*, ſeu Cenſurâ hoc & ſequenti anno Auguſto ſupremis factâ, *cum Pomponio Flacco, & L. Piſone noctem & continuum biduum epulando potandóq; conſumpſit. Quorum alteri Syriam provinciam* (poſt aliquot annos) *alteri Præfecturam Vrbis* CONFFSTIM *detulit.* Audis tam ex Plinio quàm ex Suetonio, *Tiberium in ipſa morum correctione*, ſeu Cenſurâ ab Auguſto morituriente ipſoque Auguſti collegâ factâ, Tiberium inquam, ipſum *jam Principem* nuncupari?

Taciti calculus; *Annali 6.* 3. Iſtum eumdem annum U. C. 766. Julianum 58. ineuntem, clariùs adhuc ex Tacito ipſo ita colliges. Scribit Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 6. Tribunos plebis in Rep. *quarto Idus*, ſeu decimo *Decembris* die creari ſolitos. Et addit diſertè Dio l. 53. *Imperatores* Romanos ab Auguſto, *quia quotannis Poteſtatem ſuam Tribunitiam cum Tribunis plebis ejus anni renovant* (à quarto inquam Idus Decembris) *ſummam annorum Imperii ſui concipere ſolitos.* Iſtâ ergo die Tiberium ponamus annos hujus Imperii ſui cum Auguſto novi iniiſſe, annos item Tribunitiæ poteſtatis ſuæ novæ ſeu Imperialis in Provinciis inde ſupputare cœpiſſe, hoc eodem anno U. C. 765. Juliano 57. finiente, paulò poſt Triumphum ſuum; addamus L. Piſonis tunc Præfecti Urbis creati vigintiſ incurremus in annum U. C. 785. Iulianum 77. quo Piſonem ipſum poſt annos Præfecturæ ſuæ ſaltem præcipitantes obiiſſe ſcribit Tacitus annali ſexto. Rectè igitur ab eâ Decembris die decima, & anno U. C. 765 ſeu Iuliano 57. expirante, Tiberius Imperii collega, & Conſors Tribunitiæ Poteſtatis in Provinciis Auguſto additus fuerit; Piſonique Præfecturam urbis *confeſtim* dederit. menſibus ante Auguſti exceſſum ferè viginti. Quid clarius?

4. Idem ex Velleio pari ferè calculo colliges. Item Velleius *lib. 2.* Scribit ille libro 2. *Tiberium Ælio Cato, & Sentio* Saturnino iterum *Conſulibus*, anno ſcilicet U. C. Varroniano 757. (quem tamen ille vocat 754. mendosè; nam ſubdit immediatè, annis ante M. Vinicium Conſulem, quo ſcribere ſe toties repetit, omnino 27. rectè, incluſis extremis) *ab Auguſto* ſtatim à morte Caii Cæſaris ejus privigni, *quinto Kalendas Julias adoptatum. móxque in Germaniam miſſum, ad bellum quod ante triennium ſub M. Vinicio*, ejus ad quem ſcribit avo, *immenſum exarſerat. Cum eo*, ſubdit, *protinus ab adoptione miſſus ego Præfectus equitum, cæleſtium ejus operum, per annos continuos novem, Præfectus, aut Legatus ſpectator, & adjutor fui.* certiſſimus ideo teſtis. Illi *novem anni*, ab anno U. C. 757. ſeu Iuliano 49. & quidem *à quinto Kalendas Julias* deducti, ſi pleni capiuntur, non ante eumdem diem anni U. C. 766. Juliani 58. terminantur: ſi labentes dumtaxat, & ad ſextum aut quintum menſem ſolum promoti intelligantur, ut planè debent; Decembri aut Novembri anni prioris, U. C. 765. Juliani 57. concludentur, ac proinde Pannonius, Dalmaticusque Tiberii Triumphus vix ante eum diem duci potuerit. paríque ratione Novum ejus in Provinciis Imperium, nova item eum Auguſto Poteſtatis Tribunitiæ conſortio jam *Principalis* ſeu Imperialis (nam Plinius atque Suetonius diſertè tunc *Principem* vocant) vix ante decimam Decembris diem inierint. quâ ſcilicet Magiſtratum ſuum Tribuni plebis inire, & cum illis Poteſtatem ſuam Tribunitiam Imperatores augere ſolebant. Atque ita annus iſte Imperii Tiberiani quintus-decimus, Lucæ tertiò memoratus, in annum U. C. 780. Julianum 72. incurret; cujus Septembri Joannes Baptiſta, *facto ſuper ſe verbo Domini, prædicare cœpit baptiſmum pœnitentiæ*: Sacerdoteſque cœperunt *clangere buccinâ, menſe ſeptimo Tiſri, decima die Menſis*, anno tum exeunte Sabbatico, & Propitiationis tempore. eſt autem annus iſte ætatis Chriſti triceſimus primus, nono jam menſe labens, id eſt *quaſi triceſimus.* aptiſſimè. quando vóx *quaſi*, non fruſtrà Lucæ notata, nou minùs auctionem modicam, quàm defectum, omnium unanimi ſententiâ, tolerare poteſt.

5. Quod ſi primus idem Imperii hujus Tiberiani Quovismodo reſpondens. annus uno ſex menſium proximè ſequentium menſe advocetur primùm, (ut ſanè advocari poteſt, quando nonus iſte belli Germanici à Tiberio ſtatim ab adoptione inchoati annus, non ante quintum Kalendas Julii terminatur) nonnihil quidem in hac Tiberii epochâ, nihil tamen prorſus in ætate Chriſti immutabitur. Quare utrovis modo annum Imperii Tiberiani quintum-decimum à Luca deſignatum accipiamus, non minus liquidè Imperii Tiberiani cum Auguſto adhuc ſuperſtite Collegium

conſortiúmve; quàm ab ejus exceſſu ſucceſſionem, ſeu ex Lucæ mente, ſeu ex rei veritate capiemus. Sic igitur nos in ſequentibus accipiemus; quod ſuo hic loco & ordine præmonere viſum. Simul ingenuè profitemur, hujus doctrinæ ſanè laudandæ, nos non primos, ſed Georgium Herwartium, & Ioannem Keplerum doctiſſimos viros, inventores eſſe, longè gratiſſimos. niſi quòd illi epocham iſtam toto ante mortem Auguſti biennio, biniſque inſuper ferè menſibus advocent. ego nonniſi præterpropter ſeſquianno, ex ratione ſupra allatâ, quam illi conſideraſſe non videntur.

Objectio ex Velleii verbis & Solutio.

6. Velleii quidem verba, communem cum Auguſto Imperii adminiſtrationem Tiberio, poſt ejus in urbem reditum triumphumque delatam, ſignificare videntur; ſed id vel anticipatione, vel minus ordinato compendio fieri, facilè videbit, qui Velleium eumdem meminerit, Germanico Tiberii ſtatim ab adoptione bello annos disertè *novem* tribuere; eorumque ultimum non ante exeuntem Iunium anni Iuliani 58. ſeu nonniſi menſibus poſt triumphum iſtum aliquot terminari. Aut ergo Velleius ſibi ipſe contrarius eſt; aut annos belli Germanici non *novem*, ſed octo tantùm numerare debuit. Si dicis, labentes, eum capere; per me licebit. quando nonus annus in Juliani 57. quo triumphum ego colloco, exitu, menſibus nonniſi ſex, id eſt mediâ ſui tantùm parte labitur; ſex aliis totis, ante expirantem annum belli nonum, menſibus ferè adhuc integris evolvendis. Quod quidem Suetonio multo conformius nemo negaverit; clariſſimè diſtinctiſſiméque ſcribenti, *non multo poſt triumphum, latam legem, ut Provincias cum Auguſto* Tiberius *communiter adminiſtraret, ſimulq́, Cenſum ageret.* qui nonniſi anno Juliano 58. Romæ inchoatus, 59. paulò ante mortem Auguſti finitus eſt. Unde tametſi Velleio daremus legem iſtam ante Tiberii reditum triumphumque latam, ut illum tamen cum Suetonio conciliaremus, eamdem nonniſi poſt triumphum executioni mandatam, primumque novi iſtius Imperii annum numerari cœptum, admittere cogeremur. Adde perexile fuiſſe, triumphum inter & legem latam, temporis intervallum.

Quæſtio de nomine Tiberii cum Auguſto imperantis, ſuperflua.

7. Sed neque cura nobis tanta eſt, Auguſtúsne, an Imperator Proconsúlve, jam hinc dictus ſit Tiberius. ſolis Velleii Suetoniique verbis contenti ſumus: *æquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibusque, quàm erat ipſi Auguſto, delatum*; ſeu *ut Provincias cum ipſo communiter adminiſtraret.* Id enim ſatis & abundè Lucæ, ceteriſque Provincialibus tùm fortè ſcribentibus fuiſſe, ut novi Imperii annos inde advocarent, nemo jure negaverit. Sed neque major inde remora, quod ex Taciti annali quarto ineunte nonnulli urgent, annum Imperii Tiberiani nonum & inſecutos aliquot, clarè ab Auguſti exceſſu, non ab Imperii Collegio conſortioque ſupputari. Id enim Romæ dumtaxat Tacitus, Velleius, Dióque faciunt; ubi Auguſti, quamdiu ſuperſtes fuit, nunquam imminuta majeſtas. Nihil interim vetat in Provinciis, in quas commune illi cum Auguſto delatum Imperium, aliter uſurpatum. Neque auctores ſupradicti ullam Imperii Romæ participationem, ſed in Provinciis ſolis & exercitibus agnoſcunt. quod benè notandum eſt. ſicut in Provinciis ſibi Auguſtus, nunquam Romæ Templa ſacrari permiſit. Deinde Tacitus annum Imperii Tiberii, non cum Auguſto communicati, ſed

Quid ad annum hujus Imperii Tiberiani nonum, a Tacito memoratum, reſponderi poſſit?

compoſitæ dumtaxat *Republica, florentiſque domus* appellat; nimirum ab exceſſu Auguſti: ſubdens ſtatim, *cum repente turbare fortuna, ſævire ipſe cœpit.* quaſi pacis quietiſve, Romæ jampridem ab Auguſto ſtabilitæ, hactenuſque à Tiberio patris veſtigiis inſiſtente nonum jam annum conſervatæ, repentinam inexpectatámque mutationem innuat, & narrare aggrediatur.

Quid ad Suetonii biennium?

8. Magis fortè turbare poſſet Suetonius, cùm Tib. cap. 20. ſcribit: *A Germania in urbem poſt biennium regreſſus, triumphum quem diſtulerat egit*, &c. Mox. *Ac non multo poſt, lex per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret.* Non ſatis liquet, *biennium* iſtud unde Suetonius accerſat. Tiberii quidem triumphum in anni Juliani 57. ferè æſtatem, ſuprà oſtendi referendum. Inter eam igitur & Vari cladem, quæ anno Juliano 54. U.C. 762. adultiore, certò contigit, anni interfluunt duo prorſus integri, & quod excurrit. Quippe *biennium* iſtud Suetonianum, non ab ipsâ Vari clade, ſed ab ineunte proximi anni Juliani 55. U C. 763. vere, quo primùm in Germaniam advenit, advocandum eſt; & qui ultra *biennium* menſes reliqui eſſe poſſunt, 4. aut 6. eos neſcimus an ſatis amplectatur Suetonius; & ut amplecteretur, ſolâ iſta præpoſitione *POST biennium*, ſatis ſolvit. Si non amplectitur, planè triumphum iſtum anno Juliano 56. ductum neceſſe eſſet; non ſine temporum perturbatione. Quare aut Præpoſitio iſta *Poſt*, ab *anni proximi* non vere, ſed finitis æſtivis advocanda eſt; aut *triennium* potius à Vari clade ſcilicet, pro *biennio* legendum. Quod in Suetonio ſubinde faciendum animadverto.

Velleius biennium iſtud improbat.

Hic certè facere malo, pluribus argumentis. Velleius imprimis teſtis oculatus, & fide quàm Suetonius hic potiore, Germanicum Tiberii ab ejus adoptione bellum novem annis indefinitè (minimùm labentibus) determinat. Et jam abundè oſtendi, nonum iſtum etiam labentem annum, ante exitum anni Juliani 57. aut etiam 58. primordia commodè terminari non poſſe: atque ita, terminum hunc inter ac Vari cladem, triennium totum admittendum.

Multo magis Ovidius.

Ad hæc Ovidius antequam libro 2. de Ponto elegia 1. ad Germanicum, Tiberii triumphum hunc deſcribat, *quartum* ſe jam *exilii annum* agere, bis canit; ſemel Elegiâ 2. libri 1. verſu 27. & elegia ejuſdem libri 9. v. 17. Quartum vero exilii ipſius annum cum Juliano 58. concurrere nimis conſtat. eóque & triumphum tunc actum, & illum inter, ac Vari cladem, triennium interceſſiſſe neceſſe eſt. Denique Germanicum ipſum nonniſi *exacto Conſulatu* (qui in annum U. C. 765. Jul. 57. Chriſti verum 16. Dionyſianum 12. incurrit) in Galliam Germaniámve Belgicam ab Auguſto miſſum, aſſerit Suetonius, Calig. c. 8. Quorſum tam ſerò? niſi quòd tum primùm Tiberius a Germania reduſſet, de Pannoniis Dalmatiſque demum triumphaſſet, ejuſque triumpho Germanicus tunc Conſul interfuiſſet. De Germanis enim hoc tempore minimè triumphaſſe, ſat arguit primùm Germanici ipſius ad id bellum, nondum ſcilicet patratum, ſubmiſſio; tum Velleii auctoritas qui triumphum de Germania, aliosque plures ſolâ Tiberii moderatione non ductos, expreſsè ſcribit.

9. Atque hæc de tertio poſtremóque hoc Tiberii triumpho, nováque Principatus ipſius epochâ tum natâ, fuſiùs dicta ſunto; quando ab ea annus Imperii Tiberii Cæſaris quintus-decimus, Lucæ ipſo

Evangelii

Evangelii limine memoratus, lucem haurit non minimam.

Neque verò tantum Lex iſta à Conſulibus lata, pro Imperii conſortio; ſed etiam ut Cenſum cum Auguſto faceret, Luſtrumque conderet; ut Monumentum Ancyranum, & Sueton. Tib. cap. 21. ſcribunt.

CAPUT IV.

Germanicus loco Tiberii in Germaniam miſſus. Mors Auguſti. Ingens octo Legionum ad Rhenum ſeditio, à Germanico ſopita.

Anno Iuliano 58. & 59.

Germanic' poſt Conſulatû in Germaniam remiſſus.

1. TIBERIUM, poſt Pannonicum Dalmaticúmque ipſius triumphum, Auguſtus Romæ tantiſper (credo ad Cenſum ſecum agendum) retinuit, non reliquo tantùm iſtius triumphi, ſed & proximè ſequente toto 58. anno Juliano. ejus loco Germanicum exacto Conſulatu (ait Suet. Cal. c. 8.) nepotem ſuum, annorum præter propter 28. *in Germaniam* (ait Velleius) *reliqua belli patraturum miſit.* Imò & Cenſum pariter in Galliis acturum, quem pater ejus Druſus, iiſdem Galliis Rhenaniſq́ue legionibus impoſitus, ante annos ferè 20. inchoaverat, ſi non & perfecerat. uti mox in Auguſti morte ex Tacito audiemus. Planè ut bellum iſtud Belgo-Germanicum Druſo poſteriſque ejus hæreditarium patriúmque videretur. Et eo quidem anno toto Juliano 58. tranquillè in Galliis egit Germanicus. Bellum enim (ut ibidem Tacitus) *eâ tempeſtate nullum, niſi adverſùm Germanos ſupererat; abolendæ magis infamiæ, ob amiſſum cum Quinctilio Varo exercitum, quàm dignum ob pretium.* eóque remiſſius, ac ferè nullum. *Domi res tranquilla.* Anno proximè ſecuto, Juliano 59. Auguſto fatali, primo ut apparet vere; Agrippinam uxorem ei remiſit Auguſtus. *Extat enim Auguſti ipſius epiſtola* (rurſum Suet. Calig. cap. 8.) *ante paucos quàm obiret menſes, ad Agrippinam neptem ita ſcripta de Caio Caligula: Puerum Caium* (prope bimulum) *XV. Kalendas Junii, ſi Dii volent, ut ducerent Talarius & Aſellius, heri cum his conſtitui. Mitto præterea cum eo ex ſervis meis medicum, quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, ut retineat. Valebis mea Agrippina, & dabis operam, ut valens pervenias ad Germanicum tuum.* Ita Germanicus cum uxore & filiis pacatè anno 1. ad Rhenum egit, uſque ad Auguſti exceſſum.

ANNUS U. C. 867. Julian. 59.

2. Occupatio ejus præcipua fuit, Cenſum in Galliis agere. Quippe (notare libet) Germanicus Provinciæ paternæ impoſitus, iiſdem omnino quibus jam antè pater Druſus non virtutum modò, ſed & actionum veſtigiis inſiſtere inſtituit. Nec enim in Tranſrhenanos bello priùs invectus eſt, quàm Cenſum Galliarum, ut ille, Auguſti juſſu, agere occœpiſſet. Fuit iſte tertius Auguſti in Galliâ Cenſus generalis. ut ex ſuperioribus liquet. Quo Gallorum ſingulorum facultates cenſæ, & ex earum modò vectigal tributumq́ue conſtitutum, ſingula item hominum capita, ætas, robur, vires Provinciæ militares, & ſimilia in Imperii Rationarium, quod primus confecit Auguſtus, illata. exactum denique conſtantis in Romanis fidei juramentum. Quod & jam antè in Syriâ Judæaque, ipſo Chriſti Domini Natali, factum memorat Scriptura, & nos in tempore reddidimus Ita Belgæ noſtri paulatim in civiles Romanorum mores, naturam amoremq́ue, exutâ feritate, tranſibant.

3 Interim Auguſtus feſſa jam ætate, Cenſúque & Luſtro Romæ peracto, *cauſam valetudinis* (ait Suetonius cap. 98) *ex alvi profluvio contraxit. Tiberium igitur* in Illyricum (ut in Germaniam Germanicum) dimiſit; ad *firmanda pace* (addit Velleius) *quæ bella ſubegerat. & proſequens eum proceſſit in Campaniam: quanquam jam motus imbecillitatis, inclinataq́, in deterius principia valetudinis ſenſerat; tamen obnitente* vi animi filium Beneventum uſque proſecutus eſt. Unde digreſſus Nolam petiit, ubi morbo ſuccubuit. revocatúmque ex itinere Tiberium, diu ſecreto ſermone detinuit. paulóque pòſt, *in cubiculo eodem quo primus pater Octavius obiit, duobus Sextis Pompeio & Apuleio Coss. 14. Kalendas Septembris, hora diei nonâ, 76. ætatis anno, diebus 35. minus*, ait in ejus Vita Suet. c. 100. Corpus ejus Romam relatum, & in Mauſoleo conditum, quod ipſe ſexto ſuo Conſulatu inter Flaminiam viam ripamq́ue Tiberis exſtruxerat. Imperavit à nece quidem patris Julii Cæſaris, annos omnino 57. menſes 5. dies quatuor: A primo ſuo Conſulatu ſeu 19. Auguſti (quo etiam die mortuus eſt) annos ſolidos 56. A pugna Actiaca 44. dies 9. TIBERIUS Romæ imperare occœpit: cùm jam in Provinciis annum ſecundum imperaret.

Velleius.

Auguſti mors Nolæ unde Annales ſuos Tacit' inchoat.

TIBERII Imperium à morte Auguſti.

4. Vulgatâ illius morte ſtatim duæ militum ortæ ſeditiones periculoſiſſimæ. *Quippe*, ait Velleius, *exercitus qui in Germania militabat, præſentiſque Germanici imperio regebatur; ſimulq́, legiones quæ in Illyrico erant, rabie quadam, & profundâ confundendi omnia cupiditate, novum Ducem, novum ſtatum, novam quærebant Remp. Defuitq́, qui contra Remp. duceret, non qui ſequerentur.* Velleius. Ordinem atrociſſimæ rebellionis, ſaltem ad Rhenum (quando Illyrica nihil ad inſtitutum noſtrum) juvat hîc integro Taciti ipſius ſtylo referre, quia accuratè Belgii noſtri ſtatum eo ævo depingit; quem aliundè non facilè cognoſcas. Nec ægrè feret Lector, ſi à rivulis ad ipſum fontem, ſemel iterúmque deducatur. Breviare potuiſſem, fateor; malui integrum ſaltem hac vice proponere, ne ad plures libros Lectorem, præſertim inopem, importunè remitterem. Sic igitur Tacitus Annali primo.

Legionum octo, quæ ad Rhenum noſtrum, ſeditio atrociſſima.

5. *Iiſdem fermè diebus, iiſdem cauſis quibus Illyrica, etiam Germanicæ Legiones turbatæ: quanto plures, tanto violentiùs. & magnâ ſpe, fore, ut Germanicus Cæſar imperium alterius pati nequiret, darétque ſe legionibus, vi ſuâ cuncta tracturis.* Octo validæ erant. eáque Tiberio *formidinis cauſa longè præcipua; Ne Germanicus, in cujus manu*, jam abs anno priore, *tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet.* dixerat paulò antè Tacitus. Nunc ita pergit: *Duo apud ripam Rheni exercitus erant* in Belgica: quatuor ſinguli Legionum. *Cui nomen Superiori* (ad Moguntiam & altiora fluminis) *ſub C. Silio Legato: Inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen ſummæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum Cenſui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambiguâ, fortunam ſe ditionis alienæ ſpeculabantur. Inferioris exercitûs miles*, noſtratibus

Ex Taciti Annali 1.

Belgis maximè incumbens, *in rabiem prolapſus eſt.* immani ſcilicet Belgarum terrore. *orto ab undevicesimanis* (Lipſius legit *una & vicesimanis*) *Quintaniſque initio: & tractu Primâ quoque ac vicesima Legionibus. Nam iiſdem æſtivis, in finibus Vbiorum habebantur, per otium aut levia munera.* Binæ legiones Undevicesima & Quinta apud *Vetera*, hodie *Santen* aut *Byrten* in Clivia; Prima & Vicesima apud aram Ubiorum, ſeu *Bonnam*, paulò ſuprà Coloniam. ut primis libri capitibus expoſui.

Inferioris exercitus, qui primus prorupit, minæ.

6. *Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo, nuper acto in Vrbe delectu* (ante quinquennium circiter clade Varianâ, cùm ſubitum militem Auguſtus ad Rheni præſidium ſubmiſit) *laſcivia ſueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos: Veniſſe tempus quo veterani maturam miſſionem, Juvenes largiora ſtipendia, cuncti modum miſeriarum expoſcerent, ſævitiam Centurionum ulciſcerentur. Non unus hæc, ut Pannonicas inter legiones, Percennius; nec apud trepidas militum aures, alios validiores exercitus reſpicientium; ſed multa ſeditionis ora vocesque: Sua in manu ſitam rem Romanam, ſuis victoriis augeri Remp. in ſuum cognomentum adſciſci Imperatores. Nec Legatus* (Cæcina *obviam ibat. quippe plurium vecordia conſtantiam exemerat. Repentè Lymphati diſtrictis gladiis in Centuriones invadunt. ea vetuſtiſſima militaribus odiis materies, & ſæviendi principium. Proſtratos verberibus mulctant, ſexageni ſingulos, ut numerum Centurionum adæquarent. Tum convulſos laniatoſq; & partim exanimes, ante vallum aut in amnem Rhenum projiciunt. Septimius cùm perfugiſſet ad tribunal, pedibuſq; Cæcinæ advolveretur, eo uſque flagitatus eſt, donec ad exitium dederetur. Caſſius Cherea, mox* (poſt annos 26.) *cæde C. Cæſaris* Caligulæ *memoriam apud poſteros adeptus; tum adoleſcens & animi ferox, inter obſtantes & armatos, ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non caſtrorum præfectus jus obtinuit: vigilias, ſtationes, & ſi qua alia præſens uſus indixerat, ipſi partiebantur. Id militares animos altiùs conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motûs; quòd neque disjecti, vel paucorum inſtinctu, ſed pariter ardeſcerent, pariter ſilerent: tantâ æqualitate & conſtantiâ, ut regi crederes.*

Germanic⁹ tunc Cenſus circa Sequanos accipiebat.

7. *Interea Germanico per Gallias, ut diximus, cenſus accipienti, exceſſiſſe Auguſtum adfertur. Neptem ejus Agrippinam in matrimonio, pluréſque ex eâ liberos habebat. Ipſe Druſo fratre Tiberii genitus, Auguſtæ* (Liviæ) *nepos. ſed anxius, occultis in ſe patrui aviæq; odiis; quorum cauſæ acriores, quia iniquæ. Quippe Druſi magna apud populum Rom. memoria; credebatúrque ſi rerum potitus foret, libertatem redditurus. unde in Germanicum favor, & ſpes eadem. Nam Iuveni civile ingenium, mira comitas, & diverſa à Tiberii ſermone, vultu, adrogantibus & obſcuris. Accedebant muliebres offenſiones, novercalibus Liviæ in Agrippinam ſtimulis: atque ipſa Agrippina paulo commotior; niſi quòd caſtitate, & mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat. Sed Germanicus quantò ſummæ ſpei propior, tanto impenſius pro Tiberio niti: Sequanos proximos, & Belgarum civitates* (Leucos, Mediomatricos, Trevicos, Nervios, Menapios, Atrebates, &c.) *in verba ejus adegit.*

Inde ad ſeditioſos accurrit.

8. *Dehinc audito Legionum* (vicinarum) *tumultu, raptim profectus, obvias extra caſtra habuit; dejectis in terram oculis, velut pœnitentiâ. Poſtquàm vallum iniit, diſſoni queſtus audiri cœpere. & quidam prehensâ manu ejus, per ſpeciem oſculandi, inſeruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret. Alii curvata ſenio membra oſtendebant. Adſiſtentem concionem, quia permixta videbatur, diſcedere in manipulos jubet; ſic melius audituros reſponſum: vexilla præferri, ut id ſaltem diſcerneret cohortes. Tardè obtemperavère. Tunc a veneratione Auguſti orſus, flexit ad victorias triumphóſque Tiberii; præcipuis laudibus celebrans, quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima feciſſet. Italiæ inde conſenſum, Galliarum fidem extollit: nihil uſquam turbidum aut diſcors. Silentio hæc, vel murmure modico audita ſunt. Vt ſeditionem attigit, Vbi modeſtia militaris, ubi veteris diſciplinæ decus, quonam Tribunos, quo Centuriones exegiſſent, rogitans. Nudant univerſi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant. Mox indiſcretis vocibus, pretia vacationum, anguſtias ſtipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incuſant, Vallum, foſſas, pabuli, materiæ, lignorum aggeſtus, & ſi qua alia ex neceſſitate, aut adverſus otium caſtrorum quæruntur.*

Quos hortatur & increpat.

Illi queruntur.

Veterani maximè.

9. *Atrociſſimus Veteranorum clamor oriebatur; qui tricena, aut ſupra ſtipendia numerantes, mederetur feſſis, neu mortem in iiſdem laboribus; ſed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem, orabant. Fuere etiam qui legatam a D. Auguſto pecuniam repoſcerent: fauſtis in Germanicum ominibus; & ſi vellet Imperium, promptos oſtentavere. Tum verò quaſi ſcelere contaminaretur, præceps tribunali deſiluit. Oppoſuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille moriturum potius, quam fidem exueret clamitans, ferrum a latere diripuit; elatumque deferebat in pectus, ni proximi prehenſam dexteram vi attinuiſſent. extrema & conglobata inter ſe pars concionis, ac vix credibile dictu, quidam ſinguli propius incedentes, feriret hortabantur, & miles nomine Caluſidius, ſtrictum obtulit gladium, addito, Acutiorem eſſe. Sævum id maliq; moris etiam furentibus viſum. ac ſpatium fuit, quo Cæſar ab amicis in tabernaculum raperetur.*

Alii Imperium offerunt.

Renuit conſtanter.

De remedio ſeditionis conſultatū.

Viſum tumultus indulgere

10. *Conſultatum ibi de remedio. etenim nunciabatur parari legatos, qui Superiorem exercitum ad cauſſam eandem traherent. deſtinatum excidio Vbiorum oppidum* (Colonia ſcilicet, quæ poſtea etiam Agrippina dicta) *imbutaſq; præda manus, in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanæ ſeditionis, & (ſi omitteretur ripa) invaſurus hoſtis.* ſeu Arminius, ſeu quis ſimilis. *At ſi auxilia & ſocii, adverſum abſcedentes legiones armarentur, civile bellum ſuſcipi. Periculoſa ſeveritas, flagitioſa largitio. ſeu nihil militi, ſive omnia concederentur, in ancipiti Republicâ. Igitur volutatis inter ſe rationibus placitum, Vt epiſtola nomine Principis ſcriberentur; Miſſionem dari, vicena ſtipendia meritis; exauctorari qui ſena dena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, ceterorum immunes; niſi propulſandi hoſtis. Legata quæ petiverant, exſolvi duplicarique. Senſit miles in tempus conficta, ſtatimq; flagitavit. Miſſio per Tribunos maturatur; Largitio differebatur in hiberna cujuſque. Non abſceſſere Quintani unde vicesimaniq;, donec iiſdem in æſtivis, contracta ex viatico amicorum, ipſiuſq; Cæſaris pecuniâ, perſolveretur. Primam ac Vicesimam Legiones Cæcina Legatus in civitatem Vbiorum reduxit. turpi agmine, cùm fiſci de Imperatore rapti, inter ſigna, interq; Aquilas veherentur.*] & hæc in Inferiore exercitu.

& cōcedere quæ petebant.

Superior exercitus manſit in fide.

11. *Germanicus Superiorem ad exercitum profectus, Secundam, & Tertiamdecimam, & Sextamdecimam Legiones nihil cunctatas Sacramento adegit. Quartadecumani paullum dubitaverant. Pecunia & Miſſio, quamvis non flagitantibus oblata eſt. At in Chaucis* (Embdæ ſeu Amiſiæ) *coeptavere ſeditionem, præſidium agitantes Vexillarii diſcordium Legionum: & præſenti duorum*

Pauci turbant. Fortiter repreſſi.

militum

militum ſupplicio paullum repreſſi ſunt. Juſſerat id Mennius caſtrorum Præfectus bono magis exemplo, quàm conceſſo jure. Deinde intumeſcente motu, profugus, repertusque, poſtquam intuta latebra, præſidium ab audaciâ mutuatur; Nec Præfectum ab iis, ſed Germanicum Ducem, ſed Tiberium Imperatorem violari: Simul exterritis qui obſtiterant, raptum vexillum ad ripam vertit; & ſi quis agmine deceſſiſſet, pro deſertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos, & nihil auſos.] Ripam iſtam Viſurgis intelligit Cluverius lib. 3. c. 18. ego magis in Amiſiam, hodie Embden, pendeo, ad fluvii cognominis oſtium, & in ripâ dexterâ Cauchorum. Utcumque ſit, hinc mecum colligat Lector, poſt Vari quoque cladem tranſrhenana quædam Romanorum præſidia teſtitiſſe, ut ſuprà de Aliſone etiam monui.

Duæ Inferioris exercitus legiones adhuc ſeditioſæ.

12. Interea Legati ab Senatu, regreſſum jam (à Superiore exercitu) apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi Legiones Prima atque Viceſima, veteranique nuper miſſi ſub vexillo hiemabant. Pavidos & conſcientia vecordes intrat metus; veniſſe Patrum juſſu, qui irrita facerent quæ per ſeditionem expreſſerant. utque mos vulgo, quamvis falſis reum ſubdere, Munatium Plancum Conſulatu functum (anno ſuperiore) Principem Legationis, auctorem Senatuſconſulti incuſant & nocte concubiâ, vexillum in domo Germanici ſitum flagitare occipiunt. concurſúque ad januam facto, moliuntur fores: extractum cubili Cæſarem, tradere vexillum, intento mortis metu ſubigunt. Mox vagi per vias, obvios habuere Legatos, auditâ conſternatione ad Germanicum tendentes. ingerunt contumelias, cædem parant; Planco maximè, quem dignitas fugâ impediverat. Neque aliud periclitanti ſubſidium, quam caſtra Primæ Legionis. Illic ſigna & Aquilam amplexus, religione ſeſe tuebatur. Ac ni Aquilifer Calpurnius vim extremam arcuiſſet (rarum etiam inter hoſtes) Legatus populi Romani, Romanis in caſtris, ſanguine ſuo, altaria Deûm commaculaviſſet. Luce demum, poſtquam Dux & miles, & facta noſcebantur; ingreſſus caſtra Germanicus, perduci ad ſe Plancum imperat, recipitque in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum, ſed Deûm irâ reſurgere, cur venerint Legati, aperit: jus Legationis, atque ipſius Planci gravem & immeritum caſum, ſimul quantum dedecoris admiſerit Legio, facundè miſeratur. attonitâque magis, quam quietâ concione, Legatos præſidio auxiliarium equitum dimittit.

Germanico vim intentant.

& Legatis Româ miſſis.

Planco maximè conſulari.

Monet Germanicus: non placat.

13. Eo in metu arguêre Germanicum omnes (Velleius certè pleraque ignavè Germanicum egiſſe, ſcribit) quod non ad Superiorem exercitum pergeret, ubi auxilia, & contra rebelles auxilium. Satis ſupérque miſſione & pecuniâ, & mollibus conſiliis peccatum. vel ſi vilis ipſi ſalus, cur filium parvulum (Caligulam) cur gravidam conjugem inter furentes, & omnis humani juris violatores haberet? Illos ſaltem avo, & Reip. redderet. Diu cunctatus, aſpernantem uxorem, cùm ſe D. Auguſto ortam, neque degenerem ad pericula teſtaretur, poſtremo uterum ejus, & communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. Incedebat muliebre & miſerabile agmen, profuga Ducis uxor, parvulum ſinu filium gerens, pergens ad Treviros externæ (ut dicebant milites) fidei. Pudor inde & miſeratio; & patris Agrippæ, Auguſti avi memoria, ſocer Druſus. Ipſa inſigni fœcunditate, præclarâ pudicitia. Jam infans in caſtris genitus, in contubernio Legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil æquè flexit, quam invidia in Treviros. Orant, obſiſtunt, rediret, maneret.

Uxorem & filium in eo periculo Treviros à ſe dimittit.

Inde ſeditioſorum pudor, & pœnitentia.

Idem habet Suetonius. Cal. cap. 9.

pars Agrippinæ occurſantes, plurimi ad Germanicum regreſſi.

14. Isque, ut erat recens dolore & irâ, præterita exprobrat. & tandè quaſi iis iterum fides, Neque Divi ſinant, inquit, ut Belgarum quanquam offerentium, decus iſtud & claritudo ſit, ſubveniſſe Romano nomini, compreſſiſſe Germaniæ populos. Vos ſi Legatos Senatus, obſequium Imperatori, ſi mihi conjugem ac filium redditis, diſcedite a contactu, ac dividite turbidos. Id ſtabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit. Supplices ad hæc orabant, puniret noxios, duceret in hoſtem; revocaretur conjux, rediret legionum alumnus, neve obſes Gallis traderetur. Reditum Agrippinæ excuſavit ob imminentem partum & hiemem. venturum filium.] Hic mecum notet Lector, quantopere in Romanorum mores amorémque tranſierant jam tantillo temporis ſpatio Belgæ noſtri, iique non minus externæ fidei, quàm Treviri, nondum ſcilicet coloniæ jus adepti.] Ruſum Tacitus. At milites concione Germanici mutati, diſcurrunt, & ſeditioſiſſimum quemque vinctos trahunt ad Legatum Legionis Primæ C. Cetronium. qui judicium & pœnas de ſingulis exercuit. Cæſar eos etiam artificio disjungit. Veteranos in Rætiam mittit, ſpecie defendendæ provinciæ ob imminentes Suevos (credo Marobodui circa Bohemiam ſubditos aut Hermunduros; nam ceteri jam in Gallias tranſlati niſi qui fortè reliqui) ceterùm ut avellerentur caſtris.

& pœnas in in ſe poſcût.

15. Sic compoſitis præſentibus, haud minor moles ſupererat, ob ferociam Quintæ & Unevicesimæ legionum, ſexageſimum apud (ſeu potius, infrà) lapidem (loco Vetera nomen eſt, hodie Birten propè urbem Santen in Clivia) hibernantium. Nam primi ſeditionem cœptaverant, & atrociſſimum quodque facinus horum manibus patratum. Nec pœnâ commilitonum exterriti, nec pœnitentiâ converſi, iras retinebant. Igitur Cæſar arma, claſſem, ſocios (Belgas) demittere Rheno parat. ſi imperium detrectetur, bello certaturus. Contracto exercitu, & parata in defectores ultione, dandum adhuc ſpatium ratus, præmittit litteras ad Cæcinam (Legatum.) Venire ſe valida manu: ac ni ſupplicium in malos præſumant, uſurum promiſcua cæde. Cæcina cum primoribus & ſinceris, tentatis quos idoneos rebantur; poſtquam majorem Legionum partem in officio vident, ſeditioſiſſimum quemque & ſeditionis promptum promiſcua cæde trucidant. Unde quidam bonorum cæſi. Mox ingreſſus caſtra (Vetera) Germanicus, Non medicinam illud, plurimis cum lacrymis, ſed cladem appellans, cremari corpora jubet. Truces etiam tunc cupido involat eundi in hoſtem, piaculum furoris.

Duæ aliæ Legiones apud Vetera, adhuc turbidæ.

In quas Germanicus vim parat.

Sed ex turbatores ſuos cædunt.

16. Sequitur ardorem militum Cæſar. junctóque ponte (ſupra Rhenum, ad ipſa indubiè Vetera, aut non procul) tranſmittit duodecim millia è Legionibus ſex & 20. ſocias cohortes, octo equitum alas, quarum ea ſeditione intemerata modeſtia fuit. Læti neque procul Germani agitabant (ſub Arminio alióve) dum juſtitio ob amiſſum Auguſtum, pòſt diſcordiis attinemur. At Romanus agmine propero ſylvam Haſiam (ſic enim lego cum Lipſio, nomenque adhuc ſervat, Heſerwaldt, in Clivia Tranſrhenanâ) limitémque (ſeu aggerem vel tramitem) a Tiberio cœptum ſcandit, caſtra in limite (ipſo) locat, frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus. Inde ſaltus obſcuros permeat. conſultóque ex duobus itineribus, an breve & ſolitum ſequatur (quod ſcilicet ab occaſu Solis ad ortum, propter dexteram Lupiæ ripam, ad caſtellum Aliſonem, rectiſſimè primum à Tiberio ſtrui cœptum, poſt à Domitio perfectum erat) an impeditum & intentatum (paulò

Mox ducit in hoſtem, & Rhenum tranſit.

magis

magis ad ſiniſteam & Aquilonem, veeſus oppidum *Munſter*) *eóque hoſtibus incantum. Delectá longiore viá, cetera adcelerantur. Etenim adtulerant exploratores feſtam eam Germanis noctem ac ſolemnibus epulis ludicram. Cæcina cum expeditis cohortibus prœire, & obſtantia ſilvarum amoliri jubetur. Legiones modico intervallo ſequuntur. Iuvit nox ſideribus inluſtris. Ventumq. ad vicos Marſorum.* credo Lunam inter & Munſter, in ipſo Monaſterienſi Epiſcopatu hodieeno. *& circumdata ſtationes: ſtratis etiam tum per cubilia, propterque menſas, nullo metu, non antepoſitis vigiliis. adeò cuncta incuria disjecta erant: neque belli timor. Ac ne pax quidem niſi languida & ſoluta inter temulentos. Cæſar avidas legiones, quò latior populatio foret, quatuor in cuneos diſpertit. Quinquaginta millium paſſuum ferro flammisq. pervaſtat: non ſexus, non ætas miſerationem attulit. profana ſimul & ſacra; & celeberrimum illis gentibus Templum, quod Tanfanæ vocabãt, ſolo æquantur. ſine vulnere milites; qui ſemiſomnes, inermes, aut palantes ceciderant.*

Securum hoſtem & remiſſum cædit.

17. *Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, Uſipetes ſaltusq. per quos exercitus regreſſus, inſedêre. Quod gnarum Duci* Germanico: *inceſſitq. itineri & prælio. Pars equitum & auxiliariæ cohortes ducebant: mox Prima Legio: & mediis impedimentis ſiniſtrum latus Undevicesimani; dexterum Quintani clauſere. Vicesima Legio terga firmavit: pòſt ceteri ſociorum. Sed hoſtes, donec agmen per ſaltus porrigeretur, immoti. dein latera & frontem modicè adſultantes, totá vi noviſſimos incurrère. Turbabanturq. denſis Germanorum catervis leves cohortes. Cum Cæſar advectus ad Vicesimanos, voce magnâ, Hoc illud tempus obliterandæ ſeditionis, clamitabat. pergerent, properarent culpam in decus vertere. Exarſere animis: unoq. impetu prœruptum hoſtem redigunt in aperta cæduntq. ſimul copiæ primi agminis evaſère ſylvas, caſtráque communivere. Quietum inde iter. fidensq. recentibus, ac priorum oblitus miles, in hibernis locatur.*] Atque hæc omnia ex Tacito deprompta, eodem quo exceſſit Auguſtus anno, patrata. quo & Julia Auguſti filia, pridem ob adulteria relegata, à marito Tiberio Rhegii tabe longâ perempta.

In reditu inſidiis impetuntur.

Quas vi irritas facit.

18. Fuſiùs ipſa, & Taciti ſtylo referre viſum, ut Lector Belgicæ noſtræ ſtatum ejus ævi diſpiciat; ſimul quæ ibi latêre poſſunt pluſcula, ingenii ſui quaſi ſpecilla indagare & eruere poſſit. Illud hic maximè notari velim, quòd Tacitus paulò antè §. 13. medio infulſit, ego imprudens omiſi. *Roma nondum cognito, qui fuiſſet exitus in Illyrico* (rebellionis legionum ibidem excubantium) *& Germanicarum* ſive Rhenanarum *legionum motu audito, trepida civitas incuſare Tiberium; quòd dum Patres & plebem (invalida & inermia) cunctatione ficta ludificetur, diſſideat interim miles, neque duorum adoleſcentium nondum adultá auctoritate comprimi queat. Ire ipſum, & opponere majeſtatem imperatoriam debuiſſe; ceſſuros, ubi Principem longá experientiá, eundemq. ſeveritatis & munificentiæ ſummum vidiſſent. An AUGUSTUM feſſâ ætate, TOTIES in GERMANIAS* (ſaltem Ciſrhenanas) *commeare potuiſſe; Tiberium vigentem annis, ſedere in Senatu verba Patrum cavillantem?* [Nota Auguſtum etiam ſenem, ætate feſſum, non ſemel, ſed *toties* in Germanias Belgicas ſeu Ciſrhenanas, commeaſſe: ne dum Dionem libro 54. finiente, ſcribentem legis, *Auguſtum in Lugdunenſi Galliá plerumque verſatum, haud procul à bello Germanico remotum, ejúſque eventus intentum;* putes ibidem hæſiſſe, nec in Germanias noſtras ad Rhenum ulteriùs tranſgreſſum. Tranſgrèſſum ecce, & quidem TOTIES. Tacitus hîc disertè monet, monuitque haud dubiè in libris deperditis Livius. ſive Treviros ille, ſive Coloniam, Tungros, Bavacum ac Nervios & ſimiles civitates adierit; ubi vicinior ac certior belli Germanici eventui intenderet.] *Satis proſpectum urbanæ ſervituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.*

In Germanias Belgicas, ſeu Ciſrhenanas, *toties* Auguſtus feſſa ætate cõmeavit. *Tac. ann. 1.*

19. *Immotum adverſus eos ſermones, fixumq. Tiberio fuit, non omittere caput rerum* Romam: *neque ſe remq. publicam in caſum dare. Multa quippe & diverſa angebant: Validior per Germaniam* ad Rhenum in Belgicâ exercitus; *propior apud Pannoniam. ille Galliarum opibus ſubnixus; hic Italiæ imminens. Quos igitur anteferret? ac ne poſtpoſiti contumeliâ incenderentur. At per filios pariter adiri, majeſtate ſalvâ, cui major è longinquo reverentia. Simul adoleſcentibus excuſatum, quædam ad patrem rejicere; reſiſtentesq. Germanico aut Druſo poſſe à ſe mitigari, vel infringi. Quod aliud ſubſidium, ſi Imperatorem ſprevissent? Ceterùm ut jam jámque iturus, legit comites, conquiſivit impedimenta, adornavit naves.* credo quibus Rheno in Belgicam deflueret. *Mox hiemem aut negotia variè cauſatus, primo prudentes, dein vulgum, diutiſſimè Provincias fefellit.* Iſta omnia Tacit. benè notãda, nec facilè omittẽda.

CAPUT V.

Belli Belgo-Germanici ſub Germanico continuatio.

Anno U. C. 768. Iuliano 60. CHRISTI vero 19. Dionyſiano ſeu vulgari 15.

1. BELLA hæc ſub Druſo Germanico patre ante annos 17. geſta, fusè diſtinctéque, ut ſolet poſterioribus libris ſuis quatuor narraverat pater hiſtoriæ Livius. Ii jamdudum penitus interierunt: nec niſi valdè exiles epitomæ ſuperſunt, eæque perobſcuræ; in quibus *Civitatum Germaniæ cis & trans Rhenum, Cheruſcorum* item, *Tencbterorum, Cauchorum;* imò & *Nerviorum* noſtratium non parva mentio. Supplet utcumque Dio, ſed jejunè, quia Græcus & compendioſus, ſi non & diſpendioſus ſcriptor; regionum Belgicarum, Græciá procul & Italiâ ſitarum, parum gnarus aut contemptor. Unus ergo nobis ſupereſt Tacitus, fidus nec ita contractus Auctor, qui bella Germanico Druſi filio Duce patrata ſtrenuè deſcribit. Quò attentiùs nobis ille legendus & excutiendus, ceteris eorundem bellorum ſcriptoribus, Aufidio Baſſo, Plinio ſeniore, aliiſque ejus ævi jampridem deperditis. Quare dabit mihi facilè veniam Lector, ſi quæ ille tradit integra ferè, aut modicè ſucciſa trado. Ne mutus in hac Belgii noſtri hiſtoria videar. & eſt Taciti ſtylus gravis ac facundus, planéque Plinio juniori σέμνος, ſeu *magnificus.* & qui balbutiei meæ, tædium Lectori ſubinde tollat. Sed neque hæc noſtra lecturis ſemper ad manum Tacitus.

Livii & aliorum hiſtoriis his annis deperdita.

Unus Tacitus ſupereſt

2. Anno igitur ab Auguſti exceſſu primo, U. C. Varroniano 768. Juliano 60. à verâ Chriſti Nativitate decimo-nono, ab Dionyſianâ ſeu vulgari, quâ hodie paſſim utimur 15. Druſo Cæſare Tiberii filio, & C. Norbano Conſulibus, *ob res* adverſus Tranſrhenanos anno priore geſtas, *decernitur Germanico triumphus* (ait Tacitus, tametſi) *manente bello. Quod quanquam in æſtatem ſummâ ope parabat,*

ANNUS U. C. 768. Julian. 60. à nato Chriſto 19 ſed Dionyſ. 15.

Germanicus in Chattos.

initio veris & repentino in Chattos (quos Heſſos hodie vocamus) *excurſu præcepit. Nam ſpes inceſſerat diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem ; inſignem utrumq; perfidiâ in nos aut fide. Arminius turbator Germaniæ : Segeſtes parari rebellionem ſæpè aliàs, & ſupremo convivio poſt quod in arma itum, aperuit, ſuaſitq; Varo, ut ſe & Arminium, & cæteros proceres vinciret : nihil auſuram plebem principibus amotis ; atque ipſi tempus fore, quo crimina & innoxios diſcerneret. Sed Varus fato, & vi Arminii cecidit. Segeſtes, quanquam conſenſu gentis in bellum tractus, diſcors manebat : auctis privatim odiis, quòd Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat : Gener inviſus inimici ſoceri; quæq; apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarū apud infenſos erant.*

Copias ſuas cum Cæcinâ dividit.

3. *Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Cæcinæ tradit.* Nempè Inferioris Germaniæ Legato, inferiorem quoque exercitum totidem legionibus compoſitum : cujus binæ legiones Prima ac Undevicesſima Bonnæ ad Aram Ubiorum ; binæ *reſiduæ* Quinta & Viceſima Veteribus, nunc Sanctis aut *Byrten* ad Rhenum in Clivia, ſtativa habebant. *Totidem* præterea *Legiones, duplicem ſociorum numerum* (nempe Germaniæ Superioris exercitum) *ipſe ducit. Poſitóque caſtello ſuper veſtigia paterni præſidii in monte Tauno* (qui è regione Moguntiæ in Boream, *der Heyrich* dicitur) *peditum exercitum in Chattos rapit. L. Apronio ad munitiones viarum & fluminum relicto. Nam rarum illi cœlo, ſiccitate & amnibus modicis inoffenſum iter properaverat. imbreſq; & fluminum auctus regredienti metuebantur.*

Chattos improviſus opprimit.

Sed Chattis adeò improviſus advenit, ut quod imbecillum ætate ac ſexu, ſtatim captum aut trucidatum ſit : juventus flumen Adranam (hodie *Eder*, Comitatum Waldecenſem interfluens, & famæ majoris amne Fuldâ, paulò ſupra Caſſellam Haſſiæ, hauſtus) *nando tranſierit : Romanoſq; pontem captantes arcebant. Dein tormentis ſagittiſque pulſi, tentatis fruſtra conditionibus pacis, cùm quidam ad Germanicum perfugiſſent; reliqui omiſſis pagis vicisque, in ſylvas diſperguntur.*

Mattium incendit.

Cæſar incenſo Mattio, id gentis caput ; hodiè Marſpurg, ad Lonæ fluvii caput) *aperta populatus, vertit ad Rhenū; non auſo hoſte terga laceſſere; quod illi moris, quoties aſtu magis, quàm per formidinē ceſſit. Fuerat animus Cheruſcis juvare Chattos. ſed exterruit Cæcina, huc illuc ferēs arma : & Marſos cōgredi auſos proſpero prælio cohibuit.*

Legati Segeſtis auxilium petūt. in iis Segimundus Segeſtis filius.

4. *Neque multo poſt Legati à Segeſte venerunt, auxilium orantes adverſus vim popularium, à quis circumſidebatur. Validiore apud eos Arminio, quando bellum ſuadebat. Nam Barbaris, quantò quis audaciâ promptus, tanto magis fidus, rebúſque commotis potior habetur. Addiderat Segeſtes Legatis filium nomine Segimundum, ſed juvenis conſcientiâ cunctabatur. Quippe anno, quo Germaniæ deſcivere, ſacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in ſpem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata : benignéque exceptus cum præſidio in Gallicam* ſeu Belgicam *ripam miſſus eſt. Germanico pretium fuit convertere agmen : pugnatumque in obſidentes ; & ereptus Segeſtes magna cum propinquorum & clientium manu.*

& fert Germanicus

Uxor Arminii capta.

Inerant fœminæ nobiles, inter quas uxor Arminii, eademque filia Segeſtis, mariti magis quàm parentis animo ; neque victa in lacrymas, neque voce ſupplex ; compreſſis intra ſinum manibus gravidum uterum intuens. Ferebantur & ſpolia Varianæ cladis, pleriſque eorum qui tum in deditionem veniebant, prædæ data. Simul Segeſtes ipſe ingens viſu, & memoriâ bonæ ſocietatis impavidus. Verba ejus in hunc modum fuere :

Segeſtis verba ad Germanicum, contra Arminium generum.

5 *Non hic mihi primus erga populum Romanum Fidei & conſtantiæ dies. ex quo à Divo Auguſto civitate donatus ſum, amicos inimicoſque ex veſtris utilitatibus delegi neque odio patriæ (quippe proditores etiam iis quos anteponunt inviſi ſunt) verum quia Romanis Germaniſque idem conducere ; & pacem quàm bellum probabam. Ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis veſtri Arminium, apud Varum qui tum exercitui præſidebat, reum feci. Dilatus ſegnitia Ducis, quia parum præſidii in legibus erat, ut me & Arminium, & conſcios vinciret, flagitavi. Teſtis illa nox, mihi utinam potiùs noviſſima : quæ ſecuta ſunt, defleri magis, quàm defendi poſſunt. Ceterùm & injeci catenas Arminio, & à factione ejus injectas perpeſſus ſum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis, & quieta turbidis antehabeo. neque ob præmium, ſed ut me perfidiâ exſolvam. ſimul genti Germanorum idoneus conciliator, ſi pœnitentiam quàm perniciem maluerit. Pro juventa & errore filii veniam precor. filiam neceſſitate huc adductam fateor. Tuum erit conſultare, utrum prævaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita eſt. Cæſar clementi reſponſo, liberis propinquiſq; ejus incolumitatem, ipſi ſedem vetere in provincia* (Belgica ſcilicet) *pollicetur. exercitum reduxit ; noménque Imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor, virilis ſexûs ſtirpem edidit : educatus puer, quo mox ludibrio conflictatus ſit, in tempore memorabo.*

Segeſtes in Belgica provincia recipitur.

6. *Fama dediti, benignéque accepti Segeſtis vulgata ; ut quibuſque bellum invitis aut cupientibus erat, ſpe vel dolore accipitur. Arminium, ſuper inſitam violentiam, rapta uxor, ſubjectus ſervitio uxoris uterus, vecordem agebant. Volitabatq; per Cheruſcos, arma in Segeſtem, arma in Cæſarem poſcens ; neque probris temperabat. Egregium patrem, magnum Imperatorem, fortem exercitum. quorum tot manus unam mulierculam avexerint! Sibi tres legiones, totidem Legatos procubuiſſe. Non enim ſe proditione, neque adverſus fœminas gravidas, ſed palam adverſus armatos bellum tractare. Cerni adhuc Germanorum in lucis ſigna Romana, quæ Diis patriis ſuſpenderit. Coleret Segeſtes victam ripam, redderet filio Sacerdotium : hominem Germanos nunquam ſatis excuſaturos, quod inter Albim & Rhenum, virgas & ſecures & togam viderint. Aliis gentibus ignorantiâ Imperii Romani, inexperta eſſe ſupplicia, neſcia tributa. Quæ quando exuerint, inritúſque diſceſſerit ille inter numina dicatus Auguſtus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adoleſcentulum, ne ſeditioſum exercitum paveſcerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent, quàm dominos & colonias novas ; Arminium potius gloriæ ac libertatis, quàm Segeſtem flagitioſæ ſervitutis ducem ſequerentur.*

Arminius in Germanicum & Segeſtem ira.

7. *Conciti per hæc non modo Cheruſci, ſed contermina gentes. tractuſq; in partes Inguiomerus Arminii patruus ; veteri apud Romanos auctoritate. Unde major Cæſari metus : & ne bellum mole unâ ingrueret. Cæcinam cum 40. cohortibus Romanis diſtrahendo, hoſti per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit. Equitem Pedo præfectus finibus Friſiorum ducit. Ipſe impoſitas navibus 4. Legiones per lacum vexit. Simulque pedes, eques, claſſis apud prædictum amnem convenère. Chauci cùm auxilia pollicerentur, in commilitium adſciti ſunt. Bructeros ſua urentes, expeditâ cum manu L. Stertinius, miſſu Germanici fudit. interque cædem & prædam, reperit undevicesſimæ legionis Aquilam, cum Varo amiſſam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum. quantumque Amiſiam & Lupiam amnes inter, vaſtatū ; haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari inſepultæ dicebantur.*

Cheruſci & confines in Romanos conciti. hodie Brunſuicenſes.

Copiæ Germanici ad Amiſiam fluvium.

Bructeri Fuſi.

8. *Igitur cupido Cæſarem invadit ſolvendi ſuprema*

militibus

Teutoburgienſis ſaltus, ubi Vari clades.

militibus Ducique: permoto ad miſerationem omni qui aderat exercitu; ob propinquos, amicos, denique ob caſus bellorum & ſortem hominum. Præmiſſo Cæcina, ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, ponteſque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret; incedunt mæſtos locos, viſuque ac memoria deformes. Prima Vari caſtra, lato ambitu & dimenſis principiis, trium Legionum manus oſtentabant. Dein ſemiruto vallo, humili foſſa, acciſæ jam reliquiæ conſediſſe intelligebantur. Medio campi albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, disjecta vel aggerata. Adjacebant fragmina telorum, equorumq; artus, ſimul truncis arborum antefixa ora. lucis propinquis barbaræ Aræ, apud quos Tribunos, ac primorum ordinum Centuriones mactaverant. & cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi, referebant; Hic cecidiſſe Legatos, illic captas aquilas. primum ubi vulnus Varo adactum: ubi infelici dextera & ſuo ictu mortem invenerit. Quo tribunali concionatus Arminius: quot patibula captivis, quæ ſcrobes. utque ſignis & aquilis per ſuperbiam illuſerit. Igitur Romanus qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionum oſſa, nullo noſcente alienas reliquias, an ſuorum humo tegeret, omnes ut conjunctos & conſanguineos, aucta in hoſtem ira, mæſti ſimul & infenſi condebant. Primum extruendo tumulo ceſpitem Cæſar poſuit, gratiſſimo munere in defunctos, & præſentibus doloris ſocius. Quod Tiberio haud probatum. ſeu cuncta Germanici in deterius trahenti, ſive exercitum imagine cæſorum inſepultorumq; tardatum ad prælia, & formidoloſiorem hoſtium credebat. Neque Imperatorem auguratu, & vetuſtiſſimis cerimoniis præditum, adtrectare feralia debuiſſe.

Cujus reliquiæ humatæ.

Prælium cum Arminio.

9. *Sed Germanicus cedentem in avia Arminium ſecutus, ubi primum copia fuit, evehi equites, campumq; quem hoſtis inſederat, eripi jubet. Arminius colligi ſuos, & propinquare ſylvis monitos, vertit repente: mox ſignum prorumpendi dedit iis, quos ſaltu occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques; miſſæque ſubſidiariæ cohortes, & fugientium agmine impulſæ, auxerant conſternationem. trudebanturq; in paludem gnaram vincentibus, iniquam neſciis: ni Cæſar productas legiones inſtruxiſſet. Inde hoſtibus terror, fiducia militi, & manibus æquis abſceſſum. Mox reducto ad Amiſiam exercitu, legiones claſſe ut advexerat, reportat. Pars equitum litore Oceani petere Rhenum juſſa.*

Dubium aut æquum.

Cæcinam redeuntem Arminius aggreditur, in paludibus.

10. *Cæcina qui ſuum militem* (Inferiorem exercitum) *ducebat, monitus, quanquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime ſuperare. Anguſtus is trames, vaſtas inter paludes, & quondam à L. Domitio aggeratus: cetera limoſa, tenacia gravi cœno, aut rivis incerta erant. Circum ſylvæ paullatim acclives. quas tum Arminius implevit, compendiis viarum & cito agmine; onuſtum ſarcinis armiſque militem cum antevenisset. Cæcina dubitanti, quonam modo ruptos vetuſtate pontes reponeret, ſimulque propulſaret hoſtem, caſtra metari in loco placuit; ut opus & alii prælium inciperent. Barbari perfringere ſtationes, ſeque inferre munitoribus niſi, laceſſunt, circumgrediuntur, occurſant. Miſcetur operantium bellantiumq; clamor. & cuncta pariter Romanis adverſa. locus uligine profunda, idem ad gradum inſtabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loricis, neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruſcis ſueta apud paludes prælia, procera membra, haſtæ ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. Nox demum inclinantes tum legiones adverſa pugna exemit.*

11. *Germani ob proſpera indefeſſi, ne tum quidem ſumpta quiete, quantum aquarum circumſurgentibus jugis oritur, vertere in ſubjecta. merſaque humo, & obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadrageſimum id ſtipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat: ſecundarum ambiguarumq; rerum ſciens, eoq; interritus. Igitur futura volvens, non aliud reperit, quam ut hoſtem ſylvis coërceret: donec ſaucii, quantumque gravioris agminis, anteirent. Nam medio montium & paludum, porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur Legiones; Quinta dextro lateri, undeviceſimani in lævum, Primani ducendum ad agmen, viceſimanus adverſum ſecuturos. Nox per diverſa inquies, cum Barbari feſtis epulis, læto cantu, aut truci ſonore ſubjecta vallium ac reſultantes ſaltus complerent. Apud Romanos invalidi ignes, interruptæ voces, atque ipſi paſſim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, inſomnes magis quam pervigiles. Ducemque terruit dira quies. Nam Quinctilium Varum ſanguine oblitum, & paludibus everſum cernere & audire viſus eſt, velut vocantem; non tamen obſecutus, & manum intendentis repuliſſe.*

Cæcina impavidus & generoſus.

Barbari inſolentes.

Romani conſternati

12. *Cœpta luce miſſæ in latera legiones, metu an contumacia locum deſeruere: capto propere campo, humentia ultra. Neque tamen Arminius, quanquam libero incurſu, ſtatim prorupit. ſed ut hæſere cœno foſſiſque impedimenta, turbati circum milites, incertus ſignorum ordo: utque tali in tempore ſibi quiſque properus, & lentæ adverſum imperia aures; irrumpere Germanos jubet, clamitans, En Varus, & iterum eodem fato victæ legiones. Simul hæc: & cum delectis ſcindit agmen, equiſque maxime vulnera ingerit. Illi ſanguine ſuo, & lubrico paludum lapſantes, excuſſis rectoribus disjicere obvios, proterere jacentes. Plurimus circa aquilas labor, quæ neque adverſum ferri ingruentia tela, neque figi limoſa humo poterant. Cæcina dum ſuſtentat aciem, ſuffoſſo equo delapſus circumveniebatur, ni Prima Legio ſeſe oppoſuiſſet. Juvit hoſtium aviditas, omiſſa cæde prædam ſectantium. enixæque legiones veſperaſcente die, in aperta & ſolida. Neque is miſeriarum finis. ſtruendum vallum, petendus agger. amiſſa magna ex parte per quæ egeritur humus, aut exciditur ceſpes. Non tentoria manipulis, non fomenta ſauciis. infectos cœno aut cruore cibos dividentes, funeſtas tenebras, & tot hominum millibus, unum jam reliquum diem lamentabantur. Forte equus abruptis vinculis vagus & clamore territus, quoſdam occurrentium obturbavit. Tanta inde conſternatio, irrupiſſe Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas. quarum Decumana maxime petebatur, averſa hoſti, & fugientibus tutior.*

& pœnè victi.

Panicus eorum terror.

Quem Cæcina comprimit.

13. *Cæcina comperto vanam eſſe formidinem; cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obſiſtere, aut retinere militem quiret, projectus in limine portæ, miſeratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clauſit viam. Simul Tribuni & Centuriones falſum pavorem docuerunt. Tunc contractos in principia, juſſoſq; dicta cum ſilentio accipere, temporis ac neceſſitatis monet. Unam in armis ſalutem: ſed ea conſilio temperanda: manendumque intra vallum, donec expugnandi hoſtes ſpe propius ſuccederent; mox undique erumpendum. illa eruptione ad Rhenum perveniri. Quod ſi fugerent, plures ſylvas, profundas magis paludes, ſævitiam hoſtium ſupereſſe. at victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ in caſtris honeſta memorat. Reticuit de adverſis. equos dehinc, orſus à ſuis, Legatorum Tribunorumque, nulla ambitione, fortiſſimo cuiq; bellatori tradit; ut hi, mox pedes in hoſtem invaderent.*

Germani nimiâ fiducia victoriam amittunt.

14. *Haud minus inquies Germanus, ſpe, cupidine, & diverſis Ducum ſententiis agebat. Arminio, ſinerent egredi, egreſſoſque ruſum per humida & impedita, circumvenirent, ſuadente: atrociora Inguiomero, & læta barbaris; ut vallum armis ambirent. promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore. Igitur orta die, proruunt foſſas, injiciunt crates,*

ſumma valli prehenſant; raro ſuper milite, & quaſi ob metum defixo. Poſtquam hæſere munimentis, datur cohortibus ſignum, cornuaque ac tubæ concinuere. Exin clamore & impetu tergis Germanorum circumfunduntur: exprobrantes, non hic ſylvas nec paludes, ſed æquis locis æquos Deos. Hoſti, facile excidium & paucos & ſemermos cogitanti, ſonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto majora offunduntur. Cadebantq́, ut rebus ſecundis avidi, ita adverſis incauti. Arminius integer, Inguiomerus poſt grave vulnus pugnam deſeruêre. Vulgus trucidatum eſt, donec ira & dies permanſit. Nocte demum reverſæ legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egeſtas fatigaret; vim, ſanitatem, copias, cuncta in victoriâ habuere.] Ita ad Rheni pontem, ac Vetera rediere Romani; in Germaniam Ciſrhenanam Inferiorem.

Quid in his caſibus? Agrippina, cis Rhenū.

15. *Pervaſerat interim circumventi exercitus fama: & infeſto Germanorum agmine Gallias peti. Ac ni Agrippina impoſitum Rheno pontem ſolvi prohibuiſſet, erant qui id flagitium formidine auderent. Sed fœmina ingens animi, munia Ducis per eos dies induit, militibusq́, ut quis inops, aut ſaucius, veſtem, & fomenta* vulneribus *dilargita eſt. Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum ſcriptor, ſtetiſſe apud principium pontis, laudes & grates reverſis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit. Non enim ſimplices eas curas; nec adverſus externos militem quæri. Nihil relictum Imperatoribus; ubi fœmina manipulos interviſat, ſigna adeat, largitionem tentet. Tanquam parum ambitioſe filium Ducis gregali habitu circumferat, Cæſaremq́, Caligulam appellari velit. Potiorem jam apud exercitus Agrippinam, quàm Legatos, quàm Duces. compreſſam a muliere ſeditionem, cui nomen Principis obſiſtere non quiverit.*] Hæc de Cæcinæ & Germaniæ Inferioris exercitu.

Viriliter ſe gerit non ſine Tiberii indignatione.

16. [a] *At Germanicus Legionum* (etiam quatuor, è Superiore Germania) *quas navibus vexerat, Secundam & Quartamdecimam itinere terreſtri P. Vitellio* (quem Suetonius Vitellii poſtea Imperatoris patruum, & Germanici amicum vocat, Vitellii c. 2.) *ducendas tradit:* [b] *quo levior claſſis vadoſo mari innataret, vel reciproco ſideret. Vitellius primum iter ſicca humo, aut modicè adlabente æſtu quietum habuit. Mox impulſu Aquilonis, ſimul ſidere æquinoctiali, quo maximè tumeſcit Oceanus, rapi agiq́ agmen: & opplebantur terræ. Eadem freto, litori, campis facies. neque diſcerni poterant incerta à ſolidis, brevia à profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: jumenta, ſarcinæ, corpora exanima interfluunt, occurſant: permiſcentur inter ſe manipuli, modò pectore, modò ore tenus extantes; aliquando ſubtracto ſolo disjecti aut obruti. Non vox & mutui hortatus juvabant, adverſante undâ. Nihil ſtrenuus ab ignavo, ſapiens ab imprudenti, conſilia à caſu differre. cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora eniſus, eòdem agmen ſubduxit. Pernoctavêre ſine utenſilibus, ſine igni; magna pars nudo aut mulcato corpore, &c. Lux reddidit terram. penetratumq́ ad Viſurgim* (lege ad *Vidrum* hodie Vecht fluvium qui in lacum Zuyder-zee non procul à Gelmunda aut *Vollenhoven* influit) *quò Cæſar claſſe contenderat.* & quà primum claſſem ad Amiſiam provexerat ſcilicet. *Impoſita deinde Legiones, vagante famâ ſubmerſas. Nec fides ſalutis antequam Cæſarem exercitumq́ reducem videre.*

Germanicus duas legiones remittit, duce P. Vitellio.

quæ tempeſtate Æquinoctiali in litore afflictæ.

Eodem Germanicus claſſe redit.

17. *Jam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segeſtis præmiſſus, ipſum & filium in civitatem Ubiorum perduxerat. Data utrique venia; facilè Segimero, cunctatius filio, quia Quinctilii Vari corpus inluſiſſe dicebatur. Ceterum ad ſupplenda exercitus damna certavere Galliæ, Hiſpaniæ, Italia: quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes. Quorum laudato ſtudio Germanicus, armis modò & equis ad bellum ſumptis, propriâ pecuniâ militem juvit. Utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire ſaucios, facta ſingulorum extollere, vulnera intueri, alium ſpe, alium gloria, cunctos alloquio & curâ, ſibiq́ & prælio firmabat. Decreta eo anno triumphalia inſignia A. Cæcinæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico geſtas.* Hucuſque Tacitus libro adhuc primo.

Segeſtis frater Segimerus cum filio deditus

[a] in civitatem Ubiorum producitur.

CAPUT VI.

Germanicus claſſe mille navium militem è Bataviâ in Germaniam vehit. Arminium ingenti prælio fundit. Rediens magnâ tempeſtate affligitur.

Anno U.C. 769. Iul. 61. à Chriſto nato 20.

1. DUM hæc in Germania geruntur, *mota ſunt Orientis Regna, Provinciæque Romanæ:* ait Tacitus initio Annalis 2. Quod *Tiberio haud ingratum accidit, ut eâ ſpecie Germanicum ſuetis Legionibus abſtraheret, noviſque provinciis impoſitum, dolo ſimul & caſibus objectaret. At ille quanto acriora in ſe ſtudia militum,* [a] *& averſa patrui voluntas, celerandæ victoriæ intentior, tractare præliorum vias, & quæ ſibi tertium jam annum belligeranti ſæva vel proſpera evenissent: Fundi Germanos acie & juſtis locis; juvari ſylvis, paludibus brevi æſtate, & præmaturâ hyeme. Suum militem haud perinde vulneribus, quàm ſpatiis itinerum, damno armorum adfici: feſſas Gallias* (Belgicam maximè) *miniſtrandis equis: longum impedimentorum agmen, opportunum ad inſidias, defenſoribus iniquum. At ſi mare intretur, promptam eis poſſeſſionem* (ex claſſe ſcilicet in Rheno & ad Oceanum, cum Germani ad ſimilia tunc rudes eſſent; unde ſubdit) *& hoſtibus ignotam. Simul bellum maturius incipi, Legionesque & commeatus pariter vehi: integrum equitem, equosque per ora & alveos fluminum media in Germaniâ fore. Igitur huc intendit. Miſſis ad Cenſus Galliarum P. Vitellio,* de quo ſuprà, *& Scantio;* jam ante mortem Auguſti cœptos.

Annus U.C. 769. Julian. 61. A Chriſti Nativitate verâ 20 à Dionyſ. 16.

Germanicus magnâ claſſem parat.

Cauſis optimus.

2. *Silius* (credo Superioris [b] Germaniæ Ciſrhenanæ ſeu Belgicæ Legatus, *& Cæcina* Inferioris, *& Anteius, fabricandæ claſſi* (in Rheno, Scaldi, & ad Oceanum) *præponuntur. Mille naves ſufficere viſa, properatæque. aliæ breves anguſtâ puppi proràque, & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent. quædam planæ carinis, ut ſine noxâ ſiderent. plures appoſitis utrinque gubernaculis, converſo ut repentè remigio, hinc vel illinc appellerent. Multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta veherentur, ſimul apta vehendis equis aut commeatui, velis habiles, citæ remis. augebantur alacritate militum in ſpeciem ac terrorem. Inſula Batavorum in quam convenirent prædicta,* (quòd ſcilicet Rhenus tot undique fluviis auctus, naves ubique factas defluxu ſuo demitteret.) *ob faciles adpulſus, accipiendisque copiis, &* trans-

[b] Ei fabricandæ quoque præpoſitus

Claſſis mille navium, in Bataviam convenire juſſa.

Bataviæ Rhenique deſcriptio.

tranſmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas inſulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur. ſervátque nomen & violentiam curſus qua Germaniam pravehitur; Belgicamque terminat, & à Friſiâ diſtinguit: *donec Oceano miſceatur. Ad Gallicam ripam latior, & placidior affluens: verſo cognomento Vahalem accolæ dicunt. mox id quoq; vocabulum mutat Moſá flumine, ejusque immenſo ore eumdem in Oceanum effunditur.* Nec dubium quin & ipſe Moſa, adeóque ipſe Scaldis, aliique plures fluvii naves alias cum ſuis undis è Belgica noſtra eodem devolverint.

Interim Silium in Chattos mittit.

3. *Sed Cæſar* Germanicus, *dum adiguntur* in Bataviam *naves, Silium Superioris Germaniæ Legatum cum expeditâ aliquâ manu irruptionem in Chattos facere jubet. Ipſe audito Caſtellum Lupiæ fluminis* (non procul fontibus) *appoſitum obſideri*, à Tranſrhenanis, *ſex legiones eò ducit*; binas eredo Moguntiaco ad Bonnam ſeu Aram Ubiorum: binas inde alias adjunctas ad Vetera; totidem è Veteribus ad pontem ibidem ante biennium conſtructum, tranſtulit. Sicque *ſex legionibus*, id eſt, triginta vel 40. militum millibus, *Rhenum* ibidem ponte *tranſgreſſus, Aliſonem Caſtellum propter lævam Lupiæ ripam, recto uſitatóque itinere perrexit. Verùm neque Silio ob ſubitos imbres aliud in Chattis actum, quàm ut modicam prædam, & Arpi Principis Chattorum conjugem, filiamque raperet. Neque Cæſari Germanico ad Lupiam copiam pugnæ obſeſſores fecere, ad famam adventus ejus dilapſi. Tumulum tamen nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem Aram Druſo ſtructam disjecerant. Reſtituit aram, honorique patris princeps ipſe cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud viſum. & cuncta inter caſtellum Aliſonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.*

Ipſe Aliſonem caſtellum ad Lupiam, obſidione liberaturus abit.

Neutro utrinque fructu.

Germanicus claſſem per foſſam Druſianam, & lacus, ad Amiſiam flumen pervehit.

4. *Jamque claſſis* (omnis in Bataviam) *advenerat. cùm præmiſſo commeatu, & diſtributis in legiones ac ſocios navibus, foſſam cui Druſiana nomen, ingreditur. precatúrque Druſum patrem, ut ſe eadem auſum, libens placatusque exemplo ac memoriâ conſiliorum atque operum juvaret.*] extat adhuc iſta Druſi foſſa in Geldria, à Rheno ipſo, ſeu dextero Rheni jam diviſi cornu & vico Iſeloort, ad Iſalam amnem, & oppidum Doeſborg, octo millium paſſuum intervallo, ab ipſo Germanici patre Druſo deducta, ut per eam claſſem à ſuperioribus Rheni in lacum Zuyderzee Oceanumque deveheret. quo etiam fine Iſalam deinceps ipſum dilatavit. *Lacus inde & Oceanum uſque ad Amiſiam flumen* (hodie Eems, in cujus oſtio jacet Embda) *ſecundâ navigatione pervehitur. Claſſis Amiſiæ relicta, lævo amne*, id eſt, ad lævam amnis fluentis ripam. *erratúmque meo, quod non ſubvexit. Tranſpoſuit militem dexteras in terras iturum*, dextras inquam flumini, in mare decurrenti, nempè in Cauchos, quos Amiſia flumen à Friſiis ibi diſterminat. *erratumque meo*, quòd militem in amnis ſuperiora ſicciorá que non ſubvexit, ſed in demiſſis humidisque reliquit. *Nam dum illum dextras in terras iturum transponit, plures dies efficiendis pontibus abſumpti. & eques quidem ac Legiones prima æſtuaria, nondum adcreſcente undâ, intrepidi tranſiere. poſtremum auxiliorum agmen Batavique in parte eâ, dum inſultant aquis, artemque nandi oſtentant, turbati. & quidam hauſti ſunt.*

Angrivarii deficiunt. cito revocantur.

5. *Metanti caſtra Cæſari Angrivariorum defectio à tergo nunciatur. Miſſus illico Stertinius cum equite & armaturâ levi. igne & cædibus perfidiam ultus eſt. Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcósque interfluebat. ejus in ripâ cum ceteris primoribus Arminius adſtitit. Quæſitóque an Cæſar veniſſet: poſtquam adeſſe reſponſum eſt, ut liceret cum fratre colloqui oravit. erat is in exercitu, cognomento Flavius; inſignis fide, & amiſſo per vulnus oculo paucis ante annis, Duce Tiberio. tum permiſſum. Progreſſusque ſalutatur ab Arminio: qui amotis ſtipatoribus, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. Illo locum & prælium referente, ſimul magnitudinem Romanam extollente, Arminio contrà libertatem avitam, penetrales Germaniæ Deos, matrem precum ſociam objiciente, paulatim ad jurgia prolapſi ad manus veniſſent, ni Stertinius accurrens Flavium attinuiſſet. Cernebatur contra minitabundus Arminius, præliumque denuntians. Nam pleraque Latino ſermone interjaciebat; ut qui Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet.*

Arminius ad Viſurgim. Ubi cum fratre Romanis militante colloquitur.

Non bono exitu.

6. Poſtero die Germanorum acies trans Viſurgim ſtetit. Cæſar primùm equitem vado tramittit Duce Stertinio: ſimul quâ celerrimus amnis, Cariovalda Dux Batavorum erumpit. eum Cheruſci, fugam ſimulantes, in planitiem ſaltibus circumjectam traxere. dein coorti trudunt adverſos; inſtant cedentibus. Cariovalda diu ſuſtentatâ hoſtium ſævitiâ, ſuffoſſo equo labitur, ac multi nobilium circà. Ceteros vis ſua & equites cum Stertinio ſubvenientes, periculo exemêre. *Cæſar inde Viſurgim tranſgreſſus, Arminium in campo Idiſtaviſo* (qui ab urbe Bremâ mare verſus, duobus circiter milliaribus Germanicis diſtat, & hodie Vegeſack juxta Lipſium quidẽ dicitur, juxta Cluverium verò l.3.c.14. p.50. *Eyſdorp*, longè ſuprà, *Minden* oppidum inter & Oldendorp) *prælio adgreditur.* Ille (ut compendio dicam) manu, voce, vulnere pugnam ſuſtentat; incumbit Sagittariis, illâ rupturus. Ni Rætorum Vindelicorumque & Gallicæ (ſeu Belgicæ) cohortes ſigna objeciſſent. Niſu tamen corporis & impetu equi pervaſit; oblitus faciem ſuo cruore; ne noſceretur. Quidam agnitum à Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emiſſumque tradiderunt. Virtus ſeu fraus eadem, Inguiomero effugium dedit. Ceteri paſſim trucidati. Magna ea victoria, neque cruenta Romanis. Quintâ ab hora diei ad noctem cæſi hoſtes, decem millia paſſuum cadaveribus atque armis opplevere. repertis inter ſpolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant. Miles loco prælii Tiberium Imperatorem ſalutavit; ſtruxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus impoſuit.

Cariovalda Batavorum Dux à Cheruſcis occiditur.

Prælium atrox. Arminio & Germanis infauſtum.

Romani victores, trophæum ſtatuunt.

7. *Haud perinde Germanos*, licèt victos, *vulnera, luctus, excidia, quàm ea ſpecies*, & contumelia *dolore & irâ adfecit. Qui modo* poſt tantam cladem *abire ſedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam* iterum *volunt, arma rapiunt. deligunt* novæ pugnæ *locum*, equitem propinquis lucis tegunt, ut ingreſſis ſylvam legionibus, à tergo foret. Nihil ex iis Cæſari incognitum, aſtus hoſtium in perniciem ipſis vertit. Primus ipſe capto vallo, dedit impetum in ſylvas. Nec minor Germanis animus, ſed genere pugnæ & armorum ſuperabantur, arctis locis ſtabile ad prælium coácti, quo prælongas haſtas non protenderent. Contrà Romanus ſcutum pectori adpreſſum, & inſidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamque ſtrage hoſtium aperiret. Improm̃pto jam Arminio, ob continua pericula; ſive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin & Inguiomerum totâ voli-

Quo irritati Germani iterum in pugnam ruunt.

tantem acie, fortuna magis quàm virtus deſerebat. & Germanicus quò magis agnoſceretur, detraxerat tegmen capiti, orabatque inſiſterent cædibus, ſolam internecionem gentis finem bello fore. Jamque ſero diei deducit ex acie Legionem unam, faciendis caſtris: ceteræ ad noctem cruore hoſtium ſatiatæ ſunt. Laudatis pro concione victoribus, Cæſar congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo: *Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tiberii Cæſaris ea monumenta Marti & Jovi & Auguſto ſacraviſſe.* De ſe nihil addidit minuendæ invidiæ: an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe. Angrivarii ſupplices in deditionem properaverunt.

Romani victores.

8. Sed æſtate jam adultâ, legionum aliæ itinere terreſtri in hibernacula remiſſæ: plures Cæſar claſſi impoſitas per flumen Amiſiam Oceano invexit. Ac primò placidum æquor mille navium *remis ſtrepere, aut velis impelli.* Mox variis undique procellis inſurgentibus, *Miles pavidus, & caſuum maris ignarus,* dum turbat nautas, vel intempeſtivè juvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc cœlum & mare in Auſtrum ceſſit. qui tumidis Germaniæ terris profundis amnibus, immenſo nubium tractu validus, & rigore vicini Septemtrionis horridior, rapuit disjecitque naves in aperta Oceani. aut inſulas ſaxis abruptas, vel per occulta vada infeſtas. Quibus paullum ægréque vitatis, poſtquam mutabat æſtus, eodemque quò ventus ferebat; non adhærere anchoris, non exhaurire irrumpentes undas poterant. Equi, jumenta, ſarcinæ, etiam arma præcipitantur, quò levarentur alvei manantes per latera, & fluctu ſemper urgente. Quanto violentior cetero mari Oceanus, & truculentiâ cœli præſtat Germania; tantum illa clades novitate & magnitudine exceſſit: hoſtilibus circum litoribus, aut ita vaſto & profundo, ut credatur noviſſimum ac ſine terris mare. Pars navium hauſtæ ſunt; plures apud inſulas longiùs ſitas ejectæ: milesque nullo illic hominum cultu, fame abſumptus. niſi quos corpora equorum eodem eniſa toleraverant.

Miles Germanici claſſe reducitur. tempeſtate affligitur.

9. Sola Germanici triremis Chancorum terram (circa oſtia Viſurgis) adpulit. Quem per illos dies noctesque, apud ſcopulos & prominentes oras, cum ſe tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuêre amici quo minùs eodem mari oppeteret. Tandem relabente æſtu, & ſecundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis veſtibus, & quædam à validioribus tractæ revertêre. Quas raptim refectas, miſit ut ſcrutarentur inſulas. Collecti eâ curâ plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere. Quidam in Britanniam rapti, & remiſſi à Regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant; vim turbinum & inauditas volucres, monſtra maris, ambiguas hominum & belluarum formas. Viſa, ſive ex metu credita.] Adeo tunc Oceani noſtri rudes erant Romani.

Eà Germanicus in Cāchos rejicitur.

10. Sed fama claſſis amiſſæ, ut Germanos ad ſpem belli, ita Cæſarem ad coërcendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus, ire in Chattos imperat. ipſe majoribus copiis Marſos irrumpit. Quorum Dux Malovendus nuper in deditionem acceptus, propinquo luco defoſſam Varianæ legionis Aquilam modico præſidio ſervari indicat. Miſſa extemplò manus, quæ hoſtem à fronte eliceret, alii qui terga circumgreſſi recluderent humum. & utriſque adfuit fortuna. Eò promptior Cæſar pergit introrſus, populatur, exſcindit: non auſo congredi hoſte; aut ſicubi reſtiterat, ſtatim pulſo, nec umquam magis, ut ex captivis cognitum eſt, pavente. Quippè invictos & nullis caſibus ſuperabiles Romanos prædicabant; qui perditâ claſſe, amiſſis armis, poſt conſtrata equorum virorumque corporibus litora, eâdem virtute, pari ferocia, & velut aucti numero inrupiſſent. Reductus inde in hiberna miles; lætus animi, quòd adverſa maris, expeditione proſperâ penſaviſſet. Addidit *munificentiam Cæſar* Germanicus, quantum quis damni profeſſus erat, exſolvendo. Nec dubium habebatur labare hoſtes, petendæ pacis conſilia ſumere: & ſi proxima æſtas adjiceretur, poſſe bellum patrari.

Unde Germani erigūtur. ſed reprimuntur.

11. Sed crebris epiſtolis Tiberius monebat, Rediret ad decretum triumphum. ſatis jam eventuum, ſatis caſuum. proſpera illi & magna prælia: eorum quoque meminiſſet, quæ venti & fluctus, nullâ Ducis culpâ, gravia tamen & ſæva damna intuliſſent. Se novies à D. Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionem acceptos: ſic Suevos Regemque Maroboduum pace obſtrictum. Poſſe & Cheruſcos, ceteráſque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni conſultum eſt, internis diſcordiis relinqui. Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acriùs modeſtiam ejus adgreditur; alterum conſulatum offerendo, cujus munia præſens obiret. Simul adnectebat, ſi foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ. *qui nullo tum alio hoſte, nonniſi apud Germanias adſequi nomen imperatorium, & deportare lauream poſſet. Haud cunctatus eſt ultrà Germanicus: quanquam fingi ea, ſeque per invidiam, parto jam decori abſtrahi intelligeret.* Ita Tacitus annali 2. additque inferiùs.

Germanicus Romā à Tiberio revocatur.

12. *Fine anni* (hujus Juliani 61. U. C. 769.) *arcus propter ædem Saturni, ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, ductu Germanici, auſpiciis Tiberii; & ædes fortis fortunæ, Tiberim juxta, in hortis, quos Cæſar Dictator populo Romano legaverat; ſacrarium genti Juliæ, effigiesque Divo Auguſto apud Bovillas dicantur. cum Ludicro Circenſi,* ut Annal. 2. & 15. noſter Tacitus.

CAPUT VII.

Triumphus Germanici, & Captivi in eo ducti. Quamdiu id bellum Belgo-Germanicum, & à quibus geſtum.

Ad Annū Chriſti verum 21. Dionyſ. 17.

1. PROXIMO anno, U. C. 770. Juliano 62. Chriſti verò 21. vulgari 17. *C. Cælio al. Cæcilio, & L. Pomponio Coſſ. Germanicus Cæſar* ad laboris ſui præmium tādem ſe vertit. Totum jam quadriennium in Galliis, Belgicâ maximè ad Rhenum, exegerat. & crebris, ut ex Tacito præmonui, Tiberii epiſtolis ad triumphum decretum revocabatur, aut potius à ſuetis legionibus abſtrahebatur. nullo alio tunc extra Germanias Romani Imperii hoſte. Ergo quamprimùm iſte ſe annus aperuit (quando

Annus U. C. 770. Julianus 62. À Chriſto nato 21.

& Titus

Livius & Ovidius mors.

& Titus Livius Romanæ conditor hiſtoriæ Patavii, anno ætatis ſuæ 76. & Ovidius Poëta Tomis in Scythia, annum exilii ſui jam agens octavum, Vitæ 60. fatis abſumpti ſunt, teſte Euſebii Hieronymíve Chronico, ubi eæ mortes & Germanici triumphus eodem anno concluduntur) Romam poſtliminiò, cum uxore Agrippinâ, Auguſti ſanguine, tribúſque prolibus, iter intendit. Nam aliæ duæ proles maſculæ, eæque natu grandiores, Nero & Druſus, ſub Cari cujuſdam diſciplinâ, ut docet Ovidius libro 4. de Ponto, Elegiâ 13. in Urbe alebantur. *Revertenti cohortes Prætorianas univerſas occurriſſe, Populum verò Romanum ad vicesimum uſque lapidem ſeſe effudiſſe*, ſcribit Suetonius Caligulâ capite 4.

Germanicus cum familia Romam è Belgica redit.

& Triumphus. Tac. ann. 2.

2. *Ad ſeptimum Kalendas Junias* (ait Tacitus annali 2. ſeu Maii 26. feriâ tunc 4.) *triumphavit de Cheruſcis, Chattiſque & Angrivariis; quæque aliæ nationes uſque ad Albim colunt. Vecta ſpolia, captivi, ſimulacra montium, fluminum, præliorum:* Urbium nullæ, credo, quia nondum in gentibus illis conditæ. *Bellum, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium viſus eximia ipſius ſpecies, curruſque quinque liberis onuſtus. Sed ſuberat occulta formido, reputantibus haud proſperum in Druſo patre ejus favorem vulgi; avunculum ejuſdem Marcellum, flagrantibus plebis ſtudiis, intra juventam ereptum, breves & infauſtos populi Romani amores.*

Captivi Germani in triumpho ducti. Ex Strab.

3. Triumphi iſtius *captivos* à Tacito prætermiſſos prodit Strabo lib. 7. ſub initium. *Romanis contra datã fidẽ Arminij fraude circumventis pœnas Germani univerſi dederunt; ac Germanico juniori* (nam Druſus pater etiã Germanicus dictus) *pulcherrimam triumphi materiam, in quo is illuſtriſſimos viros ac fœminas duxit. In iis erant Segimundus & Segeſtis filius Cheruſcorum Dux; ſororque ejus, & uxor Arminii (qui Cheruſcis, cùm Varum Quinctilium violatis pactis invaderent, belli dux fuerat, quod etiamnum fovet) nomine Thuſnelda, ac filius ejus tres annos natus Thumelicus. Necnon Seſithacus Segimeri Cheruſcorum Ducis filius ejuſque uxor Rhamis, Actumeri Chattorum* (hodie Heſſorum) *Ducis filia. & Theudorix, Baitoriti, qui Melonis frater fuit, filius, Sicamber. Segeſtes autem Arminii ſocer, cùm ab initio ſententiæ generi reſtitiſſet, capto tempore ad Romanos transfugerat; túmque triumphum, in quo illi chariſſima ducerentur, ipſe à Romanis in honore habitus, ſpectavit. In pompâ quoque ductus eſt Libys Chattorum ſacerdos. aliique multi mortales ex devaſtatis populis, Chaucis, Ampſivariis, Bructeris, Uſipiis, Cheruſcis, Chattis, Chattuariis, Marſis & Tubantiis.* Ita Strabo, varias Rhenum inter & Albim gentes à Germanico triumphatas, & à Tacito tranſmiſſas, accuratè recenſens, etſi necdum integrè.

Licèt bellũ adhuc foveret Arminius.

4. Bellum porrò hoc Strabo cùm notat *etiamnum ab Arminio foveri*; & Tacito conformis eſt nondum confectum ſcribenti; & annum inſuper, quo hæc ſcribebat aperit; nempè ab hoc noſtro ſecundum U. C. 772. Julianum 64. Chriſti verum 23. Dionyſianum 19. quo etiam Arminium ipſum deceſſiſſe (an ex dolore captivæ uxoris cum filio triumphatæ?) disertè teſtatur Tacitus: & quem ipſe quoque Strabo libro 4. finiente, ab Rhætis domitis *tricesimum ſeptimum* rectè ſupputat. Simul adverte, trans Rhenum his etiam annis è Sicambrorum primoribus *Theudorigem* ſeu Theudericum, Melonis illorum quondam Regis ex fratre Baitorito nepotem, adhuc ſuperſtitem fuiſſe. Qui an *exigua* illi *Sicambrorum portioni* (quam idem Strabo, cùm hæc ſcriberet, reliquam trans Rhenum fuiſſe dicit) adhuc præfuerit; an inter Uſipios Tenchterósve latuerit, an cum paucis reliquiis ad Cheruſcos aliósve confines evaſerit, quæſtio eſſe poteſt.

Bellũ iſtud iſtius ævi maximum fuit.

5. Atque hic belli iſtius primùm Sicambrici, mox etiam in genere Germanici, Germano-vel Belgici finis exituſque fuit. Ducibus ipſis, Germanico quidem ſtatim à triumpho in Orientem miſſo; Arminio autem contra Maroboduum Suevo-Bohemum averſo victoreque: mox etiam poſt biennium ſuâ morte defuncto, ut fuſius annali 2. finiente Tacitus. Enimvero bellum hoc aliorum hujus ætatis omnium longè maximum extitiſſe multa docent. Primùm Dio libro 54. ad annum U. C. 738. cùm illud μέγιστον τῶν τότε συμβάντων τοῖς Ῥωμαίοις πολέμων: *Maximum quod eâ tempeſtate Romanis obtigit bellum, quodque ipſum adeo Urbe extraxit Auguſtum*; appellat. Docet item Virgilius 1. Georg. finiente, cùm bina dumtaxat ævi ſui bella tangit; *Hinc movet Euphrates*, id eſt Parthus, *illinc Germania bellum.* Docet Tacitus libro de Germaniâ, ſcribens *Regno Arſacis acriorem eſſe Germanorum libertatem. Non Samnitem, non Pœnos, non Hiſpanias Galliáſve, ac ne Parthos quidem plura intuliſſe damna*: duas ſcilicet ſub Auguſto graves clades, unam penè exitiabilem, Varianam atque Lollianam: ut Suetonius Aug. cap. 23.

Quod ideo præcipui Romanorum Duces geſſerunt.

6. Præ ceteris tamen id aſſeruut, tot ab exordio belli ſibi ſuccedentes, eximii Romanorum Duces: imprimiſque ipſe Auguſtus; *toties feſſa* etiam *ætate* (ut Tacitus annali primo) *in Germanias ideo ex Urbe commeans.* Tum ejus, ex Juliâ unicâ prole, gener M. Agrippa. Mox etiam chariſſimus ipſi Druſus; ſi non ejus ex adulterio cum Liviâ filius (ut quorumdam vehemens, nec ex nihilo, ſuſpicio fuit) certè ex Octaviæ ſororis filiâ Antoniâ, propè gener. Hoc deinde immortuo, frater ejuſdem natu major Tiberius, ſecundus Auguſti etiam ex prædictâ filiâ Juliâ, Agrippæ viduâ, gener; qui ſe contra Sugambros, Suevos, Regem Maroboduum, alioſque, novies in Germaniam ab Auguſto miſſum, jactat apud Tacitum annali ſecũdo; duobus inde Conſulatibus, duobus Triumphis auctus. Cui, cùm Rhodum ſeceſſiſſet, L. Domitius Ahenobarbus ſubmiſſus, Neronis poſtea Imperatoris ex alterâ Antoniâ avus. Nec ita multò poſt, iterum Tiberius, jam Rhodo regreſſus, & mortuis Lucio Caioque Cæſaribus, etiam adoptione filius. Denique hic ipſe, de quo nunc ſermo, Germanicus, Druſo Antoniaque alterâ genitus, eoque Auguſti naturâ pronepos; mox etiam ex Tiberii jam in filium adoptione nepos. Omnes, ut clarum, Auguſto aut ſanguine aut affinitate junctiſſimi. Prorſus ut omne Romanorum robur, omnem florem, Belgæ noſtri per hæc tempora ad ſe traxiſſe videantur. Tanti Auguſto ac Romanis erat bellum hocce Belgo-Germanicum, ſive Germano-Belgicum; Horatio, Propertio, aliiſque tot Poetis decantatum. Ne quos hîc ante tempus addam, ſecutos alios hujus belli diu continuati Duces, adeo quoque præſtantes; ut eorum plerique ad Imperium eo ſolo merito aſſumpti ſint, Vitellius, Trajanus, tot alii.

Dicique rectè poteſt Germano-Belgicum. & quare?

7. Ceterum bellum hoc Germano-Belgicum dixi; quia illius utraque Provincia pars longè maxima fuit: Germania Tranſrhenana, ut hoſtis im-

petitus, & terminus ad quem; Ciſrhenana ſeu Belgica ut impetens, & terminus à quo. Quæ nimirum belli vires copiasque ſubminiſtraret; militem aleret, veſtiret, armaret. ipſa unica eademque Horreum Annonarium, Veſtiarium, Armamentarium. ex quo commeatus omnis, machinarum tormentorumque bellicorum, apparatus, militum copiæ ad procinctum æſtate prodirent: hyeme ad hiberna quietemque redirent. ut aliquoties ſupra monui. Idque per totos 40. & quod excurrit annos; à M. Vinucio ſcilicet, qui bellum hoc Sicambris anno U.C. 729 ad hunc uſque 770. primus intulit; Germanicus autem ſi non omnino confecit, ut pro confecto tamen haberetur, effecit.

In Belgicâ toto quadriennio videtur hæſiſſe Germanicus.

8. Et hic quidem *Conſulatu ſuo primo* ante quadriennium jam *exacto* (ut Suetonius Caligulâ c. 8.) *in Galliam* Belgicam ab Auguſto, *nato jam Caligula, miſſus eſt.* totoque iſto quo ad Rhenum hæſit quadriennio (quorum 1. Galliarum Cenſus accepit) uxorem ejus Agrippinam M. Agrippæ ex Julia filiam, bis in ea regione filias enixam notat idem Suetonius. Qui etiam ibi Plinii dictum affert: *In Treviris, vico Ambiatino, ſupra Confluentes; aras oſtendi inſcriptas, OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM.* eâque voce *qualemcumque partum, ſine ullo ſexus diſcrimine ſignificari, quod antiqui etiam puellas pueras, ſicut & pueros puellos dictitarent.* Cúmque addit Suetonius capite 7. tres Germanici proles ſexus fœminini, Agrippinam, Druſillam & Livillam continuo triennio natas; binas priores neceſſe eſt biennio continuo, & ad Rhenum in Belgicâ noſtrâ genitas. Jam Agrippinam Germanici uxorem ſuprà, in ea legionariorum ſeditione, quæ Auguſti mortem excepit, gravidam fuiſſe diximus; nec ita multò poſt, anno ſcilicet ineunte Juliano 60. Agrippinam juniorem, Neronis poſtea Imperatoris matrem peperiſſe: & quidem in Ubiorum Oppido, ſeu Coloniæ, teſtè Tacito annali 12. Quare & Druſillam ſequente proximè anno, æquè ad Rhenum, ſeu in vico eodem iſto Ambiatino, ſeu Treviris alibíve genitam oportet. Sanè Germanicum hoc ipſo triumpho, quinque liberos curru duxiſſe, notat Tacitus: non alios utique quàm duas haſce puellas adhuc infantes; tres pueros illis ſeniores, Neronem, Druſum & Caium Caligulam; huncque in caſtris iiſdem Rhenanis, ſi non (ut vult tamen Plinius) natum, ſaltem educatum; eóque cognomine militum joco affectum, quod manipulari habitu per caſtra ferri conſueſſet. Ita ſi non Caligulam ipſum (quod tamen probabile) ſaltem Agrippinam & Druſillam ejus ſorores, Belgicas, ſeu Germanicas Ciſrhenanas certò tenemus; Feminas Auguſti ſanguine eminentiſſimas, etſi vitiis infames. Ut de Germanico ipſo nihil dicam, qui toto quadriennio in Belgicâ cum uxore & familia firmus hæſit: Tiberium patruum minimè imitatus; ſolitum à bellis Germanicis in Urbem hyeme commeare; metu ne quem ſibi abſenti præferret Auguſtus, ut Dio libro 55. anno U.C. 759. Adeò ille eum ſuis, Belgarum amore capiebatur. Colligat hinc Lector, quantopere Belgium noſtrum Chriſti naſcentis & adoleſcentis ætate floruerit; quanta de illo Chriſtus Dominus noſter audire debuerit.

& duas ibi filias genuit. veriſimiliter & Caium Caligulam, & ſaltem educavit.

Idem bellū ad Francos uſque continuatum.

9. Ceterùm tametſi bellum hoc pro confecto tantiſper habitum dicat Tacitus; deinceps tamen ſæpiùs reſumptum & per intervalla ſaltem, magno ſemper Romanorum metu curáque renovatum; per annos ſupra ducentos: donec ſub ipſum Valeriani Gallienique Imperium, annumque Chriſti Dionyſianum fere 250. à Nationibus ſolum iſtud idem incolentibus, novâ tunc appellatione FRANCICUM dici cœptum; tractus iſtius populis omnibus eò nomine veluti teſſerâ in Romanos conjurantibus. Vixque adhuc tunc remiſit, donec poſt annos iterū 150. aliâ Vandalorum irruptione Franci ipſi, ex natâ occaſione, metuque ne toties affectatâ prædâ ab iſtis privarentur, ſerio in Gallias irrumpentes, novum ibidem regnū erexerunt; ad nos uſque perductum, ut ibi reddam. Ac licèt populi deinceps iſti, FRANCI conſtanter appellari perrexerint, GERMANI tamen etiam, ut verè erant; imò & à viris doctis antiquitatis amantibus, SICAMBRI quoque, tametſi nomen iſtud Auguſtus extinxiſſet, dici non deſierunt. Quod benè, pro eorum quæ ſubdentur intellectu, Lectori notandum eſt: quando texendæ Belgarum hiſtoriæ vix ulla ſuppetit materies uberior.

CAPUT VIII.

Germanici in Orientem iter, geſta, mors. ut & Arminii. Iudæi Româ pulſi.

Annis Chriſti veris 22. & 23.
Dionyſiānis 18. & 19.

1. GERMANICO bellum adhuc in Tranſrhenanos gerente, *mota fuerant* (ait Tacitus annalis ſecundi principio) *Orientis regna Provinciaque Romanæ. Nec id Tiberio ingratum acciderat; ut ea ſpecie Germanicum ſuetis legionibus* (Rhenanis) *abſtraheret; novíſque provinciis impoſitum, dolo ſimul & caſibus objectaret.* Hoc igitur anno Chriſti vero 22. Dion. 18. illum vix 5. poſt triumphum menſe, primo autumno in Orientem miſit: maximè cum ultra Parthorum motum, *Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum Regibus defunctis*, tanto magis *turbarentur nationes; pleriſque Romanum, aliis regium imperium cupientibus. & provincia Syria atque Judæa feſſa oneribus, tributi diminutionem orarent. Permiſſa decreto Patrum Germanico provinciæ quæ mari dividuntur; majuſque imperium quoquo adiſſet, quàm his qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syriâ Creticum Silanum* (Quirinū credo in ea Præfecturâ ſucceſſorem) *connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetuſtiſſimo liberorum ejus pacta erat: ſuffeceratque Cn. Piſonem ingenio violentum & obſequii ignarum, inſitâ ferociâ à patre Piſone (qui Pompeii partes in Africa acerrimè adverſus Cæſarem, mox etiam Brutum & Caſſium, juverat; & conceſſo tamen reditu Conſulatum ultro ab Auguſto acceperat) ad ſpes Germanici coërcendas.* ſimul *uxorem ejus Plancinam* nihilo mitiorem *Livia Auguſta monuerat, muliebri æmulatione Agrippinam* Germanico nuptam *inſectandi.* quantumvis & Germanicus materno genere avum M. Antonium, avunculum Auguſtum ferret; & Agrippina verus Auguſti ſanguis eſſet.

Germanici iter in Orientem, cum uxore & filio Caligula *ex Tac. an. 2. & Suet. Cal. cap. 9.*

2. Germanici iter, quia C. Cæſaris Auguſti filii haud abſimile, breviter retexam: maximè cùm Nazaretho (ubi Chriſtus adoleſcebat) haud procul abfuerit.

Annus U. C. 771. Julianus 63. A Chriſto nato 22.

abfuerit. Primum ergo Româ *per Illyricam orant abut, viſo fratre Druſo in Dalmatia agente; Hadriatici ac mox Jonij maris adverſam navigationem perpeſſus. ac denique Nicopolim Achaia* (ſeu Epiri) *urbem adpulſus. Ibi Conſulatu ſuo ſecundo inito* (ſicut ante annos fere 17. Sami Caius Cæſar inierat) *ſinus Actiaca* Auguſti avi adoptivi *victoriâ inclytos, ſimul M. Antonii* ex matre *avi caſtra adiit. magna triſtium juxtà & lætorum imagine. Inde Athenis & Euboca petitis tranſiſit Leſbum, ubi Agrippina noviſſimo partu Juliam edidit. Mox Propontidis anguſtias & os Ponticum intrat.* quod & de Caio ſuprà monui. Unde regreſſus, Colophonem, & tandem Rhodon adpellit. Ubi eum Cn. Piſo cum ſuis adſecutus, prævenit in Syriam; multis in eum ejuſque uxorem jactis contumeliis. Unde Germanico præverti ad Armenios cura fuit; quibus in urbe Artaxata Zenonem Regis Pontici filium (ſicut Caius Ariobarzanem Medum) adprobantibus imponit. Unde in Syriam verſus, Piſonem Cirri demùm apud hiberna decumæ Legionis convenit. *& ab eo contumaciore apertis odiis diſceſſit. Vox quoque ejus in convivio apud Regem Nabatæorum* (quorum caput Petram facit Strabo, & quò Nazaretho Galilæâque ad dextram relictis pervenerat) *audita, Principis Romani, non Parthi Regis filio eas epulas dari. Quæ Germanico quamquam acerba, tolerabantur tamen. Interim ab Rege Parthorum Artabano venere legati qui fœdus renovarent; daturumq; honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet.* Nempe ut Phraataces nuper ad Caium. Mors Germanici intercurſans impedivit.

Annus U. C. 772. Juliano 64. Germanicus in Ægyptum.

3. Anno igitur U. C. 772. Juliano 64. Chriſti vero 22. Dionyſ. 18. *Germanicus Ægyptum* (ut antè Arabiam Cajus) *ingreſſus frugum pretia in fame tunc repentina levavit apertis horreis.* Quod Tiberio in Senatu improbatum dicit Sueton. Tiberii cap. 52. quia eo inconſulto, & contra Auguſti inſtituta. *Sed Germanicus nondum comperto id improbari, Nilo ſubvectus, Syenem olim Romani Imperij clauſtra pervenit, quod nunc,* Taciti ſcilicet & Traiani ævo, *rubrum ad mare pateſcit.* Ex Ægypto Antiochiam redux, cum cuncta quæ apud legiones aut urbes juſſerat, abolita aut in contrarium verſa cognoſſet, graves in Piſonem contumelias, graviores in eum Piſo tentavit. Unde adverſâ primùm valetudine correptus, diutino eandem morbo Antiochiæ deceſſit. (menſe fere Novembri) *non ſine magna veneni à Piſone ſuſpicione.* ait Suet. Calig. cap. 1. ingenti Provinciæ confiniumque luctu. *Erant,* pergit Tacitus, *qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumque corpore decoro, genere inſigni, haud multum triginta annos egreſſum* (34. egiſſe tradit Suetonius Calig. c. 1.) *ſuorum inſidiis, externas inter gentes occidiſſe. Quod ſi regio jure & nomine fuiſſet, tanto promptius militia gloriam aſſecuturum, quantum clementiâ, temperantiâ, cæteris bonis artibus præſtitiſſet.* Tacitus. Poteſt & hic Chriſto (cui totos 23. convixit annos) non minus quàm Caius Cæſar, à contrario componi. Nam tanto glorioſior dici poteſt, quanto Chriſtus ignotior, & inter Judæos aliósve contemptior. Superat in eo Chriſtus quod humilitate ſuâ ſecurior, utrumque fulguris inſtar evanuiſſe conſpexit.

Unde Antiochiam reverſus, moritur, magnâ veneni ſuſpicione. ex Tac. an. 2.

Nec multò poſt Germanicū, etiam Arminius moritur.

4. Germanico non multum ſuperſtes fuit æmulus Arminius Germanus. De cujus morte hoc eodem anno U. C. 772. ita Tacitus annali 2. deſinente: *Romanis unà cum Germanico Germaniâ abſcedentibus, pulſo Maroboduo Arminius regnum adfectans, libertatem popularium adverſam habuit. Petitusque armis, cùm variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum cecidit. Liberator haud dubie Germaniæ: & qui non primordia populi Romani, ſicut alii Reges Ducesque, ſed florentiſſimum Imperium laceſſierit. præliis ambiguus, bello non victus. Septem & 30. annos vitæ, duodecim potentiæ explevit.* Ergo biennio toto ante Vari cladem regnare orſus. *Caniturq; adhuc Barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantum mirantur. Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi.* Tacitus. Ita junior Chriſto fuerit Arminius annis duntaxat quatuordecim; coævus tribus ac 20. Natus anno Juliano 28. duobus Lentulis Conſulibus; à Deiparæ natiuitate proximo.

Judæi Roma pelluntur.

5. Juvat hic ex eodem Taciti libro annóque hoc repetere: *Actum & de ſacris Ægyptiis Judaicisque pellendis. factúmque Patrum conſultum, ut quatuor millia libertini generis eâ ſuperſtitione* (Judaicâ religione ſcilicet) *infecta, queis idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur: coërcendis illic latrociniis: & ſi ob gravitatem cœli interiiſſent, vile damnum. Ceteri cederent Italiâ, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Quos hic Tacitus *libertini generis* appellat, Suetonius Tib. cap. 36. & è Dione Joannes Antiochenus, *Judæos* diſertè vocant; ob cauſam in Victorii noſtri Cõmentario, capite 6. pag. 387. allatam. *Externas,* ait ille, *cæremonias, Ægyptios Judaicosque ritus compeſcuit* (Tiberius) *coactis, qui ſuperſtitione eâ tenebantur, religioſas veſtes cum inſtrumento omni comburere. Judæorum juventutem per ſpeciem ſacramenti militaris in provincias gravioris cœli diſtribuit.* (qualis Sardinia) *Reliquos gentis ejuſdem* (ſanguine nempe Judæos) *vel ſimilia ſectantes* (Proſelytos) *Urbe ſubmovit, ſub pœnâ perpetuæ ſervitutis, niſi obtemperaſſent.* Ingentem ea ætate Judæorum numerũ Romæ fuiſſe oportet, ſi ex eorum ſolâ juventute quatuor millia in Sardiniam tranſmiſſa. *Cum Judæi,* ait Joannes Antiochenus, *plurimi Romam confluxiſſent; nec paucos Civium Romanorum ad ſuos ritus traduxiſſent, plerosque Tiberius Urbe ſubmovit.* Colligat hinc mecum Lector, quibus animis Tiberius, Senatus Populusque Romanus, Chriſtum, ſi Romæ naſci contigiſſet, excepturi fuerint. Illum haud dubiè cum parentibus non mitiùs, quàm Innocentes Chriſto coævus Herodes, quàm hæc Juvenum Judæorum quatuor millia Tiberius Romaniq́ue tractaturi fuiſſent.

& quâ occaſione.

6. Submotionis iſtius porro cauſam Joſephus Judæus aperit Orig. lib. 18. cap. 5. Quod quidam Judæus patriâ ne puniretur profugus, pro Moſaicæ Legis interprete Romæ ſe gerens Fulviæ nobili fœminæ, Saturnini uxori, quam Judaica Lege imbuerat, perſuaſerat, purpuram & aurum in Templum Hieroſolymitanum mittere. quod illo tamen in proprios uſus verterat. Id Tiberius ex amico Saturnino reſcicos, Judæos omnes juſſit Urbe pelli; ex iis quatuor millia militum in Sardiniam mitti. Similiter & fœminam alteram Paulinam pulcherrimam, Saturnino item cuidam nuptam, Iſidis cultui addictiſſimam, Ægyptiaci ejus Deæ Sacerdotes deceperant, ut cum Decio quodam Mundo juvene, equite peilluſtri, ſub nomine Anubidis, Deæque Ægyptiæ, adulterium committeret. Ægyptiaca igitur ſacra, & Judaica Tiberius Urbe ſubmovit. Quod moneo, ut C. Sentium Saturninum Chriſti recens nati Cenſitorem, ad hunc annum ſuperfuiſſe

cognoſca-

cognoſcamus. Nam cùm hic Tiberii amicus appelletur, eidem coævus, & in Germaniâ commilito eſſe debet. Cumque tres in Syriæ Præfecturâ filios legatos habuiſſe addit Joſephus, alterum iſtum Saturninum Paulinæ virum è filiis ejus unum extitiſſe, veriſimile eſt, florentis adhuc non minus quàm Paulina uxor ætatis. Pater autem Saturninus hoc ipſo anno U. C. 772. annorum erat fere 77. non multum hinc ſuperſtes. Certè Velleius undecimo poſt hunc anno ſcribens, U. C. 783. vitiáque ejus carpens, ſpeciatim quod lautè abuteretur otio, potius mortuum ſignificat, ut ſuprà in ejus vita monui.

CAPUT IX.

Lepida Cyrini Evangelici ſeu Quirini uxor damnatur. Gallorum, ſpeciatimq́; Treverorum, rebellio compoſita. Ipſius Quirini mors.

Annis U. C. 773. 774. Iulianis 65. 66.

Agrippina Germanici vidua, Brundiſium & Romam redit. ex Tac. an. 3.

1. ANNOS jam agebatur U. C. 773. Julian. 65. Chriſti verus 24. Dionyſianus 20. quo Agrippina Germanici vidua, cum duobus liberis (Caio Caligulâ ſcilicet, qui patrem in Syriam comitatus erat; ut Suetonius in eo, cap 10. & Juliâ ſeu Livillâ, Leſbi ante biennium genitâ) Brunduſium adpulit; feralem urnam tenens, ait Tacitus annal. 3. quam inde Romam tranſgreſſa, omnium lacrymis & conclamationibus exceptam in Auguſti Mauſolæum intulit. Cn. Piſo eam è Syriâ ſecutus, ut Romam rediit (ait Suetonius Calig. cap. 2.) penè diſcerptus à populo, tandem à Senatu capitis damnatus.

Lepida Quirini uxor ob ſcelera damnatur, ibid.

2. Romæ quoque paulò poſt *Lepida* (P. Quirini ſeu Cyrini Evangelici uxor pridem repudiata) *cui ſuper Æmyliorum decus, L. Sulla, ac Cn. Pompeius proavi erant, defertur ſimulaviſſe partum ex P. Quirinio marito divite atque orbo.* liberis ſcilicet. *Adjiciebantur adulteria, venena; quæſitumque per Chaldæos in domum Cæſaris; defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinius poſt dictum* (ante annos totos jam 20.) *repudium, adhuc infenſus, quamvis infami ac nocenti miſerationem addiderat. Haud facilè quis diſpexerit in illâ cognitione mentem Principis: adeò vertit, ac miſcuit iræ & clementiæ ſigna: deprecatus primò Senatum, ne majeſtatis crimina tractarentur. Mox M. Servilium è conſularibus, aliósque teſtes illexit ad proferenda quæ velut reticeri voluerat. itemque ſervos, Lepidæ, cum militari cuſtodiâ haberentur, tranſtulit ad Conſules; neque per tormenta interrogari paſſus eſt de his, quæ ad domum ſuam pertinerent. exemit etiam Druſum Conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententiæ. Quod alii civile rebantur, ne ceteris aſſentiendi neceſſitas fieret. quidam ad ſævitiam trahebant: neque enim ceſſurum, niſi damnandi officio. Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingreſſa, lamentatione flebili majores ſuos ciens, ipſumque Pompeium, cujus ea monimenta & adſtantes imagines viſebantur; tantum miſericordiæ permovit, ut effuſi in lacrymas ſæva & deteſtanda Quirinio clamitarent; cujus ſenectæ atque orbitati, & obſcuriſſimæ domui, deſtinata quondam uxor Lucio Cæſari ac D. Auguſto nurus, dederetur. Dein tormentis ſervorum patefacta ſunt flagitia. Itúmque in ſententiam Rubelli Blandi, à quo aquâ atque igni arcebatur. Tum demum aperuit Tiberius, compertum ſibi, etiam ex P. Quirinii ſervis, veneno eum à Lepida petitum* Tacitus.

A Tiberio deſerta, ex avaritiâ.

3. Suetonius Tiberio cap. 49. hanc tantæ fœminæ damnationem, Tiberii avaritiæ ac rapacitati adtribuit: ut qui ingentem Quirinii ſenis ac liberis orbati hæreditatem, conciliatâ ſibi hoc facto ejus gratiâ, ſpe devoraret. *Procedente*, ait, *tempore etiam ad rapinas convertit animum. Sat conſtat condemnatam generoſiſſimam feminam Lepidam, in gratiam Quirinii Conſularis prædivitis & orbi, qui dimiſſam eam è matrimonio*, ſeu repudiatam, *poſt vigeſimum annum veneni olim in ſe comparati arguebat.* Suetonius. ex quo nos ſuprà, anno Juliano 44. finiente, divortium hoc contigiſſe collegimus, ſub ipſos ferè dies, quibus Caio Cæſari Auguſti nepoti ac filio adoptivo, expeditionem in Parthos paranti, Conſiliarius, adeoque M. Lollio, ſi fortè moreretur, ut contigit, Rector ſufficiendus additus eſt. Cumque maritum Lepida & genere & ætate tam diſparem ſperneret, & tantæ tamen hæreditati inhiaret; ut liberos ſeu ex marito, ſeu ex adulteris hauriret, nihil non movit. Liberorum porrò undecumque ſuſcipiendorum omni ſpe nonniſi poſt 4. aut 5. annos certò excidere potuit: Ergo nec matrimonium ante annum Julianum 40. aut 41. quo natus eſt Chriſtus, inire. Unde poſtremo confecimus, Quirinium Chriſti naſcentis in Syriâ Judæâve Cenſitorem eſſe nequiviſſe, planéque Saturninum ex Tertulliani Joſephique ſententiâ id exequi debuiſſe. Tantum ecce ad hauriendam Chriſti Nativitatem confert illud Quirinii cum Lepida matrimonium. tantum nos ejus mentione beat Tacitus accuratè excuſſus. qui eodem Annali tertio pergit:

Silanus Juliæ Auguſti neptis adulter, ab exilio revocatus. ex Tac. an. 3.

4. *Illuſtrium domuum adverſa (etenim haud multum diſtantis tempore Calpurnij Piſonem, Æmylij Lepidam amiſerant) ſolatio adfecit D. Silanus Juniæ familiæ redditus. Caſum ejus paucis repetam. Ut valida Auguſto in Remp. fortuna, ita domi improſpera fuit. ob impudicitiam filiæ ac neptis*, Juliæ utriuſque. *adulteróſque earum morte aut fugâ punivit. Nam culpam inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine læſarum Religionum ac violatæ majeſtatis appellando, clementiam majorum, ſuáſque ipſe leges egrediebatur. P. Silanus in nepti Auguſti adulter, quanquam non ultrà foret ſævitum, quàm ut amicitiâ Cæſaris prohiberetur, exſilium ſibi demonſtrari intellexit. Nec niſi Tiberio imperitante deprecari Senatum ac Principem auſus eſt, M. Silani fratris potentiâ, qui per inſignem nobilitatem & eloquentiam præcellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano, patribus coram reſpondit, Se quoque lætari quòd frater ejus è longinquâ peregrinatione* (annorum ferè undecim) *revertiſſet. Idque licitum, quia non Senatuſconſulto, non lege pulſus foret. Sibi tamen adverſus eum integras parentis ſui offenſiones: neque reditu Silani diſſoluta, quæ Auguſtus voluiſſet. fuit poſthac in Urbe, nec honores adeptus eſt.* Tac.] Si Ovidius, ob eamdem neptem Juliam exul, adhuc ſuperſtes fuiſſet (quarto jam anno extinctus) fortè cum hoc Silano revocatus fuiſſet; hoc magis, quò non adulter in Auguſti nepte, ſed tantùm familiarior & carminum laſciviorum conditor.

5. Sequi-

Annus U.C 764. Julian° 66 Tiberius in Campaniam ſeceſſit.

5. Sequentis anni U. C. 774. initio, Conſul Tiberius quartùm collegâ filio Druſo iterum (pergit Tacitus) *quaſi firmandæ valetudini in Campaniam conceſſit; ſed longam & continuam abſentiam paulatim meditans, ſive ut amoto patre Druſus munia conſulatus ſolus impleret.* Nec niſi ſequente anno, ob atrocem Juliæ, ſeu Liviæ matris Auguſtæ valetudinem, reditum in Urbem feſtinavit. Gallias interim noſtras inviſamus. Digreſſo ex illis Germanico, nulli ac ne Druſo quidem filio, ſummæ rei octoque legionum regimen credidit Tiberius. Binos tantùm Superiori & Inferiori ad Rhenum exercitui, quatuor cuique legionum, Legatos præeſſe voluit æquo jure, quo neuter ſe efferret, alter ab altero frænari poſſet. & Superiori quidem C. Silium adhuc reliquerat; ab Inferiore Romam abducto Cæcinæ Viſellium Varronem, tertio abhinc anno Conſulem, ſubſtituerat. Ac longam inde à Germanici receſſu quietem Tranſrhenani præſtitere, civili diſcordiâ (quam Tiberius præviderat) in ſe verſi. Quo quietis intervallo, & Arminius Marobodui, Marcomannorum in Bohemiâ Regis victor, morte functus eſt, ut ſuprà dictum, & Maroboduus ipſe mox Catwaldæ Gotonis (ſeu Gothi) vi pulſus, ad Romanos Tiberiumque profugit. A quo duodeviginti annos Ravennæ habitus conſenuit; multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Quæ omnia fuſiùs exequitur Tacitus. Verùm Rhenanis octo legionibus ut à Germanis quies, ita novus à Gallis labor; quibus etiam continendis ex jam pridem ab Auguſto prudenter impoſitæ. Tacitum ſubinde breviatum audiamus.

Gallus quis poſt Germanicum præfuerit?

Motus in Galliâ gravior a Treviris & Æduis.

6. Eodem anno, nempe U.C. 774. Iuliano 66. Chriſti vero 25. Dionyſiano 21.) *Galliarum civitates* (etiam Belgicæ) *ob magnitudinem æris alieni rebellionem cæptavere. Cujus extimulator acerrimus inter* TREVIROS *Iulius Florus, apud Æduos Iulius Sacrovir. nobilitas ambobus: & ob majorum bona facta, Romana civitas olim data; cùm id rarum, nec niſi virtutis pretium eſſet. Ii ſecretis colloquiis ferociſſimo quoque aſſumpto; aut quibus ob egeſtatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi neceſſitudo, componunt. Florus* BELGAS, *Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula & cætus ſeditioſa differebant: de continuatione tributorum, gravitate fœnoris, ſævitiâ ac ſuperbiâ præſidentium. & diſcordare militem, audito Germanici exitio. Egregium reſumendæ libertati tempus, ſi ipſi florentes, quàm inops Italia, quàm imbellis urbana plebs; nihil validum in exercitibus, niſi quod externum, cogitarent. Haud fermè ulla civitas* (ergo neque Belgii noſtri) *intacta ſeminibus motûs ejus fuit. Sed erupere primi Andecavi ac Turonii. Quorum Andecavos Acilius Aviola Legatus, excitâ cohorte quæ Lugduni præſidium agitabat, coërcuit. Turonii Legionario milite, quem Viſellius Varro Inferioris Germaniæ Legatus miſerat, oppreſſi, eodem Aviolâ duce, & quibuſdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo diſſimularent defectionem, magiſq; in tempore efferrent. Spectatus & Sacrovir, intecto capite pugnam pro Romanis ciens, oſtentandæ, ut ferebatur, virtutis. Sed captivi ne inceſſeretur telis, agnoſcendum ſe præbuiſſe arguebant. Conſultus ſuper eâ re Tiberius, aſpernatus eſt judicium, aluitq; dubitatione bellum.*

Tributorũ odio; & libertatis poſt digreſſum Germanicum ſpe.

Sed à Legionario Rhenano q; milite in Andegavis & Turonibus comprimitur.

Florus Treviros ac Belgas concitans, in Ardenna cæditur etiam à Legionario milite.

7. *Interim Florus inſiſtere deſtinatis* (apud Treviros & Belgas) *pellicere alam equitum, quæ conſcripta Treviris militiâ diſciplinâque noſtrâ habebatur, ut cæſis negotiatoribus Romanis bellum inciperet. paucique equitum corrupti, plures in officio manſere. Aliud vulgus obæratorum aut clientium arma cepit: petebantque ſaltus, quibus nomen Arduenna. Cùm Legiones utreque ab exercitu, quas Viſellius & Caius Silius adverſis itineribus objecerant, arcuerunt. Præmiſſuſque cum delecta manu Iulius Indus, è civitate eadem, diſcors Floro, & ob id navandæ operæ avidior, inconditam adhuc multitudinem disjecit. Florus incertis latebris victores fruſtratus; poſtremo viſis militibus, qui effugia inſederant, ſuâ manu cecidit. Iſque tumultûs Treverici finis fuit.* Vix dubito quin & Tungros, & Nervios noſtros Florus iſte tentaverit.

8. *Apud Æduos major moles exorta, quanto civitas opulentior, & comprimendi procul præſidium. Auguſtodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, & nobiliſſimam Galliæ ſobolem liberalibus ſtudiis ibi operatam: ut eo pignore parentes propinquosve eorum adjungeret.* (Hoſpitium enim fuiſſe Muſarum ex Eumenii Panegyricis Conſtantio dictis intelligimus.) *Simul arma occultè fabricata juventuti diſpertit. Quadraginta millia fuere; quintâ ſui parte* (igitur ad octo millia) *Legionariis armis; ceteri cum venabulis & cultris, quæque alia venantibus tela ſunt. Adduntur è ſervitiis, gladiaturæ deſtinati; quibus more gentico continuum ferri tegimen, Crupellarios vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Augebantur hæ copiæ vicinarum civitatum ut nondum apertâ conſenſione, ita viritim promptis ſtudiis, & certamine Ducum Romanorum; quos inter ambigebatur, utroque bellum ſibi poſcente. Mox Varro invalidus ſenectâ vigenti Silio conceſſit.*

Ut & Sacrovir in Æduis

Crupellarii.

9. *At Romæ non Treviros modò & Æduos, ſed quatuor & 40. Galliarum civitates deſciviſſe, aſſumptos in ſocietatem Germanos, dubias Hiſpanias, cuncta (ut mos famæ) in majus credita. Optimus quiſque Reip. cura mœrebat; multi odio præſentium & cupidine mutationis, ſuis quoque periculis lætabantur. increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu, libellis accuſatorum inſumeret operam. At ille tanto impenſiùs in ſecuritatem compoſitus, neque loco neque vultu mutato; ſed ut ſolitum per illos dies egit; altitudine animi, an compererat modica eſſe, & vulgatis leviora?*

Turbantur eo motu Romani.

Tiberius diſſimulat.

10. *Interim Silius cum duabus legionibus incedens, præmiſſa auxiliari manu, vaſtat Sequanorum pagos, qui finium extremi, & Æduis contermini ſociique in armis erant. Mox Auguſtodunum petit propero agmine; certantibus inter ſe ſigniferis, fremente etiam gregario milite; ne ſuetam requiem, ne ſpatia noctium opperiretur: viderent modo adverſos, & adſpicerentur. id ſatis ad victoriam. Duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaque patentibus locis apparuere. Ventum ad pugnam. inconditi ac neſcii militiæ oppidani legionum veteranarum impetum non tulère. Sacrovir primò Auguſtodunum; dein metu deditionis in villam propinquam cum fidiſſimis pergit. Illic ſuâ manu, reliqui mutuis ictibus occidère. Incenſa ſuper villa omnes cremavit. Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum Senatui ſcripſit. Neque dempſit aut addidit vero. ſed fide ac virtute legatos, ſe conſiliis ſuperfuiſſe. Simul cauſas cur non ipſe, non Druſus profecti ad id bellum forent, adjunxit; magnitudinem Imperii extollens: neque decorum Principibus, ſi una alterâve civitas turbet, omittere Urbem; unde in omnia regimen.* Ceterùm ex hoc bello triumphalia Silium obtinuiſſe ſcribit Tacitus annali quarto, cap. decimo-octavo, cum tertio poſt hunc anno, Viſellii Varronis tunc Conſulis accuſatione ad voluntariam ille mortem adactus eſt.

Silius Legionum ſuperiorum legatus, Sacrovirum & Æduos cædit.

11. *Sus*

Quirinii ſeu Cyrini evangelici mors.

11. *Sub idem tempus, ut mors Sulpitij Quirinij publicis exequiis frequentaretur, petivit a Senatu. Nihil ad veterem & patriciam Sulpitiorum familiam Quirinius pertinuit: ortus apud Municipium Lanuvium. Sed impiger militia & acribus miniſteriis Conſulatum ſub D. Auguſto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi adeptus; datusque Rector C. Cæſari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit in Senatu, laudatis in ſe officijs, & incuſato M. Lollio, quem auctorem Caio Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat. Sed ceteris haud læta memoria Quirinij erat, ob intentata, ut memoravi, Lepidæ pericula, ſordidamque & prępotentem ſenectam.* Hucuſque ex Tacito. Plura de Quirinio ſuprà, cùm de Chriſti nati Cenſu egimus. Senex obiit, ſeptuagenario major, ſi non & octogenario. non tamen ut Nativitati Chriſti, ſic & Paſſioni ſubſervivit; annis ante illam decem totis, poſt Lepidam conjugem damnatam biennio dumtaxat abſumptus.

& Sentii Saturnini, qui Synæ Cenſum Chriſto naſcente accepit

12. Sæpè mirari ſubiit, nullam in Tacito mortis Sentii Saturnini, qui Chriſtum in Tabulas Cenſuales retulit, haberi mentionem. quem tamen Quirinio & genere, & geminato Conſulatu, & Provinciarum bellorumque ſecundâ adminiſtratione, longè ſuperiorem fuiſſe, nemo inficiari poteſt. Niſi fortè in libris ejus deperditis mors ea narrata fuerit. Quod ſi eſt, ergo non ante annum U.C. 782. Iulianum 74. ſaltem inchoatum, qui eſt abhinc octavus, ante Chriſti Paſſionem ſecundus, obiiſſet. Imò iſto ipſo obiiſſet, quando proximè ſequenti, Juliano 75. U. C. 783. Velleius ſuam ad M. Vinucium tunc Conſulem ſcribens hiſtoriam, de Saturnino ceu mortuo loquitur, quando mores ejus carpere non veretur. examinet Lector.

CAPUT X.

Reliqua Tiberii ad Chriſti Baptiſmum Prædicationemque, quinquennio toto geſta; ſeceſſus in Inſulam Capreas. Legiones Imperii.

Ab anno U.C. 775. Iulian. 67. Chriſti vero 26 Dionyſ. 22. ad 780 Iul. 72. Chriſti 31. verum, Dion. 27.

Annus U. C. 775. Julian. 67. Chriſti verus 26. Dionyſian. 22. Tiberius Druſo filio Poteſtatem Tribunitiã dat.

1. SEQUITUR Annus U. C. Varronianus 775. Julianus 67. Chriſti verus 26. Dionyſian9 22. Caio Sulpitio Galbâ, ejus qui poſtea Imperator fuit fratre, ut videtur. & D. Hatterio Coſſ. rebus externis inturbidus. Quo Tiberius Druſo filio ſuo unico. annum ætatis triceſimum ſextum jam agenti, Poteſtatem Tribunitiam à Senatu petiit & obtinuit. Tacito noſtro teſte. annali 3. ad finem vergente. *Id ſummi faſtigij vocabulum Auguſtus repererat, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret; ac tamen appellatione aliquâ cetera imperia præmineret: eóque M. Agrippam & Tiberium ipſum ſucceſſivè generos decoraverat.* Huic Senatuſconſulto *M. Silanus* (is credo, qui Decimo fratri reditum ab exilio annos ante duos impetravit) *illud ex contumelia Conſulatûs*, adjiciendum cenſuit, *ut publicis privatiſque monimentis, ad memoriam temporum, non Conſulum deinceps nomina præſcriberentur, ſed eorum qui Tribunitiam poteſtatem gererent.* Quod etſi ille non obtinuit, Principum tamen ipſorum anni ſemper inde deducti; ut jam ſuos deduxerat Auguſtus. Quod moneo, ut quod ſuprà de novâ Tiberiani Imperii epochâ, novâ item Tribunitiâ poteſtate auctiore, anno ante Auguſti exceſſum altero, dixi, tanto magis confirmem. quando à Poteſtate iſtâ renovatâ, & ad novum per Provincias Imperium, Tiberio ſimul cum Auguſto delatum poſtremò adjunctâ, Anni Principatus ipſius potuerunt *in Provinciis ipſis* (ut diſertè ſcribit Velleius) non incommodè ſupputari. & quanquam anno proxime ſequenti, U. C. 776. Tacitus ipſe Annalis quarti principio, annum Tiberii *nonum* expreſsè numeret, qui noſtro hoc calculo eſſet undecimus: id tamen ille Romæ, ut dixi, intelligit; ubi Auguſti vivi numquam imminuta majeſtas: non æquè in Provinciis, de quibus nulla hîc à Tacito mentio; ſed tantùm florentis Domus ipſius, atque compoſitæ ab Auguſti exceſſu Reipublicæ.

A quâ ſupremâ Imperatores Imperii ſui annos numerare ſolitu.

Annus U. C. 776. Julian. 68. Chriſti 27. *Tac. ann. 4.*

2. Anno igitur iſto Tiberii Romæ, & ab Auguſti morte nono, in Provinciis ex Velleii, Plinii, Tacitique ſententiâ, undecimo, U. C. 776. Iuliano 68. à verâ Chriſti Nativitate 27. Dionyſianâ 23. Florentem hucuſque Tiberii domum turbari cœptam, Annalis quarti principio narrare Tacitus aggreditur; initio & causâ penes Ælium Sejanum cohortibus Prætorianis Præfectum. Cujus originem, mores, potentiam, hic deſcribit: Ut Liviam Druſi Tiberio geniti uxorem primùm adulterio corruperit; Druſum inde ipſum ad dominationem jam adſpirans, veneno extinxerit: potentiæ denique tanto magis augendæ, Tiberium ipſum Imperatorem ad ſeceſſum procul ab Urbe perpulerit. Quæ omnia quatuor annos exhauſerunt, rerum ad Belgium noſtrum attinentium immunes. Id tantùm pro totius Imperii, eoque etiam Belgicæ ſtatu refert Tacitus, eodem Annali 4. *Præcipuum* (ait) *Imperij robur, Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſque ſubſidium, octo legiones erant. Hiſpania tribus habebantur. Mauros Iuba Rex acceperat, donum populi Romani cetera Africa per duas legiones* (à bello Tacfarinatis nimirum: nam anteà & ordinariè tantum una) *pariqne numero Ægyptus: de hinc initio ab Suriâ ad flumen Euphratem, quatuor legionibus coërcita. Thraciam Rhœmetalces ac liberi Cotyis: Ripamque Danubij legionum duæ in Pannoniâ, duæ in Mœſia attinebant. totidem apud Dalmatiam locatis; quæ poſitu regionum à tergo illis; ac ſi repentinum auxilium Italia poſceret, haud procul accirentur. Quamquam inſideret Vrbem proprius miles, tres urbanæ, novem Prætoriæ cohortes*, &c. Hæc & plura Tacitus, quæ apud eum vide. ſimul nota ex iſtis totius Imperii legionibus viginti, octo totas in Belgicâ ſolâ metari ſolitas. & quidem præcipuum imperii in Germanos Galloſque robur. ut mirum non ſit, bella circa Chriſti Nativitatem à Romanis circa Belgium noſtrum maximè geri ſolita.

Ælius Sejanus Prætoriano militi Præfectus Quis?

Quatuor anni rerum Belgicarum vacui.

Status Imperii & Legionum ſecedente Tiberio.

Annus U. C. 779. Julian. 71. Cur ſeceſſerit Tiberius. *Tacit. an. 4.*

3. Hoc ergo Imperii ſtatu, ſeceſſum ab Urbe Tiberius à Seiano ſuaſum, anno iſto U. C. 779. Juliano 71. Chriſti 30. vero, Dionyſiano ſeu vulgari quo hodie utimur 26. occepit. L. Corn. Lentulo Gætulico, & Poppæo Sabino Coſs. Nam eo rurſus in Campaniam abiit, ſpecie dedicandi Templum (Capitolium habet Suetonius) apud Capuam

Jovi, apud Nolam Auguſto. Sed certus procul Urbe degere: à Seiano primùm ut jam dixi, mox à ſe quoque impulſus; *quò ſævitiam ac libidinem, cum factis promeret, locis occultaret.* Extrudebat quoque Matris impotentia; quam dominationis ſociam aſpernabatur: neque depellere poterat, cùm dominationem ipſam donum ejus accepiſſet. De quo ita fuſiùs Suetonius Tib. cap. 51. & ſeqq. *Inſtanti ſæpiùs matri, ut quemdam civitate donatum Tiberius in decurias allegeret, negavit aliâ ſe conditione allecturum, quàm ſi pateretur adſcribi albo, extortum id ſibi à matre. At illa commota veteres quaſdam ad ſe Auguſti codicillos, de acerbitate & intolerantiâ morum ejus, è ſacrario protulit atque recitavit. Hos & cuſtoditos tam diu, & exprobratos tam infeſtè, adeò graviter tulit, ut quidam putent inter cauſas ſeceſſus, hanc ei vel præcipuam fuiſſe. Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, ſemel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac pauciſſimis vidit horis: ac mox nec ægræ adeſſe curavit,* &c. *Profectio* (ſubdit Tacitus) *arcto comitatu fuit. Unus Senator Conſulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia: eques Romanus præter Seianum, ex illuſtribus Curtius Atticus; cæteri liberalibus ſtudiis præditi; fermè Græci, quorum ſermonibus levaretur. Ferebant periti cœleſtium, iis motibus ſiderum exceſſiſſe Româ Tiberium, ut reditus illi negaretur.* Quod verum fuiſſe eventus & ſequentia docebunt.

4. Antequam Româ ſecederet videtur quoſdam, ſi non omnes, Provinciarum Præſidea mutaſſe. ne deinceps ſolitudinem quietemque ſuam ſimilia laceſſerent. Valerio certè Grato Iudææ Præſidi, cùm undecimum in eo Magiſtratu exegiſſet annum (ait Joſephus antiq. lib. 18. cap. 3.) ſucceſſorem ſubmiſit Pontium Pilatum Chriſti morte celebrem; qui in eâdem functione annos decem implevit. ab anni circiter hujus Iuliani 71. autumno, ad annum Iulianum 81. quo Vitellius eum Romam remiſit. Joſephum Caipham hic Iudæorum Pontificem, Anani ſive Annæ generum reperit, annos jam novem à deceſſore ſuo. Grato impoſitum, & per alios decem ſuos totos reliquit immotum. Tertullianus libro 1. contra Marcionem cap. 10. *Revelatum* ſcribit Chriſtum (*revelatum* nempe Ioannis Baptiſtæ prædicatione) anno Imperii Tiberii 12. qui cum hoc Iuliano 71. concurrit. Nos 72. ſequente tantum ponimus. & nonnulli in Tertulliano, pro anno Tiberii 12. reponendum putant 15. 5. pro 2. Moneo tamen, ne quis me Ioannis prædicationem nimis promovere putet.

Pilatus Judææ Præſes.

5. Anno proxime ſequenti U. C. Varroniano 780. Iuliano 72. Chriſti ineunte, vero triceſimo primo, Dionyſiano 27. Licinio Craſſo, & L. Calpurnio Piſone Coss. Tiberius peragratâ Campaniâ, & Templis Iovi Capuæ, Auguſto Nolæ dedicatis, quantumvis Româ anno priore *egrediens, edicta monuiſſet, Ne quis ſe interpellaret, & quietem ſuam interrumperet; imò toto itinere adeuntes ſubmoviſſet*, ut Suet. Tib. cap. 40. aut ut Tacitus annali 4. etiam *concurſus oppidanorum diſpoſita milite prohiberet; peroſus tamen Municipia & Colonias, omniaque in continenti ſita, Capreas ſe in Inſulam* hoc anno tandem *abdidit; trium millium freto, ab extremis Surrentini Promontorii disjunctam. Solitudinem ejus placuiſſe maxime crediderim, quoniam importuoſum circà mare, & vix modicis navigiis pauca ſubſidia. cùm Inſula uno parvóque litore adiretur* (addit Suetonius) *ſepta undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Neque appulerit quiſquam* (pergit Tacitus) *niſi gnaro cuſtode. Cœli temperies hyeme mitis, objectu montis quo ſæva ventorum arcentur. Æſtas in favonium* (occidentis ventum) *obverſa, & aperto circum pelago peramœna: proſpectabatq́; pulcherrimum ſinum, antequam Veſuvius mons ardeſcens faciem loci verteret.* Eam ergo tūc *inſedit Tiberius; quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus & malum otium reſolutus.* Ita Tacit. Ibi annos decem totos, ad ſuam uſque mortem; toto nempe Prædicationis & Paſſionis Christi tempore, ad annum ab ipsâ Paſſione ſextum evolutum; delituit: Romæ quidem mœnia ſubinde adſidens, nunquam ingreſſus.

Annus U. C. 780. Julian. 72. Chriſti 31. Dionyſ. 27.

Tiberius Capreas ſe abdit, ipſe caper.

6. Ac me quidem vehemens ſæpiùs inceſſit admiratio, cur Orbis ille Monarcha, illis rectè diebus bis, hominum procul cœtu, ſeceſſerit; quibus primum in lucem Christus, iterum in Prædicationem Crucemque prodiit. Rhodum certè ſecūdo ante Chriſtum natum anno Tiberius nondum Imperator, abſceſſit; nec ante octavum inde annum rediit, totos ſeptem annos Inſulâ modicâ reconditus. Rurſum binis ferè ante Chriſti Baptiſmum & Prædicationem annis jam Monarcha, minore adhuc & obſcuriore Inſulâ abſtruſus, Capreia decem integros annos delituit: Romam, omniáque in continēte ſita peroſus: ut paulò ante Tacitus. Nec aliter Suetonius Tib. c. 41. *Capreis Reip. curam uſque adeò abjecit; ut poſtea non Præfectos non Provinciarū Præſides ullos mutaverit: Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos ſine Conſularibus Legatis habuerit: Armeniam à Parthis occupari; Mœſiam à Dacis Sarmatiſque; Gallias* (Belgicām maximè) *à Germanis vaſtari neglexerit: magno dedecore Imperii, nec minore diſcrimine. Cæterùm ſecreti licentiam nactus, & quaſi Civitatis oculis remotus, omnia ſimul vitia male diu diſſimulata, tandem profudit.* Ita illi tam fœdi ſeceſſus cauſam apertè prodentes; pudorem nempe ſcelerum & libidinum: quibus adeò indomitis exarſerat, ut more regio tyrannicoque pubem ingenuam pollueret; ipſam quoque puerorum modeſtiam ac nobilitatem, cupidinis incitamentum aſſumens: addit Tacitus ann. 6.

Cur rectè in Chriſti Nativitate & Prædicatione ſeceſſerit?

Tiberii in ſeceſſu vita ſolutiſſima.

7. Quid mirum ſi tam olidus hircus Urbis lucem ceu nocturnus bubo fugerit, ſaxa maríſque ſolitudinem toties appetierit? Cœlum ſcilicet, & aër fragrantiſſimo Chriſti prodeuntis odore delibutus, tam putidam flagitiorum Mephitim in devia horridáque ſaxa expuerit. *Quænam* (ait Paulus 2. Corinth. 6.) *ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial? Qui conſenſus Templo cum idolis?* Solis ortu, cœlo decedunt ſidera omnia, etiam ipſius quæ paulò antè maximè radiabat, Veneris, etiam ipſius, qui modo Deus habetur, Iovis.

Chriſti prodeuntis lucem non fert.

Atque hactenus de rebus Romano-Belgicis, Christi Paſſionem præcurrentibus. Nunc ad ipſam Joannis Baptiſtæ Prædicationem vertatur narratio.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER QVARTVS.

DE IOANNIS BAPTISTÆ, CHISTIQVE Prædicatione, Paſſione, Spiritus Sancti Miſſione.

CAPUT PRIMUM.

Ioannis Baptiſtæ Prædicatio, ab Autumno ejuſdem anni V.C. 780. Iuliani 72.

EJUSDEM snni Iuliani 72. Autumno ineunte, iiſdemque ſorte diebus, quibus ſe Capreâ Inſulâ Tiberius sbdidit, IOANNES Zschariæ filius contrà, deſerto ſuo, quod annos jam triginta totos longè alio fine fructuque incoluerat, impulſu Numinis egreſſus eſt: Cœlo novam terræ faciem inducere moliente. Quod sntequam aggrediar, præmoneo me ſuccinctiùs hæc, ut & Chriſti Paſſionem exequuturum, utpotè majore Scriptorum numero doctrináque perfuſa. Lucas ante omnia audiendus.

Luca Evangelium c. 3.

2. *ANNO QVINTODECIMO Imperii TIBERII Caſaris, Procurante PONTIO PILATO JVDÆAM* anno jsm slteto; *Tetrarchâ autem Galilaa HERODE* Antips; *PHILIPPO autem fratre ejus Tetrarchâ Ituraa & Trachonitidis regionis* (utroque sb exceſſu patris Herodis Infanticidæ, annos jam 29. regnante) *& LYSANIA Abilina Tetrarcha. ſub Principibus Sacerdotum ANNA & CAIPHA*, ſoceru generoque; *FACTVM EST VERBVM DOMINI ſuper IOANNEM Zacharia filium in deſerto. & venit in omnem regionem Iordanis, pradicans Baptiſmum Pœnitentia, in remiſſionem peccatorum. Sicut ſcriptum eſt in libro Sermonum Iſaia Propheta: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*, &c. *& videbit omnis caro ſalutare Dei.* Ita Lucas. excutiamus.

Quis ſit iſte Imperii Tiberii Annus quintuſdecimus?

3. Quintum-decimum Imperii Tiberii Annum sppellst ecce: non ab exceſſu quidem Auguſti, à quo iſte Iulisnus 72. nonniſi quartus-decimus eſt, & quidem abs uno dumtsxat menſe inchoatus: ſed ex quo *Senatus Populuſque Romanus* (Velleii iſta videntis verba ſunt) *poſtulâte patre ejus* adoptivo Auguſto, *ut aquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibuſque eſſet, quàm erat ipſi, decreto complexus fuerat. etenim abſurdum erat, non eſſe ſub illo qua ab ipſo vindicabantur. & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem, non judicari parem.* Nota *parem* Idem dicunt Plinius, Tacitus, atque Suetonius; ut Libro priore, cap. 3. fusè validéque probavi. Et quidem non multò poſt illius de Pannoniis Dalmatiſque triumphum (ut ſciſcit Suet. Tib. cap. 21. sano U. C. 765. Iuliano 57 ſeneſcente) ductum: anno item belli Germanici à Tiberio ipſo, poſt ſuam sb Auguſto sdoptionem geri cœpti *nono* jam adulto: ut ex Velleio clarè hsurimus. Prorſus ut primum novi iſtius Imperii annum Tiberius à primis ſequentis anni Iuliani 58. Kalendis, vel à prioris menſe Decembri, numerare cœperit.

4. De Pilato, & de Tetrarchis fratribus, ſatis alibi dixi. Nec ulli præter hos in Iudæa tunc regnabsnt. Vivebat quidem Agrippa, Magnus poſteà dictus; annorum tunc ferè 37. Ariſtobuli & Bernices filius, Herodis Magni ex Mariamme Haſmonæâ nepos; Judææ poſtmodum ſub Claudio Imp. Rex: eóque patruis hiſce ſuis, Antipâ & Philippo, tantò nobilior. Sed tantùm abeſt, ut quampiam Iudææ partem hoc anno regeret; ut ære potiùs alieno, quod in ſulâ Tiberii Romæ contraxerat penè merſus, Româ relictâ retrò in Iudæam refugiſſet: quin & in ſepoſitum Idumææ caſtrum Malatba, ſe abſtruſerat, miſeram vitsm certus sbrumpere. Donec sb Antipâ patruo, Tiberiadi tum recenter conditæ impoſitus, quomodocumque victitabat, à miſericordiâ pendens alienâ. ut pluribus Ioſephus antiq. lib. 18. cap. 8. Illius ergo mentionem hîc facere, contempſit Lucas.

Cur Agrippæ Regis, Lucas hic mentionem non faciat, ut facit Act. 12.

5. Sed quo snni hujus 72. Iuliani menſe cœpit Prædicare Ioannes, aures illa clamantis in deſerto vox & srgentea tubs? Meo quidem ſenſu, TISRI; qui ex Iudæorum quidem calculo circa viceſimum Septembris diem tunc incurrit, ex noſtro autem & Epiphaniano 84. annorum Cyclo, biduo triduóve citiùs. Sed quo Tiſri iſtius die? haud dubiè decimo, *Expiationis* ſeu *Propitiationis* feſto: quo tubâ ſolebant clangere Sacerdotes. Levit. cap. 25. verſ. 9. Ut & tunc verus Chriſti Tubicen ac Præcentor Joannes clangore ſuo longè ſanctiore, *Baptiſmum Pœnitentia in remiſſionem peccatorum annuntiaret*; ſicque *videret omnis caro ſalutare Dei.* Iſte porrò menſis September ac Tiſri, nonus erat anni Quintidecimi Tiberiani, à novo ejuſdem *in Provinciis & exercitibus* cum Auguſto *Principatu.* veriſſima Lucæ, & Romanorum quatuor prædictorum Scriptorum ſupputatione. Tanta eſt Chronologiæ noſtræ in quamvis partem ductilitas & inflexio.

Menſe Tiſri ſeu Septembri cœpit Joannes tubâ ſuæ Prædicationis clangere.

6. Et reliquo quidem hujus Anni trimeſtri, ſolus tubâ cecinit Joannes; ingenti Iudæorum concurſu, fructuque Phariſæorum, Publicanorum, Militum, *& Hieroſolymitarum univerſorum, confitentium peccata ſua; qui baptizabantur ab eo in Jordanis flumine.* ut Matthæus, Marcus, Lucas. Uſque adeò,

Ingenti concurſu fructûque.

Lucæ 3. v. 15. Legatio Judæorum ad Joannem. à

ut *exiſtimaret Populus, & cogitarent omnes in cordibus de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet CHRISTVS.* Quin & Sacerdotes ac Levitæ legatione ſolemni & quaſi juridica interrogarunt, An eſſet Chriſtus, Elias, an Propheta? & ſi annuiſſet, haud dubiè pro Chriſto excepiſſent. Sed ſimilia quantum à ſe rejecerit, teſtatur abundè Ioannis & aliorum Euangelium. Atque hactenus ſine Chriſto prædicavit Ioannes Baptiſta, poſteriore trimeſtri anni hujus Iuliani ſeptuageſimi ſecundi. antequam Chriſtus ad Baptiſmum accederet.

CAPUT II.

CHRISTVS Baptizatur. & prædicare incipit.

Annis U. C. 781. Iuliano 73. Ætatis ſuæ 32. vero. Dionyſiano 28.

Chriſtus à Joanne Baptizatur.

1. ANNO inſequente Iuliano 73. Appio Iunio Silano & Nervâ Coſs. *Cùm adhuc baptizaretur omnis populus*, ait Lucas c. 3. *Venit IESVS* (addunt Matthæus & Marcus) *à Nazareth Galilææ*, ubi hactenus cum parentibus egerat, *in Iordanem ad Ioannem, ut ipſe baptizaretur ab eo.* Quâ in re adeò illuſtri, non omiſit de filio ſuo ferre teſtimonium Pater Æternus. *Baptizatus JESVS* (pergit Matthæus) *confeſtim aſcendit de aquâ: & orabat*, addit Lucas. & ecce *apertum eſt Cœlum*; & vidit Spiritum Dei deſcendentem, *ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. & ecce vox de cœlis dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ita Deus Pater Filium ſibi Ὁμοούσιον ſeu Conſubſtantialem, publicâ de cœlo voce, toti Mundo notum fecit. cùm impurum terræ Monarcham, inter Capreas & maris abdita retruſiſſet, luce tanti Solis orientis indigniſſimum.

Matth. 3. v. 16. Lucæ 3. v. 22.

2. Baptizatum quidem hoc anno CHRISTUM, ſimul Ducem populi Prædicatoremque ſupra Sion montem conſtitutum, docet non magnificè minùs quàm verè Propheta Daniel capite nono finiente; cùm Annales Hebdomadas 7. & 62. id eſt ſimul 69. quæ annos omninò 483. conficiunt; ab inſtauratâ Jeruſalem ad CHRISTUM Ducem effluxuras Chronologiâ propheticâ prædicit. De anno Juliano 72. proximè ante hunc completo, qui eſt Periodi Julianæ 4740. item evolutus, deme annos 483. reliquus erit ejuſdem Periodi annus 4257. expletus. U. C. 297. rectè. Nam ſequente anno 4258. Nehemias & urbis Jeruſalem inſtaurationem, & Templi Dedicationem abſolvit, ut in Theſibus ſuis Græcienſibus probat Deckerius & penè Petavius, uno dumtaxat anno minus dicens; quia Chriſti Prædicationem uno tardiùs quàm nos anno inchoat, & ſolo biennio ſexque menſibus concludit. Igitur anno hoc Periodi 4741. ſeu Juliano 73. ineunte, Chriſtum baptizatum verè ſtatuimus. quod in aliis calculis non æquè reperies. Addit porrò Daniel: *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ: & in medio hebdomadæ deficiet hoſtia & ſacrificium*; tamquam figura ſcilicet à figurato veroque prorſus extinctum. Dimidium Hebdomadis annalis, trium annorum eſt cum medio: qui in Julianum 76. deſinunt, & quidem cum Junio menſe,

Daniel. 9

ac ipſa Pentecoſte primâ; ſi a die Baptiſmi, ſextâ Januarii deducantur; ſi autem ab ipsâ Joannis Præcurſoris Prædicatione, menſe Martio, cujus 23. die Paſſum ponimus Chriſtum. Tanto ecce charactere annus hic Chriſti baptiſmi deſignatur. magisque ex aliis Paſſi Chriſti deſignabitur. nec minùs de 46. annis, quibus Templum hoc ab Herode ædificatum dicunt Chriſto Judæi, primo hoc Prædicationis Paſchate. Nequid addam de aliorum Paſchatum characteriſmis æquè ferè certis. Quæ ſimul omnia aliis ſupputationibus non æquè conſpirantia reperies. Stet ergo fixus hoc anno Juliano 73. naſcente Chriſti Baptiſmus; & qui inde ſequuntur Prædicationis ejus anni tres cum dimidio, quatuor Paſchatibus abſoluti: ut in loco reddam.

3. *Et ipſe JESVS* (ſubdit Lucas) *erat incipiens*, ſeu Mundo ſe prodens, poſt tot annorum ſilentium, *quaſi annorum triginta.* Non fruſtra hîc vocula, *quaſi*, ingeritur; ne fortè quis annos præcisè *triginta* caperet. Nam cùm illum anno Juliano 41. expirante, die Decemb. 25. natû viderimus; & hoc ipſo Juliano naſcente 73. Januarii ſextâ baptizatum, communiùs ſemper tenuerit Eccleſia; neceſſe eſt annum ætatis triceſimum primum, & dies inſuper tredecim expleviſſe; hoc eſt, annum totum ſupra triginta ſuperaſſe. quod Lucas apto compendio ὡσεὶ *quaſi*, ſeu præterpropter, circitérve, prudens ac volens expreſſit. Particulâ iſtâ numerum non præciſum, ſed paulò auctum minutúmve ſignante, imò & exigente; quando nihil in ſacro Scriptore ſuperfluum. Dionyſius Exiguus Abbas Romanus, Patrumque non pauci uno alteróve anno breviorem accipiunt; Nos pari ſenſu uno anno grandiorem. Nec quoquò te vertas, aptiùs unquam aut certiùs explicueris. Scio Lucam Chriſti baptizati annum iſtum triceſimum, non æquè ac primam Joannis Baptiſtæ Prædicationem, cum anno Imperii Tiberiani quinto-decimo componere: nec proinde deeſſe, qui Baptiſmum illius toto poſt Tiberii quintum-decimum anno producant. Mihi tamen inter utrumque aut nullam aut eandem temporis intercapedinem fluxiſſe, vero ſimilius eſt. & alibi probo. multorum aliorum conſenſu ſubnixus. & ſerie narrationis Danieliſque Prophetia faventiore.

Cùm eſſet annorum *quaſi* 30.

4. Baptizatus ergo JESUS, cùm dierum 40. Jejunium in deſerto, Februarii die quintadecimâ peregiſſet, in Galilæam ex Epiphanii quidem aſſeclarumque ſententiâ reverſus eſt: & Nazarethi diebus aliis quindecim manſit. qui ad 4. priores additi, dies omnino 55. conficiunt. & quinquageſimâ ſextâ à Baptiſmo die, juxta eundem Epiphanium, contigiſſe ponitur Judæorum, ſpeciatimque Sacerdotum, & quidem Phariſæorum ad Joannem Legatio, *ut interrogarent eum, Tu quis es?* Joan. 1. v. 19. Quod idem ſciſcunt recentiorum Interpretum plerique. Alii tamen, etiam vetuſtiores ut Tatianus & Ammonius, & alii, quos ſequitur Servius noſter in Triumpho Veritatis c. 15. & 16. Legationem iſtam Baptiſmo præferunt. quos & ego paulò antè ſecutus ſum. his maximè rationibus: quarum prima ſit. Notat disertè Joannes Evangeliſta cap. 1. verſ. 24. *& qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.* Matthæus autem jam antè cap. 3. v. 7. ſimile quidpiam de iiſdem Phariſæis tangit: *Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad Baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à venturâ irâ?* Similiter Lucas cap. 3 v. 10. 11. 12. 14.

Judæorum ad Joannem legatio, ante Chriſti Baptiſmũ.

Probatur primò.

veniſſe addit *turbas, Publicanos, Milites.* Marcus denique c. 1. v. 5. *Egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Hieroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab eo, confitentes peccata ſua.* Si omnes Hieroſolymitæ, etiam Phariſæi ac Sadducæi, toto illo tempore quod à Tiſri ſeu Septembri, ad Chriſti Baptiſmum ſextámque Januarii fluxit, ad Joannem accurrebant, baptiſmum ſuſcipiebant, qui una ex Meſſiæ notis erat; cur & hi cum reliquo populo non exiſtimaſſent, Ioannem fortè ipſum eſſe Chriſtum? Si exiſtimarunt, cur eam Legationem tamdiu diſtuliſſent, quando eorum maximè intererat, de doctrinâ tali, talibúsque moribus cognoſcere; & nova molientes, ſi mala eſſent, compeſcere, ſi bona probare ac promovere? Lucæ quidem textus ſat innuit, populum qui à Ioanne baptizabatur, in quo fuerunt etiam Phariſæi & Sadducæi, exiſtimaſſe Ioannem eſſe Chriſtum, etiam ante Baptiſmum Chriſti, ergo & Phariſæi exiſtimarunt. eóque id ante Baptiſmum Chriſti, legatione explorarunt.

Probatur ſecundò.

5. Altera ratio eſſe poteſt. Baptiſmum Chriſti Ioannes Evangeliſta non adeò clarè, ut tres alii, exprimit. quoad tempus tamen & ordinem, ſatis innuit. Nam poſt legationem fusè narratam, eam verſ. 28. & 29. ita concludit: *Hæc in Bethania* (ſeu Bethabara) *facta ſunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.* moxque ad Chriſti baptiſmum verſus, *Altera die,* ſubdit, vidit Ioannes IESUM venientem ad ſe, & ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat: & ego neſciebam eum. Sed ut manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aquâ baptizans.* Ait ecce exertè, *Alterâ* poſt legationem *die, vidit IESVM venientem ad ſe;* (ſupple cum Lucâ, cap. 3. verſ. 20.) *ut cum omnis populo baptizaretur,* eo ipſo loco *ubi erat Ioannes baptizans.* quando *deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columbam ipſum. & vox de cœlo facta eſt, Tu es Filius meus dilectus.* Loqui enim Lucam de primo Chriſti ad Baptiſmum acceſſu, de primo item Joannis Baptiſtæ cum advertentis adſpectu, ſatis indicant quæ tunc Baptiſta ipſe protulit, verſ. 30. & 31. *Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit, qui ante me factus eſt: & ego neſciebam eum. ſed ut manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in Aquâ baptizans.* Quâ enim veritate poſt Chriſti baptiſmum dicere poſſet Baptiſta, ſe JESUM neſciviſſe, cum Matthæi cap. 3. verſ. 14. dicat, *Ego à te debeo baptizari.* & in ipſo Baptiſmo vocem de cœlis audierit, *Hic eſt Filius meus dilectus.*

Probatur tertiò.

6. Unde tertia quoque naſcitur ratio. Nam dicit Baptiſta in ipſa Iudæorum ad ſe legatione, *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.* Quomodo hæc verba verè poſt Chriſti baptiſmum dici poſſent, in quo tot Iudæi, tot Hieroſolymitæ, ipſique Phariſæi legationem obeuntes, ex eâdem Patris Æterni voce; adeoque ex ipſo Ioannis Baptiſtæ teſtimonio, Ioan. 1. verſ. 34. JESUM Filium Dei eſſe tam clarè audiverant? Planè ante baptiſmum Legationem hanc contigiſſe neceſſe eſt. & nos ſuprà monuimus. Quod & Patres plerique confirmant, cum ea Baptiſtæ verba, *Ecce agnus Dei,* &c. ante Chriſti baptiſmum prolata cenſent: ut Origenes in caput 1. Ioan. Optatus Milevitanus lib. 4. contra Parmenionem. Gregorius Homil. 6. in Evangelia. & Bernardus Sermone primo de Epiphania.

Poſt Jejunium & Tentationem redit JESUS in Galilæam

7. Jam cum Lucâ pergamus cap. 4. v. 13. *Conſummatâ,* inquit, *omni tentatione, Diabolus receſſit ab eo uſque ad tempus. & regreſſus eſt JESVS in virtute Spiritus in Galilæam. & fama exiit per univerſam regionem de illo. & ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. & venit Nazareth ubi erat nutritus.* Epiphanius hæreſi 51. §. 16. editionis Petavianæ, tradit Chriſtum, poſt dies Jejunii & tentationis quadraginta; duas plus minus hebdomadas Nazarethi exegiſſe. Fatetur itidem Suarez in 3. partem, Diſp. 26. ſect. 1. ſub finem, etiam poſt Jejunium veriſimiliter rediiſſe Nazareth: & nonnumquam inter ſuos verſatum. interdum verò ad Ioannem baptizantem veniſſe, ut eſſet occaſio ſæpiùs de ipſo reddendi teſtimonii. *Quod valde conveniens* (inquit) *& neceſſarium fuit, ut Chriſti fama, & Prædicatio, ac Joannis de ipſo teſtimonium per omnium aures & ora vulgaretur.* Unde aptè hic ſubtexturus mihi videor reliqua, quæ Ioannes Evangeliſta capite primo à verſu 35. ad capitis finem pertexit: *Altera die iterum,* ſeu aliqua inde die, *ſtabat Joannes Baptiſta, & ex diſcipulis ejus duo. & reſpiciens JESVM ambulantem, dicit, Ecce Agnus Dei. & audierunt eum duo diſcipuli loquentem & ſecuti ſunt JESVM. & apud eum manſerunt die illo. erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Ioanne, & ſecuti eum fuerant. Invenit hic primùm fratrem ſuum Simonem, & adduxit eum ad IESVM; qui intuitus eum dixit, Tu es Simon filius Iona? tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In craſtinum voluit exire* (ſeu redire unde ad Baptiſtam exierat) *in Galilæam, & vocavit Philippum.* qui & *Nathanaëlem* ſecum adduxit. Atque ita JESUS quinque diſcipulos ſibi primùm adjunxit: quamquam Andreæ primus collega non nominetur.

& Nazarethum.

& rurſus ad Joannem Baptiſtam,

qui de ipſo teſtimonium perhibet.

Primi Chriſti diſcipuli, à Joanne Baptiſta.

Nuptiæ in Cana Galilææ.

8. Secutæ inde Nuptiæ in Canâ Galilææ, quibus Chriſtus cum MARIA Matre, & iſtis quinque Diſcipulis interfuit. In quibus aquam vinum fecit, gloriam ſuam primo iſto miraculo manifeſtans, & diſcipulorum ſuorum fidem confirmans. *Poſt hoc* (ſubdit Ioannes) c. 2. v. 12. *deſcendit Capharnaum ipſe & Mater, fratres, & diſcipuli ejus, & ibi manſerunt non multis diebus. & prope erat PASCHA Iudæorum. & aſcendit IESVS Hieroſolymam.* quod etiam repetit v. 23. Fuit hoc PASCHA Prædicationis Chriſti Primum. Quod vel ſolus Ioannis textus clarè docet. Et nos in ſequentibus clariùs oſtendemus. Sed & hoc ne vacillet, certo anno Iuliano affigere poſſumus ex illis Iudæorum verbis ad Chriſtum ipſum publicè prolatis Ioannis 2. v. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud?* De Templo quippe ab Herode magnificentiſſimè condi cœpto agunt illi; quod anno regni ipſius à captâ Ieroſolymâ octavo-decimo inchoatum ex ipſo Ioſepho diſcimus l. 15. Orig. c. 14. Nempe ab ſecundo Auguſti è Syria Romam reditu, proxime ſequenti; Juliano 28. quando & myſticum aliud Chriſti Templum Beata Virgo Deipara 8. Septembris in lucem edita ut ſupra anno iſto monui. Ab eo autem anno Iuliano 28. labente, ad hunc 73. quo Chriſtū recenter baptizatū, ad hoc Paſcha Hieroſolymam aſcendiſſe ſtatuimus, anni planè 46. effluebant. ut veriſſime dicere potuerint Iudæi, *46. annis ædificatum templum hoc.* Nam licèt jampridem ab annis videlicet ferè 38. dedi-

Primum PASCHA prædicationis Chriſti.

Certo Charactere notatum. Templum ab annis 46. ſtrui cœptum.

catum

catum eſſet, uti Ioſephus diſertè Orig. l. 15. c. 14. tamen ex eodem etiam l. 20. c. 8. Templi fabricam ſeu ornatum, ad Neronis uſque tempora, per annos pluſquam 70. perſeveraſſe compertum eſt. Atque iſte Character non hoc unum dumtaxat Paſcha, ſed & priores Prædicationis Chriſti & Ioannis annos ſuis locis affigit, & Chronologiam noſtram non modicè confirmat. Nec deſunt tamen pro ſequentibus alii: ut ſuo loco.

Multi Chriſto adjunguntur. Inter eos Nicodemus. Joan. c. 3.

9. Ceterùm *cùm eſſet IESVS Hieroſolymis in hoc Paſchate* (pergit Ioannes c. 2. v. 23.) ac vendentes & ementes templo ejeciſſet; *multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna quæ faciebat*: quæ tamen non ſunt ſcripta. E credentibus autem fuit *Nicodemus ille Phariſæus, Princeps Iudæorum, qui venit ad IESVM nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis niſi fuerit Deus cum eo.* Erudivit eum Chriſtus; cæleſtis regenerationis per aquam & Spiritum, arcanum aperuit: Crucis item ac fidei myſteria; Adventus ſui cauſam, nempe *ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quâ cœli doctrinâ ille imbutus, Chriſti deinde conſtans permanſit diſcipulus, licèt *propter metum Iudæorum occultè*. ita tamen ut Chriſtum in cruce poſtea mortuum cum Ioſeph ab Arimathiâ ſepelire non dubitaret.

Chriſtus in Iudæâ cum Diſcipulis baptizat.

10. Sequitur in Ioanne, eodem cap. 2. v. 22. *Poſt hæc venit IESVS & diſcipuli ejus in terram Iudæam; & illic demorabatur cum eis & baptizabat.* Ante hæc verba, varii variarum Concordiarum conditores, multa interſerunt, quæ IESUS in Galilæa fecerit: poſt quæ in Iudæam redierit. Si enim non interſeruntur, Ioannes dicit Chriſtum Hieroſolymis in Iudæam veniſſe. Locutione non minus abſurdâ, quàm ſi diceremus, Pontifex Româ in Italiam venit. Ego nihilominus nihil interſero; dicoque nihil abſurdum hic eſſe, ſi Ioannes dicit, Chriſtum Hieroſolymis in terram Iudæam, id eſt, in porrecta camporum Iudææ veniſſe. ut benè Barradius & Vincentius Regius. niſi malis cum Rubo cap 21. fin. dicere Hieroſolymâ, quæ in tribu Benjamin erat, in Iudæam ſeu Tribum Iuda veniſſe. Sanè Ioannem hic de Chriſti reditu ea urbe Hieroſolymitanâ agere, ſatis ipſe docet ſequenti proximè capite 4. v. 2. cùm ante colloquium Samaritanæ, dicit eum *reliquiſſe Iudæam, & iterum abiiſſe in Galilæam.* quod idem mox v. 43. poſt duos ab eo colloquio dies repetit. & confirmat v. 45. ſcribens; *Cumq; veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum.* Denique v. 54. ſeu ultimo ejuſdem capitis 4. notat: *Hoc iterum 2. ſignum fecit IESVS cum veniſſet à Iudæa* (nota) *in Galilæam.*

Ioan. c. 4.

Baptizat & Joannes in Ænnon.

11. Ioannis ergo verbâ cap. 3. v. 22. *Poſt hæc venit IESVS Hieroſolymis in terram Iudæam*, ſuperiori Nicodemi cum IESU colloquio ſubjungamus; & *in Iudæa cum diſcipulis demorantem baptizaſſe* dicamus: *Erat autem & Ioannes baptizans in Ænnon juxta Salim* (quo ſcilicet ſe ex Bethania ſeu Bethabara tranſtulerat) *quia aqua multa erant illic. & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem. Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis* Chriſti diſcipulis, *de purificatione*, ſeu baptiſmo utriuſque. Unde Ioannes Baptiſta ſecundum de Chriſto dat teſtimonium v. 28. *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur. & teſtimonium ejus nemo accipit. Qui accipit ejus teſtimonium, ſignavit quia Deus verax eſt. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur, &c.* Non potuit divinius loqui. *Quod vidit*, ait, *teſtatur.* nempe Sanctiſſimam Trinitatem, *quam nemo vidit unquam*; quamque ſolus, *unigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarravit.* Ioannis 1. v. 18.

Unde controverſia inter hujus & Chriſti diſcipulos.

12. Cùm autem notat Ioannes c. 3. v. 24. *Nondum miſſus fuerat Ioannes in carcerem*, planè ſignificat, paulò poſt immiſſum. & verum eſt. Nam dum Chriſti diſcipuli baptizant, ipſe circa hujus anni exitum in carcerem ab Herode Antipâ Galilææ Tetrarchâ conjectus eſt; quo & ad finem menſis Auguſti proximè ſequentis detentus eſt. *Cùm enim ille corriperetur à Ioanne*, ait Lucas, *de Herodiade uxore fratris ſui*, *quia duxerat eam*, addit Marcus; *tenuit & alligavit eum, volens occidere. ſed timebat populum, quia ſicut Prophetam eum habebat.* ait Mathæus. Quin & *Herodes* ipſe *Ioannem metuebat* (rurſum Marcus) *ſciens eum virum juſtum & ſanctum. & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Herodias autem*, vera Tiſiphone, *inſidiabatur ei, volens eum occidere, nec poterat.* quod tamen poſt octo ferè menſes obtinuit.

Joannes conjectus in vincula ab Herode Antipâ.

quem Herodias ejus pellex ſuadet occidi.

Vix poſt octo tandem menſes perſuadet.

13. Herodiadem iſtam, Agrippæ poſtea Iudæorum Regis ſororem, ex Ariſtobulo Mariamnes Haſmonææ & Herodis Magni filio progenitam; fuiſſe Philippi fratris uxorem notat ſolus Marcus. quis autem Philippus iſte fuerit, non exprimit cùm fratres ejus nominis plures habere potuerit. Ioſephus Orig. l. 18. c. 7. ſcribit Herodiadem, cum à fratre ad fratrem infamis lupa tranſiit, fuiſſe Herodis, Herode Infanticidâ & Simonis Pontificis filiâ geniti, uxorem. Unde Ioſepho infenſi erroris eum ſuo more arguere nil verentur.

Cujus fratris uxor prima, fuerit Herodias.

14. Quidni potius concilient, ut poſſunt? Quid obſtat, quin iſte Herodes Simonis Pontificis ex filia nepos, Philippus quoque dictus ſit? ut ipſe quoque Agrippa Herodiadis hujuſce frater, etiam Herodes in Actibus Apoſtolorum appellatur, & multi alii Iudæi tum binominea extitiſſe memorantur. Neque enim Marcus Philippum iſtum priorem Herodiadis maritum, Ituræ Tetrarcham appellat, ſed indefinitè Philippum. Succurrit & alius conciliandi modus, quamvis ille Tetrarcha fuiſſet. Si enim iſtud infame propudium Herodiadem, primùm Philippi Tetrarchæ patrui ſui uxorem exuiſſe, mox viri tam modeſti (qualem eum deſcribit Joſephus) pertæſam, ſeu quovis alio diſſidio, ad Herodem Pontificis nepotem æquè patruum, convolaſſe dixerimus, quid habebunt, quòd opponant? an lupæ tam putidæ ſalacitatem negabunt? Nos quidem doctum iſtum auctores temere carpendi morem non valde probamus; eum certe haurire non optamus. Habenda potius cuivis Scriptori gratia, & quamdiu poteſt, benignè humaneque tractandus: uti nos tractari volumus. Non tam vanus, tam bardus Joſephus quàm videri volunt. Quid abſque eo de Herodiadis haberemus? Atque hæc de Eccleſiaſticis ac Judaicis hujus anni rebus.

Conciliandi ſemper auctores ſunt, quantum fieri poteſt.

CAPUT III.

Belgica ad annum Prædicationis Chriſti primum attinentia.

Eodem anno Iuliano 73. Chriſti vero 32. Dion. 28.

INſerenda nunc Belgica noſtra, Chriſti Baptiſmo prædicationique ſupparia. His certè Conſulibus Silano & Nerva, quibus Chriſtum à Joanne baptizatum ſtatuimus, anno U. C. 781. Juliano 73. poſt Gallicum ſub Floro Treviro, & Sacroviro Æduo tumultum à me ſupra memoratum quarto, novus in Friſia noſtra ob ſimilem ac nimiam tributorum exactionẽ exortus. *Friſii* (ait Tacitus annali 4. extremo) *tranſrhenanus populus* (ſed hodierno Belgio incluſus) *pacem exuere; noſtrâ* ſeu Romanâ *magis avaritia, quàm obſequii impatientes. Tributum iis Druſus* (Germanici nuper defuncti pater) *juſſerat modicum, pro anguſtiâ rerum: ut in uſus militares coria boum* (quibus abundat regio) *penderent: non intentâ cujuſquam curâ quæ firmitudo, quæ menſura. Donec Olennius è Primipilaribus, regendis Friſiis impoſitus, terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quîs ingentium ferarum feraces ſaltus, modica domi armenta ſunt. Ac primò boves ipſos, mox agros, poſtremo corpora conjugum aut liberorum ſervitio tradebant. Hinc ira & queſtus. & poſtquam nemo ſubveniebat, remedium ex bello. Rapti qui tributo aderant milites, & patibulo adfixi. Olennius infenſos fugâ prævenit, receptus caſtello* (Romanis inſeſſo) *cui nomen Flevum: & haud ſpernenda illic civium ſociorumque manus litora Oceani præſidebat.* Si quod Flevo iſti caſtello inerat præſidium haud ſpernendum, ex Civium ſociorumque manu litora Oceani præſidebat; caſtellum igitur iſtud in Oceani litore quærendum. Nec repertu difficile. Nam Chorographiæ ſtudioſo ſtatim ſe in Friſiorum litore objicit Inſula cognominis *Vlielandt*, id eſt *Flevi* ſeu *Vlevi* regio: Flevo lacui Tacito Melæque memorato (hodie *Zuyder-zee*) adſita: ſive finitima altera *Sceling*, eidem lacui pariter adjuncta, magis cum Cluverio placeat, parvo diſcrimine. Illud quidem caſtellum jam exaſperati Friſii obſidere nihil veriti. Unde pergit Tacitus:

Friſii ob nimia tributa in Romanos rebellant.

Olennius Friſiorum Rector.

Flevo caſtello ſe recondit. ad litus Oceani. hodie *Vlie*.

2. *Quod ubi L. Apronio Inferioris Germaniæ Proprætori* (nota novum nomen Legati) *cognitum, vexilla legionum è Superiore Provincia, peditumq; & equitum auxiliarium delectos accivit. ac ſimul utrumq; exercitum Rheno devectum Friſiis intulit. ſoluto jam Caſtelli obſidio, & ad ſua tutanda digreſſis rebellibus. Igitur proxima æſtuaria aggeribus & pontibus, traducendo graviori agmini, firmat. Atque interim repertis vadis, alam Canninefatum, & quod peditum Germanorum* (credo Ciſrhenanorum ſeu Belgicorum) *inter Noſtros merebat* (auxiliares ſcilicet) *circumgredi terga hoſtium jubet. Qui jam acie compoſiti* (hoſtes Friſii ſcilicet) *pellunt turmas ſociales, equiteſq; Legionum ſubſidio miſſos. Tum leves tres cohortes, ac rurſum duæ; dein tempore interjecto ariius eques immiſſus. ſatis validi, ſi ſimul incubuiſſent: per intervallum adventantes, neque conſtantiam addiderant turbatis, & pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni, Legato Quintæ Legionis*, ad Vetera tendere ſolitæ, *quod reliquum auxiliorum tradit. Atque illa dubiâ ſuorum re, in anceps tractus, miſſis nunciis vim legionum implorabat. Prorumpunt Quintani ante alios: & acri pugnâ hoſte pulſo, recipiunt cohortes, alaſq; feſſas vulneribus. Neque Dux Romanus ultum iit, aut corpora humavit, quanquam multi Præfectorum Tribunorúmve, & inſignes Centuriones cecidiſſent. Mox compertum à tranſfugis, nongentos Romanorum apud Lucum quem Baduhennæ vocant, pugnâ in poſterum extractâ confectos. & aliam quadringentorum manum, occupatâ Cruptorigis quondam ſtipendiarii villâ, poſtquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuiſſe.* Qui & ubi fuerit Lucus ille *Baduhennæ*, quæ villa Cruptorigis; ejus eſt ſcire, qui novit divinare. In Friſiis fuiſſe, dubitare non ſinit hiſtoria; locus particularior ignotus. Pugnam Friſios inter ac Romanos inter Lewardiam ac Snekam Friſiorum hodiernorum urbes commiſſam putat Cluverius libro 3. Germaniæ vet. capite 17. extremo: *Lucum Baduhennæ* ubi nunc maxima Friſiæ ſylva ſternitur, vulgari nomine *Seven vvolden*; nec procul Cruptoricis Romanorum ſtipendiarii villam. Unde intelligimus etiam à Variana clade, tranſrhenana Romanos loca nonnulla tenuiſſe.

Friſii illud obſident. Liberat L. Apronius Inferioris Germaniæ Proprætor.

Caninefates aliique Romanorum auxiliares, male habiti à Friſiis.

Lucus Baduennæ.

3. Concludit Tacitus: *Clarum inde inter Germanos Friſium nomen. diſſimulante damna Tiberio*, Capreis incluſo, *ne cui bellum permitteret. Neque Senatûs in eo cura, an Imperii extrema dehoneſtarentur.* Id ipſum quoque nos ſuprà ex Suetonio in Tiberii Vitâ capite 41. notavimus. *Regreſſus in inſulam Capreas, Remp. curam uſque adeo abjecit, ut poſtea non Provinciarum Præſides ullos mutaverit. Hiſpaniam & Syriam per aliquos annos ſine Conſularibus Legatis habuerit: Armeniam à Parthis occupari, Mœſiam à Dacis Sarmatiſq; : Gallias à Germanis vaſtari neglexerit: magno dedecore Imperii, nec minori diſcrimine. Germanos hos Galliarum vaſtatores*, non alios ego à Friſiis iſtis exiſtimo, Galliarum Germaniarumque extrema confinia vaſtantes. Nam Florum quidem ac Sacrovirum tametſi Galliarum populatores, non rectè Germanos appellaveris.

Eam cladem diſſimulat Tiberius.

4. Quod autem notat hic Tacitus, L. Apronium etiam è Superiore Germaniâ legionarios & auxiliares in ſubſidium acciviſſe, Cn. Lentulum Gætulicum, ipſius Apronii generum, jam tum ei Provinciæ imponi cœptum, ſignificare videtur. Sequenti certè & proximo anno, quàm tardiſſimè impoſitum, ſatis conſtat è Dionis libro 59. cùm illum anno U. C. 792. (qui eſt Julianus 84.) *poſt decennalem Germaniæ adminiſtrationem*, Caligulæ juſſu peremptum ſcribit. Ab ea quippe anno excluſo, ſi per decennium exactum, & aliquot menſes, veriſimiliter à Dione neglectos, regrediaré, ad hunc annum U. C. 781. Julianum 73. pertinges. quo Tiberius Capreis jam abditus, nullos inde Provinciarum Præſides mutaſſe dicitur à Suetonio. ergo jam antè Lentulum, qui ad exactum inde decennium præfuit, Germaniæ Superiori impoſuerat, ſicut de Pilato Judææ Præſide altero ante hunc anno monuimus. Quare & Apronius à Lentulo, ceu ſocer à genero, auxilia facilè obtinuit. erat Lentulus hic, Coſſi Lentuli, anno U. C. 753. Juliano 45. L. Piſone collegâ Conſulis, filius: Gætulicique nomen ideo acceperat, quòd pater à Gætulis, quinto ſextove poſt

Cn. Lentulus Gætulicus, Superioris Germaniæ Legatus, Apronii gener.

Quis fuerit?

Conſula-

Conſulatum anno in Africâ devictis, *triumphalia ornamenta*, teſte Velleio, *meritus, victoria teſtimonium in cognomen filii, tum adoleſcentis in omnium virtutum exempla geniti, contuliſſet.* Unde etiam Tacitus annali ſexto, anno U. C. 787. Juliano 79. poſt hunc ſexto, *Getulicus*, ait, *eâ tempeſtate Superioris Germaniæ Legiones curabat. mirumq́ amorem aſſecutus erat. effuſa clementia, modicus ſeveritate. & proximo quoque exercitus* (Inferiori) *per L. Apronium ſocerum non ingratus.* Addit inſuper adfinitatem illi cum Seiano, conſilio Tiberii cœptam, cùm ſibi Seiani filium generum deſtinaſſet. ex quibus nil mirum, ſi gener à ſocero auxilia tam promptè accepit. Atque hæc omnia occaſione & Friſiorum rebellantium, & Belgicæ noſtræ hoc anno Præſidentium.

Julia Auguſti neptis ob adulteria pridem exul, moritur.

5. Quo etiam notat idem Tacitus, *eodem Ann. 4. fin. Iuliam Auguſti è filiâ neptem, olim adulteriis convictam, eoq́ in inſulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus projectam, poſt viginti annos mortem obiiſſe.* Ejus occaſione Ovidium Auguſtus Tomos in Scythiam ante totidem annos relegaverat; quòd cùm aliquod ejus adulterium vidiſſet, Auguſto tamen non aperuiſſet. quaſi conſcius, & ſaltem per libros de Arte, non modica talium ſcelerum fax. Unde Tacitus annali 3. *Culpam inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine læſarum religionum, ac violatæ majeſtatis appellando, clementiam majorum ſuáſque ipſe leges egrediebatur. Et D. Silanum in hac ſuâ nepte adulterum* nonniſi *amicitia prohibuerat*; quamvis multo nocentiorem ipſo actu, quàm eſſe poterat Ovidius adſpectu. & Silanus quidem ultrò in exilium abiit. ſed annis antè jam octo Tiberio permittente redierat. In Ovidium denis ante hac annis mortuum manſerunt Auguſtus ac Tiberius inexorabiles. Si Artem ſuam Naſo in Dei amorem vertiſſet, neque tantam Auguſti iram hauſiſſet, neque juventuti tantopere nocuiſſet.

CAPUT IV.

Annus Prædicationis CHRISTI ſecundus.

Qui eſt Iulian. 74. Chriſti 33. verus.

Tradito Joanne Chriſtus redit in Galilæam.

E Judæâ Chriſtus incarcerato Joanne Baptiſta per Samariam redit in Galilæam, ibi uſque ad Paſcha hæſurus. Hanc enim reditus ejus cauſam notant Matthæus & Marcus; *Cùm audiſſet* (aiunt) JESUS, *quòd Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.* Joannes Evangeliſta aliam tradere videtur: ſed videtur dumtaxat, non diſſentit. *Vt cognovit IESVS*, inquit, *quia audierunt Phariſæi, quod IESVS plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes; quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus; reliquit Iudæam; & abiit iterum in Galilæam.* Scilicet Herodi Galilææ Tetrarchæ, qui etiam in Peræa Transjordanenſi regione imperabat, fuerunt auctores Phariſæi, ut Ioanni manum inferret; ne (quod notat Ioſephus) tanta hominis auctoritas & populi benevolentia, ſeditionem fortè & defectionem pareret. Vinctum igitur illum Herodes miſit in Macheruntem trans Iordanem Peroeæ caſtrum, in confiniis Arabiæ Aretæ ſubditæ, ſitu ipſo & arte munitiſſimum, ut pluribus idem Ioſ.

Joan. 4.

Ioſephus.

l. 7. *antiq.* cap. Latino quidem 25. Græco autem 20. ibique totos octo menſes ad necem uſque detinuit. Ita & Herodis metus & Phariſæorum æmulatio Baptiſtam vinclis primo, tum etiam neci dedit.

Chriſti cum Samaritana colloquiũ.

2. Cúmque ideo in Galilæam jam iterum abiret JESUS, oportebat (pergit Joannes Evangeliſta) eum tranſire per Samariam. *Venit ergo in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar*, ubi cum Samaritanâ fusè collocutus, & ipſam & Samaritanõ multos in ſui fidẽ perduxit; *biduumque* apud eos manſit. Illud ibi notandum, quod Chriſtus diſcipulis dixit, Ioannis c. 4. v. 35. *quatuor adhuc menſes tum ad meſſem uſque fuiſſe.* Iis enim verbis colloquium iſtud menſe Ianuario Iuliano factum clarè innuit, quando Meſſem in Iudæa vel Aprili præcipitante vel Maio naſcente fieri ſolitam, Panum oblatio ex meſſis primitiis in Pentecoſte fieri ſolita, & quintum Ioſue caput, Pliniusque & alii Scriptores abundè teſtantur. Egreſſum inde IESUM *exceperunt Galilæi, cum omnia vidiſſent* (addit Ioannes c. 4. v. 45.) *quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto*; Paſchæ ſcilicet præterito. *& ipſi enim venerant ad diem feſtum.* Cumque in Cana iterum adveniſſet, Reguli Capharnaitæ ſupplicantis filium infirmum ſanavit etiam abſentem. ut Ioannes hucuſque notat c. 4. toto qui plura de hoc anno Prædicationis Chriſti 2. ante Paſcha non habet, ſcilicet quia ſatis à Matthæo aliiſque narrata.

Menſibus ante Meſſem 4. id eſt in Januario.

Redit in Galilæam.

Vide ut Paſcha vocetur abſolute dies feſtus.

Venit Capharnaum, ubi incipit prædicare.

3. Supplent ergo Matthæus, Marcus ac Lucas. Matthæus quidem c. 4. v. 13. Venit IESUS, & habitavit in Capharnaum civitate maritimâ, & Evangelio ſpargendo percommodâ (nempe ad mare Galilææ ſive Geneſareth) in finibus Zabulon & Nephthalim. *Exinde cœpit prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Cælorum.* Addit Lucas c. 4. v. 14. *& fama exiit per univerſam regionem de illo. & ipſe docebat in ſynagogis eorum & magnificabatur ab omnibus.* Nam hactenus ferè latuerat; jam Ioanne præcurſore in carcerem conjecto, publicè pro Meſſia ſe gerebat. Eoque diſcipulos ſibi juncturus, *Ambulans juxta* idem *mare Galilææ*, ait Matthæus, Petrum & Andream fratres, item Iacobum & Ioannem Evangeliſtam, Zebedæi filios, in eo mari ſeu lacu fortè piſcantes, iterum vocavit; ita ſeriò, ut illi ſimul omnes ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus, ſequuti ſint eum, conſtanterque adhæſerint. Cúmque Capharnaum ingreſſus eſſet, Sabbathis in Synagoga docebat. ſubdunt Marcus & Lucas. *Et ſtupebant ſuper doctrinam ejus. Erat enim docens, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.* Spiritu Dei vacui ſcilicet & inanes. Ibi dæmoniacum liberat: mox etiam Petri ſocrum magnis febribus; denique veſpere concurrentem turbam ingentem à variis ſanat infirmitatibus. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, Quia tu es filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui; quia ſciebant eum eſſe Chriſtum. Factâ autem die, valde diluculo egreſſus ibat in deſertum locum, ibique orabat.* ſubdunt aptè Marcus & Lucas. Evangelicum nempe Miniſtrum facto docens, viciſſitudinem quamdam prædicationis & orationis ei pernéceſſariam. juxta illud Iob cap. 38. v. 35. *Nunquid mittes fulgura & ibunt; & revertentia dicent tibi, Adſumus.* Unde à Simone & ſociis reductus, *Eamus*, inquit apud Marcum c. 1. v. 38. *in proximos vicos & civitates; ad hoc enim veni.* Innuens ſuavita-

Joanne Baptiſtâ jam in carcerem conjecto.

Orationem Prædicationi miſcet.

tem orationis, non tam prædicatioois laborem ſiſtere, quàm gratiſſimâ & efficace utriuſque alternatione, acuere debere.

Circuit totam Galilæam ſequentibus turbis.

4. Sequitur ex Matthæi 4. c. verſ. 23. & ſeqq. *& circuibat IESVS totam Galilæam* docens io Synagogis eorum, ſanans omnem languorem. & abiit opinio ejus *in totam Syriam.* Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, de Galilæa, Decapoli, & Hieroſolymis, de Iudæa, & trans Iordanem. Adeo divini verbi vis, charitate & beneficentiâ prædicantis adjuta, cunctos ad ſe trahit. In eo circuitu Leproſus mundatus. Neque tamen omnes eum ſequi volentes propterea admiſſi: tres iſtius geoii tanquam immaturi rejecti: primus quod fortunæ ſtrepitu raperetur; alter quod patris; tertius quòd etiam domeſticorum curâ tenerentur. Inde rurſum seceſſurus, cùm mare Geneſaret trajiceret, maris tempeſtatem ſolo vocis imperio ſedat. in Geraſenorum regionem tranſmittit. Ibi dæmoniacum, monnmentorum ſe montiumque latebris occultantem ac ſurentem, totâ legione dæmonum liberavit, factâ eis in porcos vicinos tranſmigrandi poteſtate, dignum ſcilicet tali colluvione domicilium. Cumque ſanatus ei adhærere cuperet; ad ſuos potius remiſſus, cœpit Chriſti virtutem totâ Decapoli prædicare. E Geraſenis iterum mare trajiciens, venit Capharnaum, quo & ingens accurrit multitudo, & verbo Dei ab eo refecta. Cumque unâ dierum Phariſæos aliquot & Legis Doctores, qui è Iudæa, Galilæa, & Hieruſalem convenerant, doceret, Paralyticum quemdam per tegulas (januâ ſcilicet turbis occupatâ) ante ſe fune cum lecto demiſſum ſanat, & grabatum tollere jubet. Matth. 5. Marc. 2. Inde rurſum ad mare egreſſus, Matthæum Levi, filium Alphei publicanum, vidit in telonio ſedentem: & ſola voce ad ſequendum attraxit, & in ejus convivio accubuit. Unde murmurantes Phariſæos compeſcuit; ſicut & aliàs cùm de diſcipulis ejus minimè jejunantibus queſti ſunt

In Geraſenis dæmoniacū ſanat.

Vocat Matthæum.

Jaïrus & Hæmoroiſſa

5. Hæc illo loquente (ſubdit Matth. c. 9.) Iairus Synagogæ Prioceps acceſſit, deprecans ut filiam unicam duodecennem moribundam viſere ſanareque dignaretur. Cui còm morem gereret, in itinere hæmorrhoiſſam item duodennem ſolo ſui tactu ſanitati reſtituit. Mox Archiſynagogi filiam interea morte abſumptam vitæ reddit, ingenti adſtantium ſtupore. Et hæc è tribus à Chriſto ſuſcitatis, de quibus conſtat, prima eſt. Inde tranſiens JESUS, duobus cæcis opem ejus implorantibus, viſum benignè reſtituit. moa etiam dæmoniacum mutum ſibi oblatum curavit, Phariſæis calumniantibus, in principe dæmoniorum eum ejicere dæmonia.

Secundum Paſcha Prædicationis Chriſti.

6. *Poſt hac*, ait Joannes capite 5. *erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit IESVS Hieroſolymam.* Menſes nempe quatuor ab habito cum Samaritanâ colloquio jam expirabant; & Paſcha Judæorum advenerat. Judæorum enim feſtus dies κατ' ἐξοχὴν Paſcha eſt, feſtorum omnium Princeps. & ſic eum bis vocavit idem Joannes priori capite 4. v. 45. Ita quoque accipiunt Irenæus, l. 2. hær. c. 39. Euſebius in Chronico, & libro 8. Demonſtr. Hieronymus, & Theodoretus in 9. Danielis, Rupertus, Ianſenius in Conc. Toletus hic in Ioannem. Pererius l. 11. in Dan. q. 7. & Diſp. 5. in Ioannem. Suarez in 3 partem, Salmeron, Baronius, Barradins, & ante hos Neotericos, Chronicon Alexandrinum, &c. Tot auctoribus addi quoque poſſunt pluſculæ rationes. Nam alioqui tres anni & aliquot præterea menſes, seo media annorum hebdomas, reperiri noo poſſunt: quam tamen diſertè prædicationi Chriſti adſignat Daniel c. 9. v. 26. & 27. & verò ſatis inſinuat ipſe Chriſtus, cùm Lucæ 13. v. 7. & 8. ſub vineæ ad annum uſque 4. toleratæ, licèt ſterilis, parabolâ, Iudæos Evangelii prædicatione minimè privandos edocuit. Confirmat item tempus prædicationis Antichriſti, apud Danielē c. 7. v. 25. & Apoc. 12. verſ. 14. quod quidem tempus omnes explicant de annis tribus & dimidio, ſeu menſibus 42 vel diebus 1260.

Tres anni Prædicationis Chriſti cum medio.

Paralyticus ad Piſcinam ſanatus in Sabbato.

7. Ceterū proximè poſt hujus anni Paſcha, quod in Aprilis ferè medium incidit, Paralyticum ad piſcinam annos jam 38. jacentem, Sabbatho curatum à Chriſto memorat Ioannes cap. 5. verſ. 9. & 10. Cumque Paralyticus ille ſanatus grabatum ſuum Chriſti juſſu ferret, Phariſæi tum maxime in eum invebi cœperuot, tanquam in Sabbathi violatorem; blaſphemumque, qui *Patrem ſuum diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Uode ſubdit IESUS v. 31. & ſeqq. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me* (nempe Deus Pater meus.) *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc dico, Vt vos ſalvi ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce ejus. Ego autem habeo teſtimonium majus Ioanne. Opera enim quæ dedit Pater ut perficiam, ea ipſa teſtimonium perhibent de me. & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me. Neque vocem ejus unquam audiſtis*, &c. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*, &c. Potuitne Chriſtus clariùs de ſe loqui? potuítne quod aiebat, potentiore miraculo, ſolenniore frequentioreque feſto, quàm Paſchate, probare? Sed & Ioannem Baptiſtam carcere tum ut minimum incluſum, nec à cæde ſua multum abeſſe ſignificat. & verò menſibus ille vix duobus aberat: uti moa videbo. Nec plura de hoc anno Ioannis Evangelium.

Unde cum Phariſæis diſputatio.

8. Reliqua igitur ex tribus aliis pertexenda. Primus Lucas audiendus, qui hujus anni Paſcha à ſolo Joanne memoratum, ſubobſcurè quidem, ſed tamen ſatis certò confirmat. Poſtquam enim ea narravit, quæ ante hoc Joannis caput quintum exſcripſimus; ſtatim ſubdit, cap. 6. v. 1. *Factum eſt autem in Sabbatho ſecundo-primo, cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus* Idem tradunt Matthæus c. 12. v. 1. & Marcus c. 2. v. 23. ea verba primùm certò indicant ſegetes jam penè fuiſſe maturas: quomodo enim friabiles aliter evaſiſſent? Tum verò proximè à Paſchate id factum, quando ſegetes tametſi ferè maturæ, & initio menſis Maii in Judæa demeti ſolitæ, ut antè dixi, ſtarent tamen adhuc in agris. Ita Aprili jam ſeneſcente id contigit. Quod & Sabbathum Secundo-primum etiam evincit. Numerabant quippe Judæi ab altera die Paſchæ ſeptem dierum hebdomadas; quæ dies 49. efficiunt. & in die 50. ſolenne Pentecoſtes, ſeu Quinquageſimæ celebrabant, in Legis memoriam, in monte Sinai acceptæ à Moyſe, die ab Exodo ſeu egreſſu ex Ægypto quinquageſimâ. Cur autem non ab

Sabbatum Secundo-primum, quo Diſcipuli confricant ſpicas & manducant.

Quid ſit Secundo-primum.

ipſa

ipſa Paſchatis die, ſed alterâ poſt illam, quæ in Lunæ diem 16. incurrebat, ita numerarent, ratio erat, quod iſtâ die alterâ, Primitiarum Manipulum offerrent, ut habetur Levitici 23. v. 11. & 15. Cùmque in iſtis ſeptem dierum hebdomadibus, ſeptem quoque ineſſent Sabbatha, ut per ſe patet: primum Sabbathum, Δευτερόπρωτον vocabatur, πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ Πάσχα, ſeu primum à ſecundâ die Paſchæ. proximum, Δευτεροδεύτερον ſeu Secundo-ſecundum ſimiliter appellabatur, tum eo modo reliqua Secundo-tertium, Quartũ, Quintũ, Sextum, Secundo-Septimum, uſque ad Pentecoſten ſcilicet, quæ in eamdem perpetuò recurrebat feriam, ac altera dies Azymorum, quâ Primitiarum Manipulus fuerat oblatus.

9. Itaque ſi Sabbathum Lucæ Secundo-primum, nihil aliud erat, quam quod alteram Paſchæ diem proximè excipiebat, clarum eſt Lucam hic de paucis ab ipſo ſecundo Prædicationis Chriſti Paſchate diebus agere, in quo cùm ſegetes nondum quidem demeſſæ, proximè tamen, ceu maturæ demetendæ eſſent, proximè quoque ab Aprilis exitu, Maiive principio, circa quod meſſem in Palæſtinâ fieri ſolitam toties jam monuimus, abfuiſſe neceſſe eſt. Et commodè annus hic Prædicationis Chriſti ſecundus, Iulianus 74. Embolymæus eſt, quo Paſchatis feſtum in ſeneſcentem jam Aprilem devolvi ſolet. Nec alius ab hoc ullus toto Prædicationis Chriſti ſpatio Embolymæus invenitur. Ita de ſecundo hoc Chriſti prædicantis Paſchate bellè cum Joanne conſentit Lucas, eumque confirmat. ſimul 4. Prædicationis Chriſti annos inchoatos cum Daniele, nobiſcumque agnoſcit.

Annus in hoc ſecundo Paſchate Embolymæus.

10. Pergitque cum duobus aliis, Matthæo & Marco, *Factum eſt autem & in alio Sabbatho, ut intraret in aliam Synagogam & doceret.* Ibi manum aridam ſanat, Phariſæos iterum redarguit: qui propterea cum Herodianis (addit Marcus c. 3. v. 6.) conſilium inierunt, quomodo eum perderent. Quare ſeceſſit ad mare (credo Genezareth ſeu Tiberiadis) quò ſecuta eum eſt turba multa, à Galilæa, Judæa, Hieruſolymis, Idumæâ, de regione quæ trans Jordanem, & circa Tyrum Sidonemque porrigitur, audientes quæ faciebat. Videns autem Iesus turbas, ait Matth. exiit in montem; *Orare*, addit Lucas c. 6. v. 12. *Et erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus*, vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. quos & Apoſtolos nominavit: Simonem quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, ſcilicet filium, & Simonem Chananæum qui vocabatur Zelotes, & Iudam Iacobi, ſcilicet fratrem, qui & Thaddæus, & Iudam Iſcariotem qui fuit proditor. Inde ſermonem eum longiorem habet, qui dicitur in Monte, licèt etiam in loco campeſtri habitus ſit; & continetur capitibus Matthæi 5. 6. 7. Lucæ cap. 6. à v. 17. ad finem capitis. Sermone completo, cùm deſcendiſſet de monte (ait Matth. c. 8. v. 1.) leproſum mundat, filium Centurionis moribundum ſanat, filium viduæ ad portam civitatis Naim ſuſcitat, Luc. 7. ingenti Iudææ totius & omnis circa regionis admiratione. cujus occaſione videtur Baptiſta è carcere legatos ad JESUM miſiſſe. Sic enim immediatè ſubdit idem Lucas eodem c. 7. v. 18.

Electio 12. Apoſtolorum.

Sermo in monte.

Mortuus in Naim ſuſcitatus.

11. Et nuntiaverunt Ioanni diſcipuli ejus de omnibus his, *cum ille eſſet in vinculis.* Matth. 11. v. 2.) & convocavit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Iesum dicens, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Cùm autem veniſſent ad eum viri (diſcipuli ſcilicet iſti Ioannis) in ipſa horâ multos curavit, à languoribus, plagis, dæmoniis, cæcitate, & dixit, *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis. quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt* (ut paulò antè filius viduæ Naim) *pauperes evangelizantur. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Et cùm diſceſſiſſent nuntii Ioannis; cœpit ad turbas de Ioanne dicere, *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? hominem mollibus veſtitum? Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te. Non ſurrexit major Ioanne Baptiſtâ. Ipſe eſt Elias qui venturus eſt.* Matth. 11. Lucæ 7.

Joannis ad Chriſtum e carcere Legatio.

12. Sequitur Mariæ Magdalenæ, in domo convivioque Simonis Phariſæi, ferventiſſima converſio, tum dæmoniaci muti & cæci curatio, & Chriſti inde accuſati apologia. Pergit inde turbas irruentes docere multis parabolis, ſeminantis, zizaniorum, ſinapis, fermenti, theſauri, margaritæ, & ſagenæ miſſæ in mare. Eas parabolas cùm conſummaſſet Iesus (ait Matth. c. 13.) venit in patriam ſuam Nazareth. Ibi Sabbatho in Synagoga docens locum Iſaiæ c. 61. v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me, prædicare remiſſionem, & annum Domini acceptum ac diem retributionis;* quem eo tempore adimpletum dixit. approbantibus omnibus, verba ejus admirantibus; dicentibusque, *Unde huic ſapientia hæc & virtutes? Nonne hic eſt faber, fabri Ioſeph filius, & Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis: & ſorores ejus nonne omnes ſunt apud nos?* Et ſcandalizabantur in eo. & repleti ira, ejectum eum è civitate, duxerunt uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas eorum Nazareth erat ædificata, ut præcipitarent eum. *Ipſe vero tranſiens per medium illorum ibat.* & non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum. Matth. 13. v. 54. Marci 6. Lucæ 4.

Magdalenæ converſio.

Nazareni Chriſtum docentem mirantur.

13. Succeſſit inde 2. Galilææ circuitio, de qua ita Lucas c. 8. v. 1. Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella, docens in Synagogis eorum (addit Matth. cap. 9.) & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem. Et duodecim cum illo (iterum Lucas) & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalenæ, de qua 7. dæmonia exierant; & Joanna uxor Cuſæ procuratoris Herodis (ſcilicet Tetrarchæ) & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Videns autem turbas (ait Matthæus adhuc c. 9. v. 36.) Miſertus eſt eis, quia erant vexati, & jacentes ſicut oves non habentes Paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis, Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Et vocatis duodecim, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, & ut curarent omnem infirmitatem. Et miſit illos, præcipiens, ne in viam gentium abirent, ne Samaritanorum civitates intrarent, ſed potius irent ad oves quæ perierant domûs Iſraël. prædicarent appropinquare Regnum Dei, infirmos curarent, dæmones ejicerent, quæ gratis acceperant gratis darent. Nihil in via ſecum tollerent, ne panem quidem,

Secunda Galilææ circuitio.

Mulieres Chriſtum ſequentes.

Matth c. 10. Quid Chriſtus Apoſtolis Evangelizantibus præceperit?

nec

nec pecuniam, neque duas tunicas. dignus enim eſt operarius cibo ſuo. De civitate, quæ eos non reciperet, exirent, pedum quoque ſuorum pulverem excuterent, in teſtimonium illis. Illos ſe mittere ſicut oves in medio luporum; prudentes eſſent ſicut ſerpentes, ſimplices ut columbæ. futuros omnibus odio, propter nomen ſuum, &c. quæ Matthæus fusè proſequitur cap. 10. toto. Ita egreſſi Apoſtoli circuibant per caſtella, evangelizantes & curantes ubique. addunt Lucas cap. 9. verſ. 6. & Marcus c. 6. v. 12. Quin & ipſe JESUS cùm iis præcepta iſta dediſſet, tranſiit ut prædicaret in civitatibus eorum, ait Matth. cap. 11. verſ. 1.

Herodis de Chriſto opinio.

14. Subjungunt deinde tres Evangeliſtæ, Matth. c. 14. v. 1. Marc c. 6. v. 16. Lucas c. 9. v. 7. *In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam IESV.* Neque enim ipſe Galilææ princeps, diutius ignorare poterat, quæ in ditione, nec procul à Curiâ ſuâ gerebantur. eo nuncio ille velut à letargo ſuo excitatus, *hæſitabat*, ait Lucas eodem cap. 9. v. 7 eò quòd diceretur à quibuſdā, *Quia Joannes Baptiſta* (jam ante mēſes aliquot capite truncatus) *ſurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.* Metempſicoſeos enim credulitate deſipiebat. Unde *alii dicebant, Quia Elias eſt. alii, quia Propheta unus de antiquis ſurrexit.* Quo audito (ait Marc. cap. 6. v. 16.) Herodes priori potius adhærens opinioni, ait, *Quem ego decollavi Ioannem, hic à mortuis reſurrexit. & quærebat videre eum.* & Ioannem ille quidem à medio fere jam anno capite truncaverat, pellicis ſuæ Herodiadis inſtinctu, ſibi à Ioanne maximè metuentis. Necis autem cauſam & modum, Evangeliſtæ quia nondum narraverant, hac occaſione narrant.

Poſt Joannis decollationem.

Herodes Natalis ſui cœnam faciebat Principibus & Tribunis Galilææ. Cumque introiſſet Herodiadis filia (ex alio marito) & ſaltaſſet, ac placuiſſet Herodi, *iuravit illi, Quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* At illa à matre monita, caput Ioannis in diſco petiit. Idque mox Herodes licet contriſtatus afferri juſſit. ſcilicet è Macherunte caſtro, quo illum hucuſque detentum tradit Ioſephus lib. 18. c. 10. Ita decollatus eſt Ioannes in carcere: ibique à diſcipulis ſepultus: qui & ejus cædem nuntiarūt IESU. Ita Matthæus & Marcus. Iam ad octo fere menſes hæſerat in carcere, nempe ab hujus anni primordio, ad 29. Auguſti diem, quo necem & martyrium ejus celebrat Eccleſia. Prædicationis officio prius functus, menſes vix ultra quindecim. tam anguſto temporis ſpatio, præcurſoris munere defunctus. tantopere licèt à Prophetis, & aliis etiam tum viventibus decantatus. Deus ſcilicet ſuorum virtutem non tam tempore, quàm fervore metitur. Interim & Apoſtoli & Chriſtus ipſe per Galilæam ſemen Evangelii ſpargere non ceſſabant.

CAPUT V.

TERTIVS Prædicationis CHRISTI Annus.

U. C. Varronianus 783. Iulianus 75.
Ætatis Chriſti 34 Dionſianus 30.

1. AB Auguſto menſe prioris anni, ad hujus Martium, per menſes omnino ſex, ſeptémve, Apoſtoli cum Chriſto conſtanter in Miſſione, & Evangelii præconio perſtiterunt. cùm interim Joannes Baptiſta martyrio afficeretur. quod ab ejus diſcipulis nunciatum JESU, ſolus notat Matthæus cap. 14. v. 12. ſubditque ſtatim; *Quod cùm audiſſet JESVS,* adhuc ſcilicet in miſſione perſiſtens, *ſeceſſit inde in navicula, in locum deſertum ſeorſum.*

Cur Chriſtus audita Joannis cæde ſeceſſerit.

Non vult hic Matthæus cauſam ſeceſſus Chriſti fuiſſe auditam Joannis mortem, ut primâ fronte videtur; ſed opinionem Herodis, quod JESUS ipſe eſſet *Ioannes ſuſcitatus à mortuis, & virtutes operarentur in illo.* Veritus enim nè ſicut ille propterea Joannem, ita & ſe occideret, ſeceſſit in deſertum, ubi non tam facilè reperiri capive poſſet. Porro in ea miſſione & hiſtoriæ ſerie cùm JESUS mira faceret, Ioannes ſuſcitatus habebatur. Si ſuſcitatus, ergo jā antè mortuus; ſi antè mortuus, ergo Matth. mortem quoque ejus, licèt ea jam antè contigiſſet, quia tamen nondum narraverat, hac occaſione narrat; non temporis, ſed oblatæ materiæ ſeriem ſecutus. Cùm audiſſet ergo JESUS, ſe pro Ioanne ab Herode & haberi, & quæri, ſeu ad parem mortem, ſeu ex curioſitate, ſecedere tantiſper conſultum ſibi exiſtimavit. Acceſſit & altera ſeceſſus illius cauſa.

Apoſtolos poſt Miſſiones ad aliquam quietem invitat.

2. Eodem quippe ferè tempore *reverſi* è Miſſione *Apoſtoli*, aiunt Marcus c. 6. v. 30. & Lucas c. 9. v. 10. *renunciaverunt ei omnia quæ egerant.* Unde laboribus eorum auditis ille compatiens, ait illis: *Venite in deſertum locum* (ait Marcus) *& requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant* (ad Apoſtolos jam quoque reduces) *multi*, de turba; *ut nec ſpatium quidem manducandi haberent Apoſtoli. Et aſcendentes in navim* (cùm illos aſſumpſiſſet IESUS, addit Lucas) *abierunt in deſertum locum ſeorſum, qui eſt Bethſaidæ.* ſub ditione non jam Herodis, ſed fratris ipſius Philippi, ut indicat Ioſephus libro Orig. 18. cap. 3. cùm illum ſcribit Bethſaidæ ipſi, *vico in ripâ lacus Geneſarethini, urbis ſpeciem addidiſſe, frequentato incolis & aucto opibus, quem & Iuliæ Cæſaris filiæ* nondum tunc relegatæ, *cognominem eſſe voluerat*; idque ab annis jam ſuprà 30.

Cum iis in deſertum ſecedit.

3. Seceſſum hunc Ioannes quoque Evangeliſta cum tribus aliis memorat cap. 6. v. 1. *Poſt hæc abiit IESVS trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis. & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.* Turbam iſtam eum & Apoſtolos, quos ſecum aſſumpſerat, *etiam prævenisse*, tradit Marcus. *Subiit ergo in montem IESVS; & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum.* Ita Ioannes c. 6.

circa finem Martii.

Hujus anni Paſcha, ſi Aſtronomicum quidem & cæleſte capimus, ſexta Aprilis contigit; quia Novilunium 23. Martii circa 9. veſpertinam. Ut vult Vendelinus, ſed ex Cyclo 84. annorum Iudaico tum præcurrente, Paſcha fuerit tertiâ vel quartâ Aprilis, feriâ 2. vel 3. Ita ſub Martii finem Chriſtus in id deſertum cum diſcipulis ſuis, Herodem fugiens & turbas, abſceſſerit. *Veſpere autem facto*, curſum Matthæus; ſeu ut Lucas, *cùm dies declinare cœpiſſet*, ſuadebant Apoſtoli ut turbas dimitteret: quod nonniſi quinque panes haberent, & duos piſces; nihil inter tantos; juſſit homines

Miraculum 5. panum.

diſcumbere ſuper viride fœnum (ait Marcus) *ſecundum contubernia*, ſeu ut Lucas, *per convivia quinquagenos.* & acceptis panibus piſcibusque, iiſque benedictis, quinque diſcumbentium millia (tot enim erant) non ſatiavit tantùm, ſed & 12. inde fragmentorum

cophinos retulit; tanto convivarum ſtupore, ut & Prophetam verum exclamarent, & Regem facere molirentur. *At IESVS fugit iterum in montem ipſe ſolus.*

Maris tempeſtatem ſedat.

4. Proximâ nocte, cùm diſcipuli navigarent in mari Geneſareth, & magnus flaret ventus, ipſe circa 4. noctis vigiliam venit ad eos ambulans ſuper mare: Cumque eum poſt aliquem metum agnoviſſent, & Petrus ad eum ſuper aquas ſe conferens, cœpiſſet mergi; manu IESU apprehenſus, dicentis, *Modicæ fidei, quare dubitaſti*, aſcendit cum eo in naviculam, & ceſſavit ventus. ceteris de navicula dicentibus, *Verè filius Dei es.* Et transfretantes venerunt in terram Geneſareth; viri autem regionis illius obtulerunt ei omnes malè habentes, orantes ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent. & quotquot tangebant ſalvi fiebant. Matth. 14. Marc. 6.

Occaſione 5. panum multiplicatorum, de Euchariſtiâ diſſerit.

5. Altera die (ait Ioannes eodem c. 6. v. 22.) cùm occaſione panum multiplicatorum plerique concurriſſent, eos à pane illo materiali ad ſpiritalem hortatur, quem Pater miſiſſet in mundum, quemque ipſe daturus erat pro mundi vita; quem & carnem ſuam nominat, ac ſanguinem, quem edere & bibere oporteret. Eum ſermonem multi horrentes, eum deſeruêre, ſolis manentibus Apoſtolis; Petro etiam addente, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Efficax pro Euchariſtia ſermo. Joannis 6. à v. 22. ad finem capitis.

Chriſtus in Galilæa manet, nec venit ad Paſcha.

6. *Poſthac* (ſubdit idem Ioannes c. 7. v. 1.) *ambulabat IESVS in Galilæâ* (ſicut habent Græca.) *Non enim volebat in Iudæa ambulare* ſeu converſari; *quia quærebant eum Iudæi interficere.* nempè ob ſanatum prioris anni Paſchate paralyticum in Sabbatho Hieroſolymis ad piſcinam, ut ex ipſius Ioannis c. 5. v. 16. & 18. vidimus; rurſusque ex hoc capite 7. verſ. 20. cùm Scenopægiæ feſto Iudæos ibidem alloquetur, videbimus. Non igitur hujus anni Paſchate Hieroſolymis fuit IESUS; ne vitatâ jam Herodis irâ, novam Phariſæorum incurreret. aut jam excitatam acueret. ſed in Galilæa uſque ad Scenopægiæ feſtum manere perrexit, menſes fere ſex. Quibus quid in Galilæa geſſerit, Ioannes tacuit, quia ceteri tres abundè perſcripſerant. Unde poſt panes multiplicatos, rectè Matthæus c. 15. & Marcus 7. ſtatim ſubdunt. *Tunc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi*: non diſcendi, ſed calumniandi dirâ cupidine, cùm viderent eum Hieroſolymam minimè redire. Statim quippe tam Chriſti ipſius quàm diſcipulorum opera conſiderantes, omnia carpunt; quòd illotis manibus manducarent; contra ſeniorum traditionem. qua occaſione Chriſtus in humanas & impias eorum traditiones invehitur.

It in Phœniciam: Syrophœniſſæ filiâ ſanat.

7. *Et egreſſus inde* (Galilæâ) *IESVS venit in partes Tyri & Sidonis*, nimirum in Phœniciam: ubi Chananææ mulieris, quam & *Syrophœniſſam & Gentilem* Marcus vocat, filiam malè à dæmonio vexatam, magnâ ejus fide precibusque flexus, voce ſolâ etiam abſentē liberat. Futuræ Gentium vocationi ſic præludens. *Et iterum exiens de finibus Tyri & Sidonis* (ſubdit Marcus v. 31) *venit* (ſeu rediit) *ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.* quæ proinde inter Tyri fines & mare Galilææ, ſaltem aliquâ ſui parte porrigebatur; ſic dicta (ait Plinius l. 5 c. 18.) ab decem oppidorum numero. è quibus numerat cis Jordanem quidem Scythopolim (quam

Inde per Decapolim rurſus ad mare Galilææ.
Quæ Decapolis?

& Bethſam ac civitatum Decapoleos maximam ſcribit Joſephus Excidii l. 3. c. 16.) trans Iordanem vero Damaſcum, Gaddaram, Hippon, & Pellem ſeu Pellam, &c. Ceterùm Chriſtus ad mare Galilææ ſeu Tiberiadis, ſurdum ſimul ac mutum, & complures alios ſanat. Quibus diebus (ait Marcus) cùm turba multa eſſet, nec haberet jam triduo quod manducaret, & quidàm de longè veniſſent, ſeptem panibus quatuor hominum millia ſaturavit. & diſcipuli quod ſuperfuit de fragmentis tulerunt ſeptem ſportas. Adeo in panum multiplicatione ſibi placebat Chriſtus, vero ſcilicet Euchariſtiæ ſymbolo.

Miraculum 7. panum.

Transfretat in Magedâ ſeu Dalmanutha.

8. Et dimiſſâ turbâ aſcendit in naviculam cum diſcipulis ſuis, & venit in fines Magedan, quod Dalmanutha Marcus appellat. Erat Magedan paulò ultra mare Galilææ circa Geraſam ſeu Gergeſæam civitatem, è regione Tiberiadis. Dalmanutha verò vel idem eſt vel proximus ibidem locus. unde in eorum fines ſeu partes veniſſe dicitur. Nec ibi quieverunt Phariſæi Sadducæique, quærentes ab eo ſignum de cœlo: nec aliud referunt quàm Ionæ Prophetæ, qui typus eſt Chriſti poſt triduum reſurgentis. Et dimiſſis illis, aſcendit iterum navim & abiit trans fretum; diſcipulosque monuit caverent à fermento, ſeu doctrinâ Phariſæorum, atque Sadducæorum. Et venit Bethſaidam, ubi cæcum ſanat. Mox venit in partes Cæſareæ Philippi, ubi diſcipulos interrogabat, Quem ſe homines eſſe dicerent? qui cùm reſpondiſſent, *alii Ioannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Ieremiam, aut unum ex Prophetis*; Vos verò, ſubjecit, *Quem me dicitis?* Petrus pro ceteris, filium Dei vivi aſſeruit: qui proinde caput Eccleſiæ militantis futurus prædicitur. Matth. 16. Marc. 8. Lucæ 9.

Venit in partes Cæſareæ Philippi.

Incipit de morte ſuâ & cruce agere.

9. *Exinde* (pergit Matthæus) *cœpit IESVS oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, Scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere.* Quod cùm Petrus horreret & diſſuaderet, reſponsū accepit, *Vade poſt me Sathana. ſcandalum mihi es, nec ſapis ea quæ Dei ſunt.* unde doctrinam de cruce tollenda, ſeque ſequendo tradit. *Et poſt dies ſex* (ſcilicet extremis excluſis, incluſis autem, *poſt dies octo*, ait Lucas) *aſſumpſit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit eos in montem excelſum ſeorſum*, quem putant Thabor, ſeu ut Ioſephus vocat Ithaburium. *& transfiguratus eſt ante eos*, apparentibus Elia & Moyſe, ac cum illo colloquentibus *de exceſſu quem completurus erat in Hieruſalèm*, ait Lucas, c. 9 v. 31. ea transfiguratio in faſtis non Latinis modò, ſed & Græcis atque Syriacis, die Auguſti ſextâ notatur; quæ hoc anno rectè fuit Dominica, littera Dominicali A. quod Auguſtinus quoque notat. Eâ Chriſti gloriâ captus Petrus, ibi morari volebat, tabernaculis tribus ibi fiais pro IESU, Elia, Moyſe. *Et ecce nubes lucida obumbravit eos; & vox de nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Et deſcendentibus illis de monte; præcèpit IESUS ne cui dicerent, donec à mortuis ipſe reſurgeret. Cùm deſcendiſſent, dæmoniacum ſanat, quem ſanare non potuerant diſcipuli. Matth. 17. Marc. 12. Lucæ 9.

Transfiguratur in Thabor. Rurſum de Cruce.

10. Et inde profecti (Mar. c. 9. v. 30.) prætergrediebantur Galilæam, IESU mortem reſurrectionemque ſuam rurſum prædicente, quam nec

intelli-

intelligebant, nec libenter audiebant diſcipuli. Et cùm veniſſent Capharnaum, publicanis didrachma ab eo Petroque poſcentibus ſolvi juſſit. In via tractarant Apoſtoli, quis eorum videretur eſſe major? Retudit eos IESUS; pueris potiùs ſimiles eſſe debere docuit; & ab eorum offenſione cavendum. Peccanti item fratri ſæpius ignoſcendum, parabolâ Regis rationem cum ſervis ineuntis, affirmavit: cum cui Rex debitum gratis dimiſerat, conſervo ſuo quippiam longè minus dimittere nolentem, traditum tortoribus narrat, quoadusque redderet univerſum debitum. Matth. 18.

Fratri ignoſcendum.

11. *Et factum eſt* (pergit Matthæus c. 19. v. 1.) *cùm conſummaſſet ſermones iſtos, migravit à Galilæa.* Complebantur enim, addit Lucas c. 9. v. 51. *dies aſſumptionis ejus*, quibus ſcilicet per crucem & mortem ſuam aſſumendus erat de hoc mundo ad Patrem; de qua etiam crebram paulò ante mentionem facere cœperat. jamque mors illa menſibus vix ultra ſex aberat. Ita igitur *ipſe* (pergit Lucas) *faciem ſuam firmavit, ut iret in Hieruſalem.* quam jam ab ſuperioris anni Paſchate vitaverat, & ſeſe offerebat occaſio. de qua ſic Ioannes c. 7. v. 2. *Erat in proximo dies feſtus Judæorum Scenopegia,* ſeu Tabernaculorum menſe Septembri. ad quem aſcendere tenebantur omnes Iudæi maſculi, ſicut & ad Paſcha & ad Pentecoſten ex Deuter. c. 16. v. 16. Sed & Chriſtum ad hoc impellebant fratres ejus, ut ſe mundo manifeſtaret. Ac primùm quidem ipſe aſcenſurum ſe negabat, quod tempus ſuum nondum adveniſſe, ſimul quod ſe ibi odio eſſe diceret. *Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* In itinere cum à Samaritanis non reciperetur, ideoque Iacobus ac Ioannes Apoſtoli ulciſci vellent; redarguit illos, dicens neſcire cujus eſſent ſpiritus; ſe non veniſſe ut animas perderet, ſed ut ſalvaret. Mox occurrentes 10. Leproſos ſanavit.

Chriſtus è Galilæâ in Jeruſalem ad Scenopegia.

Ioan. 7. v. 2. & ſeqq.

12. Cùm Hieroſolymam intraſſet, non ſtatim ſe prodidit, nec cum fratribus apparuit, qui ſine illo præverterant: ſed permanſit occultus, ut tanto majus ſui deſiderium accenderet. Unde *quærebant eum Iudæi in die feſto, Ubi eſt ille? & murmur multum erat in turba de illo. Quidam enim dicebant, quia bonus eſt; alii, Non, ſed ſeducit turbas.* Tandem ſub feſti medium, ſeu quarto ejus die, qui ſemper eſt Tiſri menſis ſeptimi octavus decimus, & hoc anno Iuliano 75. in primos Octobris dies incurrit; *Aſcendit JESUS in templum, & docebat. mirabanturque Iudæi, quomodo literas ſciret, cùm non didiciſſet? Reſpondit doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed ejus qui eum miſiſſet: Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?* Eo dicto irritata turba, *Dæmonium habes*, inquit, *quis te quærit interficere? Reſpondit IESUS, Unum opus feci, & omnes miramini* (ceu malum ſcilicet) *Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbatho?* Nempe Paralyticum, quem jacentem ad piſcinam ſecundo Prædicationis ſuæ Paſchate curavit. Ioan. c. 5. v. 9. A quo tempore hucuſque non legitur IESUS veniſſe Hieroſolymam. *Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis, Nonne hic eſt, quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognoverunt Principes, quia hic eſt Chriſtus? Sed hunc ſcimus unde ſit: Chriſtus autem cum venerit, Nemo ſcit unde ſit. Clamabat ergo IESUS in templo,* (quia ſcilicet *faciem ſuam* ad ſimilia *firmaverat*; ut ait Lucas, cap. 9. v. 51) *& me ſcitis, & unde ſim ſcitis* (nempe quatenus homo ſum) *& à meipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis. Quærebant ergo eum apprehendere* (nempe Phariſæi & Principes) *& nemo miſit in eum manus, quia nondum venerat hora ejus*; ex ſuo Patriſque ſui decreto conſtituta. *De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cum venerit, nunquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?* En fructum conſtantiſſimæ concionis Chriſti: licèt etiam tum *miſerint Principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent eum*: nec potuerunt: quia adhuc modicum tempus cum eis eſſe debebat.

Sed quaſi in occulto

Mox in Templo docet.

Unde quæritur ad mortem.

13. *In noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat IESUS & clamabat* (conſtans ſemper in ſua firmitate) *dicens, Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. ex illo ergo turba dicebat, Hic eſt verè Propheta. alii dicebant, Hic eſt Chriſtus. Quidam autem, Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit, Quia ex ſemine David, & de Bethleem caſtello, ubi erat David venit Chriſtus? Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum.* Cumque miniſtri à Pontificibus & Phariſæis ut eum apprehenderent, miſſi, rediiſſent, & cur eum non adduxiſſent interrogarentur, *reſponderunt, Nunquam ſic locutus eſt homo.* Quo illi indignati, *reſponderunt, Nunquid & vos ſeducti eſtis? Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti ſunt.* Cumque ſubderet *Nicodemus, unus ex ipſis, qui venerat ad eum nocte, Nunquid lex noſtra judicat hominem* inauditum? reddiderunt illi, *Nunquid & tu Galilæus es? ſcrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæâ Propheta non ſurgit. & reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.* Fuit hic Hieroſolymis ultimus Chriſti ſermo publicus, iſque conſtantiſſimus & ardentiſſimus, qui de ventre ejus fluxit, ceu flumen aquæ vivæ rapidiſſimum.

Noviſſimus Scenopegię dies Magn^s, *Ioan. c. 7. verſ. 37.*

14. Scio *noviſſimum* hunc *diem magnum feſtivitatis* à pleriſque Interpretum pro Octavâ Scenopegiæ ſeu 22. Tiſri intelligi. Cæterùm in Kalendario Judæorum, poſtridie, ſeu 23. Tiſri, notatur alia adhuc *feſtivitas Legis*, ſeu Lætitia Legis ac Benedictio. Cujus etſi ut nulla in Scripturâ mentio, ita nobis quoque ignota ſit origo; Scaliger tamen libro novæ emendationis temporum ſeptimo, pag. 607. & 608. jam inde ab Eſdrâ Nehemiáque uſurpatam putat, ex 2. Eſdræ c. 8. & 9. erat ea feſtivitas omnium clauſula, quòd Judæi Mundum in Librâ conditum credentes, proximo mox Sabbato, velut à primo capite anni novi, repeterent initium. Hanc ego diem noviſſimam & magnam feſtivitatis à Joanne dictam exiſtimo, quaſi ad octo Scenopegiæ adſcititiam & extremam. eamque hoc anno Iulian. 75. vulgaris æræ Chriſtianæ 30. noſtræ ad Victorium 84. annorum Tabulæ in Octobris 6. diem feriamque ſextã incurriſſe ſciſcunt. quam & Joannes clauſam notat veſpertino nocturnóque Chriſti *in montem Oliveti ſeceſſu. & diluculo* ſequentis ſcilicet diei, *iterum venit in Templum.* ubi uſque ad Meridiem docens, mulierem adulteram abſolvit. donec Iudæis eum lapidare volentibus, *abſcondit ſe & exivit de Templo.* cap. 8. toto. *& præteriens* (eodem adhuc die poſt meridiem) hominem à nativitate cœcum luto oculis impoſito, iiſque fonte Siloë lotis illuminat,

Quis dies ille Noviſſimus.

Ioan. c. 8. v. 1 & 2.

Idem cap. 9. Chriſtus cœcum natum illuminat.

minat. Erat *autem tunc Sabbatum*, addit Joannes cap. 9. v. 14. Quod iterum ipſe confirmat cap. 8. præcedente, ejuſdem diei diluculo quo Chriſtus ex Oliveti monte rediit ad Templum; cùm ſcribit: *& omnis populus venit ad eum* quomodo enim omnis populus, niſi in Sabbato? maxime cum jam & octava Scenopegiæ die, & Legis alia feſtivitate, quotidiano vitæ lucello caruiſſet? Unicus hîc Evangelii character, poſt principem illum Paſſionis maxime notandus eſt. quo Joannis capita fere tria, ſeptimum, octavum & noni, & quoad annum hunc Jul. 75. & quoad diem feriamque certò confirmantur; & Phariſæorum incredulitas malitiaque retunditur. Licet dicere pergerent, eum inſanire & dæmonium habere. Vide quæ in Tractatu de Paſchali Judæorum Cyclo cap. 8. ad hanc rem diximus, in calce Victorii noſtri pagina 413. & 414.

Character certus.

15. Sequitur in Joanne, cap. 10. à v. 22 ad capitis finem, quid in Encæniorum feſto Hieroſolymis Chriſtus egerit, Menſis Caſleu die 25. quem hoc eodem anno Tabulæ noſtræ Victorianæ, ferè cum Decẽbris Iuliani quinto cõponunt. Ita inter Encænia hæc, & Scenopegiæ dies expletos, duo menſes Iuliani ferè toti interceſſerint. quibus geſta Ioannes nulla, Lucas capite 14. & ſequentibus, non pauca refert, hic proinde interſerenda. ſicut aptè Ianſenius interſerit. At licet Lucas nullum his tempus, nullum locum determinet; conjuncti tamen cum eo in pleriſque Matthæus & Marcus, ſatis ſignificant primò tempus, nempe poſtquam in Iudæam è Galilæâ migravit; ſecundò locum, cum illa trans Iordanem acta ſcribit; & quidem addito Ioanne, eo loci ubi erat primùm Ioannes baptizans in Bethabara. Matthæus quippe cap. 19. verſ. 1. & Marcus cap. 10 v. 1. ſibi de more conſentientes, ſcribunt JESUM, cùm primùm de Galilæâ hâc vice migraret, *veniſſe in fines Iudeæ trans Iordanem.* & geſta quidem ejus Hieroſolymis feſto Scenopegiæ tranſmittunt, quæ Ioannes abundè narrat, ut ex eo jam audivimus. Quibus abſolutis capite 10. v. 40. aptè ſubdit: *& abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primùm, & manſit illic.* Cur iſtud *iterum*, niſi quia ut paulò antè è feſto Scenopegiæ eò ſe primùm contulerat, ſic jam ex ipſâ Encæniorum feſtivitate *iterum* ſe retulit. Scio Janſenium Concordiæ capite 93. finiente, voculam iſtam Ioannis, *iterum*, non ad hunc primum Chriſti è Scenopegiæ feſto trans Iordanem receſſum, ſed ad primum omnium, Chriſti adhuc baptizandi adventum referre. Verum adventus ille omnium primus, minus aptè hic, poſt annos fere tres, quàm iſte poſt menſes vix duos, à Ioanne capi poſſe videtur.

Chriſtus ad Encænia. Ioan. c. 10.

Inde iterum trans Jordanem.

16. Ceterum cùm Hieroſolymis Chriſtus à feſto Scenopegiæ trans Iordanem diſcederet, vel etiam diſceſſiſſet, pergit Lucas cap. 10. v. 1. *Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipſe venturus.* Simul præcepta quædam illis, ſicut & anteà Apoſtolis, tradidit. Additque ibidem Lucas verſ. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Reverſi autem ſeptuaginta duo, cum gaudio dixerunt, Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. & ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem. ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo.* Paulóque poſt ſubjungit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges, voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* Legiſperitus inde quidam ſuperveniens, & interrogans, Quis eſſet proximus, id diſcit Parabolâ deſcendentis ab Ieruſalem in Iericho. & cetera quæ reliquo illo capite toto, ſimul duobus ſequentibus narrare pergit idem Lucas.

Diſcipuli 72 deſignati

Legiſperitus, &c.

17. Capite autem 13. ſubdit: *Aderant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum. & reſpondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, qui talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Incognita eſt iſta Pilati & Galilæorum hiſtoria. Nam quam Ioſephus lib. 18. c. 5. finiente narrat, primùm non de Galilæis (ut ait hic Lucas) ſed de Samaritanis eſt; neque hoc tempore Chriſti viventis, ſed eo mortuo geſta, paulò antè quàm Romam Pilatus rediret. Quare ignotam verè notat Ianſenius. Interim notandum hæc dicta, cum JESUS in aliquâ parte Tetrarchiæ Herodis ageret; non in Galilæâ, quam jam reliquerat. Ergo in Peræâ regione Trans-jordanenſi. quo Chriſtum poſt Scenopegia ſe retuliſſe diximus; quæque Herodi ſubjacebat. Quomodo enim aliàs Herodes in alienâ regione manus in Chriſtum injicere auderet? Tum Parabolam de ficu dixit, quæ quia triennio ſterilis permanſerat, excidenda erat. ejus cultor pro quarto adhuc anno oravit, quo ſi fructum non ferret, exſcinderetur. Id de triennali Chriſti prædicatione, aptè capiunt nonnulli. Quæ cùm ne quarto quidem anno fructum ferret, Chriſtus Iudæos reliquit; & exſcindi poſtea permiſit. ſi non & curavit. Lucæ 13. v. 8. 9.

Galilæi ſacrificantes, à Pilato cæſi.

Ficus quadriennio ſterilis, tandem exciſa.

18. Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbato. Ibi mulierem ab annis 18. contractam ſanavit. & Archiſynagogum indignantem, quod Sabbato curaret, reprehendit. *& ibat per civitates & caſtella docens, & iter faciens in Ieruſalem* (Luc. c. 13. v. 22.) forte ad Encænia. docet anguſtam eſſe viam regni Cœlorum, & ideo contendendum. *In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes, exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. & ait illis, Ite, & dicite vulpi illi, ecce ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.* innuens brevi quidē ſe necandum, ſed non quando Herodes volet c. 13. v. 31. Inde cap. 14. convivans cum quodam Phariſæorum Principe die Sabbati, hydropicum quemdam ſanat. ſimul docet invitatis ad nuptias ultimum potiùs quàm primum locum eligendum. ad epulas item pauperes potiùs quàm divites invitandos. Sequitur Parabola de invitatis ad cœnam magnam, & recuſantibus. ideóque pauperes ac infirmos ipſis ſubſtitutos. Addit eis qui ſequi ſe vellent, crucem ferendam, omnibus renunciandum. Lucæ cap. 14. toto.

Iter in Jeruſalem. ad ENCÆNIA.

19. Hîc poſterior capitis decimi pars ex Ioanne inſerenda, à v. 22. ad finem capitis. *Facta ſunt autem ENCÆNIA in Hieroſolymis. & hyems erat.* Encænia 25. Caſleu menſis omni ex Mach. 1. v. 18. & cap. 10. v. 5. 6. celebrabantur; & hoc anno Iuliano 75. ætatis Chriſti 34. in Decembris Iuliani diem quin-

Quę diebus octo celebrata, in modū Tabernaculorum.

Tres ob cauſas.

tam præter propter incurrebant, cùm breves dies ſunt, hyemales ac frigidi. Fiebant autem hæc Encænia primò ſicut feſtũ Scenopægiæ, ut 2. Mach. c. 1. v. 18. ubi Græca habent ὡς σκηνοπηγίας καὶ τοῦ πυρός, *ſicut dies Scenopagia.* & cap. 10. v. 6. diſertiſſimè, *Diebus octo egerunt in modum Tabernaculorum. & cum ramis palmarum,* &c. audis hic *in modum tabernaculorum?* & 1 Mach c. 4. v. 52. ad 59. Fiebant ſecundo in memoriam purificati ab Iuda Machabæo Templi, noviq́ue Altaris tum dedicati. ut legimus eodẽ cap. v. 59. *Et ſtatuit Iudas ac univerſa Eccleſia Iſraël, ut agatur dies dedicationis Altaris ab anno in annum per dies octo, à 5. & 20. die menſis Caſleu.* Fiebant tertiò, licèt id in Scriptura non legamus, in memoriam etiam Templi ab Herode noviſſimè, magnificentiſſimeq́ue reſtaurati, ut notat Ioſephus l. Orig. 15. planè finiente, cùm ſcribit: *Herodes abſoluto octo annis reliquo ædificio, tandem etiam Templum eorundem Sacerdotum operâ ſeſquianno perfecit. Quo facto ingens gaudium exortum eſt in populo, omnibus Deo gratias agentibus pro tam celeriter finito opere & & Regi, pro completo tam alacriter negotio, fauſta ominantibus. Ibi Rex trecentos boves Deo mactavit; & alii pro ſua quiſque facultatibus tantum victimarum, quantum vix comprehendi poſſit, fallente veram æſtimationem eorum numero. Incidit enim in hanc celebritatem abſoluta Templi fabrica, etiam Natalis regni, quem Herodes anniverſaria hilaritate ſolitus eſt colere. ut hoc pacto conduplicaretur lætitia publica.* Quis credat, poſt tantam Regia populiq́ue Iudaici lætitiam, Pontifices eorum ac Sacerdotes, non æquè hujus ac Machabaici templi ſtatuiſſe anniverſariam feſtivitatem; cùm Machabaicum tanto eſſet magnificentiâ vilius & inferius? Herode ipſo coram Iudæorum primoribus jactare audente (ut narrat Ioſephus l. Orig. 17. cap. 8.) *Inſtauratum à ſe Templum impendiis ingentibus, quale opus per 125. annos nemo Aſſamonæorum Regum valuiſſet perficere; nec extructum id tantum à ſe, verum etiam ornatum donariis templo digniſſimis.* Si ob Templum Machabaicum Synagoga annuam feſtivitatem inſtituit; hujus tanto pretioſioris pulchriorisq́ue in tanta lætitia non inſtituiſſet? Cumq́ue dies dedicationis annuus alius ab hoc 25. Caſleu non appareat, quis non intelligat, utriuſque Templi, & Machabaici ſcilicet & Herodiani memoriam hoc eodem die comprehenſam? Præſertim cùm initium Herodiani Regni in hyemem quoque & Decembris finem incurriſſe, ſupra anno Juliano 6. expirante, ex hiſtoria etiam Romanâ viderimus.

quarum poſtrema, ob Templum ab Herode magnificè reſtauratũ.

20. Ad hæc igitur Encænia venit hoc anno JESUS, ab recentiſſimâ dedicatione Templi Herodiani, novies jam ac tricesies repetita. Eaq́ue cùm celebraret, *ambulabat in Templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant, Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis IESVS: Loquor vobis & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me,* &c. *Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum. de blaſphemiâ; quia homo cum eſſet, faceret ſeipſum Deum.* & *Quærebant eum apprehendere. ſed exivit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem,* ſicut ſcilicet ante duos menſes è Scenopægiorum feſto fecerat. *in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primùm. & manſit illic. & multi venerunt ad eum: dicentes, Quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum; omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc vera erant. Et multi crediderunt in eum.* Ita Ioannis cap. 10. à v. 22. ad capitis finem. junctis Matthæo c. 19. v. 1. & 2. & Marco cap. 10. v. 1. *& conveniunt iterum turbas, iterum ſicut conſueverat, docebat ac curabat.* Erant autem in illis *Publicani & peccatores,* pergit Lucas c. 15. v. 1. quos quia recipiebat, murmurabant Phariſæi & Scribæ. Eos refutat Parabolis ovis perditæ, dragmæ, & Filii prodigi. Lucæ cap. 15. Item capite 16. aliâ Diſpenſatoris iniqui quidem, ſed à ſe laudati, quia prudenter feciſſet.

In iſtis urgent Chriſtum Judæi, ut palam ediceret, ſi eſſet Chriſtus.

Opera, inquit, mea pro me reſpondent.

CAPUT VI.

Quartus Annus Prædicationis CHRISTI.

Ætatis ac vitæ 35. Dionyſianus 31. uterque Chriſto poſtremus. U. C. 784. Iulianus 76. Olympiadis 202. ſecundus & tertius.

1. HIc Annus ceterorum facilè Princeps, ut mœroris ac tenebrarum poſtremus, ita lætitiæ, felicitatis, atque luminum primus eſt. Toteq́ue præterea temporum characteribus illuſtris, ut vel ſolus reliquos omnes etiam vacillantes erigere firmareq́ue potens ſit. Ex iis duos dumtaxat hic in anteceſſum proferam, quo ſalutis ac Redemptionis noſtræ annus nulli non notiſſimus appareat. Primus eſto ſacer, è Scripturâ ſacrâ, vetuſtiſſimoq́ue Patrum Cæſarienſium in ipſâ Palæſtinâ Concilio depromptus. Civilis atque ſæcularis alter, è Seiani viri celeberrimi Tragico prorſus interitu.

Hujus anni præſtantia.

2. Certum eſt primo ex ipſo Evangelii contextu, Chriſtum *in Paraſceve* mortuum, *quæ eſt ante Sabbathum.* ut Marcus c. 15. v. 42. ſeu ut Lucas c. 23. v. 54. *antequam Sabbathum illuceſceret.* *Altera autem poſt Paraſceven die,* nempe Sabbatho, adhibitos à Iudæis ſepulchro cuſtodes in diem tertium. ex eodem Luca. Denique ex Ioannis cap. 19. verſ. 11. Matthæi 28. Marci 16. Lucæ 24. *unâ Sabbathi,* ſeu prima poſt Sabbathum die, quæ eſt Dominica, Chriſtum reſurrexiſſe. Nec tacet Scriptura Menſem Lunarem, nempe Paſchalem, qui eſt Niſan, circa Æquinoctium vernum, imò & tunc in ipſo Æquinoctio. Si & Solarem adjunxiſſet, ejusque dies cum Lunaribus iſtis compoſuiſſet, res etiam de Anno confecta erat. Supplet quomodocumque Cæſareæ Paleſtinæ Synodus, à Theophilo ejus Urbis Epiſcopo, Sancti Victoris Romani Papæ & Martyris auctoritate, cum aliis variarum gentium Epiſcopis, anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano 196. vero autem & à nobis ſtatuto, 200. congregata; planè vetuſtiſſima; adeoq́ue poſt eam, quæ ab Apoſtolis (Actuum capite 15. & Epiſtolæ ad Galatas cap. 2.) anno Chriſti vero 53. Dionyſiano 49. à Chriſti Paſſione nonniſi 18. partim & 19. habita eſt, omnium prima, à Converſione S. Pauli ſeptimo-decimo, Juliano 94. Habita, inquam, à Patribus ſanctiſſimis, qui primis Apoſtolorum diſcipulis, ſi non & ipſis Apoſtolis, convixerint, qui prope locum Paſſionis Jeruſalem, cumq́ue ejus Epiſcopo, ex compoſito convenerint; recente

Primus hujus anni Character ex Scriptura ſacra, & Synodo Cæſarienſi antiquiſſimà.

adhuc

adhuc conſtantiſſimæ Traditionis Scriptorumque memoria, quotannis à fidelibus Palæſtinæ incolis recoli ſolitâ. Prorſus ut ſi Apoſtolica ea non ſit, Apoſtolicæ certè proxima cenſenda ſit; Romani præſertim Pontificis auctoritate juſſuque indicta, calculo probata.

Decretum Patrum Synodi Cæſarienſis de die Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti.

3. Ea ergo tantæ vetuſtatis venerationisque Synodus de die Paſſionis, qui maxime tunc intendebatur, ita pronuntiat: PASSUS EST DOMINUS AB UNDECIMO KALENDAS APRILIS, QUA NOCTE A JUDA TRADITUS EST; ET AD OCTAVUM KALENDAS APRILIS RESURREXIT. Quod idem eſt, ac ſi diceret: *Paſſus Martii die viceſimâ ſecundâ, feria ſexta; Reſurrexit viceſimâ quintâ die Dominicâ.* Qui Characteres ex Evangeliſtis omnibus primo deprompti, ſicque ad Menſis Solaris Martii dies à Synodo adſcripti, annum Julianum 76. determinant, U. C. 784. Ipſius Chriſti verum quidem triceſimum quintum, Dionyſianum autem triceſimum primum, Prædicationis Chriſti certò extremum, & ex Danielis Prophetiâ, noſtraque ſententia, utpote in medio ſeptuageſimæ Hebdomadæ, quartum. Theophilo iſtius Synodi Præſidi, ſucceſſit ſaltē mediatè, ejuſdem civitatis Epiſcopus, Euſebius, & ipſe Cæſarienſis inde dictus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor; deque eâ Synodo ita ſcribit, libro 5. cap. 22. *Decretum Epiſcoporum, qui tum erant in Palæſtinâ convocati, ad hanc uſque ætatem cuſtoditum eſt. In quorum Synodo Theophilus Cæſarienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymorum Præſides fuerunt.* Idem ferè repetit in Chronico. Non aliud Synodi decretum fuit, quàm quod à me jam allatum eſt. vel ipſo Ven. Beda teſte, de Ratione Temporum cap. 65. cùm ait: *Meritò creditur, ſi non melior ſententia vincit, quod B. Theophilus, cum ceteris non ſolùm Palæſtinæ, ſed & permultis aliarum regionum Epiſcopis, de Paſchâ diſputans ſcripſit: Eodem decimo Kalendas Aprilis die* (ſeu Martii 23.) *Dominum fuiſſe Crucifixum. Decebat enim unâ eademq́, non ſolum hebdomadis, ſed & menſis die, ſecundum Adam* (nempe Chriſtum) *pro generis humani ſalute, vivificâ morte ſopitum, de productis è latere ſuo Sacramentis cæleſtibus, ſponſam ſibi ſanctificare Eccleſiam; quâ videlicet die primum Adam, patrem humani generis, ipſe creaverat, &c.* Vides decretum iſtud à Synodo Patribusque vetuſtiſſimis, vel ideo ad Scripturam additum, ut menſis Romani Solarisque, non minus quàm Lunaris ac Iudaïci dies, agnoſcerentur; & ex diebus ipſe quoque Annus, Iulianus 76. à Chriſto nato triceſimus quintus; *in medio annorum vitæ hominis, qui 70. ſunt* ut plurimùm, juxta Davidis Pſalmum 89. v. 10. & Abacuc cap. 3. v. 1.

4. Scio in quoſdam Manuſcriptos Codices, etiam Bedæ, pro *decimo Kal. Apr.* mendoſè irrepſiſſe, *ſeptimo.* ſed planè *decimo* præferunt Membranæ fideliores: & ratio ipſa convincit; quando non aliâ causâ Synodi iſtius Patres, diem Martii viceſimum ſecundum, à triduano illo Paſchali limite noluerint excluſum; quàm quòd illius veſpere Chriſtum cœnâ factâ Paſſionem inchoaſſe ſentirent, ut in meo ad Victorii Canonem Commentario pridem notavi, cap. 7. Neque verum eſt, quod alii inſuper objiciunt; decretum iſtud ante Æquinoctium vernum Paſcha indicere: nam Iudæi tum

Æquinoctium vernum Judæorum.

Civile ſuum Æquinoctium Martii die 18. ſeu 15. Kalendas Aprilis affigebant, ut in noſtro Paſchali Iudæorum Cyclo, cap. 3. fuſius ad Victorium eumdem oſtendi, maxime à pagina 344. & ſeqq. Quem locum, benefaciet Lector, ſi hic dignetur adire & excutere: non pro Iudæorum ſolum, ſed & Latinorum antiquiſſima conſuetudine.

Kalendas Aprilis affigebant.

5. Alter hujus Anni Character civilis ac profanus, è cæde Seiani ducitur, quam in hunc U. C. annum 784. Varronianum, Julianum 76. & quidem quinto-decimo Kalendas Novembris, ſeu Octobris 18. incidiſſe teſtatur Tacitus annali 5. & 6. juncto tamen Tertulliano & Oroſio. Quorum hic Seianum Chriſti conſecrationi à Tiberio Senatui propoſitæ fortiter obſtitiſſe, diſertè ſcribit. Nec facilè quiſpiam hic Oroſii fidem elevaverit ad paganos ipſos ſecurè ſcribentis, nec ullam ab iis ipſóque adeò Senatu, exprobrationem metuentis. Ita validè huic anno fixa manebit Chriſti Paſſio, ſimul alii quoque anni à Chriſto ſurſum deorſumque deducti, ut fuſiùs in Paſſionis fine dicam. Binos hoſce Characteres ineluctabiles, alii quoque mox ſecuturi confirmabunt.

Secundus hujus anni Character, à nece Seiani, qui Chriſto ſuperſtes vixit.

6. Jam hujus anni geſta retexamus; breviter tamen; quia à tot aliis clarè explicata. Agebat tum adhuc JESUS trans Iordanem, Iudæos qui eum apprehendere volebant, tantiſper declinans: donec *proximum Paſcha*, illi ſupremum adventaret. Cùm ecce addictiſſimæ ipſi ſorores Maria & Martha, de caſtello Bethaniâ ad eum mittunt, *Domine ecce quem amas*, frater noſter Lazarus, *infirmatur*; Ioannis c. 11. Ac licèt eas valde diligeret; quia tamen infirmitas hæc ad Dei gloriam tenderet, *manſit in eodem loco duobus* adhuc *diebus* donec Lazarus ipſe moreretur. mortuum tanto majore gloria ſuſcitaturus, quàm ægrum ſanaturus. *Venit itaq́,* JESUS. & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. humani nempe generis figuram, quatuor jam annorum millibus peccato immortui; & tandem ad vitam à Redemptore ſuſcitandi. Utque tantæ ſuſcitationis arduitatem declararet, non pauca præmiſit; Primùm cum lacrymis quaſi neſcius & admirans, *Ubi*, inquit, *poſuiſtis eum?* Rurſum *fremens in ſemetipſo*, venit ad monumentum, et ſuperpoſitum lapidem tolli jubet; reluctantibus ſororibus; quòd fœteret jam quatriduanus mortuus: Tulerunt tamen lapidem; & JESUS elevatis ſurſum ad Patrem oculis, orationeque factâ, *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras., & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, facie* etiam *ſudario ligatâ*; majore ſororum gaudio, neſcias, an circumſtantium horrore juxta & ſtupore. *Quo multi Judæi qui ſorores ſolaturi venerant, crediderunt in IESUM.*

Lazari mortui ſuſcitatio.

7. *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit IESUS. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem.* Caiphas pro concluſione dixit; *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die, cogitaverunt* ſeu reſolverunt, *ut interficerent eum.* Eoque ipſe juxta deſertum ſeceſſit, in civitatem Ephrem, *& ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. Proximum autem erat Paſcha Iudæorum.* Ad quod cum nondum cum ceteris aſcenderet JESUS; *dederunt*

Unde Judæorum livor, anxietas, & in eū cōſultatio.

Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum. Joannes c. 11. ſequitur duodecimum.

Venit Chriſtus Bethaniam.

8. *JESVS ergo*, ſciens jam mortis ſuæ diem inſtare, *ante ſex dies Paſcha venit Bethaniam*, ubi Lazarum ſuſcitarat. Fecerunt autem ei cœnam ibi: Martha miniſtrabat; Lazarus unus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria unguento pretioſo pedes ejus unxit, & domus impleta eſt ex odore unguenti. Juda murmurante. Iudæis contrà eò ſe conferentibus, ut & IESUM & Lazarum ab eo ſuſcitatum viderent. *Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in IESVM.* Tantus erat furioſorum iſtorum livor. Porrò ſat conſtat Bethanienſem iſtam Chriſti Cœnam in Sabbathum incidiſſe, quando *craſtinum* diem Ioannes mox Palmarum fuiſſe, clarè cum tribus aliis Evangeliſtis ſignificat: quem Eccleſia Dominicum fuiſſe ſemper tenuit. Aut ergo Joannes primum iſtorum ſex dierum, qui in Sabbathum incurrit, cum ceteris hîc comprehendit; & tunc cœnam Chriſti Paſchalem, cui & ipſe interfuit, in veſperum diei Iovis, ſeu feriæ quintæ aptè refert: aut excludit, & tunc Sacerdotalem ſeu Pontificalem, plane publicam ac quaſi Templi ſolemnem in feriam ſextam veſpertinam, ſimul ſuum *Paſcha feſtum*, ſeu feſtivitatem azymorum in ſequens Sabbathum, quod *magnum illum Sabbathi diem* ideo vocat, cum Pontificibus comperendinat, aptiſſimâ dierum iſtorum in ſpeciem diverſorum conciliatione.

Ceteri Majoris Hebdomadæ dies.

9. Quod ut clariùs intelligatur, ceteros Majoris hujus Hebdomadæ dies, Chriſto ſupremos ſigillatim percurramus. Pergit ergo Ioannes cap. 12. v. 12. *In craſtinum autem*, id eſt, Unâ Sabbathi, ſeu die Dominicâ, ante diem feſtum Paſchæ Chriſti quartâ, ante Pontificum quintâ, Martii menſis 18.

Dominica Palmarum.

Bethaniâ egreſſus, Ieroſolymam contendit per montem Oliveti: ubi aſinæ inſidiens, viam ſibi veſtibus, arborum maximè palmarum frondibus ſterni paſſus, ingentis quoque turbæ plauſibus gratulationibusque exceptus eſt; turbæ, inquit Ioannes, ejus primùm *quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit à mortuis*; tum & alterius accedentis, & occurrentis, *quia audierant eum feciſſe hoc ſignum*; *& clamabant, Oſanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit Regnum patris noſtri David; Pax in cælo, & gloria in excelſis.* adduut Matthæus, Marcus & Lucas. Ita ovans cùm pergeret, & è monte Oliveti Civitatem Templumque magnificentiſſimum intueretur, ſolutus in lacrymas, omnia brevi item ſubvertenda prædixit, ut ne lapis quidem ſuper lapidem remanſurus eſſet, eo quòd viſitationis ſuæ tempus non cognoviſſet. Mox Ieroſolymam & Templum ingreſſus, *Vendentes in illo columbas & ementes ejecit*; cæcos & claudos ſanavit. Et veſpere *relictis illis, abiit foras extra civitatem, in Bethaniam* (unde venerat) *cum duodecim, ibique manſit*, ut à Maria Marthaque ſemper exceptus, ita ab inſtabili vulgi favore ſubitò deſertus.

Luca 19. v. 47.

10. Proximis inde diebus, *erat docens quotidie in Templo*; ait Lucas, ad quod ſcilicet quotidie manè redibat. Ac licèt Principes Sacerdotum & Scribæ quærerent eum perdere, non tamen audebant; *Omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum.* Igitur *alia die mane*, aiunt Matthæus ac Marcus, ſecunda Sabbathi ſcilicet, ſeu feria ſecunda & die Lunæ, ante feſtum Paſchæ quarto vel quinto, Bethania exiens, & in Civitatem reverſus atque eſuriens, ficui in via obviæ & infructuoſæ maledixit, eamque areſecit; in Synagogæ Symbolum. *Et veſpere facto, civitate egreſſus eſt*; ſeu Bethaniam iterum, ſeu in montem Oliveti. Sequentique *mane* (pergit ſemper Marcus, reliquis hic diligentior) cum ſuis *venit rurſus Ieroſolymam.* tertia jam Sabbathi ſeu feria tertia die Martis, 20. menſis Martii. docere pergens in Templo, juxta illud Lucæ c. 21. v. 37. *Erat autem diebus docens in Templo; noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat*, ſeu *mane ibat ad eum in Templo, audire eum.* Adeo melle ſermonum ejus capiebatur, tanto ardentiorum, quanto Paſſioni mortique viciniorum. Neque Principes Sacerdotum quieſcebant, ſeu Phariſæi illi, ſeu Sadducæi; multis eum quæſtionibus captare ſtudentes; ipſimet ſæpè capti, ſæpè confuſi Parabolis ac reſponſis ejus. quæ Lector in Harmoniis Evangelicis videre, pieque meditari poteſt.

Dies Lunæ.

Dies Martis.

Dies Mercurii.

11. Quarta inde Sabbathi, ſeu feria quarta, die Mercurii, Martii 21. *Cum conſummaſſet IESVS ſermones hos omnes* (pergit Matthæus cap. 26.) *dixit diſcipulis ſuis, Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Is ipſe dies eſt, quo proximè ſubdit, *Pontifices in atrio Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas adverſus IESVM congregatos, ut eum dolo tenerent & occiderent*: Iudæque ſupervenienti, & ejus proditionem offerenti, argenteos triginta pollicitos. Quod feria quarta, ſeu die Mercurii factum, ab omni ævo tenet Eccleſia. *Biduum* ergo iſtud Matthæi, ſi hunc quoque diem includit, ad veſperam feriæ quintæ claudebatur, qua Chriſtus cum Apoſtolis, aliiſque non paucis Iudæis Paſcha celebravit. ſi excludit, in veſperam feriæ ſextæ producitur, quo Pontifices ac Phariſæi Paſchate functi ſunt. Nam utroque die potuiſſe celebrari, fusè in noſtro de Paſchali Iudæorum Cyclo Tractatu docui, capitibus 6. 7. 8. Quò ſe remitti, non ægrè credo feret Lector, ne pluribus ac repetitis eum morer. quanquam mox nonnulla inde reddam.

Dies Jovis, & Cœna Chriſti.

12. Sequente mox feria quinta Martii 22. ad veſperam, *primam Azymorum fuiſſe, in quâ neceſſe erat occidi Paſcha*, teſtantur priores tres Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas. Joannes in feriam ſextam ſeu diem Veneris (ut dixi) comperendinat. Illi ex priore Paſchæ die, hic è poſteriore, utroque, ut dixi, libero. Ita tamen, ut poſterior dies ſolennior eſſet, & operum ſervilium prorſus immunis, quia publicè in Templo, & à Pontificibus celebrabatur. Atque hi ſunt Martii menſis Romani Solariſque dies item Solares. Cum quibus Lunares Judaicique componendi, ſi nonnulla priùs ediſſeruero.

CAPUT VII.

CHRISTUM Martio menſe Paſſu. Luna XIV. aut XV. variè quidem, benè tamen acceptâ.

Eodem anno Chriſti vero 35. Dionyſiano 31. U.C. 784. Iuliano 76.

Patres fere omnes Chriſtum Martio menſe Paſſum tenēt.

1. ANTE omnia CHRISTUM Martio menſe Paſſum, unanimis & conſtans eſt Patrum antiquorum opinio. uſque adeo ut vix unus aliter ſentire videatur. De diverſis quidem Martii diebus diverſi diſputant; nullus ferè de Martio ipſo dubitat. Ævo primùm Toſtati Abulenſis Epiſcopi orta ea diſputatio. dum parte 2. Defenſorii, capite 19. ſcribit, ætate ſuâ, ſub duobus Pontificibus excuti cœptam: magnaque Theologorum, Mathematicorum, & Iudæorum contentione concluſum, fieri non potuiſſe, ut ſecundùm Aſtrologiam CHRISTUS Paſſus ſit juxta Auguſtinum & quoſdam alios Patres, Martii vigeſimo-quinto die, feriâ ſextâ, & in Paraſceve Iudæorum. Quod & ex parte verum non nego. Sed illi in duobus ſe alioſque decipiebant. Primùm, quòd ſupponerent, eam Auguſtini aliorúmve quorumdam dumtaxat, eſſe etiam omnium Patrum ſententiam. quod non eſt. Patres potiùs Synodi Cæſarienſis (quæ anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano 196. juſſu Victoris Papæ Romani, in Palæſtinâ ad hoc ipſum indagandum coacta eſt) præ ceteris omnibus excutere refutareque debebant; qui poſt ſeriam indagationem *CHRISTUM decimo Kalendas Aprilis*, ſeu Martii viceſimo-tertio *PASSUM*; *octavo Kalendas Apriles RESURREXISSE* definiverunt. Quod veritati planiſſimè reſpondet, ſi Cyclum Solis primò, ſeu literam Dominicalem reſpicimus: quæ anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano triceſimo-primo, vero autem triceſimo-quinto, Iuliano 76. fuit G. feriam ſextam ſeu diem Veneris in Martii viceſimam-tertiam; feriam autem primam, ſeu *unam Sabbathi*, ſeu Dominicam, in ejuſdem Martii viceſimam-quintam lucem aptè vereque indicens. quod nemo Mathematicorum (quantum ad Solis quidem Cyclum attinet) negavit unquam, aut negare poteſt: Patres iſti Cæſarienſes Apoſtolorum ævo proximi, & Hieroſolymam vicinàve loca incolentes, probè viderunt.

Nec de eo ante Toſtati ætatem diſputatū etſi de die Martii Patres diſputent.

Quem Patres Synodi Cæſarienſis bene præ ceteris definierunt.

Non item Auguſtin', & ejus ſectatores, qui duplex ejus anni Paſcha non diſtinguūt.

2. Auguſtinum & ejus aſſeclas nonnihil turbavit Paſchatis in Evangelio & Paſſione Chriſti nomen æquivocum. Duplex enim eo Paſſionis Chriſti anno Paſcha fuit; antiquum unum & legale, longo jam ſæculorum uſu à Iudæis uſurpatum, Judaicum proinde dictum, & ita ab Evangeliſtis itidem Iudæis intellectum, & à Chriſto celebratum. Aliud recens, & eo primùm anno oatum, ab Apoſtolis & Chriſti diſcipulis ſeu Chriſtianis in Reſurrectionis Chriſti honorem deinceps induci celebrarīque; ac proinde Chriſtianum atque Dominicum appellari, cœptum. Veteres Græci Patres illud σταυρώσιμον ſeu Crucifixionis, hoc Ἀναστάσιμον ſeu Reſurrectionis appellabant. Diſtinctiſſimè itaque Synodi Cæſarienſis Patres pronunciarūt, cùm Paſcha Judaicum ſeu Crucifixionis, juxta quoſdā, in Martii viceſimū-tertium, feriamque ſextam, ſeu diem Veneris; Chriſtianum verò & Reſurrectionis, tùm primum oriens, in Martii vigeſimum-quintum feriamque primam, ſeu unam Sabbathi, ſeu in Dominicam retulerunt. Auguſtinus autem & qui illi conſentiunt Tertullianus atque Chryſoſtomus, id advertiſſe non videntur; fallaci quadam homonymiâ illos à Reſurrectionis Paſchate nondum tunc uſurpato, ad Legale Iudæorum, quod tunc ſolum in uſu erat, & verè Paſſionis extitit, abducente. Lactantius certè, in probatioribus ſaltem exemplaribus, *decimo Kalendas Aprilis*, ſeu Martii viceſimo-tertio, Chriſti Paſſionem diſertè, ac proinde Reſurrectionem octavo Kalendas eaſdem cum Patribus Cæſarienſibus adſcribit; Euſebius item in Chronico, ſaltem tacitè. quando Paſſionem Chriſti anno Abrahæ 2047. Mundi 5232. ineunte collocat. Nam ei ſoli character iſte Patrum Cæſarienſium aptari poteſt. Denique Epiphanius ut à Keplero, vel à Petavio potius noſtro intellectus. de quo nos in Victorii Commentario paginâ 210. & alibi. Qui quidem Victorius licèt non conſentiat, proximè tamen accedit: quando Chriſti Crucifixionem ſeptimo Kalendas Aprilis, Reſurrectionem quinto Kalendas eaſdem affigit, ſolo tridui diſcrimine; ſemper tamen Martio menſe. Quartus Canonis ejus annus Paſcha idem ac Synodus Cæſarienſis indicit. ut ibi moneo.

Lunaris dies paulò obſcurior.

3. Paulo major in Lunaris ac Judaici menſis Niſan die diverſitas ac difficultas invenitur. Menſium enim dierúmque Lunarium magis incerta vagáque ratio eſt; varium dubiúmque principium; dierum item numerus ac certitudo vacillantior. ſive illos ex Lunæ viſione, ſive ex Cyclo artificiali ſtabilias. Lunæ viſionem rejiciunt Clavius, Mariana, Serrarius, aliique non pauci; ceu ex Lunæ incertitudine fallacem; ex nubilo ſæpè impeditam; ex diverſo horizonte Climatéque diverſam. ut pluribus nos in Paſchali Judæorum Cyclo ad Victorium noſtrum adjuncto, capite quinto, pagina 372. & ſequentibus oſtendimus. Cyclus Lunæ, tametſi & ipſe Anomaliam Lunæ non prorſus aſſequatur; imò ſubinde biduo triduóve cæleſtem motum prævertat ſequatúrve; quòd Naturam Ars nunquam ſatis exprimat: minùs id tamen malum habetur, quàm turpis Eccleſiæ, in feſtorum Principum celebratione difformi, à ſeipsâ diſſenſio Quare Cyclum præfert Eccleſia Chriſtiana; eumdemque olim à Synagogâ prælatum docent Ephinanius in Judaïco annorum 84. Cyclo; Paſchales item Hippolyti, Cypriani, Anatolii, Euſebii, Theophili, Cyrilli, Paſchaſini Alexandrinorum, adeoque Victorii ipſius Cycli & Epiſtolæ.

Qui non ex viſione, ſed Cyclo quærendus.

Qualis eſt Epiphanianus, annorum 84.

4. In illis ad propoſitum noſtrum maximè facit Epiphanianus ille annorum 84. Cyclus, à nobis ad Victorii Canonem expanſus; & ab anno Græcorum centeſimo quinquageſimo primo, U.C. Varroniano 592. ante hodiernam ſeu Dionyſianam Chriſti Epocham centeſimo ſexageſimo ſecundo, Cyclo Lunæ octavo, Solis ſexto-decimo advocatus; ad ipſam Chriſti Paſſionem & ultrà productus; à Judæis, Chriſti maximè tempore uſurpatus: quique ipſas in Paſſione Chriſti apparentes antilogias optimè conciliat. Is quidem Judæ Machabæi Pontificatu, quo primùm inſtitutus eſt, veris cœli motibus ſatis accuratè reſpondebat, à quintâ ſextaque Martii ſuppoſitū die deductus. Nam binas ille Neomenias, eáſque ob Lunæ dubium liberas,

 Scaligero,

Scaligero, Petavio noſtro, Judæiſque ipſis teſtibus, exhibebat. ejuſque rei cauſam ſciſcitantibus Chriſtianis, nihil aliud Judæi reponebant, quàm ſe ita à majoribus ex quo Babylone redierant, accepiſſe. ut in Paſchali Judæorum Cyclo, capite ſexto toto dixi. Quòd ſi gemina fuit illis, ut etiamnum eſt, eáque libera Neomenia, ipſi quoque Cycli capiti præfixa; pari ratione geminam quoque Quartam-decimam Paſchalem, ſeu geminum Paſcha, geminas quoque ceteras ſolemnitates inde pendentes habuiſſe neceſſe eſt. Nec qui alterutram eligebat, in legem peccabat; Synagogâ id permittente. Ne quid jam dicam de ipſa Cycli artificialis naturâ, quâ ſæpe biduo triduóve cœli motum prævertit ſequitúrve, ut Clavius & paſſim Computiſtæ fatentur.

Ad calcem Victorii noſtri à nobis explicatus.

5. Iſte igitur Epiphanianus annorum 84. Cyclus, anno illo Græcorum 151. unde trahebat initium, à quintâ ſextâque Martii die, rectè deductus, Paſcha Judaicum ſeu Quartam-decimam Lunam Paſchalem in Martii diem octavum-decimum, & decimum-nonum indicebat. Secundus ejus annus in quintam & ſextam Aprilis. Tertius in Martii 25. & 26. Viceſimus-quintus, in quem Chriſti Paſſio poſtmodum anno Juliano 76. incurrit, in Martii ſuppoſititii diem viceſimum-ſecundum, & viceſimum-tertium. Atque ita toto Cyclo conſequenter, ut in ſextâ Paſchalis Judæorum Cycli Tabulâ, apud Victorium noſtrum, paginâ 366. capite quarto finiente, videre potes. Jam Judæi Cyclum iſtum, ut ceteros omnes, in Orbem redire credebant, ac proinde iiſdem diebus idem Paſcha ſemper indicere, quod cùm primùm cœpiſſet, indixerat: de majorum ſuorum bona fide ſecuri. de nimiâ illius brevitate nondum gnari, ac proinde ab omni peccato morali, tametſi non Phyſico ſeu Aſtronomico, liberi. Anno igitur iſto Juliano 76. quo Chriſtus ætatis ſuæ veræ triceſimum-quintum annum agebat, Dionyſianæ triceſimum-primum; anno Græcorum 343. U. C. 784. Paſchalis Judæorum Quarta-decima in viceſimum-ſecundum & viceſimum-tertium Martii diem, ex Cyclo & ſolitâ Neomeniæ ſeu Lunæ geminatione, ut jam dixi, incidebat. Priore die viceſimo-ſecundo, feriâ tum quintâ (ut ex literâ Dominicali G patet) Chriſtus cum pleriſque Judæis ac diſcipulis ſuis, Paſcha ſuum incruentum celebravit, quo & Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Altero, viceſimo-tertio, Lunâ item ex ſolita Neomeniæ geminatione Quarta-decima, Paſcha item ſuum jam cruentum ubivit in Crucis patibulo, eo momento quo Pontifices ſolemniter obibant in Templo. Quod jampridem, Paſchalis Judæorum Cycli, ad Victorium noſtrum additi, capite ſexto ferè toto fusè deduxi. Ex quo id unum hic ex Paulo Burgenſi repeto & inculco, pagina 394. & 395.

& ab anno Græcorum 151. ante veram Chriſti Nativitaté 158. ante Dionyſianam 162. rectè deductus.

Addita Lunæ geminatione.

6. *Divina providentia circa hoc devotè attendenda eſt, quæ Paſchalia feſta ſic in antiquis præordinavit, ut tempore Paſſionis Chriſti, duplex Quarta-decima Luna occurreret, ad Agni immolationem deſignata. ut in primâ Chriſtus ſacrificium adimpleret Legale, & novum inſtitueret,* Euchariſtiæ ſcilicet: *& in ſecundâ Deo ſe offerret Sacrificium veſpertinum: & utrumque tempore præſignato pro humanâ ſalute perficeret.* Ita ille & alii. Cum quibus (ſubdo ibidem ego) non cœcam hic fortunam, ſed colludentem ordinatiſſimè Dei providentiam admirari non deſino. erat quippe Agni Paſchalis immolatio, gemini Chriſti Sacrificii, cruenti ſcilicet & incruenti, typus expreſſiſſimus. Utrumque ſui Sacrificium unâ naturali veſperâ complere commodè Chriſtus non poterat. Duplicem ergo naturalem, tametſi unam Civilem Moralémve, ab Synagoga ante inſtitui ſapientiſſimè diſpoſuit, aut ex Synagogæ ſtatuto permiſit. quarum prima, feriâ quinta exeunte, Martiique viceſimo-ſecundo, cum ſuis Agnum Paſchalem Agnus ipſe de more manducaret; ſimul incruentum ac novum ſui in Euchariſtia Sacrificium inſtitueret, quo antiqua omnia aboleret. Altera feriæ ſextæ, Martii viceſimo-tertio, & quidem hora nona veſpertina, ſeu poſt Meridiem tertia, cum Pontifices Agnum ut bratilem mactare ordirentur in Templo, Cruentum quoque ſui Sacrificium offerret Agnus verus in Crucis patibulo. Quis ordinatiſſimam eam dierum horarumque diſpenſationem, quis talem Typi Antitypique compoſitionem ab æterno deſtinatiſſimè conceptam non videat, omni admirationis genere non obſtupeſcat? Lac lacti, ovum ovo nunquam ſimilius. Et cetera quæ ibi perlegere potes.

Quę magnâ Dei providentia, aut permiſſione inducta. *ex Paulo Burgenſi.*

7. Ex quibus id inſuper cum Keplero conficio: *Valde deceptos his ultimis 150. annis Aſtronomos; qui ex ſuâ perfectâ Aſtronomiâ, Pleni-lunia ad tempora Chriſti; ex Pleni-luniis feſta Judæorum; ex his & concurſu feriæ, Annum Paſſionis* (addo ego & diem) *auſi ſunt determinare alium, quàm veteres ætati Chriſti proximi:* Patres maximè Synodi Cæſarienſis. *Si hodie quis omiſſo computo Eccleſiaſtico, ante Gregorium XIII. aberrante, ex Aſtronomiâ perfectâ accommodatis decretis Nicænis, quæ jactantur, computaret Paſchata ſuperiorum ſæculorum, is creberrimè aberraret ab uſuali Eccleſiæ Paſchate; & vix unquam juſtum hiſtoriæ annum aſſequeretur.* Ita Keplerus, & ipſe Mathematicus in primis. Sic non parum falluntur, qui ex accuratis Aſtronomiæ rationibus, aut aliâ quàm quâ Iudæi tunc uſi ſunt Methodo, vetuſtiora eorum feſta, Paſchatis præſertim inveſtigant. Neque enim hic tam de plenâ veritate, quam de uſu ipſo, etiam vitioſo, quæſtio eſt. cujuſmodi fuit iſte annorum 84. Cyclus. Sanè ſi Chriſti Eccleſia, tantâ licèt ſiderum luce colluſtrata, noſtra tamen ætate quatuor aut quinque diebus celeſtem Lunam Cyclo ſuo Alexandrino tum devio, tamdiu morata eſt; Quid de rudiore, ſynagogâ, præſertim antiquâ, præſumendum?

Keplerus in Eclogis ſuis Chronicis. & nos Præfatione in Paſchalem Judæorum Cyclum, pag. 315. Decipiuntur qui ex Aſtronomiâ verâ Paſchata tempore Chriſti inveſtigant.

8. Planè hic ut Eccleſiæ, ſic & Synagogæ una eademque fuit computandi ratio; aſtronomicè quidem aberrans, nullâ ratione moraliter, quia bona fide, & ex majorum inſtituto uſurpata. ſicut in Eccleſia quoque Chriſtianâ contigit. Niſi quòd ævo Chriſti minor in Iudæis quàm in Chriſtianis error eſſet: quando Iudæi tunc diebus nonniſi tribus, Chriſtiani pluſquam quatuor à cœli motu deflecterent. Quod breviter ita demonſtro. Cyclus hic Judaicus annorum 84. dies in univerſum continet 30681. quando ex Periodo Calippicâ & Octaëteride Julianâ coaluit, ut ad Victorium oſtendi. At totidem anni Lunares medii ac veri, dies producunt omnino 30682. horas noſtras ſex. minuta 51. Quare Cyclus Judaicus cœleſti ac vero contractior erat, die uno toto, horis noſtratibus ſex, minutis 51. Jam abs anno Periodi Iulianæ 4552. ſeu Græcorum 151. unde hunc Cyclum advocamus, ad annum Paſſionis Chriſti (qui eſt Iulianus 76.

Quæ potius ex Cyclo tunc etiam vitioſè uſurpato, quærenda.

Judæorum Cyclus ex naturâ ſuâ vero contractior.

Periodi

Periodi Iulianæ 4744. Græcorum 343.) anni omnino interfluunt 192. Quæ annorum ſumma duas Iudæorum Periodos, ſeu bis 84. annos complectitur, & tertiæ inſuper annos 24. exactos. Atque ita viceſimus quintus tertiæ Periodi Iudaicæ labens annus, vix triduo ex priore die; vix biduo ex poſteriore Lunam cœleſtem in Chriſti Paſſione prævertebat. cùm Cyclus Lunaris Eccleſiæ ante correctionem, quatuor minimum, ſubinde etiam quinque diebus abundaret, hoc eſt diebus fere duobus ſupra Iudaicum aberraret. Neque tamen Eccleſiam tamdiu id ferentem propterea peccaſſe quis dixerit. Ergo neque nos inde Iudæis peccatum imputare poſſumus, qui & diebus paucioribus errabant, & errorem ſorte non planè videbant; nihil certè morabantur, de majorum ſuorum, ut dixi, bona fide ſecuri; errorem præterea rari poſſe aliquâ Cycli revolutione adhuc ignotâ penſari. Nec Chriſtus uſum Cycli publicâ bonâque fide ab iis continuatum improbavit. imò in lucro poſuit, binisque ſui Sacrificiis, incruento ac Cruento commodè peragendis prudenter, & ex ſua Providentiâ ritè uſus eſt; legalia aboliturus, nova ſubſtituturus: quando hoc non ex rei ipſius, ſed ex hominum inſtituto pendebat. Unde videmus; quòd ſicut os ex Agno Paſchali comminui Lex vetabat; ita nulla, vel minima, in Agnorum horum comparatione, ac ne in comparationis quidem momento, contortio; nulla picturæ tam vivæ diſſimilitudo; imò nulla non aptiſſima cujuſvis oſſis in ſe invicem immiſſio. Deo metente etiam ubi non ſparſit, & colligente ubi non ſeminavit.

Ex quo diverſi Paſchatis dies Chriſti tempore induĉti.

9. Concludamus igitur, & cum Euſebii ex omnimodâ hiſtoriâ apud Anaſtaſium Nicænum fragmento perilluſtri, dicamus: *Poſtquam Chriſtus umbroſum Paſcha cum Diſcipulis ſuis comedit, & Paſcha præcipua authoritatis introduxit, quinto hebdomadis die* (ſeu feriâ 5.) *qui erat decimus-quartus Lunæ, Menſis vero Martii viceſimus ſecundus*, *Indictione IV.* (ſic enim pro XV. legendum) *ipſâ eâdem nocte, in ejuſdem menſis diem viceſimum tertium ferente, traditus eſt; ac illo ipſo die Crucifixus. Reſurrexit viceſimo quinto die Dominico.* Nihil verius, nihil aptius. Unde videmus, Chriſtum in Agni Paſchalis eſu & Euchariſtiæ inſtitutione, Sacrificio ſui Incruento, Iudæorum plebem ſecutum eſſe, Quarta-decimâ Lunâ priore, Martiique menſis die 22. Incruento autem ſui Sacrificio, Martii viceſimo tertio, Pontifices imitatum; publicè tum in Templo Paſcha ſuum obeuntes; & ſequenti die, Martii viceſimo quarto, Lunâ Pontificum quintâ decimâ, ipſóque *magno Sabbato*, in quod prima ſolemnitas Azymorum tum incurrebat, ſalutis jam noſtræ opere completo, in ſepulcro quieviſſe: ſicut Deus in primâ rerum creatione, poſt ſex dierum opus, ſeptimo Mundi die, ſeu Sabbatho, *requievit ab univerſo opere, quod patrarat.* Martii viceſimo quinto, *Unâ Sabbathorum*, ſeu feria primâ, quæ & *Dominica* deinceps appellata, tanquam in prima Mundi octava, ſurrexit à mortuis, ultrà non moriturus: cùm eâdem die, alterâ Sabbathi, ut vocat Moſes Levit. 27. *Manipulum Primitiarum* elevarent & offerrent Sacerdotes in Templo, quâ Chriſtus *primitiæ dormientium* (ut 1. Cor. 12.) per Reſurrectionem corpus ſuum elevabat è ſepulchro. Quod ita certò poſtea tenuit, ut complurium populorum orta ſit inde conſuetudo, Reſurrectionem eâ ſemper die celebrandi,

Dies autem Reſurrectionis novi Paſchatis, rectè Martii viceſimus quintus, planè Dominicus.

in quamcumque demum feriam incurreret. In iis fuere Galli teſte Beda de rat. temp. cap. 44. 45. Cappadoces item ex Epiph. hær. 50. Tuſci & in Aſia Montani, &c. ut in 3. parte Theſium, annot. 22. Deckerii noſtri videre potes, qui hujus ſententiæ noſtræ primus auctor eſt.

10. Rurſum ab eadem iſta die, *alterâ Sabbathi Magni*, ſeu altera Phaſe, qua Chriſtus *Primitiæ dormientium*, & alter verusque *Manipulus Primitiarum*, Sepulchro elevatus eſt, ac Reſurrexit; Numerarunt ex iſto Moyſis præcepto Judæi; de more, *ſeptem hebdomadas* dierum *plenas*, *uſque ad alteram diem expletionis Hebdomadæ ſeptima; id eſt, quinquaginta dies.* Ipſoque quinquageſimo die, Maii menſis die tertio-decimo, feata Siban, *obtulerunt Sacrificium novum Domino, Panes Primitiarum duos, quos coxerunt in primitias Domini: & elevavit eos Sacerdos coram Domino. Vocaveruntq; hunc diem celeberrimum atque ſanctiſſimum* PENTECOSTEN. *omne opus ſervile non fecerunt in eo.* Incurrit Prima iſta Pentecoſte, eadem plane feria, quâ *altera Sabbathi Magni*, qua Chriſtus verus Primitiarum Manipulus è ſepulchro, ceu terræ corde Reſurrexit, unâ nempe Sabbathi, ſeu feria prima, & Dominica. Nam hebdomadæ ſeptem plenæ, dies 49. prorſus explent; & quinquageſimo redit ad caput ſeptenarius ipſe feriarum Cyclus; ut ſi à Dominica cœperit, in Dominicam quoque recurrat. Quo factum, ut eodem die ac feria promulgaretur Chriſti lex Nova, quâ Moyſis ac Judæorum lex antiqua; & quæ ſub Moyſe fuerat Pentecoſte Judæorum, ea eſſet & ſub Chriſto Chriſtianorum.

Sicut & Pētecoſte tunc in Dominicâ.

11. Cæterum antequam ab hoc de Chriſti Paſſione tractatu manum tollam, id ſibi iterum in memoriam revocari ferat Lector, quod ea dictis conſequitur; antiquam veramque à Chriſti Paſſione Epocham, annis triginta ſolidis ac toto inſuper trimeſtri, contractiorem eſſe ea, quàm à Chriſti Nativitate & anno Juliano 45. expirante ſciſcit Dionyſius exiguus Abbas Romanus; quâque hodie Chriſtiani paſſim utimur; Ab altera vero quam nos partim ex Herodis exceſſu, partim ex Judaica Romanâque hiſtoria, ex Taciti item Suetonii, Joſephi, Tertulliani, aliorúmque rationibus, partim ex Cenſu quo Naſcens Chriſtus deſcriptus eſt, partim ex Joannis Baptiſtæ ortu, de *Vice Abia*, validè ut opinor, ab anno Juliano 41. finiente deducimus; annis planè totis 34. & toto præterea trimeſtri poſteriorem, ut ipſa Chriſti ætas plena prorſus exigit. Ita Chriſtus annorum iſtorum 34. menſiumque præterea trium in intervallo, quot menſes dies atque horas, in terrâ ſuperſtes ſalutem noſtram operatus ſit, ſupputare, pieque meditari poteſt Chriſti diſcipulus haud ingratus Lector. Moneo denique eumdem Lectorem, ut in poſtrema hac de Paſſionis diebus, maximè Lunaribus Diatribe, noſtrum de Paſchali Judæorum Cyclo Tractatum, ad Victorii Canonem additum, ſibi comparet, & ſedulò excutiat; ut hæc tanto facilius percipiat. Simul Tabulam ejuſdem Victorii noſtrámque Chronologicam, præ oculis habeat; ſine qua ſcilicet, aut ſimili, Computiſtica hæc, & tanta annorum congeries vix, certè non tam diſtinctè capiuntur. Quòd ſi eidem Tabulæ annos quoque Iulianos, toties à nobis hoc opere citatos, addere velit; tãto diſtinctiùs ac citiùs cetera cõcipiet. Potero ad finẽ hujus Tomi, annos aliquot anteriores addere.

Duo ad Lectorem monita.

CAPUT VIII.

Quid Romæ, quid in BELGIO, quid in Græciâ, anno Paſſionis Chriſti actum ſit?

Eodem anno Chriſti vero 35. Dionyſ. 31. U. C. 784. Iuliano 76.

1. QUo anno magnam & cruentam in Palæſtina Judæi Chriſti morte egere Tragœdiam; eodem Romani in Urbe de Ælio Seiano non multo minorem exhibuiſſe viſi. De qua, quia ad Annum Paſſionis ſtabiliendum non parum juvat, breviter hîc agendum. Tacitum audiamus: *Ælius Seianus Vulſinus* Etruriæ oppido *genitus, patre Seio Strabone equite Romano; primâ juventâ Caium Cæſarem divi Auguſti nepotem*, & filium adoptivum, Armenicâ expeditione celebrem, donec ipſo ex ea reditu in Lycia, anno Iuliano 49. ante hunc 27. ſub Martii finem abſumeretur; *ſectatus eſt. Mox Tiberium ipſum varus artibus devinxit adeò, ut obſcurum adverſus alios, ſibi uni incautum intectumque efficeret: non tam ſolertiâ (quippe iiſdem artibus victus eſt) quàm Deûm irâ in rem Romanam; cujus pari exitio viguit, cecidítq́. Corpus illi laborum tolerans, animus audax. palam compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido: ejuſque causa, modo largitio & luxus, ſæpiùs induſtria ac vigilantia; haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur. Vim Præfectura* Prætoriæ, quam à Tiberio accepit, *modicam antea intendit; diſperſas per Urbem*, & vicina oppida (addit Suet. Aug. c. 49.) *cohortes una in caſtra conducendo*, Prætoria dicta, ad muros Urbis, Portâ Viminali haud procul, ſupra Thermas Diocletianeas, *Vivarium*, vulgo etiamnum appellata. Cauſam proferebat; *Ut ſimul imperia acciperent; numeroq́, & robore, & viſu inter ſe, fiducia ipſis, in ceteros metus dideretur: ſi quid ſubitum ingrueret, majore auxilio ſubveniri: & ſeverius acturos, ſi vallum ſtatuatur, procul Urbis illecebris.*

...ac. ann. 4. ...nit.

...eianus ...juis & ...qualis?

Militibus Prætorianis præfectus.

2. *Ut perfecta ſunt caſtra, irrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando. ſimul Centuriones ac Tribunos ipſe diligere. Neque ſenatorio ambitu abſtinebat, clientes ſuos honoribus aut Provinciis ornando: facili Tiberio, atque ita prono, ut ſocium laborum non modo in ſermonibus, ſed apud Patres & populum celebraret; colíque per theatra & fora effigies ejus, interq́, principia legionum ſineret.* Quæ omnia, quid aliud Seiano quàm viam ad Imperii ambitionem ſternebant? Nec defuit ille; paulatim Tiberii genus aut virile veneno tollendo, aut fœmineum ſtupro polluendo; primùm Liviam Germanici ſororem, Druſi Tiberio unigeniti uxorem, ad conjugii primùm ſpem, tum regni conſortium antè pellectam. ſtoliditate fœminæ mirabili, quæ pro honeſtis & præſentibus flagitioſa & incerta expectabat. Ita Seianus rebus jam ex voto fluentibus, Druſo jam ſublato, Liviam eamdem viduam à Tiberio petere auſus. quam ille modeſtè negavit, additis cauſis. ſimul tamen concludens, oſtenſurum ſe aliquando, nihil eſſe tam excelſum, quod virtutes ipſius firmusq́ue in ſe animus non mereantur. Intellexit Seianus: utq́ue callidius ageret, illum ad ſeceſſum ex Urbe perpulit: quo abſente Principe ipſe Imperii negotia ſolus tutiusq́ue tractaret. Quod & diu fecit.

Quos ambitioſè captat.

Veneno & ſtupro graſſatur.

3. Donec tandem Conſul à Tiberio ipſo collega hoc anno crearus; adeo efferri cœpit, uti ſe Imperatorem, Tiberium Inſulæ Rectorem diceret, ait Dio libro 58. Hinc tanto majora populi ſtudia, & luctationes omnium circa januam ejus, metuentium ne aut non, aut poſtremi viderentur. *Kalendis* ineuntis adhuc hujus anni *quibuſdam*, puto Martiis, fere quando Lazarum Chriſtus ſuſcitavit; *cùm frequentes omnes in domum Seiani conveniſſent; lectus in aulâ, in quam ſalutantes admittebat, multitudine inſidentium totus confractus eſt. Omnes fortunam ejus jurabant, collegamq́, Tiberio non jam in Conſulatu tantùm, ſed in ſumma rerum adminiſtratione deſtinabant.* Addit Joſephus Judæorum hiſtoricus libro Antiq. 18. cap. 8. eum eò uſque delapſum, ut, *cum multis Senatoribus, cum libertis ipſius Tiberii, cum viris militaribus*, puto prætorianis, in Tiberium ipſum conſpiraret, & tantùm non opprimeret. Quod cùm Antonia, M. Antonii & Octaviæ ſororis Auguſti filia, Germanici mater intellexiſſet, ſtatim Palante ſervorum ſuorum fidiſſimo Capreas ad Tiberium cum literis ſuis miſſo, periculi magnitudinem indicavit. Quare ille in Seiani necem totus incubuit.

Conſul Tiberium ſpernit.

4. Atque ut tutiùs rem perageret, aſtu magis & dolo quàm authoritate proceſſit. addit Suet. Tib. cap. 65. Primùm Idibus hujus anni Maiis, duobus poſt Spiritum Sanctum in Apoſtolos delapſum diebus, Conſulatu ſe & Seianum abdicat, C. Memmio Regulo & Fulcinio Trione ſubſtitutis; illo ſibi, hoc Seiano faventibus. Tum eumdem Seianum ſpe affinitatis ac Tribunitiæ poteſtatis deceptum, miſſa per Macronem Prætorianis jam impoſitum è Capreis ad Senatum contra illum Epiſtolâ bene longâ, effecit, ut ſine tumultu, primùm in carcerem raperetur, mox eodem poſt meridiem die necaretur; Corpus in Tiberim per ſcalas Gemonias unco traheretur, Cadavere ejus per triduum ludibrio prius habito. ut pluribus Dio libro 58. Juvenalis Satyra 10. Suetonius & Tacitus fuſius narrant, quæ Lector apud eos magno fructu legere poterit. Contigit ea cædes adeo Tragica, Octobris hujus anni die 18. menſibus à Chriſti morte ſeptem, minus quinque diebus: ex quo Seianus ipſe Conſulatu abdicatus erat, menſibus omnino quinque, diebus tribus.

Sed eum Tiberius evertit,

& inopinatem necat, menſibus poſt Chriſti mortem ferè 7.

5. Quod hic moneo, ut & Oroſii de Seiano Chriſti conſecrationi adverſante narrationem ex Tertulliano ipſo deſumptam, confirmem; & annum Paſſionis Chriſti tanto fortiùs exinde ſtabiliam. Tertullianus quidem Apologetici adverſus Gentes capite primùm 21. poſtquam Chriſti miracula, mortem, & Reſurrectionem narravit, ſubdit: *Ea omnia ſuper CHRISTO Pilatus, & ipſe jam pro ſuâ conſcientiâ Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nunciavit.* Rurſum idem cap. 5. *Vetus erat decretum, Ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introivit, annunciatum ſibi ex Syriâ Palæſtinâ, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum, cum prærogativâ ſuffragii ſui. ut Chriſtus ſcilicet Deus haberetur. Senatus, quia non in ſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententiâ manſit; comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.*

Actum in Senatu de Chriſto mortuo in Deos referendo Tiberio favente,

Idem

Idem ex Tertulliano ſcribunt Euſebius libro 2. hiſt. Eccl. cap. 2. Zonaras tomo 2. in Tiberio. & alii. quibus fidem abrogare, contumacia ſit.

Seiano maxime adverſante.

6. His laciniam verè auream addit Oroſius l. 7. cap. 4. & ipſe contra Paganos ſeu Gentes, ad S Auguſtinum ſcribens: *Senatum non ſolum conſecrationem Chriſti recuſaſſe; ſed & edicto conſtituiſſe, exterminandos eſſe Urbe Chriſtianos. præcipuè cum & Seianus Tiberii præfectus, ſuſcipiendæ Religioni contradiceret*, &c. Ita Oroſius; cui ſuffragantur Ado Viennenſis, Salmeron noſter Tomo 6. Tract. 2. Pamelius verò in eum Tertulliani Apolog. annotatione 57. eam eſſe hiſtoricorum omnium narrationem conſtantem addit. En adhuc Seiani poſt Chriſtum paſſum mentionem, qui tamen, ut dixi, vix ſeptem ei menſibus ſupervixit. quorum ſpatio ut iſta eveniſſe neceſſe eſt, ita Paſſionem Chriſti iſto non ſeriùs anno peractam æquè oportet. Adeo omnia, etiam diverſiſſima, in Chronologiam noſtram conſpirant: certo veritatis argumento. Oroſii quippe, ad Paganos ipſos iſta publicè ſcribentis, nec ullam ab illis ipſoque Senatu exprobrationem metuentis, quomodo rejici fides poteſt? Atque hæc Romæ.

Magno ſuo infortunio.

Anno Paſſionis Chriſti, quid in Belgio geſtum?

7. In BELGIO noſtro, vix quicquam ipſo Paſſionis anno geſtum reperio. Pacem tenuiſſe, facilè colliget qui tribus ante hunc annis ipſo baptiſmi Chriſti anno, FRISIOS ob tributa boum, à Druſo olim impoſita, duriùs abs Olenio, qui iis impoſitus erat, exacta, rebellantes; à L. Apronio Inferioris Germaniæ Proprætore utcumque repreſſos meminerit, legionum præſertim è Superiore Germaniâ ab Apronii genero Lentulo ſubmiſſarum auxilio, ut ibi è Tacito diximus. Ac licèt duplex tum Romanorum quoque contigerit clades; ea tamen diſſimulata Tiberio, ne cui bellum permitteret. Neque Senatus in eo cura, an Imperii extrema dehoneſtarentur: Sed neque Friſiorum, in ſuis ſedibus jam pacatè quieſcentium. Pax ergo ſtabat. Vide Tacitum annali 4. extremo.

Qui tum Germaniarum Belgicarum Præfecti?

8. Cæterùm duobus iſtis Germaniarum Ciſrhenanarum ſeu Belgicarum Præfectis, Lentulo Gætulico Superioris, Apronio Inferioris, CHRISTUS Dominus Cruci Jeroſolymis affixus, ſibi Patríque æterno Mundum, & in eo BELGIUM noſtrum reconciliavit. Nam Lentulum certè Gætulicum per decennium (ut minimùm) Germaniam Superiorem hiſce Prædicationis, Paſſionis, & proximè inſecutis primorum Apoſtolorum Chriſti annis adminiſtraſſe, teſtis eſt Dio libro 59. Idémque de Apronio ejus ſocero ſentiendum, docet Suetonius Tiberio cap. 41. cùm ſcribit, *Capreis illum Reip. curam uſque adeo abjeciſſe, ut poſtea non Præfectos, non Provinciarum Præſides ullos mutaverit. Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos, ſine Conſularibus Legatis habuerit; Armeniam à Parthis occupari; Mœſiam à Dacis Sarmatíſque; Galliam* (Belgicam maximè) *à Germanis vaſtari neglexerit; magno dedecore Imperii, nec minori diſcrimine.* Si nullos Provinciarum Præſides Tiberius Capreis incluſus ab anno Juliano 72. Chriſti ipſius vero 31. Dionyſiano 27. U. C. 780. ad ſuam uſque mortem, Martii 15. anno U. C. 790. Juliano 82. Chriſti vero 41. Dionyſiano 37. obitam annos decem totos mutavit; ergo neque Lentulus Gætulicus Germania Superiore, neque Apronius ejus ſocer Inferiore, eodem temporis intervallo dimoti ſunt. ſed inibi per omnes Prædicationis, Paſſionis Chriſti, & priores Actuum Apoſtolorum annos, toto reliquo Tiberii, & primo Caligulæ Imperii anno manſerunt. Ita ſub eorum Præfecturâ Paſſus Chriſtus.

Superiori Lentulus Gætulicu Seiano amicus.

9. De L. Apronio nonnulla jam diximus. De Lentulo hæc Tacitus, annali 6. annis poſt hunc, qui Paſſionis Chriſti eſt, tribus, U. C. 787. Chriſti vero 38. Dionyſiano 34. Juliano 79. *Abudius Ruſo functus ædilitate, dum Lentulo Gætulico (ſub quo Legioni præfuerat) periculum faceſſit, quòd is Seiani filium generum* deſtinaſſet, ultrò damnatur, atque Urbe exigitur. Gætulicus eâ tempeſtate Superioris Germaniæ Legiones curabat; mirúmque amorem aſſecutus erat; effuſæ clementiæ, modicus ſeveritate; & proximo *quoque exercitui* Inferioris Germaniæ *per L. Apronium ſocerum non ingratus. Unde fama conſtans, auſum mittere ad Cæſarem* Tiberium *literas, Adfinitatem ſibi cum Seiano haud ſponte, ſed conſilio Tiberii cœptam. perinde ſe quàm Tiberium falli potuiſſe: neque errorem eumdem illi ſine fraude, aliis exitio habendum. Sibi fidem integram; & ſi nullis inſidiis peteretur, manſuram: ſucceſſorem non aliter quàm indicium mortis accepturum. Firmarent velut fœdus, quo Princeps cetera rerum poteretur; ipſe Provinciam retineret. Hæc mira quanquam, fidem ex eo trahebant; quòd unus omnium Seiani adfinium incolumis, multáque gratia manſit. reputante Tiberio publicum ſibi odium, extremam ætatem; magiſque fama quàm vi ſtare res ſuas.* Hæc de Belgii ſub Chriſti Paſſionem ſtatu.

Inferioris L. Apron

10. In Græciâ quid tum quoque geſtum, quando huc maximè ſpectat, non ſilebo. Plutarchus libro de Oraculorum defectu, ante medium, nautam quemdam, Thamum nomine Ægyptium, cùm in Italiam nave mercibus onuſtâ navigaret, juxta Echinadas in Inſulam Paxas delatum. cumque vectorum nonnulli vigilarent, ab inſula Paxis auditam vocem, quæ diceret, Ubi ad Palodes veneris, annuncia magnum Panem eſſe mortuum. Quo cùm ille perveniſſet, ventuſque ceſſaret, Thamus verſus terram proſpexit, & quod inaudierat, dixit, Magnus Pan mortuus eſt. Vix conticuerat, cum ecce gemitus magnus auditur; non unius modo, ſed multorum admiratione mixtus. Id ſtatim, ut fit, Romam totam replevit. Thamus à Tiberio Cæſare acceſſitur, eique Tiberius ita credit, ut de Pane illo diligenter inquiſierit; Doctos verò qui circa Tiberium multi erant conjeciſſe, eum eſſe qui Mercurio ac Penelope natus eſſet. Ita Plutarchus, & ex eo Euſebius de Præparatione libro 5. cap. 4. Sed melior eorum utique interpretatio eſt, qui per Panem iſtum, CHRISTUM πάντων ſeu omnium Dominum accipiunt; cujus Dæmones mali boníve mortem luxerint, hi ut tanto viro indignã, illi etiam ut ſibi maxime noxiam; ſicut Chriſto adhuc ſuperſtite, ab ipſo ſe ante tempus perdi ſæpè querebantur: Marci 1. v. 23. Lucæ 4. v. 34. Sub Tiberio ecce iſta contigiſſe ſcribit. Me etiam vehemens inceſſit ſuſpicio, eâ quoque horâ eveniſſe, qua Redemptor noſter expiravit in Cruce: Romæ paulò poſt paſſim cognita; ſicut Chriſto naſcente in Auguſto & nepote ejus filioque adoptivo Caio Cæſare, vera Chriſti figura, ſimilia contigiſſe notavi. Nunc reliquos Tiberii ad mortem illius annos breviter expediam.

Magnus P ſub Chriſt Paſſionem mortuus.

CAPUT IX.

Reliqui Tiberii Cæſaris ad mortem ejus Anni.

Samaritanû adChriſtum converſio.

1. SUnt ii quinque omnino, & menſes fere tres, ab anno U. C. 785. Iuliano 77. ad 790. & 82. quibus Apoſtoli vix Ieroſolymis ac Iudæa ſe moverunt. nondum ad gentes converſi. Samaritanis tantùm à Philippo converſis, Petrus & Joannes eò miſſi, Spiritum Sanctum impetraverunt. Simone Mago mirante, & eumdem pretio mereante. Unde Simoniæ nomen. Redeunt illi tres Jeroſolymam, multis Samaritanorum opidis Evangelizantes. Angelus autem Domini Philippum contra Meridiem impulit, verſus Gazam. ubi ille virum Æthiopem, Eunuchum potêtem Candaces Reginæ Æthiopum, dum Iſaiam in curru legit, convertit & baptizat. Cumque de aqua aſcendiſſet, Spiritus Domini rapuit Philippum in urbem Azotum. Unde pertranſiens *Evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.* utique. Palæſtinæ, Azoto non procul.

& Eunuchi Æthiopis.

Pauli Converſio, anno à Chriſti Paſſione ſecundo.

2. Actorum inde capite nono fere toto Pauli converſionem graphicè deſcribit Lucas. Paulus Damaſcum ingreſſus ex Chriſti apparitione cœcus, ab Anania baptizatus viſum recepit. Contigit ea Pauli converſio Januarii 25. anno à Paſſione Chriſti ſecundo exeunte: à vera ejuſdem Nativitate 37. Juliano 78. inchoantibus. Quod ad unguem quadrat Chryſoſtomo, homilia de Principibus Apoſtolorum; cùm Paulum ſcribit annos à converſione *triginta quinque* ſerviſſe Domino. Nam ad annos Julianos 77. completos, adde 35. labentes habebis annum labentem Julianum 112. quo Capitone & Rufo Coss. martyrio Petrus ac Paulus affecti ſunt. juxta Patrum fere omnium ſententiam. Quia verò annus iſte Julianus 112. cum Neronis Imperatoris anno partim & præcipuè 13. partim cum 14. cõcurrit, alii Paulum anno 14. alii 13. paſſum memorant; illi ex rei veritate, hi verò prolepticôs à Kalendis Januariis annum more Romano inchoantes.

Philippi Tetrarchæ mors.

3. Anno inde à Chriſti Paſſione quarto, qui à Martii menſis die 23. init, anno Juliano 79. Tiberii ab Auguſti exceſſu 20 Philippus Ituræx & Thraconitidis regionis Tetrarcha, anno à patris ſui Herodis obitu 37. naturæ conceſſit. ait Joſephus lib. 18. cap. 6. Qui annus regni Philippi 37. jam inde à Martio hujus anni cœperat; viceſimus autem Tiberii ab Auguſti menſis die 19. anno priore inierat, & in ſimilem hujus anni Juliani 79. diem deſinebat. Quare ut annum utrumque bene ſociemus, dicendum Philippum inter viceſimum Martii, & Auguſti 19. dies, fato functum.

Vitellius Syriæ Præfectus Pilatum Judæâ dimovet.

4. Anno Tiberii ab exceſſu Auguſti 21. qui poſteriore potioreque ſui parte, cum Juliano 80. à Paſſione quarto & quinto concurrit, U. C. 788. Lucius Vitellius Vitellii poſtmodum Imperatoris pater, ex Conſulatu Proconſul à Tiberio *Syriæ & Orienti*, ob Parthorum motus *propoſitus eſt*, ait Suet. Vit. cap. 2. & Tacitus annali 6. Hic Pilatum à Iudæis nimiæ crudelitatis accuſatum, Iudææ Procuratione poſt annos decem exutum, Marcello cuidam amico ſuo cedere, & Romam proficiſci juſſit. Quo priuſquam ille perveniret, vitâ exceſſit Tiberius, ait Ioſephus l. 18. cap. 5. finiente. Mox in Iudæam ad Paſcha ſeptimo vel octavo Aprilis tunc celebratum profectus, magnificeque exceptus, Civibus totum fructuum venalium vectigal remiſit; ſimul ſtolam cum ornatu pontificio, hactenus in Antoniâ turri ſervari ſolitam, in Templo deinceps à Sacerdotibus aſſervari, ex antiquo more permiſit, in hoc genti gratificatus. Caiphæ denique Pontifici, Chriſti cum ceteris homicidæ, Pontificatum ademptum in Ionatham Anani ſeu Annæ prius Pontificis filium tranſtulit. Eoque facto rurſum αὖθις Antiochiam iter fecit. Inde juſſu Tiberii ad Euphratem cum exercitu profectus, *Artabanum Parthorum Regem, ſummis artibus, non modo ad colloquium ſuum, ſed etiam ad veneranda legionum ſigna pellexit.* ait Suet. Vit. c. 2. Addit Ioſephus ſuprà, *utrumque ſibi in medio ponte ad Euphratem occurriſſe, cum ſuo quemque ſatellitio. Poſtquam autem de fœdere convenit, Herodes Tetrarcha* Galilææ *utrumque convivio excepit; tabernaculo in medio fluminis magno ſumptu erecto. Nec multò poſt Artabanus, Tiberio filium ſuum Darium obſidem miſit cum multis muneribus. Ita Vitellius Antiochiam gloriosus, Artabanus Babylonem rediêre. Tum Herodes Tetrarcha volens primus id nunciare Cæſari, omnibus accuratè perſcriptis, ac per nuntios miſſis, Legato Conſulari nihil ultrà ſignificandum reliquit. adeo ut ſupervenientibus Vitellii literis, reſcripſerit Tiberius, omnia jam antè ex Herodis nuntiis eſſe comperta. Unde Vitellius offenſus, iram tamen occuluit, donec ad Caligulam tranſiret Imperium.*

Judæis favet.

Artabanum Parthum ad pacem flectit.

Herodes in Aretam bellum gerit,

5. Anno proximo, Tiberii 22. Iuliano 81. à Chriſti Paſſione ſexto, eumdem Herodem inter, & Aretam Petræ Regem bellum ortum eſt. Hujus filiam Herodes jam antè diu uxorem habuerat. Romam fortè iter habens, Herodiadem Agrippæ magni ſororem, fratris ſui conjugem, ejus amore captus, Aretæ filiæ ſuperinduxerat. Bellum igitur Aretam inter & Herodem filiæ ſuæ deſertorem ortum, & per legatos geſtum eſt. commiſſoque prælio Herodis exercitus internecione periit. Id Herodes per literas Tiberio ſignificat. Commotior inde Tiberius Vitellio ſcribit, ut Aretam aut victum capiat & abducat, aut occiſi caput ad ſe mittat. Apud Iudæos fuit opinio, juſtâ numinis ultione deletum Herodis exercitum; propter Ioannem Baptiſtam, quem virum optimum & innocentem ille ante annos octo capite truncaverat; & cetera, quæ apud Ioſephum ipſum vide.

& ſuccumbit.

ob cæſum Joannem Baptiſtam. ex Ioſepho.

6. Anno Iuliano 82. A Chriſti Paſſione 6. & 7. Tiberii 23. & ſupremo, Vitellius Syriæ Præſes Tiberii de Areta mandatum executurus, Antiochiâ Ptolemaidem cum exercitu venit, properans verſus Petram. Quem cùm vellet per Iudæam ducere, Iudæorum precibus flexus, per Magnum Campum iter habere juſſit. Ipſe cum Herode Tetrarchâ & amicis aſcendit Hieroſolymam, in publica Paſchatis feſtivitate tum inſtante Deo ſacrificaturus. Ubi honore ſummo exceptus, hæſit triduo; quo à Ionatha in fratrem ejus Theophilum Pontificatum tranſtulit. Quarta die, acceptis de obitu Tiberii literis, populum in Caligulæ fidem Sacramento adegit. Exercitum in hiberna amiſit. Antiochiam ipſe redivit. *Agrippa autem Ariſtobuli filius,* Herodis infanticidæ nepos, *ante annum unum Romam venerat, ut propter negotia quædam Cæſarem*

Tiberii mors; & ob eam Vitellii è Judæâ Antiochiam reditus.

conveni-

conveniret. vel ut idem Ioſephus Excidii lib. 2. c. 8. Tetrarcham Herodem patruum ſuum accuſaret. ſeu à Vitellio impulſus, ſeu ab eo malè antehac habitus. Romæ tamen ab Eutyche liberto accuſatus, in carcerem à Tiberio ipſe conjectus eſt, & ſex totos menſes ibi detentus, donec Caius Caligula amicus ejus imperium adeptus, eum ſolveret. De quo jam dicendum, tanto libentius, quanto bis ille in Belgium noſtrum expeditionem ſuſcepit, tametſi ne toto quidem quadriennio imperaverit.

Ioſeph. l. 18. c. 8.

CAPUT X.

C. Cæſaris Caligulæ Imperium, & in Germaniam Galliámque expeditiones mimicæ.

Tiberii ſucceſſor Caligula.

Tac. Ann. 1. c. 41.

1. TIBERIUM excepit pronepos ex fratre Druſo Caius Caligula ab 16. Martii, anni Iuliani 82. ad finem Ianuarii anni 86. bellua magis quàm homo, in exitium generis humani, quantumvis bono patre Germanico, natus. Belgicæ etiam noſtræ, ſi Tacito tanto Scriptori fides, opprobrium. *Infans* (ait illè) *in caſtris* ad Rhenum *genitus, in contubernio Legionum* (Germanicarum) *eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant: quia plerumque ad concilianda vulgi* (militaris) *ſtudia eo tegmine pedem induebatur.* Etiam ante Tacitum Plinius in Germanicâ hiſtoriâ, *apud Treviros, vico Ambiatino ſupra Confluentes, ortum* tenet, ut & Sextus Victor uterque, & Athenæus: ſolo Suetonio repugnante, quem Lipſius in Tacitum non malè refellit. Hic Imperium nactus duobus annis prioribus, nihil quod ad Belgium quidem attinet; duobus aliis poſterioribus, non pauca geſſit, tametſi mimica & ridicula. Inter nova alia & inaudita ſpectaculorum genera, etiam Pontem ſupra mare, Baias inter ac Puteolos, trium millium & ſexcentorū ferè paſſuum intervallo conjunxit; ſeu Xerxis imitatione: ſeu (quod alii malunt) *ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immenſi operis famâ territaret.* Quod ſi eſt, jam inde ab ipſis Imperii ſui fere primordiis expeditionis iſtius conſilia agitaverit. Natalis ſoli ſui ſcilicet, & paternarum avitarumque in eo expeditionum nunquam immemor.

2. Tertia igitur Imperii ſui æſtate, anno U. C. 792. Juliano 84. à Chriſti Paſſione nono, *cùm ad viſendum nemus fluménque Clitumni, Mevaniam* Umbriæ & Spoletani territorii oppidum *proceſſiſſet* (ait Suetonius c. 43.) *admonitus de ſupplendo numero Batavorum, quos circa ſe* (ceu corporis cuſtodes) *habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit; neque distulit. ſed legionibus & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbiſſimè actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum nunquam alius, iter ingreſſus eſt.* Suet. Addit Dio, *in Galliam abiens: obtentu quidem Germanici belli, quod is populus aliquid novi motûs dediſſet: revera ipſe in animo habens, Gallias quoque florentes opibus & Hiſpaniam expilare. Abitum ſuum non palam prius oſtendit: ſed in ſuburbium* (credo Romæ) *progreſſus, inde ſubitò diſceſſit: abductis ſecum multis ſaltatoribus, gladiatoribus, equis, mulieribus, & reliquo luxus famulitio. In Galliam cùm veniſſet* (ex Dione jam & ex Suet. iterum) & *caſtra attigiſſet, ut ſe acrem & ſeverum Ducem oſtenderet, Legatos qui auxilia ſeriùs ex diverſis locis adduxerant, cum ignominiâ dimiſit. At in exercitu recenſendo, pleriſque Centurionum maturis jam, & nonnullis ante pauciſſimos, quàm conſummaturi eſſent, dies, primos pilos ademit, cauſſatus ſenium cujúſque & imbecillitatem. Ceterorum increpitâ cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad ſex millium ſummam reſcidit.* Suet. cap. 44.

Qui in Bataviâ movet.

inſtani apparatu.

Galbâ jam Lentulo Gætulico in Germaniâ Superiore ſuffecto.

Suet. Galb. cap. 6.

3. Antequàm vero Româ Caius ad hanc expeditionem ſe moveret, Alpésve tranſcendiſſet, Sergium Galbam poſtea Imperatorem, tum Conſularem, Superiori cis Rhenum Germaniæ in Belgicâ noſtrâ Legatum præfecerat, C. Lentulo Gætulico, qui eam per decennium comiter adminiſtraverat, ſucceſſorem. Hic ergo *veteranum ac tironem militem opere aſſiduo corroborabat. maturéque Barbaris* (tranſrhenanis) *qui jam in Galliam uſque proruperant, coercitis; præſenti quoque Caio* (Caligulæ qui tum primùm advenerat) *talem ſe & exercitum* (legionum quatuor ſcilicet, in ea provinciâ excubantium) *approbavit* (circa Moguntiam credo provinciæ caput) *ut inter innumeras contractáſque ex omnibus provinciis copias* (ſupra ducenta militum millia recenſet Dio l. 59.) *neque teſtimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent. Ipſe maximè inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris, per viginti paſſuum millia cucurrit.* Verba ſunt Suetonii, Galba, c. 6. & Tacitus lib. 1. hiſt. cap. 49. ſcribit, Galbā dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruiſſe. Unde intelligimus Caium in eam primo Germaniam adveniſſe, ibi primam copiarum militarium tranſvectionem recenſionemque inſtituiſſe.

Eutr. l. 7. Sueviam ingreditur.

4. Inde etiam *Sueviam* (addit Eutropius Rheno primùm trajecto) *ingreſſus nihil ſtrenuè geſſit.* imò panico terrore correptus cis Rhenum per pontes ſubitò refugit. ut ex Suetonio reddam. Inde ergo rurſum, ad Rheni inferiora progreſſus, ad Oceanum uſque Batavicum deſcendit, nempe *cuſtodum corporis ſui Batavorum numerum* (ut jam ante monuit Suetonius) *ſuppleturus*, ſimul patrii ſoli conſpectu poſtliminiò fruiturus. *In Suevia* igitur primùm *nihil ſtrenuè geſſit*, juxta Eutropium. ſed neque per totum Rhenum, quacumque demum aliâ parte illum trajecerit; *hoſtium terram* (addit Dio lib. 59.) *nullo maleficio infeſtans: ultra tranſitum à ſe Rhenum parum progreſſus. Mox inde reverſus; tum quaſi in Britanniam iturus, motis caſtris ad ipſum denique Oceanum pervenit.* credo in Batavos, quorum numerum circa ſe ſupplere intendebat. Certè eos adiiſſe tradit diſertè Tacitus lib. hiſt. 4. cap. 15. *Erat*, inquit, *in Caninefatibus* (*quæ gens partem Inſulæ Batavicæ colit, origine, linguâ, virtute par Batavis*) *ſtolida audacia Brinio* (an Bruno?) *claritate natalium inſignis. Pater ejus multa hoſtilia auſus, Caianarum expeditionum ludibrium impunè ſpreverat. Igitur ipſo rebellis familiæ nomine placuit, &c.* En Pater Brinionis *Caio rebellis, & expeditionum ejus ludibrium impunè ſpernens, multa licèt hoſtilia auſus.* ut nihil mirum ſit, ſi (quod ait hic Dio) *Caius ſtatim motis caſtris ab ipſo Oceano redierit: iratus etiam legatis ſi quid rei geſſiſſent.*

In Bataviâ ad ipſum Oceanum venit.

A Brinione Caninefate ſpernitur.

5. Ceterum Caianarum iſtarum expeditionum

ludibria

Ob ridiculas expeditiones.

ludibria ad Rhenum quæ fuerint, juvat hic in unum congerere. Suetonius Caio cap. 51. *Adverſus Barbaros quoque minaciſſimus, cùm trans Rhenum inter anguſtias, denſumq; agmen, iter eſſedo faceret, dicente quodam, Non mediocrem fore conſternationem, ſicunde hoſtis appareat; equum illico conſcendit. ac properè verſus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis ſtipatos reperit; impatiens moræ per manus, ac ſuper capita hominum tranſlatus eſt. Mox etiam auditâ rebellione Germaniæ, fugam & ſubſidia fugæ, claſſes apparabat; uno ſolatio acquieſcens, transmarinas certè ſibi ſuperfuturas provincias, ſi victores Alpium juga ut Cimbri, vel etiam Vrbem* (Romam *ut Senones quondam occuparent*. Fugam iſtam per Rheni pontes & ſuper capita hominum, puto ego è Suevia & ad Moguntiam ferè contigiſſe.

Planeque Mimicas ad Rhenum inferiorem.

6. At quæ capite 45. narrat Suetonius, ad Rheni inferiora, Bataviæ haud procul, accidiſſe credo. *Mox* (inquit) *deficiente belli materiâ* (nam Brinio tantus non erat) *paucos de corporis ſui cuſtodiâ Germanos trajici, occulíq; trans Rhenum juſſit, ac ſibi poſt prandium quàm tumultuoſiſſimè, adeſſe hoſtem nunciari. Quo facto proripuit ſe cum amicis, & parte equitum Prætorianorum in proximam ſylvam: truncatiſq; arboribus, & in modum tropæorum adornatis, ad lumina reverſus, eorum quidem qui ſecuti non eſſent, timiditatem & ignaviam corripuit: comites autem & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit. quas diſtinctas Solis & Lunæ ſiderumq; ſpecie, exploratorias appellavit. Rurſus obſides quoſdam abductos è literario ludo, clamq; præmiſſos, deſerto repente convivio, cum equitatu inſecutus, veluti profugos ac reprehenſos, in catenis reduxit. in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cœna, renunciantes coactũ agmen, ſicut erant, loricatos ad diſcumbendum adhortatus eſt. Monuit etiam notiſſimo Virgilii verſu, Durarent, ſecundiſq; ſe rebus ſervarent. Atque inter hæc abſentem Senatum populúmque graviſſimo objurgavit edicto, quod Cæſare præliante, & tantis diſcriminibus objecto, intempeſtiva convivia, Circum, Theatra, & amœnos ſeceſſus celebrarent.* Hæc omnia Suetonius. Quibus & iſta Dionis componenda puto: *Paucos quidem hoſtium, in fraudem inductos aliquando ceperat; ſuorum magnam partem perdiderat: alios ſingulatim obtruncans, alios toto agmine trucidans. Videns enim aliquando turbam, ſeu captivorum, ſeu aliorum quorumdam, tritum illud juſſit, A calvo ad calvum uſque, omnes occide.* Quis mimos iſtos & ludibria in Imperatore non rideret?

Adminium Britannum in deditionem accipit.

7. Sed pergat Suetonius capite 44. *Nihil autem amplius, quam Adminio Cinobellini Britannorum Regis filio, qui pulſus à patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto; quaſi univerſa tradita Inſula, magnificas Romam literas miſit: monitis ſpeculatoribus ut vehiculo ad forum uſque & Curiam perſenderent; nec niſi in Æde Martis, ac frequente Senatu Conſulibus traderent. Mox deficiente belli materia.* Suet.] Jam Dio: *motis caſtris ab ipſo Oceano rediit* (Lugdunum verſus) *iratus etiam Legatis, ſi quid rei geſſiſſent. At Provinciales, fœderatos, civéſque mirum in modum afflixit. Horum alios, quod Locupletes eſſent; quacumque excogitata cauſa, pecuniis ſpoliabat. cùm dona eis tamen à privatis ac civitatibus ultrò maxima ferrentur. Alios novarum rerum aut inſidiarum ſibi paratarum inſimulatos necabat. Erátque omnibus iis commune crimen divitiæ,* &c. Mox: *Nihil tamen inde adquirebat; ſed cùm in alia de more abſumebat, Lugduni quoque, nonnullis*

Lugdunum ad Rhodanum redit.

editis ſpectaculis; cum verò in exercitus. Militum quippe ducenta, aut ut alii aſſerunt, ducenta 50. millia collegerat. a quibus ſeptimum Imperator appellatus eſt: cum neque unquam collatis ſignis viciſſet; neque omnino quemquam ex hoſtibus occidiſſet, &c.

Gallos mirè affligit & ſpoliat.

8. *Aleam aliquando ludens, auditoq; deeſſe pecuniam, Gallorum Cenſus indices popoſcit. juſſiſque ex iis locupletiſſimos necari, ad colluſores reverſus, ipſos ob paucos ludere denarios dixit: Se jam ad ſexies millies ſeſtertium coëgiſſe.* Colligat Lector quæ tum & Belgii noſtri, & Galliæ totius manârit ab helluone iſto deprædatio. quæ item à tanto ejus exercitu depopulatio, quem, per Belgas ſpeciatim noſtros, tanta diſciplinæ ſolutione ionies duxit reduxitúe. Subdit Dio: *Et hi quidem* quos jam dixi *nullâ de causâ necati ſunt. reliquos referre non eſt operæ pretium; illos dicam, quorum mentionem requirit hiſtoria.*

Lentulum ac Lepidũ occidit.

9. *Lentulum Getulicum, cùm aliis rebus illuſtrem, tum adminiſtratâ per decennium Germaniâ* (ſaltem ſuperiore, ut ſuprà capite octavo dixi) *occidi Caius juſſit, quod militum benevolentiam ſibi paraſſet.* Prius ſcilicet quàm in Gallias adveniret, eum Præfecturâ exuerat; Galbâ ei, ut monui, ſuffecto. Nunc Lugdunum à primâ hac Rhenanâ & Batavicâ expeditione redux, perimi voluit. *Lepidum item eum, cum quo mutui ſtupri conſuetudinem habuerat, Druſillæ maritum; qui cum ceteris etiam Caii ſororibus, Agrippina ac Livilla, rem unà cum Caio habuerat; quem principatus ſui ſucceſſorem relicturum ſe promiſerat, interfecit; ac militibus donativum ideo dedit, quaſi hoſtibus victis. pugionéſque tres Romam Marti Vltori ſacrandos miſit. Tum vero ad Senatum ſcripſit, quaſi gravibus inſidiis elapſus. Senatores acceptis literis, cum alia nonnulla, tum ut Vrbem ovans Caius iniret, cenſuerunt. Legatos qui hæc nunciarent, ſorte ductos; Claudium verò patruum ſuffragiis delectum, miſerunt. Id Caius iniquè tulit; legatos quaſi ſui ſpeculaturos ſuſpectans; paucos admittens, reliquis diſcedere juſſis Claudium autem patruum ferè necaſſet niſi ob ſocordiam contempſiſſet.* Atque hæc omnia Lugduni geſta narrat Dio. anno U. C. 792. Juliano 84. à Chriſti Paſſione nono. Similia habet Suetonius, Claudio cap. 9. adjungens, *Non defuiſſe, qui traderent, Claudium patruum in flumen præcipitatum, ſicut veſtitus advenerat. Et tamen* (rurſus Dio) *alios mox Legatos majore numero remiſſos, lætus excepit. adeo difficile erat ei ſatisfacere.*

Lepidum Caius Cæſar juſſit Decio Tribuno præbere cervicem. *aut Seneca Epiſt.* 4.

Ludos varios Lugduni inſtituit.

10. Nec finis hîc eorum, quæ Lugduni geſſit. *Ludos*, ait in ejus vita Suetonius cap. 20. *in Galliâ Miſcellos Caius edidit: Sed & certamen quoque Græcæ Latinæq; facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contuliſſe; eorumdem & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguâve delere ſolitos; niſi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent.* Factum id ad Aram ab Auguſto à Gallis jam ante poſitam, ex Juvenalis Satyrâ primâ, verſ. 4. intelligimus, *Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Aram.* Niſi hæc ad ſequentẽ annũ attineant. Notat item Dio, Caio tum Lugduni adfuiſſe Agrippam Herodis Infanticidæ ex Mariamne nepotẽ; Ituræ & Thrachonitidis, imò & Galilææ Regem à Caio ipſo paulò ante dictum; Herode Tetrarchâ cum pellice Herodiade Lugdunum anno priore in exilium pulſo. Unde vehemens mihi ſuſpicio, tum quoque contigiſſe, quod Joſephus Excidii lib. 2. c. 8. finiente notat, Herodem iſtum

Lugduno, quò primùm relegatus erat, in Hiſpaniam fugiſſe, Agrippæ iſtius Caligulæ tam dilecti metu, ibique miſerè deceſſiſſe.

Annus U.C. 793. Julian. 85. à Paſſione 10.

11. ANNO ſequenti Juliano 85. U.C. 793. A Chriſti Paſſione nono exeunte, & decimo mox inituro, Caius adhuc Lugduni, tertium iniit Conſulatum ſolus, ait Suetonius cap. 17. (ut & Dio) quòd defunctum ſub Kalendarum diem Collegam reſciſſe abſens, non poterat. geſſitque in Idus Januarias dumtaxat, donec anni die duodecimâ (addit Dio) Romæ Caium abdicaſſe nunciatum eſt. Hyeme tranſactâ, *ad Oceanum profectus, tanquam, in Britanniam bellum tranſlaturus*, expeditionem contra eam movit. verſus Belgicam noſtram in extremos hominum Morinos, & quidem per Picardiam Arteſiamque noſtras hodiernas, ut è Portu Iccio in Britanniam Julii Cæſaris exemplo trajiceret. Cur enim aliam quàm Julii viam eligeret, quâ nullâ tum notior aut uſitatior? præſertim cùm qui Caium hunc in Imperio & Britannicâ hac expeditione excepit patruus ejus Claudius, ex eodem quoque portu ſolverit, ut ibi oſtendam. Sed & Oroſius, ex Tacito tum adhuc ſuperſtite, ut reor, idem aſſerit, libro 7. cap. 5. *Caim magno & incredibili apparatu profectus quærere hoſtem viribus otioſis, Germaniam* (anno priore, iſto autem) *Galliam percurrent, in orâ Oceani circa proſpectum Britanniæ reſtitit.* Igitur ad Iccium Cæſaris portum promontoriumque, quando ex Bataviâ, quam anno priore iniit, nullus eſt Britanniæ proſpectus; *Ibi* (pergit Oroſius) *Minocybellinum, Britannorum Regis filium, qui à patre pulſus cum paucis oberrabat, in deditionem recepit.* Quod idem Dio anno ſuperiore narrat, Oroſio ut puto, ex nimia breviatione confuſior. Mox *deficiente belli materiâ*, ſeu quia Minocybellinus Inſulâ ſe non movebat, ipſeque eò tranſmittere non audebat; ſeu pace cum illo quomodocumque pactâ; ſubitò, ut ſolebat, refrigeratus, novorum ſemper conſiliorum avidior.

Caligula ad Oceanum venit in Morinos. in Britanniam trajecturus. ex Oroſ.

Ex Iccio portu Cæſariano.

12. Cæterùm ne tanto apparatu nihil egiſſe videretur, ſtolidiùs expeditionem claudere inſtituit. *Poſtremò, quaſi bellum perpetraturus*, ait Suetonius Calig. cap. 46. *directâ acie in litore Oceani, ac baliſtis machiniſque diſpoſitis, nemine gnaro, ac opinante quidnam cœpturus eſſet; repentè ut conchas legerent, galeáſque & ſinus replerent, imperavit: ſpolia Oceani vocans, Capitolio Palatióque debita. Et in indicium victoriæ, altiſſimam turrim ædificavit. ex quâ, ut ex Pharo* (turre Alexandrinâ) *noctibus ad regendos navium curſus, ignes emicarent. Pronuntiatoq́; militi donativo, centenis viritim denariis; quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus, Abite, inquit, læti, abite locupletes.* Nec plura, de hoc mimo Suetonius, aliúſve.

Caligulæ ſtolidus ad pugnam apparatus.

13. Extat adhuc ad Bononiam noſtram in litore Morinorum ea Turris; incolis hodie dicta, *La Tour d'ordre.* bis aut ter à me annis Chriſti 1616. & 1624. cum ſtupore viſa, diſcuſſáque. Opus cum aliis ejus generis in Belgio noſtro Galliiſque comparatum, planè Romanum, vetuſtate mirandum. Quod non ſolum probant oculi ſenſúſque noſtri; ſed & Eginhardus Vitæ Caroli Magni Annaliúmque Scriptor; cùm de eodem Carolo ad annum Chriſti 811. ita loquitur: *Carolus ipſe propter claſſem, quam anno ſuperiore imperaverat, videndam, ad BONONIAM Gallicam civitatem maritimam acceſſit. PHARVMQVE ibi ad navigantium curſus dirigendos antiquitus* (nota) *conſtitutam reſtauravit; & in ſummitate ejus nocturnum ignem accendit.* Vides ipſa penè Suetonii verba: cumque addit *antiquitus*, hoc ipſum Caligulæ deſignat ævum. Jam enim ea Turris, ab hoc Chriſti anno vulgari ſeu Dionyſiano 40. à Paſſione decimo, ad annum Chriſti 811. per annos omnino 771. perſtiterat. Unde nihil mirum, ſi (quod ſubdit Aimoinus lib. 4. cap. 99.) faſtigium ejus vetuſtate dejectum, Carolus Imperator tanto pòſt tempore reſtaurarit.

Turrim inſtar Phari ad Bononiam erigit, adhuc hodie ſuperſtitem.

quam Carolus Magnus poſtea reparavit.

Qualis ea Turris?

14. Ego quoque Turris iſtius ſummitatem adhuc hodiernam, diverſæ ab iis, quæ ſubjacent, manûs & operæ animadverti. Inferiora certè, quà lapidum genere, quà cæmento & ſtructurâ longè firmiora. Longis inſuper ac grandibus intra parietum ſaxa lateribus terreis atque coctilibus, opere Romano inſertis colligata. Prorſus ut non minimam quàm Caligulæ ætatem præferre videatur. Eſt octangula; ſingulaque latera 24. aut 25. pedum mihi viſa; ut totus illius ad ſolum circuitus pedum ſimul 192. aut ſi forte ducentorum ſit; prout menſura pedis extendi ſtringíve poteſt. Paulatim deſiuit in acumen pyramidíſque ſimilitudinem. Medioque ferè altitudinis, quaternis dumtaxat lateribus, feneſtras habet. Quæ omnia an Ægyptiæ quoque Pharo infuerint, examinare poterit cupidus Lector. Satis etiamnum eminet. in eminentiore tamen, cui ſuperimponitur, litore. Monimentum cis Alpes credo vetuſtiſſimum juxta & pulcherrimum.

15. Atque ex his patet non ad Rheni oſtium arcemque Britannicam hæc geſta, ut in ſuâ Batavia ſciſcere videtur Hadrianus Junius cap. 10. Neque enim ullus inde Britanniæ proſpectus eſt, ut vult Oroſius à nobis paulo antè citatus lib. 7. cap. 5. Neque ulla ibi fuit Turris altiſſima, Phari inſtar à Carolo Magno Imp. in ſummitate reſtaurata. Neque demum Arx iſta Batavica, ad *Bononiam civitatem Gallicam* eſt, aut eſſe potuit unquam, ut Francorum tradunt omnes penè ætatis iſtius Scriptores.

Caligula Triumphū parat adhuc ſtolidiore.

16. Sed pergat idem Suetonius, Calig. cap. 47. *Converſus hinc ad curam Triumphi, præter captivos & & transfugas, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, & ut ipſe dicebat* Ἀξιοθριάμβευτον, *ſeu Triumpho dignum; ac nonnullos ex Principibus legit, ac ſepoſuit ad pompam. coegitq́; non tantum rutilare & ſubmittere comam, ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre! Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum, magnâ ex parte itinere terreſtri, Romam devehi. Scripſit & Procuratoribus, Triumphum appararent quàm minimâ ſummâ; ſed quantus nunquam alius fuiſſet, quando in omnium hominum bona jus haberent.* De mimico iſto Triumpho ita ridet Perſius Satyra 6.

—— Miſſa eſt à Cæſare Laurus,
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis. & jam poſtibus arma,
Jam chlamydes Regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedáque, ingentéſque locat Cæſonia (Caii uxor)
Rhenos.

Legiones Rhenanas vult occidere.

17. Rurſum Suetonius cap. 48. *Priuſquam Provinciâ* Belgicâ *decederet, conſilium init nefandæ atrocitatis: Legiones quæ poſt exceſſum Auguſti ſeditionem* ad Rhenum in Germaniâ maximè Inferiore olim moverant (de qua nos ſupra libro tertio cap. 4.) *contrucidandi. quòd & patrem ſuum Germanicum Ducem, & ſe infantem tunc obſediſſent. Vixq́; à tam præ-*

cipiti cogitatione revocatus, inhiberi ullo potuit modo, quin decimare velle perſeveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depoſitis, equitatu armato circumſedit. Sed cum videret ſuſpectâ re, pleroſque relabi ad reſumenda, ſi qua vis fieret, arma; profugit concione: confeſtimq́, Vrbem petiit. Atque omiſſo vel dilato triumpho, *Ovans urbem natali ſuo ingreſſus eſt*, pridie Kal. Septembres. *intraq́, quartum* (lego *quintum*) *menſem periit: Januario finiente; anno proximè ſecuto, Iuliano 86. ingentia facinora auſum, & aliquanto majora molients.* Quare auctore maximè *Caſſio Charea, Tribuno cohortis prætoriæ, in Palatio confoſſus eſt. Germani corporis ejus cuſtodes accurrerunt* ut defenderent; *ac nonnullos ex percuſſoribus, quoſdam etiam Senatores innoxios interemerunt.* Suet. Joſephus Iudæus cædem illius omnium fuſiſſimè deſcribit. Vixit annis 28. menſibus 4. diebus 30. Imperavit triennio, menſibus decem, diebus 14. Quàm diverſus à patre Germanico, avo Druſo, judicet Lector.

Romam redit, & à ſuis ipſe perimitur.

18. Quem hic velut in tranſitu moneo, *Imperii hujus* C. Caligulæ anno primo, *Ioſephum* Judæorum hiſtoricum in lucem editum. ipſomet in Vitâ ſuâ teſte: *Mihi*, inquit, *genus eſt ex Sacerdotum genere, &* quidem *ex vice prima* (nempe *Ioiarib*) *inter 24. illas; quas inter non mediocre diſcrimen eſt. Quin & ad Regium genus per matrem pertineo. Aſamonæorum* inquam *familiam, quæ diu Regnum ſimul & Sacerdotium in gente noſtra obtinuit. Atavus mihi fuit Simon Pſellus cognomine; quo tempore Hyrcanus primus, Simonis Pontificis* (de quo libro 2. Machabæorum) *filius ſummum Sacerdotium tenuit. Is novem filios habuit, & in his Matthiam Aphlia* (Græcè ἠφλίας) *cognomine. Hic ex Jonatha Summi Pontificis filiâ, Matthiam Curtum ſuſcepit, primo anno Hyrcani Principis. Ex eo Ioſephus genitus eſt, Regni Alexandræ nono. Qui Matthiam genuit, annum decimum regnante Archelao.* id eſt, anno Chriſti vero quidem undecimo, Dionyſiano autem ſeptimo. *Is porro me genuit, Imperii Caii Cæſaris* (Caligulæ) *anno primo.* qui eſt Chriſti verus 41. Dionyſianus 37. à Paſſione ſextus definens, ſeptimus iniens. En Joſephi noſtri genus ſanè perilluſtre, maxime ex Abania, Jonathæ ſummi Pontificis (qui Simonis & Judæ Machabæi frater fuit) filiâ. Tanti viri fidem hiſtoricam quis temerè ſpernat? quis mendacii ſtatim arguat, quia cum aliis ſacris profaniſve conciliare neqoit? Nos ſuprà facilè conciliavimus. Livius eſt planè Judaicus, annis poſt Livii Romani mortem nonniſi viginti natus; ante Cornelium Tacitum vix ſeptemdecim: ei ad annos minimum 50. coævus. Quis noſtrûm ſine errore ſcribit? Sed errores quoque ipſi verorum plurium interventu penſantur.

Joſephi hiſtorici Nativitas, & genus.

CAPUT XI.

Claudii Imperatoris ſucceſſio & primæ res geſtæ, in Britannia præſertim, & Germaniâ Inferiore.

Annis Chriſti veris 45. 46. 47. &c.
A Paſſione 11. 12. uſque ad 17.

1. CAio Cæſare Caligulâ cæſo, biduum totum de ſucceſſore hæſitavit Roma. *Conſules cum Senatu & cohortibus urbanis forum Capitoliumq́, occupârunt, aſſerentes communem libertatem.* ait Suetonius Claudio cap. 10. *Verum poſtero die* (Kalendis Februarii) *Senatu ſegniore in exequendis conatibus, per tædium ac diſſenſionem diverſa cenſentium, & multitudine quæ circumſtabat, unum Rectorem jam, & nominatim expoſcente; armati pro concione in Claudii nomen juravere.* & conſenſit Senatus.

Claudius Caligulæ nepoti ſuffectus.

2. In Provinciis autem vix ulli motus. Erat *Galba* (ut priore dictum capite) Germaniæ Superiori cis Rhenum impoſitus. Hunc *multi cum ad occaſionem* Imperii arripiendi *ſtimularent* (ait in Galba cap. 7. Suetonius) *quietem prætulit. Per hoc gratiſſimus Claudio, receptusq́, in cohortem amicorum, tantæ dignationis eſt habitus; ut cùm ſubita ei valetudo, nec adeò gravis, incidiſſet, dilatus ſit expeditionis Britannicæ* (à Claudio poſt biennium ſuſceptæ) *dies.* Nec dubito, quin ejus exemplo Inferioris Germaniæ Legatus, quiſquis tum fuerit, pacem tenuerit. *Agrippa* Iudæo, qui à Caligulâ Philippi patrui Tetrarchiam acceperat, Judææ Samariæque regnum adjecit, *quod ſe in accipiendo Principatu adjuviſſet; honores Conſulares tribuit; fratrique ejus Herodi Prætoriam dignitatem & principatum quemdam conceſſit; eos in Senatum ingredi, ac gratias ipſis Græcè agi mandavit. Ita Claudii erant actiones, ab omnibus laudatæ*, ait Dio lib. 60. Eo honore Agrippa ornatus, *magnâ celeritate*, in Iudæam reverſus eſt. Ita ut in Paſchate proximo circa initium Aprilis, Jacobum, fratrem Joannis, gladio occiderit. Idem Petro facturus, ni Deus eum liberaſſet: de quo infrà.

Galba ad Imperium concitatus, non ſe movet.

3. *Eodem anno* pergit Dio libro 60. (Claudii nempe primo, U. C. 794. Juliano 86. Chriſti vero 45. Dionyſiano ſeu vulgari 41. à Paſſione undecimo) *Sulpitius Galba Chattos vicit*, Superiori Germaniæ nimirum Provinciæ ſuæ trans Rhenum oppoſitos; *ut & P. Gabinius* Inferioris Legatus *Cauchos*; non (ut mendosè textus præfert) Mauruſios. *Qui inter alia quæ laudi ipſi fuerunt, militarem Aquilam, quæ ſola è clade Variana ſupererat, recuperavit. Quibus utriſque rerum Imperatoris nomen Claudio partum.* Dio. Quam in rem aptè ad Dionem Suetonius Claud. cap. 24. *Gabinio Secundo Cauchis gente Germanicâ ſuperatis, Chauci cognomen uſurpare conceſſit.* Anno Claudii ſecundo Petrum Apoſtolorum Principem in Urbem veniſſe, communis opinio eſt. Id ego poſt geſta Claudii commodiùs exequar.

4. Anno ejuſdem tertio; U. C. 796. Juliano 88. A Paſſione tertio-decimo expeditionem in Britanniam ſuſcepit. Nam *cum decreta ſibi ab Senatu ornamenta triumphalia, leviorem majeſtati principali titulum arbitraretur, velletque juſti Triumphi decus; unde acquireret, Britanniam potiſſimum elegit; neque tentatam ulli poſt Divum Julium; & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas.* De quo ita fuſiùs Tacitus in Agricolâ: *Primus Romanorum omnium D. Julius cum exercitu Britanniam ingreſſus, quanquam proſperâ pugnâ terruerit incolas, ac litore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe. Mox bella civilia, & in Remp. verſa Principum arma; ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. Conſilium id D. Auguſtus vocabat; Tiberius præceptum. Agitaſſe Caium Cæſarem* Caligulam *de intrandâ Britanniâ ſatis conſtat.* & nos capite ſuperiore vidimus. *Ni velox ingenio, mobilis pœnitentiâ, & ingentes adverſus Germaniam conatus fruſtra fuiſſent. Divus Claudius auctor operis.* hoc ipſo demum anno. *Conſularium primus Aulus*

Annus U. C. 796. Julian. 88. A Paſſione 13.

Claudii prima in Britanniam expeditio: per Plautiũ cœpta.

Plautius

Plautius præpoſitus. Ita Tacitus. Expliect Dio l. 60. *A. Plautius Senator, vir clariſſimus, in Britanniam exercitum* Claudii juſſu *duxit: Berico, qui per ſeditionem Inſulâ exturbatus fuerat, ita perſuadente. Plautius tum Prætor* (*Conſularem Legatum* vocat Suetonius) *exercitum è Gallia* (maxime Belgicâ, quia ibi Rhenanæ legiones) *difficulter abduxit; indignè ferentem, quod extra terrarum Orbem bellum gerendum eſſet; multumque temporis cunctando extrahentem. At ubi Narciſſus à Claudio*, cujus libertus erat, *miſſus, tribunal Plautii conſcendere, & exercitum alloqui inſtituit; tum majori indignatione milites accenſi, confeſtim tritum illud conclamarunt, Io Saturnalia* (*mos enim eſt Saturnalibus, ut ad feſtum Dominorum habitu ſervi celebrent*) *Statimque volentes Plautium ſecuti ſunt.*

Plautius in Britanniam è Belgico litore trajecto.

5. *Plautius copiis in tres partes diſtractis, ne uno loco appellentes prohiberi litore poſſent, retroacti a vento in tranſmiſſione nonnihil moleſtiæ ſenſerunt. Animo tamen recepto; quia fax ab ortu Solis ad Occidentem, quâ navigabant, diſcurriſſet, Inſulam advecti ſunt, nemine prohibente. Britanni enim, cum ob ea quæ narrant* (de vento contrario credo) *eos non adventuros credidiſſent, non convenerant.* Quod quantum diſpicio, ſic intelligendum: Plautius exercitum Rhenanis è legionibus maximè in Britanniam è Belgica verſus Occidentem abducebat; eum in tres partes diſtrahendo hoſti diviſerat. primam partem è Batavis, ſecundam è Menapiis juxta Brugas utramque in occaſum; tertiam è Morinis & Iccio Cæſaris portu occidentem inter ac Boream ſolvere juſſerat. Ita à vento Occidentali maximè in ortum retroactus, facis rurſum ab ortu in Occidentem diſcurrentis ſigno recreatus; indeque priore curſu repetito, Britannis jam à litorum cuſtodia digreſſis, eoque *nemine prohibente in Britanniam tandem advectus eſt.* Britanni ergo *qui Romanos à vento retroactos ultrà venturos non crediderant, eoq; ad litora redire congrediq; tam ſubitò non poterant; in paludes ſe ac ſylvas abdiderunt: ſpe Romanos morâ extrahendi, ſicut Iulio Cæſari acciderat*, ait Dio. & deinceps pergit.

Britannos fugat Plautius.

6. *Proinde Plautius iis indagandis multum laboris exhauſit. Poſtquàm invenit* (*erant autem non liberi, ſed Regibus diverſis ſubditi*) *primò Cataratacum, dein Togodumnum, Cynobellini filios vicit; patre jam antè mortuo. Quibus fugientibus, partem Bodunnorum in fidem accepit, qui Catuellanis parebant. præſidioq; ibi relicto, ad fluvium quemdam progreſſus eſt. Quem quia ſine ponte non poſſe à Romanis tranſiri Barbari credebant, ſocordius in alterâ ejus parte caſtra habebant. Igitur Plautius Germanos miſit, ſolitos etiam rapidiſſima flumina facile in armis tranare.* Germanos inferiores hic intelligit, fluminum accolas, & maximè Batavos. *Hi hoſtem inopinantem invadentes, neminem quidem virum ſauciarunt; ſed equos qui currus trahebant vulnerarunt; quibus turbatis ne ſeſſores quidem conſtare valebant. Tum Flavium Veſpaſianum,*

Juvante Veſpaſiano.

qui ſummo poſt Imperio potitus eſt, hujuſque fratrem Sabinum Legatum miſit. qui ipſi etiam trajecto amne permultos Barbaros improviſò interfecerunt. Hactenus Dio. De Veſpaſiano autem ita Suetonius in ejus Vita cap. 9. *Claudio Principe Narciſſi gratiâ legatus legionis in Germaniam* Ciſrhenanam ſeu Belgicam, *miſſus eſt. Inde in Britanniam translatus, tricies cum hoſte conflixit. Duas validiſſimas gentes, ſuper 20. oppida, & inſulam Vectam Britanniæ proximam in ditionem redegit: partim Auli Plautii conſularis Legati, partim Claudii ipſius ductu. quare & triumphalia ornamenta accepit.* ſed hæc poſtea.

Britanni rurſum victi.

7. Jam pergit Dio: *Neque verò Britanni reliqui, à Veſpaſiano licèt victi, fugæ ſe dederunt; ſed poſtero die prælium incertâ victoriâ conſeruerunt. donec C. Sidius Geta, quum ferme in hoſtium poteſtatem veniſſet, ita eos vicit, ut ei propterea honores triumphales, quanquam Conſul non fuiſſet, dati ſint. Inde ſe Barbari ad fluvium Tameſin, quâ is in Oceanum ſe exonerat, eóque affluente ſtagnat, receperunt, eumq; tranſierunt, locorum quâ firma & pervia eſſent, gnari. Eos Romani inſequentes, periclitati ſunt. mox tum Germani iterum tranaviſſent, ac ſuperiore loco per pontem quidam tranſgreſſi eſſent; undique Barbaris circumfuſi, magnam ſtragem ediderunt. reliquos verò inconſultiùs inſecuti, in paludes invias inciderunt; multoſque ſuorum amiſerunt.*

Plautius Claudium in Britanniâ accerſit.

8. *His de cauſis, & quia Togodumnus interitu non modo nihil remiſerant Britanni; ſed acriùs ad vindicandam ejus cladem bellum parabant; veritus Plautius ultrà non proceſſit; ſed cuſtodiâ eorum quæ tenuiſſet poſitâ, Claudium accerſit. juſſus id facere, ſi quid violentius eveniret. erant enim ad eam expeditionem multa jam parata, tum elephanti contracti. Claudius accepto nuntio, res urbanas ac milites etiam Vitellio collegæ ſuo* (*nam ei Conſulatum itidem ut ſibi ad ſex menſes dederat*) *mandavit. Ipſe ab Urbe Oſtiam devectus eſt navigio, inde Maſſiliam.* Dio.

& ille per Gallias Geſſoriacum venit. indeque trajecit.

9. Suetonius Claudio cap. 17. *A Maſſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſit.* in Britanniam ſcilicet. *Geſſoriacum* autem Bononiam in Morinis eſſe, veteres pœnè omnes Scriptores affirmant. Panegyrici imprimis duo, unus Conſtantino Auguſto, alter Conſtantio Cæſari illius patri dicti. Tabula Itineraria Peutingeri, *Geſſoriacum*, ait, *nunc Bononia*. Mela lib. 2. cap. 2. *ultimi Gallicarum gentium Morini Portu, quem Geſſoriacum vocant, nihil habent notius.* Si nihil ibi Geſſoriaco Portu notius, ergo unum duntaxat, aut celeberrimum illum Morini habebant; quod & Plinius innuit lib. 4 cap. ult. Florus item lib. 1. cap. 11. Eutropius, Olympiodorus, Ammianus, agnoſcunt. Unde etiam Geſſoriacum non alium ego quàm *Iccium* Iulii Cæſaris portũ exiſtimo, quando ille unus tantum in Morinis & notiſſimus aſſeritur. & cur Claudius aut Caligula ſuprà, in Britanniam primi poſt Iulium cum exercitu tranſmiſſuri, alium à Cæſariano, nullo adhuc experimento cognitum, prætuliſſent? Cur ſupra Iulium ſapere voluiſſent?

Geſſoriacũ, Bononiam, & Iccium portum idem eſſe.

Scio Camdenũ portum Cæſaris *Iccium* pro *Witſandt* in eodem Morinorum litore accipere. non abludente admodum vocabulo. Verùm *Witſandt* nemo Bononiam appellat, ſicuti de Geſſoriaco jam vidimus. Sed neque ullus ibi fluvius mari confunditur, qui tantum pro claſſibus integris Portum effeciſſe potuerit. Pro unâ alterâve nave aut paulo pluſculis ſicut in mediâ ætate, & Sancti Bonifacii, Theodori, Thomæ Cantuarienſis ævo, benè quidem. Hodie certè vix rivulus exilis Witſandium alluit, quem ipſe oculis accuratè luſtravi; nullo tanti portûs veſtigio argumentóve. Et vero totus ille Bononienſis ſeu (ut Plinius) *Geſſoriacus pagus* Oceano adſitus, *Witſandt* dici poteſt, ab arenâ albâ totam illam oram inſidente. *Wit* enim flandricè album, *ſand* ſabulum ſignificat. Quod duplex W Cæſar tum Latinè ſatis non exprimeret, poſtum ad Lianæ amnis oſtium ibi repertum, per ſim-

Plin. l. 4. c. 17. Totũ litus Bononienſe arenâ albâ prætextum.

plex I *Ieſan* ſeu Ictium IecIúmve expreſſit. Unde etiam Galli hodierni promontorium ad *Witſands* in Oceanum modicè procurrens, *Blancnez*, ſeu Naſum album aptè appellant. Denique antiquæ Romanorum omnes viæ militares etiamnum ſuperſtites, & à me ſæpiùs emenſæ, ſive Ambianis, ſive Atrebato Taruanáve ductæ, ad Bononiam non ad *Witſands* vertuntur. Dixi quidem ſuprà l. 1. cap. 5. §. 8. de *Cantu* fluminis oſtio Portúque dubitari poſſe. & Meyerus annal. Fland. lib. 13. Iccium portum ibi collocat. Sed ſi ex dictorum jam Scriptorum Romanorum ſententia, unus tantùm notus ſit in Morinis portus; ego quidem *Bononiam* omnibus prætulero.

Dio l. 60.

Claudius victor ſexto menſe Romam redit.

10. Claudius igitur Ictio ſeu Geſſoriaco, ſeu Bononiâ in Britanniam tranſmiſit. *Et ad copias* (rurſum Dio) *ſe ad Tameſin expectantes perrexit. Quibus ad ſe exceptis, flumen tranſgreſſus, cum Barbaris, qui ad ejus adventum convenerant, ſignis collatis, victoriâ potitus eſt. Mox etiam Camalodunum Cynobellini regiam* (hodie *Maldon* in Eſſexiâ) *cepit: multóſque inde vi, alios deditione in ſuam poteſtatem accepit. aſſumpto in partem curum Veſpaſiano: quod initium ventura mox fortunæ fuit. Domitæ gentes, capti Reges, & monſtratus fatis Veſpaſianus. Conſularium primus Aulus Plautius Britannis præpoſitus*, ait Tacitus in Agric.] *quibus etiam arma Claudius ademit*, pergit Dio; *reliquos Plautio ſubigendos dedit. Ipſe Romam contendit. Quibus Imperator ſæpius appellatus, Triumphum, Britannicique cognomen ſibi filioque meruit.* Dio. Paulò aliter Suetonius cap. 17. *Sine ullo prælio*, inquit, *aut ſanguine, intra paucìſſimos dies* (*ſedecim* ponit Dio) *parte Inſulæ in deditionem accepta, ſexto quam profectus erat menſe, Romam rediit*, anno ſequente: *triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus ſpectaculum commeare in Urbem non ſolum Præſidibus Provinciarum permiſit; verùm etiam exulibus quibuſdam. Atque inter hoſtilia ſpolia, navalem coronam faſtigio Palatinæ Domus juxta Civicam fixit; trajecti & quaſi domiti Oceani* Morinici *inſigne*, &c. Coronam *illam* navalem *auream novem pondo, inter ceteras, Gallia Comata* (ergo & Belgica) *contulerat.* ait Plinius lib. 33 cap. 3. *Senatus etiam inter alia Arcum triumphalem non tantùm Romæ, ſed & in Galliâ, unde in Britanniam tranſmiſerat decrevit.* addit Dio. nempe Geſſoriaci ſeu Bononiæ, aut non procul.

Plautius Britanniæ Proconſul per triennium.

11. Plautius Proconſul in eâ Provinciam Britanniam ultra triennium, poſt Claudii quoque diſceſſum, cum imperio & præſidiis obtinuit. ceteríque ſucceſſores; quos in Agricolæ vitâ compendio recenſet Tacitus. Ut jam deinceps BELGICA noſtra Romanis exercitibus non in Germaniam modò, ſed & in Britanniam via palæſtráque eſſe cœperit, vires, arma, militem ſubminiſtrarit. Unde ut multùm diſciplinæ militaris, ita detrimenti tanto itu reditúque non minus hauſerit. Ceterùm ipſo belli Britannici principio Sanquinium Maximum Germaniæ noſtræ Inferiori poſt Gabinium Chaucicum præfuiſſe, ibidemque fato functum, quæ ſequuntur indicant.

Sanquinius Germaniæ Infer. Præfectus.

Annus U. C. 800. ſæcularis. A Paſſione 17. Tac. ann. 11.

12. Anno quippe U. C. 800. quo Sæculares Ludos Romæ Claudius exhibuit ait Tacitus annali 11. & ceteri ſeptimo Imperii ſui anno, Chriſti vero 51 Dionyſiano vulgarique 47. Iuliano 92. *Chauci*, pergit Tacitus & Dio, Amiſiam inter & Albim ad mare ſiti, *nulla diſſenſione domi, & morte Sanquinii alacres; dum Corbulo* Sanquinii ſucceſſor *adventat, inferiorem Germaniam* Belgicam *incurſavere, duce Gannaſco. Qui natione Canineſas, auxiliaris & diu meritus, poſt transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maxime oram* (ergo Belgarum noſtratium) *vaſtabat. non ignarus dites & imbelles eſſe. At Corbulo Provinciam ingreſſus, magnâ cum curâ, & mox gloriâ, cui principium illa militia fuit* (adeò ſcilicet tum, uti modò, Belgium Martis gymnaſium terrâ maríque erat) *triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quaque habiles, per æſtuaria & foſſas adegit. Lintribúſque hoſtium depreſſis, & exturbato Gannaſco; ubi præſentia ſatis compoſita ſunt; Legiones operum & laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit. Ne quis agmine decederet, nec pugnam niſi juſſus iniret: ſtationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur. Feruntque militem, quia vallum non accinctus, atque alium quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. Quæ nimia, & incertum an falſo jacta; originem tamen e ſeveritate Ducis traxere. intentúmque & magnis delictis inexorabilem ſcias; cui tantum aſperitatis, etiam adverſus levia credebatur. Ceterum is terror milites hoſtéſque in diverſum affecit: nos virtutem auximus; Barbari ferociam infregere.*

Sanquinii ſucceſſor Corbulo Gannaſcum exturbat.

Corbulo in Friſios.

13. *Et natio Friſiorum, poſt rebellionem clade L. Apronii captam*, viceſimo ante hunc anno, *infenſa aut malefida, datis obſidibus, conſedit apud agros à Corbulone deſcriptos. Idem Senatum, magiſtratus, leges impoſuit. Ac ne juſſa exuerent, præſidium immunivit. miſſis qui majores Cauchos;* Ciſviſurgianos vel quos Viſurgim Ptolomæus ſciſcat; *ad deditionem pellicerent, ſimul Gannaſcum dolo aggrederentur. Nec irrita aut degeneres inſidiæ fuere adverſus transfugam & violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Cauchorum mentes; & Corbulo ſemina rebellionis præbebat: ut læta apud pleroſque, ita apud quoſdam ſiniſtra fama. Cur hoſtem conciret? adverſa in Remp. caſura. cum proſperè egiſſet, formidoloſum paci virum inſignem, & ignavo Principi prægravem.* nempe ipſum et Corbulonem, armorum ſtudio res turbantē. *Ideo Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit; ut referri præſidia cis Rhenum juberet. Iam caſtra in hoſtili ſolo molienti Corbuloni hæ literæ redduntur. Ille re ſubitâ, quanquam multa ſimul offunderentur; metus ex Imperatore, contemptio ex Barbaris, ludibrium apud ſocios; nihil aliud prolocutus, quam Beatos quondam Duces Romanos, ſignum receptui dedit. Ut tamen miles otium exueret, inter Moſam Rhenúmque, trium & viginti millium ſpatio, foſſam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur.* Eam foſſam nunc *de Vliet* dici Leidaminter ad Rhenum, & Sluys ad Moſam eſſe, cenſet Cluverus lib. 2. Germ. ant. cap. 31. *Inſignia tamen Triumphi indulſit Cæſar, quamvis bellum negaviſſet.* Tacitus ac Dio.

Corbulonis foſſa.

Tac. ann. 11. Dio l. 60.

14. Hæc quia in Belgio noſtro geſta, contra ordinem Taciti, ſequentibus trans Rhenum geſtis prænarravi: nec illa tamen omitto, quando noſtris Ciſrhenanis lucem non modicam affundunt. *Eodem anno*, ait Tacitus ibidem paulo antè, *Cheruſcorum* (hodie Brunſwicenſium) *gens* Chaucis vicina, *Regem Roma petivit; amiſſis per interna bella nobilibus & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud Urbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus à Flavio fratre Arminii. Mater ex Catumero principe Cattorum erat. Ipſe forma decorus, & armis equíſque in patrium noſtrumque morem exercitus. Igitur Cæſar auctum pecunia, additis ſtipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capeſſere. Illum primùm Romæ ortum, nec obſidem, ſed civem ire externum ad imperium*

Cheruſcorū novus Rex Italus Romà petitus.

At primo

Ac primo lætus Germanis adventus, atque eò magis, quod nullis diſcordiis imbutus, pari in omnes ſtudio, ageret. celebrari, coli; modò comitatem & temperantiam nulli inviſam, ſæpius vinolentiam ac libidines, grata Barbaris uſurpans. Jámque ad proximos, jam longius clareſcere. Cùm potentiam ejus ſuſpectantes, qui factionibus floruerant, diſcedunt ad conterminos populos, ac teſtificantur, Adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere. adeo neminem iiſdem in terris ortum qui Principis locum impleat; niſi exploratoris Flavii progenies ſupra cunctos attollatur? fruſtrà Arminium præſcribi: cujus ſi filius hoſtili in ſolo adultus in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, infectum alimonià, ſervitio, cultu, omnibus externis. at ſi paterna Italo mens eſſet, non alium infenſius arma contra patriam ac Deos penates, quàm parentes ejus exercuiſſe. His atque talibus magnas copias coëgere.

Variè acceptus.

15. *Nec pauciores Italum ſequebantur: Non enim irrupiſſe ad invitos, ſed accitum memorabant. quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur; an dignum ſe, patruo Arminio, avo Catumero ſe præberet. Nec patrem illi rubori eſſe, quod fidem adverſus Romanos volentibus Germanis ſumptam, nunquam omiſiſſet. falſo libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſcordias habeant. Adſtrepebat huic alacre vulgus. & magno inter Barbaros prælio victor Rex; dehinc ſecundâ fortunâ ad ſuperbiam prolapſus, pulſusque, ac rurſus Longobardorum opibus refectus, per læta, per adverſa, res Cheruſcorum afflictabat.* Iſta omnia Tacitus, ſanè non injucunda: nec adeo Belgicis externa.

Victor & victus. *Tac. ann. 11.*

CAPUT XII.

Reliqui ſeptem anni Claudii, ab anno Iuliano 93. ad 99 ſeu à Paſſione viceſimum-quartum.

1. ANno U.C 801. Iul. 93 à Paſſione 18. Claudii octavo. *A. Vitellio, L. Vipſanio Coſs. cum de ſupplendo Senatu ageretur, Primores Galliæ, quæ Comata appellatur* (ait Tacitus: eſtque ea triplex BELGICA, Lugdunenſis & Aquitania) *fœdera & civitatem Romanam pridem aſſecuti* (ſeu ab Julio Cæſare, quem Suetonius cap. 80. quoſdam è Semibarbaris Gallis in Curiam recepiſſe, & Latoclavo donaſſe ſcribit: ſeu ab Auguſto, quem Gallorum nonnullis jus civitatis dediſſe, nonnullis ademiſſe, ſupra ex Dionis libro 54. vidimus. quod & Strabo lib. 4. confirmat) *Jus adipiſcendorum in Urbe honorum expetiverunt. Multus ſuper eâ re variusque rumor; & ſtudiis diverſis apud Principem certabatur; aſſeverantium non adeò ægram Italiam, ut Senatum ſuppeditare Urbi ſuæ nequiret. Suffeciſſe olim indigenas* (Latinos) *conſanguineis populis; nec pœnitere veteris Reip. quin adhuc memorari exempla, quæ priſcis moribus ad virtutem & gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quòd Veneti & Inſubres* (tranſpadani) *Curiam irruperint, niſi cœtus alienigenarum, velut captivitas inferatur? Quem ultrà honorem reſiduis nobilium? aut ſi quis pauper è Latio Senator foret? Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique, hoſtilium nationum Duces, exercitus noſtros ferro viq́ue ceciderint: D. Iulium apud Aleſiam obſederint. Recentia hæc. quid ſi memoria eorum orireretur, quorum manibus Capitolium & Ara Romana quondam proſtrata? Fruerentur ſanè vocabulo Civitatis; inſignia Patrum, decora Magiſtratuum ne vulgarent.*

Galliæ proceres jus plenum civitatis Romanæ obtinent *Tac. ann. 11.*

Contradicentibus nonnullis.

2. *His atque talibus haud permotus Princeps* (Claudius ipſe Gallus & Lugduni natus) *et ſtatim contrà diſſeruit, & vocato Senatu ita exorſus eſt. Majores mei* (quorum antiquiſſimus Clauſus origine Sabina, ſimul in Civitatem Romanam, & in familias Patriciorum adſcitus eſt) *hortantur, uti paribus conſiliis Remp. capeſſam, transferendo huc, quod uſquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tuſculo, & omni Italiâ in Senatum accitos. Poſtremò ipſam ad Alpes promotam, ut gentes totæ in gentem noſtram coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & adverſus externa floruimus, cum Tranſpadani in Civitatem recepti, cum ſpecie deductarum per Orbem terræ Legionum, additis Provincialium validiſſimis, feſſo Imperio ſubventum eſt. Manent poſteri eorum; nec amore in patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit, niſi quòd victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientiâ valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt: Libertinorum filiis magiſtratus mandari, non ut pleriq́ue falluntur repens; ſed priori populo factitatum. At cum Senonibus pugnavimus: Scilicet Vulſci & Æqui nunquam adverſam nobis aciem ſtruxere; Capti à Gallis ſumus; ſed & Tuſcis obſides dedimus; & Samnitium jugum ſubivimus. Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum breviore ſpatio, quàm adverſus Gallos confectum. Continua inde ac fida pax.*

Claudio tamen ipſo patrocinante.

3. Extat Oratio ipſa Claudii majore ſui parte Lugduni ſuperſtes, Tabulæ æreæ inciſa, & Lipſio ſuis in hunc Taciti locum commentariis vulgata; ex quâ hæc inſero: *Sed diſtrictè jam Comatæ Galliæ cauſa agenda eſt. In quâ ſi quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt Divum Iulium; idem opponat centum annorum immobilem fidem, obſequiumque multis trepidis rebus noſtris pluſquam expertum. Illi patri meo DRUSO Germaniam ſubigenti, tutam quiete ſuâ ſecurámque à tergo pacem præſtiterunt. & quidem cum ad Cenſus, novo tum opere & inadſueto Galliis,* ad bellum Germanicum *avocatus eſſet. Quod opus quàm arduum ſit nobis, nunc cum maximè* (*quamvis nihil ultrà, quam ut publicè nota ſint facultates noſtræ, exquiratur*) *nimis magno experimento cognoſcimus.* Ita ipſamet Claudii ad verbum Oratio. Pergit Tacitus: *Iam moribus, artibus, affinitatibus noſtris miſti,* Galli iſti Comati, *aurum & opes ſuas inferant potius, quam ſeparati habeant. Omnia P. C. quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuere: Plebei Magiſtratus poſt Patricios, Latini poſt Plebeios; ceterarum Italiæ gentium poſt Latinos. Inveteraſcet hoc quoque; & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.*

Oratio Claudii Lugduni extans.

4. *Orationem Principis ſecuto Patrum conſulto, primi Ædui Senatorum in Urbe jus adepti ſunt. Datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpant.* Hucuſque Tacitus lib. 11. Extat tamen Lapis antiquus apud Lipſium hîc, Britannico ad oſtium Rheni veteris Armamentario erutus, qui verba iſta præfert, *Gens Batavorum amici & fratres Rom. Imp.* & Lucanus lib. 1. *Arverniique auſi Latio ſe fingere fratres, Sanguine ab Iliaco populi.* Jam hinc igitur Belgæ noſtri, Galliæ Comatæ præcipui, non ampliùs Barbari, neque externi; ſed novo nobilíque jure Romani, velut

Ita Galli impetrant.

indigenæ;

Hinc tantus Romæ amor.

indigenæ; viros equeſtris ac Senatorii ordinis, Prætores, Conſules, belli Duces Romæ ſuppeditare cœperunt: paulatimque in habitum, linguam, mores, affinitates tranſire. Ut mirum non ſit, ſi quadringentis poſthac annis cùm illos Vandali, Franci, & ſimiles incuperunt, tam ægrè tantaque mole à Romano, id eſt ſuo Imperio avelli potuerint; paſſim à Barbaris iſtis Romani quaſi opprobrio nuncupati. Hoc porro jus ad Comatam Galliam reſtringit hic Tacitus; quòd Braccata ſeu Narbonenſis, tametſi & ipſa Tranſalpina, illud jampridem aſſecuta eſſet. ut vel ex ſolo orationis Claudii fragmento, quod hic Lipſius profert, pervidemus. Quare ſequenti quoque anno Juliano 94. Claudii nono, notat lib. 12. Tacitus, *Galliæ Narbonenſi ob egregiam in Patres reverentiam datum, ut ejus Provinciæ Senatoribus, non exquiſitâ Principis ſententiâ, jure quo Sicilia haberetur, res ſuas inviſere liceret.*

Judæos Claudius Româ pellit, & Chriſtianos.

5. Quo eodem anno Juliano 94. U. C. 802. Claudii nono, qui eſt à Chriſti Paſſione 19. à Paſcate iniens, *Judæos* (ait Suetonius Cl. cap. 25. *impulſore Chreſto* ſeu Chriſto, *aſſiduè tumultuantes Româ Claudius expulit.* Idem ſcribit Oroſius lib. 7. cap. 6. ex eodem Suet. & Ioſepho; id ad annum Claudii nonum referens, & inſuper addens: *Quod utrum contra Chriſtum tumultuantes Judæos coerceri & comprimi juſſerit; an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ Religionis homines, voluerit expelli, nequaquam diſcernitur.* Certè vix dubito, quin Judæi Romam incolentes, cum Chriſtianos magno numero ſub Petri Apoſtoli regimine augeri viderent, tumultum non Romæ minus, quàm Hieroſolymis, Iconii, & alibi, ex livore concitarint; & ut Petrus ſecum expelleretur, effecerint; navem quâ ipſi navigabant perforantes. Via ſeptimum jam Romæ Petrus agebat annum; & tantum tamen fidelium numerum Chriſto jam adduxerat. Cum Iudæis quidem & Chriſtianos Româ pulſos, diſertè tradit Lucas Act. 18. v. 2. *Aquilam Ponticum genere, & Priſcillam uxorem ejus Chriſtianos nuper ab Italiâ veniſſe Corinthum, eo quod præcepiſſet Claudius Judæos à Roma diſcedere.* Sed de his ſub libri ſequentis initia fuſiùs.

Agrippinenſis Colonia deducta.

6. Anno deinceps altero, Claudii decimo, U.C. 803. Juliano 95. A Chriſti Paſſione 20. à verâ Nativitate 54. Dionyſiano 50. *Agrippina junior* Germanico & Agrippinâ ſeniore nata, Neronis mater, & jam Claudii ipſius patrui uxor, eoque Auguſta dicta; *Quò vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret, in oppidum Ubiorum in quo genita erat,* annis jam antè 35. non multo poſt Auguſti mortem, *veteranos coloniámque deduci imperat*; & quidem ſi Paulo libro 2. lege ultimâ de Cenſibus fides, *jure Italico. Ac forte acciderat, ut eam gentem Rheno tranſgreſſam, avus Agrippa in fidem acciperet.* anno U.C. 716. Iuliano octavo, annis ante hunc 95. omnino 87. Primam igitur Ubiis cis Rhenum traductis Urbem Agrippa condidit: neptis Agrippina Coloniam eſſe, ſuoque nomine dici voluit. Quod nomen etiamnum conſtanter tenet; amplitudine, populo, divitiis, pietate, & fide Catholicâ, tot inter hæreſes ac bella florentiſſima.

Catti Germaniam Superiorem infeſtant.

7. *Iiſdem temporibus* (rurſum Tacitus eodem annali 12.) *in Superiore Germania* Moguntinâ, *trepidatum adventu Cattorum Latrocinia agitantium. Proinde L. Pomponius Legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas addito equite alario monuit, ut anteirent populatores, vel dilapſis improviſi circumfunderentur. & ſecuta conſilium ducis induſtria militum; diviſique in duo agmina Qui lævum iter petiverant, recens reverſos, prædâque per luxum uſos & ſomno graves circumvenere. Aucta lætitia, quod quaſdam è clade Varianâ poſt quadrageſimum annum ſervitio exemerant. At qui dextris & propioribus compendiis ierant, obvio hoſti & aciem auſo plus cladis faciunt. & prædâ famâque onuſti ad montem Taunum revertuntur; ubi Pomponius opperiebatur; ſi Catti cupidine ulciſcendi, caſum pugnæ præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cheruſci, cum quîs æternum diſcordant, circumgrederentur, Legatos in Urbem & obſides miſere. Decretúſque Pomponio triumphalis honos: modica pars famæ ejus ad poſteros, in quîs carminum gloriâ præcellit.*

Sed vincuntur.

Hucuſque Tacitus. qui plura de Galliis Germaniſque toto reliquo Claudii principatu non addit; licèt ille nonniſi quinto abhinc anno exceſſerit, U. C. 807. Juliano 99. tertio Idus Octobris: Imperii quarto-decimo, ætatis 63. veneno non obſcurè ab uxore Agrippinâ ſublatus.

Claudii Imp. mors.

Uno ferè ante ejus exceſſum anno natus videtur Tacitus noſter, Hiſtoricorum facilè Princeps, judicii ſaltem & ſtili acumine. Plinius ſenior Nat. hiſt. libro 7. cap. 16. cùm *Cornelij Taciti, Equitis Romani, Galliæ Belgicæ rationes procurantis* mentionem infert, an noſtri hujus hiſtorici patrem, an conſanguineum aliquem intelligat non diſpicio. Nam hunc noſtrum intelligi, vetat ejus ætas junior. Plinio juniori *ætate propemodum æqualis fuit*: ipſomet Plinio teſte, libro 7. epiſtola ad Tacitum. ex quo etiam Suetonio paulò anteriorem intelligimus. Nunc ad Eccleſiaſtica, & Petri Apoſtoli Romam adventum, gradum faciamus.

Sub quo Tacitus hiſtoricus natus.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER QVINTVS.

ABS APOSTOLI PETRI ROMAM ADVENTV, ſeu Anno à Paſſione Chriſti duodecimo, ad Veſpaſiani Imperium.

CAPUT PRIMUM.

PETRI Apoſtoli Romam adventus, & primi BELGARVM Apoſtoli.

Ab anno CLAVDII Imp. 2 finiente.

PLURA jam hinc Gentibúsque gratiora de Fidei Chriſtianæ per Occidentem propagatione, noſtra proponet ac pertexet Hiſtoria. Quæ enim hucuſque narrata ſunt, Chriſti Nativitas, Prædicatio, Mors vitalis ac vivifica, Spiritus Sancti in Apoſtolos ac Fideles illapſus; in Oriéte omnia ſoláque Judæâ peregit CHRISTUS. donec veterem Synagogam, quaſi *hominem de limo terra formatum* (Geneſ. cap. 2.) erigeret; & *inſpiratam in faciem ejus ſpiraculo vita, faceret in animam viventem: è cujus ventre flumina fluerent aqua viva, ſalientis in vitam æternam.* Joannis 4. v. 14. Quod intelligi *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum,* docet idem Joannes c. 7. v. 38.

Apoſtoli primum Judæis ſolis Evangelium annunciarunt.

2. Spiritu igitur iſto perfuſi Apoſtoli ceteríque Diſcipuli, quaſi Leones ignem ſpirantes, nullius omnino metu evangelizabant; primùm quidem Judæis ſolis, juxta illud Act. c. 11. v. 19. *Nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis.* At CHRISTUS qui etiam pro ceteris cujuſque generis hominibus mortem ſubierat; Petrum Apoſtolorum Principem, ſuum in terris Vicarium, per *linteũ, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terra, deſcendentis è cælo viſionem,* monuit, *in nationes quoque Spiritus Sancti gratiam effundendam.* Actor. cap. 10. & 11.

Tum Gentibus.

Quod ille confeſtim in Cornelio cohortis Italicæ Centurione executus eſt; Spiritu Sancto ſuper eum cadente; *abſtupeſcentibus è Circumciſione fidelibus,* ſeu Judæis, *qui venerant cum Petro; quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effuſa eſt:* primùm quidem parum æquis, mox etiam *Deum glorificantibus, quod & Gentibus pœnitentiam dediſſet Deus ad vitam.* Act. 11. v. 18. Factum id mihi quidem videtur, anno Caligulæ tertio. Juliano 84. à Chriſti Paſſione nono. Ita oſtio Eccleſiæ Gentibus aperto, veriſimile arbitror, Apoſtolos ſenſim de profectione ad Gentes cogitaſſe; eáque occaſione Matthæum, antequam & ipſe proficiſceretur, Evangelium Hebraicè pro Judæis tunc maximè ſcripſiſſe, ut Paſſim Patres.

3. Cogitationem iſtam, adeóque Profectionem, quæ & *Apoſtolorum Diviſio* poſtmodum dicta, maturarunt non pauca. Maxime Herodis Agrippæ Regis in Apoſtolos Perſecutio, Act. cap. 12. Cùm enim ille CLAUDIUM cæſo Caligulâ ad Imperii ſucceſſionem non ſegniter adiuviſſet, eóque avitum Judææ Regnum totum ab eo obtinuiſſet, anno ab U. C. 794. Iuliano 86. Chriſti vero 45. Dionyſiano 41. à Paſſione undecimo (ſemper enim primum Paſſionis annum prævertit Dionyſiana Chriſti Epocha, annis ſolidis triginta) & quidem menſe Februario adhuc ineunte; *magnâ celeritate* (ait Ioſephus Orig. lib. 19. cap. 5.) Hieroſolymam mari advolavit, novi Regni poſſeſſionem circa *Paſcha,* quod tunc Kalendas ferè Apriles incurrebat, aditurus. Utque Iudæorum gratiam primo ſui ingreſſu aucuparetur, *Miſit manus* (ait Lucas Act. c. 12. *ut affligeret quoſdam de Eccleſiâ.* Iudæis odioſos ſcilicet. *Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio,* Zebedæi filium. *Videns autem quia placeret Iudæis; appoſuit ut apprehenderet & PETRVM (erant autem dies Azymorum) volens poſt Paſcha producere eum populo.* At ille Dei beneficio liber ac ſolutus, ad Eccleſiam, *à quâ Oratio fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo.* eâdem nocte venit, narravit omnia, quæ & *Iacobo & fratribus nuntiari* juſſit. *& egreſſus abijt in aliũ locum.*

Inde Apoſtolorum Diviſio.

quâ maturavit Agrippæ novi Judæorum Regis Perſecutio.

4. Illâ igitur occaſione non parvâ, ceteri qui Ieroſolymis adhuc, aut circa erant Apoſtoli, deſtinatam jam antè ad Gentes profectionem non ultra diſtulerunt. certiſſimo jam à novo Rege metu, quem & projectioris ex ſe audaciæ, & inſuperabilis ex Cæſare confidentiæ, & odii demum in Chriſtianos profundiùs hauſti non ignorabant. Et Petrus quidem reliquo iſto anno Claudii primo, in Syriam Antiochiámque, ubi Cathedram quinque jam annis fixerat, Regem infeſtum fugiens, advenit. Sed nec ibi à Syriæ Præſidibus Agrippæ peramicis, ſatis tutus; cum ceteris Apoſtolis ſi non coràm, ſaltem per nuntios egit: ut diſpoſitis in Iudæâ rebus ſe dividerent, & in ſuas quiſque Provincias abſcederent. Sequenti anno Claudii 2. A Chriſti Paſſione 12. menſis Iulii die quintadecimâ, tunc Dominicâ, ex omnium pœnè Martyrologiorum ſententiâ alius aliò diviſi ſunt. Petrus Apoſtolorum Princeps, Principem mundi Romam divinitùs iniit; annóque proximo Claudii jam expirante ſecũdo, Iuliano 88. Ianuarii die octavadecimâ, Cathedram ſuam ibi fixit, & ad annum 25. tenuit.

Petrus Romam advenit, anno Claudii ſecundo finiente.

Quod probant Acta & Patres.

5. Ita vides Lector, ex ipſis etiam Apoſtolorum Actis à Lucâ conſcriptis, Divilionis ultim annum firmari. Ne quid de Apollonio Scriptore vetuſtiſſimo dicam, cujus apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 17. teſtimonium traditione acceptum legitur, *ſuis mandatum dediſſe Servatorem Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis abſcederent.* quod huic noſtræ Chronologiæ ad amuſſim reſpondet. Sed & Petri ipſius recta evincit Chronologia. Conſtat omnium ferè Patrum teſtimonio, Petrum Neronis cæſum gladio, anno Iuliano 112. Iunii 29. Capitone & Rufo Conſulibus, poſtquam Romanam rexiſſet Eccleſiam annos 25. fakem labentes. eos deme de 112. Iulianis item labentibus, reliquos habebis 87. ergo anno proxime ſecuto 88. ineunte, Romæ ſedere Petrus cœperit. Iam Petrus Antiochiæ ſeptem ſederat annos: ergo illos ab anno Iuliano 81. inchoatos. Inter eum annum 81. & 76. quo Chriſti Paſſionem fiximus, quinque fluxerunt anni, quibus Iudæam ac vicina Petrus excoluit. Ita anni quibus Petrus Chriſto ſupervixit, conficiuntur 37. Pauli vero, qui novimus ſecundo à Paſſione anno converſus eſt, ſolum 35. quot ei Chryſoſtomus & alii indulgent. Denique Euſebius in Chronico, & Hic:onymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis idem cenſent.

A Petro deinde in Occidentem emiſſi Prædicatores.

6. Ceterum ne controverſis hic adverſum Novatores Diſputationibus Lectorem morer; ſecurus dico; Prædicatores in Occidentem, Petri maximè diſpenſatione Româ emiſſos. Quod licèt omnis teſtetur antiquitas, unius tamen hic omnium inſtar erit Innocentius I. qui ab anno vulgaris Æræ 402. ad 416. aut 417. Sedem Apoſtolicam obtinuit. *Manifeſtum eſt,* inquit Epiſt. 1. *in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam & Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum hominem inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Petrus Apoſtolus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes,* &c. Ac de Italia, Hiſpaniâ, Africâ quid ſubſit, infrà videre potero. Nunc uni Galliæ dumtaxat, ac Belgicæ præſertim, propoſiti memor intendam.

Treviros quidem Eucharius, Valerianus, & Matern⁹.

7. Primum igitur Eucharium, Valerium ac Maternum Româ à ſancto Petro in Belgicam noſtram immiſſos, tradunt antiquiſſima Trevericæ, Colonienſis, atque Tungrenſis nobiliſſimarum Eccleſiarum Tabularia; quæ eos ut Apoſtolos ac verè Patres agnoſcût; annuatimque recolunt; nullius, quod ſciam, oppoſitione. Imò Romano etiam Martyrologio, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ patre Baronio ſuffragantibus. quod nos etiam ante annos 40. Diſputatione noſtrâ de primis Tungrorum Epiſcopis ad Chapeauvillium adjunctâ probavimus; ad quam ſe remitti Lector, credo, gravatè non feret, ut in re jam vulgatiſſimâ. Rhemis quoque Sueſſionibuſque finitimis ſubmiſſum ab eodem Petro Antiſtitem, Tabulæ Romanæ æquè tradunt; & nullum de iis movet dubium (ſicut de aliis) Gregorius Turonenſis. Quin & Creſcentem Pauli Apoſtoli Comitem, ejuſque epiſtolis celebratum, non Viennenſes modò ad Rhodanum, ſed & Moguntini ad Rhenum; imò ſi Ruperto Tuitienſi fides, Agrippinenſes quoque Apoſtolum ſibi vindicant. Omitto Metenſes, qui Clementem, Tullenſes qui Manſuetum, Bellovacos qui Lucianum à Petro item advocant: quod pari non videantur muniti teſtimonio; & animus ſit, nihil hic niſi certum aut certo proximum adferre. Fuit omnino unicum id Apoſtolis conſilium, à cœleſti prudentiâ hauſtum, Provinciarum maximè capita, prima ſtatim divini verbi ſatione adgredi: ſicuti ut à Sole radiorum, à fonte rivorum, ſic fidei ab hiſce capitibus in reliquam gentem emanatione. Iam Treviros, Rhemos, Agrippinates, & Moguntinos, quatuor Belgicarum Provinciarum capita, libro primo fusè clarèque vidimus. Quis tam certa Scriptorum teſtimonia, niſi pertinax Novator, abjiciat? De ſingulis aliquid tangamus.

Ex Martyrologio Romano, & aliis.

8. Treviros quidem ſacris hiſce Triumviris à Petro ſubmiſſis jure gloriari, præter antiquiſſimam fidamque traditionem, ſic quoque Martyrologium Romanum: de Euchario, octavo Decembris: *Treviris S. Eucharii, diſcipuli S. Petri Apoſtoli, & primi ejuſdem civitatis Epiſcopi.* De Valerio Ianuarii 29. *Treviris depoſitio B. Valerii Epiſcopi, diſcipuli S. Petri Apoſtoli.* De Materno 15. Septembris: *Treviris S. Materni Epiſcopi, diſcipuli B. Petri Apoſtoli: qui Tungrenſes, Colonienſes, & Trevirenſes, aliôſque finitimos ad Chriſti fidem perduxit.* Omnes ecce S. Petri diſcipulos appellat. Adſtipulantur Beda, Uſuardus, Ado, Petrus Cluniacenſis, Marianus Scotus: qui etiam eos Treviros advenîſſe notat, anno Petri Romæ ſedentis octavo, qui eſt à Chriſti Paſſione viceſimus? De quo mox.

Remos autem Sixtus.

9. Remis ſimiliter ab eodem Petro datum & ſacratum primum Epiſcopum Sixtum, martyriique laureâ ſub Nerone decoratum, eodem teſtantur Martyrologia, Romanum, Uſuardi, Adonis. Confirmat Fludoardus ſua Remenſi hiſtoriâ, ante annum Chriſti milleſimum editâ. Apud quem tanto quoque vetuſtior Hincmarus ſedis ejus Archiepiſcopus, ita Nicolao primo Papæ, circa annum Chriſti vulgarem 864. ſcribit: *Inter Remenſem & Treverenſem Eccleſiam (has enim duas tantum Provincias Belgica regio,* ſtrictè ſumpta ſcilicet, & à duabus Germaniis Ciſrhenanis ſejuncta; *hac ſemper diſtinctio fuit (ſicut in Eccleſiaſticis monumentis invenimus, & vetuſtiſſimam conſuetudinem ſemper obtinuiſſe comperimus) ut iſdem Epiſcopus non loci, ſed ordinis dignitate prior, ſecundùm ſacras Regulas haberetur, qui foret in qualibet iſtarum Eccleſiarum Metropoli anteà ordinatus.*

Hinc Trevirenſis & Remenſis Eccleſiæ ſorores.

Idem repetit Oratione ad Populum Metenſem, habitâ in Coronatione Caroli Calvi, anno Chriſti 869. *quinto Idus Septembris, die Veneris.* quam nos in veteri Manuſcripto Sancti Laurentii Leodii reperimus, & à nobis acceptam Sirmundus noſter inter reliqua Hincmari opera nuper edidit. *Remenſis & Trevirenſis Eccleſia in hac Belgicâ, cum ſibi commiſſis Eccleſiis, ſorores & Comprovinciales habentur; ſicut auctoritas Eccleſiaſtica & antiquiſſima demonſtrat conſuetudo. Ac per hoc unanimi conſenſu & Synodalia judicia exercere; & quæ à Sanctis Patribus conſtituta ſunt, debent concorditer cuſtodire. hac privilegii conditione ſervatâ, ut qui prior de Remenſi & Trevirenſi Epiſcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.* Ita Hincmarus, planè ad S. Remigii Teſtamentum alludens; quo Trevericam Eccleſiam Remenſis ſororem agnoſcit, ac dignitate parem. Hincmari ſucceſſor Fulco fortiùs etiam ad Stephanum Papam circa annum Chriſti 887. ſcribit: *Sedem Remenſem ab omnibus Stephani ipſius anteceſſoribus potiùs, Gallicanis omnibus Eccleſiis ſemper fuiſſe honoratam: utpote cui primus Apoſtolorum B. Petrus primum deſtinavit Epiſcopum S. Sixtum; & totius Gallicanæ regionis dederit primatum.*

matum. Prorſus ut hujus Hincmarique ſententiâ, S. Petrus quo tempore Eucharium cum ſociis Treviros immiſit, eodem Rhemos Sixtum deſtinârit; ſimulque natæ hæ Sedes, ſimul auctæ ſint: nec minùs in Sacris quàm prophanis, utra alteram honore prævenerit dubitari poſſit. Niſi forte Trevirorum Pontificum denſior, & nuſquam interrupta ſeries, neſcio quid ſupra Rhemos eminentiæ Treviris indulgeat. maximè cum Petrus tres illis ſimul Antiſtites, Rhemis nonniſi unum emiſerit.

Memmius in Catalaunos miſſus.

10. Eumdem quoque Sixtum Sueſſiones primum ſuum Paſtorem, eodem teſte Flodoardo, perhibent. ſed ita, ut adhuc ille vivus Sinicium ſocium iſti Eccleſiæ ſubſtituerit, ſola Remenſi contentus. De quo tamen nihil in Martyrologiis, aliiſque ſcriptis antiquioribus invenio. At Catalaunis in Remorum viciniâ S. Memmium Martyrologium Romanum adſtruit, in hæc verba, *Catalauni in Gallia S. Memmii civis Romani; qui à S. Petro illius civitatis Epiſcopus conſecratus populum ſibi commiſſum ad Evangelii veritatem perduxit.* Idem repetunt Beda, Uſuardus, Ado, Petrus Cluniacenſis, aliique. prorſus ut hæc in dubium revocare, mihi quidem religio ſit. Reliquæ immus primariæ Belgarum civitates, quæ nullum (quod ſciam) è ſuis Paſtoribus Petri diſcipulum agnoſcunt, ab hiſce prioribus eorumque aut Petri ſucceſſoribus, fidem haurire potuerint.

Maternus ſpecialis Coloniensium Apoſtolus.

11. Porro ex Triumviris iſtis Trevirenſibus, ſaltem juniorem Maternum etiam Colonienſe ac Tungri ut Apoſtolum ſuum primum hodieque venerantur. Et eminebant in Trevirorum vicinia hæ civitates: quas amplas & copioſas appellat Ammianus lib. 15. Illa præſertim Inferioris Germaniæ ad Rhenum Metropolis, Legionum quatuor ibidem excubantium Legatis ſeu Præfectis, hoſpitium præbens. Mirúmque fuiſſet, ſi ſtatuto utcumque apud Treviros fidei fundamento, juniorem eorum Maternum ad ſe tanta ſua ubertate commoditateque non attraxiſſent. Et prodierunt ex Agrippinaibus duo ſub ea tempora Romanorum Imperatores, Vitellius primùm, tum paulò longioris ævi vitæque ſanctioris Trajanus. uti mox.

Creſcens in Gallias miſſus.

12. Florentiſſimum ſuppeditat argumentum S. Creſcentis in Gallias, teſtimonio adhuc ſolidiore roborata, miſſio. Scripſit Paulus ſecundam ad Timothæum, cum Romæ etiam ageret, Epiſtolam. ſi Patrum quidem nonnullos audimus, proximò ante mortem ſuam anno, à Paſſione 36. ſi Baronium, toto novennio prius à Paſſione 27. Neronis tertio: quod aliis ac mihi magis arridet. Illius Epiſtolæ capite 4. v. 9. ait Paulus, *Demas me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus*, &c. *Tychicum miſi Epheſum.* Jungit ecce Creſcentis à ſe diſceſſum, cum Demæ abitu in ſæculum. non quod Creſcens etiam in ſæculum abierit; ſed quòd ſaltem ſponte ſua ſe reliquerit: non a ſe miſſus. Nam mox v.12. dicit *Tychicum miſi Epheſum.* & v. 16. *In prima mea defenſione* coram Nerone, *nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt.* Cur ut Tychicum, ita & Creſcentem ſe miſiſſe non dicit? cur inter Demam, & eos omnes qui in primâ ſuâ defenſione æquè ſe dereliquerant, involvit? Planè ſignificat in prima ſua *defenſione*, qua *nemo ei adfuit*, Creſcentem quoque ultro in Galliam abſceſſiſſe;

ſeu quia videbat ibi meſſem quàm Romæ majorem; ſeu quia à Petro aut Petri, ſi tunc Roma abſuit, Vicario potius quàm a Paulo in Galliam abire perſuaſus eſt. Eò magis, quò Paulus ipſe ad Rom. cap. 15. v. 20. diſertè ſcribit: *Sic prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed quibus non eſt annuntiatum.* Petrus autem fidei jam in Gallia fundamentum poſuerat. aut ponere deſtinarat. Creſcens ergo non à Paulo ab omnibus derelicto, ſed à Petro aut ejus abſentis vicario ſicut Eucharius cum ſociis in Galliam abierit.

13. Scio non deeſſe qui putent Galliam, Græcè Γαλατίαν non Europæam noſtram, ſed Aſiaticam eſſe, quæ & Gallo-græcia dicta ſit. Contrà planiſſime Epiphanius hæreſi 51. Non ἐν τῇ Γαλατίᾳ ὡς τινὲς πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. *non in Galatiâ, ſicut quidam decepti putant, ſed in Gallia* intelligendum contendit. Quod & omnes Interpretes hic faciunt, Theodoretus, & in Catalogo Scriptorum Hieronymus; & ante utrumque Euſebius hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 4. *Ex reliquis*, ait, *Pauli ſectatoribus, Creſcens in Gallias miſſus, ipſius teſtimonio perhibetur.* Ubi recentior Euſebii interpres Galatiam malè pro Gallia ſubſtituit; melius *Galliam* (ut habent Græca) ipſo antiquior Ruffinus reddidit. Denique pro Galliis etiam noſtris capiunt Martyrologia Romanum & Adonis 27. Junii. Ne quid dicam de diverſis Romanorum Pontificibus, qui collegam hunc Apoſtolorum Creſcentem, primùm Viennæ Allobrogum agnoſcunt Epiſcopum. Agnoſcit & Chronicon Alexandrinum anno Trajani ſeptimo, *Creſcens ἐν Γαλλίαις in Galliis Evangelio promulgato, ſub Nerone mortuus, ibidemq; ſepultus eſt.* Contra tantam teſtium nubem obluctari, pervicaciæ eſt.

In Galliam utique Europæam, nō Galatiam Aſiaticam.

14. Tenemus igitur è S. Scripturis, Creſcentem e Pauli Apoſtoli ſectatoribus unum, Galliarum quoque Apoſtolum extitiſſe. quem Viennenſes nemine reluctante ſibi vindicant. Moguntini æquè ſibi longa jam traditione adſtruunt; & ab eo deducta Epiſcoporum ſuorum ſerie, quamvis interrupta, ut apparet, ſextum numerant *Martinum*, Sardicenſi Agrippinenſique Concilio annis poſtea ferè ducentis ſubſcriptum. Sed & Rupertus Tuitienſis Abbas, Coloniæ pariter Apoſtolum, non ambigit: *Trevirenſi Eccleſiæ Maternus à B. Petro miſſus, hæreditatem pallii ſuis ſucceſſoribus dereliquit. Sed primatum Metropolis Colonia obtinuit; ea maxime causâ, quia Creſcens prædictus Coloniæ quoque Apoſtolicam verbi Dei prædicationem primus inſtituit. ſi primus*, ergo & ante Maternum, quem ſcilicet ætate præveniebat. Neque enim uni dumtaxat ſe loco, tanti zeli virum dediſſe exiſtimandum eſt: in Gallias univerſim deſtinatum, & quocumque occaſio, majórve neceſſitas urgeret, impigrè irrupturum. Atque hi omnes partim ab anno Petri Romæ ſedentis octavo, à Chriſti vera Nativitate 54. à Dionyſiana 50. à Paſſione viceſimo, Claudii decimo præter propter; partim paulò ſeriùs, Petro adjutores Romæ præſto fuerunt. Eorum tres priores Eucharium, Valerium, Maternum anno ſequente, Claudii nono, cum Judæos Roma Claudius expuliſſet, in Belgicam, Româ miſerit. alios in reliquas Gallias pro occaſione advenire contigerit. Neque enim iſta uni certo affigi poſſunt anno. Sane in eâ Judæorum à Claudio expulſione, non paucos fuiſſe

& primùm Viennam,

tum Moguntiam,

denique Coloniam.

Chriſtianos

Chriſtianos, ſatis docet Judæorum in eos livor, & natus è livore tumultus. Ut proinde Petro facilis eſſe potuerit plurium Apoſtolorum in plures occidentis Provincias emiſſio. quam & alii poſtea eodem zelo perfuſi continuarint auxerintque.

Petrus quoque & alii Apoſtoli in Belgium.

15. Quid ſi Petrum quoque, & Apoſtolorum nonnullos, Belgium noſtrum, ſaltem in tranſitu, nec otioſo, penetraſſe monuero? Metaphraſtes & ex eo Lipomanus eum aſſerunt in Britanniam penetraſſe, ibique divini verbi lumen diffudiſſe. Quod ego ex bello Britannis Claudii Imperatoris tempore illato, oblataque inde eundi illuc ac redeundi cum exercitu commoditate, facilè crediderо. tanto etiam magis, quanto per hoſce item annos pulſis à Claudio Româ Judæis atque Chriſtianis, Petrus quoque Urbe exactus, aliò ſe tantiſper conferre coactus ſit. nec commodior aliò commeandi offerretur occaſio, quàm in eam Inſulam omnium ſermone celebratam, invitantibus etiam tot exercitibus eò tam denſè tendentibus, ſemperque victoribus. Addit ſuprà Camdenus: *Et quidni credamus? cum Nicephorus idem de Petro prodat*, cùm ſcribit, *Chriſti doctrinam ad Occidentalem Oceanum, Britannicasque Inſulas pertuliſſe*. Id tamen ego in Nicephoro non de Petro, ſed de Simone Zelote reperio, libro ejus 2. cap. 4. Paulum Apoſtolum ſimiliter poſt ejus à carcere Neroniano liberationem, Britannos adiiſſe, ex Theodoreto Sophronióque ſubjungit; & demum ex Venantii Fortunati verſibus confirmat. quos ego tamen hucuſque non legi. Quidquid ſubſit, nemo negare poteſt, eos qui Româ tunc in Britanniam rectà tenderent, Belgium adire, ex eo in Morinis transfretare ſolitos. Quis credat, tanto animarum zelo viros, Belgium nullo prorſus jacto fidei ſemine tranſiliiſſe?

S. Leonis verba aurea.

16. Lubet Leonis Magni verbis caput hoc concludere: *Atque iſti ſunt*, ô Belgica patria amantiſſima, *per quos tibi Evangelium Chriſti reſplenduit; & quæ eras Magiſtra erroris, facta eſt diſcipula veritatis. Iſti ſunt veri Paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam cruentâ immanique ſuperſtitione purgarunt; & ad eam gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus acquiſitionis, genus electum, Regale Sacerdotium fieres, & virtutes annunciares ejus, qui de tenebris te vocavit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus, nunc autē populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. Per hos jugum infidelitatis, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Sed jam quæ fuerit iſta Belgarum noſtrorum tam cruenta immaniſque ſuperſtitio, locus exigit, ut videamus, intelligamúsque in quam fœdum mare rete prædicationis immiſerint, omnes hi filii Piſcatoris.

CAPUT II.

Antiqua veterum Gallorum ſuperſtitio & Idololatria.

1. SAPIENTER olim Patres noſtri ita in omnem Idololatriam invecti, ut ne minimum quidem ejus veſtigium, ac ne memoriam quidem ſupereſſe voluerint. Et ſane, abſque prophanis Scriptoribus eſſet, ea planè interierat. Et ita atavis in eam præcipitibus expediebat, ne vel ſola recordatione tantus amor & cupido reviteſceret. Nunc extirpatâ jampridem animis noſtris eâ lolligine; nullo ab eâ periculo: juvat è quibus errorum tenebris educti ſimus, animo grato recolere. Crebri mihi hâc de re quondam ſermones cum perilluſtri D. Comite Gomicurtio, cùm Bethuniæ ſimul ageremus; ille oppidi Gubernator, ego Collegii primùm ibi erecti Rector. Tam ſuavis, tam utilis amicitiæ perpetuum hic eſſe opto monumentum. Ut ordinatiùs procedam, in varios Belgarum Gallorumq; veterum Deos inquiram: primo indigenas, & quaſi illis adnatos; tum aliunde invectos. Rurſum eoſdem toti primùm Galliæ communes, deinde Topicos certis locis adfixos.

Belgium ex idololatriâ eductum.

2. Quamvis in omniū omnino Gentium Theologia, Hebræis unis exceptis, immanis olim fuerit variorum Numinum confuſio; planè ut quem Deum venerarentur, vix ſatis ipſi ſcirent: In iis tamen aliqui ſapientiores; ac primæ illius, quæ ab Adamo vel Noe fluxerat, Theologiæ retinentiores, unum in cœlis, æternum, vivum, verumque Deum, ſaltem in arcanis agnoverunt. Quin ut nemo id traditione cognoviſſet, ſolo naturæ lumine noſcere potuiſſet. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* canit Pſaltes Regius. Imò Cicero libro de Natura Deorum primo, *Quæ eſt gens*, inquit, *aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrinâ anticipationem quamdam Deorum?* Neque inſtituto aliquo, neque lege, ſed ſolo animi morſu hæc opinio conſtituta. tametſi ſenſim ab illâ incurios ac vitiatos homines devius error abducat: eò magis quò à primo veri Dei Doctore progrediens ac negligens ætas abducit. ut ſatis Paulus ad Romanos capite primo docet.

Dei unius cognitio mentibus hominum inſita.

3. Plura vero Deo nomina tribuit, tradita nobis a Moyſe, Mundi Geneſis. modò *Jehova*, & contractiùs *Ia* aut *Iah.* modo Eloha, Elohim, El, Elion. Modò *Saddai*, ſæpiùs *Adonai*. Horum ſaltem nonnulla, licèt inflexa, variis gentium linguis inhæſiſſe etiamnum videmus. Supremum Latinorum Deum Jovem, quis non probabiliter à Tetragrammato illo & ineffabili derivarit, ſive *Iehova* illud, ſive *Ieheve*, ſive *Iave* pronuntiandum ſit? *Ia* Tetragrammati quaſi compendium, Græcis non ignotum fuiſſe docet Macrobius lib. 1. Sat. cap. 18. cùm Apollinem Clarium, quis Deorum eſſet JAO, conſultum, reſpondiſſe ſcribit: Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν ΙΑΩ. *Dic ſummum omnium Deum eſſe IAO. Hyeme quidem*, ſubdit Α'ίδην *ſeu Ditem; vere incipiente* Δία *ſeu Iovem; Solem æſtate; autumno ſeſtivum IAO.* Apertiùs adhuc Diodorus, *Apud Iudæos*, inquit, *ferunt Moyſem finxiſſe Deum, qui cognominatur IAO, leges ſibi tradidiſſe.* Iſtum *Iao* ſunt qui dicant unam eſſe ex probabilibus Tetragrammati pronuntiationibus. Quid Arcades Græcorum antiquiſſimi, per Deum ſuum *Pan*, niſi Deum ſupremum intelligebant, quaſi τὸ Πᾶν *omne quod eſt?* ſicut *Ia. Iao, Iehova, Id quod eſt*: juxta illud Exodi tertio v. 14. *Ego ſum qui ſum, Qui eſt, miſit me ad vos.*

Varia Dei veri nomina Sacris Scripturis.

In varias linguas tranſmiſſa, ſed paulum inflexa.

4. Rurſum Solem, pro ſummo Deo à multis habitum, Græci Ἥλιος appellant; unde, niſi à Hebræâ voce *El, Elion. Eloha, Elohim? Iao* Macrobius ſupra vocavit Α'ίδην *ſeu Ditem*, Nec procul Α'ίδης ab *Saddai* aut *Adad.* quem Aſſyriis pro ſummo Deo eſſe ſcribit Macrobius. Niſi potiùs ab

Adonai

Adonai deducere lubeat, quem etiam Græci *Adonim*, Arabes *Adoneum* teſte Auſonio vocant: Latini *Dominum*, *Dono* Japones. Tantus ecce eſt gentium variarum in ea nomina conſenſus. Jam ſi (quod ait Philoſophus) *Quæ ſunt in voce notionum animæ ſunt notæ*; cur quæ gentes vera Dei retinuêre nomina, veram quoque aut veræ proximam veri Dei notionem retinere, ſaltem aliquamdiu non potuerint? Sed gentes illæ, Belgis noſtris & Gallis externæ ſunt.

Galli Mercurium maximè coluerunt, dictum Ditem.

5. Videamus quos Deos hi coluerint. Cæſar Comm. 6. *Galli Deum maximè Mercurium colunt. Hujus ſunt plurima ſimulachra: hunc inventorem omnium artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturáſque habere vim maximam arbitrantur.* Et paulo infrà: *Galli ſe omnes ab DITE patre prognatos prædicant; idque ab Druidibus* proditum dicunt. *Ob eam cauſam, ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt. & dies Natales, & menſium & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur.* Haud dubiè Cæſar hic, Mercurium & Ditem, pro uno & eodem ſummo Gallorum Deo indifferenter accipit. & licèt ſejunctim loqui videatur; non minus tamen *Mercurium Ditem* Gallorum jungere putandus eſt; quàm *Mercurium Teutatem* Hiſpanorum aut Carthaginis Novæ Livius libro 26 non minus item quàm *Mercurium Theuth* Ægyptiorum Cicero apud Lactantium de falsâ Religione, libro 1. cap. 6. & ipſemet Cicero lib. 3. de naturâ Deorum. Sic Tacitus libro de Germania, cum primò *Teutonem* ſeu *Tuitonem Deum Germanorum conditorem ſcribit*; pauló que pòſt addit, *Germanos Deorum maximè* (nota) *Mercurium colere*, ne ab ſeſe diſſentire videatur, planè *Mercurium* & *Teutonem* eumdem facere credendus eſt. Et quantula quæſo differentia eſt, inter *Mercurium Teutatem*, *Mercurium Theuth*, & *Mercurium Teutonem*? quantula item, inter iſtos & *Mercurium Ditem*, vel *Thytem*? Niaolius certe eo Ciceronis loco, legit *Mercurium* non *Theuth* aut *Thoyth*, ſed *Thym* forteque melius *Thytem*. Ita *Mercurius Dis* Gallorum, idem eſſet ac *Theuth* Ægyptiorum, *Teuto* Germanorum. ſicut apud eoſdem Germanos, eadem nomina ſunt *Teutmer*, *Theudric*, *Teutbald*, & *Theutbert*. quæ aliâ dialecto *Dietmer*, *Dietric*, *Dietbald*, & *Dietbert* efferuntur. Quid ſi etiam vocem *Theuth*, Deum verũ eſſe oſtendo? *Theuſch* ſive *Deuſch* Germanicam nihil aliud eſſe videtur, quàm Θεὸς, aut Δεὸς Græcorum; *Deus* Latinorum, quem & Germani fortius adſpirantes, *Theus* efferunt. ſicut & *Teutates*, efferri poteſt *Deuſates*. Quare iis vocibus omnes à primis ſuis conditoribus, ſeu potius ab uno primo conditore acceptis, nihil niſi primum & æternum Ens, cæterorum principium intellexiſſe ſe, & coluiſſe ſatis clarè docent.

Qui & Mercur⁹ Theut. ſeu Teutates & Teuto

Galli in Idololatriam & immania ſacrificia delapſi.

6. Verùm ut temporis, ita & variorum vitiorum illapſu, debitæque Catecheſeos defectu, in communem cæteris gentibus cæcitatem devoluti; veri Dei fidem cultumque tanto ſenſim errore fœdarunt, ut quid colerent, vix ſatis ſcirent. Hinc quod de Ammonitarum idolo Melchom Scriptura commemorat ac deteſtatur, filios gentis ei per ignem immolatos; idem de Mercurio Dite ſeu Teutate, tradunt Lucanus atque Lactantius: ille libro primo ſic canens:

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrénsque feris altaribus Æſus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Lactantius autem libro primo de falsâ Religione cap. 21. *Galli*, inquit, *Æſum atque Teutatem humano cruore placabant.* de quo fuſiùs infrà capite ſingulari. En plures jam Gallorum Deos, & quidem tam cruentis horrendiſque ſacrificiis cultos. *Æſus* iſte & *Teutates* Gallorum, Mars Latinorum fuiſſe videtur. quando idem ei tribuit Comment. 6. Cæſar; *Marti, cùm prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperint, plerumque devovent; quæ ſuperaverint, animalia capta* (ergo & in his homines) *immolant*, &c.

Adorant etiam Martem ſeu Æſum.

TARANIS indubiè erat Jupiter TONANS. Nam hodieque Britanni veri ſeu *Walli* Tonitru optimâ onomatopœiâ, *Taran* dicunt. Plures alios Gallorum Deos ſupra Cæſar adjungit: Præter Mercurium Ditem, & Martem, *colunt Apollinem, Iovem, & Minervam. de his eamdem ferè quam reliquæ Gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere; Minervam operum atque artificiorum initia tradere; Iovem imperium cæleſtium tenere.*

Item Taranum.

7. Verùm Belgæ Galliquc noſtri Deos iſtos non Latinis ut Cæſar, ſed ſuis appellabant vocabulis: Apollinem quidem BELENUM aut BELINUM, vocabant. ut veteribus pluſculis Gruteri Inſcriptionibus docemur: jam Claromonte Arvernorum in Capitolio, paginâ 36. & 37. jam Baiocaſſibus; jam in Armoricis. ſed ex Auſonio maximè, Elogio quinto ad Patéram: *Tu Baiocaſſis ſtirpe Druidarum ſatus, Beleni ſacratum ducis è Templo genus, & inde vobis nomina.* Expreſſiùs Elogio decimo: *Nec reticebo ſenem nomine Phœbicium; Qui Beleni æditùus ſtirpe ſatus Druidum*, Unde hic Beleni æditùus, *Phœbicius* dictus, niſi à Phœbo ſeu Apolline? cujus miniſtri *Patéræ* dicebantur. Herodianus libro octavo, *Patrium quoddam Numen*, ait, *Belenum vocant Aquileienſes, magnáque religione colunt. Apollinem interpretantes.* Gruterus pag. 37. habet Inſcriptionem Aquileiæ. *Fonti BELENO.* & Jacobus Guiſius noſtras capite primo, primæ partis, Bavaci ab Occidente *fontem Beelis* extitiſſe ſcribit. Belenus igitur Gallis erat Apollo; à quo veriſimiliter pagus etiamnum Bavaco vicinus *Beligny* nomen hauſerit. MINERVA Gallis quomodo dicta fuerit, hucuſque non comperio. Atque ii fuerunt Gallorum Dii præcipui. Potuerunt & plures fuiſſe, jam ignoti.

Apollinem, ſeu Belenũ.

8. Jam quod de ceteris Gentibus rectè notatur, Deos illos affectibus ſuis moribusque conformes effinxiſſe, quis & de Belgis noſtris Galliſque non ſuſpicetur? Qui autem Gallis proniores affectus, quam equitandi venandique? Venationis igitur Deam ARDOINAM fuiſſe reor; Gruteri Inſcriptionibus celebrem, quaſi *Dianam*; Deam Nemorariam Sylvarumque Præſidem. Celtis quidem Ardenna ſylva eſt; & plures eo nomine in Galliâ ſylvæ. Primùm celeberrima noſtra Lutzemburgenſis ac Trevirenſis, nomen hodiéque retinens: tum in Baiocaſſibus altera: denique alia teſte Camdeno in Britanniâ prope *Warwick*. Equitandi Dea probabiliter fuerit *Epona*. Neque eam cum quibuſdam ab Græco ἵππος, quaſi Hipponam dictam puto; ſed potius à ſtabulis equorum receptaculis: quod Prudentius in Apotheoſi ſignificat: *Nemo Cloacina aut EPONÆ ſuper aſtra Deabus Dat ſolitum.* Sed Galli pluris fecerint, equitandi ſtudio. Hinc Soloduri in Helvetiis Inſcriptio apud Gruterum pag. 87. DEÆ EPONÆ, & ab eâdem Urbium

Item Ardoinam, ſeu Dianam.

& Eponam

nomina

nomina *Epamandurum*, & *Epona* in Sequanis. Unde quibuſdam Concilium *Eponenſe*; & *Eporedia*. Quin & Plinius libro 3. cap. 17. *Eporedicas*, ait, *Galli bonos equorum domitores vocant*.

Topici Belgarum, Gallorumque Dii.

9. Præter hos generales totiúque Galliæ communes Deos, *Topici* quidam & certorum dumtaxat locorum extiterunt, quos ideo Municipes vocat Minutius felix. Pro quo vide Sirmundum in Sidonii Poëma nonum. In iis primas tenent GENII locorũ, Metis, Coloniæ, Bonnæ, Moguntiæ, Cliviæ, &c. quorũ plures apud Gruterum extant Inſcriptiones; ut & *Arentica Dea* in Helvetiis, pag. 100. & 349. *Voſago*, *Tabernis Montanis*, pag. 94. *Nemauſo*, pag. 111. In *Lerone* Inſulâ *Fanum Leronis*; Strabo lib. 4. Lacus quoque, montes, ac fontes Gallis complures ſacros fuiſſe, vix dubito. Topicorum porrò horum Deorum nomina occultari ſolita, ne inde præſtigiis externorum evocarentur, auctor eſt Plinius lib. 28. cap. 2. *Verrius Flaccus*, ait, *auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia ſolitum à Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutelâ id oppidum eſſet: promittíq; illi eumdem aut ampliorem locum apud Romanos cultúmve. Durat in Pontificum diſciplinâ id Sacrum. Conſtátque ideò occultatum, in cujus Dei tutelâ Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent.* Ex variis hiſce ſtolidisque Gallorum Diis, vides in quam ſegetem falcem immiſerint primi noſtri Apoſtoli.

CAPUT III.

Veterum Belgarum Gallorumúe Sacerdotes & ſacrificuli. DRVIDÆ præſertim.

Sacerdotũ apud Gallos genera tria.

1. APUD Gallos Belgasque noſtros non minus quàm apud Romanos, Flamines Auguresque fuiſſe, plures Inſcriptiones Hiſtoriæque teſtantur. Quia tamen iis omnia cum aliarum gentium Flaminibus Auguribusque communia fuere, nihil de illis dicam. Terna dumtaxat Sacerdotum genera Gallis particularia hic exequi conſilium eſt. Ea Strabo primũ ſic recenſet: *Apud Gallos*, inquit, *univerſos tria ferè ſunt hominum genera, quæ in ſingulari habentur honore; Bardi, Οὐάτεις Vates, & Druidæ.*] Idem penè Ammianus: *Per hæc loca hominibus paullatim excultis, viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Eubages & Druidas.*] Quos οὐάτεις Strabo, Ammianus Eubages ecce vocat: in reliquis conſentiunt. Cæſar Druidum dumtaxat meminit.

Strabo l. 4.

Amm. l. 15.

Bardi.

2. *Bardi* (ſubdit Strabo) *hymnos canunt, Poëtæq; ſunt.*] Ammianus; *Bardi fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus Lyræ modulis cantitarunt.*] Lucanus libro 1.

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum, Vates, dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina BARDI.

Ante hos omnes Diodorus lib. 6. *Sunt apud Gallos melodiarum Poëtæ, quos appellant BARDOS. Hi ad organa lyris non diſſimilia; hos laudant, alios vituperant.* Quin & feſtus Pompeius Grammaticus BARDUM Gallicè Cantorem ſignificare auctor eſt. Hinc quod Tacitus ſcribit, *carmina antiqua unum apud Germanos memoriæ & annalium genus fuiſſe*, de omni Celticâ gente capiendum eſt. Ita magnæ prorſus auctoritatis Bardos extitiſſe neceſſum eſt, à quibus unis aliorum omnium laus aut vituperium, adeoque memoria penderet. Nihilque mirum, ſi Carolum Magnum Francorum Regem Eginhardus in ejus vitâ ſcribit, *Barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, ſcripſiſſe memoriæque mandaſſe.* In S. Ludgeri vita qui Caroli quoque Magni temporibus claruit, legimus ab eo cæcum quemdam *Berleeft*, qui antiquorum actus Regumque certamina non inurbanè cantabat, illuminatum. Nominis Bardorum viget etiamnum apud Wallos ſeu priſcos Britannos memoria; qui Fidicines, Citharoedos & Cantores ſuus, imò etiam eos, qui texendis Genealogiis operam navant, *Bardes* teſte Cambdeno vocant. Quin apud Gallorum noſtrorum quoſdam antiquitatis ſcrutatores, vox *Rebarder* Intercalarem verſum ſignificare, ſcribit Fauchetius l. 1. c. 8. de lingua Gallicâ. Hoſce Bardos Sacerdotibus adſcriptos vel ideo exiſtimo, quòd Diis quoque Hymnos canerent, oracula veluti Sybillæ carminibus ederent, & in ſacrificiis conviviisque ſolennibus, homines ad Deorum Heroumque amorem, certis quibuſdam modulis accenderent. Certè Diodorus *Melicis* hiſce *Poëtis*, ita Gallos *auſcultaſſe* dicit, *ut non amici modo, ſed & hoſtes inter adverſas ſæpè acies, dum ſtrictis gladiis & protentis haſtis inter ſe propinquarent, horum quaſi incantamentis ſicurati, prælio abſtinerent: adeo* (ſubdit) *apud agreſtiores Barbaros ira ſapientiæ ceſſit, Marsque Muſas reveritus eſt.*

Cambd. in ſua Brit. c. 1.

Vates.

3. Ordinis paulò altioris fuiſſe videntur *Vates*, *ſacrorum*, ut ait Strabo, *Curatores*, & *Phyſiologi* qui rerum naturam explicant. Quos hic Strabo οὐάτεις ſeu Vates Latino vocabulo appellare videtur, Diodorus Græco Μάντεις ſeu Divinatores vocat. χρῶνται δὲ καὶ μάντεσιν, *Utuntur quoque Galli Divinatoribus, qui apud eos magnæ ſunt auctoritatis. Hi ab auſpiciis & victimarum extis futura prædicunt, omnemq; plebem dicto audientem habent. Cùm verò de rebus magnis conſulunt, miram incredibilémque ſervant conſuetudinem: Jugulant enim enſe hominem; quo cadente, cum ex caſu, cum ex membrorum laceratione, cum etiam ex ſanguinis effluxu, ex quadam antiquâ rerum obſervatione, norunt futura.*] Ex quibus intelligimus homines hos fuiſſe naturalium rerum ſcientiſſimos; ac proinde augurandi peritos de ceremoniis ordinaſſe, ſacrificiis adſtitiſſe, ex victimarum extis futura prænuntiaſſe; nec minoris apud ſuos habitos, quàm Romæ Augures, quorum locum vacantem civium primates ambiebant. Unde Juſtinus l. 24. *Augurandi ſtudio Galli præter ceteros valent.* Hos Ammianus *Eubages* appellat: *Eubages*, ait, *ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur.* Ubi Cluverius, non *Eubages*, ſed *Vates* legi vult. Verùm ego tam *Vates* quàm *Eubages* Gallorum priſcorum voces exiſtimo, ſive à Teutonicis *VVach*, *VVacht*, *VVachters*, ſive aliâ origine nobis incompertâ.

Cluv. l. 1. Germ. c. 24.

DRUIDÆ.

4. Supra hos omnes eminebant maximè, velut omnium rectores DRUIDÆ, prorſus ut aliis omiſſis, horum dumtaxat meminerit Cæſar. quos & à Græcis Semnotheos ſive Samotheos, & Saronidas appellatos video. Diogenes Laërtius: *Philoſophiam à Barbaris initium ſumpſiſſe, plerique autumant.*

Laërt. de vitis Phil.

Nam

Nam Perſis, Babyloniis, & Aſſyriis Chaldæos; Indis Gymnoſophiſtas, Celtis ſeu Germanis & Gallis Druidas, qui & Semnothei appellabantur, ejus rei fuiſſe auctores, ait Ariſtoteles in Magico, & Sotion in 13. ſucceſſionis libro. Similiter Diodorus, *Philoſophi,* ait, *ac Theologi, quos Saronidas vocant, præcipuè ab iis coluntur.* Mox de eorum functionibus; *eſt apud eos moris, nullum abſque Philoſopho ſacrificium facere. Per hos enim ut divinæ naturæ conſcios, & quaſi colloquutores, gratiorum ſacrificia Diis offerenda, per hos internuntios bona ab iis expetenda cenſent. Nec in pacis ſolum negotiis, ſed etiam in bellis, his maximè ſicut & melicis Poëtis auſcultant, non modò amici, ſed & hoſtes. Hi inter adverſas ſæpe acies, dum ſtrictis gladiis & protentis haſtis inter ſe exercitus propinquant, in medium progreſſi, ac ſi feras incantamentis cicurarent, prælia dirimunt.*] Iſta de Saronidis Gallorum Philoſophis Diodorus; quæ omnia in Druidas æquè cadere legimus. Mela l. 1. c. 2. *Habent Galli facundiam ſuam, Magiſtroſq; ſapientiæ Druidas.* Juxta Plutarchum enim *Sapientia eſt rerum divinarum humanarumq; ſcientia.* Iidem ergo ſunt Semnothei, Saronidæ & Druidæ.

5. Ceterùm cùm plurima de Druidibus congerant Scriptores, diſtinctionis gratiâ, omnia ad tria capita revocabo. Primum erit eorum auctoritas, exiſtimatio, civileſque functiones. Alterum ſtudia quædam particularia. Tertium Theologia & Sacrificia. Scio auctores nonnullos ea quæ Druidibus hic convenire dicemus, etiam Vatibus ſeu Vactibus & Bardis attribuere, & contrà: ſed id ab iis fit, aut quia tres iſtas Sacerdotum claſſes non agnoſcunt; aut quia quæ duobus prioribus ſigillatim conveniunt, in Druidas univerſa refunduntur.

Druidarum Auctoritas in civilibus.

6. Druidarum auctoritatem his verbis exprimit Strabo: *Druidæ præter naturalium ſcientiam, etiam de moribus diſputant. de horum juſtitia ſumma eſt omnium opinio. itaque & privata iis & publica judicia committuntur. adeo ut etiam bella, jam aciebus congreſſuris componant. His maximè judicia quoque de cædibus committuntur. cumq; harum maxima eſt copia, agrorum quoque fertilitatem conſequi putant.* Fuſiùs Cæſar Commentario 6. *ferè de omnibus controverſiis publicis privatiſq; conſtituunt. & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controverſia eſt, iidem diſcernunt præmia, pœnáſque conſtituunt.* Paulò pòſt: *Druides à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & ſua ſponte multi in diſciplinam conveniunt; & à propinquis parentibúſque mittuntur.* Et paulò ſuprà: *Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit; aut ſi ſunt pares plures, ſuffragio Druidum adlegitur. Nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt, in loco conſecrato. Huc omnes undique qui controverſias habent, conveniunt; eorúmque judiciis decretiſque parent.*] Equidem ſi quæ vulgaribus noſtris Annalibus fides eſt, Bavaci Nerviorum quempiam è Druidum Principibus reſediſſe crederemus, qui jus ſaltem ſubalternum hiſce regionibus dixerit.

Studia & ſcientiæ Druidarū.

7. Quod ad eruditionem eorumdem pertinet ac ſtudia, per ſodalitia in iis exercuiſſe ſe videntur. Ammianus enim, *Druidæ* (inquit) *ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit. ſodalitiis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarúmque erecti ſunt.*

Amm. lib. 15. fin.

Enucleatius Cæſar: *De ſideribus atque eorum motu, de mundi atque terrarum magnitudine, de rerum naturâ, Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant & juventuti tradunt.* Quod autem paulò antè dicit; *In reliquis ferè rebus* (extra Religionem ſcilicet) *publicis privatiſque rationibus, Græcis litteris utuntur;* videtur eorum opinionem firmare, qui Druidas Græcorum linguâ doctrinâque imbutos volunt. Quippe licet Cæſar hic nonniſi characteras apiceſque Græcos acciperet, quis tamen crederet tantâ ſcientiâ viros, ſolâ characterum effigie contentos, nullum linguæ tam divitis hauriendæ impetum cœpiſſe, quâ tot ſcientiæ, quas illi quoque ipſi profiterentur, conſignatæ eſſent? De eorumdem ſtudiis ita quoque reliquis antiquior Cicero: *In Galliâ Druides naturæ rationem, quam Phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebantur: & partim auguriis, partim conjecturâ quæ eſſent futura dicebant.*

Cicero l. 1. de Divin.

Eadem totidem ferè verbis Strabo & Mela. addit tamen ille, *Immortalem Mundum eſſe aſſerunt, ignem & aquam aliquando ſuperatura.* Rurſum: *etiam de Moribus diſputant.* Quo pertinet illud Diogenis Laertii: *Nihil mali faciendum docent; & exercendam fortitudinem.* Sanè hanc animi fortitudinem non docuiſſe tantùm, ſed & exequiſſe quàm maximè, teſtatur Tacitus Annali 14. cùm in Suetonii Paulini contra Britannos in Monâ Inſulâ prælio, *Druidæ,* inquit, *circùm, preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, novitate adſpectus perculêre militem, ut quaſi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent.*]

Medicina & Magia naturalis.

8. Quin & Medicinam Magiámve Naturalem, multis tamen ſuperſtitionibus implicatam tractaſſe, docet Plinius: cùm de viſco roboris loquens, ita ſcribit: *Fœcunditatem eo poto dari cuicumque animali ſterili arbitrantur, contraq; venena omnia eſſe remedio.*

Plin. lib. 16. c. ult.

Et libro 24. cap. 11. *Similis herbæ huic Sabinæ eſt Selago appellata. Legitur ſine ferro, dextrâ manu, per tunicam quâ ſiniſtra exuitur, velut à furante candidâ veſte veſtito, puréque lotis nudis pedibus, ſacro facto priuſquam legatur pane vinoque. Fertur in mappâ novâ. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodeſſe. Iidem Samolum herbam nominavere naſcentem in humidis. & hanc ſiniſtrâ manu legi, à jejunis, contra morbos ſuum boumque, nec reſpicere legentem, nec alibi quàm in canali deponere, ibique conterere poturis.* Et iterum lib. 29. cap. 3. fin. *Præterea eſt ovorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis. Angues innumeri æſtate convoluti ſalivis faucium corporúmque ſpumis artifici complexu glomerantur. anguinum appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime jactari, ſagóque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo, ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicujus interventu. Experimentum ejus eſſe, ſi contra aquas fluitet vel auro vinctum. Atque ut eſt Magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certâ Lunâ capiendum cenſent; tanquam congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id ovum, mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum Polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium, ac Regum aditus, mirè laudatur; tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in ſinu Equitem Romanum è Vocontiis à D. Claudio Principe interemptum, non ob aliud ſciam. Hic tamen*

O complexu

complexus anguium & efferatorum concordia, cauſa videtur eſſe, quare extera gentes caduceum, in pacis argumentis, circumdata effigie anguium, fecerint. neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt.] Ita Plinius, quodam modo Caducei ſerpentibus involuti inventionem Druidibus attribuens, licèt quopiam Romanorũ præjudicio, Philoſophiam illorum ad magicas quaſdam cerimonias & ſuperſtitionẽs revocet. Unde & libro 30. c. 1. & lib. 16. c. ult. iſta illos inurit parentheſi (*Ita ſuos appellant Magos*) additque *Tiberium Druidas abolevisse, & hoc genus vatum Medicorumq;.* Niſi fortè nomine Druidũm Vates ſeu Vactes intelligat, quos auguriis ceremoniisque ſolemnibus addictos ſuprà vidimus: ſi tamen eos noverit.

Druidum de animæ immortalitate ſententia.

9. Nobiliſſimum, ſtudii genus Druidibus fuit, divinorum contemplatio, & celebris illa de animæ, quæ divinæ eſt particula auræ, immortalitate Quæſtio. Sanè animam eos immortalem ſtatuiſſe, unanimis eſt Auctorum conſenſus, cujus etiam à morte ſtatum & in nova corpora tranſmigrationem agnoverint. Ex quo ceu ſtabili fundamento in ſublimiora Theologiæ Naturalis abdita, nec procul à Chriſtianâ Religione de corporũ reſurrectione deducta penetraſſe, veriſimile ſit; tanta eſt utriuſque doctrinæ permixtio. Quare Diodorus eos *Divinæ naturæ conſcios* appellat. & Lucanus Deorum cognitionem ita illis propriam adſcribit, ut canat;

Solis noſſe Deos aut cœli Numina vobis, Aut ſolis neſcire datum.

Et Cæſar, *Multa de Deorum immortalium vi ac præſentia diſputant, & juventuti tranſdunt.* Prorſus ut mihi quidem conjectura vehementior inceſſat, divini verbi ſemen à primis Gallorum & Belgarum Apoſtolis in terram adeo diſpoſitam jactum, ſtatim radicem egiſſe, & ortum feciſſe fructum centuplum. Sanè Origenes l. 4. in Ezech. *Britannos, ait, in fidem conſenſiſſe, & ad Deum per Druidas viam ſibi munivisse, qui unum Deum ſemper inculcarunt.* Ego quidem in hac materia lubens ſenſus eorum intimos indagarem, ſi quædam priori capite non attigiſſem, aut ſecreto eorum non inhiberer, quod hic mirum fuiſſe, Scriptorum omnium conſenſus eſt.

Secretum Druidarum mirabile.

Laertius: *Gymnoſophiſtas* ſcribit, *& Druidas obſcurè ac per ambages philoſophari, colendos Deos,* &c. Similiter Cæſar notat eos *qui in Druidum diſciplinam conveniunt, magnum ibi numerum verſuum addiſcere. itaque nonnulli annos vicenos in diſciplinâ permanent neque fas eſſe exiſtimant, ea literis mandare: duabus de cauſis: quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos qui diſcunt, literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod ferè pleriſque accidit, ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt perſuadere: Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Nec aliter Mela: *Docent multa nobiliſſimos gentis clàm & diu, vicenis annis in ſpecu, aut in abditis ſaltibus. Unum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluxit; videlicet ut forent ad bella meliores, Æternas eſſe animas.* Verbis iſtis, *unum in vulgus effluxit*, clarè plura alia Theologiæ eorum arcana ſignificantur, magno ſecreto, & nudæ memoriæ tradita; ne profana evaderent, aut communicatione promiſcuâ eorum vileſceret auctoritas. Tam acre, diuturnum, occultatumque ſtudium acuebat inſuper accuratè quæſita pertinaciusque ſervata ſolitudo; *aut in ſpecu, aut in abditis ſaltibus.* Unde Lucanus Druidas alloquens: *Nemora alta remotis Incolitis lucis.* Ut planè fabula non ſit, quod de Druidum in Ybiracenſi ſylvâ Palatio, aut de celebri Carnutenſis Baſilicæ cryptâ etiamnum occinit Gallica traditio.

10. Ex his tam reconditis, tam diu, tantâ ſolitudine, tantaque meditatione tradi ſolitis Druidum noſtrorum arcanis myſteriisve; licèt unum tantum de animarum immortalitate in vulgus effluxerit; quis tamen plura alia, eaque altiora ſubfuiſſe negaverit? Quid obſtat, quo minus unius ſaltem Dei ſummi cognitionem Druidibus relinquamus: aliis autem nominibus, non alios Deos; ſed diverſa Dei dumtaxat attributa, beneficiáque mortalibus indulgeri ſolita, eos intellexiſſe dicamus? Intellexiſſe videtur Seneca, cùm ſcribit: *Tot appellationes Dei eſſe poſſunt, quot munera.* Et Plinius: *Fragilis & laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor; ut portionibus coleret quiſque, quo maximè indigeret.* Ita Teutatem ſupremum Deum ſuum Druides, modò *Taranim* appellaverint, à ſingulari potentiæ juſtitiæque vindictivæ ſigno Tonitru, juxta illud, *Vox Domini in magnificentiâ, vox Domini in virtute*: modò *Heſum* ſive Martem, quaſi *Deum Sabaoth & exercituum, qui armis transferat regna atque conſtituat, dominetur in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud*; modò *Belenum* ſive Apollinem Solémve, qui hominum vitam mortemque diſpenſet, tam varia non ad neceſſitatem tantùm, ſed & ad voluptatem abundantiamque profundat; modò *Minervam*, quaſi ſcientiarum omnium, conſiliorum, prudentiæ & luminis ingenii infuſorem. Prorſus ut Lucanus de Druidibus adeo Dei notitia illuſtribus aptiſſimè cecinerit,

Diverſa Dei appellatione ut Seneca & Plinius, ita & Druidæ, varia Dei attributa videri poſſunt accepiſſe.

Sen. de Ben. l. 3. c. 7.

Plin. l. 2. c. 7.

Solis noſſe Deos & cœli numina vobis,
Vel ſolis neſcire datum.

Neque verò hic inter iſta Druidum myſteria illud omittendum, totâ etiamnum Galliâ decantatum, in celebri illâ Baſilicæ Carnutenſis cryptâ ſpecuve, aram unam eos Virgini ſacram habuiſſe, quæ Deum aliquando genitura eſſet. quâ quidem in re Græcos & Sibyllas ſi non ſuperarint, certè æquaverint.

Templa & ſimulacra Druidum.

Cæſar comment. 6.

11. Porrò quod ad Templa Simulachráve Diis à Druidibus dari ſolita attinet. Cæſar, *maximam magnitudine ſimulachra eos habuiſſe* ſpeciatimque *Dei Mercurii* (ſeu Teutatis, ut toties dixi) *plurima* fuiſſe ſubdit. Templorum autem etiam meminit Auſonius, cùm familiæ cujus antiquitatem è *Beleni Templo* deducit; *Beleni ſacratum ducis e templo genus*; alterius Phœbicium quempiam *Beleni æditumum* appellat. Quâ quidem in re à Germanorum more receſſerint, de quibus ita Tacitus: *Nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimulare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumq; nominibus appellant ſecretum illud, quod ſolâ reverentia vident.* Atque ex his videmus quales fuerint Druidæ, quam ſibi ſuiſque viam ad unum ſolum Deum agnoſcendum munierint, ut ex Origene libro 4. in Ezechielem ſuperiùs audivimus.

Tac. de Ger.

CAPUT IV.

Belgarum Gallorumúe ſacrificia cruenta & horrenda. An à Tiberio Claudioq́, Imperatoribus ſublata? Vnde orti dictique DRVIDÆ?

Druidæ quanti viſcum fecerint.

1. DRUIDAS lucis, ſaltibus, denſisque nemoribus addictos jam vidimus. In iis præ ceteris arboribus Quercum ſeu Robur veneratos, & ejus viſco neſcio quod ſacrificium peregiſſe, docere videtur Plinius l. 46. cap. ult. *Nihil*, inquit, *habent Druidæ (ita Galli ſuos appellant Magos) viſco & arbore in qua gignatur, ſi modo ſit Robur, ſacratius. Jam per ſe Roborum eligunt lucos; nec ulla ſacra ſine eâ fronde faciunt: ut inde quoque interpretatione Græca videri poſſint appellati* DRVIDÆ. ſcilicet quia Quercus Robúrve Δρῦς Græcè dicitur, de quo paulò pòſt. *Enimvero* (pergit) *quidquid adnaſcatur illis, è cælo miſſum putant, ſignumq́, eſſe electæ à Deo arboris. Eſt autem id admodum rarum inventu; & repertum magna Religione petitur. & ante omnia ſextâ Lunâ, quæ principia Menſium Annorumq́, his facit, & ſæculi poſt triceſimum annum, quia virium jam abunde habeat, nec eſt ſui dimidia; omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo, ſacrificio Epulisq́, ſub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aureâ demetit; candido id excipitur ſago. Tunc demum victimas immolant, precantes ut ſuum donum Deus proſperum faciat his quibus dederit.* Viſcum igitur ut cœlo miſſum venerabantur; & Deo, à quo accepiſſe ſe credebant, cæſis victimis iterum velut in gratiarum actionem offerebant. Unde Ovidius: *Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant.* Innocens igitur erat hoc ſacrificium; & nonniſi beſtiarum Taurorumq́ue cæde, ſed licitâ & à Dei quoque populo uſurpatâ, eveniens. Vitam enim cùm ſe Deo debere pii mortales agnoſcerent, cujus tamen ipſi domini non eſſent, eam pecudum ſibi ſubjectarum vitâ redimebant, & auctori, à quo hauſerant, quodammodo refundebant. At hoſtiarum humanarum immolatio, nulli non genti paulò civiliori barbara viſa.

Immolatio hominum apud Belgas & Gallos, Druidibus ſacrificulis.

2. Eâ tamen Gallos Belgasq́ue noſtros non abſtinuiſſe, Scriptorum variorum una vox eſt. Cæſar Comm. 6. *Natio eſt omnis Gallorū admodum dedita Religionibus. Atque ob eam cauſam qui ſunt affecti gravioribus morbis, quiq́, in præliis periculisque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent. adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur; quòd pro vitâ hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium Numen placari arbitrantur: publiceque ejuſdem generis habent inſtituta ſacrificia. Alii immani magnitudine ſimulacra habent; quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumventi flammâ exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliquâ noxâ ſunt comprehenſi, gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrantur. ſed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt.* Addit Strabo libro 4. *Sed & alia feruntur hominum immolationis genera; alios namque ſagittis configebant, alios in crucem agebant in ſacris: ac fœni coloſſo extructo, omnis generis beſtias & homines concremabant.* Neſcio an Sicambri, Uſipetæ, & Tencteri Romanos illos, quos in ſuo ſolo deprehenſos, in crucem egiſſe ſuprà ex Dione vidimus, hoc ritu Diis ſuis immolarint. Ad hæc certè ſacrificia referri debent, quæ ex Diodoro ſuprà diximus, cùm Vates homine cæſo prolapſoque, è caſu & convulſione membrorum, ſanguinisq́ue fluxu de futuro præſagirent. De omnibus ita canit Lucanus lib. 1.

Et vos barbaricos ritus moremque ſiniſtrum
Sacrorum, Druidæ poſitis repetiſtis ab armis. Et paulò infra.
Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Teutati ecce, *Heſo*, & *Tarani* cruentam eam hominum immolationem attribuit; addo ego & *Beleno*, qui ſanitati præſidebat. Cæſar enim, *Afflicti*, ait, *gravioribus morbis pro victimis homines immolabant*, &c.

Eadem aliis quoque Gentibus uſurpata.

3. Fuit Belgarum Gallorum ritus iſte, fateor, immanis. ſed omnium penè gentium aliarum ritu nonnihil mollitus & venabilior. Quippe ut Dionyſius Halic. l. 1. *Celtæ*, ait, *ad hæc uſque tempora* (ſub Auguſto ſcilicet quo ille ſcribebat) *& Occidentaliores fere omnes homicidio ſacrificant.*] Imò & Orientalium omnium eumdem morem fuiſſe, puta Indorum, Perſarum, Ægyptiorum, Africanorum, ſpeciatimq́ue Carthaginenſium, Scytharum, Græcorum, adeoque etiam Romanorum, ex probatis auctoribus fusè oſtendit Cluverius. Ac licèt Plinius lib. 30. c. 1. *anno V. C. 657. Senatus-conſultum factum ſcribat, ne homo immolaretur*; tamen id adhuc ab Aureliano Imperatore factum ex Vopiſco in ejus vitâ diſcimus, cùm *Capitolium illum invectum* refert, *ut illic cæderet ſervos, quos captos voviſſe Iovi Opt. Max. ferebatur.* Et Lactantius l. 1. c. 21. ſub Conſtantino jam Chriſtiano ſcribens. *Latialis*, ait, *Iupiter etiam nunc ſanguine colitur humano.* Ac ne quid de Americanis Anthropophagis etiam hodiernis dicam; quis eumdem ritum à populo quoque Dei, Judæis inquam, uſurpatum non miretur? Regum 4. c. 23. v. 10. *Contaminavit quoque Ioſias Topheth, quod eſt in convalle filii Ennon; ut nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem Moloch*, idolo ſcilicet Ammonitarum. Idem exprobrat Jeremias cap. 7. v. 31. & c. 19. v. 5. aliiq́ue alibi ſæpius. Quod quidem unde manare adeoq́ue valeſcere potuerit, dum mecum inquiro, duas maximè cauſas reperio, ab inſano cacodæmonis in homines livore, & in Deum zelotypiâ profectas. Primùm enim ille cùm Iſaaci immolationem à patre Abrahamo tentatam peneque peractam tantopere Deo placuiſſe, tantæ hominibus admirationi fuiſſe videret; beſtiarum ſacrificium nimis vile perſuaſit; mortalesq́ue ita efferavit, ut hominem optimam & gratiſſimam Deo victimam crederent, ut ait Mela. Tum verò cùm filium hominis Chriſtum pro Mundi expiatione propitiationem & acceptabile ſacrificium aliquando futurum; ejusq́ue tantæ rei auram aliquam hominibus jam olim affuſam non neſciret; verſo in immanem barbariem tanto cœli beneficio, Deum quoque nonniſi hominum cruore pro peccatis fuſo placari poſſe, per ſuos docuit perſuaſitq́ue. Hinc ille

Cluv. l. 4. c. 35.

Unde illa manaverit?

Romanorum ritus, quo Pontificem ſumm Maximum prima ejus conſecratione, victimæ cujuſpiam ſanguine, teſte Prudentio, reſpergere ſolebant: argumento ſcilicet à majoribus accepto, venturum aliquando Pontificem ſummum, qui ſanguine ſuo mortales Deo reconciliaturus eſſet.

Druidæ per Sacerdotes inferiores, hoſtias humanas immolabant.

4. Ceterùm hoſtias haſce humanas Druidæ non ipſi immolabant; ſed Vatum & Inferiorum Sacerdotum operâ uſi, iis dumtaxat cen directores aſſiſtebant, ut ſuprà tetigi. Unde Cæſar ſuprà: *Druidæ rebus divinis interſunt, ſacrificia publica atque privata procurant, Religiones interpretantur.* Et Strabo lib. 4. *Immolabant Galli non ſine Druidis.* Similiter Diodorus: *Eſt apud Gallos moris, nullum abſque Philoſopho* Druide *ſacrificium facere.* Hinc quoque ſibi inobedientes à ſacrificiis iſtis ac precibus arcere quodam velut interdicto poterant, & quaſi reliquorum communione privare. *Si quis enim*, ait ibidem Cæſar, *privatus aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum & ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.*

An humanas iſtas immolationes Romani ſuſtulerint?

5. Sed quæſtio eſſe poteſt, an tantam Gallorum Druidarúmque immanitatem Romani, poſtquam eos ſub jugum ſuum miſēre, non ſuſtulerint? Ita quidem innuere videntur Scriptorum plerique. Suetonius Claudio cap. 25. *Druidarum*, ait, *Religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus ſub Auguſto interdictam, penitus abolevit.*] Juxta Suetonium ergo, primus Claudius Imperator *penitus aboleverit.* At Plinius lib. 30. c. 1. Tiberio Cæſari tribuit: *Sexcenteſimo*, inqnit, *57. demum anno Vrbis, Cn. Lentulo, P. Licinio. Craſſo Coss. Senatus-conſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palàmque in tempus ſiluit ſacri prodigioſi celebratio. Gallias utique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam. Námque Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque.*] Beroaldus in ſuperiorem Tranquilli locum, Plinium ita cum Suetonio conciliat, ut Claudius idem huic ſit qui Plinio Tiberius. nam poſterior Tiberius Claudius Druſus dicebatur. Sed reclamat Strabo lib. 4. fin. qui ante Claudium, ſub annum Tiberii Neronis 12. ſcribens, ita loquitur: *Romani ab his eos abduxerunt, & à ſacrificiorum ac divinandi ritibus, qui noſtris repugnabant: hominis enim ſacris devoti tergum gladio ferientes, ex ejus palpitatione ariolabantur.*] ex Strabonis igitur ſententiâ, Druidarum ſacrificia Tiberius etiam ante Claudium ex fratre nepotem ſuſtulerit. Suſtulerit, inquam, ſeu omnibus interdixerit; nam ut antè ex Tranquillo audivimus, ipſe Auguſtus adhuc ante illum *civibus* ſaltem Romanis interdixerat.

Tiberius & Claudius Imp. ſuſtuliſſe videntur.

6. Contrà tamen ſub Nerone & Veſpaſiano poſt Claudium Druidas adhuc viguiſſe, præter Plinium ipſum, qui de Druidibus ſemper ut adhuc ſtantibus loquitur. Tacitus quoque annali 14. in celebri illo Suetonii Paulini contra Britannos in Monâ inſulâ prælio, *Druidæ circum*, inquit, *preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundebant.* Rurſum hiſt. 4. ſub Veſpaſiani primordia, cùm Galli *inſtigatore Civili rebellionem captarent, Poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus portendi, ſuperſtitione vanâ Druidæ canebant.*] Ita ille. qui tamen Druidas ipſos dumtaxat, non etiam eorum humana ſacrificia viguiſſe ſcribit. quæ ſola civibus quidem Auguſtum, ceteris etiam Tiberium Claudiúmque interdixiſſe, penitúſque ſuſtuliſſe, intelligunt Strabo, Plinius atque Suetonius. ſalvis ſemper Druidibus, & aliis eorumdem minimè humanis ſacrificiis, vaticinationibus, diſciplinis & inſtitutis. Enimverò quantumvis ea iſta tam immania ſacra abolenda Principes edixerint; non æquè tamen apud aſſuetas illis gentes obtinuerint. Nam longè poſt illos Teriullianus in Apologetico; *Major ætas*, ait, *apud Gallos Mercurio proſecatur.* ne apud Romanos quidem Senatus-conſultum anni U. C. 657. obſtitit quò minus Latialis Jupiter ſanguine coleretur humano, aut Aurelianus Imperator ſervos Jovi Capitolino immolaret; ut ſuprà dixi. & potuit ea Gallorum immanitas ſi non palam, certè in occulto perſeveraſſe. Potuit item aliquâ ſaltem tam inoliti ritûs imagine, etiam publicè repræſentari. Idque ni fallor, innuit ſub Claudio ipſo ſcribens Mela; de Gallis ita loquens: *Gentes ſuperbæ, ſuperſtitioſæ, aliquando etiam immanes, adeo ut hominem optimam & gratiſſimam Diis victimam crederent. Manent veſtigia feritatis jam abolitæ. atque ut ab ultimis cædibus* (hominum ſcilicet) *temperant, ita nihilominus ubi devotos altaribus admovêre, delibant* (quippiam ſcilicet humani ſanguinis extrahunt, & Diis ſuis libant offeruntque, aliquo adhuc immanitatis abolitæ veſtigio.) *Habent tamen & facundiam ſuam, magiſtroſq́; ſapientiæ Druidas.* quaſi dicat, Etſi immanis hominum victima penitus ſublata ſit, exili tantum ejus manente veſtigio; manent tamen adhuc Druidæ, ſapientiam de more docent, reliquaque ſervant inſtituta.

Non tamen ubique, nec ſemper.

Druidæ Britanni potius à Gallis quàm contrà.

7. Atque ex his omnibus ſatis conſtat Druidas Gallorum proprios fuiſſe Sacerdotes, & eorumdem immania ſacrificia maximè in Galliis uſurpata. Quomodo ergo unus in ceteris Cæſar lib. 6. ſcribere audet? *Diſciplina* Druidum *in Britanniâ reperta, & inde in Gallias tranſlata eſſe exiſtimatur. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò diſcendi cauſa proficiſcuntur.* Nimirum Cæſar, non amplius in Britannia verſatus, quàm ut poſſet, quod canit Lucanus, *Territa quæſitis oſtendere terga Britannis*; non tam hæc & ſimilia aſſerit, quàm ex aliorum minus fortè gnarorum ſenſu refert; quod verbo *exiſtimatur* intelligere ſe ſatis innuit. Unde l. 4. planiſſimè ſcribit: *Genus hominum* (in Britanniâ ſcilicet) *loca, aditus, omnia ferè Gallis erant incognita. neque enim temerè præter mercatores adit ad illos quiſpiam.* Si Inſulâ jam notiore ſcripſiſſet, non aliter, quàm illum inſecuti auctores pene omnes, ſcripſiſſet. Quin potius cum Tacito dixiſſet, *In univerſum exiſtimanti Gallos vicinum ſolum* (Britannicum) *occupaſſe credibile eſt. quorum ibi ſacra deprehendantur, ſuperſtitionum perſuaſione; ſermonem haud multum diverſum, in depoſcendis periculis eamdem audaciam*: aut cum Britanniæ alumno Beda c. 1. *Britones de Armoricano tractu in Britanniam advectos.* aut etiam cum ipſo Camdeno, *Britannos veram eſſe Gallorum propaginem, è nomine, ſitu, Religione, moribus & linguâ.* Et quis non videt, ita natura comparatum, ut à terrâ continente potius Inſulæ, quàm contrà, primos incolas ſuos acceperint? (quod ſuprà monuimus.) Ideoque tempore & potentiâ priores Gallos, Religionem quoque ſibi potiùs effinxiſſe, quàm à coloniis ſuis tanto ſe poſterioribus, *Tac. in vita Agric.*

hauſiſſe ?

hauſiſſe? Quòd ſi Gallorum quidam diſciplinæ Druidarum avidiores, in Britanniam diſcendi cauſâ profecti fuerint; id majorem Britannis Druidibus antiquitatem non aſſerit, quàm aſſeruiſſet Monachorum priſcorum quilibet, qui ex Lirinenſi vetuſtiſſimo Monaſterio in novum Caſſinenſe tempore S. Benedicti accuratioris diſciplinæ diſcendæ causâ tranſmigraſſet.

An Druidæ à Græcis?

8. Sed quid de Plinio cenſebimus, qui Druidas tradit, *nulla ſine quercûs fronde ſacra facere, ut inde appellati quoque interpretatione Græcâ poßint Druidæ videri?* Quercus enim Δρῦς Græcè dicitur. Unde & Dryades, à quernarum maxime ſylvarum incolatu, Græcis dictæ. Si autem à Græcis Druidæ nomen, cur & originem non duxerint? præſertim, cùm teſte quoque ipſo Cæſare, *tam in rebus publicis, quàm privatis rationibus, literis Græcis uterentur.* Quod & in Hercule Gallico Lucianus confirmat, cùm Gallorum Philoſophum quempiam (indubiè Druidam) Picturas quaſdam Græcè ſibi explicuiſſe teſtatur.

9. Plinius imprimis non exertè affirmat Druidas appellatione Græcâ ſic dictos, ſed ita quercum amaſſe, ut *inde interpretatione Græca appellati videri poßint.* iis ſcilicet qui Druidarum originem aliunde ignorarent.

Non videtur.

Ita Plutarchus Hebraicæ linguæ prorſus ignarus, Judaicam vocem *Sabbathum* à Jove Sabbatio derivat. Ita Strabo Germanos à Germana Gallorum fraternitate dictos ſcribit ridiculè. Timidiùs hic Plinius eoque cautiùs loquitur. Sanè Druidæ ſi origine Græci eſſent, aut ex Maſſilienſibus, aut ex vicinâ provinciâ, quæ Mediterraneo mari adpoſita, commercia cum Græcis inſtruere maximè potuit, orti eſſent. Hos verò longè primis Galliarum incolis poſteriores eſſe, res ipſa loquitur; tum verò etiam Ammianus & ante eùm Timagenes lingua diligentiaque Græcus, cùm *Aborigines primos in Galliis viſos eſſe* dicunt.

Amm. l. 15. c. 23.

quis Aborigines iſtos, id eſt primæ incognitæque originis Gallos, ſine ulla Religione, ſine Sacerdotibus ſacrificiiſque fuiſſe credat? Quis ullius Græcæ gentis, quæcumque demùm & quandocumque auſtralia Galliæ litora tenuerit, priſcos Sacerdotes Druidas inaudiit? Quis eorum ceu Græciam incolentium mentionem unquam fecit? Quomodo ergo nomen Druidibus, aut cur iis potius quàm Bardis & Vatibus aut Eubagibus impoſuerint?

Quercus non ſoli Druidæ, ſed pleræque Gentes amaverunt.

10. Neque verò ſolos ego Druidas credo quercus & lucos amaſſe; omnium penè gentium jam inde ab Orbis origine morem illum fuiſſe video. In lucis quidem pleroſque omnes litaſſe ſacraque peregiſſe, ſicut & habitaſſe, non è Virgilio modò Poëtiſque ceteris, ſed è ſacris quoque Codicibus intelligimus. In quibus cùm quercus & majore ſui frequentiâ, & altitudine, contráque cœli injurias latitudine, robore, vivacitate, adeóque fructu (nam glande primùm vixere mortales) majorem quoque ſui majeſtatem conciliaret; quid mirum ſi eam ceteris & amore & cultu prætulerint homines? Quid mirum ſi Cerere deinde, frumentoque reperto, & glandium loco in hominum alimenta converſo; Druidæ noſtri, aliique etiam gentium aliarum Sacerdotes ad quercus ſacrificare perrexerint, ſeu avitorum rituum memores, ſeu lætiores Deo gratias acturi, quòd ſylveſtrem inſipidámque glandem, novo adeoque ſuavi pabulo, tritico inquam permutaſſet? Ita non magis Druidarum quàm Dodonæa quercus oraculo quoque memorata, mira nobis videbitur. Ita Claudianus de laudibus Stiliconis libro 1.

——— Hercyniam ſylvam lucoſq; vetuſtâ
Religione truces, & robora Numinis inſtar, aptè memoraverit. Nec ſecus Virgilius Geog. 3. *Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos.* & Æneid. 3. *——— Quales cum vertice celſo Aereæ quercus, aut coniferæ cypariſſi Conſtiterunt. ſylvâ alta Iovis, lucuſve Dianæ.* Denique Iſraëlitis id per Ezechielem exprobrat Deus ipſe: *& ſcietis quia ego dominus, cùm fuerint interfecti veſtri in medio idolorum veſtrorum, in circuitu ararum veſtrarum, in omni colle excelſo, & in cunctis ſummitatibus montium; & ſubtus omne lignum nemoroſum, & ſubtus univerſam quercum frondoſam, locum ubi accenderunt thura redolentia univerſis idolis ſuis.*] Druidæ igitur quercus non ſoli dilexerint coluerintve, nec ab iis magis quàm aliæ gentes Græcum nomen invenerint.

Ezech. 6. v. 13.

An Druidæ Græcè ſcripſerint?

11. Nec me magis movet quod ſubdit Cæſar, Druidas *in reliquis ferè rebus privatiſq; rationibus literis græcis uſos.* quando ipſe nè ex iſto quidem ritu Græcam illis originem attribuit. Ad hæc, *litera* iſtæ *Græca*, vel pro lingua Græcâ, quâ conſignatas ſcimus tot ſcientias, vel pro ſolis characteribus Gallico idiomati aptatis, capiuntur. Si pro linguâ ipsâ ſeu ſermone; nihil mirum Druidas ejus ignaros haud fuiſſe, eo præſertim ſæculo, quo Strabo ſub Tiberii principatu Gallis penè omnibus adeò communem facit, ut de Maſſilia ſcribens iſta tradat lib. 3. *Vrbs ea Barbaris loco ludi literarii patefacta fuit; & græcarum literarum ſtudioſos reddidit Gallos; ut contractuum quoque formulas Græcè conſcriberent. Nunc verò nobiliſſimis etiam Romanorum perſuaſit, ut pro Athenienſi peregrinatione Maſſilienſem ſuſcipiant. Quos cùm videant Galli, quia in pace vivitur, ipſi quoque libentes otium huic vitæ inſtituto impendunt, non modò privatim, ſed & publicè. Nam præter Sophiſtas, qui privatis ſumptibus eò commeant, publicis etiam civitatum ſtipendiis cùm Sophiſtarum Medici illic aluntur.*] Ita ille. Druidibus igitur non origo ſeu ortus, ſed ardens ſtudium, & Philoſophiæ medicinæque amor Græcæ linguæ notitiam infuderat: præſertim cùm Philoſophiâ illi ſuam, cujus amore tantopere tenebantur, cum Græcanicâ tam celebri conferre percuperent. quâ proinde linguâ, cùm familiarem ſibi reddidiſſent, nihil mirum ſi etiam paulò antè publicis privatiſque rationibus uſi ſint. Ita majores noſtri, Eccleſiaſtici maximè, Latinas totâ Europâ ſcholas inſtituerunt.

12. Si *literas græcas* pro ſolis characteribus Cæſar capit (quod nonnulli probabiliùs exiſtimant) tunc ſermo Græcus ad Gallorum urbes Maſſiliæ duntaxat confines vicinaſque reſtringendus eſſet; quas *Barbaras ſupra eos ſitas* Strabo vocat. Sanè linguam Græcam non omnibus Druidibus notam, pluſcula perſuadent. Primùm enim id non tacuiſſent Scriptores Græci, tanti rerum ſuarum buccinatores. Ad hæc Cæſar Comment. 1. cùm *Divitiacum ad ſe vocari juſſit, quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Troacillum Principem Galliæ provinciæ, familiarem ſuum, cui omnium rerum fidem habebat, collocutus eſt.* Græcæ linguæ probè gnarum fuiſſe Cæſarem nemo negaverit. cujus tamen Divitiacum neſcium fuiſſe neceſſum eſt; quando per interpretem colloqui debuit cum eo Cæſar. Quod ſi Divitiacus Æduorum princeps, adeóque, ut de divinatione

ſcribit Cicero lib. de Divinat. è Druidibus unus, Græcè neſcivit; tot inferiores alii, tot à Maſſiliâ in Boream remotiores, etiam Carnutes, etiam Belgæ ſciviſſent? Quomodo igitur Comment. 5. Cæſar, epiſtolam ad Q. Ciceronem in Nerviis obſeſſum græcis conſcriptam literis miſiſſe ſe ſcribit, ne eâ interceptâ, ſua ab hoſtibus conſilia cognoſcerentur? Si objicias Latinam quoque linguam totâ jam Europâ notiſſimam, à pleriſque tamen nobilium ignorari; facilè reponam ab Eccleſiaſticis & Judicibus, qui ſententias & contractus Latinè contexunt, non æquè ignorari poſſe. At Druidæ, teſte Cæſare, literis græcis in privatis publicisque rebus utebantur, præſertim cum de omnibus controverſiis conſtituerent, ſententiásve ferrent. In Anglia, Germania, alibíve, ubi etiamnum Latinè jura redduntur, edicta ſanciuntur; nihil mirum ſi nobiles aliquot Latinè neſciant: at qui Iudicum, Sacerdotum, Scribarumque munere funguntur, non mirum eſſet neſcire?

Characteres græcos a Maſſilienſibus mutuati videntur.

13. Ceterum quod ad characteres græcos attinet. dici forte poſſit, Gallos ac Druidas, cùm diu diſciplinam ſuam non literis ſed memoriæ mandaſſent; ac humaniores poſtmodum facti literis etiam conſignare vellent; literarũ figuras à vicinis Maſſilienſibus veriſimiliter mutuatos. aut veteres ſuas minus concinnas ſi quas habuerint, elegantioribus Maſſilienſium Græcorumúe commutaſſe: ſicut Germanos jam ac Boreales penè omnes nativos ſuos characteras elegantioribus Italicis poſthabere videmus. Non deſunt tamen qui priſcos Druidarum characteras, & elegantes, & Græcis ſimiles fuiſſe credant. Xenophonte ſiquidem & Archilocho teſtibus, literarum figuræ, quas in Græciam è Phœniciâ Cadmus intulit, Galaticis quàm Punicis ſive Phœniciis ſimiliores extitere. Ac licèt Galatas hic non noſtros, ſed Aſiaticos intelligamus; nihil tamen vetat, quin & Aſiatici Galatæ, Gallorum Europæorum (quibus orti erant) characteras, æquè ac linguam, retinere potuerint; quam penè Treverorum fuiſſe, præfatione in epiſtolam ad Galatas teſtatur Hieronymus: evidenti argumento Galatas eos, qui poſt longos errores tandem in Aſia ſedem fixerint, è Treveris Belgisque ortos ac profectos. Cumque Galliâ Galatæ iſti eodem ferè tempore, nempe Tarquinii Priſci, quo Maſſiliam condidere Phocenſes, exceſſerint: pari evidentiâ ſequeretur, non à Græcis eos literarum ſigna hauſiſſe, ſed pari minimùm vetuſtate, & jam inde à primâ linguarum diviſione poſſediſſe. Ita cùm Druidas ait Cæſar Græcis literis, ſeu characteribus uſos, literarum ſimilitudine deceptus id dixerit. Nedum, quod Plinius dicere videbatur, Druidarum nomen Græcum extulerit.

Druidæ Celticum potius nomen.

14. Celticum potius eſſe nihil dubium, ſive ab hodierno Germanico *Treuu* aut *Trauu* deductum, quod fidem fidelitatémve ſignificat. Quibus enim potiùs quàm Druidibus ſuis eam animi notionem Galli tribuiſſent? Hinc in Sirmundi noſtri Capitularibus & Conciliis alibive *Drudos* legimus, pro Regum Vaſallis & fidelibus ſeu Baronibus Conſiliariisve, qui fidem ſervant. Sed & aliam Flandrica noſtra Brabanticáve ſuggerit Etymologiam, nempe *Truyt*, *Trut*, & *Trud*, aliquando *Drud*, quæ vox antiquitùs ſocietatem copulamque ſeu pace ſeu matrimonio initam ſignaſſe, & perſonis nomina Gertrudis, Adeltrudis, Rictrudis, Waldetrudis formaſſe videtur; hæc enim nihil aliud, quàm Guerræ ſeu belli, Nobilitatis, opum, & regnorum conjunctionem ſonant. Ita Druidæ, quaſi eorumdem ſtudiorum, exercitiorum, functionumque, divinarum maximè ſocii dicti fuerint; quo Ammianus quoque alludere videtur, cùm eos *ſodalitiis adſtrictos conſortiis* ſcribit. Alfricus quidam in Gloſſario Saxonico-latino, teſte Cluverio lib. 1. cap. 24. Saxonas in Britannia *Magum* ſuâ linguâ vocaſſe DRY, teſtatur. plane ad id, quod ſupra Plinius de Druidibus loquens, ait, *Ita Galli ſuos appellant Magos.* Sed unde vox illa DRY manarit, ſilet.

Cluv. l. 1. c. 24.

Druides etiam fœminæ.

15. Poſtremò feminas quoque Druidas in Galliâ fuiſſe, teſtatur inprimis illa, quam Tungris imperium Diocletiano prædixiſſe infrà memorabo; tum Inſcriptio illa Gruteri pag. 62. Metis aut circà reperta, SYLVANO SACR. ET NYMPHIS LOCI, ARETE DRUIS ANTISTITA SOMNO MONITA Ita duas Druidas Belgica noſtra memorat. Denique Hieronymus epiſtola ad Hedibiam, quæ cum Algaſia de ultimis finibus Galliarum multa ei dubia, per quemdam Apodemium propoſuerat; majores eam Paterium atque Delphidium, habuiſſe ſcribit; quos Druidarum ſtirpe in Aremoricis & Baiocaſſis ſatos canit Auſonius de Profeſſoribus carmine 5. 6. & 11. Ita jam tum Hieronymi ævo, ea Galliarum pars extrema, quæ modò Normandia dicitur, feminas nobiles & quidem ſtirpe Druidarum ſatas, non Chriſtianas modò, ſed & in eâ fide doctiſſimas, quæque vel Hieronymum ipſum profundis quæſtionibus exercere poſſent, alebat. quantus eſſe potuit aliorum numerus? Quidni & Belgæ contigui eadem cœli luce illuſtrati fuerint?

CAPUT V.

NERONIS Imperium, & ſub eo prima Chriſtianorum Perſecutio. GALBÆ initia.

Ab anno Chriſti vulgari 54. ad 69

1. SEd jam è diverticulo in viam: & è Druidibus ad hiſtoriam. Claudio Imp. ſublato, pronepos ejus ex Agrippinâ juniore Germanici filiâ, & Domitio Ænobarbo, mox etiam adoptione filius NERO ſucceſſit. & primo imperii anno matrem gravatus; licèt ab eâ ad imperium provectus; *Excubias militares* (ait Tacitus annali 13.) *quæ ut conjugi Imperatoris olim, tum quoque ut matri ſervabantur* (ex prætorianæ erant) *& Germanos ſuper eumdem honorem cuſtodes additos, digredi juſſit.* Clariùs Suetonius c. 34. *Matrem dicta factaque ſua exquirentem acerbiùs, & corrigentem gravatus, abductâ militum* (Prætorianorum) *& Germanorum ſtatione, contubernio quoque & palatio expulit.* Germanos hoſce nos ſupra ſuo loco, primùm ab Auguſto allectos diximus. ac licèt Vari clade dimiſſos, mox tamen reſumptos; quando Tacitus annali 1. mox ab Auguſti exceſſu, *robora Germanorum cuſtodes Imperatori* Tiberio *adfuiſſe* memorat. Continuatus is mos à Caligula, Claudio, & Nerone, ad Galbam uſque, qui diſſolvit: uti paulò póſt. ſed rurſum ab ſequentibus Cæſaribus aſſumptos ad tempora ſua teſtatur

Nero matrem faſtidit.

ſuprà lib. 55. Dio, dum ſcribit: *Ac ſunt etiam nunc peculiare corpus, & baculos geſtant inſtar Centurionum.*

Annus Julian. 103. U. C. 811. A Paſſione 28.

2. Anno inde tertio, Neronis quarto, A Chriſti Paſſione 28. vulgaris Epochæ 58. *Quieta* (ait Tacitus) *ad id tempus res in Germania* (Ciſrhenanâ) *fuerant, ingenio ducum: qui pervulgatis triumphi inſignibus, majus eo decus ſperabant, ſi pacem continuaviſſent. Pompeius Paulinus, L. Vetus eâ tempeſtate exercitus* (ille Inferiori, hic Superiori) *præerant. Ne tamen ſegnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & ſexaginta annos à Druſo aggerem coërcendo Rheno abſolvit.* erat iſte Druſi agger ſeu moles in Batavia, ad oppidum hodie dictum *Duroſtadium* paulò ſuprà Trajectum inferius, quod & Ultrajectum. ſed Aggerem hunc tredecim poſthàc annis disjecit Civilis, ut ibi videbimus. *Vetus Moſellam atque Ararim* (quorum fontes ſibi vicinos etiamnum in ſuperiore Lotharingiâ cernimus) *factâ inter utrumque foſſâ convertere parabat: ut copiæ per mare* (Mediterraneum) *dein Rhodano & Arare ſubvectæ, per eam foſſam, mox fluvio Moſellâ in Rhenum, exin Oceanum decurrerent. ſublatiſque itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe Occidentis Septemtrioniſque littora fierent. invidit operi Ælius Gracilis Belgicæ Legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret, ſtudiaque Galliarum affectaret. Formidoloſum id Imperatori dictitans, quo plerumque cohibentur conatus honeſti.* Erat igitur Lotharingiæ Ducatus hodiernus (Tullenſe ſaltem in eo territorium, ubi fluminum iſtorum ortus) non Germaniæ Superioris, ſed Belgicæ ſtrictè ſumptæ; & quidem Primæ. tametſi Belgicam tunc in Primam Secundámve ſubdiviſam nondum legam. Hîc tamen ſupponam. Neque ſatis definio, an Gracilis iſte Belgicæ Legatus Durocortori Remorum, an Auguſtæ Trevirorum ſedem habuerit. Sanè Mediomatricos Treviroſque Leucis ſeu Tullenſibus iſtis finitimos ſcimus; eóque ut à tempore Conſtantini numquam, ita tunc vix commodè ab iis totâ provinciâ divulſos pronior eſt exiſtimatio. Treviris ergo propinquiore Leucis ſeu Tullenſibus iſtis urbe, Ælium Gracilem hunc Belgicæ Legatum agitaſſe, propior ſum ut credam. Remorum civitas longiùs abeſt; neque Leucis unquam præfuit. Trevirorum Auguſta, *Galliarum* (non tantum Belgicæ) *urbs* Salviano *excellentiſſima*, mihi quidẽ neſcio quid ſupra Durocortorum Remorum ſemper habuiſſe videtur. Interim noto, Quod tunc Vetus, id quoque noſtra memoria Henricum quartum Franciæ Regem, ſtatim à pace cum Hiſpanis, anno Chriſti 1598. factâ, meditatum fuiſſe. ſed pari vanoque exitu. Non exili tamen commodo fructúque id fieret, ſi poſſet.

Pompeius Paulinus Inferioris, L. Vetus Superioris Germaniæ Præfecti.

Vetus Moſellam & Ararim cõnectere vult.

Ælius Gracilis Belgicę Legatus impedit.

3. *Ceterum* (pergit Tacitus) *continuo exercituum otio fama inceſſit, ereptum jus Legatis ducendi in hoſtem. Eóque Friſii juventutem ſaltibus, aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovère ripæ* (Rheni) *agróſque vacuos & militum uſui ſepoſitos inſedere; auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnabant. Jamque fixerant domos, ſemina arvis intulerant, utque patrium ſolum exercebant. Vibius Avitus, acceptâ à Paullino Provinciâ* (Germaniâ ſcilicet Inferiore, quo etiam tempore Curtilius Mancias Lucio Veteri in ſuperiore ſucceſſit, ut mox audiemus) *minitando vim Romanam, niſi abſcederent Friſii veteres in locos, aut novam ſedem à Cæſare impetrarent; perpulit Verritum & Malorigem preces ſuſcipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quæ Barbaris oſtentantur, intravere Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viſerent. Illic per otium* (neque enim ludicris oblectabantur) *dum conſeſſum caveæ, diſcrimina ordinum, quis eques, ubi Senatus percontantur; advertère quoſdam cultu externo in ſedibus Senatorum. Et quinam forent, rogitantes, poſtquam audiverant, earum gentium legatis id honorem datum, quæ virtute, & amicitiâ Romanâ præcellerent: Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe exclamant; degrediunturque, & inter Patres conſidunt. Quod comiter à viſentibus exceptum, quaſi impetus antiqui, & bonæ æmulatione. Nero civitate Romanâ ambos donavit. Friſios decedere agris juſſit. Atque illis aſpernantibus, auxiliaris eques repente immiſſus neceſſitatem attulit, captis cæſiſque, qui pervicaciùs reſtiterant.*

Friſii agros Romanorũ limitaneos occupant.

Legatos Romam mittunt.

Eorum generoſa ſimplicitas.

Friſii agris decedere coguntur.

4. *Eoſdem Agros Anſibarii occupavere, validior gens, non modo ſuâ copiâ, ſed adjacentium populorum miſeratione. quia pulſi a Chaucis, & ſedis inopes, tutum exilium orabant. Aderátque iis clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, nomine Boiocalus; vinctum ſe rebellione Cheruſca* (ſub Varo ſcilicet) *juſſu Arminii referens; mox Tiberio & Germanico ducibus, ſtipendia meruiſſe, quinquaginta annorum obſequia. Id quoque adjungere; Quod gentem ſuam ditioni noſtræ ſubjiceret. Quotam partem campi jacere, in quam pecora & armenta militum aliquando tranſmitterentur? Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum, & poſt Uſipiorum fuiſſe. ſicut cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas: quæque ſint vacua, eas publicas eſſe. Solem deinde reſpiciens, & cetera ſidera vocans, quaſi coram interrogabat, Vellentne contueri inane ſolum? potius mare ſuperfunderent, adverſus terrarum ereptores. Nec commotus his Avitus, Patienda meliorum imperia,* reſpondit. *Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent; neque alios judices, quam ſeipſos paterentur. Hæc in publicum Anſibariis reſpondit. Ipſi Boiocalo, ob memoriam amicitiæ daturum agros. Quod ille ut proditionis pretium aſpernatus, addidit: Deeſſe nobis terra, in qua vivamus, in qua moriamur, non poteſt. Atque ita infenſis utrimque animis diſceſſum.*

Quos Anſibarii potentiores occupant.

Duce Boiocalo.

Avitus non admittit.

5. *Illi Bructeros, Tencteros ulteriores etiam nationes ſocias bello vocabant. Avitus, ſcripto ad Curtilium Manciam, ſuperioris exercitus legatum* (jam ſcilicet Veteri ſucceſſerat) *ut Rhenum tranſgreſſus* (circa Moguntiam) *arma à tergo oſtenderet; ipſe Legiones in agrum Tencterum* (circa Lupiam & Ruram fluvios) *induxit: excidium minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his* (Tencteris nempe) *pari metu exterritis Bructeris, & ceteris quoque, aliena pericula deſerentibus; ſola Anſibariorum gens retrò ad Uſipios & Tubantes conceſſit. Quorum terris exacti, cùm Chattos, deinde Cheruſcos petiiſſent; errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno quod juventutis erat cæduntur. imbellis ætas in prædam diviſa eſt.*

Anſibarii Bructeros & Tencteros auxiliares aſſumunt.

Fruſtrà nam tandẽ cæſi.

6. *Eâdem æſtate, inter Hermunduros Cattoſque, certatum magno prælio: dum flumen gignendo ſale fœcundum & conterminum, vi trahunt.* Id flumen eſt Sala, quod prope Egram Occidentale Bohemiæ opidum natum, in Albim tandem influit. *Bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitio fuit. quia victores diverſam aciem Marti ac Mercurio ſacravere: quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* Hactenus ex Tacit. annali 13. finiente.

Catti ab Hermunduris cæduntur.

Annus U. C. 814. Jul. 106. Tac. ann. 14.

7. Anno inde U. C. 814. Neronis 7. Chriſti Dionyſiano ſeu hodierno 61. à Paſſione 31. Britanniam,

Cæſi in Britannia Romani.

niam, cùm rapinis illa inſolentiáque Romani militis defeciſſet: cæſâque unâ Petilii Cerialis legione nonâ, trepidus inſulæ Procurator Catus in Galliam tranſiiſſet, Suetonius Paullinus ei præpoſitus conſtantiâ & unius prælii ſucceſſu in officio continuit. Mòx copias ejus auxit Nero, miſſis è Germaniâ duobus Legionariorum millibus, octo cohortibus, ac mille equitibus. Miſſus item Româ ad ſpectandum Britanniæ ſtatum ex libertis Polycletus: qui ingenti agmine Italiæ Galliæque (per quas iter fecit) gravis, poſtquam Oceanum tranſmiſerat, Romano quidem militi terribilis inceſſit, hoſtibus irriſui fuit, mirantibus quod dux & exercitus, tanti belli patrator, ſervitiis obedirent.

8. *Eodem anno Cenſus per Gallias à Q. Voluſio, Sex. Africano, Trebelliòque Maximo acti ſunt. æmulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atque Africano* (Juli Antonii, fortè, nepoti) *Trebellium dum uterque dedignatur, ſuprà tulere.* Tac. ann. 14. Vides quàm ſæpè Cenſus in Galliâ, præpotenter & frequenter, reperiri.

Annus U.C. 817. Jul. 109. A Paſſione 34. Ingens Romæ incendium. *Ex Tac. l. 15.*

9. Biennio pòſt ſecutum Romæ incendium, fortè, an dolo Principis incertum, præcedentibus certè omnibus multo gravius & atrocius. Per ſex novémve dies arſit Urbs, nec ſiſti potuit ignis, quin & Palatium, & Neronis domus nova, cuncta circùm haurirentur. Credebatur Nero innovandæ Urbis gloriam quæſiviſſe. *Ergo abolendo rumori* (ait Tacitus) *ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos vulgus* CHRISTIANOS *appellabat. Auctor nominis ejus* CHRISTVS, *qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſáque in præſens exitiabilis ſuperſtitio* (ita quidem Tacitus, Suetonius cap. 16. aliique Ethnici vocabant) *rurſus erumpebat; non modò per Judæam, originem ejus mali; ſed per Urbem etiam, quò cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturq́. Igitur primò correpti qui fatebantur; deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt. & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defeciſſet dies in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo inſiſtens. Unde quamquam adverſus ſontes, & noviſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur: tanquam non utilitate publicâ, ſed in ſævitiam unius abſumerentur.* Ita Tacitus Chriſtianis infenſus, ut & Suetonius, qui Ner. c. 16. eoſdem *ſuppliciis affectos, genus hominum vocat, ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.* Uterque nimirum cæcis idololatriæ tenebris obſitus.

Ex quo Chriſtiani accuſati.

Qui Romæ tunc multi,

& crudeliter habiti.

Nerone interim aurigante.

10. Sed enim Tacitus eorum *multitudinem* Romæ jam tùm *ingentem* notat. ut videamus quantum fides inibi Apoſtolorum Petri & Pauli maximè miniſterio creverit; qui & ipſi paulò poſt, eàdem adhuc perſecutione abſumpti. Rurſum ſicut cuncta undique nova Romam confluebant, ſic & in Provincias inde mox efferebantur. Ita nihil dubium quin Petrus ipſe ac Paulus, quorum ille per hoc tempus in Britanniam, hic in Hiſpaniam, uterque per Gallias noſtras itinere ſuſcepto, fidei ſemine ſolum noſtrum impleverint: & Eccleſias non paucas inſtituerint, Treviris maxime, Urbe tum Galliarum excellentiſſimâ. Quare & in Belgio noſtrate, reliquiſque locis Chriſtiani inſtituti, prima hac Neronis perſecutione vexati fuerint; vel ipſo Oroſio teſte, qui l. 7. c. 7. eos *per omnes provincias pari perſecutione excruciatos* disertè ſcribit. Verùm tot Martyrum memoriam ævum nobis invidit. Nazarium tamen & Celſum puerum hoc tempore Mediolani paſſos, huc refero; quia Treviris prædicaſſe memorantur. Atque hæc anno Neronis decimo, à Chriſti Paſſione triceſimoquarto geri cœpta, in ejus Imperii pœnè finem producta ſunt.

Eadem in Provinciis Perſecutio.

teſte Oroſio *l. 7. c. 7.*

Etiam Treviris & in Belgio.

11. Quo tempore Vibio Avito, & Curtilio Manciæ (de quibus ſuprà) Scribonios fratres etiam Tacito annali 3. & libro hiſt. 4. celebratos, in Germaniarum Belgicarum administratione ſucceſſiſſe; teſtatur è Dione Xiphilinus, fine Neronis, cùm ait, inter eos qui ex Neronis crudelitate ſibi mortem inferebant (poſt Corbulonis, Sulpitiorumq́ue necem) *ſe tantum Scriboniorum Rufi & Procli mentionem facturum. Nam hi cùm fratres eſſent, ac ferè æquales, nihilq́ue unquam disjuncti & ſeparati feciſſent; ut erant genere & inſtituto vitæ, facultatibusq́ue conjuncti; diuq́ue ſimul* (nota) *utramque Germaniam adminiſtraverant; ita ſimul in Græciam à Nerone. Ludos inibi Olympicos celebrante, vocati ſunt: tanquam Nero eorum operâ indigeret. Cúmque rei facti criminum, quæ illa tempora ferebant, nec cauſæ dicendæ facultatem conſequerentur, nec in conſpectum Neronis admitterentur, ac proinde ab omnibus pariter deſpicerentur; mortem obire maluerunt; venisq́ue tandem inciſis mortui ſunt.* Si diu Germanias noſtras ſimul rexerunt, planè inter Manciam Avitumq́ue, & Verginium Rufum Fonteiumq́ue Capitonem rexerint: qui paulò ante Vindicis mortem ſucceſſiſſe videntur. Quo quidem Vindicis motu, Gallica ſub Nerone hiſtoria nihil ſuggerit illuſtrius. Quare illum paulò fuſius excuſſiſſe juverit.

Scribonii fratres conjunctiſſimi.

Germaniâ utramque Belgicam ſimul adminiſtrant.

A Nerone vocati ſe occidunt.

CAPUT VI.

C. Iulii Vindicis in Galliâ motus, & mors.

Anno U.C. 821. Iul. 113. A Paſſione 38. Æræ Dionyſianæ 68.

1. NEronem verè tyrannum *paulò minus 14. annos* (ait Suetonius in eo, cap. 40. *perpeſſus terrarum Orbis, tandem deſtituit. initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui eam Provinciam Proprætor obtinebat. Erat natione Gallus,* addit è Dione Xiphilinus, *ſtirpe à majoribus regiâ, à patre ordinis Senatorii: homo magnis corporis viribus, multâ prudentiâ, etiam militari; pari ad quodvis præclarum facinus audaciâ. Hic Gallos nimiâ jam exactione tyrannidéque in defectionem pronos, in arma impulit; ſubvenirent ſibi ipſi; Populo Romano, toti terrarum Orbi libertatem redderent. Ad id eos jurejurando adigit, ſe quoque ipſum, ſi ſecus faceret, occiderent. Simul Sulpitium Galbam, virum nobilem, Conſularem, Juſtitiæ belliq́ laude præſtantem, tum Hiſpaniæ Tarraconenſi viciniæ præpoſitum literis orat. Imperium acceptaret; robuſto Galliarum corpori, ubi centena jam armatorum millia parata eſſent, plura colligi poſſent, caput ſe daret, humano generi aſſertorem ducemq́ue ſe accommodaret. Nec diu cunctatus Galba, conditionem partim metu, partim ſpe recepit.* Suet. Plut. Dio. Apud Joſephum Judæum libro 2.

Galli duce Vindice in Neronem inſurgunt.

Galbam Vindex ad Imperium excitat.

Excidii

Excidii cap. 16. teſtatur Agrippa Rex oratione publicè, ſecundo poſt hunc anno habitâ, *Gallias hoc tempore, trecentis quinque gentibus numeroſas, fontibus domeſtica felicitatis totum penè orbem irrigaſſe; & tamen mille dumtaxat ac ducentis militibus inſeſſas, Romano Imperio ſerviviſſe: quibus penè plures habebant civitates.* Cui conformis Tac. hiſt. 1. Vindicem cum inermi Provinciâ fuiſſe ſcribit: octo ſcilicet quæ ad Rhenum erant legiones non Gallicas, ſed Germanicas reputans; tametſi ille ipſe, *commune eas in Gallos Germanosque ſubſidium* ſæpiùs appellet.

Quinā pro Nerone cōtra Vindicē Galli.

2. Nec tamen à Vindicis partibus Galli omnes. *Pars Galliarum*, juxta eumdem Tacitum hiſt. 1. *quæ Rhenum accolebat*, Legionum vicinarum partes, id eſt Neronem ſecuta eſt. in quibus Batavos, Agrippinenſes, Treviros, Rhemos, Lingonas ipſe numerat: additque, *Lugdunenſis Colonia pertinaci pro Nerone fide ſtetit.* Aquitaniæ quoque Legatum, auxilium à Galbâ contra Vindicem imploraſſe, habet Suetonius in eo, cap. 9. BELGICA denique noſtra ferè tota, cum Legionibus Rhenanis, acerrima in Vindicianos, moxque faſtidito Vindice, in Galbianos inſtigatrix fuit, teſte Tacito. Qui rurſum hiſt. 4. *Conſtat*, ait, *obſtitiſſe Treviris Lingonibusque, quòd Vindicis motu cum Verginio ſtetiſſent.* pro Nerone ſcilicet. *In Vindicem verò proxima Sequanorum Æduorumque ſtudia*, ait Tacitus hiſt. 1. *Arvernorum* item, libro 4. *Viennenſes autem, quibus priſca cum Lugdunenſibus uno amne diſcretis, æmulatio & invidia, ſedem Vindici bello præbere, ejus conatus adjuvare, conſcriptas nuper Legiones in præſidium Galbæ referre, ipſum etiam Lugdunum obſidione tentare auſi.* Prorſus ut Vindex in Viennenſi, Narbonenſiue tunc egiſſe, ſi non & natus fuiſſe videatur. Tacitus quidem, cùm Valentis è Vitellii Ducibus, unà cum exercitu iter in Italiam deſcribit, lib. hiſt. 1. *Veterem*, inquit, *inter Lugdunenſes Viennenſesque diſcordiam proximum* Vindicis *bellum accenderat. Multæ invicem clades, crebriùs infeſtiúsque, quàm ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. Et Galba* Vindici junctus, *reditus Lugdunenſium, occaſione iræ, in fiſcum verterat. Multus contrà in Viennenſes honor. Vnde æmulatio & invidia*, &c. *Nec defuere Gallis Duces*, iterum Tacitus hiſt. 4. *Aſiaticus* (*Belgicæ Provinciæ Legatum*, ſub Vitellio vocat Tacit. hiſt. 1.) *Flavius & Rufinus, pro Vindice bellantes.*

Quinam pro Vindice.

3. Ita diviſis Gallorum ſtudiis, omne belli momentum ab Rhenanis octo Legionibus pendebat; cuncta prout ſociæ aut adverſæ inclinaſſent, vi ſuâ tractaturis. Iis præerant in Germaniâ quidem Superiore *Verginius Rufus*, *Equeſtri familiâ* (Tacitus hiſt. 1.) *ignoto patre.* In Inferiore, Fonteius Capito, anno ante hunc altero Conſul, collegâ Julio Rufo: ſub quibus Petrus ac Paulus Apoſtoli Romæ martyrii lauream adepti. Et Capito quidem in Vindicem moviſſe non legitur. utpote ab Æduis, Sequanis, ac Viennenſibus Vindici addictis, remotior. Solus Verginius vicinior, ſigna in eum Legionesque vertiſſe videtur; indignatus, quòd cum unâ alteráve provinciâ, ferè inermi, Imperatores creare præſumeret: ſimul legem ſibi ne à Romano quidem, nedum à Gallo dari volens. *In itinere* (ait è Dione Xiphilinus) *Sequanorum caput Veſontio, illi ſe portis occluſis oppoſuit. Ergo eam obſedit. Nec ſegnius Vindex, ad ferendam opem accurrit: caſtra non procul poſuit. Hinc uterque Dux miſſis utrimque literis; mox in colloquium remotis arbitris advenerunt. Ibi*

Legiones Rhenanæ pro Nerone, & Belgica noſtra.

Ducibus Verginio Rufo.

& Fonteio Capitone.

Verginius in Vindicē.

ſuſpicio fuit, unà illos in Neronem conſpiraſſe. Certè ſtatim Vindex cum exercitu ſuo propiùs acceſſit, quaſi ſolutam obſidione urbem initurus. Vnde Rufi milites palàm eos contra ſe venire rati, impetum faciunt; inopinantes atque confuſos invadunt, magnum numerum conficiunt. Ita è Dione Xiphilinus. Addit Tacitus hiſt. 4. *Batavo equite* Legionum auxiliari, *protritos Æduos Arvernosq;*, Vindici militantes: *fuiſſe inter Verginii auxilia Belgas; veréque reputantibus Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe.* Addit Plutarchus in Galbâ, *initum Ducibus invitis atrox prælium; quî inſtar aurigarum ferociores equos retinere non valentium, militem à conflictu nunquam revocare potuerint. cæſa & loco fixa viginti Gallorum millia. Tanto caſu irritatus Vindex, quo lente proceſſuram defectionem adverterat, violentas ſibi nimio mœrore manus intulit*: fortunam ſæpiùs incuſans, quæ ſibi tam præclarum Tyranni cædendi, populique Romani liberandi facinus invidiſſet.

Qui inopinato victus ſe cædit.

4. *Caſum ejus* (rurſum Dio) *Verginius Rufus acerbè tulit. Simul principatum, quem facilè adipiſci poterat, deferentibus ſæpè urgentibusque militibus, repudiavit. Vir erat in rebus gerendis acer & induſtrius, in conficiendis fortis promptusque. Itaque milites detractis comminutisque Neronis imaginibus, Cæſarem eum Auguſtúmque nominare cœperunt. Cúmque perſuaderi non poſſet, quidam è militibus unus è ſignis ejuſidem inſcripſit ſubito. Idque Rufus poſtea delevit. Ac vix eandem ſedatis militibus, perſuadebat, ut authoritatem Senatus populoq; reſtituerent, ſive quòd indignum putaret Imperium cuiquam à militibus deferri (id enim ad Senatum populumque pertinere) ſive quod excelſo fortiq; vir animo, principatum, cujus cauſa ceteri omnia facerent, ipſe deſpiceret.* Quinimo refert Plutarchus in Galba, poſtquàm Neronem eodem hoc anno, decimâ Junii die cæſum, literis ab Urbe allatis intellexit, Galbam Imperatorem à Senatu dictum; legiones quoque, ut eumdem Imperatorem agnoſcerent, ægrè licèt, induxit: miſſumque ab eo ſucceſſorem Flaccum Hordeonium admiſit. Ipſe *per amicitia ſimulationem Legionibus abductus*, Romam eunti Galbæ occurrit, & comes ei factus eſt. Tacitus tamen 1. hiſt. aliter: *Nec ſtatim pro Galba Verginius; an imperare voluiſſet, dubium. delatum ei à militibus Imperium conveniebat.* Capitonem cæſum etiam ex ſores indignabamur. *Dux deerat; abducto Verginio per ſimulationem amicitiæ.* Atque hæc in Superiore Germaniâ Ciſrhenanâ, ſeu Belgicâ.

Rufus in Imperio recuſando conſtans.

Hordeonii ſucceſſorem admittit.

5. In Inferiore verò Legatus *Fonteius Capito*, ſuperioris anni per priores aliquot menſes Conſul ordinarius, Neroni adhuc vivo fidus; è Batavis duobus, qui regiâ ſtirpe multò ceteros anteibant, Julium Paulum falſo rebellionis crimine peremerat; Claudio Civili rebelli catenas injecerat, vinctum ad Neronem miſerat. Tac. hiſt. 1. Nerone mortuo, etiam Imperio inhiare videbatur. *Nam adeo demens fuit inſolentia* (ait è Dione Xiphilinus) *ut cum forte quidam reus ab eo jus dicente provocaſſet, ſtatim in ſellam excelſiorem inſiliens dixerit, Age dic cauſam apud Cæſarem. Eumque cauſâ cognita capite condemnavit. Et erat* (addit 1 hiſt. Tacitus) *ſorde avaritiáque aſſignandis militiæ ordinibus fœdus.* Unde inviſum primò *Julius Burdo Germanicæ claſſis Præfectus crimine, ac mox inſidiis aggreditur*; Tac. pag. 433. *tum Cornelius Aquinus etiam Fabius Legati legionum* (in Germania Inferiore, Valens etiam Bonnæ) *interficiunt, antequam juberentur* (Tac. pag. 404. init.) non ipſi quidem, ſed ipſorum juſſu *Centurio*

Fonteius Capito Inferioris Germaniæ Legatus.

Crudelis, avarus, & Nerone mortuo, etiam Imperium ambiens.

Sed occiditur.

Criſpinus;

Criſpinus; qui ſe ſanguine Capitonis cruentavit (p.433.) *fuere* tamen (iterum Tac. pag. 404.) *qui crederent, Capitonem, ut avaritiâ & libidine fœdum ac maculoſum, ita cogitatione rerum novarum abſtinuiſſe: ſed à Legatis bellum ſuadentibus, poſtquam impellere nequiverint, crimen ac dolum compoſitum ultrò: & Galbam mobilitate ingenii, an ne altius ſcrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobaſſe.* p.404.] Fonteio cæſo (p. 405.) *Inferiori Germaniâ Legiones diutius ſine Conſulari fuere: donec miſſu Galbæ Vitellius aderat, Cenſoris Vitellii ac ter Conſulis filius; ſub ipſas* (p. 429.) *ſuperioris anni Kalendas Decembres Inferiorem Germaniam, & hiberna legionum ingreſſus, ſordem & avaritiam Fontei Capitonis, integre mutaverat.* Remiſſum cum eo puto Claudium *Civilem præpotentem inter Batavos, ne ſupplicio ejus ferox gens alienaretur.* p. 433.] *Grata nihilominus, adhuc proximo* Vitellii motu *memoria Capitonis*, pag. 433. init. *& qui occiſum queri non poterant* (pag. 405) *tamen indignabantur.* Sed *& Fabium Valens* (429.) *Galbæ ſtatim infenſus manſit; tanquam detectam à ſe Verginii cunctationem* [*quâ ſcilicet non ſtatim ille pro Galba,* (p. 404. fin.) *an imperare voluiſſet dubium: delatum ei à militibus Imperium conveniebat.*] *Oppreſſa Capitonis conſilia ingratè tuliſſet.* Atque hæc in Galliâ, & in Germaniis Ciſrhenanis ſeu Belgicis.

CAPUT VII.

Galbæ breve Imperium. Vitellio ſuffecto.

Eodem Anno.

1. IN Hiſpania interim *Galba inter plura diſcrimina* (ait Suetonius in eo, cap. 11.) *acceptâ morte Vindicis quàm maximè conſternatus, deſtitutoq; ſimilis, non multum abfuit quin vita renuntiaret. Sed ſupervenientibus ab Vrbe nuntiis, ut occiſum Neronem, cunctosq; in verba ſua juraſſe cognovit e depoſitâ Legati, ſuſcepit CÆSARIS appellationem. Iterque Romam ingreſſus eſt paludatus, ac dependente à cervicibus pugione ante pectus. Nec prius uſum togæ recuperavit, quàm oppreſſit qui novas res moliebantur, Præfecto Prætorii Nymphidio Sabino Romæ; in Germaniâ Fonteio Capitone; in Africâ Clandio Macro Legato.* Suet. *Tardum Galbæ iter* (addit Tacitus hiſt. 1.) *& cruentum, interfectis Cingonio Varrone Conſule deſignato, ceu Nymphidii ſocio; & Petronio Turpiliano Neronis Duce.* Cruentior adhuc *introitus in Vrbem, trucidatis tot millibus inermium militum.* Inductâ in Urbem *Legione Hiſpanâ. plena Vrbs exercitu inſolito: multi ad hoc Numeri, è Germaniâ, Britannia, Illyrico; quos aliò priùs deſtinatos, opprimendis Vindicis captis revocaverat* Nero. *Item Germanorum* (Ciſrhenanorum ſeu Belgicorum) *cohortem, à Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multiſque experimentis fideliſſimam diſſolvit; ac ſine ullo commodo remiſit in patriam.* quaſi ſuſpectam. Cohortis hujus Germanicæ frequentem nos ſuprà fecimus mentionem.

Galbæ iter in Urbem tardum & cruentum.

Introitus cruentior.

2. *Quare adventus ejus non perinde gratus fuit: univerſis ferè ordinibus ei offenſis: præcipuâ tamen apud milites Prætorianos invidiâ; quibus donativum à nuntiis ſuis grandius ſolito pronuntiatum, ratum habere noluit; legere ſe militem jactans, non emere conſueſſe. Sed maxime fremebat Superioris Germaniæ exercitus; fraudari ſe præmiis navatæ adverſus Gallos & Vindicem operæ.* Sueton.] Adjungit & hæc Tacitus hiſt. 1. *Galbæ ſuper memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono civitatis, & in poſterum tributi levamento,* à Galbâ ſcilicet, cui faverat Vindex. *Proxima tamen Germanis* ad Rhenum *exercitibus Galliarum civitates* (Belgicæ haud dubiè maximè) *non eodem honore habitæ, quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac ſuas injurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculoſiſſimum in tantis viribus, ſuperbâ recentis victoriæ irati,* hinc & elati, *metu* illinc *ſolliciti, tanquam alias partes* (Neronis nempe contra Vindicem, adeoque Galbam ipſum) *foviſſent.* Tacitus.] *Ergo primi* (ſubdit Suetonius cap. 16.) *obſequium rumpere auſi, Kalendis Januariis* (anni proximè ſequentis, U. C. 822. Julian. 114. Chriſti 73. & 69. A Paſſione 39. ſeneſcentis.) *adigi ſacramento, niſi in nomen Senatûs, recuſarunt. ſtatimq; Legationem ad Prætorianos,* qui Romæ erant, *cum mandatis deſtinaverunt; Diſplicere Imperatorem in Hiſpania factum:* non ſine Rhenanorum ſcilicet Prætorianorumque militum, tanto potiorum injuriâ; *eligerent, quem cuncti exercitus comprobarent.* Suet. Diſtinctiùs Tacitus hiſt. 1. *Abductus* jam antè Germaniâ Superiore à Galbâ *erat per ſimulationem amicitiæ Verginius,* ut ſuprà monui. *cumq; non remitti, atque etiam reum eſſe, tanquam ſuum crimen accipiebat Superior iſte exercitus.* & ſuffectum illi a Galbâ *Legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat; ſenectâ ac debilitate pedum invalidum; ſine conſtantiâ, ſine auctoritate: ne quieto quidē militi regimen: adeo furentes* quomodo regeret? imò regentis & *retinere volentis infirmitate, ultrò etiam accendebantur.*

Germaniæ Superioris Legiones ab eo deficiunt.

ANNUS U. C. 822. Julian. 114. Chriſti 73. & 69. A Paſſione 39. præcipitâs.

3. Erat inter eos *Cæcina,* qui *decorâ juventâ, corpore ingens, animi immodicus, cito ſermone, erecto inceſſu, ſtudia militum allexerat. Hunc juvenem Galba Quæſtorem in Bæticâ, in partes ſuas impigrè tranſgreſſum, legioni præpoſuerat. Mox compertum publicam pecuniam averſiſſe, ut peculatorem flagitari juſſerat. Id Cæcina ægre paſſus, privata vulnera Reip. malis operire ſtatuit.* & verè operuit, Germaniâ Superiore à Galbâ ad Vitellium avocatâ. *Nec deerant in exercitu diſcordiæ: quòd & bello adverſus Vindicem univerſus affuerat, nec niſi occiſo Nerone tranſlatus in Galbam; atque in eo ipſo ſacramento, vexillis Inferioris Germaniæ præventus erat. Et Treviri ac Lingones, quaſque alias civitates* Rheno vicinas, Vindici adverſas, *atrocibus edictis, aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propiùs mixti, ſeditioſa colloquia ferebant. quibus corruptior miles; & in Verginium favor cuicumque profuturus. Nec jam procul ſeditione legiones, tacito inter ſe fœdere obſtringuntur: adſcito auxiliorum milite,* maximè reor Belgico, etſi *primùm ſuſpecto, mox eadem actiùs volente.* Ergo primæ *Quarta ac duodevigeſima Legiones, eiſdem hibernis,* Moguntiâ non procul, *tendentes, ipſo Kalendarum Januariarum die, dirumpunt imagines Galbæ. mox ne Imperii reverentiam exuere viderentur, S. P. Q. R. in ſacramenta advocant. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus,* Verginio ut dixi à Galbâ ſuffectus, *Conſularis Legatus aderat, ſegnis, pavidus, & ſocordiâ innocens.* Cæcinæ, legionis licèt unius Legato, reſiſtere non auſus.

Impulſore Cæcinâ.

4. Quædam hîc ex Plutarcho notanda. *Superioris,* ait, *exercitus Duces & Præfecti cœperunt illam Principis* Galbæ *rejectionem, ut defectionem formidare. Ac quidam illorum,* Cæcina veriſimiliter, *dixit:*

Quod & Plutarchus narrat. in Galba.

Quid

Quod hoc rei eſt, commilitones, quod neque alium Imperatorem creemus, neque retinemus quem habemus? quaſi non Galbam, ſed omnino Imperatorem habere, & parere refugiamus. Flaccum Hordeonium quidem, qui nihil aliud quàm Galbæ umbra, & ſimulacbrum eſt, miſſum faciamus. Unius diei iter à nobis abeſt Vitellius, qui alteri Germaniæ præeſt: cujus pater Cenſor, & ter Conſul fuit, Claudio item Cæſari quodam modo conſors Imperii; imò qui & paupertatem quam alii deteſtantur, inſigne probitatis magnanimitatiſq́, ſuæ documentum habet. Agite, hunc legamus, & mortalibus omnibus oſtendamus, Hiſpanis nos & Luſitanis rectius noſſe Imperatores creare. His cùm quidam jam aſſentirentur, quidam refragarentur, ſignifer unus è caſtris ſe ſubduxit, eáque nocte Vitellio, multis apud eum cœnantibus, annunciavit.] *Ea nox Kalendas Ianuarias ſequebatur,* ait Tacitus hiſt. 1. *narrabátque Aquilifer, Quartam & Duodevicefimam Legiones, projectis Galbæ imaginibus in Senatus Populique Romani verba juraſſe. Id Sacramentum, ut in obliterata jam nomina, inane viſum. occupari nutantem fortunam, & offerri Principatum placuit. Proxima Legionis Primæ hiberna erant, Bonnæ nimirum, & promptiſſimus è Legatis Fabius Valens.*

5. *Is infenſus Galbæ, tanquam detectam à ſe Verginii cunctationem, oppreſſa Capitonis conſilia ingratè tuliſſet, Vitellium jam ante ad Imperium inſtigaverat, ardorem militum oſtentans: ipſum celebri ubique famâ: nullam in Flacco Hordeonio moram: affore Britanniam: ſecutura Germanorum &* Belgarum *auxilia: malefidas Provincias: precarium ſenis* Galbæ *imperium, & brevi tranſiturum; panderet modò ſinum, & venienti fortunæ occurreret. Meritò dubitaſſe Verginium, equeſtri familia, ignoto patre: imparem ſi recepiſſet Imperium, tutum, ſi recuſaſſet. Vitellio tres patris Conſulatus, Cenſuram, collegium Cæſaris, imponere jampridem Imperatoris dignationem, & auferre privati ſecuritatem. Quatiebatur his ſegne ingenium, ut concupiſceret magis quam ſperaret.* Valens legnitiem iſtam nihil moratus, tandem *poſtero* iſto *Kalendarum* Januariarum *die, Coloniam Agrippinenſem cum equitibus,* Legionis ſuæ ſcilicet ac Primæ, *auxiliorúmque* Belgicorum & Provincialium, id eſt, ut Plutarchus in Galbâ, *cum frequenti equitatu, ingreſſus, Imperatorem conſalutavit.* Tac.] Suetonius Vit. cap. 8. *Vix dum menſe tranſacto,* ab ſuo in Germaniam Belgicam adventu, *neque diei, neque temporis habitâ ratione, ac jam veſpere ſubitò a militibus è cubiculo raptus, ita ut erat in veſte domeſticâ, Imperator eſt conſalutatus.* Addit Plutarchus Galbâ, *Ac licet ſuperioribus diebus id nomen repudiare ac recuſare viſus eſſet, molem timens Imperii; tunc tamen aiunt, cum eſſet vino ciboque Meridiano gravatus, progreſſum eſſe. Ita circumlatus* (pergit Suet.) *per celeberrimos* Coloniæ *vicos, ſtrictum D. Julii Cæſaris gladium tenens, Martis delubro detractum, atque in prima gratulatione à quodam ſibi porrectum. Nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini. Tum quidem conſternatis, & quaſi omine adverſo anxiis omnibus, inquit; Bono animo eſtote, nobis alluxit. nullo ſermone alio apud milites uſus.*

Vitellius ad Imperium aſſumitur, Coloniæ Agrippinæ.

6. *Secuta ingenti certamine ejuſdem Provinciæ* Inferioris *legiones. & Superior exercitus, ſpecioſis Senatus populique Romani nominibus relictis, tertio Nonas Ianuarii Vitellio acceſſit. Scires illum priore biduo non penes Remp. fuiſſe. Conſentiente igitur* [Suet.] *Superioris provinciæ exercitu, cognomen Germanici delatum ab univerſis, cupidè recepit; Auguſti diſtulit: Cæſaris in perpetuum recuſavit.* Idem habet Plutarchus, concludens, *Ita Vitellius Imperator in Germania ſalutatus. Ardorem exercituum,* rurſum Tacitus, *Agrippinenſes, Treviri, Lingones æquabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes: ut quiſque corpore, opibus, ingenio validus. Nec Principes modo Coloniarum, aut caſtrorum, quibus præſentia ex affluenti, & partâ victoriâ magnæ ſpes: ſed & manipuli quoque & gregarius miles omnia ſua loco pecuniæ tradebant; inſtinctu, impetu, avaritiâ. Pompeius Propinquus Procurator* BELGICÆ *ſtatim interfectus.*

Quem & Galli, Legiones ſequuti, approbant & juvant.

cujus literæ de Germaniæ Superioris defectione Romam venerant, uti paulò pòſt. Julium Burdonem Germanicæ claſſis Præfectum aſtu ſubtraxit. Exarſerat in eum iracundia exercitus, tanquam crimen ac mox inſidias Fonteio Capitoni ſtruxiſſet. Grata erat memoria Capitonis; & apud ſævientes occidere palàm, ignoſcere non niſi fallendo licebat. Ita in cuſtodia habitus: & poſt victoriam demum, ſtratis jam militum odiis, dimiſſus eſt: Interim ut piaculum objicitur Centurio Criſpinus, qui ſe Capitonis ſanguine cruentaverat; eoque & poſtulantibus manifeſtior, & punienti vilior fuit. Julius deinde Civilis (quem Batavum è regiâ ſtirpe, Capito catenis onuſtum ad Neronem anteà miſerat, Galba ſolutum remiſerat, ut dixi) periculo exemptus, præpotens inter Batavos; ne ſupplicio ejus ferox gens alienaretur. Et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, Quartædecimæ Legionis auxilia; tum diſcordiâ temporum à Legione digreſſæ; prout inclinaſſent, grande momentum, ſociæ aut adverſæ. Quatuor Centuriones, qui Galbæ imagines protexerant, ut ſuprà retulimus, occidi juſſit; damnatos fidei crimine, graviſſimo inter deſciſcentes.

Pompeius Propinquus Belgicæ Procurator à Vitellio cæſus.

7. *Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus,* Aſiatici ſenioris Tacito libro 11. *bis Conſulis* filius ut videtur, BELGICÆ *Provinciæ Legatus, quem mox Vitellius generum adſcivit. & Junius Blæſus Lugdunenſis Galliæ Rector, cum Italica Legione & ala Tauriana Lugduni tendentibus.* Quid enim aliud facerent inermes Provinciæ, tot tamque victoarum Legionum ſervitio expoſitæ; & niſi contactu valentiorum agerentur, in præmium belli ceſſuræ? Suprà quidem ex Taciti annali 11. Gannaſcum Caninefatem Gallos maritimos imbelles exiſtimaſſe vidimus. *Ne in Britannia quidem* de Vitellii imperio *dubitatum*; adjungit Tacitus: licèt in ea duæ trésve legiones eſſent.

Contrà Valerius Aſiaticus, Belgicæ Legatus, gener Vitellii aſſumptus.

8. At Romæ interim Galba cæde Prætorianorum aliorumque militum, inviſior agebat: donec ab iiſdem Prætorianis, Othone impellente, cæderetur. *Paucis poſt Kalendas Ianuarias diebus* (ait Tacitus hiſt. 1.) *Pompeii Propinqui Procuratoris,* tum adhuc ſuperſtitis, *è Belgica literæ afferuntur, Superioris Germaniæ Legiones, ruptâ ſacramenti reverentiâ, Imperatorem alium flagitare; & Senatui P. Q. R. arbitrium eligendi permittere, quo ſeditio mollius acciperetur. Maturavit ea res conſilium Galbæ, jampridem de adoptione agitantis & quanquam nihil adhuc de Vitellio certum;* tamen *Piſonem Licinianum,* virum nobilem & ſeverum, in caſtris Prætorianorum adoptat, & apud Patres publicat. erat Romæ M. Otho, paulò antè è Luſitania, cui à Nerone præfectus fuerat, comiter adminiſtratâ, redux. Hic primus in Galbæ partes tranſgreſſus, adoptionem illam ſtatim quaſi debitam ambiebat, & acriùs in dies rapiebat. Ubi eâ excidiſſe ſe vidit, in Galbam irâ, in Othonem invidiâ, in utriuſque cædem incubuit.

Galba Romæ in medio foro cæſus.

buit. & conciliatis ſibi Prætorianis, poſt quatriduum ab adoptione perfecit; ambobus fori Romani medio, ſævè trucidatis. Hunc exitum habuit Galba, ſexto Imperii menſe, ætatis anno 73. quinque Principes proſperâ fortunâ emenſus, & alieno imperio felicior, quàm ſuo. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit; major privato viſus, & omnium conſenſu capax Imperii, niſi imperaſſet. Tac.] *Illud* in hac cæde *mirum admodum fuit* (addit Suet. cap. 20.) *neque præſentium quemquam opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui accerſerentur, ſpreviſſe nuntium; exceptâ Germanicorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quod ſe ægros & invalidos magnopère foviſſet, in auxilium advolavere: ſed ſerius, itinere devio, per ignorantiam locorum, retardati.* Non erant hi Germanici ex illâ cohorte, quæ à Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis adjuncta erat. hanc enim paulò antè Galba, licèt multis experimentis fideliſſimam, diſſolverat, & in patriam ſine ullo commodo remiſerat. teſte eodem Suet. cap 12. ſed ex eorum Germanicorum vexillis, qui in Libertatis atrio tendentes, & in Galbæ ruentis auxilium vocati diu nutaverant, invalidis adhuc corporibus, & placatis animis; quòd eos Alexandriam præmiſſos, atque inde reverſos, longâ navigatione ægros; impenſiore curâ Galba refovebat. ut expreſsè Tacitus, hiſt. 1. Alios corporis ex antiquo cuſtodes ſi retinuiſſet, tam miſerè fortè non periiſſet. Quod moneo, quia Germani iſti, Belgici & Ciſrhenani erant. Jam Vitellii in Italiam iter videamus: verbis quidem Taciti, ſubinde ſuccisis.

Ab omnib⁹ deſertus, exceptis Germanis Belgicis.

CAPUT VIII.

Cæcinæ ac Valentis Vitellianorum, adeóque Vitellii ipſius in Italiam per Gallias iter; contra Othonem.

Eodem anno U.C. 822. Iul. 114. Chriſti vero 73. Dion. 69. A Paſſione 39.

1. TAcitus lib. hiſt. 1. *Adjuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibuſque Vitellius, duos duces, duo itinera bello deſtinavit. Fabius Valens allicere, vel ſi abnuerent, vaſtare Gallias; & Cottianis Alpibus* (monte credo Matronâ) *Italiam irrumpere; Cæcina propiore tranſitu, Penninis jugis degredi juſſus. Valenti Inferioris exercitûs electi, cum Aquila Quinta* (an XV.) *legione & cohortibus aliſque ad 40. millia armatorum data. Triginta millia Cæcina è Superiore Germania ducebat; quorum robur Legio una, Prima & Viceſima fuit. Addita utrique Germanorum auxilia.* Germanorum inquam Belgicorum ſeu Ciſrhenanorum: è quibus paulò infrà Lector audiet, duas *Tungrorum* cohortes, quatuor equitum turmas; univerſam *Trevirorum* alam ac turmas, cum Julio Claſſico Præfecto: *Batavorum* item cum Brigantico Præfecto & aliis. *Ex iiſdem Germanis* (pergit Tacitus) *Vitellius ſuas quoque copias ſupplevit, tota mole belli ſecuturus. Mira inter exercitum Imperatorémque diverſitas. Inſtare miles, arma poſcere; dum Galliæ trepident, Hiſpaniæ cunctentur: Non obſtare hyemem, neque ignavæ pacis moras; invadendam Italiam, occupandam Urbem. Nihil in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius; ubi facto magis, quam conſulto opus eſſet. Torpebat Vitellius, & fortunam principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præſumebat; medio diei temulentus, & ſaginâ gravis. cum tamen ardor & vis militum ultrò Ducis munia implebat; ut ſi adeſſet Imperator, & ſtrenuis vel ignavis ſpem metúmque adderet. Inſtructi intentíque ſignum profectionis expoſcunt: nomine GERMANICI Vitellio ſtatim addito. Cæſarem ſe appellari etiam victor prohibuit.*

Fabius Valens & Alienus Cæcina Vitellii Duces in Italiam.

Exercitûs ardor.

Vitellius torpor

2. *Lætum augurium Fabio Valenti exercituique quem in bellum agebat, ipſo profectionis die, Aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut Dux viæ prævolavit. longúmque per ſpatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit; ut haud dubium magnæ & proſperæ rei omen acciperetur. Et TREVIROS quidem ut ſocios ſecuri adiere. Divoduri* (Mediomatricorum id oppidum eſt) *quamquam omni comitate exceptos, ſubitus pavor exterruit; raptis repente armis ad cædem innoxiæ civitatis; non ob prædam aut ſpoliandi cupidinem, ſed furore, & rabie, & cauſis incertis, eóque difficilioribus remediis. donec precibus Ducis mitigati, ab excidio civitatis temperavére. Cæſa tamen ad quatuor millia hominum. Iſque terror Gallias invaſit, ut venienti mox agmini univerſæ civitates, cum Magiſtratibus & precibus occurrerent, ſtratis per vias pueris fœminiſque, quæque alia placamenta hoſtilis iræ; non quidem in bello, ſed in pace tendebantur.*

Fabii Valentis iter.

Per Treviros Mediomatricos.

3. *Nuntium de cæde Galbæ & imperio Othonis, Fabius Valens in civitate Leucorum* (Tulli) *accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus, bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta* (morte Galbæ) *& in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio & metus: Proxima* Leucis *Lingonum civitas erat, fida partibus: benignè excepti, modeſtiâ certavére: Sed brevis lætitia fuit, cohortium* Batavicarum *intemperie: quas à Legione Quartadecimâ, ut ſuprà memoravimus, digreſſas, exercitui ſuo Valens adjunxerat. Jurgia primùm, mox rixa inter Batavos & Legionarios. Dum his aut illis ſtudia militum adgregantur, prope in prælium exarſere. ni Valens animadverſione paucorum, oblitos jam Batavos imperii admonuiſſet. Fruſtrà adverſus Æduos,* qui pro Vindice Galbâque ſteterant, *quæſita belli cauſa: juſſi pecuniam atque arma deferre, gratuitos inſuper commeatus præbuére. Quod Ædui formidine, Lugdunenſes gaudio fecere. Sed Legio Italica & Taurina abducta. cohortem decimam octavam Lugduni, ſolitis ſibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens Legatus Italicæ legionis, quanquam benè de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. ſecretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum; & quo incautior deciperetur, palam laudatum.*

Tullum Leucorum.

Lingones, ubi Batavi feroces.

Per Æduos,

& Lugdunenſes.

4. *Veterem inter Lugdunenſes Viennenſeſque diſcordiam, proximum* Vindicis *bellum accenderat. Multæ invicem clades, crebriùs infeſtiùsque, quàm ut tantùm propter Neronem Galbamq́; pugnaretur. & Galba reditus Lugdunenſium occaſione iræ in fiſcum verterat. Multus contrà in Viennenſes honor. Unde æmulatio & invidia, & uno amne diſcretis connexum odium. Igitur Lugdunenſes extimulare ſingulos militum, & in everſionem Viennenſium impellere: obſeſſam ab illis coloniam ſuam, adjutos Vindicis conatus, conſcriptas nuper legiones in præſidium Galbæ referendo. Et ubi cauſas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ oſtendebant.*

Qui Vitellianos in Viennenſes Vindicianos incitât.

Nec jam ſecreta exhortatio, ſed publicæ preces. Irent ultores, exſcinderent ſedem Gallici belli. cuncta illic externa & hoſtilia: ſe coloniam Romanam & partem exercitus, & proſperarum adverſarumq́ rerum ſocios. Si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur. His & pluribus in eumdem modum perpulerant, ut nec legati quidem ac duces partium reſtingui poſſe iracundiam exercitûs arbitrarentur. Cum haud ignari diſcriminis ſui Viennenſes, velamenta & infulas præferentes, ubi agmen inceſſerat, arma, genua, veſtigia prehenſando, flexere militum animos. Addidit Valens tricenos ſingulis militibus ſeſtertios. Tum vetuſtas dignitáſque coloniæ valuit. & verba Fabii ſalutem incolumitatemque Viennenſium commendantis, æquis auribus accepta. Publicè tamen armis mulctati, privatis & promiſcuis copiis juvere militem. Sed fama conſtans fuit, ipſum* Valentem magnâ pecuniâ emptum. Is diu ſordidus, repente dives, mutationem fortunæ male tegebat, accenſis egeſtate longâ cupidinibus, immoderatus, & inops juventâ ſenex prodigus.*

Sed illos hi precibus & pecunia placant.

5. *Lento deinde agmine per fines Allobrogum & Vocontiorum ductus exercitus: ipſa itinerum ſpatia & ſtativorum mutationes venditante Duce, fœdis pactionibus adverſus poſſeſſores agrorum, & magiſtratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum eſt) faces admoverit, donec pecuniâ mitigaretur. Quoties pecuniæ materia deeſſet, ſtupris & adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes* (Matronam montem) *perventum.* Hæc de Valentis per Gallias itinere.

Cæcinæ iter per Helvetios ex Tac. lib. hiſt. 1. & belli ex avaritiâ. [illegible] etiâ Helvetiorû culpâ.

6. *Plus prædæ ac ſanguinis* CÆCINA *hauſit. Irritaverant turbidum ingenium Helvetii Gallica gens, olim armis viriſque, mox memoriâ nominis clara; de cæde Galbæ ignari, & Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia, ac feſtinatio unaetvicesimæ legionis. Rapuerant pecuniam miſſam in ſtipendium caſtelli, quod olim Helvetii ſuis militibus ac ſtipendiis tuebantur. Ægrè id paſſi Helvetii, interceptis epiſtolis, quæ nomine Germanici exercitûs ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quoſdam militum in cuſtodiâ retinebant. Cæcina belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat. Mota propere caſtra, vaſtati agri. Direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amœno ſalubrium* aquarum uſu frequens. Miſſi ad Rhætica auxilia nuntii, ut verſos in legionem Helvetios à tergo aggrederentur. Illi ante diſcrimen feroces, in periculo pavidi, quanquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noſcere, non ordines ſequi, non in unum conſulere. Exitioſum adverſus veteranos prœlium, intuta obſidio, dilapſis vetuſtate mœnibus. Hinc Cæcina cum valido exercitu, inde Rhætica alæ cohorteſq́, & ipſorum Rhætorum juventus ſueta armis, & more militiæ exercita. undique populatio & cædes. Ipſi in medio vagi, abjectis armis, magna pars ſaucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac ſtatim immiſſa cohorte Thracum depulſi, & conſectantibus Germanis Rhætiſque, per ſylvas atque in ipſis latebris trucidati. Multa hominum millia cæſa, multa ſub coronâ venundata.*

* An hodie Baden?

Qui trepidant.

Fugiunt. & cæduntur.

7. *Cumq́ direptis omnibus Aventicum gentis caput juſto agmine peteretur; miſſi qui dederent civitatem. & deditio accepta. In Julium Alpinum è principibus, ut concitorem belli, Cæcina animadvertit: ceteros veniæ vel ſævitiæ Vitellii reliquit. Haud facilè dictu eſt, legati Helvetiorum minus placabilem Imperatorem, an militem invenerint. Civitatis excidium poſcunt* (qui circa Vitellium Coloniæ erant) *tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat: cum Claudius Coſſus, unus ex legatis nota facundia, ſed dicendi artem aptâ trepidatione occultans, atque eò validior, militis animum mitigavit: ut eſt mos vulgo, mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam, quam immodicum ſævitiâ fuerat.* Effuſis lacrymis, & meliora conſtantius poſtulando, impunitatem ſalutemque civitati impetravere.*

Aventicum Helvetiorum caput deditur.

Legati ad Vitellium. qui iratus.

Tamen parcit.

8. *Cæcina paucos in Helvetiis moratus dies, dum ſententiæ Vitellii certior fieret; ſimul tranſitum Alpium parans; lætum ex Italia nuntium accipit, alam Syllanam circa Padum agentem, ſacramento Vitellii acceſſiſſe. Proconſulem Vitellium Syllani in Africa habuerant. mox* à Nerone, ut in Ægyptum præmitterentur exciti, & ob bellum Vindicis revocati ac tum in Italia manentes; Vitellio obſtricti, & fama Germanici exercitûs impulſi; et Mediolanum, Novariam, Eporediam, ac Vercellas ſecum dedidere. eò Cæcina præmiſſis Gallorum, Luſitanorum, Britannorumq́ cohortibus, & Germanorum vexillis, mox ipſe Pennino* (monte) *militem ſuum hibernis adhuc nivibus traduxit.* Hæc ex Taciti hiſtoriâ 1.

Ala Syllana ad Padum Vitellio ſe adjungit.

9. Interim Otho* pridie Idus Martii Româ profectus, contra Cæcinam jam Alpes tranſgreſſum movebat: ſimul claſſem armatam tentandæ à maritimis Alpibus Provinciæ Narbonenſi in verba Vitellii adactæ immittit. *Quod ubi Fabio Valenti* (circa Cottias Alpes adhuc agenti) *trepidi nuntii attulere; duas* TUNGRORUM *cohortes,* 4. *equitum turmas univerſam* TREVIRORUM *alam, cum Julio Claſſico præfecto miſit.* Pugnatum eſt primùm Marte Vitellianis infauſto: mox iteratâ pugnâ atrox eorumdem facta cædes: *&* TUNGRARUM *cohortiũ præfecti, ſuſtentata diu acie telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit; quorum improvidè ſequentes, converſi equites* (Vitelliani) *circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc claſſis* (Othonis) *inde eques* (Vitellii) *ſubitam formidinem inferrent, Vitelliani retrò Antipolim Narbonenſis Galliæ municipium, Othoniani Albingaunum interioris Liguriæ revertere.*

Otho Româ in Vitellianos movet. *Tacit. l.* 2. Provinciam Narbonenſem claſſe aggreditur.

Valens Tũgros & Treviros contra mittit.

Qui cæduntur.

10. Jam Cæcina *florentiſſimum Italiæ latus, quantum inter Padum Alpeſque camporum & urbium, armis Vitellii tenebat. Irritabat quin etiam Batavos Tranſrhenanoſque Padus ipſe.* Quem illi repentè circa Placentiam tranſgreſſi: mox cum Cæcina ipſe. Qui inde Placentiâ fruſtrà oppugnatâ, ſtrenuè defendente Spurinna Othoniano; circa Cremonam conceſſit. ubi cùm prælio iterum adverſo certaſſet; Fabius Valens Ticino rapidè advecto agmine, ei ſe junxit. Secutum paulò poſt aliud Bebriaci (vicus is eſt Cremonam inter & Veronam) gravius prælium Othoni adverſum, ipſum ad voluntariam mortem adegit, circa diem Aprilis nonumdecimum: cum dies 95. imperaſſet, ut Suetonius, cap. 11.

Cæcina omnia inter Alpes & Padũ tenet.

Batavi Padũ tranant.

Bebriacẽſe prælium, quo Otho cecidit, in Tacito legere poteſt Lector.

11. *Interim Vitellius victoriæ ſuæ neſcius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, feſtinatis per Gallias dilectibus, ut remanentium legionum nomina ſupplerentur.* Ita per bella civilia, Galli ipſi contra Tranſrhenanos ſuamque libertatem militiæ adſcripti. *Cura ripæ* (Rhenanæ) *Hordeonio Flacco permiſſa. Ipſe è Britannico dilectu octo millia ſibi adjunxit. Et paucorum dierum iter progreſſus* (credo ut Valens, per Treveros & Leucos) *proſperas apud Bedriacum res, ac morte Othonis concidiſſe bellum accepit. Vocatâ concione, virtutem militum laudibus cumulat. Iiſdem diebus acceſſiſſe partibus utramque Mauritaniam audivit, brevi auditu magna tranſiens. Exercitum*

Vitellius è Germaniâ Belgicâ in Italiâ movet: Gallis ac Britannis adjutus.

Arare flumine devectus.

itinere terreſtri pergere jubet. Ipſe Arare flumine devehitur. nullo principali paratu, ſed vetere egeſtate conſpicuus. Donec Junius Blaſus Lugdunenſis Galliæ Rector, genere illuſtri, largus animo, & par opibus, circumdaret Principi miniſteria, comitaretur liberaliter: eo ipſo ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret.

Lugduni Valentem & Cæcinam excipit & laudat.

12. *Lugduni præſto fuere victricium victarumque partium Duces. Valentem & Cæcinam* (qui poſt victoriam accurrerant) *pro concione laudatos, curuli ſua circumpoſuit. Perlatumque filium ſuum paludamento opertum, ſinu retinens, Germanicum appellavit, cinxitque fortuna principalis inſignibus.* Othonianos vero duces partim punie, partim abſolvit. Tacit.] Suet. Vit. c. 10. *Nihilq; cunctatus, quidquid Prætorianarum cohortium fuit, ut peſſimi exempli, uno exauctoravit edicto, juſſas tribunis tradere arma. Itinere inchoato per medias civitates ritu triumphantium vectus eſt: perq; flumina delicatiſſimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis, inter profuſiſſimos obſoniorum apparatus, nullâ familiæ aut militum diſciplinâ, rapinas ac petulantiam omnium in jocum vertens. qui non contenti epulo ubique præbito, quoſcumque libuiſſet, in libertatem aſſerebant; verbera, & plagas, ſæpe vulnera, nonnumquam necem repræſentâtes adverſantibus.* Suet.] Nec aliter Tac. *Epularum fœda & inexplebilis libido. exhauſti apparatibus Principes civitatum. Degenerabat à labore ac virtute miles, aſſuetudine voluptatum, & contemtu ducis.*

Lugduno Viennam, & trans Alpes in Italiam tranſit.

13. *Digreſſum à Lugduno Vitellium M. Cluvius Rufus aſſequitur; omiſſâ quam in Othonem primo, mox in Vitellium verterat Hiſpaniâ. Clam delatus erat. ſed ſe purgavit; & comitatui Principis adjectus.* Tacitus. Interſerit hic Suetonius Vit. cap. 9. *Viennæ pro tribunali Vitellio jura reddenti, gallinaceus ſupra humerum, ac deinde in capite adſtitit.* Viennâ Vitellius ad Alpes Italiamque pervenit. *Augebat enim legionum* Othonianarum, licèt *victarum, haudquaquam fractus animus. Sparſa per Italiam & victoribus permixta, hoſtilia loquebantur. præcipuâ Quartadecimanorum ferocia, qui ſe Bedriacenſi acie victos negabant. Remitti eos in Britanniam, unde à Nerone acciverant, placuit. atque interim Batavorum cohortes una tendere, ob veterem adverſus Quartadecimanos diſcordiam.* quam & mox Auguſtæ Taurinorum renovarunt. Sed Vitellius *Batavos agmini ſuo jungi juſſit, ut fidos; Legionem Graiis Alpibus traductam ita dimiſit, ut Viennenſes, qui timebantur, vitaret. eáque tandem in Britanniam* (credo Geſſoriaco ſeu Bononiâ) *tranſvecta.* Ceteræ legiones Othonis, aliæ alibi locatæ.

Batavi ferociores in Germaniâ & Bataviam ſuâ remiſſi. ſicut & Galli omnes.

14. Vitellius Ticini cùm diſcubuiſſet, adhibito ad Epulas Verginio, motum inter Legionarios & Gallum quemdam militem primò, tum inter plures ortum compeſcuit quidem: ſed Verginius à militibus ad mortem poſcebatur, à quo ſe faſtidiri indignabantur. *Cohortes tamen Batavorum, ne quid truculentiùs auderent, in Germaniam remiſſæ, principium interno ſimul externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum* (credo & Belgarum) *auxilia; ingens numerus, & prima ſtatim defectione, inter inania belli aſſumptus.* Inde Vitellius Cremonam; mox in campos Bedriacenſes tranſit; ubi locum pugnæ intra quadrageſimum diem lætus vidit. Simul *pugionem, quo ſe Otho occiderat, in Agrippinenſem Coloniam miſit, Marti dedicandum*, addit Suet. Vit. c. 10. Romam inde tetendit, quo & Julio menſe pervenit; magnâ ut ſoleto omnium gratulatione exceptus. tametſi Germanici milites cupidine videndi forum, ubi Galba ceciderat, præcurrentes, ſævum Romanis ipſis eſſent ſpectaculum, tergis ferarum & ingentibus telis horrentes. Romæ ad ſex tantùm menſes ſuperſtes fuit Vitellius. ut jam dicam. ſi priùs moneo; me hanc Civilis rebellionem, è Tacito hauſtam, quia fuſior eſt, charactere Romano, non ut hactenus Italico, editurum.

Vitellii Romam ingreſſus.

CAPUT IX.

Civilis Batavi in Germaniâ Inferiore contra Romanos, ſub Veſpaſiani initia, rebellio.

Anno Chriſti vulgari 70. A Paſſione 40. quo diruta à Tito Hieroſolyma.

Prophetia de Chriſto applicata Veſpaſiano. Suet. cap. 4. Tac. 5

1. PER *hæc tempora*, percrebruerat (*ait Suet. & Tacit.*) Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, (*imò de Chriſto Domino* quantû eventu poſtea patuit, prædictum, Judæi ad ſe trahentes rebellarunt. & compeſcere cœptantem Ceſtium Gallum Syriæ Legatum Conſularem, raptâ aquilâ fugaverunt. Qui ubi fato aut tædio occidit, miſſu Neronis (*ex Achaiâ*) Veſpaſianus fortunâ, famâ, & egregiis miniſteriis *Judæam cum filio Tito ſuſcepit.* intraque duas æſtates cuncta camporum, omneſque præter Hieroſolyma urbes, victore exercitu tenuit. Proximus (*iſte nimirum*) annus civili bello intentus, quantum ad Judæos, per otium tranſiit. *Ac Veſpaſianus quidem primò nihil ambiens, militem in Galbæ, tum Othonis, denique etiam in Vitellii verba adegerat. belli mulcem veriſimiliter averſatus, & caſuum adverſa reputans. In ea cunctatione,* Tiberius Alexander præfectus Ægypti, primus in verba Veſpaſiani legiones *Alexandriæ* adegit Kalendis Juliis *hujus anni V. C. 822 Æra Chriſti vulgaris 69. A Paſſione 39.* qui principatus dies in poſterum obſervatus eſt. Judaicus deinde exercitus, 5. Idus Julias apud ipſum juravit. *Denique Mucianus quoque Syriæ Legatus, Syriacum adjunxit exercitum.* Antéque Idus Julias Syria omnis, Reges Sohemus & Antiochus, in eodem ſacramento fuere. *Quibus Agrippa quoque Judæus ſe junxit; Româ occultis ſuorum nuntiis evocatus. Mox Illyricus quoque exercitus; operâ præcipuè Antonii Primi Galli,* cui Toloſæ nato, cognomen in pueritia Becco (id valet Gallinacei roſtrum) fuerat. *Is pro Veſpaſiano primus, ut vicimus, in Italiam Juliis Alpibus irrupit, & paucis ad Bedriacum Cremonamque prælis ita Vitellii partes fregit, ut tandem ante hujus anni finem Romam ingreſſus bellum Vitellii morte plane confecerit: proximo; anno Veſpaſianus victor urbê inierit, Titus filius Hieroſolyma deleverit. Nam hæc & ſimilia, vix ad inſtitutum noſtrum ſilentio tranſmittens fuse & eleganter à Tacito narrata, quem videre poteris.*

Suet. Vit. c. ult.

Idem lib. 5

Germanicũ Civilis Batavi, Gallicumque bellum.

2. *Interim Germanicum Gallicumq; bellum, ducto à Batavis initio, graviter exarſit. cujus narrationem (quia ad Belgium maximè ſpectat) quo gratiorem plurimis; reddam, hic è Tacito hiſt. 4. depromam* Batavi, *inquit*, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſticâ pulſi, extrema

Bataviæ deſcriptio.

Gallicæ oræ, vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam (*an Vahali aſſitam*) occupavere. quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Nec opibus Romanis, ſocietate validiorum attriti, viros tantùm armáque imperio miniſtrant; diu Germanicis bellis exerciti. mox aucta per Britanniam gloria, tranſmiſſis illuc cohortibus, quas vetere inſtituto, nobiliſſimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi ſtudio; arma, equoſque retinens, integris turmis, Rhenum perrumpere. Julius Paullus, & Claudius Civilis, regiâ ſtirpe, multo ceteros anteibant. Paullum Fonteius Capito, falſo rebellionis crimine interfecit. Injectæ Civili catenæ, miſſusque ad Neronem, & à Galbâ abſolutus, ſub Vitellio rurſus diſcrimen adiit, flagitante ſupplicium ejus exercitu. Inde cauſæ irarum, ſpesque ex malis noſtris. Sed Civilis, ultrà quàm Barbaris ſolitum, ingenio ſolers; & Sertorium ſe aut Hannibalem ferens, ſimili oris dehoneſtamento; ne ut hoſti obviam iretur, ſi à populo Romano palàm deſeiviſſet, Veſpaſiani amicitiam ſtudiumque partium prætendit. miſſis ſanè ad eum Primi Antonii literis, quibus avertere accita à Vitellio auxilia, & tumultus Germanici ſpecie, retentare legiones jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus (*ripæ Rheni præfectus*) præſens monuerat, inclinato in Veſpaſianum animo, & Reip. curâ: cui excidium adventabat, ſi redintegratum bellum, & tot armatorum millia Italiam irrupiſſent.

Civilis à Veſpaſiano ſtare ſe primo ſimulat.

3 Igitur Civilis diſſidii certus, occultato interim altiore conſilio, cetera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Juſſu Vitellii (*in Veſpaſianum molientis*) Batavorum juventus ad dilectum vocabatur: quem ſuapte natura gravem, onerabant miniſtri avaritia & luxu, ſenes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent. Rurſus impuberes, ſed forma conſpicui (& eſt pleriſque procera pueritia) ad ſtuprum trahebantur. Hinc invidia, & compoſiti ſeditionis auctores perpulêre, ut dilectum abnuerent. Civilis primores gentis, & promptiſſimos vulgi, ſpecie epularum ſacrum in nemus vocatos; ubi nocte ac lætitia incaluiſſe videt, à laude gloriaque gentis orſus, injurias & raptus, & cetera ſervitii mala enumerat: Neque enim ſocietatem, ut olim, ſed tanquam mancipia haberi. Inſtare dilectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut ſupremùm dividantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quàm prædam & ſenes. attollerent tantùm oculos, & inania legionum nomina ne paveſcerent. eſſe ſibi robur peditum equitumque; conſanguineos Germanos; Gallias idem cupientes. ne Romanis quidem ingratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Veſpaſiano imputaturos: victoriæ rationem non reddi. Magno cum conſenſu auditus, barbaro ritu & patriis execrationibus univerſos adigit.

... occa... Batavi ... Romanis ex... ...

4. Miſſi ad Caninefates, qui conſilia ſociarent. Ea gens partem inſulæ colit, origine, lingua, virtute, par Batavis: numero ſuperantur. Mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia; Batavorum item cohortes miſſas (*an remiſſas*) à *Vitellio* in Germaniam, ut ſuprà retulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Caninefatibus ſtolidæ audaciæ Brinno (*forte Bruno*) claritate natalium inſigni. Pater ejus multa hoſtilia auſus, Caianarum expeditionum ludibrium impunè ſpreverat. Igitur ipſo rebellis familiæ nomine placuit. impoſituſque ſcuto more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux diligitur. Statimque accitis Friſiis (tranſrhenana gens eſt) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu Oceano irrumpit. Nec prævideránt impetum hoſtium milites: nec ſi prævidiſſent, ſatis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta caſtra. Dein vagos, & pacis modo effuſos lixas, negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis caſtellorum imminebant: quæ à præfectis cohortium incenſa ſunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque, & quod militum, in ſuperiorem inſulæ partem congregantur, duce Aquilio primipilari: nomen magis exercitûs, quàm robur. Quippe viribus cohortium abductis, Vitellius è proximis NERVIORUM, GERMANORUMQUE (*puta Tungrorum, &c*) pagis, ſegnem numerum armis oneraverat.

Caninefates & Brinno & Britannica auxilia ... pelliciat.

Brinnonis ſeu Bruno-

nis pater Caligulam ſpreverat.

Duas cohortes Romanas ad Oceanum opprimit.

Vide hic Nervios & Germanis diſtinguit.

5. Civilis dolo graſſandum ratus, incuſavit ultrò præfectos, quod caſtella deſeruiſſent: ſe cum cohorte cui præerat, Caninefatem tumultum compreſſurum, illi ſua quiſque hiberna repeterent. Subeſſe fraudem conſilio, & diſperſas cohortes facilius opprimi, nec Brinionem, *ſeu Brunonem*, ducem ejus belli, ſed Civilem eſſe patuit: erumpentibus paulatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diù occultaverant. Ubi inſidiæ parum ceſſêre; ad vim tranſgreſſus, Caninefates, Friſios, Batavos propriis cuneis componit. directa ex diverſo acies, haud procul à flumine Rheno, & obverſis in hoſtem navibus, quas incenſis caſtellis illuc appulerant. Nec diù certato, TUNGRORUM cohors ſigna ad Civilem tranſtulit. perculſique milites improviſa proditione, à ſociis hoſtibuſque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia. Pars remigum è Batavis, tanquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant. mox contrà tendere, & puppes hoſtili ripæ objicere. ad poſtremum gubernatores Centurioneſque, niſi eadem volentes, trucidant. Donec univerſa quatuor & viginti navium claſſis, transfugeret, aut caperetur. Clara ea victoria in præſens, in poſterum uſui: armaque & naves, quibus indigebant, adepti, magnâ per Germanias Galliaſque famâ, libertatis auctores celebrabantur.

Tungrorũ cohors ad Civilem deficit.

Claſſis Romana capta.

6. Germaniæ (*credo Inferior atque Superior*) ſtatim miſere Legatos, auxilia offerentes. Galliarum (*vicinarum maximè, eòque Belgicarum*) ſocietatem Civilis arte doniſque affectabat; captos cohortium præfectos ſuas in civitates remittendo: cohortibus abire an manere mallent data poteſtate. manentibus honorata militia, digredi volentibus ſpolia Romanorum offerebantur. Simul ſecretis ſermonibus admonebat malorum, quæ tot annis perpeſſi, Miſeram ſervitutem falsò pacem vocarent. Batavos quanquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepiſſe. prima acie fuſum victúmque Romanum: quid ſi Galliæ jugum exuant? quantum in Italia reliquum? Provinciarum ſanguine provincias vinci. Ne Vindicis aciem cogitarent: Batavo equite protritos Æduos Arvernóſque; fuiſſe inter Verginii auxilia BELGAS; veréque reputantibus, Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe. Nunc eaſdem omnium partes, addito ſi quid militaris diſciplinæ in caſtris Roma-

Germaniæ adjunctæ.

Galliarum ſocietatem Civilis affectat.

Oratione efficaci.

norum viguerit. eſſe ſecum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria Aſiáque, & ſuetus Regibus Oriens: Multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos. Nuper certè, cæſo Quinctilio Varo, pulſam è Germania ſervitutem. Nec Vitellium Principem, ſed Cæſarem Auguſtum bello provocatum. Libertatem natura hominibus datam. virtutem proprium hominis bonum. Deos fortioribus adeſſe. Proinde arriperent vacui occupatos, integri feſſos. dum alii Veſpaſianum, alii Vitellium foveant, patere locum adverſus utrumque. Sic in Gallias Germaniáſque intentus, ſi deſtinata proveniſſent, validiſſimarum ditiſſimarúmque nationum regno imminebat.

Hordeonius Germaniæ Legatus diſſimulat. indeque rebellionem alit.

7. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per diſſimulationem aluit. Ubi expugnata caſtra, deletas cohortes, pulſum Batavorum inſula Romanû nomen trepidi nuntii afferebant; Memmium Lupercum Legatum (is duarum legionum hibernis præerat, *apud Vetera, ut ex ſequentibus, id eſt, apud Santen Byrténve*) egredi adverſus hoſtem jubet. Lupercus legionarios è præſentibus, Ubios è proximis, Treverorum equites haud longè agentes, raptim tranſmiſit: additâ Batavorum alâ, quæ jampridem corrupta fidem ſimulabat, ut proditis in ipsâ acie Romanis, majore pretio fugeret. Civilis captarum cohortium ſignis circumdatus, ut ſuo militi recens gloria ante oculos, & hoſtes memoriâ cladis terrerentur, matrem ſuam ſororeſque, ſimul omnium conjuges parvoſque liberos conſiſtere à tergo jubet; hortamenta victoriæ, vel pulſis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu ſonuit acies: nequaquam par à legionibus cohortibuſque redditur clamor. Nudaverat ſiniſtrum cornu Batavorum ala transfugiens, ſtatimque in nos verſa. Sed legionarius miles, quanquam rebus trepidis, arma ordineſque retinebat. UBIORUM TREVERORUMQUE auxilia fœdâ fugâ diſperſa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. & fuit interim effugium legionibus in caſtra, quibus Veterum nomen eſt. *Hodie* Santen *ſeu* Byrten *in Clivia.* Præfectus alæ Batavorum Claudius Labeo, opidano certamine æmulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares, vel ſi retineretur ſemina diſcordiæ præberet, in Friſios avehitur.

Lupercum Civilis in ſe miſſum inſigniter vincit.

Legiones Romanæ in caſtra vetera fugiũt.

8. Iiſdem diebus Batavorum & Caninefatium cohortes (*quas ſupra Moguntiaci egiſſe dixi*) cùm juſſu Vitellii (*revocatæ*) in Urbem (*Romanam redeuntes*) pergerent; miſſus a Civile nuntius aſſequitur. Intumuere ſtatim ſuperbia ferociâque, & pretium itineris donativum, duplex ſtipendium, augeri equitum numerum, promiſſa ſane a Vitellio, poſtulabant; non ut aſſequerentur, ſed cauſam ſeditioni. Et Flaccus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quàm ut acriùs expoſcerent, quæ ſciebat negaturum. Spreto Flacco Inferiorem Germaniam petivêre, ut Civili jungerentur. Hordeonius adhibitis Tribunis Centurionibuſque conſultavit, num obſequium abnuentes vi coërceret. Mox inſitâ ignaviâ & trepidis miniſtris, quos ambiguus auxiliorum animus, & ſubito delectu ſupplete legiones angebant, ſtatuit continere intra caſtra militem. Dein pœnitentia, & arguentibus ipſis qui ſuaſerant, tanquam ſecuturus, ſcripſit Herennio Gallo, Legionis primæ Legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret tranſitu Batavos: ſe cum exercitu tergis eorum hæſurum. & opprimi poterant, ſi hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrinque copiis, medios clauſiſſent. Flaccus omiſit inceptum; aliiſque literis Gallum monuit, ne teneret abeuntes. Unde ſuſpicio, ſponte Legatorum excitari bellum: quin cuncta quæ acciderant aut metuebantur, non inertiâ militis, neque hoſtium vi, ſed fraude Ducum evenire.

Batavorum cohortes ex itinere Romano a Civili revocantur.

9. Batavi cum caſtris Bonnenſibus propinquarent, præmiſere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent, Nullum ſibi bellum adverſus Romanos, pro quibus toties bellaſſēt. Longâ atque irritâ militiâ feſſis, patriæ atque otii cupidinem eſſe. Si nemo obſiſteret, innoxium iter fore, ſin arma occurrant, ferro viam inventuros. Cunctantem Legatum milites perpulerant, fortunam prælii experiretur. Tria millia Legionariorum, & tumultuariæ BELGARUM cohortes, ſimul paganorum lixarumque ignava, ſed procax ante periculum manus, omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi veteres militiæ, in cuneos congregantur, denſi undique, & frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem aciem noſtrorum perfringunt. Cedentibus BELGIS pellitur legio; & vallum portaſque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis. cumulatæ corporibus foſſæ: nec cæde tantùm & vulneribus, ſed ruinâ & ſuis plerique telis interiere. Victores Coloniâ Agrippinenſium vitatâ, nihil cetero in itinere hoſtile auſi, Bonnenſe prælium excuſabant; tanquam petitâ pace, poſtquam negabatur, ſibimetipſi conſuluiſſent.

& viam ſibi in patriam ferro inveniunt.

10. Civilis adventu veteranarum cohortium, juſti jam exercitus ductor, ſed conſilii ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos qui aderant in verba Veſpaſiani adigit. Mittitque legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulſæ in Vetera caſtra conceſſerant, ut idem Sacramentum acciperent. Redditur reſponſum: Neque proditoris, neque hoſtium ſe conſiliis uti. Eſſe ſibi Vitellium principem, pro quo fidem & arma uſque ad ſupremum ſpiritum retenturos. proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, ſed meritas ſceleris pœnas expectaret. Quæ ubi relata Civili, incenſus ira, univerſam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur BRUCTERI TENCTERIQUE, & excita nuntiis Germania (*Tranſrhenana*) ad prædam famamque.

Civilis juſti jam exercitus Dux Veſpaſiano ſal fide jurat.

Trãſrhenanos ad ſe invitat.

11. Adverſus has belli concurrentis minas, Legati Legionum Mumius Lupercus, & Numiſius Rufus vallum muroſque firmabant. Subverſa longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipii extructa, ne hoſtibus uſui forent. Sed parum proviſum, ut copiæ in caſtra conveherentur; rapi permiſere. Ita paucis diebus per licentiam abſumta ſunt, quæ adverſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens, utramque Rheni ripam, quo truculentior viſu foret, Germanorum catervis complet, aſſultante per campos equite. Simul naves in adverſum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſylvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire prælium mos eſt, juxta belli civilis externique facie obſtupefecerant obſeſſos. & ſpem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod

Romanæ duæ Legiones ad caſtra Vetera ſe muniunt.

duabus

Eorũ ſitus, quem Auguſtus ipſe ſelegerat.

doabus legionibus ſitum, vix quinque millia armatorum tuebantur. Sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata, & bello miniſtra aderat. Pars caſtrorum in collem leniter aſſurgens, pars æquo adibatur. Quippe illis hibernis obſideri premiqúe Germanias Auguſtus crediderat; neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legionea noſtras veniret. Inde oon loco neque minimentis labor additus. vis & arma ſatis placebant.

Batavi oppugnant.

12. Batavi Tranſrhenaníque, quo diſcreta virtus maniſeſtiùs ſpectaretur, ſibi quæqúe geos conſiſtunt, eminus laceſſentes. Poſt ubi pleraque telorum turribus pinnisqúe mœoium irrita hærebant, & deſuper ſaxis vulnerabantur; elamore atque impetu invaſere vallum. Appoſitis plerique ſcalis, alii per teſtudinem ſuorum, ſcandebant jam quidam: cùm gladiis & armorum incuſſu præcipitati, ſudibus & pilis obruuntur, præferoces initio, & rebus ſecundis nimii. Sed tum prædæ cupidine adverſa quoque tolerabant. Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi. Nec ulla ipſis ſolertia: perfugæ captiviqúe docebant ſtruere materias in modum pontis, mox ſubjectis rotis propellere: ut alii ſuperſtantes, tanquam ex aggere prœliarentur: pars intus occulti muros ſubruerent. Sed excuſſa baliſtis ſaxa, ſtravere informe opus. & crates vioeasqúe parantibus, adactæ tormeotis ardentes haſtæ: oltroqúe ipſi oppugnatorea ignibus petebantur. Dooec deſperata vi, verterent conſilium ad moras; baud ignari paucorum dierum ineſſe alimenta, & multum inbellis turbæ. Simul ex inopia proditio, & ſluxa ſervitiorum fides, ac fortuita belli ſperabantur.

Fruſtrà.

Machinas ergo admovent.

Iterum fruſtrà.

Itaque obſident.

CAPUT X.

Ejuſdem motûs continuatio.

Vocula obſeſſis ſuccurrit.

1. FLaccus interim cognito caſtrorum obſidio, & miſſis per Gallias qui auxilia concirent, lectos legionibus Dillio Voculæ, Duoetviceſimæ Legionis Legato tradit, ut quàm maximis per ripam itineribus celeraret. Ipſe pavidus torpere, inviſus militibus. Neque enim ambiguè fremebant, emiſſas à Maguntiaco Batavorum cohortes, diſſimulatos Civilis conatus, aceiri in ſocietatem Germanos. Non Primi Antonii, neque Muciani ope Veſpaſianum magis adoleviſſe. aperta odia, armáque palàm depelli; fraudem & dolum obſcura, eoqúe inevitabilia. Civilem ſtare contrà, ſtruere aciem: Hordeonium è cubicolo & lectulo jubere quidquid hoſti conducat. Tot armatas fortiſſimorum virorum manus, unius ſenis valetudine regi. Quin potius interfecto traditore, fortunam virtutemqúe ſoam malo omine exſolvereot. His inter ſe vocibus inſiſtentes, flammavere inſuper allatæ à Veſpaſiano literæ; quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit: vinctósque qui attulerant ad Vitellium miſit.

Frementes in Hordeonium torpentem milite.

2. Sic mitigatis animis, Bonnam hiberna Primæ legionis ventum. Infenſior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: ejus juſſu directam adverſus Batavos aciem, tanquam à Maguntiaco Legiones ſequerentur: ejuſdem proditione cæſos, nullis ſupervenientibus auxiliis. Ignota hæc ceteris exercitibus, oeque Imperatori ſuo ountiari. cùm accurſu tot provinciarum, exſtingui repens perfidia potuerit. Hordeonius exemplaria omnium literarum, quibus per Gallias Britanniamqúe & Hiſpanias auxilia orabat, exercitui recitavit: inſtituitqúe peſſimum facinus, ut epiſtolæ Aquiliferis legionum traderentur, a quis antè militi quàm ducibus legamur. Tum è ſeditioſis unum vinciri jubet, magis uſurpandi juris, quàm quia unius culpa foret. Motúsque Bonnâ exercitus in Colooiam Agrippinenſem: affluentibus auxiliis Gallorum, qui primò rem Romanam enixè juvabant. Mox valeſcentibus Germanis, pleræque civitates adverſum nos armatæ, ſpe libertatis: & ſi exuiſſent ſervitium, cupidine imperitandi.

Qui tamen Gallos, Britannos, Hiſpanos in auxilium vocat.

Galli primo auxiliantur. Mox in Civilem inclinant.

3. Gliſcebat iracuodia Legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant. Quin idem ille arguebat ultrò conſcientiam Ducis, tanquam nuncius inter Civilem Flaccumqúe, falſo crimine, teſtis veri opprimerentur. Coõſcendit tribunal Vocula, mirâ conſtantiâ; prehenſomqúe militem ac vociferantem duci ad ſupplicium juſſit. & dum mali pavent, optimus quiſque juſſis paruere. exin conſenſu ducem Voculam poſcentibus, Flaccus ſummam rerum ei permiſit. Sed diſcordes animos multa efferabant: inopia ſtipendii frumentique, & ſimul dilectum tributáque Galliæ aſpernantes: Rhenus, incognitâ illi cœlo ſiccitate, vix navium patiens: arti comeatus: diſpoſitæ per omnem ripam ſtationes, quæ Germanos vado arcerent: eademqúe de causâ minus frugum, & plures qui conſumerent. Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipſa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque & vetera imperii munimenta deſererent. quod in pace fors ſeu natura; tunc fatum & ira Dei vocabatur.

Vocula militem rebellem punit.

eòque Flaccus rerum ſummam illi permittit.

4. Ingreſſis Noveſium tertiadecima Legio conjungitur. Additus Voculæ in partem curarum Herennius Gallus Legatus. Nec auſi ad hoſtem pergere, loco, Gelduba nomen eſt (*hodie Gelb ad Rhenum*) caſtra fecere. Ibi ſtruendâ acie, moniendo vallandóque, & ceteris belli meditamentis militem firmabant. Utqúe prædâ ad virtutem incenderetur; io proximos Gugernorum pagos, qui ſocietatem Civilis acceperant, ductus a Voculâ exercitus. Pars cum Herennio Gallo permanſit. Fortè oavem haud procul caſtris frumento gravem, cum per vada hæſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebant. Non tulit Gallus, miſitqúe ſubſidio cohortem. Auctus & Germanorum numerus; paulatimqúe aggregantibus ſe auxiliis, acie certatum. Germani multâ cum ſtrage noſtrorum, navem abripiunt. Victi (quod tum in morem verterat) noo ſuam ignaviam, ſed perfidiam Legati (*Herennii Galli*) colpabant. Protractum è tentorio, ſciſſâ veſte, verberato corpore; quo pretio, quibus conſciis prodidiſſet exercitum, dicere jubent. Redit in Hordeonium invidia: illum auctorem ſceleris, hunc miniſtrum vocant. donec exitium minitantibus exterritus, proditiooem & ipſe Hordeonio objecit. Vinctusqúe adventu demum Voculæ exſolvitur. Is poſterâ die auctores ſeditionis morte affecit. Tantâ illi exercitui diverſitas inerat, licentiæ patientiæqúe. Haud dubiè gregarius miles Vitellio fidus: ſpendidiſſimus quiſque in Veſpaſianum proni. Inde ſcelerum ac ſuppliciorum vices, & mixtus obſequio furor: ut contineri non poſſent, qui puniri poterant.

Qui Noveſium & Geldubam venit.

Gugernos Civili addictos vaſtat.

Pro nave frumento onuſtâ certatur.

quam Germani abripiunt.

Unde Romanorum ſeditio.

5. At

Transrhenani Civili junguntur, qui Ubios, Treviros, Menapios, Morinos, & extrema Galliarum quatit.

5. At Civilem immenſum univerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmatâ. Ille, ut cuique proximum, vaſtari Ubios Treverosque, & aliâ manu Moſam amnem tranſire jubet, ut MENAPIOS & MORINOS, & extrema Galliarum quaterent. Actæ utrobique prædæ. Infeſtiùs in Ubiis, quos genus Germanicæ originis, ejuratâ patriâ, Romanorum nomine Agrippinenſes vocarent. Cæſæ cohortes eorum in vico Marcoduro, incurioſiùs agentes, quod procul ripâ aberant. Nec quievere UBII, quo minus prædas è Germaniâ peterent. Primò impunè: dein circumventi ſunt, per omne id bellum meliore uſi fide quàm fortunâ. Contuſis Ubiis gravior, & ſucceſſu rerum ferocior Civilis, obſidium legionum urgebat; intentis cuſtodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret.

Simul caſtra Vetera oppugnat.

6. Machinas molémque operum Batavis delegat: Transrhenanos prælium poſcentes ad ſcindendum vallum ire, detruſosque redintegrare certamen jubet; ſuperãte multitudine, & facili damno. Nec finem laburi nox attulit. Congeſtis circùm lignis accenſisque, ſimul epulantes, ut quiſque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipſorum tela per tenebras vana. Romani conſpicuam Barbarorum aciem, & ſi quis audaciâ aut inſignibus effulgens, ad ictum deſtinabant. Intellectum id Civili, & reſtincto igne, miſceri cuncta tenebris & armis jubet. Tum verò ſtrepitus diſſoni, caſus incerti, neque feriendi, neque declinandi providentiâ. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodeſſe virtus, fors cuncta turbare, & ignavorum ſæpè telis fortiſſimi cadere. Apud Germanos inconſulta ira: Romanus miles periculorum gnarus, ferratas ſudes, gravia ſaxa, non fortè jaciebat. Ubi ſonus molientium, aut appoſitæ ſcalæ, hoſtem in manus dederant: propellere umbone, pilo ſequi. Multos mœnia egreſſos pugionibus fodere. Sic exhauſtâ nocte, novam aciem dies aperuit. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam prætoriæ portæ (is æquiſſimus locus) propinquantem, promoti contra validi aſſeres, & incuſſæ trabes perfregere, multâ ſuperſtantium pernicie. Pugnatumque in perculſos, ſubitâ & proſperâ eruptione. Simul à legionariis peritiâ & arte præſtantibus, plura ſtruebantur. Præcipuum pavorem intulit ſuſpenſum & nutans machinamentum, quo repente demiſſo, præter ſuorum ora, ſinguli pluréſve hoſtium ſublime rapti, verſo pondere intra caſtra effundebantur. Civilis omiſſâ oppugnandi ſpe, rurſus per otium aſſidebat, nuntiis & promiſſis fidem legionum convellens.

Parum conſulte.

Unde obſidere pergit.

Gremonenſe prælium ante finem Octobris geſtum, Gallos & Germanos in Veſpaſianum flectit.

7. Hæc in Germaniâ ante Gremonenſe prælium geſta: cujus eventum literæ Primi Antonii docuere, addito Cæcinæ edicto. & præfectus cohortis è victis Alpinus Montanus, fortunam partium præſens fatebatur. Diverſi hinc motus animorum. Auxilia è Galliâ, quis nec amor nec odium in partes, militia ſine affectu, hortantibus præfectis, ſtatim à Vitellio deſciſcunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente Hordeonio Flacco, inſtantibus Tribunis, dixit ſacramentum, non vultu neque animo ſatis affirmans. & cùm cetera jurisjurandi verba conciperent, Veſpaſiani nomen hæſitantes, aut levi murmure, plerumque ſilentio tranſmittebant. Lectæ deinde pro concione epiſtolæ Antonii ad Civilem, ſuſpiciones militum irritavere, tanquam ad ſocium partium ſcriptæ; & de Germanico exercitu hoſtiliter.

Civilis, qui in Veſpaſianum juraverat, ad pacem vocatur.

8. Mox allatis Geldubam in caſtra nuntiis, eadem dicta factaque. & miſſus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut abſiſteret bello, neve externa arma falſis velaret. Si Veſpaſianum juvare aggreſſus foret, ſatisfactum cœptis. Ad ea Civilis primò callidè. pòſt ubi videt Montanum præferocem ingenio, paratumque in res novas; orſus à quæſtu periculisque, quæ per 5. & 20. annos in caſtris Romanis exhauſiſſet, Egregium, inquit, pretium laboris cepi, necem fratris, & vincula mea, & ſæviſſimas hujus exercitus voces; quibus ad ſupplicium petitus, jure gentium pœnas repoſco. Vos autem Treveri, ceteræque ſervientium animæ, quod pretium effuſi toties ſanguinis expectatis; niſi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, ſecures, & dominorum ingenia? En ego præfectus unius cohortis, & Caninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa caſtrorum ſpatia excidimus, vel ſepta ferro fameque premimus. Denique auſos aut libertas ſequetur, aut victi iidem erimus. Sic accenſum, ſed molliora referre juſſum dimittit. Ille ut irritus legationis rediit; cetera diſſimulans, quæ mox erupère.

Fruſtrà.

Voculam improvisò penè opprimit.

9. Civilis parte copiarum retentâ, veteranas cohortes, & quod è Germanis maximè promptum, adverſus Voculam exercitumque ejus mittit: Julio Maximo, & Claudio Victore ſororis ſuæ filio, ducibus. Rapiunt in tranſitu hiberna alæ, Aſciburgii ſita. Adeoque improviſi caſtra advolavere, ut non alloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id ſolum, ut in tumultu monuit, ſubſignano milite media firmare. auxilia paſſim circumfuſa ſunt. Eques prorupit; exceptusque compoſitis hoſtium ordinibus, terga in ſuos vertit. Cædes inde, non prælium. Et NERVIORUM cohortes metu ſeu perfidiâ, latera noſtrorum nudavere. Sic ad legiones perventum. Quæ amiſſis ſignis, intra vallum ſternebantur. Cùm repentè novo auxilio fortuna pugnæ mutatur. Vaſconum lectæ à Galbâ cohortes, ac tum accitæ, dum caſtris propinquant, audito prælantium clamore, intentos hoſtes à tergo invadunt, latioremque quàm pro numero terrorem faciunt: aliis à Novefio, aliis à Magontiaco univerſas copias advenisse credentibus. Is error Romanis addit animos, & dum alienis viribus confidunt, ſuas recepere. Fortiſſimus quiſque è Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evaſit cum ſignis captivisque, quos primâ acie corripuerant. Cæſorum eo die in partibus noſtris major numerus & imbellior; è Germanis ipſa robora. Dux uterque, pari culpâ meritus adverſa, proſperis defuere. Nam Civilis ſi majoribus copiis inſtruxiſſet aciem, circumiri à tam paucis cohortibus nequiſſet, caſtraque perrupta excidiſſet. Vocula nec adventum hoſtium exploravit, eoque ſimul egreſſus victusque. dein victoriæ parum confiſus, tritis fruſtra diebus, caſtra in hoſtem movit. quem ſi ſtatim impellere, curſumque rerum ſequi maturaſſet; ſolvere obſidium legionum eodem impetu potuiſſet.

Nervii parum fidi.

Batavos Romani cædunt.

Ducis utriuſque culpa.

Civilis obſeſſos dolo tentat.

10. Tentaverat interim Civilis obſeſſorum animos, tanquam perditæ apud Romanos res; & ſuis victoria proveniſſet. Circumferebantur ſigna vexillaque: oſtentati etiam captivi. Ex quibus unus

egregium

egregium facinus auſus, clara voce geſta parefecit, confoſſus illic à Germanis. unde major indici fides. Simul vaſtatione, incendiisqúe flagrantium villarum, venire victorem exercitum intelligebatur. In conſpectu caſtrorum coſtituit ſigna, foſſamqúe & vallum circumdari Vocula jubet; ut depoſitis impedimentis ſarcinisqúe expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poſcentium, & minari aſſueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompoſiti feſſiqúe prælium ſumpſere. Nam Civilis aderat, non minus vitiis hoſtium, quàm virtute ſuorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, & ſeditioſiſſimus quiſque ignavus: quidam recentis victoriæ memores retinere locum, ferire hoſtem, ſeqúe & proximos hortari. & redintegrata acie, manus ad obſeſſos tendere, ne tempori deeſſent. Illi cuncta è muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac fortè Civilis lapſu equi proſtratus, diditâ per utrumque exercitum famâ, vulneratum aut interfectum, immane quantum ſuis pavoris, & hoſtibus alacritatis indidit.

Pugnatur ad Vetera.

Romani eruptione vincunt.

Magno Civilis periculo.

11. Sed Vocula (*tametſi jam victor*) omiſſis fugientium tergis, vallumqúe turresque caſtrorum (*Veterum*) augebat, tanquam rurſus obſidium immineret: corrupta toties victoria, non falſo ſuſpectus bellum malle. Nihil æquè exercitus noſtros, quàm egeſtas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Noveſium miſſa: ut inde terreſtri itinere frumentum adveherent. Nam flumine hoſtes potiebantur. Primum agmen ſecurum inceſſit, nondum ſatis firmo Civile. Qui ubi rurſus miſſos Noveſium frumentatores, dataſque in præſidium cohortes, velut multa pace ingredi accepit, ratum apud ſigna militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos; compoſitus invadit: præmiſſis qui pontes & viarum anguſta inſiderent. Pugnatum longo agmine & incerto Marte, donec prælium nox dirimeret: Cohortes Geldubam perrexere, manentibus ut fuerant caſtris, qui relictorum illic militum præſidio tenebantur.

Vocula victoriâ non utitur, eoq; ſuſpectus.

Frumentatores Civilis invadit.

12. Non erat dubium, quantum in regreſſu diſcriminis adeundum foret, frumentatoribus onuſtis pauculisque. Addidit exercitui ſuo Voculæ mille delectos, quinta & quartadecimâ legionibus apud Vetera obſeſſis, indomitum militem & ducibus infenſum. Plures quàm juſſum erat profecti, palàm in agmine fremebant, non ſe ultrà famem, inſidias legatorum toleraturos. At qui remanſerant, deſertos ſe abductâ parte legionum querebantur. Duplex hinc ſeditio: aliis revocantibus Voculam; aliis redire in caſtra abnuentibus. Interim Civilis Vetera circumſedit. Vocula Geldubam, atque inde Noveſium conceſſit. Civilis capit Geldubam. Mox haud procul Noveſio, equeſtri prælio proſperè certavit. Sed miles ſecundis adverſisque, perinde in exitium ducum accendebatur.

Geldubam Civilis capit.

13. Et adventu Quintanorum Quintadecimanorumqúe auctæ legiones donativum expoſcunt, comperto pecuniam à Vitellio miſſam. Nec diu cunctatus Hordeonius, nomine Veſpaſiani dedit. Idqúe præcipuum fuit ſeditionis alimentum. effuſi in luſum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem in Hordeonium iram renovant. Nec ullo Legatorum Tribunorúmve obſiſtere auſo (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum è cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur. niſi ſervili habitu per tenebras ignoratus evaſiſſet. Ubi ſedato impetu metus rediit, Centuriones cum Epiſtolis ad civitates Galliarum misère, auxilia ac ſtipendia oraturos. Ipſi, ut eſt vulgus ſine rectore præceps, pavidū, ſecors, adventante Civile, raptis temerè armis, ac ſtatim omiſſis, in fugam vertuntur. Res adverſæ diſcordiam peperere: iis, qui è Superiore exercitu erant, cauſam ſuam diſſociantibus. Vitellii tamen imagines in caſtris, & per proximas BELGARUM civitates repoſitæ; cùm jam Vitellius (*exitu Decembris*) corruiſſet.

Miles Romanus Hordeonium interficit.

& inter ſe diſſidet.

14. Dein mutati in pœnitentiam Primani, Quartaniqúe, & Duoetviceſimani, Voculam ſequuntur. Apud quem reſumto Veſpaſiani ſacramento, ad liberandum Magontiaci obſidium ducebantur. Diſceſſerant obſeſſores, mixti ex Cattis, Uſipiis, Mattiacis exercitus, ſatietate prædæ, nec incruentati. Diſperſos & neſcios miles noſter invaſerat. Quin & loricam vallumqúe per fines ſuos Treveri ſtruxere: magnisqúe invicem cladibus cum Germanis certabant. Donec egregia erga populum Romanum merita, mox rebelles fœdarent.

Moguntiacum liberatum.

CAPUT XI.

BELGÆ, & quidam alii Galli, motu Civilis rebellant.

Eodem Anno Chriſti 70.

1. AUdita interim per Gallias Germaniásque mors Vitellii duplicaverat bellum. Nam Civilis omiſſâ diſſimulatione, in populum Romanum ruere: Vitellianæ (*ad Rhenum*) legiones externum ſervitium quàm Imperatorem Veſpaſianum malle. Galli ſuſtulerant animos, eamdem ubique exercituum noſtrorum fortunam rati. vulgato rumore à Sarmatis Dacisqúe Mœſica ac Pannonica hiberna circumſideri: paria de Britanniâ fingebantur. Sed nihil æquè quàm incendium Capitolii, ut finem Imperii adeſſe crederetur, impulerat. Captam olim à Gallis Urbem: ſed integrâ Jovis ſede, manſiſſe Imperium. Fatali nunc igne, ſignum cœleſtis iræ datum. & poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis Gentibus portendi, ſuperſtitione vanâ Druidæ canebant. Inceſſeratqúe fama, primores Galliarum ab Othone adverſus Vitellium miſſos, antequam digrederentur, pepigiſſe, ne deeſſent libertati, ſi populum Romanum continua bellorum ſeries, & interna mala fregiſſent. Ante Flacci Hordeonii cædem nihil prorupit, quo conjuratio intelligeretur.

Vitellii morte Civilis, Vitellianæ Legiones, & Galli ipſi Romanis ſeriò bellū inferunt *Tacit. hiſt. 4*

Ex Capitolii incendio vanū Druidarum vaticinium.

2. Interfecto Hordeonio, commeavere nuntii inter Civilem Claſſicumqúe, Præfectum alæ Trevirorum. Claſſicus nobilitate opibusque anteibat alios. Regium illi genus, & pace belloque clara origo. Ipſe è majoribus ſuis hoſtis populi Romani quàm ſocius jactabat. Miſcuere ſeſe Julius Tutor, & Julius Sabinus, ille Trevir, hic Lingon. Tutor ripæ Rheni à Vitellio præfectus: Sabinus, ſuper inſitam vanitatem, falſæ ſtirpis gloriâ incendebatur; proaviam ſuam Divo Julio per Gallias

Coloniæ Agrippinæ inita conjuratio.

bellanti, corpore atque adulterio placuiſſe. Hi ſecretis ſermonibus animos ceterorum ſcrutari. Ubi quos idoneos rebantur, conſcientiâ obſtrinxere; in Coloniâ Agrippinenſi, in domum privatam conveniunt. Nam publicè civitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam UBIORUM TUNGRORUMQUE. Sed plurima vis penes Treveros & Lingonas. Nec tulere moras conſultandi. Certatim proclamant, furere diſcordiis populum Romanum. cæſas legiones, vaſtatam Italiam, capi cùm maximè urbem, omnes exercitus ſuis quemque bellis diſtineri. Si Alpes præſidiis firmentur; coalitâ libertate, diſpecturas Gallias, quem virium ſuarum terminum velint. Hæc dicta pariter probataque. De reliquiis Vitelliani exercitûs dubitavere. Plerique interficiendos cenſebant, turbidos, infidos, ſanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi; ne ſublata ſpe veniæ, pertinaciâ accenderentur. alliciendos potiùs in ſocietatem: legatis tamen legionum interfectis; ceterum vulgus conſcientiâ ſcelerum & ſpe impunitatis facilè acceſſurum. Ea prima concilii forma. Miſſique per Gallias concitores belli.

Auctoribus maximè Treviris, Lingonib⁹, Ubiorum Tungrorũque quibuſdam.

3. Simulatum ipſis Gallis obſequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere qui Voculæ nuntiarent. Sed vires ad coërcendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites & occultos hoſtes, optimum è præſentibus ratus, mutua diſſimulatione, & iiſdem quibus petebatur artibus graſſari, in Coloniam Agrippinenſem (*Bonnâ credo*) deſcendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum & extra conventum amandatum in Friſios diximus, corruptis cuſtodibus perfugit. pollicitúſque ſi præſidium daretur, iturum in Batavos, & potiorem civitatis partem ad ſocietatem Romanam retracturum, acceptâ peditum equitúmque modicâ manu, nihil apud Batavos auſus, quoſdam NERVIORUM BETHASIORUMQUE in arma traxit. Et furtim magis quàm bello Canmefates Marſacóſque incurſabat. *inſulam nempe incolentes.*

Vocula Romanorum Dux, ad coercendũ debilior, mutua diſſimulatione agit. Coloniam deſcendit. & Labeonẽ in Batavos mittit.

Hic Nervios & Bethaſios in arma trahit.

4. Vocula Gallorum fraude illectus ad hoſtem contendit. Nec procul Veteribus aberat. cùm Claſſicus & Tutor per ſpeciem explorandi prægreſſi, cum ducibus Germanorum pacta firmavêre. Túmque primùm diſcreti à legionibus, proprio vallo caſtra circumdant: obteſtante Voculâ, Non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibúſque deſpectui ſit. Supereſſe fidas provincias, victores exercitus, fortunam Imperii, & ultores Deos. Sic olim Sacrovirum & Æduos; nuper Vindicem Galliasque ſingulis prælis concidiſſe. Eadem rurſus numina, eadem fata ruptores fœderum expectarent. Melius D. Julio, divóque Auguſto notos eorum animos. Galbam, & infracta tributa, hoſtiles ſpiritus induiſſe. Nunc hoſtes, quia molle ſervitium; cùm ſpoliati exutíque fuerint, amicos fore. Hæc ferociter locutus, poſtquam perſtare in perfidiâ Claſſicum Tutorémque videt; verſo itinere Noveſium concedit. Galli duûm millium ſpatio diſtantibus campis conſedêre. Illuc commeantium Centurionum militúmque emebantur animi: ut (flagitium incognitum!) Romanus exercitus in externa verba jurarent, pignusqúe tanti ſceleris nece aut vinculis Legatorum daretur.

Vocula rebelles Gallos increpat.

5. Vocula, quanquam plerique fugam ſuadebant, audendum ratus, vocatâ concione, in hunc modum diſſeruit: Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis ſolicitior, aut pro me ſecurior. Nam mihi exitium parari libens audio: mortémque in tot malis honeſtam, ut finem miſeriarum expecto. Veſtri me pudet miſerétque, adverſus quos non prælium & acies parantur. id enim fas armorum & jus hoſtium. bellum cum populo Romano veſtris ſe manibus geſturum Claſſicus ſperat, imperiúmque & ſacramentum Galliarum oſtentat. Tolerant cùm maxime inopiam obſidiumq; apud Vetera legiones, nec terrore aut promiſſis demoventur. Nobis ſuper arma & viros & egregia caſtrorum munimenta, frumentum & commeatus quamvis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donativo ſuffecit. quod ſive à Veſpaſiano, ſive à Vitellio datum; ab Imperatore certe Romano accepiſtis. Tot bellorum victores; apud Geldubam, apud Vetera, fuſo toties hoſte, ſi pavetis aciem, indignum id quidem. Sed eſt vallum murique, & trahendi artes; donec è proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego diſpliceam. Sunt alii Legati, Tribuni, Centurio denique aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum Orbe vulgetur, vobis ſatellitibus Civilem & Claſſicum Italiam invaſuros. An ſi ad mœnia Urbis Germani Gallique duxerint, arma patriæ inſeretis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutori Trevero agentur excubiæ? Signum belli Batavus dabit? Et Germanorum catervas ſupplebitis? Quis deinde ſceleris exitus? Cùm Romanæ legiones contrà direxerint; transfugæ è transfugis, & proditores è proditoribus inter recens & vetus Sacramentum inviſi Deis errabitis? Te Jupiter Optimè Maxime, quem 820. annos tot triumphis columus; te Quirine Romanæ parens Urbis, precor veneror que, ut ſi vobis non fuit cordi, me duce hæc caſtra incorrupta & intemerata ſervari: at certè pollui fœdarique à Tutore & Claſſico ne ſinatis. militibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam & ſine noxâ pœnitentiam. Variè excepta oratio, inter ſpem metumque ac pudorem. Digreſſum Voculam & de ſupremis agitantem, liberti ſervique prohibuere fœdiſſimam mortem ſponte prævenire. Et Claſſicus miſſo Æmylio Longino deſertore primæ Legionis, cædem ejus maturavit. Herennium & Numiſium vinciri ſatis viſum.

Ejus ad eos Oratio.

Claſſici fraude occiditur.

6. Dein ſumtis Romani Imperii inſignibus, in caſtra venit. Nec illi, quanquam ad omne facinus durato verba ultra ſuppeditavere, quàm ut ſacramentum recitaret. Juravere qui aderant pro Imperio Galliarum. Interſectorem Voculæ altis ordinibus; ceteros, ut quiſque flagitium navaverat, præmiis attollit. Diviſæ inter Tutorem & Claſſicum curæ. Tutor validâ manu circumdatos Agrippinenſes, quantumque militum apud Superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit; occiſis Maguntiaci Tribunis, pulſo caſtrorum præfecto, qui detrectaverant. Claſſicus corruptiſſimum quemque è deditis pergere ad obſeſſos (*in Veteribus Romanos*) jubet, veniam oſtentantes, ſi præſentia ſequerentur: aliter nihil ſpei. famem ferrumque & extrema paſſuros. Adjecere qui miſſi erant, exemplum ſuum.

Quiſumptis imperii inſignibus Romanos juramento ſibi adigit.

Agrippinenſes item Tutor, & Germaniam Superiorem.

7. Obſeſſos hinc fides, inde egeſtas inter decus

ac fla-

Obſeſſæ in caſtris Veteribus legiones,

ac flagitium diſtrahebant. Conſtantibus ſolita inſolitáque alimenta decrant: abſumtis jumentis equisque, & ceteris animalibus, quæ profana fœdaque in uſum neceſſitas vertit. Virgulta poſtremo & ſtirpes, & internatas ſaxis herbas vellentes, miſeriarum patientiæque documentum fuere. donec egregiam laudem fine turpi macularent, miſſis ad Civilem Legatis vitam orantes. Neque antè preces admiſſæ, quàm in verba Galliarum jurarent. Tum pactus prædam caſtrorum (*Civilis*) dat cuſtodes, qui pecuniam, calones, ſarcinas retentarent, ac qui ipſos leves abeuntes proſequerentur. Ad quintum ferè lapidem coorti Germani, incautum agmen aggrediuntur. Pugnaciſſimus quiſque in veſtigio, multi palantes occubuere. Ceteri retro in caſtra profugiunt; querente ſane Civile & increpante Germanos, tanquam fidem per ſcelus abrumperent. Simulata ea fuerint, an retinere ſævientes nequiverit, parum affirmatur. Direptis caſtris faces injiciunt: cunctosque qui prælio ſuperfuerant incendium hauſit.

tandem ſe dedunt, & in verba Galliarum jurant.

Et abeuntes, perfide cæduntur,

& caſtra cremantur.

8. Civilis barbaro voto, poſt cœpta adverſus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, depoſuit. & ferebatur parvulo filio quoſdam captivorum ſagittis jaculisque pueribbus ſigendos obtuliſſe. Ceterum neque ſe neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit: fiſus Germanorum opibus; & ſi certandum adverſus Gallos de poſſeſſione rerum foret, inclytus fama & potior. Mumius Lupercus Legatus legionis, inter dona miſſus Velledæ. ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat: vetere apud Germanos more, quo pleraſque fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas. Tuncque Velledæ auctoritas adolevit. nam proſperas Germanis res, & excidium legionum prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci Centurionum Tribunorúmque in Gallia geniti reſervantur, pignus ſocietatis.

Civilis neque ſe, neque ullum Batavum in verba Galliarũ adigit.

9. Cohortium, alarum, Legionum hiberna ſubverſa crematáque (*ab Claſſico ſcilicet & Tutore*) iis tantùm relictis, quæ Magontiaci ac Vindomiſſæ ſita ſunt (*& à Romanis ſervata.*) Legio XIII. cum auxiliis ſimul deditis, à Noveſio in Coloniam Treverorum tranſgredi jubetur, præfinitâ die, intra quam caſtris excederet. Medium omne temporis per varias curas egêre. Ignaviſſimus quiſque cæſorum apud Vetera exemplo paventes; melior pars rubore & infamia, quale illud iter, quis dux viæ? & omnia in arbitrio eorum, quos vitæ necísque dominos feciſſent. Alii nulla decoris cura, pecuniam, aut cariſſima, ſibimet ipſi circumdare: quidam expedire arma, telisque tanquam in aciem accingi. Hæc meditantibus advenit proficiſcendi hora, exſpectatione triſtior. Quippe intra vallum, deformitas haud perinde notabilis. detexit ignominiam campus & dies. Revulſæ Imperatorum imagines, inhonora ſigna, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis, ſileos agmen, & velut longæ exſequiæ. Dux Claudius Sanctus effoſſo oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium; poſtquam deſertis Bonnenſibus caſtris, altera ſe legio miſcuerat. Et vulgatá captarum legionum famâ, cuncti qui paulò antè Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque, & undique effuſi, inſolito ſpectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium inſultantis vulgi: ſpretisque Sancti promiſſis aut minis, Maguntiacum abeunt. ac ſortè obvio interfectore Voculæ Longino, conjectis in eum telis initium exſolvendæ in poſterum culpæ fecere. Legiones nil mutato itinere, ante mœnia Treverorum conſidunt.

Hiberna Romanorũ everſa.

Legio XIII. Noveſio Treviros exire juſſa.

Item altera è caſtris Bõnentibus.

& ante Treverorũ mœnia conſidunt.

10. Civilis & Claſſicus rebus ſecundis ſublati, an Coloniam Agrippinenſem diripiendam exercitibus ſuis permitterent, dubitavêre. Sævitiâ ingenii, & cupidine prædæ, ad excidium civitatis trahebantur. Obſtabat ratio belli, & novum imperium auſpicantibus utilis clementiæ fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quòd filium ejus primo rerũ motu in Colonia Agrippinenſi deprehenſum honoratè cuſtodierant. Sed Tranſrhenanis gentibus invisa civitas, opulentia auctuque. Neque aliũ finem belli rebantur, quàm ſi promiſcua ea ſedes omnibus Germanis foret; aut disjecta Ubios quoque diſperſiſſet.

Colonia penè direpta.

11. Igitur Tencteri Rheno diſcreta gens, miſſis Legatis, mandata apud concilium Agrippinenſium edi jubent. quæ ferociſſimus è legatis in hunc modum protulit: Rediſſe vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, ſed præcipuo Deorum Marti, grates agimus: vobisque gratulamur, quòd tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina ac terras & cœlum quodammodo ipſum clauſerant Romani; ut colloquia congreſſusque noſtros arcerent. vel quod contumelioſius eſt viris ad arma natis, inermes ac propè nudi ſub cuſtode & pretio coiremus. Sed ut amicitia ſocietasque noſtra in æternum rata ſint; poſtulamus à vobis muros coloniæ, munimenta ſervitii detrahatis. Etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliviſcuntur. Romanos omnes in finibus veſtris trucidetis. haud facilè libertas & domini miſcentur. Bona interfectorum in medium cedant: ne quis occulere quidquam, aut ſegregare cauſſam ſuam poſſit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris. Quomodo lucem noctémque omnibus hominibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Inſtituta patriúmque cultum reſumite: abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adverſus ſubjectos, quàm armis valent. ſincerus & integer, & ſervitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis.

Tenchteri Rheno diſcreti, ſuadent Agrippinenſibus ut mœnia diruant.

12. Agrippinenſes ſumto conſultandi ſpatio; quando neque ſubire conditiones, metus futuri, neque palam aſpernari conditio præſens ſinebat, in hunc modum reſpondent: Quæ prima libertatis facultas data eſt, avidiùs quàm cautiùs ſumſimus, ut vobis ceterisque Germanis conſanguineis noſtris jungeremur. Muros civitatis, cõgregantibus ſe cùm maximè Romanorum exercitibus, augere nobis quàm diruere tutius eſt. Si qui ex Italiâ aut provinciis alienigenæ in finibus noſtris fuerant, eos bellum abſumſit; vel in ſuas quiſque ſedes refugêre. Deductis olim & nobis per connubium ſociatis, quique mox provenêre, hæc patria eſt. Nec vos adeo iniquos exiſtimamus, ut interfici à nobis parentes, fratres, liberos noſtros velitis. Vectigal & onera commerciorum reſolvimus. Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes. donec nova & recentia jura in vetuſtatem conſuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem & Velledam, apud quos pacta ſancientur. Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem & Velledam miſſi

Illi callidè reſpondent.

Civilis & Velledæ ſe ſubmittũt

cum

cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinenſium perpetravêre. Sed coram adire, alloquique Velledam negâtum. Arcebantur adſpectu, quo venerationis plus ineſſet. Ipſa edita in turre. delectus è propinquis, conſulta reſponſaque, ut internuntius numinis, portabat.

Civilis Sunicos ſibi adjungit.

13. Civilis ſocietate Agrippinenſium auctus, proximas civitates affectare, aut adverſantibus bellum inferre ſtatuit. *ſcilicet à Rheno in Occidentē & Moſam flumen verſus. Quo in itinere* primùm Occupatis SUNICIS (*qui hodie fere Limburgenſes ſunt, in quorum medio vicus eſt adhuc cognominis, SINNICH*) & juventute eorum per cohortes compoſitâ: quominus ultra pergeret, Claudius Labeo BETHASIORUM, TUNGRORUMQUE, & NERVIORUM tumultuariâ manu reſtitit: fretus loco, quia pontem Moſæ fluminis (*nempe Trajectum ad Moſam*) anteceperat. Pugnabaturque in anguſtiis ambiguè: donec Germani tranantes, terga Labeonis invaſere. Simul Civilis, auſus, an ex compoſito, intulit ſe agmini TUNGRORUM; & clarâ voce, Non adeo, inquit, bellum ſumpſimus, ut Batavi & Treveri gentibus imperent. Procul hæc à nobis arrogantia. accipite ſocietatem. tranſgredior ad vos, ſeu me ducem, ſeu militem mavultis. Movebatur vulgus, condebantque gladios: cùm Campanus ac Juvenalis, ex primoribus Tungrorum, univerſam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumveniretur, profugit. *in Belgarum avia; ut infra dicit. credo in Flandrorum paludes, &c.* Civilis Bethaſios quoque ac NERVIOS in fidem acceptos copiis ſuis adjunxit: ingens rerum; perculſis civitatum animis, vel ſponte inclinantibus. *In his & proximè ſequentibus, pluſcula notanda occurrunt; quæ nos infrà capite ſingulari aptius exequemur.*

& Tungros.

Bethaſios item & Nervios.

14. Interea Julius Sabinus (*quem Lingonem ſuprà cum Claſſico Tutoreq; conſpiraſſe diximus*) projectis (*an prolatis*) fœderis Romani monumentis, Cæſarem ſe ſalutari jubet; magnamque & inconditam popularium (*Lingonum*) turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem, & Romanis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus affuit. Fuſi Lingones. Sabinus feſtinatum temerè prælium pari formidine deſeruit. Utque famam exitii ſui faceret, villam in quam perfugerat, cremavit. illic voluntaria morte interiiſſe creditus. Sed quibus artibus latebriſque, vitam per novem mox annos traduxerit, ſimul amicorum ejus conſtantiam, & inſigne Epponinæ uxoris exemplum ſuo loco reddemus. *Narrat Plutarchus erotico extremo.* Sequanorum proſperâ acie belli impetus ſtetit. Reſipiſcere paulatim civitates, faſque & fœdera reſpicere, principibus Rhemis. qui per Gallias edixere, ut miſſis Legatis in commune conſultarent, libertas an pax placeret.

Reſipiſcere incipiunt rebelles.

CAPUT XII.

Belli ejuſdem proſecutio.

Eodem anno.

1. AT Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebant; ne, quamquam egregii duces Gallus Annius, & Petilius Cerealis (*à Veſpaſiano in Britanniam miſſus, jam Conſul creatus*) ſummâ belli parũ tolerarent. Domitianus & ipſe Mucianus accingebantur, quamquam diſpari animo. Ille ſpe ac juventâ properus; hic moras nectens, queis flagrantem retineret; ne ferociâ ætatis & pravis impulſoribus, ſi exercitum invaſiſſet, paci belloque malè conſuleret. Legiones victrices Sexta & Octava, Vitellianarum unaetviceſima, è recens conſcriptis Secunda, Peninis Cotianiſque Alpibus, pars monte Graio tranſducuntur. Quartadecima Legio è Britanniâ, Tertia ac Prima ex Hiſpaniâ acciræ.

Novi Duces contra Gallos miſſi.

2. Igitur venientis exercitûs famâ, & ſuopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates, in Remos convenêre. Treverorum Legatio illic opperiebatur. acerrimo inſtinctore belli Tullio Valentino. Is meditatâ oratione cuncta magnis imperiis objectari ſolita, contumeliaſque & invidiam in populum Romanum effudit. turbidus miſcendis ſeditionibus, & pleriſque gratus vecordi facundiâ. At Julius Auſpex è primoribus Remorum, vim Romanam paciſque bona diſſerens, & ſumi bellum etiam ab ignavis, ſtrenuiſſimi cujuſque periculo geri; jamque ſuper caput legiones. ſapientiſſimum quemque reverentiâ fideque, juniores periculo ac metu continuit. & Valentini animum laudabant, conſilium Auſpicis ſequebantur. Conſtat obſtitiſſe Treveris Lingonibuſque apud Gallias, quod Vindicis motu (*ante biennium*) cum Verginio ſteterant. Deterruit pleroſque provinciarum æmulatio. Quod bello caput? unde jus auſpiciumque peteretur? quam, ſi cuncta proveniſſent, ſedem Imperio legerent? Nondum victoria, jam diſcordia erat: aliis fœdera, quibuſdam opes vireſque aut vetuſtatem originis pro jure jactantibus. Tædio futurorum præſentia placuere.

Galli Remis de pace conſultant.

Valentinus Treviris bellum ſuadet.

Auſpex Remus pacem.

3. Scribuntur ad Treveros epiſtolæ nomine Galliarum, ut abſtinerent armis, impetrabili veniâ & paratis deprecatoribus, ſi pœniteret. Reſtitit idem Valentinus, obſtruxitque civitatis ſuæ aures; haud perinde inſtruendo bello intentus, quàm frequens concionibus. Igitur non Treveri neque Lingones, cæteræve rebellium civitates, pro magnitudine ſuſcepti diſcriminis agere. Ne duces quidem in unum conſulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat; dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Claſſicus ſegne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit Superiorem Germaniæ ripam, & ardua Alpium præſidiis claudere.

Treviri & Lingones bellum continuant.

Segnes tamen & diſcordes.

4. Atque interim Unaetviceſima legio Vindoniſſâ, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam, irrupere. Acceſſit ala Singularium, excita olim à Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani tranſgreſſa. Præerat Julius Briganticus, ſorore Civilis genitus; ut fermè acerrima proximorum odia ſunt, inviſus avunculo infenſuſque. Tutor Treverorum copias recenti Vangionum, Nemetum, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit; corruptis ſpe, aut metu ſubactis legionariis. Qui primò cohortem præmiſſam à Sextilio Felice interficiunt. Mox ubi Duces exercitúſque Romani propinquabant, honeſto transfugio rediere: ſecutis Tribocis, Vangionibuſque & Nemetibus. Tutor Treveris comitantibus, vitato Maguntiaco (*quod adhuc Romanæ legiones obtinebant*) Bingium conceſſit: fidens loco,

Romani undique coeunt, & in Gallos irrumpunt.

Tutor vincitur.

quia

quia pontem Navæ fluminis abruperat. Sed incurſu cohortium, quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fuſuſque.

Treviri perculluntur.

5. Eâ clade perculſi Treveri. & plebs omiſſis armis, per agros palatur. Quidam principum, ut primi poſuiſſe bellum viderentur, in civitates, quæ ſocietatem Romanam non exuerant, perfugerunt. Legiones à Noveſio Bonnâque in Treveros, ut ſuprà memoravimus, traductæ ſeipſas in verba Veſpaſiani adigunt. *Hæc Valentino abſente geſta.* Qui ubi adventabat; furens, cunctáque rurſus in turbas & exitium converſurus: Legiones in Mediomatricos, ſociam civitatem, abſceſſere. Valentinus ac Tutor in arma Treveros retrahunt: occiſis Herennio ac Numiſio legatis, quo minore ſpe veniæ creſceret vinculum ſceleris.

Tutor in arma retrahit.

Cerealis Mogûtiam venit.

6. Hic belli ſtatus erat; cùm Petilius Cerealis Magontiacum venit. ejus adventu erectæ ſpes. Ipſe pugnæ avidus, & contemnendis quàm cavendis hoſtibus melior, ferociâ verborum militem incendebat. Ubi primùm congredi licuiſſet, nullam prælio moram facturus. Dilectus per Galliam habitos, in civitates remittit; ac nuntiare jubet, ſufficere Imperio legiones. ſocii ad munia pacis redirent, ſecuri velut confecto bello, quod Romanæ manus excepiſſent. Auxit ea res Gallorum obſequium. Nam receptâ juventute, faciliùs tributa toleravêre, proniores ad officia quòd ſpernebantur.

in pugnam pronus.

Civilis Batavus, & Claſſicus [illegible] ſuos [illegible]

7. At Civilis & Claſſicus, ubi pulſum Tutorem, cæſos Treveros, cuncta hoſtibus proſpera accepere: trepidi ac properantes, dum diſperſas ſuorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne ſummæ rei periculum faceret. Eo rapidiùs Cerialis, miſſis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Magontiaci, quantumque ſecum tranſvexerat, tertiis caſtris Rigodulum venit. (*Hodie Rigol ad Moſellam, paulo infra Treveros, è regione opidi* Pfaltz.) Quem locum magnâ Treverorum manu Valentinus inſederat, montibus aut Moſella âmne ſeptum. & addiderat foſſas obiceſque ſaxorum. Nec deterruêre ea Romanum ducem, quo minus peditem perrumpere juberet; equitum aciem in collem erigeret, ſpreto hoſte, quem temerè collectum, haud ita loco juvari, ut non plus ſuis in virtute foret. Paulum moræ in aſcenſu, dum miſſilia hoſtium prævehuntur. Ut ventum ad manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum æquioribus jugis circumvecta, nobiliſſimos BELGARUM, in quis ducem Valentinum, cepit.

Prævenit Cerealis, & [illegible]os [illegible] vincitque,

Cerealis Treverorū Coloniam ingreditur.

8. Cerialis poſtero die Coloniam Treverorum ingreſſus eſt, avido milite eruendæ civitatis: Hanc eſſe Claſſici, hanc Tutoris patriam: horum ſcelere clauſas cæſaſque legiones. Quid tantum Cremonam meruiſſe, quam è gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? Stare in confinio Germaniæ integram ſedem; ſpoliis exercituum & ducum cædibus ovantem. Redigeretur præda in fiſcum: ipſis ſufficere ignes, & rebellis coloniæ ruinas, quibus tot caſtrorum excidia penſarentur. Cerialis metu infamiæ, ſi licentiâ ſævitiaque imbuere militem crederetur, preſſit iras. Et paruêre, poſito civili bello ad externa modeſtiores. Convertit inde animos accitarum è Mediomatricis legionum miſerabilis aſpectus. Stabant conſcientiâ flagitii mœſtæ, fixis in terram oculis. Nulla inter coëuntes exercitus conſalutatio: neque ſolantibus hortantibúſve reſponſa dabant; abditi per tentoria, & lucem ipſam vitantes. Nec perinde periculum aut metus, quàm pudor ac dedecus obſtupefecerat: attonitis etiam victoribus, qui vocem preceſque adhibere non auſi, lacrymis ac ſilentio veniam poſcebant. Donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans, quæ militum ducúmve diſcordiâ, vel fraude hoſtium eveniſſent. Primum illum ſtipendiorum & ſacramenti diem haberent: priorum facinorum neque Imperatorem neque ſe meminiſſe. Tunc recepti in eadem caſtra. & edictum per manipulos, ne quis in certamine jurgióve ſeditionem aut cladem commilitoni objectaret.

Legiones nuper deditæ pudibundæ.

Veniam impetrant a Cereale.

Qui Treviros ac Lingonas oratione componit, planè aurea.

9. Mox Treveros ac Lingonas ad concionem vocatos, ita alloquitur: Terram veſtram ceterorúmque Gallorum ingreſſi ſunt duces Imperatoréſque Romani nullâ cupidine, ſed majoribus veſtris invocantibus, quos diſcordiæ uſque ad exitium fatigabant. & acciti auxilio Germani, ſociis pariter atque hoſtibus ſervitutem impoſuerant. Quot præliis adverſus Cimbros Teutonóſque, quantis exercituum noſtrorum laboribus, quóve eventu Germanica bella tractaverimus, ſatis clarum. Nec ideo Rhenum inſedimus, ut Italiam tueremur: ſed ne quis alius Arioviſtus Regnio Galliarū potiretur. An vos cariores Civili Bataviſque & Tranſrhenanis gentibus creditis, quàm majoribus eorum patres avique veſtri fuerunt? Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ ſedis amor: ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fecundiſſimum hoc ſolum vóſque ipſos poſſiderent. Ceterum libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur. nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Regna belláque per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum jus concederetis. Nos quanquam toties laceſſiti, jure victoriæ id ſolum addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis; neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Cetera in communi ſita ſunt. Ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis, ipſi has aliáſque provincias regitis. nihil ſeparatum clauſúmve. Et laudatorum Principum uſus ex æquo, quamvis procul agentibus: ſævi proximis ingruunt. Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; ita luxum vel avaritiam dominantium tolerare. Vitia erunt, donec homines: ſed neque hæc continua; & meliorum interventu penſantur. Niſi forte Tutore & Claſſico regnantibus, moderatiùs imperium ſperatis: aut minoribus quàm nunc tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulſis (quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter ſe gentium extiterint? Octingentorum annorum fortunâ diſciplinaque compages hæc coaluit: quæ convelli ſine exitio convellentium non poteſt. Sed vobis maximum diſcrimen, penes quos aurum, & opes, præcipuæ bellorum cauſæ. Proinde pacem & urbem, quam victi victoréſque eodem jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriuſque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quin obſequium cum

Et à direptione ſervat.

& veniâ datâ erga.

ſecuritate

ſecuritate malis. Tali oratione graviora metuentes compoſuit erexitque.

Civilis & Claſſicus contra Cerialem advenıunt,

10. Tenebantur victore exercitu Treveri: cùm Civilis & Claſſicus miſêre epiſtolas ad Cerialem, quarum hæc ſententia fuit: Veſpaſianum, quanquam nuntii occultarent, exceſſiſſe vitâ. Urbem atque Italiam interno bello conſumptam. Muciani & Domitiani vana & ſine viribus nomina. Si Cerialis Imperium Galliarum velit, ipſos finibus civitatum ſuarum contentos: ſi prælium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Civili & Claſſico nihil: eum qui attulerat ipſas epiſtolas, ad Domitianum miſit. Hoſtes diviſis copiis advenere undique. Plerique culpabant Cerialem, paſſum jungi, quos diſcretos intercipere licuiſſet. Romanus exercitus caſtra foſsâ valloque circumdedit, quis temerè antea intutus conſederat.

et Galliæ imperium offerunt.

Civilis pugnam differri vult.

11. Apud Germanos diverſis ſententiis certabatur. Civilis opperiendas Tranſrhenanorum gentes, quarum terrore fractæ populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud quàm prædam victoribus? & tamen quod roboris ſit, BELGAS ſecum palàm aut voto ſtare. Tutor cunctatione creſcere rem Romanam affirmabat, coeuntibus undique exercitibus. Tranſvectam à Britanniâ legionem; accitas ex Hiſpaniâ, adventare ex Italiâ; nec ſubitum militem, ſed veterem expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipſis ſperentur, non juberi, non regi; ſed cuncta ex libidine agere. pecuniamque ac dona, quis corrumpantur, majora apud Romanos; & neminem adeo in arma promtum, ut non idem pretium quietis, quàm periculi malit. Quòd ſi ſtatim congrediantur, nullas eſſe Ceriali, niſi ex reliquiis Germanici exercitûs, legiones, fœderibus Galliarum obſtrictas. Idque ipſum, quòd inconditam nuper Valentini manum contra ſpem ſuam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. Auſuros rurſus, venturoſque in manus, non imperiti adoleſcentuli verba & conciones quàm ferrum & arma meditantis; ſed Civilis & Claſſici: quos ubi adſpexerint, rediturum in animos formidinem, fugam, famemque, ac toties captis precariam vitam. Neque Treveros aut Lingonas benevolentiâ contineri; reſumturos arma, ubi metus abſceſſerit. Diremit conſiliorum diverſitatem, approbatâ Tutoris ſententiâ, Claſſicus.

Tutor urget.

cui Claſſic⁹ aſſentitur.

Rom[anos] improviſo invadunt, peneque fundunt.

12. Statimque exſequuntur. Media acies Ubiis Lingonibusque data; dextro cornu cohortes Batavorum, ſiniſtro Bructeri Tencterique. Pars montibus; alii viam inter Moſellamque flumen tam improviſi aſſiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in caſtris egerat) pugnari ſimul vincique ſuos audierit, increpans pavorem nuntiantium. Donec univerſa clades in oculis fuit. Perrupta legionum caſtra, fuſi equites. Medius Moſellæ pons, qui ulteriora Coloniæ annectit, ab hoſtibus inſeſſus. Cerialis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortiſſimi cujuſque accurſu, recuperatum pontem lecta manu firmavit. Mox in caſtra reverſus, palantes captarum apud Noveſium Bonnamque legionum manipulos, & rarum apud ſigna militem, ac prope circumventas aquilas videt. Incenſus irâ, Non Flaccum, inquit, non Voculam deſeritis. nulla hic proditio. neque aliud excuſandum habeo, quàm quod vos Gallici fœderis oblitos, rediiſſe in memoriam Romani ſacramenti temerè credidi. Annumerabor Numiſiis & Herenniis, ut omnes legati veſtri aut militum manibus, aut hoſtium ceciderint. Ite, nunciate Veſpaſiano, vel quod propius eſt Civili & Claſſico, relictum à vobis in acie ducem. Venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur. Vera erant. & à Tribunis Præfectiſque eadem ingerebantur

Sed Cerialis erigit.

13. Conſiſtunt per cohortes & manipulos. Neque enim poterat pateſcere acies effuſo hoſte, & impedientibus tentoriis ſarcinisque, cùm intra vallum pugnaretur. Tutor, & Claſſicus, & Civilis ſuis quiſque locis pugnam ciebant: Gallos pro libertate, Batavos pro gloriâ, Germanos ad prædam inſtigantes. Et cuncta pro hoſtibus erant. Donec legio Viceſimaprima, patentiore quàm ceteræ ſpatio conglobata, ſuſtinuit ruentes; mox impulit. Nec ſine ope divinâ mutatis repente animis, terga victores vertêre. Ipſi territos ſe cohortium aſpectu ferebant, quæ primo impetu disjectæ, ſummis rurſus jugis congregabantur, ac ſpeciem novi auxilii fecerant. Sed obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen, hoſte omiſſo ſpolia conſectandi. Cerialis, ut incuriâ prope rem afflixit, ita conſtantiâ reſtituit. ſecutúsque fortunam, caſtra hoſtium eodem die capit exſcinditque. *Sive de hoc, ſive de priore ad Rigodulum prælio, Dio l. 66. p. 745. fin. att, tantū Romanorum barbarorumq; multitudinem caſam, ut mortuorum cadavera præterfluentis amnis curſum retinuerint.*

& hoſtes tandem fugat.

14. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenſes, offerebántque uxorem ac ſororem Civilis, & filiam Claſſici, relicta ſibi pignora ſocietatis. Atque interim diſperſos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus & juſtæ preces invocantium, antequam hoſtes reparatis viribus ad ſpem vel ad ultionem accingerentur. Namque & Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantiſſima cohortium ſuarum integrâ, quæ ex Chaucis Friſiiſque compoſita. Ea Tolbiaci, in finibus Agrippinenſium agebat. Sed triſtis nuntius avertit; deletam cohortem dolo Agrippinenſium; qui largis epulis vinoque ſopitos Germanos, clauſis foribus, igne injecto cremavere. Simul Cerialis propero agmine ſubvenit.

Agrippinenſes liberat.

15. Circumſteterat Civilem & alius metus, Ne Quartadecima legio, adjunctâ Britannicâ claſſe, afflictaret Batavos quà Oceano ambiuntur. Sed legionem terreſtri itinere Fabius Priſcus Legatus in Nervios Tungroſque duxit. Eæque civitates in deditionem acceptæ. Claſſem ultrò Caninefates aggreſſi ſunt: majorque pars navium depreſſa aut capta. Et NERVIORUM multitudinē ſponte commotam, ut pro Romanis bellum capeſſeret, iidem Caninefates fudêre. Claſſicus quoque adverſus equites, Noveſium a Ceriale præmiſſos, ſecundum prælium fecit. quæ modica, ſed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerabant.

Romanis è Britanniâ auxilia.

Priſcus Legat⁹ Legionis XIV. terreſtri itinere, Nervios Tungróſq; recipit.

Claſſis tamen Britannica fuſa.

16. At Domitianus Mucianusque, *in Galliam Româ venientes*, antequam Alpibus propinquarent, proſperos rerum in Treveris geſtarum nuntios accepere. Præcipua victoriæ fides, dux hoſtium Valentinus, nequaquam abjecto animo; quos ſpiritus geſſiſſet, vultu ferebat. Auditus ideo tantum, ut noſceretur ingenium ejus: damnatusque. Inter ipſum ſupplicium exprobranti

Domitian⁹ ac Mucian⁹ in Gallias veniunt.

cuidam

cuidam, patriam ejus captam, Accipere ſe ſolatium mortis reſpondit. Sed Mucianus quod diu occultaverat, ut recens exprompſit: Quoniam benignitate Deûm fractæ vires hoſtium forent; parum decorè Domitianum, confecto propè bello, alienæ gloriæ interventurum. Si ſtatus imperii, aut ſalus Galliarum in diſcrimen verteretur, debuiſſe Cæſarem in acie ſtare. Caninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos. Ipſe Lugduni vim fortunamque principatûs è proximo oſtentaret; nec parvis periculis immixtus, & majoribus non defuturus. Intelligebantur artes. ſed pars obſequii in eo, ne deprehenderentur. Ita Lugdunum ventum. Unde creditur Domitianus, occultis ad Cerialem nuntiis, fidem ejus tentaviſſe, an præſenti ſibi exercitum imperiumque traditurus foret. Qua cogitatione bellum adverſus patrem cogitaverit, an opes viréſque adverſus fratrem, in incerto fuit. Nam Cerialis ſalubri temperamento eluſit, ut vana pueriliter cupientem. *Atque hæc omnia ex Taciti hiſtoriarum quarto. Sequitur ex quinto.*

Lugdunum manent.

CAPUT XIII.

Germanici belli, Civile victo, finis. Paxq; ſecuta.

Anno Chriſti 70.

1. AT Civilis, poſt malam in Treveris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera conſedit: tutus loco: & ut memoriâ proſperarum illic rerum augeſcerent Barbarorum animi. Secutus eſt eodem Cerialis duplicatis copiis, adventu Secundæ, XVI. & XIIII. legionum. Cohortésque & alæ jampridem accitæ, poſt victoriam properaverant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, ſuopte ingenio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis, adjacentibus ſuperfunderetur. ea loci forma incertis vadis ſubdola, & nobis adverſa. Quippe miles Romanus armis gravis, & nandi pavidus: Germanos fluminibus ſuetos, levitas armorum & proceritas corporum attollit. Igitur laceſſentibus Batavis, ferociſſimo cuique noſtrorum cœptum certamen. deinde orta trepidatio, cùm præaltis paludibus arma equique haurirentur. Germani notis vadis perſultabant: omiſſâ plerumque fronte, latera ac terga circumvenientes. neque ut in pedeſtri acie, cominus certabatur: ſed tanquam navali pugnâ, vagi inter undas; aut ſi quid ſtabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur. Minor tamen quàm pro tumultu cædes: quia non auſi egredi paludem Germani, in caſtra rediere. Ejus prælii eventus utrumque ducem, diverſis animi motibus, ad maturandum ſummæ rei diſcrimen erexit. Civilis inſtare fortunæ: Cerialis abolere ignominiam. Germani proſperis feroces; Romanos pudor excitaverat. Nox apud Barbaros cantu aut clamore; noſtris per iram & minas acta.

Civilis cum novo exercitu ad Vetera.

...etiam ve... copiis ...licatis.

Pugna in aquis.

...me...

Iterata pugna.

2. Poſtera luce Cerialis equite & auxiliariis cohortibus frontem explet: in ſecundâ acie legiones locatæ. dux ſibi dilectos retinuerat, ad improviſa. Civilis haud porrecto agmine, ſed cuneis adſtitit. Batavi Gugernique in dextro; læva ac propiora fluminis Tranſrhenani tenuere. Exhortatio ducum non more concionis, apud univerſos; ſed ut quoſque eorum advehebantur. Cerialis ſuper veterem Romani nominis gloriam, recentesque victorias, proprios ſtimulos legionibus admovebat; domitores Britanniæ Quartadecimanos appellans: Principem Galbam ſextæ Legionis auctoritate factum: illâ primùm acie Secundanos nova ſigna novamque Aquilam dicaturos. Hinc prævectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, ut ſuam ripam, ſua caſtra ſanguine hoſtium reciperarent. Alacrior omnium clamor, quîs vel è longâ pace prælii cupido, vel feſſis bello pacis amor, præmiaque & quies in poſterum ſperabantur.

Cerialis ſuos hortatur.

3. Nec Civilis ſilenter ſtruxit aciem, locum pugnæ teſtem virtutis ciens: Stare Germanos Batavosque ſuper veſtigia gloriæ, cineres oſſaque legionum calcantes. quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem clademque & dira omnia obverſari. Ne terrerentur vario Treverici prælii eventu: ſuam illic victoriam Germanis obſtitiſſe, dum omiſſis telis, prædâ manus impediunt. ſed cuncta mox proſpera, & hoſti contraria eveniſſe. Quæ provideri aſtu ducis oportuerit, providiſſe: campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias. Rhenum & Germaniæ Deos in aſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam: conjugum, parentum, patriæ memores. Illum diem aut glorioſiſſimum inter majores, aut ignominioſum apud poſteros fore.

Civilis item ſuos.

4. Ubi ſono armorum tripudiiſque (ita illis mos) approbata ſunt dicta, ſaxis glandibuſque & ceteris miſſilibus prælium incipitur: neque noſtro milite paludem ingrediente, & Germanis ut elicerent laceſſentibus. Abſumtis quæ jaciuntur, & ardeſcente pugnâ, procurſum ab hoſte infeſtiùs, immenſis corporibus; & prælongis haſtis fluitantem labantemque militem eminùs fodiebant. Simul è mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum cuneus tranſnatavit. Turbata ibi res: & pellebatur ſociarum cohortium acies; cùm legiones pugnam excipiunt; ſuppreſſaque hoſtium ferociâ, prælium exæquatur. Inter quæ perfuga Batavus adiit Cerialem, terga hoſtium promittens, ſi extremo paludis eques mitteretur: ſolidum illâ; & Gugernos quibus cuſtodia eveniſſet, parum intentos. Duæ alæ cum perfugâ miſſæ, incauto hoſti circumfunduntur. Quod ubi clamore cognitum; legiones à fronte incubuêre, pulſique Germani Rhenum fugâ petebant. Debellatum eo die foret, ſi Romana claſſis ſequi maturaſſet. Ne eques quidem inſtitit, repentè fuſis imbribus, & propinquâ nocte.

Pugna committitur.

Legiones Romanæ vincunt.

5. Poſterâ die Decimaquarta Legio in Superiorem provinciam Gallo Annio miſſa. Cerialis exercitum Decima ex Hiſpaniâ Legio ſupplevit. Civili Chaucorum auxilia venêre. Non tamen auſus opidum Batavorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris injecto igni, in Inſulam conceſſit. gnarus deeſſe naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter tranſmiſſurum. Quin & diruit molem à Druſo Germanico factam (*fuit ea ad opidum hodiernum Wyk te Durſted*)

Civilis in Bataviam fugit.

Druſi molem diruit.

Rhenumque prono alveo in Gallias ruente, disjectis quæ morabatur effudit. (*De Leck hodie dicitur.*) Sic velut abacto amne, tenuis alveus Inſulam inter Germanosque, continentium terrarum ſpeciem fecerat. Tranſiere Rhenum Tutor quoque & Claſſicus, & centum tredecim Treverorum Senatores: in quibus fuit Alpinus Montanus, quem à Primo Antonio miſſum in Gallias ſuperiùs memoravimus. Comitabatur eum frater D. Alpinus. Simul ceteri miſeratione ac donis auxilia conciebant, inter gentes periculorum avidas.

Primores Galliarum trans Rhenum fugiunt.

Civilis contrà Romanorum præſidia reliqua invadit.

6. Tantumque belli ſuperfuit, ut præſidia cohortium, alarum, legionum modicia vicis quadripartita, Civilis invaſerit; Decimam Legionem Arenaci; Secundam Batavoduri; & Grinnes Vadámque cohortium, alarúmque caſtra: ita diviſis copiis, ut ipſe & Verax ſorore ejus genitus, Claſſicusque ac Tutor ſuam quiſque manum traherent. nec omnia patrandi fiduciâ; ſed multa auſis, aliquâ in parte fortunam affore. Simul Cerialem neque ſatis cautùm, & pluribus nuntiis huc illuc curſantem, poſſe medio intercipi. Quibus obvenerant caſtra Decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egreſſum militem, & cædendis materiis operatum turbavêre: occiſo præfecto caſtrorum & quinque primoribus Centurionum, paucisque militibus. Ceteri ſe munimentis defendêre. Ea interim Germanorum manus Batavoduri, interruptè inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prælium nox diremit. Plus diſcriminis apud Grinnes Vadámque. Vadam Civilis, Grinnes Claſſicus oppugnabant. Nec ſiſti poterant, interfecto fortiſſimo quoque: in quis Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis, & Civili avunculo inſenſum diximus.

Ubique ferè repulſus.

Sed ubi Cerialis cum lectâ equitum manu ſubvenit, verſa fortuna. præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis dum fugientes retentat agnitus, petitusque telis, relicto equo tranſnatavit. Idem Germanis effugium. Tutorem Claſſicumque appulſæ lintres vexêre. Ne tum quidem Romana claſſis pugnæ affuit, ùt juſſum erat. Sed obſtitit formido, & remiges per alia militiæ munia diſperſi. Sanè Cerialis parum temporis ad exſequenda imperia dabat; ſubitus conſiliis, ſed eventu clarus. Aderat fortuna, etiam ubi artes defuiſſent. Hinc ipſi exercituique minor cura diſciplinæ.

Cerialis improvidus penè interceptus.

7. Et paucos poſt dies, quanquam periculum captivitatis evaſiſſet, infamiam non vitavit. Profectus Noveſium Bonnamque ad viſenda caſtra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat, disjecto agmine, incurioſis vigiliis. Animadverſum id Germanis: & inſidias compoſuêre. Electa nox atra nubibus, & prono amne rapti, nullo prohibente vallum ineunt. Prima cædes aſtu adjuta: inciſis tabernaculorum funibus, ſuiſmet tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare claſſem, injicere vincla, trahere puppes. Utque ad fallendum ſilentio; ita cœptâ cæde, & quò plus terroris adderent, cuncta clamoribus miſcebant. Romani vulneribus exciti quærunt arma, ruunt per vias: pauci ornati militariter, plerique circum brachia tortâ veſte, & ſtrictis mucronibus. Dux ſemiſomnis, ac propè intectus, errore hoſtium ſervatur. namque prætoriam navem vexillo inſignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere,

Navibus Romanorum Germani potiuntur

ob ſtuprum Claudiæ Sacratæ mulieris Ubiæ. Vigiles flagitium ſuum Ducis dedecore excuſabant, tanquam juſſi ſilere, ne quietem ejus turbarent. Ita intermiſſo ſigno, & vocibus, ſe quoque in ſomnum lapſos. Multâ luce revecti hoſtes, captivis navibus. prætoriam triremem flumine Luppiâ donum Velledæ traxêre.

8. Civilem cupido inceſſit, navalem aciem oſtentandi. Complet quot biremium, quæque ſimplici ordine agebantur. Adjecta ingens lintrium vis; tricenis quadragenisque armamenta liburnicis ſolita: & ſimul captæ lintres ſagulis verſicoloribus, haud indecorè pro velis juvabantur. Spatium velut æquoris electum, ubi Moſæ fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit. Cauſa inſtruendæ claſſis, ſuper inſitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Galliâ adventantes interciperent. Cerialis miraculo (*admiratione*) magis quàm metu direxit claſſem; numero imparem, uſu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. Iis flumine ſecundo, illi vento agebantur. Sic prævecti, tentato telorum jactu, dirimuntur. Civilis nihil ultrà auſus, trans Rhenum conceſſit. Cerialis Inſulam Batavorum hoſtiliter populatus, agros villaſque Civilis intactos, notâ arte Ducum, ſinebat. Cùm interim flexu Autumni, & crebris pluvialibus imbribus ſuperfuſus amnis, paluſtrem humilemque inſulam in faciem ſtagni opplevit. Nec claſſis aut commeatus aderant: caſtráque in plano ſita, vi fluminis differebantur. Potuiſſe tunc opprimi legiones, & voluiſſe Germanos, ſed dolo à ſe flexos, imputavit Civilis. Neque abhorret vero: quando paucis pòſt diebus deditio inſecuta eſt.

Civilis navale certamen tentat.

Qui trans Rhenum abit.

Cerialis Bataviam inſulam intrat in qua multæ aquæ

9. Nam Cerialis per occultos nuntios, Batavis pacem, Civili veniam oſtentans, Velledam propinquosque monebat, fortunam belli tot cladibus adverſam, opportuno erga populum Romanum merito mutare: Cæſos Treveros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam. neque aliud Civilis amicitiâ perfectum, quàm vulnera, fugas, luctus. Exulem eum & extorrem, recipientibus oneri. & ſatis peccaviſſe, quod toties Rhenum tranſcenderint. Si quid ultrà moliantur, inde injuriam & culpam, hinc ultionem & Deos fore. Miſcebantur minis promiſſa. Et concuſſâ Transrhenanorum fide, inter Batavos quoque ſermones orti; Non prorogandam ultrà ruinam: nec poſſe ab unâ natione totius Orbis ſervitium depelli. Quid perfectum cæde & incendiis legionum, niſi ut plures validioresque acciremur? Si Veſpaſiano bellum navaverint, Veſpaſianum rerum potiri. ſin populum Romanum armis provocent; quotam partem generis humani Batavos eſſe? Reſpicerent Rhætos Noricosque, & ceterorum onera ſociorum: ſibi non tributa, ſed virtutem & viros indici. proximum id libertati. Et ſi dominorum electio ſit; honeſtiùs Principes Romanorum, quàm Germanorum feminas tolerari. Hæc vulgus. Proceres, atrociore Civilis rabie ſemet in arma truſos: illum domeſticis malis excidium gentis oppoſuiſſe. tunc infenſos Batavis Deos, cùm obſiderentur legiones, interficerentur Legati, bellum uni neceſſarium, ferale ipſis ſumeretur. Ventum ad extrema, ni reſipiſcere incipiant, & noxii capitis pœnâ pœnitentiam fateantur.

Batavos ad pacem invitat.

Illi eodem inclinant.

10. Non

Unde Civilis flexus, eos prævertere ſtatuit.

10. Noo fefellit Civilem ea inclinatio. & prævenire ſtatuit. ſuper tædium malorum, etiam ſpe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito *igitur Cerialis* colloquio, ſcinditur Nabaliæ (an Vahalis) fluminis pons. In cujus abrupta progreſſi duces. Et Civilis ita cœpit: Si apud Vitellii Legatum defenderer; oeque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hoſtilia, ab illo cœpta, à me aucta erant. Erga Veſpaſianum, vetus mihi obſervantia: & cùm privatus eſſet, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum; cujus epiſtolis ad bellum accitus ſum, ne Germanicæ legiones & Gallica juventus Alpes tranſcenderet. Quæ Antonius abſens, Flaccus præſens movebat, arma in Germaniâ movi. quæ Mucianus in Syriâ, Aponius in Mœſiâ, Flavianus in Pannoniâ. * * *Cætera Taciti deſunt. ſaltem paucula de bello hoc Germanico ſuperfuiſſent! ævum abolevit. Id ex ſuperioribus colligimus*, paucis pòſt diebus deditionem inſecutam, *indubiè Civilis ipſius, Claſſici, Tutoris, 113. Senatorum Treverorum, aliorumque: qui Cereali in pacem prono, ſuis omnes ædibus fortunisque reſtituti fuerint. Idque innuit Frontinus quarto ſtratagematū, & Sariſberienſis l. 5. c. 6.* Auſpiciis Imperatoriis Cæſaris Domitiani, Germanico bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentiſſima civitas quæ ad Civilem deſciverat, cùm advenientem ab exercitu Cæſaris populationem timeret, quòd præter ſpem inviolatæ, nihil ex rebus ſuis amiſerat, ad obſequium redacta, 70. millia armatorum tradidit ei. *Firma inde ac diuturna pax, & vix 20. poſthac annis ab L. Antonio in Superiore Germaniâ in Domitianum rebellante, modicè laceſſita, aut laceſſiri potius cœpta. Quare liberior Euchario, Valerio, Materno ve primis Belgarum Apoſtolis campus Evangelii patuerit. Atque hæc fine anni Juliani 115. V. C. 823. à Paſſione Christi 70. geſta, quo Titus Hieroſolymam quinto jam menſe obſeſſam cepit, & Templo incenſo adeo evertit, ut lapis ſuper lapidem non remanſerit: ſimul Iudæi patrio ſolo exterres per Orbem totum oberrare non deſinant.*

& pacem ſui gentisque deditione obtinet; ut paulò antè, fine §. octavi.

CAPUT XIV.

Populi & urbes Belgii notantur ex Tacito, in hoc Belgico Civilis bello.

Eodem anno Chriſti vero 74 Dion. 70. A Paſſione 40. U. C. 823. Iul. 115.

1. BELLUM hoc Batavicum primò, tum etiam Germanorū cis & trans Rhenum accolentium, mox Belgicum, ac denique etiam Gallicum, hactenus continuâ è Tacito ſerie pertexui; nulla notarum mearum interjectione interruptum. & pluſcula tamen notanda intercurſant, quando nullibi tam multa de Belgarum noſtrorum populis, eorumque limitibus ingerit Auctor noſter eloquentiſſimus. Iſta igitur, aut eorum præcipua, ſingulari hoc capite exequi conſilium eſt. Ab ima extremáque Bataviâ cœpit bellum; & à gente quidem benè modicâ. Caninefates hi fuerunt, *gens origine, linguâ, virtute par Batavis; tantum numero ſuperabantur.* *Eam illi Inſulæ Batavæ partem incolebant*, quæ ad infimam Oceani ferè oram porrigitur, à Vahalis Moſæque confluxu, ad oppidum præter propter *Delft*; ita ſcilicet ut ad Rheni veteris brachium, quod Germaniam Tranſrhenanam à Galliâ latè ſumptâ diſtinguit, non attingeret, a Romanorum hibernis & caſtellis jam inde ab Auguſto inſeſſum. ubi Arx Britannica, Lugdunum Batavorum, Ultrajectum, & Dureſtadium, Arenacum, ad ipſum uſque Rheni capitale divortiū. Per Vahalis ergo illi ripam ſaltem dexteram ab ipſo Oceani litore ſurſum, Gorcomium uſque porrigebantur, Marſacis inde ſeu Marſatiis finitimi, ſi non & ferè mixti; quantum ego quidem ex Plinio Tacitóque diſpicio. & ex ſequentibus apparebit. Sanè in Sancti Willebrordi teſtamento, vicus unus memoratur *Kennebourg*; Vahalim inter & oppidum *Delft*; reliquum credo Caninefatum veſtigium.

Caninefates initium hujus belli fecerunt.

Ubi ſiti illi.

2. In iis Brinionem ſeu Brunonem quemdam fuiſſe narrat Tacitus, ſtolidæ audaciæ hominem, cujus pater ludicras Caii Caligulæ in Bataviâ expeditiones impunè ſpreverat. Hunc Caninefates, à Claudio Civile Batavo, multò ceteros anteeunte ad rebellionem incitati, Ducem belli deligunt. qui ſtatim accitis Friſiis, ſolo Rheni brachio Septentrionali diſcretis, duarum è Romanis cohortium hiberna, proxima occupatu, Oceano, ſeu per ipſum Oceanum, irrumpit, ut improvida & debiliora. Quare Romani, *caſtellis aliis, quia defendi nequibant, incenſis; ſigna vexillaque in ſuperiorem Inſulæ partem* fugâ *transferunt. namen magis exercitus, quàm robur. Quippe viribus cohortium abductis, Vitellius è proximis Nerviorum Germanorumque pagis, ſegnem numerum oneraverat.* Ita Civilis dolo graſſandum ratus, prima ſua belli conſilia ſtoliditate Brinionis obtegebat. ut fuſiùs ſuprà Tacitus. quæ hîc non itero. Mox præliis aliquot victos, & claſſe navium 24 quà proditione, quà vi à Romanis abductâ, ingens famâ, effecit ut *Germania*, credo Ciſrhenanæ, *Legatos miſerint, auxilia offerentes.* Quibus ille adjutus *Lupercum duarum Legionum Legatum* ab Hordeonio Flacco contra ſe miſſum animosè aggreſſus, ita vicit, ut Legiones victæ retro in *Caſtra Vetera*, hodie *Santen* aut *Byrten* ad Rhenum in Cliviâ, unde venerant, effugerent. ubi ſenſim eas Civilis obſidere pergebat. Quæ tamen ſtatuerat Auguſtus; uti *Germanias* ſaltem cis Rhenum, *premeret: neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultrò Legiones noſtras* Germani *venirent.*

Brinio an Bruno eorum Dux.

Specie tantum. Civilis Batavus vera cauſa.

Qui præliis aliquot victor.

Caſtra Vetera tàdem obſidet.

3. Dum obſidio producitur, Civili ſe univerſa Germania adjungit, *immenſum extollit, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmatâ. Ille, ut cuique proximum, vaſtari Ubios Trevirosque, & aliâ manu Moſam tranſire jubet, ut MENAPIOS & MORINOS, & extrema Galliarum quaterent. Acta utrobique præda: infeſtiùs in Ubiis*; ceu ejuratis Germaniæ deſertoribus. Mitiùs igitur in Menapiis, Morinis, & extremis Galliarum actæ prædæ. Sed quid hîc Tacito faciemus, qui Prædatores iſtos à Civili in Galliarum extrema deſtinatos; nonniſi Moſam è Veteribus, ubi ille agebat, miſſos, tranſiſſe dicit? Ut *Menapias* adhuc Julianos, & nondum ab Auguſto diviſos, eoque Brabantiæ noſtræ porrecta adhuc incolentes, intelligat; qua ratione tamen Morini, Galliarumque extrema, ſolo Moſa, & non etiam Scaldi trajecto, quati potuêre? Plane iſta Moſæ trajectio, non è Caſtrorum Veterum regione,

Simul extrema Galliarum quatit.

Moſâ inferiore trajectus militibus ſuis, maximeCaninefatibus.

Venlonam inter & Cuykium, tantùm aut maximè patrata; ſed inferiùs etiam, ac potius è Caninefatium Toxandrorumqúe vicinia, primùm, tum per Zelandiæ hodiernæ æſtuaria, Scaldisqúe, ſi non ipſius quoque Oceani tranſmiſſione, Duce ipſo Brinione, aut quo ſimili rei navalis experto, peracta. Non deerant illis naves, non navalium ſcientia; quando paulò pòſt audiemus, claſſem Romanam è Britannia venientem, à ſola Caninefatium gente ſuperatam. Navali igitur, non terreſtri itinere Moſa inferiore jam trajecto, per medios ferè, maritimóſve Toxandros, Scaldis ſuperatus; aut certè Oceano trans Moſæ & Scaldis oſtia in Menapios Morinosqúe perventum. ubi quid actum, tacet Tacitus.

Et Toxandris finitimis adjunctus.

4. Sed enim Toxandrorum hac occaſione, mentionem, cur nullam facit? Nam certè celebres tunc ea parte fuiſſe Toxandros, ſatis ex Plinio intelligimus. qui ipſo hoc Veſpaſiani imperio naturalem ſuam ſcribens hiſtoriam, diſertam Toxandrorum mentionem inter ceteros Belgicæ latè ſumptæ populos, & quidem maritimos, propè Scaldis oſtia, etiam ante proximè ſequentes Menapios ingerit. per quos proindè prædatrix iſta Civilis Batavi manus tranſire debuerit. Non omnia taugit Tacitus; pluſcula ſilentio vel ſuccinctè tranſilit. Adde videri mihi Toxandros tunc ut Caninefatibus ac Batavis ſitu contiguos, ita & ſocietate conjunctos, quod de aliis Germaniæ Inferioris civitatibus ſuprà ille tetigit. & veriſimiliter in prædatrice iſta Civilianorum manu inerant & Toxandri, prædarum ex Menapiis Morinisqúe actarum participes. Sicut ergo Caninefates & Brinionem deprædationis hujus haud dubiè duces non nominat; ita neque ſocios eorum Toxandros. quos proinde Lectori meo hic in memoriam revocare volui: quando eos conſtat quidquid terrarum à Demeræ ſeu Rupelæ fluvii fonte ad ejuſdem in Scaldim influxum; tum ipſo Scaldi ad mare & Batavi agri principia; inde ipſo antiquo Moſæ supernè fluxu & flexu, adusque Moſæ-Trajecti confinia, Demeræ fontibus oppoſita, concluditur, obtinuiſſe, ut alibi validè probavi, iterumqúe infrà probabo.

Plin. l. 4. c. 17.

Toxandrorum eâ ætate ſitus.

5. Ceterum quod Tacitus de Germano-Belgis noſtratibus aliquoties movet, fluxa fuiſſe plerumque & perfida Romanis eorum auxilia, Legionibus à Vitellio addita; maxime tunc probatum, cùm Ubii, TUNGRI, Treviri aliique Coloniæ Agrippinæ cum Civile Batavo, Claſſico & Julio Tutore Treviris, Julio item Sabino Lingone, in Romanum imperium Galliarumqúe libertatem conjurarunt. ut capite hujus libri undecimo, §. 2. ex Taciti hiſtoria quartâ narravimus. Quod ubi Vocula Romanorum Dux intellexit, in Coloniam Agrippinenſem (Bonnâ reor, ubi hibernis præerat) deſcendit. *Illuc Claudius Labeo, alæ Batavorum Præfectus, Civili proinde oppidano certamine æmulus,* ideóque in Friſios amandatus, ſed inde profugus, *perfugit; pollicitusqúe, ſi præſidium daretur, Batavos ad Romanos reducturum, acceptâ peditum equitumq; modicâ manu, nihil apud Batavos auſus, quoſdam NERVIORUM BETHASIORUMQUE in arma traxit: & furtim magis quam bello Caninefates Marſacosqúe incurſabat.* Hic peto, ſi Caninefates & Marſaci intra inſulam Bataviam non erant ad Vahalim, ſed ad Rhenum antiquum ſiti*; quâ eos parte Labeo, è

Claudius Labeo in Caninefates.

Cum Nerviis & Bethaſiis.

* *ut vult Cluverius.*

Nerviis Bethaſiisqúe, id eſt, ex hodierna Hannonia, Brabantiaqúe veniens, niſi per ipſum Vahalim circa oppidum *Gorcum*, incurſare potuit? Ibi ergo ſiti erant, ut ſuprà dixi.

Civilis è civitate Agrippinenſi, Moſæ pontem trajicit.

6. Civilis interim variis intercurſantibus, *Societate Agrippinenſium quomodocumque auctus, proximas* Belgarum *civitates*, in Occidentem verſus Moſam, *affectare, aut adverſantibus bellum inferre ſtatuit. Occupatisqúe* SUNICIS, hodie Limburgenſibus, ubi vicus SINNICH; *quo minùs ultra* Moſam *pergeret, Claudius Labeo BETHASIORUM, TUNGRORUMQUE, & NERVIORUM tumultuariâ manu reſtitit: fretus loco, quia pontem Moſæ fluminis* (qui ad Moſæ-Trajectum) *anteceperat. Sed Campanus ac Juvenalis, ex primoribus Tungrorum, univerſam ei gentem tradidere. Labeo antequam circumveniretur, profugit.* in avia Belgarum, ut mox audiemus. *Civilis Bethaſios quoque ac Nervios in fidem acceptos, copiis ſuis adjunxit.* Ex tribus hiſce populis, *Tungri*, & *Nervii*, qui hodie ex ipſa itineris ſerie, Hannonii ſunt, ac finitimi, Aloſtenſes atque Bruxellenſes; notiſſimi ſunt: BETHASII Tungris proximi, ad Demeræ fluminis ripam auſtralem ſiniſtramqúe jacebant, prope vicum *Bets*, Bethaſios nomine referentem, inde verſus Lovanium Nivellasqúe porrecti; ferè ubi ſub Julio Cæſare *Aduatici*, Nerviis confines. Ita Civilis iſtâ trium harum civitatum ſibi invicem rectâ ſerie adhærentium adjunctione, ad Scaldim uſque pervenerat: ac è Belgio proinde noſtro, quidquid terrarum illum inter ac Rhenum concludebatur, ſuum jam effecerat. militarem illam ſecutus viam, quæ etiamnum ſatis integra, Coloniâ per Juliacum, Moſæ-Trajectum, Tungros, & BAVACUM NERVIORUM rectâ deducit. *Ingens rerum*, addit Tacitus, *perculſis civitatum animis, vel ſponte inclinantibus.* An Scaldim in Atrebatas Menapiosqúe trajecerit, quæſtio eſſe poteſt, de quâ dictum eo.

Tungros, Nervios aliosque ſibi adjúgit.

uſque ad Scaldim.

Remi conſultant libertas an pax placeat.

7. Fortè tunc Julius Sabinus Lingon in Romanos cum Civili rebellis, magnam inconditamqúe popularium turbam in Sequanos rapiens, fidam Romanis civitatem, pugna adverſa fuſus ac fugatus erat. ea Sequanorum Romanorúmve proſpera acie, belli impetus ſtetit: reſipiſcereqúe Galliarum rebellium civitates, fásque & fœdera reſpicere cœperunt, *Principibus*, ſeu primò ante omnes ſapientibus, *Remis. Qui per Gallias edixère, ut miſſis Legatis in commune conſultarent, libertas an pax placerent.* Id benè notandum, pro ſimili Trevirorum prærogativa, de quâ mox. Jam exercitûs ex Italiâ venientis (Duce Petilio Ceriali, cui propinqua cum Veſpaſiano affinitas, nec parva militiæ gloria) fama valeſcebat; eâque ſuopte ingenio ad mitiora inclinantes Gallorum civitates in Rhemos traxit. Ibi acerrimus belli inſtinctor Tullius Valentinus Trevir fuit: pacis contrà Julius Auſpex, è primoribus Rhemorum. qui prævaluit. Scribuntur itaque ad Treviros epiſtolæ nomine Galliarum, ut abſtinerent armis: impetrabili veniâ, ſi pœniteret. Reſtitit idem Valentinus, & bellum civitati ſuæ perſuaſit. Rhemis ſapientiùs pacem amplectentibus.

Pacem præferunt. Treviri bellum.

8. Interim *non Treviri* ipſi (pergit Tacitus) *non Lingones, ceteraúe rebellium civitates,* ſatis *pro magnitudine ſuſcepti diſcriminis agere. Ne Duces quidem in unum conſulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat;*

dum

dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Ne Claſſicus quidem aut Tutor Trevirorum Duces maturarunt Superiorem Germaniæ ripam, & ardua Alpium præſidiis contra adventantem Cerialem capere. ut fuſiùs Tacitus. Quod ad rem meam, peto tantùm, quæ fuerint iſta *Belgarum avia*, in quibus Labeonem Civilis capere niſus? Taxandrorum verſus Zelandiam æſtuaria, capere noo poſſumus; quando ii Batavis ac Caninefatibus ſtrictè juncti: nec ea Tacito *Belgarum*, ſed *Germanorum Inferiorum* ſunt. Trans Scaldim; ubi Belgica Secunda Plinio aliiſqúe incipit, eſſe neceſſe eſt. non in Morinis, à Batavia remotioribus, quam Civilis adeo commodè deſerere non poterat. Igitur in Menapiorum paludibus atque maritimis; quas Flandras poſterior appellavit ætas, & avias, & Belgicas ſtrictè ſumptas, Brugis haud procul, fuiſſe ſatis conſtat. & ex illis facilior ac brevior in Bataviam, Oceano præſertim æſtuariiſque, urgente neceſſitate receſſus.

Quæ ſint Belgarum avia?

In Menapiorum paludibus.

9. Jam ut ad parem æqualémve Rhemorum Trevirorumqúe prærogativam redeam; Petilius Cerialis aliquot in Treviros occurrentes præliis victor, Auguſtam eorum coloniam ingreſſus; ut mitigaret, hæc eorum privilegia protulit · *Ipſi plerumque legionibus noſtris* (ergo Romanis ipſi Belgæ) *præſidetis, ipſi has* Belgicas *aliaſqúe provincias regitis. Nihil ſeparatum clauſumve. Proinde pacem & Urbem, quam victi victoréſque eodem jure obtinemus, amate, colite.* Grandia civitatis utriuſque & magnifica privilegia, ſi non prorſus ex æquo, parvo certe diſcrimine. Niſi quod poſtea Trevirorum Auguſta longo ſtabiliqúe Principum domicilio, & quæ illud comitari ſolet, rerum omnium copiâ, antecelluiſſe videatur. Neque verò illud omittendum, Tacitum his hiſtoriis Treviros atque Nervios Belgas ſemper, Germanos nunquam appellare; imò & à Germanis ipſis crebrò ſejungere. Trevirenſis item in medio Moſellæ Pontis, hodie etiam extantis, meminiſſe, qui ulteriora Coloniæ annectit. Denique Civilis ipſe ſuos ad pugnam cautiorem adhortans, Belgarum ſupra ceterorum Gallorum virtutem, extollit, dum ita diſſerit: *Gallos, quid aliud, quàm prædam victoribus eſſe? Et tamen quod roboris ſit. BELGAS, ſecum palàm, aut voto ſtare.* ad illud Julii Cæſaris alludens, *Gallorum omnium fortiſſimi ſunt Belgæ.*

Trevirorũ prærogativæ.

Treviri atque Nervii ſemper Belgæ Tacito, non Germani.

Cæſ. com. 1.

10. Poſtremo manuſſæ loco hæc Taciti verba notari velim: *Quartadecimam Legionem* è Britanniâ Romanis in Belgium auxilio contra rebelles advenientem, è Portu Iccio ſeu Geſſoriaco & Bononiâ, *terreſtri itinere à Priſco Legatom Nervios Tungroſqúe ductam, eaſqúe civitates in deditionem acceptas. Britannicam verò claſſem Legioni adjunctam, ti muiſſe Civilem, ne affluctaret Batavos. quà Oceano ambiuntur. Sed illam ultrò Caninefates aggreſſos, majore parte navium depreſſâ aut captâ. Et Nerviorum multitudinem ſponte commotam, ut pro Romanis bellum capeſſeret, eoſdem Caninefates fudiſſe.* Hæc inquam à Lectore notari velim; ut ex Taciti ſententia Nervios & Tungros ſibi contiguos extitiſſe videat: eoque populos iſtos qui trans Scaldim ad occaſum incolebant, Tungros ſibi finitimos, Nerviis intermediis, habere nequiviſſe; ſimul judicet an Tranſcaldani iſti qui modò Tornacenſi obediunt Epiſcopo, Nervii dici eſſéve potuerint; toto Scaldi, totáque Cameracenæ Diœceſeos latitudine, ab Epiſcopatu Tungrenſi divulſi.

Claſſis Britannica à Caninefatibus victa.

Nervii Tungris cõfines, non Menapii Tranſcaldani.

Quæ capite 13. de geſtis in Bataviâ ipſa ſub belli finem narrat Tacitus, ſatis illuſtrat Cluverius aliiqúe Batavorum ſcriptores.

CAPUT XV.

Belgica reliqua ſub Veſpaſiano, Tito, Domitiano.

Ab anno Chriſti vero 74. Dionyſian. 70. ad 100. & 96.

1. PACE cum Civile Bataviſque & Tranſrhenanis factâ, Petilius Cerialis ejus auctor, in Britanniam eam quoque ordinaturus Veſpaſiani juſſu tranſiit. Interim quietum manſiſſe videtur Belgium. nec ſub reliquis octo Veſpaſiani annis quippiam belli video. Tantum quod Tacitus ſuprà lib. hiſt. 4. de Julio Sabino Lingone uno belli iſtius Duce, deqúe uxore ejus Emponinâ, poſt novem annos redditurum ſe receperat; quando ea pars hiſtoriæ cum ceteris ejus libris excidit; hic è Plutarcho Dioniſque breviatore Xiphilino, ſupplere jucundum fuerit.

2. Plutarchus primùm in Erotico extremo audiendus: *Julius* Civilis Batavus, *qui in Galliâ defectionis auctor fuerat; multos habuit conatus ſui ſocios.* tum Sabinum quoque hominem non degenerem, & qui divitiis. gloriaque omnes alios facilè vinceret. Hi rebus arduis tentatis, ſucceſſu caruerunt. Cumqúe ſupplicia ſe daturos præſentirent, partim ſe peremerunt, partim in fugâ capti ſunt. & Sabino quidem facilè fuit fugâ ad Barbaros ſaluti ſuæ conſulere. Sed uxorem duxerat optimam, nomine Emponinam, Heroidem Græcè diceres. hanc cùm neque ducere ſecum poſſet, neque deſerere ſuſtineret; & ruri haberet ſub terrâ effoſſas cameras, in quas reponi res utiles poſſent, duobus tantum notas libertis: reliquos famulos omnes dimiſit; ſe veneno mortem ſibi conſciturum ſimulans. duos quos fideles norat aſſumpſit, & in ſpecus iſtas ſubterraneas deſcendit: miſſo ad uxorem liberto Martiali, qui patronum veneno extinctum, & caſam villæ cum eo concrematam eſſe renunciaret. Volebat enim luctu uxoris, fidem facere ſui (quem ſingebat) interitus. idqúe etiam evenit. Nam ea, ut erat accepto nuncio lamentans & ejulans, in terram projecit ſeſe; tréſque dies ac totidem noctes ſine cibo ita exegit. Quod ubi reſcivit Sabinus, metuens ne ſe vitâ prorſus exolveret, occultè Martialem ei ſignificare juſſit, vivere ſe etiamnum, & occultari: rogare autem ut aliquantulum in lugendo perſeveret, accuratéque mariti interitum ſimulet.

De Julio Sabino & ejus uxore mira Plutarchi narratio.

In ſubterraneis habitans.

3. Tragœdiam hujus calamitatis uxor admodum artificioſè egit. Tamen noctu deſiderio viſendi, ad maritum ventitavit, nemine obſervante. & tantùm non apud inferos cum eo conſuevit. Exactis ſeptem menſibus, factâ veniæ ſpe; veſte, tonſurâ, & capitis redimiculo ignotum obviis redditum, Romam perduxit. Sed re infectâ, in ſuam ille ſpeluncam rediit: ipſáque cum eo majorem temporis partem ſub terrâ exigens; interdum

& generant.

Romam ivit, amicis & neceſſariis mulieribus ſe viſendam præbens. & quod creditu difficillimum eſt, cum iis lavans, eas fefellit uterum gerens. Nam medicamentum, quo mulieres comam inungentes, faciunt auri in morem rutilam & fulvam, pinguedinem habet, quâ caro fit grandior ſive rareſcit: itaque diffunditur quodammodo & major fit ejus moles. Hoc illa in ceteris membris uſa affatim, attollens ſe etiam turgidum celavit ventris onus. Partus verò dolores ſola ipſa pertulit; leænæ in morem ad maritum in foveam ſeſe abdens: natosque duos, ut ſic loquar, catulos educavit. Peperit enim filios duos: quorum alter in Ægypto occubuit; alter nuper admodum Delphis nobiſcum fuit, nomine Sabinus.

Tandem à Veſpaſiano cæduntur.

4. Et ipſam quidem Cæſar interfecit. ſed cædis pœnas dedit, exiguo temporis ſpatio tota ſtirpe ipſius funditus interemptâ. Nullam enim rem hoc facto triſtiorem illud tulit Imperium: neque fuit, cur ullius rei adſpectum magis & Dii & Genii averſarentur. Miſerationem quidem ſpectantibus ipſa exemit, magnanimitate ſua & grandiloquentia; quibus Veſpaſianum maximè irritavit. Deſperata enim ſalute, mortem ſuam commutationem vocavit; dixitque ſuavius ſibi fuiſſe, in tenebris & ſub terra vivere, quam ipſum videre imperio potiri. Hucusque Plutarchus. cui pauca hæc addit è Dione Xiphilinus: Sabinus Gallus, qui ſe Cæſarem eſſe dixerat, cùm è monumento quo ſe abdiderat, Romam adductus eſſet, occiſus eſt unà cum Peponila uxore, quæ eum incolumem ſervaverat. quamvis ea Veſpaſiano filios ſuos propoſuerit, dixeritque ad captandam miſericordiam; Ego Cæſar hos in monumento peperi aluique, ut plures tibi ſupplices eſſemus. Qua oratione etſi ei ceterisque qui aderant, lacrymas excivit, tamen ipſe ei non pepercit. Xiphil. ea cædes decimo & ultimo Veſpaſiani anno patrata; poſt novem ſcilicet ab rebellione Sabini ſeu Civilis annos. Nec plura ad Belgium ſpectantia ſub Veſpaſiano reperio.

Xiphilinus in Veſpaſiano:

Sub TITO.

5. Sub ejus filio majore ſucceſſoreque TITO, quædam Belgio noſtro non aliena, narrat idem è Dione Xiphilinus. vereor tamen, ut ad Domitiani potius attineat Imperium, quò videtur Taciti narratio referre in Agricolæ vitâ. *Eadem æſtate*, inquit, nempe, ut paulo antè monet, *quâ ſextum Agricola officii annum inchoabat*, id eſt, ut ex præcedentibus ſequentibusque conficitur, anno U. C. 836. Juliano 128. Domitiani à fratris Titi morte ſecundo ſeneſcente & tertio mox ituro: *Cohors Uſipiorum per Germanias conſcripta, & in Britanniam tranſmiſſa* (quod commodè ſub Tito fieri potuit) *magnum ac memorabile facinus auſa eſt. Occiſo Centurione ac militibus Romanis, qui ad tradendam diſciplinam immixti manipulis* Cohortis iſtius Uſipiæ, *exemplum & Rectores habebantur*; quos, addit è Dione Xiphilinus, pauci Uſipiorum iſtorum milites, factâ ſeditione, cum Tribuno interfecerant, & ad naves confugerant) *tres Liburnicas, adactis per vim gubernatoribus, aſcendêre & uno remigante, ſuſpectis duobus, eoque interfectis; nondum vulgato rumore, ut miraculum provehebantur. Mox hac atque illac rapti* [navigavêre eam partem Britanniæ, quæ ſpectat ad Occidentem Solem, prout fluctibus ventoque ferebantur. Xiphil.] *cum plerisque Britannorum ſua defenſantium prælio congreſſi, ac ſæpe victores, aliquando pulſi; eò ad extremum inopiæ venêre, ut infirmiſſimos ſuorum, mox ſorte ductos veſcerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amiſſis, per inſcitiam regendi, navibus; pro prædonibus habiti; primum a SVEVIS* Menapiorum jam inde ab Auguſti tranſlatione inquilinis) *mox a Friſiis intercepti ſunt. Ac fuere, quos per commercia venundatos, & in noſtram* (ſeu Gallicam Romanámve Rheni) *ripam, mutatione ementium adductos, indicium tanti caſus illuſtravit.* Iſta Tacitus. de quibus nos ſuprà libro 1. cap. 20. quæ ibi legere potes.

Sub DOMITIANO.

6. Sub DOMITIANO crebrior Germanicarũ Belgicarumq; rerũ mẽtio. Nam ipſe circa ſecundũ tertiúmve Imperii ſui annum (qui eſt Chriſti vulgaris ſeu Dionyſianus, quo maximè poſthac utemur) octogeſimus tertius; U. C. 836. Julianus 128. à Paſſione 52. & maximè 53.) expeditionem in Chattos (hodie Heſſos; teſte Suetonio, Domit. c. 6.) *ſponte ſuſcepit.* nulla ſcilicet neceſſitate. Quare rectè Xiphilinus: *In Germaniam cum exercitu profectus, hoſte nuſquam viſo revertit.* Supereſt Dionis è Theodoſio fragmentum de Chattis. Sed cùm id Domitianum Româ tunc ſe moviſſe neget, ad poſteriora referendum videtur. *Chariomerus*, ait, *Rex Cheruſcorum* (qui Chattis à Boreâ contermini) *à Chattis imperio ſuo propter amicitiam, quam cum Romanis colebat, ejectus; primùm ſocios ſibi quoſdam adjunxit: & in recuperando regno ſuperior evaſit. Poſtea deſertus ab eis, cùm Romanis obſides miſiſſet, ac Domitianum ſupplex oraſſet; non impetratis auxiliis, pecuniam tamen accepit.* Ita poſt Domitiani è Germania reditum id contigerit. Ceterùm Suetonius ſuprà *de Chattis eum triumphaſſe* ſubdit. Quod & Eutropius Euſebiique Chronicon (licet ſeriùs) affirmant. Ac ſuper omnia Nummi plures; qui inde *Germanici* nomen Domitiano tribuunt, *jam Conſuli decimùm*. qui Conſulatus cum anno Imperii ejus tertio & quarto, Chriſti vulgari 84. U. C. 837. Juliano 129. componitur. Vnde in undecimo & XIV. ejusdem Conſulatu, idem Nummi Tropæum, cum Inſcriptione, GERMANIA CAPTA, repræſentant. Sed Tacitus in Agricola aptè ſuggerit, *Deriſui fuiſſe falſum nunc è Germaniâ triumphum*; emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur. Nihilominus addit Victor Scotti, *Dacis & Chattorum manu devictis, Septembrem Octobrémque menſes, Germanici ſuperiorem; è ſuo nomine alterum* (Domitianum, quòd in eo natus erat, addit Xiphilinus) *appellavit.* Quod & Suetonius Domit. cap. 13. & Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 12. confirmant. *Poſt duos triumphos*, ait ille, *Germanici cognomine aſſumpto, Septembrem menſem & Octobrem, ex appellationibus ſuis Germanicum Domitianumque tranſnominavit: quod altero ſuſcepiſſet Imperium, altero natus eſſet.* Addit denique Theodoſius è Dione, *Gannam virginem, quæ poſt Velledam in Keltica*, ſeu Tranſrhenanâ Germaniâ *Vates oracula reddebat, Domitianum adiiſſe, & honorificè ab eo tractatam, domum rediiſſe.*

Annus Jul. 128. U. C. 836.

Domitiani in Germanos expeditiones ludicræ

L. Antonii in Germania Superiore Ciſrhenanâ rebellio.

7. Adultiore porrò illius imperio, L. Antonius qui pro Veſpaſiano in Vitellium gnavam operam præſtiterat, inſurrexit. *Sævitis* enim *illius*, ait Victor vulgaris, *ac maxime verborum injuriâ, quâ ſe ſcortum vocari dolebat, accenſus Antonius curans Germaniam Superiorem, Imperium corripuit.* & Suetonius. Domit. cap. 6. *Bellum civile motum a L. Antonio, Superioris Germaniæ Præſide, confecit abſens, felicitate mirâ: cùm ipſâ dimicationis hora reſolutus repentè Rhenus, tranſituras*

turas ad Antonium copias barbarorum inhibuiſſet. Ex *Antonium* quidem *à Norbano Appio acie ſtratum*, habet ſupradictus Victor. At Xiphilinus è Dione Maximo id tribuit: *Antonium L. Maximus devicit, & bello cepit. Qui etſi propter victoriam non eſt magnâ laude dignus; tamen quòd literas omnes, in arcis Antonii repertas, ut ceteri calumniam effugerent, neglecto proprio periculo combuſſit, nunquam a me ſatis digne laudari poteſt.*] *De quâ victoriâ* Domitianus, iterum Suetonius; *præſagio priùs quàm nuntio comperit. Siquidem ipſo quo dimicatum erat die, ſtatuam ejus Romæ inſignis Aquila circumplexa, pennis clangores lætiſſimos edidit. Paulóque pòſt, occiſum Antonium adeo vulgatum eſt, ut caput ejus quoque apportatum vidiſſe ſe plerique contenderent.*

Et cædes mirâ celeritate nuntiata.

8. Fuſiùs hæc in Æmylii Pauli Vitâ Plutarchus: *Cùm ab Domitiano deſcivisſet Antonius, atque ingens a Germaniâ bellum expectaretur, Urbe conſternata; repentè & ſine auctore Populus ex ſeſe victoria famam ſparſit: Romamq́; ſermo pervagatus eſt, interfectum Antonium; nullámque exercitûs ejus ſtrati partem ſupereſſe. Fuit autem tam certa fides & flagrans, ut magna pars magiſtratuum ſacrificaret. Cum verò rumoris auctor quæreretur, nec ullus extaret; ſed ab alio ad alium rejectus ſermo refugeret; & demerſum denique in multitudinem immenſam, velut in vaſtum pelagus, ex nullâ certa proceſſiſſe origine appareret; hæc quidem fama properè ex Urbe evanuit. Ceterum educenti legiones ad bellum Domitiano, nuntius & literæ jam in itinere victoriam ſignificantes, occurrêre. Hujus tropæi & famæ dies idem fuit; locis plus duo millia quingenta milliaria diſtantibus. Id neminem noſtro ævo fugit.* Ita Plutarchus tum vivens. Denique Domitianus ex hoc (ſubdit Suetonius cap. 7.) *geminari legionum caſtra prohibuit; & pluſquam mille Nummos à quoquam ad ſigna deponi: quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepiſſe etiam ex depoſitorum ſummâ videbatur.* Nec plura de Germaniis Belgicis aut Tranſrhenanis vivo Domitiano.

9. Illud in ejus morte admiratione maximâ dignum eſt, quod de quodam Proculo, ait Dio apud Xiphilinum, *Larginus Proculus publicè prædixit in Germaniâ, Domitianum quo die exceſſit è vita, mortem obiturum. Cumq́; eſſet ob hanc cauſam ab eo, qui Provinciæ præerat, Romam miſſus, introductúsque ad Domitianum; id ita etiam tunc confirmavit fore. Quare rei capitalis damnatus eſt. Sed dilato ſupplicio, quo tum demum afficeretur, cùm ille periculum effugiſſet; tandem necato Domitiano ſalvus evaſit; & à Nervâ ſucceſſore quadringenta ſeſtertia accepit.* Ita Xiphilinus è Dione. Ceterum id boni Germaniæ noſtræ Ciſrhenanæ Inferiori contulit Domitianus, quod ei Conſularem Legatum, Ulpium Traianum impoſuerit. cum enim paulò ante Conſulatu functum, ex Hiſpaniâ Romam rurſus accivit, indéque in extremam Belgicam miſit. Ubi cùm omnium plauſu celebraretur, Nerva Domitiani ſucceſſor eum abſentem & inſcium ad adoptionem & Imperium advocavit. Ut Plinius in Traiani Panegyrico, & nos paulò infrà. Porrò Imperium tenuit Veſpaſianus cum filiis annos omnino 27. menſes ferè tres. Ipſe annos fere 10. Titus pluſquam duos, Domitianus quindecim.

Mira de Domitiani cæde præſagia.

BELGII ROMANI ECCLESIASTICI ET CIVILIS, LIBER SEXTVS.

CAPUT PRIMUM.

Nervæ & TRAIANI Imperium.

Ab anno Chriſti Dionyſ. 96. ad 117.

mperato-eſs undecim, Pugnâ Actiaca ad Domitiani interitum.

APUGNA Actiacâ, quâ Romanam Auguſtus accepit Monarchiam, ad Domitiani Cæſaris necem, ſeu annum U. C. Varronianum 849. Julianum 141. Chriſti verum centeſimum, Dionyſianum ſeu vulgarem 96. A Paſſione 66. Anni completi ſunt omnino 126. Quo temporis intervallo Imperium tenuerunt undecim Imperatores, ſeu Cæſares: omnes, cum Julio inſuper ipſo Cæſare, à Suetonio ſuccinctiùs, fuſiùs ordinatiúsque à Tacito (abſque Auguſto tamen) deſcripti. In tanto eorum numero vix duo debitâ virtute floruerunt, Auguſtus & Titus. Ille enim jam Monarcha per annos quatuor & 40. teſte Suetonio, *civiliſsimè vixit*; hic ob comitatem *delitia generis humani* dici meruit. ceteri vix ullo vitiorum genere caruerunt. Adeò difficile eſt, modum in tanto culmine ſervare. Quo majorem ideo laudem amoremque ſibi Nerva Trajanúsque pepererunt; à tot ſceleribus ad tantas ſubitò virtutes educti.

De quibus ... Taciti judicium.

2. Rectè proinde divinéque Tacitus præfatione in Vitam ſoceri ſui Agricolæ quadriennio antè defuncti, hoc vel proximè ſequenti anno ſcriptam: *Dedimus profectò grande patientia documentum: & ſicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate eſſet; ita nos quid in ſervitute. adempto per inquiſitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtrâ poteſtate eſſet oblivisci quàm tacere. Nunc demum redit animus. & quanquam primo ſtatim beatiſsimi ſæculi ortu, Nerva Cæſar res olim diſſociabiles miſcuerit, principatum ac libertatem, augeatq; quotidie facilitatem felicitatémve Imperii Nerva Trajanus; nec ſpem modo ac votum Securitas publica, ſed ipſius voti fiduciam ac robur aſſumpſerit: naturâ tamen infirmitatis humanæ, tardiora ſunt remedia quam mala: & ut corpora lentè augeſcunt, cito extinguuntur; ſic ingenia ſtudiáque oppreſſeris faciliùs, quàm revocaveris. Subit quippe etiam inertiæ dulcedo; & inviſa primò deſidia, poſtremò amatur. Quid ſi per quindecim annos, grande mortalis ævi ſpatium*, quo Domitianus, non tam imperavit ut pater, quàm ſæviit ut tyrannus, *multi fortuitis caſibus, promptiſsimus quiſque ſævitiâ principis interciderunt? Pauci, & ut ita dixerim, non modò aliorum, ſed etiam noſtri ſuperſtites ſumus; exemptis è media vitâ tot annis, quibus juvenes ad ſenectutem, ſenes propè ad ipſos ætatis exactæ terminos per ſilentium venimus.* Iſta omnia aureè prudentiſſiméque Tacitus, quæ utinam Tyrannuli iſti aliis duriſſimi, ſibi indulgentiſſimi, altiùs animo haurirent, caverentque. Quæ natura benigna mater vix uno tandem ſæculo parturit, paucis iſti annis, ſubinde & diebus, extinguunt.

3. Ceterùm etſi *beatiſsimum*, ut vult Tacitus, *ſæculum* ineamus, nobis tamen non deeſt nova quædam mœroris nubecula; nullo deinceps ſcriptorum illuſtrium auxilio, qui ferè omnes aut perierunt, aut negligenter aut ſuccinctè ſua tradiderunt. Ne Tacitos deinceps, Suetonios, Plinios, Velleios, Strabones, Plutarchos, Diones: ſed Spartianos, Capitolinos, Lampridios, Vulcatios, Trebellios Polliones, & Vopiſcos, Scriptorum magis fragmenta quàm ornamenta, Lector à nobis expectet. A tantâ ſæculorum aliquot infelicitate aut ſterilitate, nihil niſi ferias hiſtoriarum eſuriales acturum ſe ſciat. Ut hactenus abundavit, ita in poſterum penuriam pati diſcet. Eruam aliunde, & pro viribus expandam. Simul annis à Chriſto Dionyſianis plerumque utar; utpote jam uſitatioribus. Jejuna abhinc Hiſtoria Romana.

4. Cæſus eſt Domitianus, ut dixi anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano, quo jam paſſim utimur, nonageſimo ſexto (qui nobis à vero Chriſti ortu rectè Centeſimus eſt; U. C Varronianus 849.) Septembris octavodecimo, paulò ante meridiem. Statimque Nerva ſuffectus, agente ipſa Domitiani uxore, quæ ab ipſo in trucidandorum numerum relata erat. Prima novi boniqúe Principis cura fuit, *ut qui impietatis rei facti erant, abſolverentur; neméque deinceps impietatis aut ritûs Judaici* (addo ego *& Chriſtiani*) *accuſare permitteretur.* ait è Dione Xiphilinus. *Multi enim per calumniam damnati fuerant, & ingens ortus inde tumultus.* Anno proximè ſequenti, ipſe de more Conſul, jam tertiùm, T. Verginium Rufum Vindicis victorem, oblatique Imperii recuſatorem collegam aſſumpſit; qui in Magiſtratu mortuus, Cornelium Tacitum hiſtoricum noſtrum, tunc fortè quadragenarium, ſucceſſorem & ſuffectum habuit, à quo funebri oratione magnificâ laudatus erat. Nerva Imperator.

5. Nec caruit tamen æmulis Nerva. In eum iſto anno conſpirarunt Calpurnius Craſſus, Ælianus Prætorianis Præfectus, & alii, teſte apud Xiphilinum Dione. Quare ſenectutem ille ſuam contemptui eſſe videns; in Capitolium aſcendit; ibique magnâ voce, M. Ulpium Traianum, tum Germaniæ Inferiori præfectum, licèt abſentem & inſcium, nullo ſibi ſanguine nulla neceſſitudine junctum, ſolo Reip. bono, adoptat; moxque Cæſarem & Germanicum in Senatu dicit; ac ſequenti anno U. C. 851. Conſulem ſecum eſſe voluit. & TRAIANUS Imperator, in Germania Inferiore Belgicâ. *6. Kalend. Nov. ut Lipſius in Paneg. Plenis tribus ante exceſſum Nervæ menſibus. ut Aurel. Victor.*

iſtum

iſtum ille honorem Coloniæ Agrippinæ Germaniæ Inferioris caput, ubi tum agebat, inivit. Ita binos Romæ Imperatores ea Germaniæ Secundæ Metropolis, quaſi Principibus gravida intra annos triginta ſubminiſtravit, hunc ſcilicet & Vitellium. Unde Sidonius Apollinaris carmine 7. v. 114.

Ulpius inde venit, quâ formidata Sicambris
Agrippina fuit; fortis, pius, integer, acer.

Nec tamen ſtatim à Nervæ exceſſu, qui finiente Januario proximo, anni U. C. 852. contigit, Germaniam noſtram ille deſeruit; urbes trans Rhenum Eutropio teſte reparavit, quas Transrhenani ſub Domitiano vecorde Principe ſubverterant. In Germaniâ certè noſtrâ Inferiore ad Rhenum monumenta Traiani ſunt, *Ulpia caſtra* veteribus haud procul, & trans Rhenum ad Mœnum fluvium *Traiani monumentum*, Ammiano memoratum. Altero igitur anno à Nervæ exceſſu Romam deſideratus introiit. Quo etiam tempore Hadrianus Traiani affinis ex Mœſiâ in Superiorem Germaniam tranſlatus eſt, auctore Spartiano. Ita Traiano penè bis ſucceſſor Hadrianus, primùm ad Rhenum, inde in ipſo quoque principatu. Quaſi tum fatalis eſſet è Belgico Rhenanoque tractu ad Imperium gradus.

Amm. l. 17.
unde
Romam venit.

6. Primo Traiani Principis anno, ſecundoque Conſulatu, qui in annum U. C. 851. Chriſti vulgarem ſeu Dionyſianum 98. à Paſſione 67. finientem incurrit; aureum ſuum de Germaniâ Librum Tacitus edidit, ut ipſemet teſtatur. In illo de vicinis Inferiori Rheno Barbaris ita ſcribit: *Juxta Tencheros* (ad Boream, ultra Lupiam fluvium) *Bructeri olim occurrebant. Nunc Chamavos & Angrivarios immigraſſe narratur: pulſis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum conſenſu nationum; ſeu ſuperbia odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu favore quodam erga nos Deorum. Nam ne ſpectaculo quidem prælii invidêre. Super LX. millia, non armis teliſq; Romanis; ſed quod magnificentius eſt, oblectationi oculiſq; ceciderunt. Maneat quæſo, duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui. quando urgentibus Imperii fatis, nihil jam præſtare fortuna magis poteſt, quàm hoſtium diſcordiam:* Ita Tacitus. Tam cruenti prælii locum non ſatis determino. In Bructerorum finibus, qui Romanos attingebant, nec Rheno procul, contigiſſe innuit Tacitus, cùm in Romanorum conſpectu factum ſcribit. Cumque Bructeri tunc Rhenanum Imperii limitem nonniſi circa ipſius fluvii divortium, & Cliviæ oppida *Rheſam* Embricamque attingerent, è regione ipſorum contigiſſe neceſſum eſt.

ejus initio Tacitus librum de Germaniâ edit.

Bructeri cæſi, & ſedibus ſuis expulſi.

7. Quod addit Tacitus, *Bructeros penitus exciſos*; non ita capiendum, quaſi tota gens funditùs extirpata fuerit: ſed quòd primis ſedibus penitùs ea acta; aliò migrare coacta ſit. Nam belli iſtius ſuperſtites, etiam in illuſtre Romaniſque timendum nomen excreviſſe; ripæque adhuc Rhenanæ, ſed paulò in Meridiem altiori, uſque ad Lonam Naſſoviæ fluvium ſi non & ultra, Agrippinam inter & Chattos adſediſſe, quæ infrà narrabuntur, evincent. Licèt paulùm jam inflexo nomine, modò *Bructuri*, modò *Boructuarii*, modo *Borthari* dicantur. Neſcio an non Traiani ipſius ope ſtatim reſurgere cœperint; quando ſub eo ſcribens Plinius Junior ita refert epiſt. 7. lib. 2. *Heri à Senatu Veſtricio Spurinnæ, Principe* Traiano *authore, triumphalis ſtatua decreta eſt: non ita ut multis, qui nunquam in acie ſteterunt; verùm ut illis, qui decus iſtud ſudore & ſanguine & factis aſſequebantur. Nam Spurinna Bructerum Regem vi & armis induxit in Regnum: oſtentatóque bello, ferociſſimam gentem, quod eſt pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit.* Veriſimiliter Spurinna Traiano in Germaniæ Inferioris adminiſtratione ſucceſſerit; quo tempore Superiorem regebat Hadrianus, ut dixi. & Bructerorum Regem à ſuis pulſum, ſolo armorum ſuorum Principiſque Traiani terrore reſtituerit. neſcio an ante victam, patriiſque ſedibus exactam gentem. De quo magis cogitandum exiſtimo. Statius Poëta hoc tempore ſcribens, Sylv. lib. 1. hoc bellum tangere videtur, cùm canit,

Magis in Auſtrum, & Superiora Rheni.

Spurinna Regem eorum reſtituit.

Non vacat Arctoas acies, Rhenumq; rebellem,
Captivaq; preces Velede, cui maxima nuper Gloria, &c.

Sanè in ſuperioribus *Veleda virginis Bructeræ*, & quidem vaticinæ, latéque imperitantis, crebram ex Taciti hiſt. lib. 4. mentionem audivimus. Potuit ea novum Bructerorum Regem expuliſſe primùm; mox eundem Spurinna Traiani juſſu reſtituiſſe, & Velledam captivam Romam duxiſſe, ubi preces Traiano pro ſui reſtitutione fuderit. Examinet Lector.

Velleda virgo Bructera fatidica, capta.

8. Ceterùm pro ſecuturis hic benè notandum eſt, quod & Tacitus ingerit, in primas Bructerorum expulſorum ſedes *immigraſſe Chamavos & Angrivarios*: quando eorum crebra poſthac in ſedibus iſtis mentio: Chamavorum quidem prope dexteram & barbaricam Rheni ripam, circa Lupiæ Rheniique confluxum: ad cujus etiam Lupiæ ſuperiora, Chamavorum veſtigia reliquiáſque videmus, *Ham & Carmen*, in hodierno Comitatu Markenſi. Angrivariorum autem in Angariæ Ducatu, qui ad Colonienſem pertinet Archiepiſcopum; & in vicis aliquot, circa *Ravensbergh*, *Engheren* adhuc hodie dictis. De quibus plura inferiùs, cum ad Juliani Apoſtatæ tempora venerimus. Nec plura de rebus Belgicis ſub Traiano reperio. qui deinceps in Dacos quinquennio toto bellum geſſit, & cum mortem ſibi attuliſſet Decebalus eorum Rex, debellavit anno Chriſti Dionyſiano 105. Poſt quem Romam reverſus, columnam ſui nominis ingentem in foro item ſuo Traiano, anno Chriſti 106. erigere cœpit, & poſt ſeptennium denique complevit; ut in eo Xiphilinus, & ipſa columnæ Inſcriptio. Inde in Armenios Parthoſque verſus, cum iis ad mortem uſque bellum geſſit. Obiitque Selinunte Ciliciæ urbe. anno Chriſti vulgari 117. Auguſti die decimo, cùm Hadrianum prius, ſtudio Plotinæ uxoris adoptaſſet. Imperavit annos 19. menſes 6. dies 15.

Chamavi & Angrivarii Bructerorum pulſorum ſedes occupant.

Traianus in Dacos & Parthos bellum geſſit. non in Belgas.
Ejus Columna Romæ.

CAPUT II.

Belgica pauca ſub Impp. Hadriano, Antonino Pio, & Marco Aurelio Philoſopho.

Ab anno Chriſti Dionyſiano 118. ad 138.

1. HAdrianus etiam antequam Imperium caperet, peregrinationibus delectabatur. nec omiſit etiam Imperator factus. Anno quidem

HADRIANUS Imperator.

Imperiu

Imperii ſui tertio, Chriſti 120. jam liber, peregrinationem per univerſum Romanæ ditionis Orbem inſtituere aggreſſus, in Gallias primùm Belgiumqúe noſtrum venit. ubi omnes cauſariis liberalitatibus ſublevavit. Inde in Germaniam Ciſrhenanam, cujus Superiorem partem olim ſub Traiano rexerat, tranſiit. pacisqúe licèt quàm belli cupidior, militem tamen, quaſi bellum immineret, exercuit. Germanis quoque Regem conſtituit. Spart. Inde converſis regio more militibus, Britanniam petiit; è Morinis & Belgio noſtro, de more. Io ea multa correxit. murum per 80. millia paſſuum, primus duxit, qui Barbaros Romanosqúe divideret. de quo plura Camdenus & Hector Boetius. Compoſitis in Britanniâ rebus, in Galliam rediit. & Per idem tempus in honorem Plotinæ Traiani conjugis Baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extruxit. Poſt hæc Hiſpanias petiit: Tarracone hyemavit, ubi ſumptu ſuo ædem Auguſti reſtituit; omnibus Hiſpanis Tarraconem in conventum vocatis. Quod & in Gallis feciſſe, puto. Hujus innumeri pœnè Nummi, per totam quidem Belgicam, ſed Ribemontii maximè ad Somonæ fluvii caput eruuntur, ubi antiqua multa rudera fornicesque viſuntur. Nec deſunt etiam aliorum. Traiani certè variis locis plures vidi: integrum unum maximè, ante paucos annos è fundamentis Collegii noſtri Cameracenſis eductum. Multi item prope Dionantum; plures adhuc etiam aurei magno numero prope Teneramundam in poculo fortè reperti; toti Belgio anno Chriſti 1607. cogniti. Obiit Adrianus anno Chriſti Dionyſiano 138. Julii die decima: cùm juxta Dionem imperaſſet annos 20. menſes undecim. Videtur eo imperante Taciti hiſtorici mors accidiſſe.

ANTONINUS Pius Imp.

2. Antoninus Pius Hadriani filius adoptivus & in Imperio ſucceſſor, nullas expeditiones obiit, teſte Vitæ ejus Scriptore Julio Capitolino, niſi quòd ad agros ſuos in Campaniam profectus eſt. & tamen ingenti auctoritate apud omnes gentes fuit: cùm in Urbe propterea ſederet, ut undique nuntios citius poſſet accipere. Provinciæ ſub eo cunctæ floruerunt, ait Capitolinus. ergo & Belgica noſtra. Per Legatos tamen plurima bella geſſit. Nam & Britannos per Lolium Urbicum vicit, alio muro ceſpititio ſubmotis barbaris ducto: Germanos & Dacos, & multas gentes, atque Judæos rebellantes contudit per Præſides ac Legatos. Tertio anno Imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit; quæ à Senatu conſecrata eſt. Mortuus eſt anno Chriſti vulgari 161. cùm imperaſſet annos fere 23. aut 24. juxta Xiphilinum è Dione. ſolus omnium prope Principum ſine civili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet, vixit. Unde omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, ſanctimoniam laudaverunt, ſi Julio Capitolino fides. Addit Sulpitius Severus libro 2. Antonino Pio imperante, pacem Eccleſiis fuiſſe. ſub ejus filio Marco Aurelio Perſecutionem quintam agitatam. de qua antequam agam, pauca civilia præmittenda.

M. AURELIUS Philoſophus Imperat.

3. Ut Antoninus *Pius*, ſic M. Aurelius *Philoſophus* eſt appellatus. ejus vitam ſcripſit Julius Capitolinus, privatam tamen, magis quàm publicam: ut alii ferè omnes Scriptores iſti minores: quando expeditiones ejus non tam narrat, quàm tranſcurſim attingit. Pauca hæc ad Belgicam noſtram referri poſſunt. Sub ejus adhuc initia, *Imminebat*, ait, *etiam Britannicum bellum; & Catti in Germaniam* (nempe Belgicam ſeu Ciſrhenanam) *ac Rhetiam irruperant. & adverſus Britannos quidem Calphurnius Agricola miſſus eſt, contra Cattos Aufidius Victorinus.* Idem Capitolinus tamen paulò infrà ſcribit, Marcum hunc Philoſophum, *Germanicum ſe vocaſſe, quod nomen ſibi bello proprio pepererat.* Mox iterum: *Provincias poſt hæc ingenti moderatione ac benignitate tractavit. Contra Germanos res feliciter geſſit.* Niſi fortè per Germanicum bellum, etiam Marcomannicum intelligat. ut alicubi innuere videtur. Eutropius certè disertè bellum ab ipſo unum, Marcomannicum geſtum ſcribit; cui & immortuus ſit; imperii anno 18. vitæ 61. quod & Capitolinus habet.

Didii Juliani poſtea Imperatoris geſta in Belgicâ.

4. Utcumque ſit, ſub hoc certè Imperatore M. Aurelio contigit, quod de Didio Juliano, poſtea Imperatore, narrat in ejus Vita Spartianus: *Ædilitatem ſuffragio Marci conſecutus eſt. Prætor ejuſdem ſuffragio fuit. Poſt Præturam Legioni præfuit in Germaniâ Viceſima ſecunda Primigenia. Inde BELGICAM ſanctè ac diu rexit. Ibi Chaucis Germaniæ Tranſrhenanæ populis, qui Albim fluvium accolebant, erumpentibus reſtitit, tumultuariis auxiliariis Provincialium.* ergo & Belgarum, quibus præerat. *ob quæ Conſulatum meruit, teſtimonio Imperatoris. Cattos etiam debellavit.* contra quos ſcilicet idem Imp. Marcus Aufidium Victorinum miſerat. *Poſt Germaniam Inferiorem rexit.*

Quarta vel Quinta Perſecutio ſub Marco.

5. Sub hoc item Marco Aurelio, Quartam Chriſtianos, vel ut Severus Sulpitius ſupputat, Quinta Perſecutio agitata eſt: plurium Gallorum martyriis inclyta. Quæ fuſiùs hic recenſerem, ſi Belgium attinerent. Perſtringam tamen; ut tanto proclivior ſit de Belgis hujus ævi Martyribus conjectura. Fuſiùs pertexit Euſebius hiſt. Eccl. l. 5. c. 1. & 2. ad annum Marci 17. (licèt in Chronico ad 7. referat) & quidem ex auguſto venerabilique epiſtolæ monumento, quam Vienenſes Lugdunenſesque ejus ævi Chriſtiani Aſiæ Eccleſiis tranſmiſere. Eâ perſecutione ſanè peracerbâ, primùm non ædificiis modò publicis, balneis, & foro Chriſtianis interdictum eſt; ſed etiam, Ne quis eorum uſlibi prodiret, ſeverè vetitum. Deinde à Tribuno plebis, aliisque Magiſtratibus in forum deducti, fidemque liberè conſeſſi, nullo non crudelitatis genere perfuncti ſunt.

Martyres Lugdunenſes.

Erat inter eos *Vettius Epagatus* illuſtris & eximius, Dei proximique amore ardentiſſimus. Hic cùm ſe audiri popoſciſſet, rogatusque quis eſſet, Chriſtianum ſe clara voce nihilque in fide ſuâ ſceleris impietatisve reperiri teſtatus; Chriſtianorum advocatus appellari, omniumque primus ab obſtinato Judice occidi meruit. Objiciebantur Chriſtianis, neſcio quæ Thyeſteæ cœnæ (credo occaſione S. Euchariſtiæ ſumptæ) & Oedipodis inceſtus, ex fœdis Gnoſticorum Hæreticorum permixtionibus; & alia, ut ait epiſtola, quæ nec cogitare quidem, nec inter homines admitti, credere quiſpiam audeat.

Photinus Lugduni Epiſcopus Martyr, nonagenario major.

6. Photinus Lugdunenſis Epiſcopus Nonagenario major, tametſi vix jam liberè ſpiraret, ſoloque amore martyrii viveret, ad Judicis tribunal non ductus ſed geſtatus: rogatusque ab eo quis eſſet Chriſtianorum Deus, Scies, inquit, ſi dignus ſis. Quo dicto in rabiem acti adſtantes Ethnici, pugnis, & calcibus ſenem contundere, qui vero longius diſtabant, quidquid occurriſſet, in eum projicere: Denique omnes ſeminecem in carcerem protrudere: ubi ille vix jam ſpiritum ducens

& Sanctus ejus Diaconus.

biduo poſt expiravit. Diaconus quoque quidam Sanctus nomine, diris quæſtionibus exagitatus, cùm nihil unquam in omnibus tormentis, niſi ſe Chriſtianum eſſe; hoc ſibi nomen, hoc genus, hoc patriam eſſe reſponderet; candentes æris laminas, & igniti ferri circa delicatiora inguinis corporisque membra ferri applicationes perpeſſus, omnibus jam membris adultis, vix an homo eſſet diſtingui poterat. Nihilominus in aliquot dies, quo ſcilicet ſupplicio ſuo ſuperſtes eſſet, dilatus; iterumque in membris jam putrefactis, defluentibusque cruciatus; unde mortem expectabat, medelam divina virtute conſecutus eſt: in priſtinam membrorum formam ſanitatémque reſtitutus. Quare cum Attalo Pergameno nobilitate virtuteque perilluſtri, & Maturo ferreis & ignitis in Amphitheatro cathedris impoſitus, ac veluti frixus; cùm ſpiritualiter inconcuſſus, Gentiles lethali carnium ſuarum nidore perfunderet, ad extremum ſecuri percuſſus eſt. Attalo, dum ita tolleretur, exclamante, *Ecce hoc eſt homines comedere, quod vos facitis. Nos enim neque homines voramus, neque ſceleris quippiam patramus.* Multi interim alii in carcere diſtenti miſeriis abſumpti.

Blandina matrona nobilis, cũ liberis ſuis Martyr.

7. Omnium poſtrema *Blandina* (ait Euſebius) tanquam nobilis & generoſa mater, cùm liberos egregiè ad pœnam animatos, victores ad Chriſtum præmiſiſſet; poſt beſtiarum, ad quas projecta eſt, laniatus, poſt ſartaginis exuſtionem, ad extremum in rete involuta, tauri ictibus objectatur. à quo diù multumque icta; cùm tamen ſubſiſteret, denique enſe jugulata eſt. Quadraginta octo martyres tum abſumpti. omnes ab Adone, & eo vetuſtiore Gregorio Turonenſi ſigillatim nominati. Quorum reliquiæ à perſecutoribus incenſæ, & in Rhodanum fluvium diſperſæ. Sed revelatione divinâ repertæ collectæque, ſub ſancto altari conditæ ſunt, annuaque deinceps feſtivitate celebratæ. Nihil dico de Marcello & Valeriano Cabilone, nihil de Flocello puero Auguſtoduni, nihil de Tergeminis Lingonibus, aliisque alibi, eâdem perſecutione paſſis.

…ilia Martyria Belgio …ſumen-

8. Tantùm inde certiſſimum educo argumentum, Belgas quoque noſtrates non paucos eâdem perſecutionis flamma conſumptos; licèt nobis ignotos, ut qui vate ſacro caruerint. Quomodo enim ſaltem Treviros, urbem Galliarum, ut Salvianus vocat, excellentiſſimam, quæ ut tantæ gentis caput, inter tam varios variarum Religionum cultores, Chriſtianis omnino carere non potuit, ea tempeſtas non attigiſſet? Imò verò cùm priores Epiſcopos ſuos penè omnes Treviri martyrii laurea decoratos tradant, nonnullos hac ſaltem procellâ conſumptos ſatis inſinuant. Atque hæc ipſa Martyria ſunt, de quibus ita Severus Sulpitius l. 2. *Sub M. Aurelio Antonini filio, perſecutio Quinta* (pluribus Quarta) *agitata, ac tum primùm intra Gallias Martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei Religione ſuſceptâ.* Quod quomodo accipi debeat, jam examinandum.

CAPUT III.

In Sulpitii Severi dictum inquiritur, An ſeriùs trans Alpes Chriſti Religio ſuſcepta?

Severi Sulpitii auctoritas.

1. MAgna omnino apud me Severi auctoritas eſt, gravis fidique Scriptoris, & quidem Galli; qui Stilicone primùm Conſule, anno Chriſti vulgari 400. Hiſtoriæ ſacræ breviarium ſanè luculentum publico dedit, eloquentiâ juxtâ & Religione celebris, Sanctique Martini in Monaſterio majore Turonenſi diſcipulus. Ac niſi me denſiora æquè gravium Patrum teſtimonia retinerent, totus in ejus ſententiam concederem; præſertim cum Gregorii quoque Turonenſis Epiſcopi ſuffragio fulciri videatur. Hic enim lib. 4. hiſt. Franc. c. 30. *Decii Imperatoris* (inquit) *tempore* (circa annum à nato Chriſto 250.) *ſeptem viri Epiſcopi ordinati, ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt: ſicut hiſtoria paſſionis S. Martyris Saturnini denarrat. Ait enim Sub Decio & Grato Coſs. ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana civitas habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt: Turonicis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Stremonius Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.*

Gregorii item Turonenſis.

Tres ex nominatis Eccleſiis, Arelatenſis, Narbonenſis, & Lemovicenſis, primum ſuum Epiſcopum ad Apoſtolorum tempora referunt: & ecce aperto Scriptoris antiquiſſimi, popularis ſui teſtimonio revincuntur. Planè igitur idem de aliis præſumendum Eccleſiis, quæ primos ſuos Antiſtites ab Apoſtolis miſſos gloriantur.

Priorum Epiſcoporũ Gallicanorum hiatus, & interruptio.

2. Accedit quod penè omnes Gallicanorum Epiſcoporum Indices, qui ab Apoſtolis deducuntur, cùm primum ſuum aut ſecundum cenſuere Sacerdotem, ſpatium repentè ducentorum circiter annorum Epiſcopis vacuum exhibeant: & proximos deinde eorum ſucceſſores, in Conſtantini tempora, ſubinde etiam ſeriùs, hiſtoricorum auctoritate revicti rejiciant. Nullâ aliâ omnino ratione, quàm quod nimis altam fidei ſuæ advocent originem. Quod ſi à Marco Aurelio, aut etiam Decio ſeriem Epiſcoporũ ſuorum retexerent, continuam illam & nuſquam hiantem plerumque concinnarent. Non ergo malè Severus, *ſeriùs trans Alpes Religionem ſuſceptam* ſcribit.

Eccleſiarũ Gallicarum antiquitas probatur ex Patribus.

3. Ego verò pedem animumque fixum in poſitâ ſemel opinione retineo; teſtimoniis longè pluribus gravioribusque conſtrictus. Quod ut paulò fuſiùs ediſſeram; juvat hìc Galliarum Apoſtolos Decii imperio ſuperiores; è veterum Patrum ſcriptis eruere; itáque pedetentim ad Apoſtolorum ætatem gradum facere.

Primùm è Cypriano.

4. Ac primùm ſcripſit ſuas Cyprianus ad Stephanum Papam Epiſtolas quinque circiter annis abs eo Decii Gratique Conſulatu; id eſt circa annum Chriſti vulgarem ſeu Dionyſianum 255. In iis Martianum nominat Arelatenſem Epiſcopum, Novatianâ hæreſi infectum; eumque tanquam pridem illi ſedi impoſitum. Et tamen cum Trophimo, ſi hic primus eſt, poſteriorem eſſe

neceſſum

neceſſum eſt. Cypriani verba ecce iſta: *Quapropter facere te oportet* (Stephanum Papam alloquitur) *pleniſſimas literas ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ut ultrà Marcianum pervicacem & ſuperbum, & divinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, Collegio noſtro inſultare patiantur: quòd necdum videatur à nobis abſtentus, qui jampridem jactat & prædicat, quòd Novatiano ſtudens à communione ſe noſtrâ ſegregaverit.*] Ait ecce Martianum *jampridem* non modò Epiſcopum, ſed & jactantem Novatiano ſe impunè ſtudere. Fuerat ſcilicet Epiſcopus priuſquam Novatianus. Ait item alios eſſe *in Galliis conſtitutos Epiſcopos.* Fuerant igitur tum Arelate tum alibi in Galliis Epiſcopi, antequam hæc à Cypriano ſcriberentur, circa annum, ut dixi, Chriſti 255. Quis credat Trophimum Arelatem, aut alios in alias Galliarum civitates miſſos Epiſcopos Decii primum Gratiqúe Conſulatu, id eſt vix ſex annis antequam iſta ſcriberet Cyprianus? Imò Fauſtinum, ejuſqúe epiſtolæ initio, Lugdunenſem nominat Epiſcopum, ejuſdem provinciæ Lugdunenſi primæ Coëpiſcopos etiam aſſignat: quem tamen, vel in tantâ hiſtoriarum caligine, nonniſi quintum ſuæ ſedis Epiſcopum ea Eccleſia tam illuſtris agnoſcit. Sed & Indiculus Arelatenſis nonnullos Trophimum inter & Martianum repræſentat Antiſtites. prorſus uti pluribus ex cauſis plures in Gallias Epiſcopos longè ante Decii imperium adveniſſe credendum ſit. Ne quid dicam de Privato Epiſcopo Cabalitano, quem ſub Valeriano & Gallieno paſſum teſtantur Martyrologia Romanum, Bedæ, Uſuardi, Adonis, & Greg. Turon. l. 1. hiſt. Franc. cap. 34. & Fortunatus l. 7.

II. è Tertulliano.

5. Cypriani Magiſter Tertullianus, librum contra Judæos edidit Severi Imperatoris temporibus, id eſt 50. plus minùs annis ante illam Cypriani Epiſtolam, id eſt paulò poſt annum Chriſti vulgarem 200. In eo Chriſti regnum ubique porrectum probare volens, diſertè ſcribit: *In Chriſtum jam credere Hiſpaniarum terminos omnes, Galliarum diverſas nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto jam ſubdita: Sarmatarum item, Dacorum, Germanorum, &c.* Non uno certè anno, ne unius quidem hominis ætate, *diverſæ illæ Galliarum nationes* ad Chriſtum adductæ fuerant. multis ante Tertullianum annis adductas eſſe oportuit, ſi jam è Galliis ipſis, adeoqúe Belgicâ noſtra, & extremis hominum Morinis (unde tranſitum in Britanniam fuiſſe teſtatur Libellus Provinciarum Romanarum) in Britanniam gradum fecerat Chriſti Religio. Et quid Britanniam dico? plus dicit Tertullianus: in ipſa etiam Romanis inacceſſa Britannorum loca; id eſt, ut interpretor, ultra murum illum Romani Barbaricíque ſoli limitem. & commodè de Lucio Britannorum Rege paulò antè ad fidem adducto, capi poteſt, ſive intra ſive extra murum illum Lucii regnum conſtiterit. Ad hæc, credebant jam in Chriſtum Hiſpaniarum termini omnes, quin & Germanorum, Dacorum, & Sarmatarum gentes pervaſerat Chriſti fidés. Quis non pervidet, illam iiſdem temporibus, tanto latiores altioreſqúe in Gallia radices agere debuiſſe, quanto hæc fonti ipſi, id eſt, Romæ vicinior, moribus cultior?

I. ex Ireneo.

6. Scriptum hoc Tertulliani facilè vicenis adhuc annis antevertit Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus opere ſuo contra hæreſes, quod Sotere Romano Pontifice ante annum Chriſti 180. contexuit. In eo ita ſcribit: *Etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt; ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. & neque hæ quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis* (ſeu Hiſpanis) *neque hæ quæ in Celtis* (Gallis) *neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ, &c.*] Dicit *in Celtis* Galliſve *& in Germania fundatas Eccleſias.* igitur & creatos qui eas regerent Epiſcopos. Germaniam autem ſi Tranſrhenanam intelligit, planè innuit, multo magis cis Rhenum viguiſſe Chriſti Religionem. Si Ciſrhenanam ſeu Belgicam, planè ſignificat, fidem ad Galliarum extrema ſeſe, quaſi jam exundaturam, ſi [illegible] dum exundaverat, profudiſſe; Belgiumque hoc noſtrum proinde latè jam illuſtraſſe.

7. Irenæi opere priores adhuc ſunt, etſi paucis annis, Martyrum Lugdunenſium Paſſiones, vetuſtiſſimis illis Gallorum Chriſtianorum literis decantatæ. Quibus præterquam quod magna Chriſtianorum in Galliis frequentia gloriaqúe per id ævi demonſtratur; Photinus inſuper Lugdunenſium ipſorum Epiſcopus, Martyrium nonagenarius ſubiiſſe perhibetur. Tantæ ætatis Antiſtes nunquid facile 50. aut 40. certè totos annos Lugdunenſi Eccleſiæ præfuerit? Quod ſi, ut probabile eſt, ita ſupponitur: jam ecce è certis Scriptoribus nonnullos Galliarum Epiſcopos ab anno Chriſti ferè 130. aut 140. advocabimus; hoc eſt, ne 30. quidem, ſummum 40. annis à morte Joannis Apoſtoli, quem ille ſenem puer videre potuerit. Nam Martyrum quidem iſtorum glorioſa certamina in annum Marci Aurelii 7. id eſt Chriſti vulgarem 167. refert Euſebii Chronicon. Ut jam non tantoperè explodenda ſit eorum ſententia, qui Dionyſium ſeu Areopagitam ſeu alium ei coævum Galliis, ſpeciatimqúe Pariſiis fidei lucem affudiſſe volunt: non certè ex hac, quam tantopere nobis ingerunt, Severi ſententiâ, *Serius trans Alpes Dei Religione ſuſcepta.*

IV. Martyrib. Lugdunenſibus.

8. Huc jam accedat coronidis vice S. Creſcentis in Gallias miſſio, ab ipſo Apoſtolo Paulo Petróve inſtituta; & ex Scripturis ipſis Patrum ſenſu intellectis accepta; de qua fuſiùs priore libro: Eritne reliquus ullus eorum pervicaciæ locus, qui ante Decii Aureliíve imperium Galliis tam obſtinatè negant Epiſcopos? Quis autem credat mortuo Creſcente, fidem quoque Chriſtianam, quam ille tanto, id eſt Apoſtolico ſpiritu ſeverat, cum eo pariter emortuam; & ſub Aurelio denique Imperatore aut etiam Decio, quaſi poſtlimino revixiſſe?

V. è Creſcente in Gallias miſſo.

9. Denique ut tanta teſtium nubes etiam ratione roboretur, lubens ex moroſioribus iſtis hominibus quærerem, Quid tantopere minus ab aliis Imperii Romani provinciis Galliæ noſtræ obtigiſſe velint, ut ei prædicationem Apoſtolicam, tot aliis non negatam, concedi [illegible] religio ſit. Ipſa Gallia trecentis & quinque (ſi Joſepho Judæo fides eſt) gentibus numeroſa, felicitatis domeſticæ fontibus inexhauſta, quibus totum penè orbem irrigabat, Treverenſi Principum domicilio paulò poſt inclyta; Præfecti prætorio dignitate decorata, toties à divitiis, mercatura, opificio, eloquentiâ, doctrinâ limitibusque decantata in Occidentalis Imperii medio poſita, adeò ipſi Italiæ contermina, quondamqúe propè debellatrix: Illa, inquam, talis tan-

VI. Ratione generali.

taque

tìque Gallia tam fœcunda tam amœna, tam humana, non ſemel in Petri aut Pauli, dum Romæ agerent, & inde tamquam ex altiore ſpeculâ in ſingulas Occidentis regiones deſpicerent, oculos incurrerit; non eorum, non unius ex eorum diſcipulis zelum ardorémque commoverit, quorum ſonum in omnem terram exiiſſe toties, tam magnificè canit è Scripturis Eccleſia? India, Scythia, Æthiopia, adeo Barbaræ, adeò extra Romanum orbem projectæ, Andream, Thomam, Matthæum, aliosque allexerint. In Occidente Titum Dalmatia meruerit, ipſum Apoſtolum Paulum Hiſpania ſi non habuerit, ſui ſaltem deſiderio titillarit: Gallia quibuſdam ſaltem illarum (ne de omnibus dicam) tanto nobilior, tanto ditior, amplior, humanior, vicinior atque commodior neminem viderit, audierit, nullius ex iis, *quæ ut nubes volabant*, cæleſti pluviâ irrigata fuerit? Atque hæc ſunt, quæ, meo quidem judicio, Eccleſias in Galliis Belgióque noſtro, ſi non ab Apoſtolis, ab eorum certè Diſcipulis erectas evincunt; ſaltem in genere.

10. Quod ſi in ſpecie, per temporum ac perſecutionum injurias quænam eæ fuerint, evolvere non poſſemus: ſtatet tamen adhuc fixa theſis: nec jure ſtudium noſtrum ullus improbaret, ſi vel ſolâ conjecturâ ad hypotheſin pertingere niteremur. Enimverò ſolæ celebriores Galliarum ejus ævi civitates, digitum in hoc dubio nobis intenderent: quas ab Apoſtolis primum initi debuiſſe docet haud ſtum & à rei naturâ, & à prudentiâ conſilium. Jam verò ſi in tantâ quoq; hiſtoriarū cōjecturis nihil opus, ſuperſunt que etiamnum non paucarum Eccleſiarum traditiones, quā antiquitatis, quā Martyrologiorum Pontificum que teſtimonio firmatæ; Ecquod tandem levioris credulitatis periculum, ſi earum primos Antiſtites ad Apoſtolorum tempora revocamus? Ita è Belgica Treveri Eucharium, Valerium, & Maternum à Petro miſſos omni tempore gloriati ſunt; ut & Agrippinenſes Tungrique. Ita Sixtum atque Sinicium Remi & vicini Sueſſiones; Memmium Catalauni; ab ipſo Paulo Creſcentem Moguntini. In Lugdunenſi, è primâ quidem Photinum, qui Joannem Apoſtolum videre potuerit, ut dixi: è Secundâ, quæ modo Normandia dicitur, Nicaſium Rotomagenſes, Taurinū Ebroicenſes à Clemente Romano ſibi accerſunt: è Tertiâ Julianum ab ipſo Petro Cenomanni, ut è Quartâ Savinianum Senones; Potentianum & Serotinum Tricaſſini, Altinum & Eraldum Aurelianenſes ac Carnotenſes: ex Aquitaniâ Martialem Lemovices, Burdegalenſes, Gabalitani, & uno verbo omnes penè eis Garumnam Aquitani: Eutropium etiam ipſo Greg. Turonenſi teſte, à Beato Clemente primo Santones: è Narbonenſi Paulum cognominis Apoſtoli ſocium ipſimet Nabonenſes, Trophimum Arelatenſes: imò ab ipſis Jeroſolymis, primo fidei fonte, Lazarum, Martham, & Magdalenam Maſſilienſes; Maximinum horum comitem Aquenſes; Creſcentem quoque Moguntinis in hoc juncti Viennenſes; alios denique alii. omnes & ſingulos, ut dixi, Martyrologium Pontificúmque fide conteſtatos, ut ex Baronio videre licet. qui etiam Eutropium Santonenſem, Lucianum Bellovacenſem, Nicaſium Rothomagenſem martyrii ſub Domitiano laurea coronatos ex Martyrologii Romani fide ſcribit in Annalibus. & erit, qui de horum omnium adhue veritate dubitabit?

9. probantur ex Eccleſiis particularibus.

11. Nam quod ad objecta attinet, facilè ex dictis convelluntur. Severus quidem, ſi ſtrictè propriéque loqueretur, falli omnino dicendus eſſet, & antiquioribus certioribusque Patribus ac teſtimoniis poſthabendus. Nunc eùm compendioſiſſimè raptimque ſcribat, minutiora negligere ſilereque nihil mirum. Martyria ergo tum primùm ſub Marco in Galliis viſa intelligit, quæ ſcilicet inſigni numero ſplendoreque ethnicorum oculos animosque perſtrinxerint. Nec enim antea niſi unus & alter, idque diverſis in civitatibus, & obſcuri, tanquam rei vulgares ſuppliciis communibus plerumque affecti erant: Religione Chriſtianâ nondum vulgo cognitâ, imò & contemptâ: nedum eò provectâ, quæ Gentilium priſcos ritus accideret inverteretque, totas gentes comprehenderet, metum denique ruituri jam imperii, velut in malè diſſimulatæ ſuperſtitionis (ut vocabant) pœnam, ingereret. Quæ ſub Nerone, Domitiano, Trajano Romæ præſertim præceſſerant perſecutiones, plurimorum, illuſtriumque virorum certaminibus inclaruerant; vulgi etiam oculos, aures, menteſque perculerant. Nihil in Galliis, ante hæc martyria ſimile, nihil æquè ſonans. & video Severum rapti m ut ſcribentem, ita & veteres unde ſua promebat, legentem, cum hactenus in illuſtrius nihil de Galliis martyribus incurriſſet, quàm quod in Euſebii Chronico, ad annum Marci Imperatoris 7. habetur: *Plurimi in Galliâ glorioſè ob Chriſti nomen interfecti: quorum uſque in præſentem diem condita libris certamina perſeverant*: hanc ſibi periochen excidere ſiviſſe, *Tum primùm viſa in Galliis martyria*: moxque rationem de ſuo reddere volentem, ſubdidiſſe, *Serius trans Alpes Dei Religione ſuſceptâ*; eo fulgore ſcilicet Gentiliumque motu, qui ruituri jam Deorum cultus, irrepentisve contemptus formidinem, non Romæ magis quàm trans Alpes incuteret.

12. Gregorio Turonenſi, tametſi daremus ſeptem iſtos Epiſcopos Decii primùm tempore in Gallias illatos: non tamen in aliis, quæ ſuam ad Apoſtolos referunt originem, Eccleſiis ſimilis eſſet error præſumendus. Imò ipſius quoque Gregorii teſtimonio, vetuſtiores tenemus Antiſtites. Photinum enim & Irenæum priore capite, Lugdunenſes Epiſcopos martyreſque non ſilet. Eutropium Santonenſem à B. Clemente in Gallias directum 1. Mir. c. 56. ultrò admittit, ut & l. 2. c. 80. Urſinum Biturcenſem ab Apoſtolorum diſcipulis. Quodque mirabilius eſt, ipſum quoque Saturninum Toloſatem, ab iiſdem Apoſtolorum diſcipulis ordinatum fatetur l. 1. Mir. c. 48. prorſus uti bonus pater non ſatis ſibi conſtare videatur. Mihi quidem, & cuilibet, ut credo ſincero rerum æſtimatori, longè pluris in hoc genere ſemper erit, tantarum Eccleſiarum tot jam ſeculis diffuſa traditio, quàm Scriptoris unius non antiquiſſimi, non accuratiſſimi ſæpe vacillans ſcriptio. Sed & lubens hic ex ipſis ſectatoribusve quærerem, Credántne Clementem primum ant e ſucceſſoribus aliquem, nnius Santonum civitatis inter Gallicas non celeberrimæ memoriam curámque habuiſſe; tot aliarum illuſtriorum, Narbonenſis, Arelatenſis, Burdegalenſis, Lugdunenſis, Senonenſis, Rhemenſis, Trevericæ nullam habuiſſe? An non magis mecum inde colligant, Eutropium ideo Santonibus miſſum, quod aliis potioribus civitatibus eſſet abunde proviſum?

Objecta refelluntur

Primo Severus 11.

Secundo Gregorius Turonenſis

Aut ſi Gregorium velint in Eutropii miſſione lapſum; in aliis æquè labi nequiverit? In Gatiani tamen Turonenſis, & Stremonii Arvernenſis ætate lapſum, nihil eſt quod evincat. & Dionyſius ille Pariſienſis ſub Decio quoque mitti potuerit; alius ab Areopagitâ, quando duos aut plures cognomines ejuſdem ſedis Epiſcopos eſſe diverſo tempore nihil prohibet: & de hoc nihil ipſe definit.

De interruptione & hiatu Epiſcoporum.

13. Quod ad Epiſcoporum Tabularia, ducentis circiter annis hiantia ſpectat: nihil vetat id in temporum aut perſecutionum eluviem rejicere. Quod & Princeps ipſa Romana queritur Eccleſia; licèt enim continuam texat Paſtorum ſuorum ſeriem; lucem tamen in eorum prioribus majorem ſe requirere non diſſimulat. Britannicæ quoque Eccleſiæ per Anglorum irruptionem annorum facilè 150. interruptionem [illegible]. an ideo nullis ante Anglos [illegible] potuiſſent? cùm tres ex illis Ar[illegible] Synodo tanto ante interfuiſſe tra[illegible] Sev[illegible]rus, [illegible] annis antè 45. exhibeat Synodus I. Arelatenſis [illegible] mundo noſtro plenus edita, & anno Chriſti vulgari 314. habita? Neque vero omnes Gallicanarum Eccleſiarum Tabulas ita hiare do, ut nullas integras agnoſcam. Majoribus quidem noſtris ſat erat Romanæ ceterarumque Patriarchalium ſedium ſucceſſionem conſervare; nihil obfuit tamen, quin & celebriorum aliquot aliarum pariter adnotarint: in iiſque Treverenſis, quæ maximè ad noſtrum inſtitutum facit: eo Paſtorum numero, qui quodvis à ſuſcepta fide ſeculum implere poſſit. quod ex Patriarchalium ſedium comparatione firmatur. Romana quidem Sedes ab S. Petro ad Conſtantinum Imperatorem triginta duos tantùm cenſet Epiſcopos; in tantâ licèt eorum brevitate, tantis cladibus atque martyriis. Pauciores etiam ceteræ, Alexandrina 17. Antiochena 19. 28. Hieroſolymitana; vix 25. Conſtantinopolitana. Treverenſis, quæ 26. præfert, originem ſuam ab Petri miſſione revocare non poſſet? De Moguntinâ, etſi pauciores, quorum memoria ſuperſit, agnoſcat; idem tamen Serrario noſtro judicium eſt: de Lugdunenſi Severtio: aliis iidem fortaſſe de aliis.

Trevirorũ Epiſcoporũ ſeries non minus plena quam Patriarchalium ſediũ etſi nõ adeo diſtincta.

De Remenſi opinio Flodoardi.

14. De Rhemenſi eumdem ſenſum habere vellem: ſed Paſtorum ejus Indiculus nõn adeo ſuffragatur. Ait ecce gravis ejus Eccleſiæ hiſtoricus Flodoardus: *Frequentibus perſecutionum procellis intonantibus, Eccleſia noſtra puppis jactata, diverſiſq; oppreſſa fluctibus, quoniam vix caput attollere poterat quanto ſedes ipſa tempore Rectore vacua reſederit, haud facile panditur. Adeo ut poſt præmiſſos noſtræ fidei Patres B. Sixtum atque Sinicium, unum duntaxat Præſulem inveniamus Amanſium ad imperium uſque Conſtantini: ſub quo Imbetauſius reperitur; qui cum Primogenito Diacono ſuo primus ex hac Belgicâ provinciâ legitur Arelatenſi primæ interfuiſſe Synodo. relatæ per Marinum Epiſcopum beatiſſimo Papæ Sylveſtro, Volusiano & Aniano Conſulibus.* [illegible] eſt is annus Chriſti vulgaris 314. Nec dubito, quin aliæ plures Eccleſiæ, quæ originis ſ[illegible] vetuſtatem ad Apoſtolorum tempora referre conantur, commodius veriúsque factoræ [illegible], ſi eam ab Decio primum aut Conſtantino deducant; niſi aut continuam Patrum ſuorum ſucceſſionem exhibeant, aut probatorum Martyrologiorum, Hiſtoricorum vetuſtiorum, & nunquam interruptæ traditionis fide nitantur.

CAPUT IV.

BELGICÆ facies Eccleſiaſtica, ab Veſpaſiano Imperatore ad Diocletianum. per annos 214.

1. PRIMUS igitur, ut diximus, Epiſcopalem fixit in Belgicâ ſedem Eucharius, totosque 2[illegible] [illegible]bus præfuiſſe dicitur annos, frequentes in horreum D[illegible] animarum manipulos intulit. Si annum [illegible] S. Petro deſtinatus eſt, certum haberemus; facilè eſſet ad eum, quo mortuus eſt, ſupputatio. In incerto [illegible] hunc quoque vacillare neceſſum eſt. Romam venit Petrus anno Claudii Imperatoris expirante 2. ab Chriſti Paſſione iiſdem feneſcente 12. ut ſupra dictum. Non ſtatim externis ac longè poſitis intendere potuerit. Romanis initio rebus ſtabiliendis plus ſatis occupatus. hócque minùs, quò certius eſt Româ ſæpiùs interim abfuiſſe: adeo ut Jeroſolymam ſeptimo inde anno ad primam cum ceteris Apoſtolis Synodum ſe retuliſſe; mox Antiochiam reviſiſſe anno à Chriſti Paſſione [illegible] Claudii nono. Sequenti igitur, qui fuit à Paſſione 20. Æræ Dionyſ. 50. Julianæ 95. Claudii 10. ex quo Petrus Sedem Romæ fixerat octavus; ponamus Petrum Romam reducem, Eucharium BELGIS Apoſtolum immiſiſſe (quæ eſt etiam Mariani Scoti ſententia) & ab hinc noſtratis Eccleſiæ primordia probabili ſuppoſitione retex[illegible] ne quis nos ſummæ nimiæque vetuſtatis affectatores exiſtimet. Præfuit Eucharius annos 2[illegible]. Incurrit igitur mors ejus in annum Chriſti vulgarem 73. à Paſſione 43. Veſpaſiani quintum. Diem mortis ſignant Romani Martyrologii Tabulæ Decembris octavum, ſequentem Beda, & Tungrenſis Eccleſiæ ſcriptor Harigerus Lobienſis Abbas. Hunc Albanæ Treverenſis viduæ filium unigenitum divinitus à morte revocaſſe tradunt; eoque miraculo magnam populi vim Chriſto aggregaſſe; denique ipſius Albanæ domum in Eccleſiam conſecraſſe; quæ paulò pòſt Sancti Eucharii, nunc Sancti Matthiæ nomine claruerit. Addunt [illegible] Senatoris quoque cujoſdam Treverici, cœli[illegible]us ad fidem incitati hortatu, magnos ad fidem concurſus hominum factos, quos omnes Eucharius ad eum qui civitatem perfluit rivum, Chriſto per baptiſmum adjunxerit. Quæ omnia fuſius in vita

Quo anno mortuus [illegible]

de [illegible] Euch[illegible]

ejus re[illegible] ſtr[illegible]

2. Eucharii ſucceſſor ſociusque Valerius ſolidos quindecim annos ſediſſe traditur: quo ſpatio varios quoque verbo, exemplo, ſignis Chriſto aſſeruerit; incl[illegible] vir ſermonis facundiâ, eoque ple[illegible] gratiſſimus. Mors ejus in omnibus ferè Marty[illegible] Januarii 29. ſignatur. Quare anno Chriſti Dionyſiano ineunte 89. à Paſſione exeunte 58. Domitiani Imperatoris octavo deceſſerit: & ad illos 15. ſedis annos menſem inſuper unum, dies 23. adjunxerit.

Valerius ſucce[illegible] quando cœperit, quando deceſſerit.

3. Utriuſque comes, ſed multo junior Maternus excepit; totosque 40. annos utrique ſuperſtes eamdem Eccl[illegible] rexiſſe memoratur. Unde 90. ætatis annum exceſſiſſe oportuit, nec à centeſimo multum abfuiſſe. Hunc A[illegible]pinenſes & [illegible]

M[illegible] [illegible] & [illegible]ſta

noſtri

noſtri primum ſuum Patrem Apoſtolumque venerantur, ut à quo maximè vomere prædicationis exculti ſint. Scilicet Treveris jam ſatis in fide roboratis, zelum operámque ſuam in vicinos egentioréſque verterit, & uberem inde meſſem extulerit. Ita quidem docet Romanum Martyrologium, quod etiam cum Bedâ & tribus iſtis Eccleſiis cœleſtem ejus natalem Septembris 14. annuâ celebritate recolit. Extat apud Surium ejus Vita fuſior, apud Molanum contractior. In illâ, ſicut & in Ottone Friſingenſi l. 3. c. 15. quod traditur ſanè mirum, eum cùm primum Româ unà cum Euchario Valerioque veniret, fato in Alſatiâ repentè functum, rumuloque totos 40. dies conditum; donec Eucharius atque Valerius Romam ad S. Petrum regreſſi, & accepto ejus baculo reduces à morte reducerent: à Beato quoque Rhenano, tametſi homine ad ſimilia credenda lentiore, verum agnoſcitur. *Neque enim, ait, inanem ejus rei famam puto. Apud Hellum vicum* (Elegiam vocat Vita) *tribus milliaribus à Seleſtadio, adhuc conditorium oſtenditur, in quo jacuerit mortuus aliquandiu: ſed mox vitæ reſtitutus, ut adhuc Treveros Agrippinenſeſque erudiret. De tempore dubito, de re ipſâ certus*] Hæc ille, vi[c]tedo veritatis inductus. Euchario inde Valerioque totos 38. annos, quibus illi præfuêre, convixit; quadraginta deinceps ipſe præfuit. Quare ut viceſimum ætatis annum, cùm morte priore ſublatus eſt, nondum attigiſſet, nonageſimum tamen annum poſteriore exceſſerit. Porro quadraginta Epiſcopatus ejus anni, ſi labentes, ut magis placet, capiuntur; ab ineunte Chriſti 89. deducti, in 128. deſinunt, quem & Marianus adnotat. eratque à Chriſti Paſſione 98. Hadriani 12. recenter ab 10. Auguſti ſuperioris incboatus; quando Maternum 14. Septembris mortuum jam diximus. Floruerit ergo Præſul iſte ſub Domitiano, Nervâ, & Traiano, quem dum Coloniæ Agrippinæ Legatus Conſularis ageret, Imperatorem à Nervâ renuntiatum videre potuerit. Scio Maternum hunc nonnullos cum ejuſdem nominis altero qui Conſtantino Magno coævus Arelatenſi primæ Synodo interfuit, confundere velle: Sed quàm fallantur, ſatis docet pluſquam 20. Epiſcoporum ſaltem Trevirorum utrinque intercuſantium continua & nuſquam interrupta ſeries, ut jam dicam. & Brouwerus noſter fuſiùs probat.

4. Ab S. Materni exceſſu, Sedem Treverorum, ex eorum Annalibus conſcendiſſe traditur *Auſpicius*, aliique per ordinem quatuordecim: *Celſus, Felix, Manſuetus, Clemens, Moyſes, Martinus, Anaſtaſius, Andreas, Ruſticus, Auctor, Fabricius* aliàs *Mauritius, Fortunatus, Baſſianus, & Marcus.* Hi omnes martyrio intra 50. annos abſumpti referuntur, penè continuatis Imperatorum perſecutionibus. Quod ſanè commodè intelligendum. Ad annum Chriſti 128. Hadriani Imperatoris 12. quo Maternum rebus humanis exemptum diximus, additi anni 50. in Chriſti 178. incurrunt, qui eſt Marci Aurelii 18. Inter Hadrianum & Marcum nonniſi Antoninus Pius interfuit, qui 23. attigit Imperii annum. Sub eo autem pacem Eccleſiis fuiſſe teſtatur expreſsè [S]ulpitius. Quomodo igitur quindeni hi Antiſtites continuatis martyriis interempti? Sanè *Auſpicium* Materni ſucceſſorem Romanæ Divorum Tabulæ Confeſſorem duntaxat appellant. Vereor ut eorum plerique Martyres latiori appellatione dicantur, quòd in muneris ſui functione, moleſtiæ plurimum & laboris exhauſerint, ſimul plebis incredulæ, fortè & Inferiorum Magiſtratuum exagitatione convulſi. Niſi forſitan ea 50. annorum intercapedo, magis ex quorumdam ariolantium gloſſemate, quàm ex rei veritate conficta ſit. Accedit, quòd ab eo Marci anno 18. Chriſti 178. uſque ad Diocletiani finem, per annos 126. nonniſi ſeptem, ſummum octo ſuccenſeantur Epiſcopi, *Navitus* ſeu *Avitus, Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentius, S. Martinus* Haſbanorum Apoſtolus, *Maximinus & Valentinus.* & ſat tamen conſtat frequentiores, diuturniores, acerbioreſque poſteriore hoc temporis intervallo fuiſſe perſecutiones, quàm priore, maxime ſub Antonino Pio. Quare conſultiùs indubiè mortis horum omnium genus tempuſque non ſatis conſtare dicemus; aut ſi, ut veroſimilius eſt, eorum plerique martyrio affecti ſint, non ſub Antonino tantùm aut Marco, ſed & ſequentibus Imperatoribus, illud ſubiiſſe.

5. Nam ſacram quidem horum temporum hiſtoriam, maximè Belgicam, adeò ab Româ ſejunctam, æterno veluti ſilentio ex Scriptorum inopiâ ſepultam, nemo non videt. Sed neque ſcriptioni locus erat, cùm vel ipſi Paſtores & Eccleſiarum Magiſtri tot tantiſque perſecutionibus iteratis, in ſolitudinibus potiùs errare, & in montibus, ſpeluncis & cavernis terræ, egentes, anguſtiati, afflicti, officio fungi, quàm ſcribere, cogerentur. Id modò in univerſum notare poſſumus, hos omnes 23. à S. Materno Epiſcopos, ſpatium temporis occupaviſſe, annorum plus minus 184. Tot enim à 128. Chriſti anno vulgari, quo Materni mortem adfiximus, ad 312. interfluunt, cum jam Conſtantino victore Eccleſiæ variis Occidentis partibus inſtitui cœptæ. Quod quidem intervallum ſi in partes æquales diſſecare lubet, unicuique Epiſcopo octoni dumtaxat obtingent anni: aut ſi uni plures, tanto alteri pauciores. numero videlicet ad acerbum hoc tot perſecutionum tempus aptiſſimo. Atque hæc de Treverorum Epiſcopis. Veriſimilis conjectura.

6. Agrippinenſes autem à D. Materno, ad ejuſdem nominis alterum, Conſtantini ætate & Arelatenſis Concilii ſubſcriptione celebratum, paucos, nec adeò certos agnoſcunt Epiſcopos; ſeu prævalente ioibi idololatriâ; ſeu potiùs Trevirorum Paſtoribus ejus quoque Eccleſiæ qualiſcumque habenas moderantibus. Conantur aliquid Gelenius & Crombach noſter: quos videre potes. Agrippinẽſes Epiſcopi poſt Maternum non valde certi.

7. Nec meliorem Tungrorum conditionem exiſtimo. Licèt enim hi poſt Maternum Epiſcopos ſuos recenſeant *Navitum, Marcellum, Metropolum, Severinum, Florentium, Martinum, Maximinum, Valentinum*, ut in Harigero eorum primo Scriptore videre eſt: hos tamen omnes, octo poſteriores eſſe Trevirorum Antiſtites nemo non videt, qui quindecim prioribus ſubjunguntur. Prorſus ut certa penè ſuſpicio ſit, tribus hiſce civitatibus nullam aliam rerum ſacrarum fuiſſe conditionem, ad Conſtantini uſque imperium, quàm quæ à S. Materno & ſociis inſtituta fuit. Cur enim Tungris potiùs, quàm eorum Metropoli Agrippinæ, proprius Paſtor obtigiſſet? Sed quando poſteriores iſtos octo, quaſi peculiares ſibi Eccleſia Tungrenſis adſcribit, nihil vetat, quin illos peculiarem quoque Tungris laborem impendiſſe concedamus, tametſi nullam eorum (duobus dumtaxat exceptis, Sed neque Tungrẽſes.

antepenultimo Martino ultimóque Valentino) videamus in Eccleſiæ Tungrenſis officiis mentionem; Trevirenſis autem nocturno Natales eorum celebret, de Pontifice martyre, auctore Molano.

S Martini Tungrenſis quædam geſta.

8. Martini, ut monere cœpi, feſtum habet Eccleſia Tungrenſis; tanquam ſingularis Haſbanorum in Tungris Apoſtoli; qui pleroſque eorum vicos ab idolis averterit. Imò ſacrum ejus Eccleſiæ tradit officium; Horiocenſes, ejus agri pagum, prædicationem ejus non reſpuiſſe modò, ſed & contumeliis affectum ſuis finibus exegiſſe: ipſum verò Tungris obiiſſe (Confeſſorem igitur, non Martyrem) anno ſalutis 276. adminiſtrationis undecimo. qui fuit Probi primus, ante Diocletiani exordium octavus, ante debellatum à Conſtantino Maxentium 36. aut 37. Unus igitur hic Tungris ſepultus fuerit, præſertim cum S. Servatius eumdem miraculis coruſcum, argenteâ theca concluſiſſe, & Trajectum tranſtuliſſe memoretur. Valentini quoque Tungrenſis Epiſcopi qui S. Servatii deceſſor proximus fuit, ſolemnitatem annuam recolit Trajectenſis ad Moſam Eccleſia 7. die Junii; ejuſque, ſicut & Candidi ſacros manes in ſummo aſſervat ac veneratur altari; licèt Treverorum Eccleſia idem feſtum ad diem Julii 16. referat.

Belgicorum Epiſcoporũ hujus ævi ſeries obſcura.

9. De aliarum in Belgicâ Eccleſiarum ſucceſſione quod dicam vix occurrit. Nam de Moguntinâ id abundè præſtitit Serrarius, qui poſt Creſcentem S Pauli diſcipulum, uſque ad Maximum, qui in Agrippinenſi Concilio, paulò ante annum Chriſti vulgarem 50. comparet, Epiſcopos 17. interſerit omnes Sanctos, *Marinum, Creſcentium II. Cyriacum, Hilarium, Martinum, Celſum, Lucium, Gotardum, Sophronium, Herigerum, Rutherum, Avitum, Ignatium, Dionyſium, Ruthbertum, Adelardum. Lucium.* Vangionum, Nemetum, Argentoratenſium Epiſcopi nulli adeo certi ante Conſtantini aut etiam filiorum ejus tempora memorantur. Sed & de Rhemenſibus fatendum eſt, poſt Sixtum & ſocios, ingentem, per hæc tempora ſucceſſionis hiatum eſſe: Eoque non deſunt Indiculi, qui Sixti & ſociorum ætatem in poſteriora Diocletiani tempora devolvant; poſt Criſpini etiam Criſpinianique ſub Rictionaro martyrium; cujuſmodi non unum vidimus ante annos 400. ſcriptum. Sed potior, ut dixi, nobis eſt, tantæ Eccleſiæ traditio, ad S. Petrum ſua primordia referentis, fulta doctiſſimorum ejus Præſulum Hincmari Fulconiſque teſtimonio. Nec adeo mirum, in tam continuis cruentiſque perſecutionibus interciſam quarumdam Eccleſiarum vixdum naſcentium ſucceſſionem.

Vel nulla.

10. Denique Atrebatenſis, Cameracenſis ſive Bavacenſis, Tornacenſis, ac Morinenſis Eccleſiæ in hodierno Belgio vetuſtiſſimæ, nullum hoc ſæculo præ[illegible]ant Antiſtitem. [illegible]autum Cameracenſe

Balderici opinio,

Balderici Noviomenſis Epiſcopi Chronicon, Atrebatenſem Cameracenſemque Sedes audet ad Dionyſii Papæ Romani tempora, circa annum Chriſti Dionyſianum 265. revocare. Altiùs etiam adſpirant

& aliorum quorundã,

recentiora quædam Henniacenſis in Arteſia Cœnobii Manuſcripta, neſcio quàm fida: quæ Syagrium quempiam volunt ab Evariſto Papâ circa Traiani primordia directum Cameracenſibus Epiſcopum. Cujus rei non quidem fidẽ penes auctores relinquimus: maximè cùm Epiſcopos, ſiqui tùm in Hannonibus noſtris ſeu Nerviis reſederint, non Cameraci, tunc adhuc exili loco, ſed illorum tunc florentiſſimâ Metropoli Bavaci ſediſſe credamus, ut in ſequentibus fuſiùs. Ipſis certè Cameracenſium Indiculis antiquioribus, ignotus eſt hactenus iſte Syagrius; quem nos tamen non tam rejicimus, quàm certiorem eſſe vellemus. Sola igitur Trevirenſis Eccleſia, Belgicarum omnium ut dignitate ita & vetuſtate mater, & ſi fortè Moguntina, Paſtorum ſeriem per hæc tempora non interruptam proferre poteſt. Nec plura de his occurrebant.

Pl[illegible] dubia.

Lucius Britannorum Rex [illegible] ad fidem con[illegible]us.

11. Non omittendum tamen hic, quod ad eumdem Imperatorem Marcum refert libro 1. hiſtoriæ Anglorum Eccleſiaſticæ Beda capite 4. & rurſus de ſex ætatibus; vetera item Martyrologia, Romanum, Adonis, & aliorum, ad Maii diem 26. LUCIUM e Britannorum Regibus unum, ſeu ſui tum adhuc juris, ſeu Romanis obnoxium, ſæpiùs jam antè Chriſtianorum integritate miraculiſque captum, ſimul divinâ luce perfuſum, per Legatos ab Eleuthero Papâ Romano miniſtros fidei noſtræ petiiſſe. Miſſoſque ſtatim ſanctos viros Fugatianum atque Damianum ſeu Donatianum, cum ipſius Papæ literis; qui Regem ipſum cum uxore totoque fere populo baptizarint. Extare adhuc eas literas Camdenus aliique teſtantur, fidei ſatis integræ, & L. Aurelio Commodo Marci filio iterùm, Veſpronioque Conſulibus datas. Qui ſanè Conſules ad annum Marci Imperatoris nonumdecimum & ultimum reperiuntur. Eſtque annus iſte Chriſti verus 183. Dionyſianus 179. a Chriſti Paſſione 149. Aptiſſimè ad id quod ab Irenæo ac Tertulliano ſupra ſcriptum hoc ævo monui, *Britannorum etiam Romanis inacceſſa loca Chriſto ſubdita.* Quod idem confirmat ſermone de Pentecoſte Chryſoſtomus, & in Marcellæ Epitaphio Hieronymus. Si tunc tanta fides in Britanniâ toto ſejunctâ Orbe quid de Belgio noſtro præſumendum; tanto citeriore, tanto Romanis frequentiore, tam uſitatâ in Britanniam viâ?

CAPUT V.

Geſta in Belgio ſub Imperatore Commodo & Pertinace. per annos 13.

Ab anno Chriſti vulgari 180. ad 192.

1. MArcum Aurelium Philoſophi Commodus filius anno Chriſti vulgari ineunte 180. excepit, & imperium ad annum uſque 13. propagavit: moribus ut patri valdè diſſimilis, ita Caligulæ par, eodemque anni die natus, auctore Lampridio. Sub hoc nihil admodum memorabile in Belgicâ geſtum video. In vicinâ Britanniâ, in quam per Belgium noſtrum Romanis iter erat, *bellum omnium maximum*, ait Dio, *tunc fuit. Quippe cum ejus Inſulæ gentes, murum illum, qui ipſas inter & Romanorum caſtra interérat, tranſgreſſæ e[illegible]ent, ducem, & milites Romanos caſis multa vaſtaſſent; Commodus contra eos Ulpium Marcellum, frugi hominem & modeſtum miſit. Qui maximis ac graviſſimis damnis Barbaros affecit, & compeſcuit.* Ita Dio.

Bellum Brit[illegible] [illegible] Dio[illegible].

An

Marcellus an Chriſtianus fuerit.

2. An Marcellus iſte tantâ modeſtiâ & vigilantiâ vir, Chriſtianâ Religione occultè imbutus, aut in eam pronus fuerit; neſcio. Id ex Bedâ Gildâque ſcio, hiſce temporibus, Eleutherio Pontifice Romano, Lucium Britannorum Regem, de quo jam dixi, cùm Chriſtianorum miracula vitæque integritatem admiraretur, & ex Legatis Cæſaris comperiſſe, Senatores etiam aliquos, in iiſque Pertinacem quemdam atque Trebellium factos eſſe Chriſtianos; ſimul M. Aorelium Imperatorem paulò antè, victoriam eorum precibus in Quados obtinuiſſe: per Legatos Eluanum Meduinumque Britannos ab Eleutherio Rom. Pootifice petiiſſe, ut per quoſdam ſubmiſſos Româ miniſtros, Chriſtianus efficeretur. Quod & obtinuit. quamvis diu tamen antè, illatam qnoque in Britanniam fidem, teſtatur Gilda ſapiens & alii. Tenuit Eleutherius ſedem Romanam à poſterioribus Marci Philoſophi annis penè ad Commodi finem ſupra annos 15. Quare licèt Beda hanc Lucii Legationem ad Marci & Veri tempora referat: non incommodè tamen, in finem Britannici hujuſce belli referenda quibuſdam videtur: maximè ſi inter Marcelli milites nonnulli (quod vero ſimile eſt) fuerint Chriſtiani; aut Marcellus ipſe tantam virtutem ab eâdem Religione hauſerit.

3. Fuit iſta Britannorum converſio tone adeò celebris, ut Tertullianus in eo libro, quem paulò pòſt ſub Severi exitum contra Judæos ſcripſit, non tantùm id, quod jam antè ex eo citavimus, dixerit: *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto jam ſubdita*: ſed mox etiam ſubdiderit, *Quid de Romanis dicam, qui legionum ſuarum præſidiis Imperium ſuum muniunt, nec trans iſtas gentes porrigere vires regni ſui poſſunt?* Qnod moneo & inculco ut Lector, non minorem in Belgis propinquioribus quàm Britannis adeò ſemotis, Fidei per hoc tempus acceſſionem mecum inferre poſſit. Præſertim cùm idem Tertullianus ſupradictis adjungat: *Chriſti autem regnum & nomen ubiq; porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur, ubiq; regnat, ubiq; adoratur*] Quod autem ſubnectit Beda ſuprà, *Britannos* tunc *ſuſceptam fidem uſque in Diocletiani tempora inviolatam integramq; quietâ pace ſervaſſe*. vereor ut id tot perſecutionibus ſtet; quas in Belgium Britanniamque penetraſſe nemo negaverit; qui & illarum acerbitatem, & omnes penè, quos ſuprà recenſuimus, Trevirorum Epiſcopos Martyres ab eâ Eccleſiâ agnoſci meminerit. Niſi fortè de ſolo Lucii regno extra Romanam ditionem projecto intelligat: in quod tamen nihil Diocletiano magis, quàm ejus deceſſoribus Imperatoribus juris extitit.

Victorinus Germaniæ alterutrius Præfectus inſignis.

4. Sub Commodo quoque Dio *Victorinum* fuiſſe refert, *Præfectum urbis, animi virtute & ſermonis elegantiâ nemini ſecundum. Qui quum aliquando Germaniæ* Ciſrhenanæ *præeſſet, conatus eſt domi remotis arbitris perſuadere legato ſuo, ne ſe pecuniâ corrumpi ſineret. Cumq; ille non pareret, in tribunal conſcendit, juravitq; munera ſe nunquam accepiſſe, neque quamdiu viveret accepturum. Mox Legato, ut eodem ſe juramento obſtringeret, præcepit; & pejerare nolentem, ut ſe Magiſtratu abdicaret, coegit.* Dio.] Id Victorinus, ſi quidem Superiori Germaniæ præfuit, Moguntiæ; ſi Inferiori, Coloniæ Agrippinæ patrarit.

5. At in Galliâ Severus, mox Imperator, poſt quàm ſub Marco *Legioni 4. Scythicæ, circa Maſſiliam Præpoſitus fuiſſet, Athenas etiam ſtudiorum cauſa ſeceſſiſſet; Lugdunenſem provinciam Legatus accepit. Ibi cùm amiſſâ uxore aliam vellet ducere, genituras ſponſarum requirebat, ipſe quoque Matheſeos periti ſſimus. & cùm audiſſet eſſe in Syriâ quamdam, quæ id genitura haberet, ut regi jungeretur; eamdem uxorem petiit, Juliam ſcilicet; & accepit interventu amicorum: ex quâ ſtatim pater factus eſt. A Gallis ob ſeveritatem & honorificentiam & abſtinentiam, tantum quantum nemo dilectus eſt.* Ex Spartiano.

Severus Lugdunēſis Provinciæ Legatus dilectus.

Qui & in Peſcennio Nigro hæc addit: *Severo, quo tempore Lugdunenſem provinciam regebat, Peſcennius, amiciſſimus fuit. Nam ipſe miſſus erat ad comprehendendos deſertores, qui innumeri Gallias tunc* (Duce, credo, Materno) *vexabant. In quo officio, quòd ſe honeſtè geſſit, jucundiſſimum fuit Severo; ita ut ad Commodum Septimius referret, aſſerens neceſſarium Reip. virum.* eumdémque poſtea Imperator factus, ad Ragonium Celſum Gallias regentem ſcribens, ceu diſciplinæ exemplar proponeret. Idem Peſcennius, eodem Spartiano in ejus vitâ teſte, tum *ſacra quædam in Galliâ, quæ caſtiſſimis decernuntur, conſenſu publico celebranda ſuſcepit.* de quibus nos ſuprà.

Cui Peſcennius tunc amicus.

& Reip. neceſſarius.

Clodius Albinus poſteà Imp. Friſios vincit.

6. Ab hoc item Commodo Clodius Albinus, qui & ipſe poſtmodo purpuram, Severo ſaltem in Britanniâ concedente, ſumpſit, *à Bithyniâ in Galliam tranſlatus, fuſis* FRISIIS *tranſrhenanis celebre nomen ſuum & apud Romanos & apud Barbaros fecit. Quibus rebus accenſus Commodus Cæſarianum ei nomen obtulit, & dandi ſtipendii facultatem, palliq; coccini utendi. Quibus omnibus ille prudenter abſtinuit, dicens Commodum quærere, qui aut cum eo perirent, aut quos cum cauſa ipſe poſſet occidere.* Ita in Albino Capitolinus.

Commodo occiſo PERTINAX ſuccedit. mox etiam cæſus.

7. Anno inde Chriſti 192. die poſtremo Commodo cæſo, Pertinax ipſis Kalendis Januarii ſequentibus, Imperator à Senatu renuntiatur, jam antea Germanicis Britannicíſque legationibus inclytus. Sed & ipſe 82. imperii die, ſeditione militum, Clodiíſque Albini factione interimitur. *Tauſius quidam unus è* TUNGRIS (ait Capitolinus cap. 11.) *cùm in iram & timorem milites loquendo adduxiſſet, haſtam in pectus Pertinacis objecit. Tunc ille precatus Jovem Ultorem, togâ caput operuit, atque à ceteris confoſſus eſt.* Ita TUNGRI quoque & Belgæ inter Prætorianos ſtipendia meruerint. ſicut & antea Batavi.

CAPUT VI.

Belgica ſub Severi Imperio.

Ab anno Chriſti Dion. 193. ad 211.

Plures Romæ ſimul Imperatores.

1. V*No eodemque tempore poſt Pertinacem, qui auctore Albino interfectus eſt* (ait in Albino Capitolinus) *Julianus à Senatu Romæ, Septimius Severus ab exercitu in Illyrico, Peſcennius Niger in Oriente, Clodius Albinus in Galliâ Imperatores appellati ſunt.*] Severus quidem teſte Spartiano, Carnunti ad Dannubium, quod hodiè *Petronell* dicitur in Auſtriæ Hungariæque confiniis: Clodius autem Albinus, cùm ex Urbe, ubi Didius Julianus Imp. dictus erat, in Britanniam (quam provinciam à Commodo meruerat) *tranſmittere juberetur* (ait Victor Schotti) *in Gallia invaſit imperium*: Niger denique in Syria Antiochiæ ab exercitu dictus eſt

Imperator. ut refert Herodianus lib. 2. Hos omnea Severus acerrimus expeditiſſimusq́ue, ſed ſigillatim oppreſſit. Vafer enim Afer Romam ante omnia celeriter ex Illyrico cum exercitu petens, ut Julianum Senatus interimeret, effecit. Inde quò ſe verteret deliberans, Nigrum primò perſequi, Clodium ineſcare inſtituit.

Clodium Albinum Severus decepit.

2. Hunc enim, ait Herodianus, levem alioqui & ſimplicem; Cæſarem creat; mittitq́ue plenas humanitatis litteras, obſecrans ut ipſe potiſſimum curam ſuſcipiat imperii. Albinus honorem hibens ſuſcipit, lætus citra pugnam aut diſcrimen ullum, voti ſe compotem factum. Quóque credibiliora forent omnia, Severus, iiſdem illis ad Senatum relatis, nummis ejus imagine percuti juſſis, ſtatuis erectis, aliiſq́ue honoribus, fidem gratiæ ſuæ fecit. Nullo itaque jam ex Britanniâ Galliáque metu, vix 30. dies in Urbe moratus, ait Spartianus, copias in Nigrum eduxit. Totóque triennio, quo contra eum in Oriente abſuit, pacatam Albino, Britanniæ, Galliæ, Hiſpaniæq́ue poſſeſſionem reliquit: tametſi non deſint Scriptores, qui Albini imperium intra Britanniam ſolam concludere videantur, credo quia illam jam ante Severum ab Commodo obtinuerat; & in eâ ceu maximè fidâ plurimus agebat.

Nigrum in Oriente toto triennio oppugnat.

3. Dum in Oriente Severus annum adhuc Imperii ſui quartum agit; anno Chriſti vulgari 196. vero 200. pluſcula per Aſiam & Orientem de die Paſchatis habita Concilia, narrat Euſebius in Chronico, & libro hiſt. Eccl. 5. cap. 22. extat adhuc eorum ferè præcipuum Cæſarienſe Palæſtinæ, à nobis è veteribus Membranis cum Victorio noſtro editum, Bedæq́ue memoratum. juſſu Victoris Papæ Romani à Theophilo Cæſareæ iſtius, & Narciſſo Jeroſolymæ Epiſcopis congregatum. Quo decretum eſt, non alio die Paſcha annuatim recolendum, quàm proximo poſt quartamdecimam Lunam Dominico; quo Chriſtus, & quidem *octavo Kalendas Aprilis*, ſeu Martii viceſimo quinto, reſurrexerat. Quâ ſententiâ verè Sancti Doctique iſti Patres veritatem acu tetigerunt. qui verus erat Synodi ſcopus. Cætera quæ ex eâdem Synodo à nonnullis objiciuntur, non adeò moranda; quando adjuncta tantùm ſunt, nec Synodi finem evertere poſſunt. De quo nos ſuprà plura, cùm de Chriſti Paſſione egimus.

Concilium Cæſarienſe de die mortis & Reſurrectionis Chriſti.

4. Severus ubi cæſo Peſcennio Orientem ritè compoſuit, reliquum Clodium ſibi patum uſui fore ratus vulgato rumore illum nimis impotenter Cæſaris nomen uſurpare; præterea multos è Senatus primoribus occultis eum literis ad reditum, abſente adhuc occupatóque ſeſe adhortari; hominem primùm gladio venenóque tentat. Quod ubi parum proceſſit, in apertum uterq́ue bellum erupit. Ac Severus quidem nihil cunctatus, miſit qui Alpium anguſtias contra Gallias occuparent, & Italiæ aditus obſiderent. *Albinus verò, qui ſupinus hactenus delitias agitaverat, ubi Severum adeſſe intellexit, timore perculſus* (ait Herodianus lib. 3.) *ſtatim è Britanniâ tranſmittens in adverſa ei Galliâ caſtra collocavit.*] Ad oram Morinorum ſolito trajectu appuliſſe, facilè quiſque aſſequitur. Ego inde progreſſum, in Atrebatibus noſtris diutiuſculè hæſiſſe ſuſpicor; eò loci, ubi nunc vetuſtiſſimus juxta ac nobiliſſimus ejus nomine vicus, *Albiniacum*, vulgo *Aubigny*, viſitur, Baronatus titulo illuſtris: binis adhuc tumulis, opere planè Romano, ad viam illam militarem, quæ ab Oceano venit, extantibus. fortè quòd ibi nomen Imperatoris à ſuis acceperit. Herodianus certè notat, poſtquam trajecit, literis ad vicinarum gentium (Gallicarum) præſides miſſis, pecunias commeatumq́ue juvandis exercitibus ſuis corrogaſſe. Unde vix dubito, quin ei Belgæ noſtri Friſianæ ejus victoriæ memores adhæſerint; quando ipſe Lugdunum uſque progreſſus eſt, ut cum Severo, licèt expedito, confligeret.

Inde in Gallias contra Albinum improviſus venit.

Anno Chriſti Dionyſiano circiter 197.

5. *Ac leves quidem primò pugnæ* (ſubdit idem Herodianus) *quaſiq́ue velitares fuerunt. donec poſtremo apud Lugdunum, magnam urbem & opulentam, prælium in manibus fuit. Nam cùm ſe mœnibus tenuiſſet Albinus, exercitus emiſit in pugnam.*] Fuiſſe utrique 50. hominum millia Dio tùnc florens auctor eſt. Ac priore quidem pugnâ Lupum Severi ducem Albinus vicit & magnam militum vim occidit. Poſterioris ſors varia fuit. Nam cùm primo ſiniſtrum Albini cornu victum in caſtra profugiſſet, Severiani inſecuti ea ceperunt, & diripuerunt. At Albiniani qui dextrum tenebant cornu, Severianos in foſſas à ſe factas dolóque contectas, illectos, tantâ clade affecerunt; ut Severus cum Prætorianis auxilio ſuperveniens, amiſſo equo, periculum adierit: vixq́ue tandem Læti superventu victoriam reportarit, admodum cruentam, ipſis etiam victoribus luctuoſam.] Victum Albinum XI. Kalendas Martii, ſcribit in Severo Spartianus. Albinus (rurſum Dio) in domum quamdam ad Rhodanum confugerat. quam ubi cuſtodiâ ſeptam ſenſit, ſe ipſe percuſſit; &, ut Spartianus, ſemivivus ad Severum deductus eſt: ejusq́ue penè ſeminecis caput abſcindi, pilo circumferri, Romam portari, reliquum denique cadaver ante domum propriam exponi ac dividi juſſit. equum præterea ipſe reſidens ſupra cadaver Albini egit; expaveſcentemq́ue admonuit, ut effrænatus audacter protereret: ſicq́ue in Rhodanum cum uxore & liberis abjici præcepit. Spart.] Direptum incenſumq́ue Lugdunum, addit Herodianus. Hiſpanorum & Gallorum proceres, Albinianarum partium, multi occiſi, ait Spart. Albinianorumq́ue omnia bona proſcripta; & ex ea proſcriptione ita auctum ærarium, ut privatarum rerum procuratio (poſt modum in Imperii notitiâ tam celebris) tunc primùm inſtituta ſit.] Severus Britanniæ Galliæq́ue rebus ex ſententiâ compoſitis (concludit Herodianus lib. 3.) Romam ſtatim cum exercitu terribilis rediit: ſolus jam rerum potens. idq́ue circa annum Chriſti vulgarem 200.

Et apud Lugdunum tandem occidit. Anno Chriſti Dionyſ. 198.

Ita ſolus imperat.

6. Romæ diù moratus, in Parthos profectus eſt, deq́ue iis victor triumphavit. Nec in Gallias noſtras, niſi tertio ante mortem anno (ut ait Dio) reverſus eſt, Chriſti vulgari 208. Quo tempore acceptis à Britanniæ Præfecto literis (ait Herod.) Barbaros illic ſeditione motâ (Mæatas & Caledonios vocat Dio, hodie Scoti dicuntur) regionem omnem incurrere; ipſiusq́ue Principis præſentiâ opus eſſe; expeditionem in Inſulam ſuſcepit, ſenex jam, lecticâ plurimùm vectus, *& celerius enavigato* è Morinis *Oceano*. Moxq́ue comparatis omnibus, & Getâ juniore filio, in parte Inſulæ quæ Romanis parebat, ut jus diceret relicto; ipſe Antonino majore ſecum ducto, ultra amnes aggeresq́ue eos, qui Barbarorum Romanorumq́ue fines diſterminant, tranſgreſſus eſt. *Biennio toto* barbaros variis præliis

Reverſus è Parthis victus in Gallias redit. tertio ante mortem anno Chriſti 208.

inde in Britannias.

contrivit.

Ubi Eboraci moritur, anno Chriſti Dion. 211. Imperii 18.

contrivit. Donec longiore morbo animique mœrore, ob pravam filiorum indolem confectus, Eboraci diem clauderet, pridie Nonas Februarii, anno Chriſti Dion. 211. Imperii 18. Cineres ejus in alabaſtri vaſculum conjectos, filii cum exercitu ſolventes in Galliam, Romam tranſtulerunt, ut in ſacris principum monumentis componerentur. Herod. l. 3. fin.

Cùm annis ſuis prioribus Chriſtianis non nocuiſſet. Niceph. l. 5. cap. 25.

7. *Prioribus hujus Imperatoris annis, ſatis bono loco res Chriſtiana fuit* (ait Nicephorus) *Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis eam provehentibus. idque etiam Occidentem verſus in GALLIIS & Roma maximè. Univerſa enim multitudines & domus tota ad fidem accedebant, quodvis facere & pati parata, quàm ut quicquam contra Religionem noſtram agerent.* Ita Nicephorus planè ad Tertullianum, cujus verba ſuprà allata, ex libro contra Judæos c. 7. *In Chriſtum jam credunt diverſa Galliarum nationes, Hiſpaniarum termini omnes, & Britannorum etiam inacceſſa Romanis loca.* Sed non diù ſtetit ea tranquillitas. Nam Severus ipſe tertiùm cum Antonino filio Conſul, anno Chriſti 202. è Palæſtinâ Alexandriam petens (ait Spartianus) ſextam juxta Sulpitium, Quintam juxta Oroſium (l. 7. c. 17.) in Chriſtianos perſecutionem edixit. Ea perſecutione (ait Euſebius l. 6. c. 6. *à Chriſti Athletis viriliter pro pietate certantibus, ubique penè gentium, præclara martyrii & inſignia certamina confecta ſunt.* Si ubique gentium, igitur & in Belgica noſtra; ut mirum non ſit tot è prioribus Treverorum Epiſcopis martyrii laureâ decoratos: præſertim cum reliquis octo vel 9. annis perſecutio minimè quieviſſe videatur.

Sed anno Chriſti 202. Perſecutionem movit.

In quâ multi ubeque Martyres.

Ideóque ſtirps ejus exciſa.

8. Eoque non diù in Severi ſtirpe ſtetit Imperium, vix ad decem annos in filium ejus ANTONINUM CARACALLAM, ſimul & nepotem HELIOGABALUM, flagitiis execrabiles, poteſtate tranſmiſſa. Et Caracalla quidem, cùm Getâ fratre cæſo, Româ decederet, anno Chriſti 212. regni ſui 2. *in Gallias* noſtras venit. *ubi Narbonenſem Proconſulem occidit*, teſte Spartiano c. 4. *Cunctis deinde turbatis, qui in Galliâ res gerebant, odium tyrannicum meruit. Et cùm multa contra homines, & contra jura civitatum feciſſet, morbo implicitus graviter laboravit. Circa eos, qui eum curabant, crudeliſſimus fuit.* Deinde per Rhætiam & Daciam ad Orientem profectus eſt. *Spart.* Sub Heliogabalo nihil de Gallicis rebus video.

Alemannorum prima mentio.

9. Ceterum minimè hoc omittendum, ſub *Caracallâ* primum *Alemannorum* nomen in hiſtoriâ reperiri. Spartianus, *Circa Rhætiam*, ait, *non paucos barbaros interemit, militéſque ſuos donavit. & cum Germanos ſubegiſſet, Germanicum ſe appellavit.*] quod & Nummi plures repræſentant apud Occonem. Rurſum idem Spartianus c. 10. *Germanici, Parthici, Arabici, & ALEMANNICI nomen adſcripſit; nam Alemannorum gentem devicerat.* Hos eoſdem Victor Schotti in Caracalla ALAMANNOS appellat: *Alamannos*, inquit, *gentem populoſam, & ex equo mirificè pugnantem, prope Mænum amnem devicit.* Idem habent Dionis Eclogæ Pereſcianæ pag. 748. Factumque id videtur circa annũ Chriſti 213. aut 215. Cumque prima ſit in hiſtoriis Alemannorum iſta mentio, de iis & eorum origine hic differere conſilium eſt.

CAPUT VII.

Alemannorum origo.

Ad annum Chriſti 213. vel 215.

Quinam Suevi Strabonis & Plinii ævo,

1. SUevos Auguſti, Strabonis, adeoque Plinii ætate, omnẽ eum Germaniæ Tranſrhenanæ tractum inſediſſe, qui ad dexteram Rheni ſuperioris ripam, ab hodierna Baſilea ad Mœni Rheniqúe confluxum & infra porrigitur; ſuprà l. 1. c. 20. in Germanicis Druſi rebus ex ipſo Strabone, Plinio, Dioneque ſuſiùs oſtendi. In Orientem autem ad Albim uſque & ultra extendebantur, ſi Straboni ibi citato fides. Verùm Strabo illic de Suevis generaliſſimè ſumptis loquitur, prout Hermũduros etiam Langobardosqúe continebant, ut clarè libro 7. At Plinius l. 4. c. 14. Suevos diſertè ab Hermunduris, multoqúe magis ab Longobardis ulterioribus diſtinguit, imò & ab citerioribus Cheruſcis, adeoque etiam Chattis, quos tamen Cluverius Suevos Julii Cæſaris exiſtimat. Verba ecce Plinii: *Germanorum mediterranei Hermiones; quorum SVEVI, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.* Audis Suevos propriè dictos, etiam ex antiquo ab Hermunduris, Chattis, Cheruſciſqúe ſejunctos. & quidem iiſdem Rheno viciniores, à quo inchoans Plinius in Germaniam ulteriorem, ſive in ortum Boreamqúe procedit. Hoſce tamen Suevos ſtrictè quoque ſumptos variis adhuc nationibus nominibusqúe fuiſſe diſcretos docent auctores. Julius quidem Cæſar ævo ſuo ſub Arioviſto Rege, Marcomannos, Seduſios, Harudeſqúe ſuccenſet. Marcomannos quidẽ ut exiſtimo, Mœno adſitos, Seduſios autem Auſtraliores ad Danubii fontes ac ſuperiora, Harudes denique utriſque ad ortum. Sub Auguſto Maroboduum iiſdem imperaſſe primum, mox etiam in Boiohæmum hodie Bohemiam paulò ante Chriſti Nativitatem tranſtuliſſe, ſupra pariter è Strabone, Velleioque validè probavimus.

diſtincti ab Hermunduris & Chattis.

A Maroboduo Rege in Bohemiã ex parte tranſlati

2. Ab eà tranſlatione ſunt qui putent ſolum iſtud primò colonis exhauſtum, Sueviæ pariter nomen amiſiſſe, nec niſi binis inde ſæculis ſub Caracallâ novum aut proprium hauſiſſe, ſcilicet Alemannicum. Id è Tacito conficere ſe putant, libro de Germaniâ: *Non numeraverim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumqúe conſederint, eos qui decumates agros exercent. Leviſſimus quiſque Gallorum & inopiâ audax, dubiæ poſſeſſionis locum occupavêre. Mox limite acto, promotiſqúe præſidiis, pars provinciæ habentur. Ultra hos Chatti.* Suevorum ecce à Maroboduo Auguſtóve tranſlatorum terram hic Tacitus apertè ſatis innuit; quando eam trans Rhenum quidem, ſed inter eum & Danubium conſtringit; tum citra Chattos includit definitqúe. & verò, ſi ne Sicambrorum quidem à Tiberianâ tranſlatione (licèt nomen exciſum diſertè tradat annali 12. Tacitus) ſolum penitus exhauſtum fuit, ſed ipſomet teſtante Strabone, aliqua eorum, licèt *exigua remanſit portio*: quanto magis, adeoqúe etiam major Suevorum reliqua fuerit; quando non, ut ab Auguſto Tiberióve victore vi Sicambri, ſed à proprio etiam Rege Maroboduo, volentes & merâ invitatione tranſlati?

Inde dicti etiam Alemanni.

Mixti cum reliqua Suevorum portione.

Quin ipſe Tacitus quoſdam remanſiſſe, & in validam adhuc evaſiſſe gentem clarè ſignificat, cùm Annali primo ſtatim à legionum Rhenanarum ſedatâ ſeditione, quæ poſt exceſſum Auguſti contigit, *veteranos* quoſdam *in Rhætiam, ſpecie defendendæ provinciæ ob imminentes Suevos* à Germanico *miſſos* diſertè ſcribit. Cum his ego quidem *Gallorum iſtos leviſſimos, & inopiâ audaces* paulatim coaluiſſe, vehementer ſuſpicor: ſed ne Romanos aliósve hoſtes ſuos, priſco Suevorum nomine retento in ſe provocarent, novo Alemannorum ſe tantiſper texerint; donec adultis viribus, & per ſe ſtare, & in Gallias etiam Rheno perrupto excurrere, prædáſque agere poſſent. quod & diu fortiterque præſtitêre.

Qui adhuc tẽpore Auſonii ad fõtes Danubii ſiti.

3. Auſonius quidem annis vix ducentis Tacito recentior, *Danubii fontem in medii locat Suevis*: & Claudianus Suevos quoque, ſicut & Francos ad Rhenum Stiliconi ſupplices inducit, licèt eo ævo communiùs Allemanni dicerentur; quaſi aliis mixti vicinioribus, ſeu Suevis reſiduis, ſeu Gallorum quibuſcumque leviſſimis, in ſolo, magnam partem tunc vacuo. Quam in rem rectè Agathias lib. 1. *Alamanni (ſi Aſinium Quadratum ſequi licet, hominem Italum, & qui res Germanicas accuratè conſcripſit) convenæ ſunt & miſcellanei homines, quod & appellatio eorum linguâ indicat.* nempe quia *All* omnem denotat, *Man* hominem. Ita priſco Sueviæ nomini, novum quoque *Alemannorum* ab hac commixtione ſuperadditum; quod ideo Caracalla avidè, etiam ad Germanici generalioris titulum, ſub quo Alemanni quoque comprehenduntur, non minus ſtolide quàm ſuperflue, ſuperaddidit: etſi non ſemper; quando Nummi ejus omnes apud Occonem ſuperſtites, *Germanicum ubique* non Alemannicum, ſicut neque Chatticum appellant, quaſi id rarius & in fine tantùm vitæ aſſumpſerit. Unde & Spartianus *Alemannici* titulum ultimo dumtaxat loco numerat.

Alemanni etiam Germani,

4. Et certè nomen Alemannicum tum primum naſcebatur, generali adhuc Germanorum voce comprehenſum: multo magis quàm ſub Proculo tyranno, tanto Caracallâ poſteriore; ſub quo tamen *Alemannos adhuc Germanos dici* ſolitos, tradit Vopiſcus. Profert quidem quædam Scriptorum hujus ferè ævi loca Cluverius, quibus ab Germanis ſecerni videntur Alemanni; ſed ea loca, ſi quis accuratè diſpiciat, de Germanis ſtrictiùs ſumptis intelliguntur. cujuſmodi appellatione dicti poſtea Franci, annis ab hoc Caracallæ imperio ferè 40. primùm eâ voce cogniti, ut infrà aperiam. Alemanni igitur quantumvis ex variis gentibus etiam Gallicis exorti nuncupatíque; tamen & Germani ceu Transrhenani, & ab ſolo quod in Germania ad Rheni ripam dexteram occupabant, Suevi inſuper habiti dictíque; ut eorum poſtrema cum Vandalis in Gallias & Hiſpanias irruptio magis edocebit. Unde factum, ut & hac noſtra ætate tractûs iſtius Alemannici pars Auſtralior, adhuc Suevia nuncupetur, Alemanniæ nomine illic prorſus extincto, quod à Gallis hodiernis nonniſi pro totâ Germaniâ ſumitur.

& Suevi.

CAPUT VIII.

Alexandri Mammææ F. & Maximini Imperium.

Ab anno Chriſti 222. ad 235.

Primus annus Alexandri certus character.

1. ALexandrum, Mammææ Heliogabali materteræ filium, tametſi nihil ad Severum attineret, Imperium iniviſſe anno Chriſti vulgari 222. certâ ratione intelligitur, ex ſuperſtite Hippolyti Portuenſis Epiſcopi Canone Paſchali, ſeu Heckædecaëteride. In eo enim, anno hujus Alexandri primo, qui ab decimo Martii die deducitur, *Quartadecima Paſchalis eveniſſe notatur Idibus Aprilis, Sabbato*: cùm menſis Embolymæus proximè præceſſiſſet: additque tertium ejus Heckædecaëteridos annum eſſe Biſſextilem. Quæ omnia non potuiſſe hoc ſæculo contingere, niſi iſto Chriſti anno Dionyſiano 222. Cyclo Lunæ 14. Solis 7. Literâ Dominicali F. nemo, qui Computum Eccleſiaſticum aſſequitur, ignorare poteſt. Quod monitum volui, quia nobiles etiam Scriptores biennii hac in re Metachroniſmo peccare video.

Qualis & quàm pius Alexander.

2. Imperavit Alexander annos omnino tredecim; ſunque in Chriſtum proniſſimus; ut plura ſuggerunt è Lampridio teſtimonia. Primùm enim *matutinis horis in Larario ſuo (in quo & Divos Principes, ſed optimos, ſelectos; & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, CHRISTUM, Abraham, & Orpheum, & hujuſmodi ceteros habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* Rurſum c. 43. *CHRISTO templum facere voluit, eumq́; inter Deos recipere. (Quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri.) Sed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.* Cap. 49. *Cùm Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent; contrà popinarii dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit. Melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur.* Cap. 51. *Clamabátque ſæpius, quod à quibuſdam ſive Judæis ſive Chriſtianis audierat, & tenebat; idque per præconem, cùm aliquem emendaret, dici jubebat, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus præſcribi juberet.* Quodque etiam mirere magis; *Ubi aliquos voluiſſet vel Rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel Procuratores id eſt Rationales ordinare, nomina eorum proponebat: hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis. dicebatque, Grave eſſe, cùm id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.*

An Chriſtianus fuerit?

3. Ex quibus omnibus num Chriſtianus fuerit Alexander, judicare poteſt Lector. Chriſtianum omnino putant Baronius, & maximè Crombach noſter in Urſula ſuâ vindicatâ, lib. 4. cap. 30. ſcribens, eum, cùm adhuc circa Euphratem contra Perſas ageret, cum Abagaro Edeſſæ Rege Chriſtiano de Chriſti fide non minus diſſeruiſſe, quàm

eodem

Sicut mater Mammæa? eodem ipſo tempore Mammæam ejus matrem cum Origene; à quo tandem ut aquis illa genitalibus expiata ſit, ita & filius matris aliorumque Chriſtianorum conſuetudine delinitus, fidem amplexus ſit. quod & Zonaras ſatis innuit. & certè ſi mater Catholica, dicto audientem in omnibus filium, Herodiano, Lampridio, aliiſque gentilibus teſtibus, habuit; ſi vias omnes adeò obſepſit, ne aſſentatorum vitiis inquinaretur; nullane in ſalutem ejus curâ fuiſſe, putanda eſt? præſertim cùm in familiam ſuam plurimos adſciviſſet Chriſtianos, propter quos ſucceſſor & parricida Maximinus, ſextam moverit perſecutionem, ut rectè Euſebius animadvertit. Ad id vero quod objiciunt nonnulli, quomodo ergo ſub eo duo ſummi Pontifices Calixtus martyrio, Pontianus exilio affectus ſit; Palmatius Conſul, Sanctæ Martina & Cæcilia, gladio perempti, benè reſpondet idem Crombach, tria Alexandri tempora diſtinguenda: primum, quo & mater & ipſe à fide annis quinque prioribus abhorruit: tùm cum matre jam Catholicâ, favere cœpit Chriſtianis, & Chriſto honorem à Senatu petivit. Quos cùm non impetraſſet, denique, ſi non & ipſe conversus eſt, ſaltem benignior in Chriſtianos & indulgentior, nullum ad mortem adegit: tametſi Ulpianum & alios Provinciarum Præſides quaſi ex legibus & juſtitiâ in eos agere permiſit. Quæ tria ſi expenduntur, facilè objecta omnia diluunt. Simul docent quàm latè ſparſi eſſent toto ejus Imperio Chriſtiani, quantus illis honor, ut ait Zonaras, haberetur. ut vel hinc de Belgicis noſtris Eccleſiis, inopiâ Scriptorum obſcuris, conjecturam facere poſſimus. Nam ſi tum Chriſtiani, ut ſemper aliàs, mare & aridam ut unum facerent Proſelytum, percurrere paratiſſimi eſſent, quis tam favente Imperatore dormitaſſe credat?

[...] in [...] no [...] gnior.

4. Ceterùm Alexandro in Gallia Belgioque noſtro nihil, niſi poſtremo Imperii fortè biennio, negotii fuiſſe video. Antiochiæ & in Syria diu cum matre verſatus erat. Cùm *ecce nuntii* (ait Herodianus lib. 3. fin.) *literæque ab Illyricis Procuratoribus aſſuerunt, Germanos Rhenum Danubiumque tranſgreſſos, Romanos in fines hoſtiliter intraſſe; oppugnareque jam exercitus ripis fluviorum illorum inſidentes; pérque urbes & vicos magnis copiis excurrere. ipſius præſentiâ opus eſſe, & toto quantum haberet exercitu. Hæc formidinem Alexandro attulerunt, jam de ipſâ quoque Italiâ ſolicito. Neque enim par à Perſis atque à Germanicis periculum impendebat. Nam Perſæ magno terrarum mariúque intervallo diſiti, Italiæ vix nomen audiunt. At Illyricæ gentes, anguſta videlicet, ſola diſcrimen faciunt Italiam inter atque Germaniam.* Herod. Cùm Romam ergo rediiſſet, ait Lampridius, ante *VII. Kalendas Octobres* (ergo priore antequam cæderetur anno, U.C. 987. Juliano 279. Chriſti vero 38. Dionyſiano ſeu vulgari noſtro 234. A Paſſione 204.) & pulcherrimum triumphum egiſſet; ad Germanicum bellum profectus eſt; *magnis itineribus lætuque militibus.* Lamprid.

[...] ni Rhenum [...] pit.

Venit in Germaniâ Superiorem Ciſrhenanâ, ſeu Belgi[...]

5. *Confecto celeriter itinere*, pergit Herodianus lib. 6. fin. *conſtitit ad Rheni ripas* (Moguntiæ ſcilicet, aut non procul, uti mox patebit) *ibique res ad bellum neceſſarias comparabat. At pontem primò, junctis inter ſe navigiis, fecit in Rheno, ut per eum tranſgrederetur exercitus. Mauros autem complures ac ſagittarios ex Oriente ſecum adduxerat; quos adverſus Germanos inſtruebat; qui leves & expediti nuda grandiaq; Germanorum corpora vulnerabant. ita tamen, ut Germani collatâ acie, Romanis haud impares abirent. Quare pacem ab illis vel auro, cujus aviſſima gens eſt, emercari, quam bello periclitari conſtituit.* Herod. Quare milites jam antè ſeveritate ejus irritatos in ſe concivit. Ille *ſeditioſas legiones abjici præcepit*, ait Lampridius. *Verum Gallicanæ mentes*, ut ſeſe habent, duræ ac retrogradæ, & ſæpe imperatoribus graves, ſeveritatem hominis nimiam, & longè majorem poſt Heliogabalum, non tulerunt.

6. Erat in exercitu Maximinus Thrax, ſemibarbarus, & à pueritiâ Opilio, ingentis corporis & roboris vir, ſub Severo ſtipendia meritus. eum Alexander in ſuam perniciem omni præfecerat exercitui; aut ſaltem, ut Herodianus, tyronibus univerſis, quos ad militiæ munera exerceret. Hic ergo à ſuis primùm tyronibus dictus Imperator, à prandio horâ diei ſeptima, Alexandrum in tabernaculo meridiantem, pluribus ictibus una cum matre confodi curavit, apud Moguntiam, aiunt Euſebii, Caſſiodori, Alexandrinumque Chronica; in vico, cui nomen *Sicila*, addunt Lampridius & Victor Schotti. Alii legi volunt, *Vicus*, qui vicus ad Rhenum eſt, hodie *Ober Weſel*, ditionis Trevirenſis, Bingium inter & Boppardiam: ait Ortelius. Ubi mater Mammæa ſepulta; & ipſe Cenotaphium ibidem, Romæque ſepulchrum ampliſſimum habuit. Diem necis in Martium communiter referunt, Crombach noſter in Octobris initium. Cùm imperaſſet, addit Lampridius, annis 13. diebus 9. vixiſſet 29. menſibus 3. diebus 7. Anno autem Chriſti, ut ego quidem arbitror, vero 239. Dionyſiano & vulgari hodiè adhuc uſurpato 235. licèt Baronius ad ſuum 236. Maximique & Urbani Conſulatum referat. In Euſebii autem Chronicis, anni Chriſti diverſi juxta diverſorum calculos apponuntur. Scaliger 235. melius utique quàm qui 236. vel 237. apponunt. Ego Chronologiæ meæ ſatis alibi probatæ inhæreo, & profecto his annis occurrunt multi characteres, ex Solis ac Lunæ Cyclis, Eclipſibus ſpeciatimque luculento Cenſorini teſtimonio petiti; qui Alexandri, Maximini, Gordianorum, & Philipporum Imperia vacillare non ſinunt, ſed certis Chriſti annis Dionyſianis, ineluctabiliter aſtringunt. ut mox reddam. Alexandri quidem hujus initium, Paſchalis Hippolyti Canon à nobis cum Victorio editus, & capitis hujus exordio laudatus, id abundè præſtat.

Maximinus [...] Alexandrum [...] & [...] ma[...] occidit.

Anno Chriſti vulgari 235.

7. Cenſorini vero teſtimonium tale eſt: de die Natali cap. 21. *Hujus anni velut Index & Titulus quidam eſt, Ulpii & Pontiani conſulatus; anno ab Olympiade prima 1014. ex diebus dumtaxat æſtivis, quibus Agon Olympicus celebratur: U.C. 991. ex Palilibus Juliano 283. Ab Ægypto per Auguſtum ſubjugatâ 267. Anno Nabonaſſari vago 986. Quo Agon Capitolinus 39 celebratus cæde Maximinorum duorum patris & filii ſtigmoſus.* Cenſor. Quo denique (addit hic Petavius) contigit Solis Eclipſis, Aprilis die ſecundo, hora 7. 15. poſt mediam noctem Romæ. ſicut & altera itidem ſolis longè major anno priore contigerat, Aprilis duodecimo, horâ poſt meridiem quarta. Adjungit ad ſuperiora Cenſorinus: *ab hinc ſuperiorem annis centum, Antoninum Pium ſecundum, & Bruttium Præſentem Conſules fuiſſe*, anno nempe U.C. 891. Chriſti vulgari 139. Qui omnes characteres & Alexandri Mammææ filii interitum certò in annum Chriſti Dionyſianum 235. referunt, & Imperatorum

Romanorum tam antecedentium, quàm ſequentium intervalla rectè à nobis definita convincunt.

S. Urſulæ & ſociarum Martyrium juxta P. Crombach.

8. Iſtud quoque ſub Alexandri finem hîc non perfunctoriè notandum, Coluntenſium ad undecim millia Virginum, iter è Britanniâ Romanum, ipſumque earumdem in reditu Coloniæ Martyrium, ex antiquiſſima traditione contigiſſe. Quam à pluribus oppugnatam, nuper Crombach noſter, in Urſulâ vindicatâ, viriliter ſuſtinuit, & quaſi jam labantem erexit, majore ſedulitate neſcias an induſtriâ, & difficultatum exhauſtione. præſertim ſi aliquam Dei in eas providentiam admittas, quam negare piorum nemo poteſt. Ego ſanè ad tantam diligentiam & induſtriam, quod addam, non habeo. admirari & laudare malo: ſpero etiam, & voveo, ut illi morienti Urſula cum ſuis occurſura ſit, idemque dictura, quod de S. Martino Turonenſi canit Eccleſia, *Mane nobiſcum in æternum.* Si quid preces meæ poſſunt, hortor ut tam præclaros utileſque conatus non remittat; ſed potius augeat.

CAPUT IX.

Belgica ſub Gordiano, Philippis, Decio, Gallo & Voluſiano, Valeriano & Gallieno.

Ab anno Chriſti 238. ad 258.

Gordiani initium certum.

1. GORDIANUS inde junior ſexennio imperat, ab anno Chriſti Dionyſiano 238. Quod ejus initium rectè probat Hervartii Nova Chronologia pag. 276. & Petavius noſter hîc, & de Doctrinâ temporum. Sed & S. Cypriani Carthaginienſis mox Epiſcopi hoc ævo maximè florentis Canon Paſchalis Sedecennalis, ab anno Chriſti vulgari 241. deductus, annis poſt alterum ſimilem Hippolyti novemdecim. Illum in Bibliothecâ Sancti Remigii Remenſis fortè repertum & exſcriptum P. Jacobus Sirmundus noſter, anno Chriſti 1648. Auguſti 29. Pariſiis ad me miſit, primâ occaſione edendum. eum cum Godefrido Vendelino Tornaci primùm contuli, & utrique genuinus Cypriani fœtus viſus. Cumque Vendelinus e[illegible]onem ſibi relinqui peroptaret; amico tanto ſiderum peritiſſimo negare non potui. Spero brevi edendum. In eo inter cetera Cyprianus, annum Gordiani quintum cum Arriano Papóque Conſulibus, ſeu anno Chriſti vulgari 243. componit, ad noſtram ecce Chronologiam aptiſſimè. Sed quia lacunam quamdam ibi ineſſe putat Vendelinus, res in plenam editionem referenda. Interim permirum eſt, annum iſtum Gordiani quintum, tam benè cum iſtis Conſulibus concurrere; ac proinde ejuſdem primum cum anno Chriſti 238. Ulpio Pontianóque Coſs. cum Maximinorum cæde, cum tot ac tantis Cenſorini Epochis comparari.

Ex Paſchali S. Cypriani CycloOctaëterico, nuper invento.

Gordianum occidit Philippus, & imperat.

2. Gordianum peremit, ſimul Imperium invaſit PHILIPPUS anno Chriſti Dion. 244. tenuitque pari propè ac Gordianus ſpatio, ut ambo annos undecim expleverint. Sub illis nihil de Belgio noſtro lego. Solùm Julius Capitolinus Gordiani Cœnotaphio appoſitum refert, VICTORI GERMANORUM, SED NON PHILIPPORUM. Filium enim itidem Philippum pater conſortem Imperii fecit, & cum eo annum Urbis Milleſimum Varronianum Ludis ſæcularibus bis, ſemel ineuntem, iterum exeuntem, geminis annis Julianis, ducenteſimo nonageſimo ſecundo ſcilicet, & 293. celebravit. Cujus poſterioris Paſchate, aut paulò pòſt, Carthaginienſis factus eſt Epiſcopus Cyprianus. qui & in Canone ſuo Chriſtianum Paſcha 7. Kal. Aprilis ſeu Martii 26. rectè cum Alexandrinis indicit: diebus ante Palilia anni 1001. totis 26. Licèt Victorius cum Latinis ſuis, in quartum Nonas Aprilis, ſeu ſecundum Aprilis diem, octiduo tardiùs indicat.

2. ANNO inde vulgato 249. DECIUS hauſto contra Philippos Imperio; inter alia, bellum civile, in Gallia motum oppreſſit. ait Eutropius lib. 9. quod quale fuerit, vix aſſequor. In FRANCOS eum paulò antequam cæderetur moviſſe, ſcribit Chronicum Alexandrinum. Sed Francicum bellum quomodo civile? Niſi fortè Franci Gallis moventibus auxilio fuerint. Quod ſi ſtat, prima hæc erit Francorum in hiſtoriâ Romanâ mentio. de quibus ut & de Saxonibus, commodiùs infrà. In Chriſtianos, quia à Philippis amatos, *ſeptimus poſt Neronem*, ait Oroſius l. 7. c. 21. *feralia diſperſit edicta, plurimóſque Sanctorum ad coronas Chriſti de ſuis crucibus* (aliàs *cruciatibus*) miſit. Hâc perſecutione *Saturninum* Toloſanum Antiſtitem, Româ miſſum; abſumptum volunt ejus Acta, & ex iis Gregorius Turonenſis lib. 1. Amaranthum item Aquitania agnoſcit. & credo Treviri noſtri nonnullos è ſuis, ſaltem Epiſcopos: quando eorum plerique (ut toties dixi) hujus ævi Martyribus accenſentur. Fueritque tanto acrior in Gallus iſta Perſecutio, quo Decius in eas ob bellum civile, ſi contigit, infenſior.

Inde DECIUS.

3. Nec repeto hîc miſſos variis Galliarum civitatibus Epiſcopos; ut Turonibus Gatianum, Arvernis Stremonium, fortè & Pariſiis Dionyſium juniorem; aliis alios, de quibus ſuprà diſtinctiùs. Nimirum perſecutionibus ſemper augetur Eccleſia, ſanguineo Martyrum rore fœcundior. Vix toto ab Decii morte ſexennio, primum Autiſſiodorenſibus Apoſtolum, à Sixto Papâ ſubmiſſum *Peregrinum*, in S. Germani ejuſdem Eccleſiæ Paſtoris vitâ lego. & ſunt deinceps pleniores Gallicorum Epiſcoporum Indiculi. Martianum Arelatenſem Novatianâ hæreſi infectum, hoc tempore floruiſſe, ſuprà ex Cypriano monuimus. Prorſus uti non adeò rejiciendi videantur qui Gallicanos Paſtores hinc maximè ordiendos cenſent.

Sub quo miſſi in [illegible] has va[illegible] Epiſcopi.

4. Decium, cùm biennium & paulò plus imperaſſet, exceperunt GALLUS & VOLUSIANUS. æquè Imperio ſaltem pacato breves, à vere anni Chriſti Dionyſiani 251. ad annum 253. Quo tempore ÆMYLIANUS legionum Pannoniæ Dux, cum Scythas populabundos internecione cecidiſſet, eóque Imperator à ſuis dictus eſſet; contra Gallum Voluſianumque in Italiam magnâ celeritate movit. Tum VALERIANUS à Gallo Voluſianóque in Galliam, ut Gallicas Germanicáſque legiones (quæ ad Rhenum) adduceret ablegatus. mox iiſdem primum a proprio exercitu trucidatis, extincto deinde poſt tres menſes pariter Æmyliano;

Succedunt Gallus & Voluſianus.

Æmylianus

in

Valerianus & Gallien.

in Imperium ab iis ipſis, quas in Galliâ & Rhenano limite collegerat, Legionibus evehitur. Mox etiam GALLIENUS ejus filius Cæſar a Senatu Romæ dicitur; anno Chriſti vulgari, quantum pervideo, adhuc ineunte 253. ſtatimque Tiberis *adulta æſtate* diluvii facie inundavit, ait Victor Schotti; præter Eutropium, Zoſimum, Zonaram, &c. Nec diu in Europâ ſubſt[illegible]it Valerianus, in Orientem a Scythis & Perſis per hæc bella civilia miſerè vaſtatum, proficiſci coactus. Gallienum igitur Auguſtum dicit, ei Europam, & qui in eâ exercitus, tradit.

[illegible]bus [illegible] Per-

5. Sub Valeriano octava in Chriſtianos perſecutio, in annos tres, menſesque ſex producta, ut tradit Dionyſius Alexandrinus, Xiſtum Papam Laurentiumque Diaconum Romæ, Cyprianum Carthagine, Martyrio inter ceteros decoravit, Tuſco an Fuſco, & Baſſo Conſulibus, anno Chriſti 258. Probabile item, ſi non certum, quoſdam etiam in [illegible]allia quoque dec[illegible]. Verùm poſt [illegible]es iſtos annos cum medio, capto a Per[illegible]is Valeriano, anno Imperii ſexto, ait Victor Schotti, Chriſti 259. Galli[illegible]nus [illegible]us, Vind[illegible]am Numi[illegible]is majorem veritus, inchoatam Perſecutionem repreſſit, inſurgentibus præſertim undique Tyrannis ac Barbaris, de quibus fuſiùs hiſtori[illegible]. Nos eos potiſſimè referemus, qui ad Belgicam noſtram Galliasve ſpectant. *Tunc enim, ſive incuria rerum,* ut Eumenius in Panegyrico, *ſive quadam inclinatione fatorum, omnibus fere membris truncata eſt Reſp. Tunc ſe nimium Parthus extulit, & Palmyrenus æquavit. Tota Ægyptus Syriaque defecerunt. amiſſa Rhætia, Noricum Pannoniaq; vaſtata. Italia ipſa gentium Domina, plurimarum urbium ſuarum excidia mœrebat.*

R[illegible]ens

Gallienus [illegible] Rhenum contra Fran[illegible]

6. Gallienus ad Patris uſque captivitatem fere ſemper ad Rhenum contra FRANCOS, aut ad Danubium contra alios Barbaros hæſiſſe videtur. Quippe, ut Eutropius lib. 9. *adhuc adoleſcens, Auguſtus factus. imperium primùm feliciter geſſit. juve[illegible] nis in Galliâ & Illyrico multa ſtrenuè fecit.* & Zo[illegible]us: *Gallienus*, inquit, *conſors Imperii factus, patre in Oriente profecto, videns Germanicas gentes ceteris inf[illegible]iores, quæ accolas Rheni Celticas ſeu Belgicas nationes* (Ciſrhenanos nempe Belgicósque Germanos) *acrius vexarent, hanc partem ſibi propugnandum ab hoſtibus ſumit; alii qui per Italiam, Illyricum, Græciamque prædis agendis intenti eſſent, duces cum eorum locorum exercitibus, bellum facere juſſit. Ac ipſe quidem Rheni trajectus cuſtodiens, quantum præſtare poterat, interdum tranſitu hoſtes arcuit; interdum tranſeuntibus ſuos inſtructos objecit. Sed quod ingenti cum multitudine, perexiguas ipſe copias habens bellum gereret, in anguſtum coacta jam res e[illegible]us erant. Sed fœdere cum quodam de gentis Germanicæ principibus inito, periculum ex aliqua parte minuiſſe viſus eſt. Nam cetero[illegible] ille Barbaros arcebat, quo minus continenter Rhenum tranſirent, & irruentibus obſtabat.*] Quis fuerit [illegible] Germanicæ gentis Princeps, an Francus aliquis, Alemannus, an Marcomannus, an alius, non eruo.

[illegible]Zoſimus l. 1

[illegible]quib[illegible] ſx- [illegible]in

Sed Poſtumi magiſterio adjutus.

Quiſnam ille fuerit.

7. Ceterum bella hæc ad Rhenum Francica multo ceteris graviora, multo periculoſiora, Gallienus licet adhuc juvenis, ſibi ipſe meritò ſervavit; ſed ſub Poſtumi magiſterio geſſit. *Hic enim vir* (ut ait Trebellius Pollio) *in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vita gravis* fuit; *uſque adeò* ut Valerianus Gal[illegible]num ei filium potius quàm Aureliano po[illegible]odum Imp. ceteriſque committeret. De quo eſt Valeriani ipſius talis apud Vopiſcum epiſtola: *Valerianus Auguſtus Antonino Gallo Conſuli. Culpas me familiaribus literis, quod Poſtumo filium meum Gallienum, magis quam Aureliano commiſerim: cùm utique & ſeverioris & puer credendus fuerit & exercitus. Nec tu id diutius judicabis, ſi bene ſcieris quantæ ſit Aurelianus ſeveritatis. Nimius eſt, multus eſt, gravis eſt, & ad noſtra jam non facit tempora. Teſtor autem omnes Deos, me etiam timuiſſe, ne quid etiam erga filium ſeverius, ſi quid ille feciſſet* (ut eſt natura *pronus ad ludicra*) *ſeriùs cogitaret.*] Aurelianum ſcilicet timebat Valerianus, tanquam Poſtumo, etſi gravi, duriorem ſevererioremque. [illegible]oque Poſtumius præſertim in Gallia obſ[illegible]ime[illegible]tus, ut ait Eutrop. minus ſuſp[illegible]ctus [illegible] um fuiſſe teſtetur idem V[illegible]ianus alia ad Ga[illegible]s epiſtola: *Tranſrhenani, ait, limitis ducem & Galliæ Præſidem Poſtumum fecimus, virum digniſſimum ſev[illegible]rate [illegible]allorum. præſente quo non miles in caſtris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in Curia dignitas pereat; qui unicuiq; proprium & ſuum ſervet. Virum, quem ego præ ceteris ſtupeo, & qui locum principis mereatur jure. de quo ſpero, quod mihi gratias agetis. Quod ſi me fefellerit opinio quam de illo habeo, ſciatis nuſquam gentium reperiri, qui poſſit penitus approbari. Hujus filio, Poſtumio nomine, tribunatum Vocontiorum dedi, adoleſcenti, qui ſe dignum patris moribus reddet.* Magna omnio Poſtumi laus.

Etiam judicio Valeriani Imperatoris.

Tranſil[illegible] ni [illegible] Dux [illegible] hæ præ[illegible]

Q[illegible] Prin[illegible] p[illegible] locum merebatur.

8. Fuerit igitur in Galli[illegible] Poſtumus primum Gallieni magiſter; per tres aut 4 annos, donec Gallienus luxu ſe corrumperet: ut habet Trebellii in Ingenuo, aut in Ill[illegible]icum ſe vertere cogeretur, urgentibus etiam ad Danubium Barbaris, partim Marcomannis & eorum Rege Attalo: cum eo enim tandem pacem Gallienum, f[illegible]iſſe[illegible] conceſſa ei Pannoniæ parte, & filia ejus Pipâ matrimonii ſpecie ſuſcept[illegible], Victor vulg[illegible]tus notat; firmatque alter Victor Scotti, & innuit Trebellius in S[illegible]lonino finiente. Tunc enim Valerianum, ne quid gravius per ſi[illegible]i abſentiam Galliæ paterentur, *Poſtumum Tranſrhenani limitis ducem Galliæq; Præſidem* conſtituiſſe exiſtimo. Quo ille in munere ali[illegible]d triennium aut forte paulò plus exegerit. Nam cum Eutropius & Oroſius *per annos decem* Galliæ præfuiſſe dicant; Trebellius autem eumdem nonniſi 7. annos imperaſſe bis ſcribat, planè intelligimus ex decem iſtis annis Poſtumum tribus dumtaxat prioribus Galliæ Præſidem Tranſrhenanique limitis ducem; reli[illegible]uis 7. capto jam à Perſis Valeriano, Imperatorem & Auguſtum hauſto imperio fuiſſe, ut mox dicemus. Ita triplice in Gallia dignitate ſucceſſivè fuerit: primo Gallieni Pædagogus, tum Galliæ Præſes & Dux; denique etiam Imperator. Innumeri quotidie per totum Belgium, ac Bavaci Nerviorum præſertim, eruuntur illius nummi, Ærei, argent[illegible]i, ſubinde & aurei. ego centenos aliquot vi[illegible]. In iis ſicut & in V[illegible]re vulgato, M. CASSIUS LATIENUS POST[illegible]MUS, nunquam Poſtumius, & quidem *Tribunitia poteſtatis* [illegible] planè ad Trebellium) *Conſul IV.* non ultra, dicitur. Conſulatus autem illos in Gallia tantû & fortè H[illegible]paniâ Britanniaque, ubi ſcilicet imperabat, non Romæ geſtos facilè quilibet aſſequitur. Ceterum quia Belgicæ noſtræ quodam modo proprius eſt Imperator iſte, juvat ei ſucceſſoribusque Gallicis Auguſtis ſequens caput impendere: proximum inde Francis, quorum prima ſub Decio mentio.

Qui etiam [illegible]dem obtigit.

F[illegible]us Nummi plures ad hu[illegible] hodie in Bel[illegible]

CAPUT

CAPUT X.

POSTUMI Imperatoris in Galliâ res geſta; item ſucceſſoris ejus Victorini; imperante Romæ Gallieno.

Ab anno Chriſti 260 ad 267.

Aurelianus & Probus poſtea Imperatores, bellum cum Gallieno in Francos gerunt.

1. ANtequam Poſtumi geſta perſequor, non omittendum quod de Aureliano & Probo, poſtmodum etiam Imperatoribus Auguſtis, tradit in eorum vitâ Vopiſcus: Hos quoque in Galliâ cum Gallieno & Poſtumo contra Francos, etiam antè quam Valerianus in Perſarum ſervitutem incideret, rem ſtrenuè geſſiſſe. Adeò bella iſta Francica Poſtumi ut minimum æqualia, Romanis terrori erant. Ac de priore quidem ita Vopiſcus:

Ac primùm Aurelianus.

Aurelianus apud Moguntiacum tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes cum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit; ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis; ſub coronâ vendiderit. Unde iterum de eo facta eſt cantilena, Mille Francos, & mille Sarmatas, ſemel & ſemel occidimus. Mille, mille, mille, mille, mille Perſas quærimus. Canunt ecce mille quoque Perſas ſe quærere; quia Valerianus tum bellum Perſicum aut parabat aut gerebat. extat quidem de his Valeriani ipſius epiſtola ad *Ceionium Albinum Præfectum Urbis*; quem ego Nummium Albinum puto, cujus præfecturæ etiam meminit Libellus Præfectorum Urbis, à nobis nuper, cum Victorio noſtro poſt Cuſpinianum & Onufrium in Faſtis, editus. Ibi enim ita legimus, *Maximo & Glabrione Coss. Nummius Albinus P. V.* Incurrit iſte Conſulatus in annum Chriſti vulgarem 256. qui eſt Valeriani & Gallieni tertius, & ineuntis forte quartus. aptiſſimè: cum ille ſcilicet bellum in Perſas; quod *anceps diuturnumq́;* vocat Victor Schotti, aut gereret aut appararet, ut dixi. In eâ ergo ad Albinum P. V. epiſtola Valerianus Aurelianum inter cetera, *Galliarum reſtitutorem* appellat; ex his ſcilicet ſimilibúſve quæ contra Francos cum Gallieno filio Poſtumoque hoc tempore geſſit.

Anno Chriſti Dionyſ. 256.

Tum etiam Probus.

2. De Probo verò extat ſimiliter ipſius Valeriani epiſtola apud eumdem Vopiſcum: *Valerianus pater Gallieno filio, Auguſtus Auguſto. Et meum ſecutus judicium, quod ſemper de Probo adoleſcente primò habui, & omnium bonorum, qui eumdem ſui nominis virum dicunt, tribunatum in eum contuli, datis ſex cohortibus Saracenis, creditis etiam auxiliaribus Gallis, &c. Te quæſo fili, ut eum juvenem in tanto habeas honore, quantum virtutes ejus & merita deſiderant.* In Gallia tribunatum hunc illi obtigiſſe colligo, tùm ex ejus ætate, qua adhuc imberbis ab eodem Valeriano in alterâ epiſtola dicitur; tum ex Gallieni prioribus bellis, à Gallieno maximè patre nondum capto, geſtis. Sanè Probus cùm primùm imperium iniit, ab Senatu *Francicus* antè quàm Gothicus, Sarmaticus, aut Parthicus acclamatus eſt. & Manlius primæ ſententiæ Senator eum laudans, *Quæ mundi pars eſt,* ait, *quam ille non vincendo didicerit? Teſtes ſunt Franci inviis ſtrati paludibus, teſtes Germani & Alemanni, longè à Rheni ſubmoti litoribus.* & mox *Adoleſcens tribunatum, non longè poſt adoleſcentiam, regendas legiones accepit.* Ita Vopiſcus. Prorſus ut hóc Gallieni adhuc adoleſcentis, Rectore Poſtumo, bellum, fertile Ducum Imperatorumque ſeminarium fuiſſe videatur: planéque *mirabile fuerit in Valeriano Principe*, ut Trebellius notat, *quod omnes, quoſcumq́; duces fecit, poſteà militum teſtimonio ad imperium pervenerint.*

3. Gallienus deinde ſeu ad Dannubium in Marcomanos, ſeu in luxuriam ut dixi converſus, Poſtumo Galliæ Præſidi a patre nominato, *Saloninum filium ſuum juniorem in Galliâ poſitum*, ait Trebellius in Poſtumo, *quaſi cuſtodi vitæ, & morum, & actuum Imperialium inſtitutori credidit.* Poſt primam cladem patri Valeriano, nondum a Perſis capto illatam, *Tuſco & Baſſo Conſulibus* (ait idem Trebellius in Ingenuo Tyranno, anno Chriſti vulgari 258. ipſius Valeriani ineunte ſexto) in Illyricum properans deſcendit; rurſum Victor Schotti. Ibi Ingenuum curantem Pannonias, à Mœſiacis legionibus Imperatorem dictum, Murſiæ devicit occiditque. mox etiam Regallianum; qui receptis militibus, quos Murſina clades reliquos fecerat, bellum duplicaverat. *His proſperè & ſupra vota cedentibus* (ait Victor Schotti) *rem Romanam quaſi naufragio dedit, cum Salonino filio, cui honorem Cæſaris contulerat.* Luxum ejus, capto mox à Perſis patre Valeriano, magis auctum credére par eſt. Cum ut Trebellius in Gallienis, *conſtet Cenſuram patris eum ferre non potuiſſe; votumq́; illi fuiſſe, quod imminentem cervicibus ſuis gravitatem patriam non haberet.* & rurſus ibidem: *Capto Valeriano, cum Gallienus comperta patris captivitate gauderet; vagabantur exercitus, murmurabant Duces. erat ingens omnibus mœror, quòd Imperator Romanus in Perſide ſerviliter teneretur* Nam ut Victor vulgaris, *Rex Sapor, Valeriani capti, quamdiu vixit, & incurvati cervicibus pedem imponens, equum conſcendere ſolitus eſt.*

4. Ergo dum ita *Gallienus, antea licèt diu placidus & quietus*, ait Eutropius lib. 9 *in omnem laſciviam diſſolvitur, tenenda Reip. habenas probroſâ ignaviâ & deſperatione relaxavit.* Unde & Barbari omnes irruperũt. Utque de iis, quæ nihil ad inſtitutum noſtrum dicam, Alemanni, Germani, Francorum gentes, Germani ulteriores, Italiam, Galliam, Hiſpaniam irruperunt, uti mox: *Et quaſi ventis undique ſævientibus, parvis maxima, ima ſummis, orbe toto miſcebantur.* verba ſunt Victoris Schotti. *Simul Romam peſtilentia graſſabatur; quæ ſæpe curis gravioribus, atque animi deſperatione, oritur. Inter hæc ipſe popinas ganeaſque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat; expoſitus Saloninæ conjugi; atque amori flagitioſo filiæ Attali Germanorum, Marcomannorum*, habet Victoris Epitome, *Regis Pipæ*, aliàs *Pipara nomine: Quâ cauſâ, etiam civiles motus, longè atrociores orti.* Namque primus omnium POSTUMUS, qui forte Barbaris per Galliam præſidebat, Imperium *ereptum ierat.* Ita Victor Quod quomodo contigerit, quoniam ad inſtitutum maximè pertinet, juvat ex Zonara Zoſimóque fuſius narrare. Zonaras certè præ ceteris ſedulò narrat.

5. In Gallia Gallienus, Pannonias contra Ingenuum petens, Poſtumum moderatorem hactenus ſuum, ceu limitis Tranſrhenani Ducem à patre Valeriano, toto jam triennio, conſtitutum, ſuo loco reliquerat *Saloninumq́; filium ſuum* (ex Pipâ credo)

Right margin notes (partly cut off at the edge of the scan):

... Gallia abit ... Panno... Ingenuum,

& vincit.

Inde m... ... provo...

At que ... Barbari...

& Ducum Rom...

Quomodo Poſtumus ad Imperiũ pervenerit.

credo) *in Galliâ poſitum crediderat* (ait Trebellius Pollio in Poſtumo, inter triginta ejus Tyrannos, ſecundo) *quaſi cuſtodi vitæ & morum & actuum Imperialium inſtitutori*: licèt eumdem *filium*, *Albano cuidam*, ait Zonaras, *propter ætatem* ferè puerilem *commiſiſſet*, ceu pædagogum. *Poſtumus verò* (pergit Zonaras) *ad cuſtodiam Rheni fluminis relictus; ut transrhenanos barbaros Romanarum provinciarum incurſione prohiberet*, quodam forte *tranſitu eorum non animadverſo; in reditu prædâ onuſtos adortus, multis occiſis, prædam omnē receptam, inter milites ſtatim diviſit*. Militum ſcilicet, & Gallorum ipſorum Provincialium gratiâ ſimul captatâ. *Albanus* (non, ut Zoſimus, *Silvanus*) Gallieni locum tenere ſe cum ejus filio ratus (*adoleſcente ſolerte & formoſo, quem Imperii ſucceſſorem deſtinabat Gallienus* pater, dixerat antea Zonaras) *ut præda ad ſe, junioremque Gallienum*, alumnum ſuum *afferretur, poſtulavit. ea repetitione, milites ad ſeditionem impellit* Poſtumus, *ſimul ad Agrippinæ (urbis maximæ, ad Rhenum ſita*, addit Zoſimus) *adductis, ubi Saloninum Gallieni filium obſidere*, *minatus obſidionem ſe minimè ſoluturum, niſi deditus ille ſibi fuiſſet. Militibus* Agrippinæ præſidiariis, *obſidionis neceſſitate compulſis, ut & ipſum, & ipſius cuſtodiæ præfectum à patre Silvanum* (*Albanum* rectiùs, quia ſæpiùs vocat Zonaras) *traderent*, *utroque Poſtumus interfecto, rerum apud Celtas*, ſeu Belgas noſtros in quibus Agrippina, *potitus eſt*. Ita Zoſimus Zonaræ junctus,

6. Ejus facti judicium apud Trebellium Pollionem in 30. Tyrannis, §. 2. in Poſtumo, tale extat: *Quantum plerique aſſerunt* (*quod ejus* tamen *non convenit moribus*) *fidem fregit* Poſtumus, *& occiſo Salonino ſumpſit imperium. Ut autem veriùs plerique tradiderunt, cùm Galli vehementiſſimè Gallienum odiſſent (quibus ſcilicet inſitum eſt luxurioſos Principes ferre non poſſe*, ait idem in Gallienis Trebellius) *puerum autem apud ſe imperare, ferre non poſſent; eum qui commiſſum* jam à triennio ceu Rheni Præfectus, *regebat imperium* Poſtumum, *Imperatorem appellarunt: miſſiſq; militibus adoleſcentem interfecerunt. Quo interfecto ab omni exercitu, & ab omnibus Gallis Poſtumus gratanter acceptus, talem ſe præbuit per annos ſeptem, ut Gallias inſtauraverit; cùm Gallienus luxuriæ & popinis vacaret; & amore barbaræ mulieris*, Pipæ credo, quæ Saloninum iſtum ſeu Gallienum juniorem pepererat, *ſeneſceret. Siquidem nimius amor erga Poſtumum omnium erat in Gallicâ gente populorum; quod ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet imperium*. Ita Trebell. Nec aliter Victor vulgaris; *Caſſius Latienus Poſtumus in Galliâ, Gallieni filio interfecto, Imperator effectus eſt*. ſtatimque filium ſuum item Poſtumum Cæſarem appellavit. ut in hoc Trebellius.

7. Ita Poſtumus Gallorum omnium Legionumque conſenſu, *primus omnium*, ait Victor Schotti, nempe poſt Ingenuum) *imperium ereptum ierat*, *exploſâ Germanorum multitudine*. Quod quid ſit, ſequitur ut dicam. In hoc ſuo Imperio Poſtumus, decennali quidem toto; ſed in Præfecti Rhenani munere triennali dumtaxat; in Auguſti dignitate ſeptennali; ab anno Chriſti vulgari 258. exeunte, ad 268. exeuntem; duo maxima geſſit; *Vir*, ut in eo Trebellius, *in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vitâ gravis*. Primùm, Germanicas omnes gentes, quæ Rhenum irruperant, expulit, ſeu ut Victor Schotti, *exploſit*. eos omnes & hic Victor, & Oroſius lib. 7. cap. 22. enumerant, cùm aliis multis nihil ad Belgium noſtrum adeò ſpectatoribus; Victori dicuntur, *Alemannorum vis Italiam, Francorum gentes direptâ Galliâ Hiſpaniam, vaſtato Tarraconenſium oppido, occupaſſe; unò nactis in tempore navigiis, in Africam uſque, quadam ſui parte penetraſſe*, &c. *Ita quaſi ventis undiq; ſævientibus, parvis maxima, ima ſummis miſcuiſſe. etiam civiles motus longe atrociores orti*. Idem totidem ferè verbis habet Eutropius libro 9. & denique Oroſius lib. 7. cap. 22. qui ſimiliter *Allemannos Gallias pervagatos, in Italiam tranſiſſe Germanos item ulteriores*, id eſt Francos interiora Rheni incolentes, *abraſâ potitos Hiſpaniâ ſcribit*, additque: *ex quibus nos quoque in Hiſpaniâ Tarraconem noſtram, ad conſolationē miſeriæ recentis oſtendimus*.

8. Quamdiu verò ea ſteterit vaſtatio, idem Oroſius ejuſdem libri 7. cap. 41. agens de Vandalis eorumque ſociis, Hiſpaniarum ævo ſuo populatoribus, *Hos nunc patiuntur Hiſpaniæ, per biennium*, ait, *quod etiam ſub Imperatore Gallieno, per annos prope duodecim, Germanis evertentibus exceperunt*. Anni iſti *propemodum duodecim*, ſi a primâ Poſtumi ad Rhenum præfecturâ, anno Chriſti vulgari 257. exeunte, aut 258. ineunte, initâ, advocantur, in annum ejuſdem Chriſti 269. deſinunt, Tetrico adhuc imperante; ante Aureliani imperium inchoatum ſecundo, ante ejuſdem in Gallias adventum ferè quinto. Atqui *Francos* iſtos ſeu *Germanos ulteriores* Galliæ & Hiſpaniæ populatores, non à Tetrico, ſed ab Aureliano Galliis Hiſpaniiſque demotos diſertè ſcribit Victor Schotti; cùm illum primò *Alemannos Italiâ; tum Germanos quoque Galliâ demoviſſe, demq; Tetrici legiones, proditore ipſo Tetrico, ceciſſe tradit*. Quod in annum Chriſti 273. referendum præter præcedentia & ſequentia, etiam ſpecioſiſſimus Aureliani triumphus pulchrè à Vopiſco deſcriptus evincit, eo anno vel ſequenti ductus. In quo omnium penè gentium captivos ductos ille refert, ſpeciatim ex Occidente noſtro, *Gothos, Sarmatas, Vandalos* (qui tunc circa Bohemiam) *Francos, Suevos, Germanos; qui omnes religatis manibus præceſſerint*. Ab eo igitur triumphi illius anno Chriſti 273. vel 274. reducti ſurſum *anni propemodum duodecim, quibus Hiſpanias à Francis ſeu Germanis ulterioribus everſas* ſcribit Oroſius, in annum Chriſti ferè 261. vel 262. Poſtumi Auguſti primum aut ſecundum relabuntur; cum ſcilicet Germanos Poſtumus in Auguſtæo culmine jam firmatus, *exploſit*; ut Victor Schotti.

9. Francis aliiſque Barbaris exploſis Poſtumus, quo tutiùs ageret in poſterum, *nonnulla caſtra*, ſi non & urbes, *in ſolo barbarico, per 7. annos ædificavit, quæ nonniſi caſo Poſtumo barbari diripuerunt aut incenderunt*. ut notat Trebellius in Lolliano. Prorſus ut cum iis devictis fœdus & belli contra Gallienum ſocietatem iniiſſe videatur. Certè idem Trebellius in Gallienis cap. 7. ſcribit, *Poſtumum multis auxiliis Celticis*, ſeu Belgicis Gallicisve, *ac Francicis adjutum, in bellum* contra Gallienum *proceſſiſſe cum Victorino, cum quo imperium participaverat*: atque ita primùm *Gallias ab omnibus circumfluentibus barbaris validiſſimè vindicaſſe: indeq; nimium amorem erga Poſtumum*, addit idem Trebell. in eo, *omnium fuiſſe in Gallicâ gente populorum, quòd ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet imperium*. Unde Nummi ei percuſſi, cum inſcriptione, GERMANICUS MAXIMUS Atque hæc de Poſtumi in Barbaros geſtis.

Ex Zonara & Zoſimo.

Ejus facti varia judicia.

Germanos è Galliis expellit Poſtumus.

Qui etiam Hiſpanias vaſtant, annos fere duodecim.

Geſta eorum in terra Francorum trans Rhenum.

Bellum contra Gallienũ gerit.

10. Alterum a Poſtumo geſtum, eſt Bellum cum Gallieno, ejúsve Ducibus. Quod quia à Trebellio aliisque confusè ſuccinctéque narratur, illud ex Zonarâ, qui diſtinctiùs narrat, hic exſcribam. *Gallienus bello contra Poſtumum filii ſui interfectorem & rebellem ſuſcepto, primo congreſſu victus eſt. Deinde Tyrannum in fugam conjectum, Aureolum perſequi jubet.* juncto tamen *Claudio poſtea Imperatore principe generis Conſtantii Cæſaris noſtri*, ait Trebellius in Gallienis; per Conſtantium Conſtantini Magni patrem intelligens. *Aureolus Poſtumum aſſequi poterat; ſed diutiùs perſequi nolens, cauſatus eſt, ſe eum adipiſci non poſſe. Quare Poſtumum ſic elapſum, & copias reparantem, Gallienus rurſum adortus, in quoddam Galliæ oppidum compulſum obſedit: ſagittáque in dorſo ictus, ob vulneris dolorem obſidionem ſolvit.* Nec plura de hoc bello Zonaras. Quædam addit Trebellius in Gallienis, ſed ut dixi confusè. *Cùm urbem*, ait, *in quâ erat Poſtumus obſidere cœpiſſet, decernentibus* (pro Poſtumo ſcilicet) *Gallis, Gallienus muros circumiens, ſagittâ ictus eſt*, &c. Mox: *His coactus malis Gallienus, pacem cum Aureolo facit, oppugnandi Poſtumi ſtudio. Longóque bello tracto, per diverſas obſidiones ac prælia, rem modò feliciter, modò infeliciter geſſit.* Paulò inferiùs, *Gallieno jam & Fauſtino Conſulibus*, ſeu anno Chriſti Dionyſiano 262. *Victrix Gallieni pars fuit, pluribus præliis eventuum ratione, ſeu variatione decurſis.* Inde Decennalia ſua celebravit, anno utique Chriſti 263. *ut populum Romanum eludere ſe poſſe ratus; ſed ut erant Romanorum facetiæ, alius Poſtumo favebat, alius Aureolo, alius Æmyliano, alius Saturnino, qui tunc imperare dicebatur.* Addit denique in Salonino Gallieno finiente, idem Trebellius: *Conſtat poſt Decennalia Gothos ab Gallieno victos cum Aureolo initam eſſe concordiam; pugnatum* adhuc *contra Poſtumum*, imò & Lollianum. Ita Trebellius ſine ordine.

Quo Gallienus ſagittâ ictus.

Aliàs plerumque victor.

11. Ceterùm quod Trebellius in Gallienis ait, *Victricem Gallieni partem fuiſſe, pluribus præliis eventuum variatione decurſis*; rurſum in Victorino tyranno confirmat: *Poſtumus cùm videret multis ſe Gallieni viribus peti; atque auxilium non ſolum militum, verùm etiam alterius principis neceſſarium, Victorinum militaris induſtriæ virum in participatum vocavit Imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Cumq; adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis diu bella traxiſſent, victi ſunt.* Plurium igitur annorum fuit iſtud bellum. Neque tamen adeò victus eſt Poſtumus, ut ſe Gallieno ſubmiſerit. Imò ſi Zoſimo fides, Gallienus è Galliâ contra Scythas Gothósve movens, Aureolum copiarum omnium equeſtrium ducem, ad urbem *Mediolanum Poſtumi tranſitum in Italiam obſervare juſſit.* adeò Poſtumum adhuc timebat, ut etiam in Italiam ſe abſente irrupturum putaret. Igitur Poſtumus adhuc validus, ſi diutiùs ſuperſtes eſſe potuiſſet, non dubium quin victor evaſiſſet.

Eóque Victorinum ſibi collegam aſſumit Poſtumus.

Nihilominus à ſuis cæſus.

12. *Sed* (ut in eo Trebellius) *cùm ſe graviſſimè regeret, more illo quo Galli novarum rerum ſunt cupidi, Lolliano agente interemptus eſt.*] Eutropius *ſeditione militum interfectum ſcribit, quòd Moguntiacum, quæ adverſum eum rebellaverat, Lolliano res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluiſſet.*] Rebellaverat ſcilicet in Poſtumum iſte Lollianus, dictus à Gallis rerum novarum cupidis Imperator, apud Moguntiacum, ut Victor vulg. & Moguntiacum etiam in eamdem rebellionem impulerat. Nam ita Victor Schotti: *Poſtumus Lolliani bello excipitur. quo non minùs feliciter fuſo, ſuorum tumultu perit: quod flagitantibus Moguntiacorum direptiones, quia Lollianum juverant, abnuiſſet.*] Habebat Poſtumus è *Junia Donata Auguſta* (ut nummi apud Occonem) filium *C. Junium Caſſium, Poſtumum*, quem Cæſarem primùm mox etiam Auguſtum, & Principem juventutis appellaverat. *Hic igitur* (ait in eo Trebellius) *cum patre interfectus eſt, cùm Lollianus in locum Poſtumii ſubrogatus, delatum ſibi a Gallis ſumpſiſſet imperium. Fuit autem ita in declamationibus diſertus, ut ejus controverſiæ Quintiliano inſertæ dicantur: quem declamatorem Romani generis acutiſſimum, vel unius capitis lectio primâ ſtatim fronte demonſtrat.*] Ita ſcilicet eum pater ad omnem Imperatoriam dignitatem efformabat.

Quamdiu imperaverit.

13. Atque hic fuit Poſtumi finis, poſtquam *per annos ſeptem Gallias inſtauraſſet, dum Gallienus luxuriæ & Popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris* (Pipæ) *conſeneſceret.* Trebell. Ineunte anno Chriſti vulgari 267. Tribunitiæ ſuæ poteſtatis, ſeu Imperii exeunte 7. cùm *Conſul quartùm* apud Gallos diceretur, ut fidẽ faciunt Nummi. Nec malè Eutropius & Oroſius annos ei decem indulgent, addito ſcilicet ad ſeptimam Tribunitiam ejus poteſtatem triennio, quo Galliæ Præſes, Tranſrhenanique limitis dux fuit. Mortuum inter Divos relatum exhibent Nummi: quorum unus inſcribitur, DIVO POSTUMO. alter Goltzii, POSTUMUS DIVUS PATER. tertius COS. IV. ÆTERNITAS AUG cum figura Herculis ſertum ei imponentis. Nec deſunt, qui Deos ejus Tutelares amicósve nobis prodant: JOVI STATORI. JOVI PROPUGNATORI. APOLLO SALUTARIS: credo ob peſtem tum fœdè graſſantem. SERAPI COMITI AUG. NEPTUNO REDUCI, cum figurâ ſtante, dexterâ delphinum, ſiniſtrâ tridentem tenente. quod ſcilicet à bello navali rediiſſet. MINERV. FAUTR. HERCULI ARGIVO; aliàs PACIFERO, credo pace cum Francis & Germanis aliis contra Gallienum & Aureolum initâ. HERCULES DEUSONIENSIS: qui ſcilicet in opido Francorum Deuſone (cujus meminit in Chronico Hieronymus) colebatur, ut Nummi quidam cum Templo exhibent: & in quo veriſimiliter fœdus cum Frãcis percuſſit. Eſt Deuſo, Germanicè *Deutſch*, ſeu *Teutſch*, hodie *Duitz*, ſeu *Tuitz*, & Latinè *Tuitium* in ripa Rheni Germanicâ, è regione Coloniæ Agrippinæ: vel ut alii malunt *Duisburgum* Cliviæ, paulò inferiùs. Ita Gentilis & Idololatra Poſtumus extiterit; an in Chriſtianos concitatior, non lego; non credo; quia plus ſatis & Barbarorum, & Gallieni bellis, & tot ſuorum inſidiis occupatus.

Varii ejus Nummi.

Qui in Belgio plurimi.

Ammiani tredecim priores libri perditi.

14. Ceterùm ſi priores tredecim Ammiani Marcellini libros ſuperſtites haberemus, longè plura de Poſtumo, Tetrico & ceteris Imperatoribus repræſentaremus: nec cum jejunis iſtis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus adeò jejunare cogeremur. Saltem ordinatiorem minimeq́ue hiantem rerum ſeriem daremus. Nam Ammianus ipſe teſtatur, *Se à principatu Cæſaris Nervæ exorſum* (ubi ſcilicet deſierat Tacitus) *aduſque Valentis interitum*, annorum facilè 277. hiſtoriam, *pro virium explicaſſe menſurâ.* Quanta jactura! Quod hujus libri ſexti capite primo finiente, §. 3. fin. monere oblitus, hic moneo.

CAPUT

CAPUT XI.

CHROCI Alemannorum Regis in Gallias irruptio, & interitus.

Anno Chriſti fere 260.

Chroci in Gallias irruptio cum aliis Alemannis.

1. INTER variarum gentium in Gallias noſtras irruptiones, unam ex Eutropio ſpeciatim audivimus *Alemannorum, qui Galliam pervagati in Italiam* quoque *tranſierunt*. ſed id in genere tantùm. Illam particularius Gregorius Turonenſis hiſtor. Franc. libro 1. cap. 32. tangit. *Valeriani Gallienique tempore Chrocus Alemannorum Rex, commoto exercitu, Gallias pervagatus eſt, multa vir arrogantia. Hic cùm nonnulla iniquè geſſiſſet; per conſilium, ut aiunt, matris iniqua, collectâ Alemannorum gente, Gallias pervagatur. cunctáſque ædes, quæ antiquitus fuerant, à fundamentis ſubvertit. Veniens verò Arvernos, delubrum illud, quod Gallicâ linguâ Vaſſo Galatæ vocant, incendit, diruit, atque ſubvertit. Miro enim opere factum fuit atque firmatum: cujus paries duplex erat. Ab intus enim de minuto lapide; à foris verò quadris ſcalptis fabricatum fuit. Habuit enim paries ille craſſitudine, pedes triginta. Intrinſecùs verò marmore ac muſivo variatum erat. Pavimentum quoque ædis marmore ſtratum; deſuper verò plumbo tectum.* Ita ille cap. 32. Plura addit capite 34. quæ ſubdam, ſi prius Aimoinum hic libro tertio cap. 1. protulero: licèt in tempore diſſentiat: quod Gregorius antiquior certiùs tradit.

Fuſior de eo Aimoini narratio.

2. *Cùm gens Vandalorum, junctis ſibi Suevis & Alemanis, Gallias depopulatum ire deſtinaviſſet*; Chroco Rege ipſorum à Matre ſuâ quærenti, Quid faciendo, Magni nomen obtineret? illa, Si, inquit, famoſus in orbe eſſe cupis, magnarum ædificia ædium à majoribus extructa deſtrue; egregiaſque urbes deſtruẽs eorum incolas gladio extingue; Neque enim meliora prioribus potes condere habitacula; aut bellando nominis tui gloriam amplius propagare. Cujus ille reſponſis non ſegnis executor extitit; ac ſi divino oraculo, non hominis voce dictum fuiſſet.

Mogūtiam delet.

Nam apud Maguntiam ponte Rhenum tranſiens, primò ipſam urbem miſerabiliter delevit. Ac demum curſum itineris ad Metenſem urbem deflexit. Cujus muri nocte, quæ diem adventus ejus præcedebat, divino nutu ſponte ruentes, viam irrupturis aperuerunt. Incertum, utrum hanc divina dignatio flagitioſis & impœnitentibus inveserit calamitatem civibus; an fortè ut infandiſſimi homicidæ juſta accelerаretur perditio. quò cæleſtia autumans opitulari ſibi ſuffragia, eò contenderit, ubi nefandi auſûs merita lueret ſupplicia.

Metenſes item & Treviros.

Civibus denique Metenſibus uſque ad internecionem penè peſſumdatis, *Treviros properat. Trevirici arenis civitatis* (in Amphitheatro opinor) *præſidio locato, conatibus ejus reſtiterunt. Chrocus Treviris infecto negotio verſus Arelatum receſſit*, credo & ipſe in Italiam tranſiturus. Ita Aimonius Belgicam tangens.

Privatum Gabalitanū Epiſcopum martyrio afficit.

3. Pergit Turonenſis ſuprà cap. 32. Irruentibus Allemannis, Privatus Gabalitanæ urbis Epiſcopus, in cryptâ Memmatenſis montis, ubi jejuniis orationibúſque vacabat, reperitur, populi Gredonenſis caſtri munitione concluſus. Scò dum oves ſuas lupis tradere bonus paſtor non conſentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod ſpurcum ille tam execrans quàm reſutans, tamdiu fuſtibus cæditur, quoadúſque putaretur exanimis. Sed ex ipsâ quaſſatione, interpoſitis paucis diebus, ſpiritum exhalavit. Iſta narro, ut ſimilia Chrocum Metis ac Triviris in Belgica primâ, fortè & aliis Belgii noſtri partibus patraſſe, conjecturam aliquam Lectori injiciam non improbabilem. quando plures cum civitates adiiſſe non dubium.

Tandem ipſe Arelati cæditur.

4. Tandem cùm *Arelatum* advenisset, in Italiam probabiliter, ut dixi, tendens; *urbemq́ue expugnare niteretur*, ait Aimoinus, *à quodam milite, Mario nomine, captus, per civitates quas everterat ductus, pœnis excruciatus interiit.* aut ut Gregorius ait, *diverſis affectus ſuppliciis, gladio verberatus interiit. non immeritò pœnas, quas Sanctis Dei intulerat, luens.* Sunt qui dicant, ei caput, Mariani Præſidis juſſu, præciſum.

CAPUT XII.

Belgica ſub Lolliano, Mario, Victoriâ, Tetrico in Galliâ regnantibus. Imperante Romæ Claudio & Aureliano.

Ab anno Chriſti vulgari 268. ad 274.

Lollianus cum Victorino Gallus imperat.

1. POſtumo Galliæ Reſtitutore à ſuis cæſo, geminos ſimul Imperatores habuit Gallia, Victorinum Poſtumi collegam, & rebellem LOLLIANUM. Et *Lollianus* quidem, ait in eo Trebellius, *etiam fortiſſimus, non nihilum Reip. profuit. Nam pleraſque Galliæ civitates, nonnulla etiam caſtra, quæ Poſtumius per ſeptem annos in ſolo barbarico ædificaverat; quæq́ue, interfecto Poſtumio, ſubitâ irruptione Germanorum, & direpta fuerant & incenſa, in ſtatum veterem reformavit. Sed cùm rebellionis initium, minoremq́ue apud Gallos authoritatem de ſuis viribus teneret; in labore quoque nimius eſſet, à ſuis militibus occiſus eſt.* ut Trebell. in eo.

Mox à ſuis cæſus.

Pro Lolliano, malè in Epitome Victoris legitur *Ælianus*, peiùs in Oroſio *Æmylianus*: *Æmylianus, ait, apud Maguntiacum cùm res novas moliretur, oppreſſus eſt.* Scio Æmylianum quoque tunc Tyrannum extitiſſe; ſed in Ægypto, non Galliâ. Paucos menſes tyrannidem tenuiſſe, innuit, idem in fine Salonini Trebellius. *ubi vivente adhuc Gallieno, contra Poſtumum, contra Lollianum pugnatum conſtare* ſcribit. Rurſum in Claudio cap. 4. notat Claudii exordio, Victoriam & Tetricum jam Gallias tenuiſſe. Hinc Lolliani pauciora reperiuntur Numiſmata. quorum uno hæc præfertur inſcriptio: C. SP. SERVIL. LOLLIANUS. P. F. AUG. FIDES MILITUM, EXERCITUS GALL.

Sicut & Victorinus.

2. *Interfecto Lolliano*, pergit in eo Trebellius, *ſolus Victorinus in imperio remanſit. Qui & ipſe, quòd matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret; à quodam actuario* (Attitianum vocat Victor Schotti) *cujus uxorem ſtupraverat, compoſitâ*

Mox & ipſe, à ſuis cæſus.

Ob nimiam libidinem.

Trebellius in 30. tyrannis.

factione Agrippinæ percuſſus. De quo ita Julius Aterianus: Victorino, qui Gallias poſt Junium Poſtumum rexit, neminem exiſtimo præferendum: non in virtute Trajanum, non Antoninum in clementiâ, non in gravitate Nervam, non in gubernando ærario Veſpaſianum, non in cenſurâ totius vitæ ac ſeveritate militari Pertinacem vel Severum. Sed omnia hæc libido & cupiditas mulierariæ voluptatis ſic perdidit, ut nemo auderet virtutes ejus in literas mittere, quem conſtat omnium judicio meruiſſe puniri.] *Victorinus porro filius Victoriæ, quæ mater Caſtrorum dicta eſt, à patre & ab avia, ſub eadem hora qua Victorinus apud Agrippinam interemptus, Cæſar nuncupatus eſt; ac ſtatim puerulus à militibus ita occiſus. Extant ſepulchra juxta Agrippinam, brevi marmore impreſſa, cum Inſcriptione, Hic duo Victorini tyranni ſiti ſunt.* Trebell.] Addit Eutropius, *Occiſum Victorinum imperii ſui anno ſecundo.* Similiter & Victor Schotti: *Victorinus, ait, belli ſcientia Poſtumo par fuit; ſed libidine præcipiti. qua cohibita in exordio, poſt biennii imperium conſtupratis vi pleriſque, ubi Attitiani Actuarii conjugem concupivit, facinuſque ab ea viro patefactum eſt, accenſis furtim militibus per ſeditionem Agrippinæ occiditur.*] Si biennium dumtaxat Victorinus imperavit; & imperare cum Poſtumo cœpit, cum quo & adverſus Gallienum Aureolumque conflixit: & tamen Lolliano ſuperfuit: planè annis Chriſti 266. & 267. imperaverit: adeóque ante Gallienum quoque interierit: nam Claudii primordiis Victoria jam Tetricusque ſucceſſerant. ut ſuprà ex Trebellio, Claudii c. 4. viſum. Ita Galliæ noſtræ terna hoc anno 267. Principum funera viderint, Poſtumi quidem ineunte, Lolliani medio, Victorini extremo. Hujus pluſculos nummos habet Occo: in quorum uno dicitur INVICTUS cum Solis vel Apollinis typo. in altero, PAX AUG. Filius quoque ejus L. AUR. VICTORINUS CÆS. PRINC. JUVENT. inſcribitur.

Trebell. in Mario.

Marius imperat in Galliis, vix triduo.

Ejus generoſa in Gallienum Oratio.

3. Pergit Trebellius: *Victorino, Lolliano, & Poſtumo interemptis, MARIVS ex fabro, ut dicitur, ferrario, triduo tantum imperavit, ut dici poſſe videatur, quòd unâ die factus ſit Imperator, altâ viſus imperare, tertiâ interemptus.*] Lolliano tamen ante Victorinum, hunc Marium immediatè ſubjungunt Victor Schotti, Eutropius, & Oroſius: credo quia ab Lolliani exercitu ſuffectus, cùm Victorinus à Poſtumianis adhuc agnoſceretur. eum *ſecūdo imperii die peremptum* vult Eutropius; Victor Schotti *poſt biduum*, addens *non ſatis militia clarum.* cùm tamen Trebellius eum valdè laudet. *Vir*, inquit, *ſtrenuus fuit, ac militaribus uſque ad imperium gradibus evectus.* Sanè hæc fuerunt ejus generoſa pro concione verba: *Scio, commilitones, poſſe mihi objici artem priſtinam, cujus mihi omnes teſtes eſtis. Sed dicat quiſque quod vult; utinam ſemper ferrum exerceam! Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus,* (ergo, Marius adhuc Gallieno vivo creatus Imperator) *indignus patre ſuo, & ſui generis nobilitate, depereat! Ars mihi objiciatur ferraria; dum me & extera gentes ferrum attrectaſſe ſuis cladibus recognoſcant in Italia. Denique ut omnis Alemannia, omniſq; Germania cum cæteris quæ adjacent gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem: ut ſpeciatim in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogiteris velim, feciſſe vos principem, qui numquam quidquam ſcierit tractare, niſi ferrum. Quod idcirco dico, quia ſcio mihi à luxurioſiſſimâ illa peſte* (Gallieno) *nihil opponi poſſe niſi hoc, quod gladiorum armorumq; artifex fuerim.* Quid pro ferrario generoſiùs? *Occiſus eſt à quodam milite, qui cùm ejus quondam operarius in fabrili officinâ fuiſſet, contemptus eſt ab eodem, vel cùm duxiſſet* (copias ſcilicet) *vel cum imperium cepiſſet. Addidiſſe hæc verba dicitur interemptor, Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.* Trebell. Nec deeſt in Occone hujus unus atque alter nummus.

Victorina Tetricum ad Imperium evehit.

dicta Mater Caſtrorum.

4. *Victoria* inde, ſeu *Victorina*, Victorini ſenioris mater, junioris avia; *ubi filium ac nepotem à militibus vidit occiſos;* (pergit rurſum in eâ Trebellius) *Poſtumium, deinde Lollianum, Marium etiam, quem principem milites nuncuparunt, interemptos; TETRICVM ad imperium hortata eſt, ut virile ſemper facinus auderet. Inſignita prætereà eſt hoc titulo, ut CASTRORVM ſe diceret MATREM. Cuſi ſunt ejus nummi ærei, aurei, & argentei, quorum hodieque forma extat apud Treviros.* extant etiamnum apud Occonem. *Quæ quidem non diutius vixit: nam Tetrico imperante, ut pleriquè loquuntur occiſa; ut alii aſſerunt, fatali neceſſitate conſumpta.* Ita Trebell. Qui rurſum in Tetrico: *Interfecto Victorino & ejus filio, mater ejus Victoria ſive Victorina Tetricum Senatorem populi Romani, præſidatum in Galliâ regentem, ad imperium hortata, quòd ejus erat (ut pleriquè loquuntur) affinis, Auguſtum appellari fecit; filiumquè ejus Cæſarem nuncupavit: cùm illa MATER CASTRORVM ab exercitu nuncupata eſſet.*] Victor Schotti: *Victoria, amiſſo Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, TETRICVM Imp. facit: qui familiâ nobili, præſidatu Aquitanos tuebatur: filióque ejus Tetrico Cæſarea inſignia impartiuntur.*] Hæc Victor. Eutropius: *TETRICVS Senator, Aquitaniam honore Præſidis adminiſtrans, abſens à militibus Imperator electus eſt: & apud Burdegalam purpuram ſumpſit.*

Uterque adhuc vivo Gallieno.

Omnes iſti in Galliis Romani nominis aſſertores.

5. Tetricum porro adhuc vivo Gallieno creatum, ex Claudio Trebellii diſcimus; in cujus ſcilicet creatione ab Senatu acclamatum refert, *Claudi Auguſte, tu nos ab Aureolo, à Zenobiâ, & à Victoria libera, Tetricus nihil fecit.* & ipſe Claudius in ſuâ ad ſenatum Epiſtolâ, *Gallias*, inquit, *& Hiſpanias, vires Reip. Tetricus tenet.* Ita poſterioribus octo Gallieni annis, quinque Auguſtos Imperatores, Cæſares duos, Gallia ſibi impoſuit. imò omnes (exceptis Poſtumis) uno non multò ampliùs anno fecit conteritque. De quibus rectè Trebellius: *Ita Gallieno perdente Remp. in Galliâ primùm Poſtumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, poſtremò Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) aſſertores Romani nominis extiterunt. Quos omnes datos divinitus credo; ne cùm illa peſtis* (Gallienus) *inaudita luxuria impediretur malis, poſſidendi Romanum ſolum, Germanis daretur facultas. qui ſi eo genere tunc evaſiſſent, quo Gothi & Perſæ, conſentientibus in Romano ſolo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum eſſet imperium.*

Duo paria Conſulum in Annalibus expuncta.

6. Porrò Tetrico Gallis imperante, Gallienus apud Mediolanum cæſus eſt; anno Imperii quintodecimo, qui eſt Æræ noſtræ vulgaris, ſeu Dionyſianæ, quâ hodie paſſim utimur 268. & quidem ante *nonum Kalendas Apriles, quo Romæ nunciatum, Claudium Imperatorem factum.* ſi Trebellio fides. Anno à capto patre Valeriano, ut Eutropius, nono. Quare cùm Victoris epitome tradit, *Gallienum regnaſſe cùm patre annos ſeptem, ſolum octo*; ſeptem inchoatos, octo completos, & labentem jam nonum intelligit.

7. Ceterum quod in noſtro ad Victorium commentario aliquoties monui, parcat Lector, ſi

hic

hîc ex Gallieni occaſione repeto. Sub illius enim ſolius imperio, duo Conſulum paria ſeu Collegia in Annalibus expunguntur, nempe Æmylianus & Baſſus iterum, anno Chriſti vulgari 259. Rurſus Sæcularis & Donatus anno Chriſti 260. Hac ſolâ nempe ratione, ut qui biennio citiùs quàm Æra Dionyſiana cœperant Annales, biennio ſucciſo, paria deinceps cum illâ facere poſſent. Quod num bono exemplo fiat, judicet Lector. quando non Æram ex Annalibus, ſed Annales ex Æra corrigendos, nemo non videt. qui ſi biennio tardiùs iniiſſent, Æram ab initio ad finem numquam prævertiſſent. Aut Æras iſtas à ſe diſſentire, fatendum erat. Quod nos ingenuè vereque faſſi ſumus. Ne nobis idem quod illis acciderer; primùm, ut inter Decii Imp. exceſſum, & Diocletiani initium annos non niſi 31. numerare, cum omnino 33. interfluant: ſecundùm ne in Faſtorum Cunſularium & Imperatorum annis intermediis turbationem tanto majorem cum illis admittere cogeremur.

Non ſine turbatione temporis.

CAPUT XIII.

FRANCORVM origo, & ſociæ gentes variæ.

Nova populorum genera vel nomina trans Rhenum exorta.

1. NOn parvâ conſideratione dignum eſt, quod à Caracallâ ad Valerianum Gallienumque, annorum intervallo vix majore quàm quadraginta, duo populorum genera, aut potius nomina nova ad Rhenum in ſolo barbarico exorta ſint, Galliis omnibus, Belgicæ præſertim noſtræ funeſtiſſima. & unum adhuc tertium poſt annos paucos. magnam rerum mutationem jam tum parante Dei providentiâ. Non quievere poſthâc certè, donec pertinacibus ſæpeque repetitis irruptionibus Rhenanum Imperii limitem pervaderent, Romanos Galliis exigerent, & in earum medio, ſoloque fertiliſſimo ſedes figerent, nova regna ad nos uſque ſtabilirent: Vandalorum etiam, Alanorum, Gothorum, ſimiliumque barbarorum eluvie, non modò non repreſſi, ſed in commodum ſuum ſolertiùs uſi.

2. Ternos iſtos populos, non tam gente quàm nomine hactenus ignotos, Rhenus ab Alpibus in Oceanum decurrens, à Galliâ diſpeſcebat. & Rheno quidem Galliam adverſus eos tutari ſe poſſe Romani crediderant: neque ſegniter ſæculis jam aliquot tutati fuerant. donec rerum omnium vorax tempus, & à cœlo ſtatuta certa dierum menſura, Reſpublicas diu florentes ſubverteret, novas earum loco ſubſtitueret. Primùm igitur ad Rheni ferè, planeque Danubii fontes, Caracallæ imperio, ſub annum Chriſti vulgarem ferè quintumdecimum ſupra ducenteſimum, *Alemanni*, ex Suevis antiquis eorumque portione reliquâ qualicumque, finitimis item aliis gentibus compoſiti, ut novum ſibi nomen, ita & novam Remp. in Romani nominis perniciem erexerunt. De quibus quia ſupra in Caracallâ ſatis dixi, nihil hîc repeto. Abs Alpibus illi & Danubii fontibus, ad Mœnum in Septemtrionem, imò & ad Lonam amnes uſque ſe porrexere.

Primùm Alemanni.

3. Ab Lonâ in eumdem Boream, ad inferiorem Rhenum ipſumque Oceanum, FRANCI, inclyta poſtmodum gens ſubîtæque expeditionis, eoque novi & illuſtris in Galliâ Regni conditrix. Poſt Francos procul adhuc in Septentrionem, non Rhenum dumtaxat & Viſurgim, ſed & Albim ultra in ipſo Cimbricæ Cherſoneſi limine, SAXONES, jam inde à Ptolemæi Geographi ævo, annis à Tacito noſtro vix 40. jam olim ſequebantur. donec Francorum æmuli, & Auſtraliorum regionum cupidi, eoque paulatim Albim, Viſurgim, Amiſiamque è primis illis ſedibus, per ipſam Oceani oram tranſgreſſi; ad Friſios uſque, dexteram jam Rheni ripam accolentes, imò & Francis adjunctos, pervenerunt: Belgicam mari infeſtarunt, ut in tempore reddam. & tunc Lector Hieronymum in vitâ Hilarionis clarè intelliget, *Inter Saxones & Alemanos gens eſt non tam lata quàm valida; apud Hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur.*

Tum FRANCI.

Poſtremò annis inde aliquot Saxones.

4. Francorum nomen ſub Valeriano & Gallieno, ſub Poſtumo item maximè innotuit; ut ex eorum vitis patet. Vopiſcus tamen in Aureliano, vicenis priùs annis cœpiſſe ſignificat, cùm ſcribit; *Aurelianus apud Moguntiam Tribunus Legionis ſextæ Gallicanæ* (nondum ergo Imperator) *Francos irruenter, cùm per totam Galliam vagarentur, ſic afflixit, ut ſeptingentis interemptis, trecentos ex his captos ſub coronâ vendiderit.* Id ſub Alexandro Mammææ filio factum, Herodianus libro ſexto finiente ſubinnuit, ſcribens: *veniſſe in Syriam ex Illyrico nuntios, Germanos Rhenum Danubiumque tranſgreſſos, Romanos in fines hoſtiliter intraſſe, oppugnaréque jam exercitus ripis inſidentes, perque urbes & vicos magnis copiis excurrere.* factum id anno Chriſti ſere 34. & mortuus eſt Aurelianus anno Chriſti 275. ætatis anno 75. ut disertè Chronicon Alexandrinum. De 275. annis tolle 75. reliquus erit annus Chriſti 200. Anno inde 234. Francos ad Moguntiam cecidit, ut dixi: anno igitur vitæ ſuæ ferè 35. quæ eſt ætas ad Tribunatum commodiſſima. Igitur eo jam anno Francicum nomen clareſcebat, annis poſt Alemanicum vix 20. ante Saxonicum ſub Maximiano Herculio & Carauſio Tyranno, vix 52. ut ibi fuſiùs. Ita vides trium iſtorum populorum nomina non procul à ſe invicem orta. Inter Saxonas igitur tunc Rheno vicinos, & Alemanos Franci rectè incolebant: treſque iſtæ gentes Gallias certatim infeſtabant.

Quando Francorum nomen invaluit.

5. Quamvis autem Francorum in genere nomen novum tunc eſſet, populis tamen conſtabat, ſuo ſigillatim proprio priſcoque nomine probè cognitis: Puta *Friſiis*, *Sicambris*, de quibus plura jam antè, *Vſipiis*, *Tencteris*, *Salus*, *Hattuariis*, *Chamavis*, *Bructeris*: quos à *Chamavis* ſub ipſa Trajani exordia ſedibus ſuis magis in Meridiem expulſos, è Tacito memoravi: omnibus iſtis ab Oceano ſurſum ad Lonam uſque fluvium Rheno ferè adſitis: Ab horum autem tergo, aliis inſuper in Orientem Boreamque mediterraneis ſeu interioribus: puta *Chattis*, *Cheruſcis*, *Chaucis*, *Amſuariis* ſeu *Anſibariis*, *Angrivariis*, & ſimilibus. Quorum tamen nonnulli, *Francorum* jam aſſumpto nomine generali, ſuum peculiare priſcum perdidiſſe, an neglexiſſe, videntur; ut *Vſipii*, *Tencteri*, *Tubantes*, *Dulgibini* & ſimiles adhuc Tacito memorati; majoribus fortè ac potentioribus immixti, vel abſorpti. Quæ mutatio adhuc major fuit crevitque, cùm jam Saxones loca iſta pervadentes, Cheruſcos, Chaucos, Angrivarios, Friſios & alios à Francis in Galliam jam tranſgreſſis aut adhuc tranſgredientibus, ad ſe nomen-

Ex quibus populis coaluerit.

ſque Saxonicum pertraxere. *Sicambrorum* quidem nomen, diu antequam Francorum naſceretur, *exciſum*, ex Taciti Annali 12. jam ſæpiùs antè monui. & tamen quia bellis ſub Auguſto tantopere celebrati, à Poëtis inſuper aliquot, Claudiano præſertim, Sidonio Apollinari, S. Remigio, quaſi vitæ redditi, Francorum populus ferè præcipuus à recentioribus habiti ſunt; uti nos prioribus huſce libris aliquoties monuimus. & erat eorum ſolum Franciciarum harum nationum quaſi centrum; tametſi aliâ gente jam inſeſſum.

Chamavi præcipue Franci.

6. Et gens, mihi quidem, *Chamavorum* maximè fuiſſe videtur, circa Lupiæ Rhenique confluxû adeò porrecta, ut Julianus Apoſtata ſuâ ad Athenienſes oratione dicat, frumentum è Britanniis per Rhenum convehi non potuiſſe, *Chamabis invitis*. ſe quòque cum eorum Rege in ripâ Rheni collocutum (quod & Eunapius, Ammianus, Zoſimuſque confirmant, & ego pluribus anno ſuo reddam. Ut igitur à Sicambris, tanquam ex parte eaque nobiliore tritum, Franci à quibuſdam orti dicuntur; ſic ego ut à Chamavis dicti videantur, vehementer ſuſpicor; vel ſolo illo Tabulæ Peutingerianæ teſtimonio: *Chamavi, qui & FRANCI Chauci, Amſuarii* &c. quaſi alii ibidem nominati populi, Bructeri, Cheruſci, & ſimiles, non tam propriè ſtrictèque Franci, quàm Chamavi. Unde Auſonius in Moſellâ, *Accedent vires, quas Francia quaſque Chamaves, Germaniquè tremant*. ſolos Franciæ Chamavos jungens, tanquam illius caput. Chamavis ad hæc viciniâ & animo junctos fuiſſe Salios, ex Ammiani libro 17. c. 17. diſcimus: *Julianus*, ait, *ex Lutetia hibernis, inſperatus petit primos omnium Francos, quos conſuetudo Salios appellavit: auſos olim* (nota *olim*) *in Romano ſolo apud Toxandriam locum* (ita ſcilicet latinè vertit Teſſenderloo) *habitacula ſibi figere prælicenter. Cui cùm Tungros veniſſet, occurrit Legatio prædictorum, pacem ſub hac lege prætendens, ut quieſcentes eos, tanquam in ſuis*, & quidem jam *olim ſuis*, *nec laceſſeret quiſquam nec vexaret. Hos legatos cùm muneratos abſolviſſet, dicto citiùs ſecutus, per ripam* (Demeræ fluvii, qui Tungros inter & *Teſſenderloo* interfluit an Rheni?) *ceu turbo perculſit: & precantes cum opibus liberiſque ſuſcepit. Chamavos itidem ſimilia auſos eâdem celeritate adortus, partim cecidit, partim acriter repugnantes viroſque captos compegit in vincula; alios ad ſua* trans Rhenum *abire permiſit*. Salios ecce Chamavoſque Julianus *primos omnium Francos*, non ſolùm quia Romanum jam ſolum occupabant, ſed quod etiam auctoritatis inter eos ex tot victoriis præcipuæ erant, aggreditur, vincit, & ceteros eo facto compeſcit.

Ex Tabulâ Peutinger.

Ex Auſonio.

Ex Juliani in eos Saliosque expeditione.

Primæ Saliorũ ſedes, circa Sallandt.

7. Horum porrò Saliorum Francorum prima ſedes ac regio, planè ad Iſalam fluvium extitit; ubi hodie *Sallandt* ſeu *Zallandt* in Tranſiſalaniâ; ubi item *Oldenſeel*, id eſt antiqui Salii. *Salik* item ad Lævam *Iſale* amnis ripam, *Hattem* inter & *Campen*. *Iſelburg* denique ad Iſalæ ſuperiora, in extremo ſu premòve Zutphaniæ Comitatu. Erant igitur Salii ad Salam, qui in Zuyderzee lacum ſeu mare influit. Unde in noſtris illis cum D. Comite Gomicurtio collationibus Bethunienſibus, nõ malè ſuſpicabamur, Salios hoſce & Friſios, Frãcos iſtos extitiſſe, qui annis ante Julianum pluſquã 70. pyraticam in mari noſtro Belgico, etiam ante Saxonas & cum iis Friſiiſq; apud Victorem Schotti Eutropiumque, contra Carauſium exercuerunt; quique etiam ſub Probo Imp. è Ponto navibus per Boſphorum & Helleſpontum; mariaquè Ægæum & Ionium, Siciliam, Africam, Carthaginem populati; per fretum Gaditanum, immenſo Hiſpaniarum Galliarumquè circuitu, in patriam Franciam ſalvi redierunt. Ita tamen ut cum Saliis illis arctiſſimè FRISII noſtri & novo Francorum nomine fœdereque, & maximè viciniâ maritimâ conjuncti, non defuerint. Eam enim cauſam veriſimilem, ſi non certam credebamus, cur FRANCORUM originem à Troianis nonnulli deducerent, tum quaſi à Phrygiis, Friſios aſſini cognatoque nomine referentibus; tum verò quod in iſta navigatione, dum minoris Aſiæ tranſcurrerent ac prædarentur oras, Troiam quoque ipſam iniiſſe ac in Franciam inde rediiſſe viderentur: quod ego ceu maximè arridens ſuggerebam & amplectebar. Ita Francorum hæc prima navalis & quaſi Argonautica expeditio, omnium fermè de Francorum origine fabularum fons eſſe videtur. Nam primò quia è Ponto, à viciniâ quoque palude Mæotide deducuntur. Secundò quia Troiam in reditu ſi non inierunt, proximè certè acceſſerunt; à Troianis advocantur: præſertim cùm Friſii noſtri Phrygiorum vocabulo affines, cum Phrygiis ſeu Troianis confunderentur. Tertiò quia è Mæotide & Ponto, quaſi per Iſtrum ſeu Danubium qui Ponto confunditur, per Pannonios intermedios rediiſſe fingebantur. Nos liquidiùs & veriùs, non aliam eorum originem agnoſcimus, quàm Germanicarum ad inferiora Rheni gentium, contra tantam Romanorum potentiam & dominandi libidinem, in unam Francici nominis teſſeram conſpirationem. Hos porrò Salios atque Friſios Francorum omnium maximè Boreales, Saxonum gens è Cimbrica Cherſoneſo, in Auſtrum progrediens, ceu primò occurrentes, primos quoque impetiit ſub Diocletiani Carauſiiq; imperium, ut ex Victore Eutropioque circa annum Chriſti 291. oſtendam.

Eorum cum Friſiis expeditiones maritimæ.

Indéque fabuloſæ Frãcorum origines.

Quaſi Friſii a Phrygiis ſeu Troianis.

Ad quos etiam mari acceſſerant.

Franci quaſi immunes, à verbo *Franq*.

8. Scio de Franciæ vocis etymo, varias eſſe ſententias. Binæ præ ceteris arrident; Aut à verbo *Franq*, antiquo eorum vocabulo, quod ab omni prorſus ſervitute ac tributis immune ſignificat, & ut de Batavis Tacitus ait, quos *nec tributa contemnunt, nec publicanus atterit* (Libro de Germ.) *exemptos oneribus & collationibus, & tantùm in uſum præliorum ſepoſitos, ac bellis reſervatos*. Aut ut Vendelinus noſter, verbo *Francus*, à voce Atvatica *Vrang*, quod eſt *Acerbum*, *Aſperum*, *Trux*, *Ferox*. Ob feritatem morum, ferocitatem animorum. quod etiam Iſidorus orig. libro 9. c. 2. notat. & Eumenii Panegyricus; dum *feritate Francorum velut hauſtam deſediſſe Bataviam* ſcribit. & alter Conſtantino dictus, *TRUCEM Francum* appellat. ſive nomen illud Chamavi ſibi primùm impoſuerint, & in alios vicinos transfuderint; ſive populi illi ſimul omnes in illud, ad hoſtes ſuos terrendos conſenſerint. Nec modò plura de Francorum origine; cetera è ſequentibus eluceſcent. Nunc poſt Friſios, Salios, & Chamavos, omnes Francos; de Hattuariis ſeu Chaſſuariis, & Bructeris ejuſdem gentis, Rheno ſimiliter uſque ad Lonam fluvium adſitis, pauca addenda.

Aut à voce *Vranck*. quæ eſt *Ferox* & *Trux*.

Vendel. in legibus Salicis.

Hattuarii Franci ubi ſiti. *de quibus etiam Strabo l. 7.*

9. *Attuarios* ſuprà libro 2. cap. 10. §. 6. audivimus è Velleio, à Tiberio jam adoptato (tanta ecce eorum antiquitas eſt) *ſubactos*, cum *Canninefatibus*, extremam ad Oceanum Bataviam incolentibus, & *Bructeris* primas tum adhuc ſedes obtinentibus.

Unde intelligimus, eos Caninefates inter & Bructeros, Rheno non procul, agitaſſe. Quod & Ammianus confirmat, cùm libro 20. cap. 25. Julianum Apoſtatam narrat, *in limitem Germaniæ ſecundæ egreſſum; Tricenſima oppido propinquaſſe: Rhenoque exinde tranſmiſſo, regionem ſubito pervaſiſſe Francorum, quos Attuarios vocant: inquietorum hominum, licentiùs etiam tum percurſantium extima Galliarum. Quos adortus ſubito, nihil metuentes hoſtile, nimiumque ſecuros; quòd ſcruposâ viarum difficultate arcente, nullos ad ſuos pagos intrâſſe meminerant Principem; facile ſuperavit; & orantibus pacem dedit.* erat Tricenſima oppidum ad Rhenum, paulò infra Noveſium, ut ex eodem Ammiano libri 18. initio videmus. ex illius igitur trans Rhenum oppoſito, degebant Attuarii iſti Franci, circa fontes rivulorum aliquot in Zutphaniæ Comitatum & Iſalam amnem, ex altiore ſcenopoſaque omnino terrâ decurrentium, circa oppidula Borken, Borkolt, Coeſuelt, Grollam, &c. Unde eoſdem Attuarios, cùm poſtmodum eis Rhenum ſe retuliſſent, circa fluviolum *Neers*, qui ad *Gennep*, Moſæ confunditur, incoluiſſe innuit Chronicon Lauriſſamenſe. Rhenum igitur & illi in ſolo Barbarico prætexebant, aut aliquo ſaltem ſoli ſui radio linguaque attingebant.

In Donatione Ansfridi Comitis Palatini ſub Loth. Imp.

Bructeri.

10. Supra Attuarios verſus Meridiem agebant Bructeri, itidem Franci, priſcis ſedibus ſuis ſub initia Trajani ab Chamavis Angrivariiſque adhuc tunc hoſtibus & nondum Francis, protruſi. quos Gregorius Turonenſis lib. 2. c. 9. cùm ab Arbogaſte Francorum gentili ex Agrippinæ urbe egreſſo, vaſtarentur, *ripæ proximos* appellat; *pago etiam, quem Chamavi tunc incolebant*, confines facit. Rheni ripæ ſcilicet dexteræ prætexebantur, quà ferè Ducatus Bergenſis extenditur, Iſenberg, & Weſtervvaldt uſque, quæ ſylvæ Hercyniæ pars eſt. juxta illud Claudiani in quarto Honorii Conſulatu, *Venit accola ſylvæ Bructerus Hercyniæ.*

11. Atque iſti ſunt Franci Rheno adſiti: Galliis ſemper infeſti. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus eum aut gelu duratum, aut navigiis junctum, Romanis præſertim diſcordibus alibive diſtentis, inrumperent; & à fortioribus iterum preſſi; in ſuum ſterile ſolum, nullius invidiâ curáve refugerent? Reliqui interiores, atque in ortum Boreámve remotiores, paulò rariùs & majoribus etiam copiis impetere cogebantur primum; donec profundente ſe reliquâ totâ barbarie, Saxonibus maximè juncti, Romanum in Gallia præſertim atque Britannia proculcarent & everterent Imperium. quod ſequens aperiet hiſtoria. ad quam redeo.

CAPUT XIV.

Tetrici in Galliis, & Aureliani Imperium: Conſtantini Magni annus locusq; natalis.

Ab anno Chriſti 268. ad 275.

Gallienus cæditur, anno Chriſti 268. Dion.

1. VIx Tetricus imperium in Galliâ capeſſiverat, cùm Gallienus, anno imperii quintodecimo, circa XII Kalendas Apriles anno Chriſti vulgari 268. occiditur. ſufficiturque in Italia CLAVDIVS; tantâ Senatus approbatione, ut nono Kalendas Aprilis, in Apollinis templo univerſus acclamaverit, *Claudi Auguſte, tu nos ab Aureolo, à Zenobia, & à Victoriâ libera: Tetricus nihil fecit*, Auctor in Claudio Trebell. Nunquam igitur Claudius in Galliis imperavit; Tetrico inibi rerum potiente. quod & ipſe in ſuâ ad Senatum fatetur Epiſtolâ: *Gallias & Hiſpanias: vires Reip. TETRICVS tenet, & omnes ſagittarios Zenobia poſſidet.* Atque hinc in Eumenii Panegyrico Flavienſium nomine qui Conſtantino dictus eſt, legimus, *Heduos ad Galliarum recuperationem primos Claudium ſollicitaſſe, expectanteſque ejus auxilium, ſeptem menſibus clauſos, & omnia inopia miſeranda perpeſſos, tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis* (Tetrici militibus) *portas reliquiſſe, cùm feſſi obſervare non poſſent.* Ita ibi.

Claudius ſuccedit Romæ.

Tetricus in Galliis.

2. Nec omittendum hic, quando ſub Tetrico Claudioque Imp. contigiſſe videtur, circa annum Chriſti 269. lepidum illud à Vopiſco relatum vaticiniæ Druidis oraculum, Diocletiano dictum, tunc adhuc adoleſcenti & privato, poſtmodum Imperatori in Chriſtianos acerbiſſimo. *Cum*, inquit, *Diocletianus apud TVNGROS in Galliâ, quadam in cauponâ moraretur, in minoribus adhuc locis militans; & cum Druide quadam muliere rationem convictûs ſui quotidiani faceret, atque illa diceret, Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es: joco non ſeriò Diocletianus reſpondiſſe fertur, Tunc ero largus, cum Imperator fuero. Poſt quod verbum Druias dixiſſe fertur, Diocletiane, jocari noli; nam Imperator eris, cùm Aprum occideris. Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperii cupiditatem; idque Maximiano* (poſt modum ejus in imperio collegâ) *conſcio, atque avo meo, cui hoc dictum à Druide ipſe retulerat. Denique, ut erat altus, eſſit & tacuit. Apros tamen in venationibus, ubi fuit facultas, manu ſuâ ſemper occidit. Denique cum Aurelianus imperium accepiſſet, cùm Probus, cùm Tacitus, cum ipſe Carus; Diocletianus dixit. ego ſemper apros occido, ſed alter ſemper utitur pulpamento. Jam illud notum eſt atque vulgatum, quod cùm occidiſſet Aprum Præf. Prætorii, dixiſſe fertur, Tandem Aprum fatalem occidi. Ipſum Diocletianum idem avus meus dixiſſe dicebat, nullam aliam fuiſſe ſibi cauſam occidendi manu ſuâ Aprum, niſi ut impleret Druidis dictum, & ſuum firmaret imperium. Non enim tam crudelem ſe innoteſcere cuperet, primis maximè diebus imperii; niſi illum neceſſitas ad hanc atrocitatem occiſionis attraheret.* Hactenus Vopiſcus.

Sub quo Diocletianus militat.

Vopiſcus in Numeriano.

Et Imperator futurus Tungris à Druide muliere prædicitur.

3. Pluſcula hic exponenda. Primum à fine Claudii aut initio Aureliani Imp. ad initium Diocletiani anni interfluunt ferè 24. Quod ſi Diocletianus, cùm mortuus eſt, *Sabino & Rufo Coss.* ut tradunt Idatii Alexandrinumque Chronica, nec multum abſcedit Euſebianum, anno ſcilicet Chriſti 316. annorum fuerit 68. ut ſciſcit Victoris epitome; prorſus anno Chriſti 269. annum ætatis circiter 22. egerit. Unde rectè tunc *in minoribus adhuc locis ſeu ordinibus militaſſe* dicitur à Vopiſco. Rurſum cum TVNGRIS in Galliâ tunc egiſſe dicitur, ſub Tetrico illum non Claudio (cui nullum in Gallos imperium fuit) militaſſe neceſſum eſt. Ad hæc cùm poſt illud Druidis vaticinium, primus Imp. extitiſſe referatur Aurelianus; ante illum quoque Imp. immediatè prolatum fuerit. ac proinde non tardiùs quàm ſub Tetrico. Denique Druides & Druiadas hoc adhuc ævi valdè in Galliâ, & quidem Tûgris noſtris cõmunes fuiſſe intelligimus: quãdo

Diocletiani ætas.

Nempe ante initium Aureliani.

etiam cauponariæ mulieres ejus generis extatent. Nec eò tamen Hubertus Leodius, ſuo de Tungris commentario, rectè infert, Tungros nondum hoc tempore fuiſſe Chriſtianos. Sic enim neque Romæ, neque terrarum ullibi Chriſtiani fuiſſent: ubi tum paſſim adhuc Flamines, & publici ſuperſtitionum vigebant Antiſtites. Rectiùs Chriſtianorum quàm Gentilium minorem Tungris multitudinem, non autem nullam colligere poterat.

Ex dē Druides Claudii poſteris Imperium prędicunt.

4. Ejuſdem generis eſt, quod idem Vopiſcus de Aureliano narrat. *Mirabile*, inquit, *fortaſſe videbitur, quod compertum Diocletiano Aſclepiodotus Celſino conſiliario ſuo dixiſſe perhibet. ſed de hoc poſteri judicabunt. Dicebat enim quodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druidas* (Tetrico ſcilicet devicto) *ſciſcitantem, utrum apud ejus poſteros imperium permaneret? tum illas reſpondiſſe dixit, Nullius clarius in Rep. nomen, quàm Claudii poſterorum futurum. & eſt quidem jam Conſtantius Imperator ejuſdem vir ſanguinis, cujus puto poſteros ad eam gloriam, quæ à Druidibus prænuntiata ſit, pervenire. Quod idcirco ego in Aureliani vitâ conſtitui, quia hæc ipſi Aureliano conſulenti reſponſa ſunt.* Hæc Vopiſcus, antequam Conſtantinus Magnus, hujus Conſtantii filius, imperaret: in quo ejusque filiis probatum eſt Druidis oraculum, ſeu forte, aut conjecturâ dictum, ſeu Deo, qui in humanis ludit, Balaami vaticinia renovante.

Aurelianus imperat Anno Chriſti 270.

5. Claudium igitur AURELIANUS in Italiæ & Orientaliorum imperio proximè ſecutus eſt anno Chriſti 270. nihil & ipſe in Galliis prioribus Regni annis poſſidens. Donec Marcomannis Italiâ Illyricóque primo anno pulſis; ſecundo tertióque deinde toto Oriente pacato; quarto denique *vehementer iraſcens, quod adhuc GALLIAS TETRICUS obtineret, Occidentem repetiit. atque ipſo Tetrico exercitum ſuum prodente, quòd ejus ſcelera ferre non poſſet, deditas ſibi legiones obtinuit.*] & Trebell. in Tetrico: *Cum multa Tetricus feliciter egiſſet, diuq; imperaſſet* (annos facilè ſex, duos ſub Claudio, quatuor ſub Aureliano) *cum militum ſuorum impudentiam ferre non poſſet* (nam *multas eorum ſeditiones*, teſte Eutropio, *pertulit*) *volens ſe graviſſimo principi & ſeveriſſimo dedit. Verſus denique illius fertur, quem ſtatim ad Aurelianum ſcripſerat, Eripe me his invicte malis.* Trebell.] Sic & Eutropius: *Superavit* Aurelianus *in Galliâ Tetricum apud Catalaunos; ipſo Tetrico prodente exercitum ſuum, cujus aſſiduas ſeditiones ferre non poterat. Quin etiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia verſu Virgiliano uteretur, Eripe me his invicte malis.*] At Victor Schotti: *Aurelianus Perſis deletis, Italiam repetivit, cujus urbes Alamannorum vexationibus affligebantur. Simul Germanis Galliâ demotis, Tetrici caſa legiones, proditore ipſo Duce. Nam Tetricus cùm Fauſtini Præſidis dolo, corruptis militibus plerumque peteretur, Aurelianum per literas auxilium imploraverat; eiq; adventanti productâ ad ſpeciem acie, inter pugnam ſe dedit. Ita (uti rectore nullo ſolet) turbati ordines oppreſſi ſunt.* Victor.] Cladem illam fuiſſe non modicam, ex Eumenii Panegyrico Flavienſium nomine, colligimus; ubi ſic legimus: *Quod ſi votis & conatibus Æduorum fortuna faviſſet, atque ille Reipublicæ Reſtitutor* (Aurelianus) *implorantibus nobis ſuccurrere potuiſſet; ſine ullo detrimento Romanarum virium, ſine clade Catalaunicâ, compendium pacis, reconciliatis provinciis attuliſſet fraternitas Æduorum.*] Cladem ecce Catalaunicam, quâ Tetricus aciem eduxit ac prodidit.

In Gallias venit.

Ubi Tetricum vincit anno Chriſti fere 274.

6. Pergit in Tetrico Trebellius: *Cum Aurelianus nihil ſimplex, neque mite aut tranquillū facile cogitaret, Tetricum Senatorem populi Romani, eumdemque Conſularem, qui jure præſidiali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit, eodem tempore quo & Zenobiam Odenati uxorem & filios.*] Nam ut Vopiſcus in Aureliano: *Pacatis Oriente, Galliis, atque undique terris, Romam iter flexit, ut de Zenobiâ & Tetrico triumphum Romanis oculis exhiberet.* credo anno Imperii ſui quarto vel quinto, Chriſti 274. Ibi gentium ferè omnium captivi ducti; *FRANCI, Suevi, Vandali, Germani religatis manibus. Inter hos fuit Tetricus chlamide coccinea, tunica galbina, bracis Gallicis ornatus; adjuncto ſibi filio, quem Imperatorem in Galliâ nuncupaverat.* Vopiſcus.] Rursū Trebellius Tetrico: *Pudore tamen victus* Aurelianus, *vir nimium ſeverus, eum quem triumphaverat, Correctorem totius Italiæ fecit; id eſt, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Umbriæ, Piceni & Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis.*] At Eutropius, & Victor uterque *Lucaniæ* dumtaxat factum dicunt. Unde ſubdit Victoris Epitome, Aurelianum *aſperſiſſe hominem* (Tetricum) *eleganti joco, Sublimius habendum, regere aliquam Italiæ partem, quàm trans Alpes regnare.*

De illo ac multis aliis triumphat Romæ.

7. Porrò Tetricum hunc, *privatum diutiſſimè vixiſſe* teſtatur Eutropius. *etiam in magna dignitate*, adjungit Trebellius; *cùm illum* Aurelianus *ſæpè collegam, nonnunquam commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellaret. Filius cum patre per triumphum ductus, poſtea omnibus ſenatoriis honoribus functus eſt, illibato patrimonio; quod quidem ad ſuos poſteros miſit, ſemper inſigne: neque quiſquam illi ab Aureliano, aut aliis poſtea Principibus prælatus eſt.* Trebell.] Extat adhuc Veſontione triumphalis arcus, quem Aureliani eſſe putat Jac. Chiffletius. Ita demum Galliæ cum Hiſpania Britanniaque ad Urbis imperium revocatæ, tredecim jam annos ſub peculiaribus Principibus avulſæ, abs anno Chriſti vulgari 260. ad 274. Sed antequam progrediar, juvat Conſtantini nativitatem inſerere, quæ ſub Aureliano contigit.

Cui Tetricus diu ſuperſtes Romæ.

CAPUT XV.

Conſtantii Chlori, Helenæ, & filii Conſtantini genus.

ANtequam ſeriem hiſtoriæ proſequar, Conſtantini & parentum genus exequi conſilium eſt, quando id ad Claudii imperium pertinet, & narrationum ſequentium fundamentum eſt, à rebus Belgicis haud alienum.

1. Conſtantini Chlori genus ab Claudio Imperatore manat. juxta illud coævi Trebellii Pollionis in Claudio §. 10. *Clarum eſt, Conſtantium divini generis virum, ſanctiſſimum Cæſarem, & Auguſtæ ipſum familiæ eſſe.* Mox §. 13. *Claudius, Quintilius, & Criſpus fratres fuerunt. Criſpi filia, Claudia: ex eâ & Eutropio, nobiliſſimo gentis Dardanæ viro, Conſtantius Cæſar eſt genitus. Fuerunt etiam ſorores: quarum una Conſtantina nomine, nupta tribuno Aſſyriorum, in primis annis defecit. De avo nobis parum cognitum. varia enim plerique prodiderūt, &c. Ipſi Claudio liberi nulli: Quintilius duos reliquit, Criſpus ut diximus filiam.* Sic Eutrop. l. 9.

Conſtantius ex Claudii nepte ort⁹.

Conſtan-

Conſtantius per filiam nepos Claudii traditur. nepos inquam, ex nepte fratris filia.

Natus anno Chriſti ferè 250.

2. Natus anno Chriſti vulgari, præter propter, 250. ſub Decii fere imperio ei, ut & Diocletiano, Herculio, & Galerio collegis Imperii, *Illyricum patria fuit*, ait diſertè Victor Schotti. & clarum, Dardaniam (unde pater Conſtantii Eutropius) Illyrici partem eſſe, Danubium inter & Macedoniam, hodie *Serviam* nomine. non ut Morinus putat Phrygiam. Natalis urbs obſcura. & ſi Morino p.168. credimus, incerta. Dardanus ex parte patris, Dalmata ex matris dici poteſt. Nec notior ejus adoleſcentia & juvẽtus. Stirps ejus prænobilis, nobiliorq; indoles & quaſi innatæ virtutes, ſatis clamãt, à primis eum annis ad præcipua Reip. munera belli togæq; admotum. Vopiſcus quidem in Carino, *Carus Imperator Carini pater ſtatuerat*, inquit, *Conſtantium, qui poſtea Cæſar eſt factus, tunc autem præſidatum Dalmatiæ adminiſtrabat, in locum Carini* filii tunc quoque Cæſaris in Galliis, *ſubrogare; quòd nemo tunc vir melior videbatur; illum verò, ut Oneſimus dicit, occidere.* Annos dumtaxat duos, & quidẽ inchoatos Carus imperavit, à fine anni Chriſti vulgaris 282. ad 283. Igitur anno iſto 283. id *ſtatuerat* Carus. quo Conſtantium Pollio *virum* bonum, & *Dalmatiæ Præſidem* notat. Is ſtatus hominem annorum minimùm 30. evincit. de 283. labentibus, tolle 33. item labentes, in annum Chriſti 250. Conſtantio, ut dixi ferè natalem, revolvêris.

Præſes Dalmatiæ.

Etiam belli Dux præclarus.

3. Eſt Præſidatus togæ munus. An nullas ergo belli partes priùs obierat Conſtantius? Prorſus obierat, vel Vopiſco teſte in Probi vitâ §. 8. ubi dicit: *Duces præclariſſimos Probus inſtituit. Nam & ejus diſciplinâ Carus, Diocletianus, Conſtantius, Aſclepiodotus, Herculius Maximianus, & ceteri quos præſentes noſtri mirati ſunt, inſtituti.* Ecce *Conſtantium* noſtrum, inter præclariſſimos belli Duces, Probi diſciplinâ militari inſtitutum. Cari proximè deceſſor Probus fuit, & ab anno Chriſti 276. ad 282. ſupra ſexennium imperavit. Si eo ſexennio Conſtantius in præclariſſimũ Ducem à Probo efformatus, antequam Dalmatiæ Præſes exiſteret, plura non militis modò ſed Ducis munia obierat, quibus Probo ſe non multo minùs quàm Carus ipſe, Diocletianus, & collegæ, probaverat. Cùm imperium Probus anno Chriſti 276. iniit, annum ætatis Conſtantius ex jam dictis, 26. exegerat. adeoque pluribus jam bellis, ut Herculius & Galerius inclaruerat, ut inter *præclariſſimos Probi Duces* mox adſciſci mereretur. Aureliani igitur imperio ab anno videlicet Chriſti 270. ad 275. ſeu abs anno ætatis 20. bellicâ fortitudine avitæ nobilitati junctâ, clareſcere cœperat. ſub Aureliano inter primos militans.

Illi ætate ſuppar uxor Helena.

4. Par ferè erit Helenæ uxoris ætas, quam morientem annorum extitiſſe præter propter 80. minimùm 79. teſtantur apud Baronium tomo 3. anno Chriſti 326. §. 59. & 62. Euſebius & Nicephorus. additque Baronius, *ad aliquot inde* (ſeu poſt illum 326.) *adhuc annos vixiſſe*. Ponamus anno 329. exceſſiſſe; ſublatis 79. de 329. reliquus erit Chriſti annus 250. quo Helena genita, Conſtantio marito ferè coæva. Prorſus ut anno iſto Chriſti 273. vel 274. annorum uterque conjux extiterit præter propter 23. aut 24. cum uno alteróve anno juncti fuiſſent. Satis aptè, ut vides. Quo tempore, cùm in Galliarum partibus, ſub Aureliano Imperatore, Conſtantius ageret; planè Conſtantinus ejus filius primogenitus, ibidem ſeu in Britannia vicinâ gigni potuiſſet, ſi æquè conſtaret Helenam eodem à marito ductam. non alio loco relictam ceu partui proximam. quod certò ſine auctore aſſeri nequit. Conſtantinus quidem Porphyrogenneta, apud Baronium tomo undecimo, anno Chriſti 960. §. 16. *Conſtantinum Magnum, ex Francorum* (ſeu potius Gallorum) *partibus, ortum* habuiſſe teſtatur. Quod ſi eſt, Helenam quoque in iiſdem partibus Conſtantio junctam, imò & educatam genitamque conjectura non improbabilis eſſe poſſet. Otto quidem Friſingenſis, ne centum quidem annis Porphyrogennetâ junior, *Helenam*, ſcribit, *ex pago ſeu regione Trevirorum ortundam, indeque eamdem Eccleſiam plurimum decoraſſe.* Quod & firmat ejuſdem ferè ævi ſcriptor Godefridus Viterbienſis, & Berengoſus Abbas, aliique apud Alfordum noſtrum, pag. 66. 67. cum *Helenam Trevirorum civitatis indigenam* appellant: *ejuſque apud illos nobilitatem ædificiorum ſuorum antiquam teſtari gentilitatem: ibique pavimentum domus illius, variis marmoribus, & Pario quondam lapide ſtratum, benè declarare ſcribunt, quantum ibi præ aliis videretur habere primatum.* Sanè eruuntur ibidem quotidie Nummi veteres, Treviris ſignati ſeu percuſſi, cum Inſcriptione, FLAVIA HELENA AVGVSTA. & ex adverſo, SECVRITAS REIP. Lupoldus denique Bambergenſis Epiſcopus apud eumdem Alfordum pag. 110. *Habet*, ait, *multorum aſſertio, quod S. Helena mater Conſtantini de Treviris fuit oriunda.*

Quæ quibuſdam dicitur Galba, & Trevirenſis.

Pluribus Britanna.

5. Sed ut Galla propriè non fuiſſet, Britanna ſaltẽ videri poteſt, ex denſâ veterum recentiumque teſtium nube, quos Alfordus integro volumine recenſet. In iis quingentis ferè annis ſuperiores, Henricum Huntindonienſem, Guilelmum Malmeſburienſem, Joannem Sariſberienſem; & ante nongentos etiam annos, Adelmum Schirnoburgenſem Epiſcopum. Qui omnes Conſtantinum ex Helenâ Britannâ in Britanniâ natum exiſtimant. & fortiùs adhuc favet omnium eorum vetuſtiſſimus Panegyriſtes, qui Conſtantinum ipſum alloquens, *Nobilem ortu ſuo Britanniam feciſſe* canit. *Ortu*, inquam, non Imperii, ſed Nativitatis; quando Conſtantinus in Britanniâ neque Cæſar, neque Auguſtus factus: Sed Cæſar ante mortem patris, teſte Victore, ſeu Romæ ſeu alibi: Auguſtus autem nonniſi uno alteróve pòſt anno, Treviris à Maximiano ſocero dictus. De ſolo igitur in Mundum ortu Panegyriſtes intelligit. Græcum certè non fuiſſe Conſtantinum, Euſebius, Socrates, Sozomenus, Julianus Apoſtata, quantumvis Græci, omnes ſatis judicant; imò & ipſe teſtatur Conſtantinus, ne Porphyrogennetam repetam. Quos omnes apud Alfordum videre potes: qui tandem Britanniæ Conſtantinum adſcribit; magna probabilitate, bonis argumentis. De quo mox plura, cum Nativitatis tempus diſquiſiero.

Quo anno Conſtantinum Magnum genuerit.

6. Annus Conſtantini natalis, ex ejuſdem morte & morientis ætate conficitur. Mortuum enim conſtat anno Chriſti 337. Maii 22. Dominicâ Pentecoſtes, ut ex Euſebio aliiſque ibi fuſiùs. De illius verò tunc ætate, variæ ſunt ſententiæ. Qui plurimum ſciſcunt, annum vitæ 66. definiunt, ut Eutropius libro 10. & ex eo Hieronimus in Chronico. Qui minimùm, annum malunt 62. nempe

comple-

completum, ut Victor Schotti. Medio tutiſſimus incedit alter Victor, qui 63. ætatis annos, itidem ſolidos morienti concedit. Nec multum abſcedere videtur, ipſi Conſtantino familiariſſimus, eoque ceteris anteponendus Euſebius, cùm *duos illum & 30. annos (extra paucos menſes ac dies) impeſaſſe, eumdemqúe annorum numerum ætate ſeu vita duplicaſſe*, ſcribit. & annos quidem imperii totidem, nempe 32. confirmant Epiphanius, Zonaras, & Victor Schotti jam citatus, ut in hoc Euſebio conformis. Quod ego quidem ita capio, ut ex iſtis 32. Imperii annis, primus cum patre tanquam Cæſaris in Britannia tranſactus ſit. quando à patris exceſſu, nonniſi 31. & quidem duobus menſibus, tribuſque diebus minus imperavit. Ita ſi bis 32. annos, menſibus aliquot ac diebus minus vixerit, ad annum vitæ 64. inchoatum pertigerit: ex Euſebii quidem ſententiâ. Rurſus ſi (quod libellus de Præfectis urbis tradit) 3. Calendas Martii, ſeu 27. Februarii natus eſt, quando Maii 22. denatus; menſes tantùm tres, & quidem tribus demptis diebus, de anno ætatis 64. delibarit, ſeu nonniſi tres & 60. ſolidos menſeſque ferè tres impleverit. His igitur 63. annis menſibiſque ternis de anno Chriſti 337. ad Maii 22. perducto ſublatis, reliquum eſt, ut Conſtantinus anno Chriſti 274. & quidem Februarii 27. natus ſit, ut dixi. Atque hæc de ejus anno Natali.

ANNO Chriſti ferè 274.

Conſtantinus in Dardania natus à nonnullis exiſtimatur.

7. Locum autem Nativitatis Britanniam fuiſſe, docet Alſordus, ut dixi, probabiliter. Contrà Naiſſum Dardaniæ Urbem verè fuiſſe, Henricus Valeſius doctis ſuis in Ammianum Notis, ita probat: Stephanus Byzantius, Ναϊσσὸς πόλις Θρᾴκης (lege Δακίας) κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως. *Naiſſus urbs Thraciæ (lege Daciæ) ſtructura patriaqúe Conſtantini Imperatoris.* Idem tradit Conſtantinus Porphyrogenitus libro 2. περὶ Θεμάτων. & Firmicus libro 1. Matheſeos ſub initium, de Conſtantino Magno loquens, *Apud Naiſſum*, inquit, *genitus, à primo ætatis gradu gubernacula Imperii retinens.* Sic enim in duobus Manu-ſcriptis Codicibus legi, dudum viri docti monuerunt; cùm vulgo excuſum ſit, *apud Tarſum*. Denique in excerptis de geſtis Conſtantini (quæ ſcilicet ad Ammiani calcem Valeſius idem primus edidit) idem diſtinctè traditur his verbis: *Conſtantinus natus Helena matre viliſſima, in oppido Naiſſo, atque eductus: quod oppidum poſtea magnificè ornavit.* Accedit, quod Cedrenus περὶ τὴν τῆς Δακίας πόλιν in Daciæ urbe Conſtantinum natum eſſe memorat. Hucuſque Valeſius. Dardanus igitur hac opinione fuerit Conſtantinus Magnus, non Britannus; neque Bithynus. Sanè, illius quoque paternum avum Eutropium, Dardanum pariter extitiſſe, disertè teſtatur in Claudii Imp. vita Trebellius Pollio, ut capitis hujus initio dixi. Quod ſi avus, & ex filio nepos Dardani fuerint, quid probabilius, quàm & patrem intermedium Dardanum extitiſſe? Illyricum disertè vocat Victor Schotti cap 39. §. 3. Illyrici verò provinciam Dardaniam eſſe, non Britanniam, ſatis cōſtat. & Trebellius Pollio in Claudio cap. 41. *Originem*, ait, *ex Dalmatia Claudius videbatur oſtendere. quamvis alii Dardanum, alii ab Ilio Troianorum, atque ipſo Dardano, ſanguinem ducerent trahere.* Hæc Pollio: ſatis indicans Conſtantinum Dardanum quoque fuiſſe. ut iſti alii qui Dardanum dicebant, verè dicebant. Quin & Helenam Conſtantii conjugem Dardanam quoque aſſerit Cedrenus, aliique; liquidâ prorſus fluenteque occaſione, conjunctione, generiſque ſerie. Ita Helena, neque Britanna, Coelis Reguli filia, fuiſſet; neque Bithyna, ut Nicephorus; neque Trevirenſis, ut optat Browerus noſter: ſed potiùs, ut ſocer, maritus, ac filius Dardana, ſeu ex Naiſſo, ſeu ex alio Dardaniæ oppido. eaque ſi Ambroſio Epiſcopo fides, *Stabularia*; ſi Excerptis Conſtantini à Valeſio editis, *viliſſima*. ſed tanto filio virtutibuſque propriis maximè nobilitata. ego hic nihil definio. Liberum Lectori judicium relinquo.

Dardania quæ regio ſub Aureliano.

8. Erat autem tunc Dardania Illyrici regio, ab occaſu Pannoniam 2. à Septentrione Mœſiam ſuperiorem, dexteræ Dannubii ripæ prætentam; ab Oriente Thraciam, à Meridie Macedoniam attingens. unde & Dardanos antiquiùs Macedoniam modò vaſtaſſe, modò juviſſe, notat Livius, Decade 4. partim & 5. Sic & Dio libro 51. planè finiente; *Antiquitus Myſi ac Getæ omnem eam regionem, quæ Hæmum ac Iſtrum interjacet, incoluerunt. Progreſſu vero temporis alia quidam eorum nomina acceperunt. & poſt hæc, Myſiæ nomine omnis ea regio, quam Savus in Iſtrum incidens, ſupra Dalmatiam, Macedoniam, & Thraciam à Pannoniâ dirimit, vocari cœpit. In quâ Myſia cùm alia multæ gentes, tum qui olim Triballi appellati ſunt, itqúe quos etiam hodie Dardanos nominant.*] Hanc veterem Dardaoiam Anrelianus Imperator circa annum Chriſti vulgarem 270. aut 271. Daciam mediterraneam appellavit; ut plures tradunt Auctores. ac primùm Eutropius l. 9. *Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermiſit: vaſtato omni Illyrico & Mœſia; deſperans eam poſſe retineri. abductoſqúe Romanos ex urbibus & agris Daciæ, in mediâ Mœſiâ collocavit: & eſt in dexterâ Danubio in mare fluenti, cùm antea fuerit in lævâ.*] Rufi quoque breviarium: *Daciam trans Danubium in ſolo Barbariæ provinciam Trajanus fecit. quæ in circuitu habuit decies centena millia paſſuum. Sed ſub Gallieno Imp. amiſſa eſt. & per Aurelianum tranſlatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœſiæ & Dardaniæ factæ ſunt.*] illa ſcilicet dicta Ripenſis, hæc Dacia Mediterranea. Vopiſcus in Aureliano c. 39. Gruteri: *Aurelianus provinciam trans Danubium DACIAM à Trajano conſtitutam, ſublato exercitu & Provincialibus reliquit, deſperans eam poſſe retineri. abductoſqúe ex eâ populos, in Mœſia collocavit, appellavitqúe ſuam Daciam, quæ nunc duas Mœſias dividit.*] ita ſcilicet, ut Mœſia Superior poſthàc fuerit Dacia, & quidē Ripenſis; Inferior autem ad Thraciam pertinuerit. Secundò autem Dacia fuerit Mediterranea, ubi prius Dardania.

Ammiani ſententia.

9. De qua poſteriore, ita etiam Ammianus libro 21. cap. 27. *Conſerta montium Hæmi & Rhodopes ſummitates, Illyrios interſcindunt & Thracas. hinc* (ab occaſu ſcilicet) *vicina Mediterraneis Dacis & Serdica.* (addo ego & Naiſſo ex Cedreno ſuprà) *inde* (ab oriente) *Thracias deſpectantes & Philippopolim*: eumdem locum paulò antè *Succos* vocat, ut & infrà c. 27. Rurſum libro 27. c. 7. *In ſummitate occidentalis montibus præruptis Succorum pateſcunt anguſtiæ, Thracias dirimentes & Daciam*, &c. Jornandes de Regnorum ſucc. 91. *Dacos Gallienus amiſit; Aurelianus evocatas exinde legiones in Mœſia collocavit: ibiqúe aliquam partem Daciam Mediterraneam, Daciamqúe Ripenſem conſtituit, & Dardaniam conjunxit:*] ex quibus omnibus certò intelligimus Aurelianum Dacos in Ro-

manum

In Dardaniam Dacos tranſtulit Aurelianus.

manum ſolum cis Dannubium tranſtuliſſe, & ab iis jam tranſlatis Mœſiam ſuperiorem, Daciam Ripenſem appellaſſe, Dardaniam autem Mœſiæ ab Meridie contiguam, Daciam Mediterraneam. Vnde factum ut qui in Mœſia Superiore deinceps nati eſſent, Daci quoque Ripenſes dicti fuerint, ut Galerius Maximianus; qui in Dardaniâ, Daci Mediterranei; ut noſter hic Conſtantinus Magnus; ſaltem juxta Valeſium.

10. Porrò Dacorum iſtam ab Aureliano tranſlationem factam puto, primo Imperii ejus anno, cùm Gothos paulò antè à Claudio Imp. devictos, ipſe quoque debellaſſet, & Dannubium Imperii Romani limitem, inter ſe & Gothos deinceps ſicut olim eſſe voluiſſet. Ea Dardania modò Servia dicitur, & ex parte etiam Bulgaria; quæ per Mœſiam etiam Inferiorem porrigitur. Mœſia verò Superior Raſcia nunc appellatur; omnes ſub jugo Turcico provinciæ. prorſus ut ſi Conſtantinus nunc viveret, Dardaniam Næſſumque (ſi patria ejus fuiſſet) Turcæ ſubditam videret; & ut credo, doleret.

In Gallias Aurelianus non venit, niſi poſt Gothos & Oriẽtem ſubjugatum.

11. Utcumque fuerit, illud hîc non omittendum, Tetricum non videri ab Aureliano ſubjugatum, niſi cum poſt Gothos primò, tum Zenobiam Ægyptum Orientemque pacatum, in Gallias cõtra illum movit, teſtibus Vopiſco, Zoſimo, Victore utroque, Oroſio & aliis: quod ante annum Chriſti vulgarem 374. (cujus initio natum Conſtantinum jam ſtatuimus) contingere non potuit; ut patet ex expeditionum Aureliani ſerie. Igitur neque Conſtantius in Britanniam ab eo antè eumdem annum mitti, ſi unquam miſſus eſt; nec proinde in eâ filiam Cœlis Reguli (ut volunt) Helenam ducere; & ex Conſtantino matrem reddere potuit. Scio Eutropium ſolum, & ex eo Hieronymum in Euſebii Chronico, quod ex aliis, maximeque Eutropio ipſo, non parum auxit, Tetrici priuſquam Zenobiæ ſubjugationem narrare. Sed vel ille ordinem expeditionum iſtarum ſervare non intendit brevi ſuo compendio; vel ſi intendit, tot aliis & maximè Vopiſco centum ferè annis ſeniori, præferendus non eſt. & ut eſſet, adhuc ex ejus ſumma Conſtantinus antè Tetricum devictum genitus eſſet. quando, ut ſuprà vidimus, Conſtantinum ætatis anno 66. mortuum ſciſcit, ac proinde non antè Februarium anni Chriſti 272. in lucem eductum. quo tempore vix Gothis adhuc victis Aurelianus Gallias inire potuerat. Quod tamen argumentum non æquè contra Nicephorum, Bithyniæ Conſtantinum aſſignantem, procedit. Hæc de anno locoque natali Conſtantini Magni. Hinc reliqua Aureliani proſequamur.

Perſecutio octava Aureliani.

12. Jam igitur orbis pacator Aurelianus, octavam in Eccleſia perſecutionem excitavit; quâ plures toto imperio, vario Martyriorum genere conſumpti ſunt. Nec Gallia immunis fuit; & ſi de Belgio nihil, niſi fortè Trevirenſibus inveniam.

Trecenſes Martyres.

Trecenſes hujus ævi Martyres cenſentur Claudius, Juſtus, Jocundinus, cum quinque ſociis. Sanctus item Patroclus, de quo Turonenſis; ac denique Sabinianus. Senonibus verò memoratur Columba virgo.

Æduenſes Tornutii.

Tornutii ad Ararim in Æduis (non ut quidam volunt, Tornaci in Belgio noſtro) Sanctus Priſcus: cujus caput Chriſtianus quidam, cum ex pietate ſurripuiſſet & fugiſſet; Antiſſiodori captus, eamdem & ipſe cum plurimis aliis Martyrii lauream reportavit. Auguſtoduni item Reverianus Epiſcopus cum ſociis, ut & Symphorianus; de quo etiam Turonenſis de gloria Confeſſorum cap. 77. referens Berecynthiam, Auguſtoduni tum cultam. In horum quorumdam vitis Aurelianus Imperator Sedeloci (*A Saulieu*) & Tricaſſibus fuiſſe dicitur.

Aureliani opera.

Sanè Vopiſcus illum, poſt triumphatum Tetricum, *leges plurimas ſanxiſſe* refert, *& quidem ſalutares: Sacerdotia item compoſuiſſe, templum Solis fundaſſe, & Pontifices roboraſſe* (quæ omnia perſecutionem indicant) *hiſque geſtis ad Gallias iterum profectum* ſubdit: *unde Vindelicos obſidione barbaricâ liberandos tranſierit.* Denique Divionem in Lingonum Æduorumque confiniis ab eodem Aureliano Imperatore ædificatam, refert ex veteribus Turonenſis, & poſt eum Aimoinus. An in Belgio noſtro fuerit, nihil lego: Belgas ſaltem cum Gallis & Britannis Imperio Romano poſt annos ferè 15. reſtituit. Nec tamen diu perſecutionem iſtam exercuit Aurelianus: à ſuis cum in Perſas iterum tenderet, Conſtantinopolim inter & Heracleam interemptus; ineunte anno Imperii ſui 6. Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano, quo hodie paſſim utimur, 275.

Probus adhuc privatus in Francos.

13. Ceterùm antequam tranſeo, moneo, Probum antequam Imperium capeſſeret, pluſcula in Francos Germanoſque geſſiſſe; ſive ſub Poſtumo, ſive ſub Aureliano. Nam in eo Vopiſcus Manlium Tatianum refert, cùm Probi geſta laudaret in Senatu, dixiſſe; *Quæ mundi pars eſt, quam ille non vincendo didicerit? Teſtes Franci inviis ſtrati paludibus; teſtes Germani & Alemanni, longè à Rheni ſubmoti litoribus:* Quæ verba Probum indicant, ſub priorum Imperatorum aliquo, Francos ac Germanos in patriis paludibus inopinantes aggreſſum fudiſſe; nec tantùm à Rheno, ſed & procul in interiora ſubmoviſſe. Quod ſi ſub Aureliano geſtum ſit, planè illo adhuc contra Tetricum occupato, Probum ab eo miſſum, qui illos interim Galliis expelleret, & quietos deinceps agere cogeret. Sed Imperatorum nemo peribat, quin ſtatim inquietiſſima gens, vel noviſſimè victa, in iſto vel minimo interregno rebellaret, in Gallias, Belgicam maximè noſtram, pactis quibuſlibet ruptis, invaderet, prædas avidiſſimè quæſitas in ſolum natale reportaret.

Pompeianus Francus Dux.

14. Sed & ad Aureliani ferè imperium pertinet, quod in Euſebii legimus Chronico; contra Zenobiam ſub Aureliano, Antiochiâ non procul, *ſtrenuiſſimè dimicaſſe Pompeianum Ducem cognomento Francum; cujus Familia,* addit ibidem Hieronymus, *hodieque* (id eſt annis ab eâ pugnâ facilè centum) *apud Antiochiam perſeverat. ex cujus ſtirpe Evagrius Presbyter nobis cariſſimus deſcendit.* Cur hic cognomento *Francus?* niſi quia à Francis qui in Galliam è Franciâ tum tranſrhenanâ ad Romanos confugerant, oriundus; & ab iiſdem in ſplendidum militiæ gradum ob ſtrenuitatem aſſumptus? Ita ille D. Hieronymo, in poſterorum illius uno Evagrio, poſt tot annos benefecerit.

è majoribus Evagrii Antiochenſis unus.

CAPUT

CAPUT XVI.

Interregnum Romæ; Taciti & Floriani Imperium.

Anno Chriſti 275. & 276.

Franci Rhenum irrumpunt.

1. SEx inde menſium Interregnum fuit: grato proboque Senatum inter & exercitum Romanum certamine, quis bono Imperatori bonum alium ſufficeret. Quâ tantillâ occaſione, rurſum Francos ſe moviſſe teſtatur apud Vopiſcum in Tacito Velius Cornificius Gordianus Conſul, dum *ſeptimo Kal. Octobres* anno Chriſti 275. ita Senatum alloquens inducitur: *Referimus ad vos P. C. quod ſæpè retulimus. Imperator eſt deligendus: exercitus ſine Principe rectè diutiùs ſtare non poteſt: ſimul quia cogit neceſſitas. Nam limitem trans Rhenum Germani, ſeu Franci, rupiſſe dicuntur; occupaſſe urbes validas, divites & potentes.* haud dubiè Belgicas, quas Franci & Alemanni trans Rhenum oppoſiti; ceu primò obvias ſemper impetere ſoliti. Eo die Senatûs, TACITUS dictus eſt Imperator, tanto Senatorum omnium conſenſu gaudioque, quòd tandem eligendi Principis cura ad ordinem ampliſſimum revertiſſet; ut literæ ad omnes Provincias mitterentur. Quarum binæ adhuc apud eumdem Vopiſcum in Floriano, ad Carthaginienſem Trevirenſemque Curias ſuperſunt.

TACITUS Imperator.

Senatûs Epiſtola ad Treverenſes.

2. Ad Trevirenſem tales: *Senatus ampliſſimus Curiæ Trevirorum. Ut eſtis liberi, & ſemper fuiſtis, lætari vos credimus. Creandi Principis judicium ad Senatum redit. ſimul etiam Præfecturæ urbanæ appellatio univerſa decreta eſt.* Paulò plura continet prior ad Carthaginienſes Epiſtola: quæ & Treviris aptari poſſunt. Sequitur enim in Vopiſco: *eadem modo ſcriptum eſt Antiochenſibus, Aquileienſibus, Mediolanenſibus, Alexandrinis, Theſſalonicenſibus, Corinthiis, & Athenienſibus.* Mox. *Tantum illud dico, Senatores omnes eâ eſſe lætitiâ elatos; ut domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent, convivia ſumptuoſiora præberent; antiquitatem ſibi redditam crederent.* Ita Vopiſcus. ex iſtis Senatûs Epiſtolis atque lætitiis, abundè Trevirorum dignitas elucet; non modò quia Carthaginienſibus, Alexandrinis, Antiochenis &c. jam tum æquata; ſed etiam quia ſola, ut videtur, inter tranſalpinas tanti habita, ut ad eam ceu verum caput talis Epiſtola mitteretur: & tanquam à principe civitate ceterarum conſenſus expectaretur. Quin & libera ſemper fuiſſe civitas à Senatu ipſo dicitur, quaſi altera trans Alpes Roma, etiam toto illo, quo Poſtumus & Tetricus imperaſſent, annorum tredecim intervallo, permanſerit, Senatu ampliſſimo Curiaque ſemper inclyta, ut nihil mirere, ſi in hoc Tranſalpinarum gentium veluti compendio; quodque inde ſequitur, in vicinâ Belgicâ, & Chriſtiani fereque continui Antiſtites, & frequentes generoſæque Martyrum laureæ perſtiterint.

Et ad primarias urbes.

Unde Trevirorum dignitas apparet

Florianus Tacito fratri ſuccedit.

3. Tacito intra ſextum menſem finis Imperii fuit, Tyanæ militum inſidiis interempto, circa Idus Apriles anni Chriſti 276. Ejus frater FLORIANUS imperium quaſi hæreditarium arripuit: vixque duobus menſibus, aut ut alii 89. diebus obtinuit. Cæſus & ipſe à militibus ſuis, qui imperare PROBVM audierant; à Senatu optatum, ab aliis exercitibus electum, à populo Romano acclamationibus flagitatum. Vopiſcus, Eutropius, Victor.

& PROBUS.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER SEPTIMUS.

A Probi Exordio, ſeu Anno Chriſti vulgari 276. ad finem Diocletiani, ſeu annum Chriſti 304. Per annos ferè 28.

CAPUT PRIMUM.

PROBI initia.

Probus imperat Anno Chriſti 276.

IMPERARE igitur occœpit cum Floriano PROBUS, Ab Idibus Aprilis, aut non multo poſt; certè ante Floriani cædem, cujus electionem nihil morabatur. Quod moneo, propter ſecundum ejus annum, quem Euſebius in Chronico, ſive ob Manichæanæ Hæreſeos ortum, ſive potiùs ob Analolii Cyclum Paſchalem Novemdecennalem, eo anno in lucem editum, tot characteribus inſignivit. Nam illum cum *Antiochenorum anno* 325. *Tyriorum* 402. *Edeſſenorum* (ſeu Græcorum, quibus primus Machabæorum liber utitur) 588. componit. Quos omnes certum eſt; in annum Chriſti vulgarem ſeu Dionyſianum 277. incurrere: ut alibi cum aliis demonſtro: cum quo proinde ſecundus Probi annus pariandus. Quibus omnibus conformis eſt, ſi ſanè capitur, Epiphanii locus hæreſi 66. quo ab Aſſumptione Chriſti uſque ad Probum Imperatorem, ſecundùm quoſdam Chronographos, annos eſſe ſcribit 276. juxta alios 246. Stat enim utraque ſententia, ſi prior à Natali Chriſti, poſterior ab ejus in cœlum aſſumptione deducitur. & quidem juxta Dionyſii Exigui, veterumque Patrum placita; qui Chriſtum paſſum putabant annó ætatis triceſimo primo: ut fuſiùs in ejus Paſſione & alibi demonſtravi.

Secundus ejus annus celebris.

In Gallias venit.

2. Hic igitur Probus anoo Chriſti 276. creatus Imperator, Floriano Saturninoque in Oriente cæſis, rebusque ibidem ordinatis; primùm omnium *in Gallias tum ingenti exercitu venit*; ait in ipſo Vopiſcus; *quæ omnes occiſo Poſtumio turbatæ fuerant; interfecto Aureliano, à Germanis poſſeſſa.* Si toties hoc ævo Germani ſeu Franci ſuperato Rheno Gallias irrupêre; quid non paſſa Belgica noſtra primò obvia? Militarat quidem jam antè, privatus adhuc in Galliâ Probus, ut diximus; *Francos inviis ſtravevat paludibus, Germanosque & Alemannos longè à Rheni ſubmoverat litoribus.* Sed Imperatoriâ hac expeditione, *tanta illic prælia* (pergit Vopiſcus) *tam feliciter geſſit, ut à Barbaris 60. per Gallias nobiliſſimas receperit civitates: prædam deinde omnem, quâ illi præter divitias efferebantur ad gloriam. Et cùm jam in noſtrâ ripâ, imò per omnes Gallias ſecuri vagarentur, cæſis prope*

E quibus Francos repellit.

quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant ſolum, reliquas (Alemaoos ſcilicet) *ultra Nicrum fluvium &* (Francos ultra) *Albim removit. Tantumque his barbara præda tulit, quantum ipſi Romanis abſtulerant. Contrà, urbes Romanas & caſtra in ſolo barbarico poſuit, atque illic milites collocavit. Agros & horrea & domos & annonam Tranſrhenanis omnibus fecit; iis videlicet quos in excubiis collocavit.*

Reguli novem Probo ſupplices.

3. *Nec ceſſatum eſt unquam pugnari, cùm quotidie ad eum Barbarorum capita deferrentur, jam ad ſingulos aureos ſingula. quamdiu Reguli novem ex diverſis gentibus venirent, atque ad pedes Probi jacerent: quibus ille primum obſides imperavit; qui ſtatim dati ſunt; deinde frumentum, poſtremo etiam vaccas atque oves. Dicitur juſſiſſe his acrius, ut gladiis non uterentur; Romanam expectaturi defenſionem, ſi eſſent ab aliquibus vindicandi. Sed viſum eſt id non poſſe fieri, niſi ſi limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota provincia. Maximè tum ipſis Regibus conſentientibus, in eos vindicatum eſt. qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepit præterea ſedecim millia tyronum, quos omnes per diverſas provincias ſparſit; ita ut numeris vel limitaneis militibus quinquagenos vel ſexagenos interſereret, dicens, ſentiendum eſſe non videndum, cùm auxiliaribus barbaris Romanus juvatur.* Vopiſc.

Varia Probi geſta. *Zoſim. l. 1. fin.*

4. Eadem paulò diſtinctiùs videtur inferre Zoſimus l. 1. fin. *Victoriis, ait, Probus adverſus barbaros potitus eſt; duobus bellis confectis, quorum alteri ipſemet interfuit, alteri ducem quemdam præfecit. Et quoniam civitatibus Germanicis, quæ à vicinis Rheno barbaris infeſtabantur, neceſſariò ſubveniendum erat; Rhenum verſus ipſemet cum copiis movit. Occepto bello, cùm fames omnibus in locis ingruiſſet, immenſus imber delapſus unà cum guttis frumentum quoque detulit: adeò quidem ut ejus acervi quibuſdam in locis per ſe conſtruerentur. Omnibus ad rem novam & incredibilem obſtupefactis, initio quidem frumentum attingere, ac famis eo remedio uti non audebant. verum ubi neceſſitas omni metu valentior urgeret, panes coquebant; iiſque veſcentes ſimul & famem pellebant, & Imperatoris fortunâ in eo bello ſuperiores nullo propè negotio diſcedebant.* & mox: *Alterum contra* FRANCOS *prælium pugnavit. Quibus operâ ducum ſtrenuè victis; ipſe tum Burgundionum Vandalorumque copiis (quorum illi Franconiam, Orientalem Bohemiam iſti tunc obtinebant) dimicavit. Cumque vires ſuas inferiores videret, partem quamdam ab hoſtibus avellere cogitabat, & cum eâ prælio decernere. Quâ in re conſilio principis fortuna non*

Frumentum è cœlo lapſum.

Probus in Vandalos & Burgundiones.

deſuit. Cùm enim exercitus utramque fluminis ripam occupaſſent; barbaros in adverſa ripâ caſtra metatos ad pugnam Romani provocabant. Hac illi re perciti, quotquot ſanè poterant, trajiciebant: ſignisque collatis Barbari partim cadebantur, partim vivi Romanorum in poteſtatem veniebant. Reliqui cùm pacem eâ lege petiiſſent, ut prædam cum captivis, quos habebant, redderent, impetrato quod poſtulaverant, non omnia reſtituerunt. Quamobrem indignatus Imp. diſcedentes adortus, merito ſupplicio multavit, ipſis trucidatis, & Igillo duce capto. Quotquot autem vivos in poteſtatem redigere poterat, in Britanniam miſit. qui ſedes eâ in inſulâ nacti, quoties deinde ſeditionem aliquis moliretur, utiles Imp. fuerunt. Zoſimus. Barbaros illos, quos prædam non reſtituentes punitos ait Vopiſcus, Vandalos maximè fuiſſe & in Britanniæ agro Cantabrigienſi, ubi modò Vandelſburg viſitur, ſedes habuiſſe, notat Camdenus pag. 82. init. & pag. 359. in Cantabrigia.

Quos vincit. & in Britanniam transfert.

5. Probus igitur *compoſitis in Gallia rebus* (pergit Vopiſcus) *tales ad Senatum litteras dedit: Ago Diis immortalibus gratias P. C. quia veſtra in me judicia comprobarunt. Subacta eſt omnis quà tenditur late Germania: novem Reges gentium diverſarum ad meos pedes, imò ad veſtros, ſupplices ſtratiquè jacuerunt. Omnes jam Barbari vobis arant, vobis jam ſerviunt, & contrà interiores gentes militant. Supplicationes igitur veſtro more decernite. Nam & quadringenta millia hoſtium cæſa ſunt, & ſedecim millia armatorum nobis oblata; & 70. urbes nobiliſſimæ captivitate hoſtium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ civitates aureas, veſtræ P. C. clementiæ dedicavi. & has Jovi opt. Max. ceteriſquè Diis Deabuſquè veſtris manibus conſecrate. Præda omnis recepta eſt, capta etiam alia & quidem major quàm fuerat antè direpta. Arantur Gallicana rura Barbaris bobus, & juga Germanica captiva præbent noſtris colla cultoribus. paſcuntur ad noſtram alimoniam gentium pecora diverſarum; equinum pecus noſtro jam fecundatur equitatui; frumento barbarico plena ſunt horrea. Quid plura? illis ſola reliquimus ſola, nos eorum omnia poſſidemus. Volueramus P.C. Germaniæ novum Præſidem facere; ſed hoc ad pleniora vota diſtulimus. Quod quidem credimus conferre; cùm divina providentia noſtros uberiùs fecundarit exercitus.*

De victoriis ſuis ſcribit ad Senatum Probus. *Vopiſc. in Probo c. 15.*

Quadringenta hoſtium millia cæſa.

70. urbes vindicatæ.

6. Et mox: *Centum milia Baſtarnarum* (qui ultra Danubii ripas colebant) *in Romano ſolo conſtituit, qui omnes fidem ſervaverunt. Sed cùm pleroſque pariter ex Gepidis, Gothunnis & Vandalis tranſtuliſſet, illi omnes fidem fregerunt. & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum penè orbem pedibus & navigando vagati ſunt; nec parum moleſtiæ Romanæ gloriæ intulerunt. Quos ille variis victoriis oppreſſit: paucis domum cum gloria redeuntibus, quod Probi manus evaſiſſent.* Ita Vopiſcus; per eos *qui totum penè orbem navigando pervagati ſunt*; Francos ſignificans. de quo etſi aliquid ſuprà dixerimus, hîc tamen ſuo loco diſtinctiùs agemus.

Varios barbaros in Romanum ſolum tráſfert.

CAPUT II.

FRANCORVM quorundum è Ponto in patriam per mare reditus audax & felix.

Sub eodem Probo. Circa annum Chriſti 280.

1. PRæter Vopiſcum, qui hoc in genere ſolùm tangit, duo prætereà particulariùs atque paulò diſtinctiùs narrant, Zoſimus & Eumenius. Victorem Probum Baſtarnas ad centum millia in Romanum ſolum, ſimul ex aliis gentibus pleroſque tranſtuliſſe, benè Vopiſcus ante omnia notat. & inter iſtos de Francis etiam intelligere ſe, ſatis ſignificat, cum ex gentibus iſtis *paucos domum cum gloria rediiſſe* ſcribit. Id enim Francis maximè convenire, docent, ut dixi Zoſimus & Eumenius. Ille fine libri ſecundi, cùm Baſtarnas à Probo in Thraciam admiſſos fidem Romanis ſervaſſe dixiſſet; ſubdit: *Itidem FRANCI ad Imperatorem acceſſerunt, & ab eo ſedes obtinuerunt.* nempe Thraciâ non procul, & in Ponto. Sed *pars eorum quadam defectionem molita, magnámque navium copiam nacta, totam Græciam conturbavit. In Siciliam quoque delata, & urbem Syracuſanam adorta magnam in ea cædem edidit. Tandem cùm & in Africam adpuliſſet, & adductis Carthagine copiis ejecta fuiſſet; nihilominus domum redire, nullum paſſa detrimentum, potuit. Hoc quoque Probo imperante contigit.* Ita Zoſimus.

Vopiſci narratio *in Probo.*

Item Zoſimi *lib. 2.*

2. Eumenius verò in Panegyrico, *fuit illa ſub Divo Probo paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas. Qui à Ponto* (en Francorum captivorum locum) *uſque correptis navibus, Græciam Aſiamquè populati; nec impunè pleriſquè Lybiæ* ſeu Africæ, in quâ Carthago, *litoribus appulſi, ipſas poſtremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracuſas. Et immenſo itinere pervecti, Oceanum, quà terras rupit,* fretum Gaditanum ſcilicet, *intraverant. Atque ita eventu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum pyraticæ deſperationi, quò navigiis pateret acceſſus.* Hæc ibi. E variis Francorum populis, ſat conſtat, nullos Oceanum magis accoluiſſe quàm FRISIOS; & ſi fortè *Salios* ad lacum *Zuyderzee* aut non procul, extenſos. Nam Batavi tunc adhuc Imperii Romani pars erant. niſi fortaſſe quæpiam cùm Friſiis ceu finitimis, uti nuper ſub Civile & Veſpaſiano, interceſſerit amicitia, occulta publicáve. Friſios igitur, rei nauticæ ſcientiſſimos, maximè fuiſſe Francos iſtos neceſſum eſt. quibus tamen Batavorum quoſdam inquietiores immixtos, nihil impedit. Planè ut quæque gens eorum tractuum poſſeſſionem nacta fuerit, rerum ab omni ferè ævo in mari, ſicut & hodie potita ſit: eventu clarè docente, *nihil eſſe clauſum pyraticæ temeritati, quò navigiis pateat acceſſus.*

Denique Eumenii *in Panegyr.*

3. Sed neque illud hic ex Eumenio ſilentio tranſmittendum, Francos iſtos *Græciam Aſiamquè* in reditu *populatos.* Quis enim non ſtatim inde colligat, Francos iſtos, Troiam in ipſis Aſiæ litoribus ſitam, ſi non iniiſſe, proximè ſaltem adiiſſe, ejus agrum percurriſſe,

Friſii Francica gens quaſi Phrygum, ſeu Troianorum.

curriſſe, non modò priſcâ tantæ urbis gloriâ, ſed & nominis ſui FRISICI cum *Phrygus* affinitate prolectatos: quam etiam poſt reditum ſuis ſubinde ingeſſerint; unde & illi alique tam ardentem originis aut cognationis ejuſdem fingendæ occaſionem hauſerint, & in poſteros dicto ſcriptóve avidè tranſmiſerint. Sicut quòd è Ponto venientes, à Mæotide quoque viciná palude ortum ducerent, ipſi quoque in natali ſuo ſolo paludibus, Mæotidi non adeò diſparibus, tantùm non immerſi. Judicet Lector, an ex tam variis de Francorum origine Scriptorum opinionibus, poſſit fons ullus reperiri congruentior & uberior. Præſertim cum inter primam altiſſimamque nominis Francici mentionem, & hanc tam audacem Francorum navigationem, annorum vix 40. ſpatium interfluat.

CAPUT III.

Probi de tot victoriis triumphus. de Tyrannis item Proculo & Bonoſo Victoria; & mors. Cari & filiorum Imperium.

Ab anno Chriſti 280. ad 285.

1. CÆterùm triumphaſſe de Germanis, id eſt Franciſ & Alemannis, Blemyis, aliiſque gentibus Probum, teſtatur in eo Vopiſcus. Simul addit, *Gallis omnibus, & Hiſpanis, & Britannis abhinc permiſiſſe, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Quod & Eutropius, & ex eo Hieronymi Euſebiive Chronicon, & Victor uterque confirmant. Sanè Strabo libro 4. ſcribit, vineas ævo ſuo in Galliâ non creviſſe ultra gradum 45. id eſt ultra Lugdunum. Plinius tamen Straboni ferè ſuppar, de vino Sequanico Biturico que mentionem facit. Auſonii Poëtæ tempore, annis poſthac circiter 80. Moſella quoque fluvius, etiam infra Treviros, Baccho conſitus erat; ut ipſe in illius amnis elegantiſſimâ deſcriptione canit. Hâc autem ætate noſtrâ, etiam in Campaniâ Francicâ Borealiore, imò & ad Rhenum ipſum, Coloniam Agrippinam uſque; ad Moſam item & Leodium ipſum; id eſt, uſque ad gradum ferè 50. licet exile provenit. Sed in Britanniâ nullum. Pro quâ lubens Pannoniam ex Victore reponerem. Atque ex hiſce tantis Probi victoriis nihil dubium, quin Eccleſia noſtra Belgica, tot Valeriani & Aureliani perſecutionibus paulò antè agitata, tot Barbarorum incurſionibus lacerata, tantiſper reſpiraverit; & in maturiorem Chriſti ſponſam adoleverit.

Gallis vineas habere, permiſit Probus.

Probo vivente, ſecura Belgica.

2. Stare tamen ea Probi pax diu non potuit: tyrannis in Probum duobus novis, PROCULO & BONOSO per Gallias recentiſſimè pacatas inſurgentibus. circa annum Probi quintum aut ſextum, id eſt Chriſti Dionyſianum (quô ſolo nos hic & deinceps utimur) ducenteſimum octogeſimum vel 8r. Eos (ut narrant Vopiſcus & Oroſius) cùm *apud Agrippinam in Galliâ arripuiſſent imperium; omneſque jam ſibi Britannias, Hiſpanias, & Braccata* ſeu Narbonenſis *Galliæ provincias vindicarent; Probus, barbaris ſemet juvantibus, vicit & interfecit.*

Annus Chriſti 280.

Erat PROCULUS Ligur Albinganius; fortiſſimus quidem, ſed (ut idem in eo Vopiſcus) latrociniis jam inde à majoribus aſſuetus: qui tamen armatam ſemper vitam, multis legionibus Tribunus impoſitus, egiſſet. Cumque *improbè & libidinosè, tamen fortiter ageret; hortantibus Lugdunenſibus, qui & ab Aureliano graviter contuſi videbantur, & Probum vehementiſſimè pertimeſcebant; in Imperium vocitatus eſt ludo pœnè & joco. Nam cùm in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipſe decies Imperator exiſſet: quidam non ignobilis ſcurra, Ave, inquit, Auguſte. allataque lena purpurea, humeris ejus ingeſſit, eumq; adornavit. Timor inde conſciorum; atque inde jam exercitus tentatio & Imperii: uxore virtagine etiam illum in hanc dementiam præcipitante; quæ poſtea Sampſo, antea Viturgia, nominata eſt. Non nihilum tamen Gallus profuit. Nam Alemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur, non ſine gloria ſplendore vicit; nunquam aliter, quàm latrocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum uſque ad ultimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, à quibus originem ſe trahere ipſe dicebat; ipſis prodentibus Francis, quibus familiare eſt fidem frangere, vicit & interemit.*

Proculus Tyrannus in Lugdun.

3. BONOSUS *autem domo Hiſpanienſis fuit origine Britannus; Galla tamen matre. ut ipſe dicebat Rhetoris filius; ut ab aliis comperi, pædagogi literarii. Parvulus patrem amiſit, atque à matre fortiſſimâ educatus, literarum nihil didicit. Militavit primùm inter ordinarios, deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit, dux Rhætici limitis fuit. bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus ſæpè dicebat, Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibat. quem quidem diu in honore habuit, cauſa militiæ. Nam ſi quando Legati barbarorum undecumque gentium veniſſent, ipſis propinabat, ut eos inebriaret; atque ab hiſ per vinum cuncta cognoſceret. Ipſe quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius; & ut Oneſimus dicit ſcriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, ut quantum bibiſſet, tantum mingeret. neque unquam aut ejus pectus, aut venter, aut veſica gravaretur. Hic idem cùm quodam tempore in Rheno Romanas Luſorias naves Germani incendiſſent, timore ne pœnas daret, ſumpſit Imperium: idque diutiùs tenuit quàm merebatur. Nam longo graviq; certamine à Probo ſuperatus, laqueo vitam finivit. Tunc quidem jocus extitit, Amphoram pendere, non hominem.* Facta hæc prælia Agrippinæ, teſtantur Eutropius, uterque Victor, & Oroſius. nempè propè Francos, ad quorum opem Proculus anhelabat. Addit in Probo Vopiſcus, *Germanos omnes, cùm ad auxilium eſſent rogati à Proculo, Probo potius ſerviſſe maluiſſe, quàm cū Bonoſo & Proculo eſſe.* Suſpicor Proculum & Bonoſum diverſis Galliarum partibus à Probo præpoſitos, illum Lugdunenſi, hunc Belgicæ noſtræ Rhenaníque limitis Ducem. tametſi ſeparatim ſibi quiſque purpuram primum hauſiſſet; metu tamen Probi conſpiraſſe.

Et Bonoſus.

Circa Coloniam Agrippinā ſuſpenſus.

4. Probum denique, cùm annos ſex & menſes quatuor, juxta Eutropii, Victoris utriuſque, Euſebii, Caſſiodori, & omnium (excepto uno Vopiſco qui quinquennium tantùm indulget) ſententiam imperaſſet. pertæſi proprii milites, quos nunquam otioſus eſſe patiebatur, brevique neceſſarios non fore jactabat, in Illyrico Sirmii, cùm bellum Perſicum pararet, occiderunt, etiam fugientem; anno Chriſti vulgari 282. tanto Francorum Alemannorumque gaudio, ut ſtatim in Galliam incurrerint.

Probus à ſuis cæſus; anno Chriſti 282.

CARUS Imperator cum duobus filiis.

5. Suffectus ei CARVS Prætorio Præfectus, Narbone in Galliâ natus, ſi Victorem utrumque, Eutropium, Oroſium, Euſebii Chronicum, adeoque Sidonium Apollinarem in Narbone audimus; ſtatim liberos CARINUM & NVMERIANVM Cæſares dixit. *Et quoniam*, ait Victor Schotti, *cognita Probi morte, barbarorum quique opportune invaſerant; ad munimentum Galliæ majorem filium* Carinum; & quidem ut addit Vopiſcus, *cum lectiſſimis viris deſtinavit: ſæpè dicens, Miſerum ſe, quòd Carinum ad Gallias Principem mitteret; neque illa ætas Numeriani eſſet, ut illi Gallicanum, quod maxime conſtantem Principem quærit, crederetur Imperium.* Nonnihil tamen eum cum viris iſtis lectiſſimis profuiſſe, [illegible] ſtatur in libro Cygeneticôn Olympius Nemeſianus Poëta, cùm canit, ab eo fratreque *edomitas gentes, Quæ Rhenum Tygrimque bibunt.*

Carinus in Gallias à patre miſſus.

6. Ita Carus abducto Numeriano in Perſas profectus, cùm ad Cteſiphontem vincendo perveniſſet, fulmine ictus, poſt biennii imperium occubuit. Ejus filius *Numerianus*, exercitum reducens, ab Apro Prætorii Præfecto Perinthi in Thraciâ cæſus eſt. Verùm DIOCLETIANUS ab eo exercitu Auguſtus acclamatus, Apro illo fatali, ut ajebat, manu ſuâ pro concione transfixo, habenas ſuſcepit Imperii. Carino interim Occidentis adhuc Imperium in Galliis maximè, ad annos ferè duos obtinente, licet omnium contaminatiſſimus & crudeliſſimus à Vopiſco dicatur. qui etiam ex hac occaſione quippiam, hîc non omittendum, de Atrebatibus noſtris ingerit.

Carus in Perſide fulmine ictus perit.

Succedit Diocletianus Apro cæſo.

7. Scribit enim ſuo ævo Junium quemdam Meſſalam extitiſſe, qui in ſcenicos & hiſtriones, mimos & mimas patrimonium effuderat. uſque adeò, ut inter cetera luxûs inſtrumenta *birros inde uſque ab Atrebaticis petitos donarit.* Quod moneo, ut quæ tunc, id eſt ante annos ferè 1400. in Atrebatibus noſtris vigeret ars, intelligamus. Sunt Birri, ut in hunc locum Salmaſius, lacernæ ſeu chlamydes, aut etiam ſaga vel pænulæ birri coloris, id eſt Rufi & Ruſſei. qui Græcè ξηραμπέλινος appellatur, muſto turbato ſimilis; & ut vetus Juvenalis interpres, inter coccinum & muricem medius. Ac propriè byrrus colorem tantùm talem ſignificat, hic tamen pro veſte iſtius coloris ſumitur; more Græcis ac Latinis uſurpato; quo hi *prætextam* capiunt pro tunicâ quæ purpurâ prætexebatur: Albam, & galbinam pro tunicâ albi galbinique coloris. In actis S. Cypriani Cartaginienſis clariùs utrumque conjungitur. ibi enim legimus, cùm ad Martyrii locum perveniſſet, *lacerno, birro*, ſeu lacernâ birra ſe expoliaſſe. Idem Salmaſius in duobus Trebellii Pollionis Gallienis, pro lectione vulgatâ, *Non ſine trabeatu ſagis Reſpublica tuta eſt?* Legendum contendit, *Non ſine Atrabaticis ſagis.* quæ ſcilicet apud ſolos Atrabates texebantur & tingebantur: unde Martialis. *Veſtitur Gallia Rufis, & placet hic pueris militibusque color.*

Birri Atrebatici.

CAPUT IV.

Diocletiani & Maximiani exordium.

Ab anno Chriſti 284.

1. TAmetſi in annis ſuperioribus à Chriſto ſupputandis variorum ſit varia ſententia, & plerumque biennio, ſubinde triennio diſſentiant: omnibus tamen in confeſſo eſt, Primum Diocletiani annum ex anno vulgaris Æræ à Dionyſio Exiguo ferè conſtitutæ, & ab Eccleſiâ hactenus uſurpatæ, ducenteſimo octogeſimo quarto, & quidem ex quintodecimo Calendas Octobres, ſeu ſeptimo [illegible] Septembris conſurgere; ut rectè feliciterque Chronicon ſcilicet Alexandrinum. Niſi quis malit Ægyptiorum more, eam à primo primi eorum Menſis Thoth, ſeu Auguſti viceſimo nono, parvo dierum diſcrimine, deducere. Infinitis pene, iiſque potentiſſimis id evincentibus argumentis, quæ nos alibi cum Deckerio, Scaligero, Petavio, ceteriſque principibus Chronographis ediſſeruimus. Ipſi etiam Annales Eccleſiaſtici biennio hucuſque præcurrentes, in gratiam hic cum Dionyſio commodè redeunt. commodiùs redituri, ſi præcurſum iſtum prius agnoviſſent; non duorum annorum qui verè fluxerunt ſucciſione, decurtaſſent. Utcumque ſit, fluet hinc noſtra Supputatio liquidior, ſolis vulgaribus annis ex omnium ſuffragio contenta; ita tamen ſi nunquam obliviſcatur lector, Dionyſianam iſtam ſeu vulgarem Chriſti Æram, Noſtrâ quam veram putamus, eſſe toto quadriennio tardiorem contractioremve; & quæ hic ponitur annorum 284. nobis eſſe, ex validis argumentis ipſo Chriſti natali productis, ducentorum octoginta octo. Rurſum quamvis perobſcurum Diocletiani ſit in hiſtoriis ſuperſtitibus Imperium, communiſque illa ſit & æqua Scriptorum hodiernorum querimonia; fertiliorem tamen Belgicæ hiſtoriæ materiam ſuppeditant, qui ſuperſunt hodie, Treviris per hæc tempora dicti Maximiano Diocletiani collegæ, Conſtantio, ac Conſtantino Panegyrici. è quibus ſequentium præcipua hauſimus.

Certum Diocletiani initium ex Ærâ Martyrum.

Æra Diocletiani ſeu Martyrum contractior eſt Ærâ Chriſti Dionyſiana [illegible] nis 284.

2. Carinum Cari filium, Galliis & Occidenti à patre præpoſitum Diocletianus hoſtem multis præliis, ac toto fere biennio expertus eſt. Tandem poſtremâ ad Murgum Mœſiæ Superioris oppidum amnemve pugnâ victor, Carini morte pacificum ſoluſque inivit imperium. Hinc igitur vaſtum animum in occidentis curas vertit. Statim comperit *Carini è Gallia diſceſſu* (verba ſunt Aurelii Victoris) *Ælianum Amandumque per Galliam, excitâ manu agreſtium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatu latè agro, pleraſque urbium tentare.* fuere Bagaudæ agreſtes ſeu ruſticani & agricolæ, ad rebellionem tum ferè juſtam præpoſitorum ſuorum acerbitatibus & tyrannicis exactionibus incitati. Vnde Mamertini Panegyricus (pag. 91.) *Cùm militares habitus*, inquit, *ignari agricolæ appetiverunt; cùm arator peditem, cùm Paſtor equitem, cùm hoſtem barbarum, ſuorum cultorum ruſticus vaſtator imitatus eſt.* & Salvianus *Bagaudæ*

Carinum vincit cæditque Diocletianus anno Chriſti 286.

Bagaudæ Gallia [illegible] bellant.

per

per malos Judices & cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquam jus Romanæ libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. & vocamus rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti ſunt, niſi improbitatibus noſtris, niſi eorum proſcriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprii emolumenta verterunt; & Indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt? qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum non rexerunt traditos ſibi, ſed devoraverunt: nec ſpoliis tantum hominum, ut plerique latrones ſolent, ſed laceratione etiam, &, ut ita dicam, ſanguine paſcebantur. At ſic actum eſt, ut latrociniis Judicum ſtrangulati homines & necati, inciperent eſſe quaſi barbari, quia non permittebantur eſſe Romani.] Hæc & plura Salvianus. Neque verò Bagaudæ vel Bacaudæ ſolùm rebelles latronéſve dicti; ſed etiam Bagauda latrocinium & popularis agreſtíſve ſeditio. Vnde *Gallorum ſervitia in Bagaudam conſpiraſſe* ſcribit in Chronico Proſper, ut ſuo loco dicemus.

Multas urbes capiunt aut tentant.

3. Pleraſque urbium eos quoque tentaſſe, ſuprà ex Victore audivimus. Speciatim Auguſtodunum ab iis *obſeſſum, & graviſſimâ clade perculſum,* uſque adeo *ut auxilium Romani Principis* (ſeu Claudii ſeu Diocletiani) *rogaret*; ut in Panegyrico tradit Eumenius. Caſtri quoque Bagaudarum meminit S. Baboleni Vita, ab Du cheſne in Franciciæ hiſtoriæ corpore edita, pag. 660. ſitumque refert ad Matronam Pariſios inter & Meldos, ubi modò Foſſatenſe S. Mauri Monaſterium cernitur. Non dubito tamen quin idem paſſæ Belgarum noſtrorũ pleræque civitates: ne quid addam de perpetuis Barbarorum tranſrhenanorum irruptionibus, quas Imperatorum crebrior abſentia ſocordiáve parum in tempore compreſſerint. prorſus ut miſerandam hoc tempore Belgii noſtri faciem fuiſſe neceſſe ſit.

Hinc Maximianus in Collegam Imperii aſſumptus.

4. Ad hos igitur motus comprimendos Diocletianus, *Maximianum ſtatim fidum amicitiâ, quanquam ſemiagreſtem, militia tamen atque ingenio bonum* (ut ſunt verba Victoris) *Imperatorem jubet.*] & quidem ſi Chronico Alexandrino fides, *inchoante tertio ſui imperii anno, cùm Nicomediæ hibernaret,* Ergo exeunte Septembri, vel ineunte Octobri anni Chriſti 286. quo Diocletiani tertius annus inibat. Ita Maximianus cognomento Herculius, Cæſar dictus, Nicomediâ in Italiam Romamque venit. eumque *primò ingreſſu tantâ populi Romani frequentiâ lætitiáque excepit, ut cùm ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre geſtiret, ſtipatione ſui vix ad ad portas urbis admitteret.* ait Incerti Panegyricus, pag. 129. Abduxit ſecum è Palæſtinâ Thebæorum legionem jam Chriſtianam. Quæ cùm in Galliam anno proximo 287. præmiſſa, trans Alpes Octodorum in Veragris ad Rhodanum perveniſſet; & Maximianus antequam hoſtes aggrederetur, exercitum de more luſtrare, ſolitiſque Gentilium ſacrificiis & juramentis adigere ſtatuiſſet: Legio Chriſtiana ne iis ſeſe ſacrificii ritibus pollueret, longiùs ad octo paſſuum millia Agaunum ſeceſſit. Unde à Maximiano revocata, cùm non paréret, ſemel iterumque decimationem hortatore Mauritio paſſa, denique tota immiſſo exercitu barbarè trucidata, martyrii lauream 22. Septembris adepta eſt.

Qui Bagaudis victis Gallias pacat.

5. Inde Maximianus Ruſticos illos Bagaudas aggreſſus, levibus aliquot prœliis fudit, & domuit, aut deditione accepit. De quo hæc adhuc in ſuprà dictâ S. Baboleni vitâ ſuperſunt: *Bagaudarum caſtrum Cæſar* Maximianus *tam diu obſidione terrâ aquaq; cinxit, quouſque illud cum habitatoribus cepit; quos ferro & igne occidit. Caſtrum verò ad nihilum ita redegit, ut penè abſque ruinis foſſatuum, nulla veſtigia in eo apparerent. Habitatores autem, quia Chriſtiani erant, ſpernentes pro Dei amore curam corporum, ad regna cæleſtia tranſiiſſe credendi ſunt per martyrium. & licèt de eorum vitâ vel paſſione ſcriptum non habeatur. tamen eorum memoria & nomina de libro vitæ minimè delebuntur.* Ita ibi.

Quæ de novo Barbaræ gentes invadunt.

6. Gallias ergo Maximianus priorum temporum injuriis efferatas brevi tranquillavit. ut ex Victore, Eutropio, Panegyriciſque diſcimus. in quorum uno Mamertinus ita pergit, pagina 90. *Vixdum miſero illo furore ſopito, omnes Barbaræ nationes,* tot nempe Romanorum Imperatorumque diſcordiis, & neſcio quâ inſuper libidine concitatæ, *excidium univerſæ Galliæ minabantur. Neque ſolùm Burgundiones & Alemanni* ab Auſtro, ſed etiam à Septemtrione *Chaibones Eruliqúe viribus primi, barbarorum locis ultimi,* ad mare Codanum ſcilicet, *præcipiti impetu in has provincias irrumpebant.* Maximianus igitur *conſilio potiùs quàm vi bellum gerendum ratus, ceteros quidem perduelles,* Burgundiones & Alemannos, circa Rhenum Mœnumque degentes, pridemque Romanis cognitos, *quibus ſua ipſa peſtifera erat multitudo, ire paſſus eſt in profundam famem, & ex fame in peſtilentiam. Chaibones tamen Heruloſque, non dignatus pari aſtu perdere, aperto Marte atque uno impetu perculit. Ita cuncti Chaibones, Eruliqúe cuncti tantâ internecione cæſi, ut extinctos eos relictis domi conjugibus ac matribus non profugus aliquis è prælio, ſed victoriæ gloria nunciaret.* Nimirum ſtruere jam incipiebat Dei providentia punitionem & initia ruinæ Romanorum Imperio; eoque gentes iſtas Boreales juventute nimiâ gravidas, in eos paulatim acuebat & immittebat, quæ perniciem illi tandem intulerunt. Ut omnium rerum quædam eſt ætas, ita & Regnorum. ultimus iſti Imperio finis adventabat. Et Chaibones quidem Tacitus libro de Germaniâ non nominat: *Aviones* habet; Anglis Warinisque ſeu contractiùs Warnis conjunctos: quos ſi forti & Germanicâ adſpiratione pronunties, *Chaibones* efficies; ad ſinum Codanum cum illis Heruliſque adſitos. id eſt, ut Eumenius notat, *locis ultimos.*

Burgundiones, & Alemanni.

Chaibones & Heruli.

Omnes à Maximiano victi.

Burgundiones Vandalica gens.

7. Burgundiones verò, ex Borealibus item regionibus, ac Scandiâ ejuſdem maris Codani peninſulâ, cum Vandalis, quorum pars erant, jampridem profecti, cum iiſdem jam antè in Bohemiam à Marcomannis, ut ſuprà dixi, inſeſſam, pervenerant: quando Dion ætate ſuâ dicit Albim in Vandalicis, id eſt, tunc Bohemicis montibus oriri libro 55. Ibi nimiâ ſui multitudine gravati, ſeſe diviſerant: & in Illyricum ipſi Dannubio trajecto irrupturi, Burgundiones in occaſum Rhenumque præmiſerant; ubi Alemannos iſti invenientes, belli in Gallias cum illis ſocietatem inierant. Iſtáque eorum eſt ſi non prima, ſaltem ex primis in eas irruptio. Plures ſecutura pandet hiſtoria. Propter hos igitur ac ſimiles Galliis incumbentes Barbaros, Treviris Imperii ſedem figere Maximiano conſilium fuit. ubi ſcilicet & hoſtibus vicinior, & ad opem ſuis ferendam paratior eſſet. Quod & Poſtumum Tetricumque paulò antè feciſſe credo; & à ſucceſſoribus continuatum infrà videbimus. Hinc tot

Maximianus Treviris ſedem figit.

Panegyrici Treviris tanquam Imperatorum ſolio, non Maximiano ſolùm, ſed & Conſtantio, Conſtantino, ſucceſſoribusque dicti. Acceſſit tamen & alia ejuſdem conſilii cauſa, à Saxonum novorum hoſtium cum Francis, Friſiis maximè, novâ conjunctione; internâ inſuper civilique Carauſii Menapii ſeu Flandri (ut hodie diceremus) rebellione, eâque navali. de quâ jam dicendum.

CAPUT V.

SAXONUM cum Francis, maximè Friſiis, nova conſpiratio: & nata inde Carauſii rebellio.

Anno Chriſti ferè 291. & ſequentibus.

Franci è Ponto reduces populares ſuos ad Pyraticam excitant.

1. NOnnulla ad hanc conſpirationem concurrunt. quæ antequam pergo, ſigillatim, evolvenda Primùm ſub Probo, circa annum Chriſti vulgarem 280. ut dixi, Franci è Ponto, audaciore neſcias an feliciore navigatione, poſt longam opulentamque civitatum ditiſſimarum deprædationem, in patriam læti locupletésque redierant. Eâ relatione populares exhilaraverant; ſimul pyraticam populationem terreſtri longè pinguiorem tutioremque perſuaſerant: eamdem repetendi impetum affuderant. Francos iſtos Friſios maximè fuiſſe, ea maris viciniâ reíque maritimæ peritia oſtendi, cùm Franci ceteri mediterranei & & interiores rei navalis expertes eſſent. Igitur ipſi vicinique nonnulli, & dulcedine prædæ, & populárium ſuorum exemplo, pyraticam in poſterum exercere ſtatuerunt: & fugâ, ſi fortè à potentioribus premerentur, expeditiore; & prædæ reducendæ facilitate tanto majore.

Cum Saxonibus in eamdem conſpirant.

2. Dum in eo ſunt, Saxones illis viſi præ ceteris commodi, qui in ſocietatem aſſumerentur, eidem Oceano, eidem oræ confines, ſibíque vicini. eam occaſionem Saxones obviis ulnis amplexantur, jam ante & ſimilibus aſſueti, aut tunc ſaltem aſſueſcentes; & terrarum auſtraliorum, calore ſimul & pinguedine multò gratiorum, deſiderio æſtuantes: denique & ipſi Friſiorum felici expeditione concitati. Sive igitur in Meridiem procedentes ad Friſios ipſos tunc perveniſſent; ſive ab iis invitati, facilè in eumdem finem conſiliumque convenerunt. Hoc certè tempore conveniſſe, clarè docent Victor Schotti & Eutropius, cùm *Germanas* ſeu ut diſtinctiùs Eutropius, FRANCOS, & maximè Friſios *mare per Belgica & Armorica tractum ſimul infeſtaſſe*, ſcribunt. Cur enim tunc primùm, & ita conjuncti infeſtant? Ita Friſii Francorum ſocietati Saxonicam prætuliſſe videntur, ceu maritimam.

Cauchi quoque, Angli, Warni, &c.

3. Acceſſerunt ſive tunc etiam, ſive temporis ſucceſſu (neque enim iſta ſcriptorum defectu, ita definiri poſſunt) finitimæ gentes aliquot, ejuſdem lucri nidore ineſcati; *uva ut livorem conſpectu ducit ab uvâ*, Juitæ, *Cauchi*, *Angli*, *Warini* ſeu contractiùs *Warni*, aliique confines, Codano ferè ſinui prætexti; terrâ etiam per medios Saxones Cherſoneſi faucibus adſitos, ſi Codanus ſinus Oceano disjunctior videretur, itinere tantò breviore conjungendi. Angli quidem certi ſunt; quando poſthac in Britanniâ cum Saxonibus ſocii victores reperiuntur. Friſii item noſtri, quos Procopius libro quarto Goticorum Græco, Britanniæ jam devictæ incolas, non minus quàm Saxonas & Anglos, diſertè facit.

Cauchi jam olim Pyraticæ aſſueti, duce Gannaſco.

4. Cauchos etſi non æquè in Britanniâ, non item in eadem ſocietate reperiam, tamen & ejuſdem ſinûs Codani adſeſſio; & Zoſimi quædam de Saxonibus in Salios Chamavosque Francos irrumpentibus narratio, licet obſcura, nos eò ferè trahit. Nam libro tertio ſcribit, Juliani Cæſaris tempore, Saxonas omnium iſtius tractus barbarorum fortiſſimos laborumque tolerantiſſimos, nationis ſuæ partem *Quadas* in Romanum ſolum emiſiſſe prædaturos. Quinam iſti Quadi, prorſus incogniti? *Cauchos* reponit Cluverius, & nominis affinitate & loci viciniâ faventibus. Ad hæc Tacitus annali undecimo, Gannaſcum quemdam memorat, Romanis primo auxiliarem ac diu meritum, utpotè *Canninefatem; max. transfugam*, Cauchis Ducem ſe præbuiſſe, & cum iis *Inferiorem Germaniam incurſaſſe; ac levibus navigiis prædabundum, Gallorum maximè oram vaſtaſſe; non ignarum dites & imbelles eſſe.* donec Corbulo ei regioni ſub Claudio Imperatore Præfectus, eum dolo aggreſſus perimeret. ſimul eâ cæde Cauchos in Romanos non parum irritaret. A Claudio huc uſque anni ſuprà ducentos effluxerant. fateor, ſed quidni cædis ejuſdem reminiſcentia, prædæ hic ſperatæ conjuncta, Cauchos excitare, & Saxonibus Friſiisque conjungere potuit? Ita ad binas præcedentes trans Rhenum Alemannorum Francorumque in Romanum Imperium conjurationes, tertia iſta denique Saxonum acceſſit; ceteris etiam fortior, ut è Zoſimo mox audivimus: extremam in hac Boreali Imperii parte perniciem allatura: Hollandiam certè totam, Zelandiam atque Britanniam à reliquo Imperii corpore avulſura. Atque hinc jam Hieronymum clarè intelligimus, *inter Saxonas & Alemannas, regionem* jacuiſſe *Francorum, non tam latam quàm validam.* Unde porrò tertiæ iſti factioni nomen *Saxonicum*, potiùs quàm Friſicum, aut ſimile, non ſcio: niſi fortè Saxones tùm ceteris eſſent potentiores & acriores. Iſti ergo Friſii, quos *Francos* Eutropius, *Germanos* Victor appellat, hoc tempore Saxonibus, Anglis, Warinis ſeu Warnis, ex pacto, an vi conjuncti, maria hæc noſtra infeſtabant. & contra eos Carauſius Menapiæ ſeu Flandriæ noſtræ civis, immiſſus eſt. qui quis fuerit, jam videndum.

Saxonum iſta conſpiratio, Belgicæ & Britanniæ exitiabilis.

Carauſius in Romanos rebellis.

Menapius.

5. *Menapia civem* diſertè vocat Victor Schotti; *Bataviæ alumnum* Eumenii Panegyricus Conſtantino dictus. Et ego quidem Victori magis accedo, diſtinctiùs certiúsque loquenti: exilis tamen Menapiam inter atque Bataviam diſtantia eſt, magna in re nauticâ conjunctio. potuitque in Menapia naſci, in Batavia ali, *Bataviaque alumnus* inde dici: tanto magis, quanto *adoleſcentiam ſuam navium gubernandarum officio mercede exercuit, & factis promptioribus enituit.* *Viliſſimè natum* ſcribit Eutropius; honoratiùs *Menapiæ civem* Victor appellat, quaſi in præcipuâ aliquâ Menapiorum civitate, puta Tornaci, Gandavi, aut ſimili urbe genitus. Certe ruſticum aliquem viliſſimè natum, vix ullus Victori par ſcriptor rectè *civem* appellaverit. Sed quacumque de-

mum

mum vilitate natus, *ſtrenuo militiæ ordine, famam egregiam conſecutus*, ab Eutropio ipſo ſcribitur; virtute natalitia ſuperante.

Menapii inter Morinos & Batavos, maritimi.

6. Menapios autem jam inde ab Julii Cæſaris, & Auguſti maximè ævo, Morinos inter ac Batavos ad Oceanum Flandricum incoluiſſe, quà modò Brugenſis Gandenſiſque, imò & juxta Philippum ab Eleemoſina Bonæ Spei Abbatem, Tornacenſis hodierna diœceſes latè porriguntur, ſuprà aliquoties ex Cæſare ipſo, Strabone, Plinio, Dionéque docui. Sufficient modò Ethici Oroſiique verba huc maximè facientia; *Britannia Oceani inſula à Meridie Gallias habet*, Belgicam maximè noſtram. *cujus proximum litus transmeantibus civitas aperit, quæ dicitur Rhutupi portus. Unde haud procul à Morinis in Auſtro poſitos Menapios Batavóſque proſpectat.* Ecce Menapios in Gallico Belgicóque litore, Britanniæ ad Auſtrum objectos, Morinos inter ac Batavos, quorum ſitus longè certiſſimus. Quod accuratiùs inculco; quia video recentem Geographum Cluverium, alioqui diligentem, Menapios intra ſolos Kempiniæ ſeu Campaniæ Brabanticæ fines concludere; quod & facere videtur Ptolemæus, Julianos Auguſtæosque Menapios etiam poſteriore ſuo ævo confundens. Ortum igitur ex hac Flandriæ regione Carauſium aptè Victor Menapiæ civem appellat; non è Menapiis aliis Hibernicis, etiam Ptolemæo Camdenoque memoratis; quando Eumenius *terram Bataviam* (non Hiberniam) *ſub ipſo quondam alumno ſuo à diverſis Francorum Regibus occupatam, Conſtantium omni hoſte purgaſſe*, teſtatur. terram, inquam, illam, *quam obliquis meatibus Scaldis interluit*, ut idem alio Panegyrico adjungit Eumenius.

Carauſius claſſis Romanæ Præfectus ad BONONIAM.

7. Talis igitur iſte Carauſius tunc Menapius, modò Flander, *gubernandi naves gnarus, quo officio adoleſcentiam mercede exercuerat, paranda claſſi, ac propulſandis Germanis* ſeu Francis, *maria infeſtantibus, præfectus eſt: & apud BONONIAM* (addit adhuc Eutropius) *per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepit, quod Franci & SAXONES*, non multò antè confœderati, *infeſtabant.* ubi *multos Barbaros ſæpè cepit.* freto maximè Bononienſi ſeu Caletenſi, quod evitare non poterant excurrentes Barbari; commodè ex vicino medioque incubans. Verùm ille hoc tanto *munere elatior, cùm non parum multos opprimeret, neque præda omnia in ærarium referret*; vel ut fuſiùs Eutropius, *cùm multis Barbaris ſæpè captis, nec prædâ integrâ aut provincialibus redditâ, aut Imperatoribus miſſâ, ſuſpicio eſſe cæpiſſet, conſultò ab eo admitti barbaros, ut tranſeuntes cum prædâ exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret; Maximiani Herculii metu, à quo ſe cædi juſſum compererat, purpuram ſumpſit, & Britannias hauſto imperio capeſſivit.* Ita Victor & Eutropius.

Britanniam hauſto imperio occupat.

8. Plures adhuc defectionis hujuſce circumſtantias refert idem qui ſuprà Eumenius, pag. 214. *Illo inquam nefando latrocinio abducta primùm à fugiente Pyrata* (Carauſio) *claſſis, quæ olim Gallias tuebatur. Ædificatæ præterea plurimæ Romanum in modum naves. occupata Legio Romana.* (credo Britanniis continendis impoſita) *contracti ad delectum mercatores; ſollicitatæ per ſpolia ipſarum provinciarum non mediocres copiæ Barbarorum: atque ea omnes ad munia nautica, flagitii illius auctorum magiſterio, erudita. Ita exercitibus Romanis; virtute licet invictis, tamen in re maritima novis, mala coaluit ex indigniſſimo latrocinio belli moles.* quæ aliquot inde annos obtinuit; ab anno ferè Chriſti vulgari, 291. ad trecenteſimum, ut ſequentia docebunt. Neque tamen ipſo Britanniæ ſinu ſe Carauſius occuluit; Bononiam in continente nunquam dimiſit; ſapiente conſilio, & illud tanti momenti fretum, utroque litore occupandi; & apertam, cùm vellet, in Gallias exſcenſionem portamque retinendi. Porrò Barbaros illos, quos hic per provinciarum ſpolia ſolicitaſſe ſibique adſciviſſe dicitur, ego Francos, Saxoneſque eum ſociis jam deſcriptis fuiſſe non dubito. qui jam inde Friſiis confœderati, continentis oræ maritima, Britanniæ oppoſita, ab Rheni oſtiis Bataviaque, ad Albis uſque os & Cherſoneſum in Boream obtinebant; in Auſtrum autem & occaſum Belgicam noſtram & Armoricam omnem infeſtare non ceſſabant. unde litori iſti nomen inditum Saxonico.

Neque tamen Bononiam relinquit.

Septennio imperat claſſe ſecū abductâ.

& poſt eum triennio Alectus.

9. Carauſii tyrannidem in Britannia Victor *ſexennio*, nempe completo, Eutropius *ſeptennio*, labente ſcilicet concludit. quam poſt ejus cædem triennio ſatelles ejus *Alectus* excepit; ſicque in decennium integrum extendit. ab anno ferè Chriſti Dionyſiano 291. ad trecenteſimum. Nec deſunt ejus imperii apud Occonem, Camdenum, alioſque teſtes Nummi. Et rebellione quidem cœptâ, Maximianus Herculius in perduellem infeſtus movit. Sed claſſe jam abductâ, cùm Britanniam ſtatim impetere non poſſet, pace tantiſper indultâ; in Carauſii ſocios auxiliares Francos Bataviam occupantes ſe vertit, quo perduellis vires acideret, & aliam interim claſſem inſtrueret. Aliquid certè negotii cum Francis illi fuiſſe, ex Mamertini Panegyricis ſatis intelligimus, etiam ante Cæſarum novorum adoptionem, quam in annum Chriſti 293. Diocletiani 9. Martiaſque Kalendas certò incurriſſe mox videbo: imò & ante Mediolanenſem Auguſtorum conventum, quæ adoptionem quoque iſtam antevertit. Nam primò memorat *domitis oppreſſa Francis bella pyratica.* quæ pyratica, niſi cum Saxonibus atque Carauſio? Rurſum p. 102. *Etiam illa*, inquit, *quæ armorum veſtrorum terrore facta ſunt, velut armis geſta prætereo, Francos ad petendam pacem cum Rege venientes.*] Francorum iſte Rex quis fuerit non exprimit. Genobaudem quemdam memorat Mamertinus pag. 94. *Per te* (Maximiane) *regnum recepit Genobaudes, Atech verò munus accepit. Quid aliud ille expetivit, ad conſpectum cum omni ſua gente veniendo, niſi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cùm te, Maximiane, placaſſet? Oſtendit ille te identidem (ut audio) popularibus ſuis, & intueri diu juſſit, & obſequia diſcere, cùm tibi ipſe ſerviret.*] Apparet plures Francorum Reges inter ſe, ut fit, diſſenſiſſe, & Carauſio quoſdam, nonnullos Maximiano faviſſe. eóque *Genobonem* aut potiùs Genobaudem (Francicum nomen) à Carauſianis expulſum, à Maximiano reſtitutum. *Atech* Franciæ cujuſdam alteriùs gentis Rex fuerit; quam non ſatis diſpicio. Eſatech in quibuſdam cuſis dicitur. Sed prior ejus ſyllaba *Es*, poſtrema eſt nominis uſitatioris, *Genobaudes*; ita ut proximè junctus Rex, non Eſatech, ſed Atech appellatus ſit.

Nova Claſſis à Romanis inſtruitur.

Et interim Franci impetuntur.

10. Ceterum ut prior Maximiani in Bagaudas, ita & poſterior hæc in Carauſium expeditio, non ſine Martyrum noſtrorum ſanguine patrata. Sic enim Helinandus: *Comperto quòd Carauſius quidam nobilis* (nobilem ecce hic vocat, quem Eutropius viliſſimè natum dicit) *inſidias contra Romani regni*

ſines molitetur (qui tum Procurator conſtitutus erat provinciæ, quæ eſt juxta Oceanum, ubi Franci jam ſecundò à ſuis ſedibus expulſi, juxta Gallorum & Saxonum confinia conſederunt, credo in Bataviâ) miſit illuc Maximianus per Rheni fluminis alveum (credo Colonia Agrippinâ & ex Germaniâ Superiore) *partem ſui exercitûs, cujus militari virtute nefarium caſſaretur inceptum. In quo itinere præcipuos belli dominici duces Gereonem, Victorem, Caßium, & Florentium felices turma Chriſtianorum militum ſequebantur.* Voluit & hac vice exercitum ſuum Diis ſacrificare Maximianus, eoque ſatellites in Chriſtianos milites immiſit, ut eos aut à Chriſti fide abducerent, aut nolentes trucidarent. Hi primò quidem *Caßium & Florentium cum 7. aliis ſimilis conſtantiæ viris, juxta Veronam civitatem* (quæ & Bonna) *in ripâ Rheni conſidentes repererunt. quos cùm agnoviſſent de orientali fuiſſe præſidio* (de Thebæa ſcilicet legione Chriſtiana ex Oriente abductâ) *ſævientes contra eos de profeßione ſciſcitati ſunt. Cumque illi, nec voluntate cordis, nec ſententiâ reſponſionis à ſuperioribus* (qui Agauni jam antè cæſi fuerant) *diſcreparent, ſubmiſſis capitibus in eodem loco pro Chriſti nomine perempti ſunt.*

Gereonis & ſociorum Martyrum.

II. *Mox ergo ad B. Gereonem ejuſque ſocios 318. cum illo pariter fide veritatis armatos, perſecutor neſcio velocius an fama pervenerit. Progreßi tum paululum ante ſubſequentes carnifices, in campis Agrippinæ magnæ civitatis martyrii gloriam, ſeſe invicem cohortantes, præſtolati ſunt. Quibus continuò ſupervenientes hi qui miſſi erant à Iudice, inſani tortores,* ſanctos ibi trucidant, *eorum corpora per campi illius planitiem trahunt, & in puteum quemdam maximum projiciunt. Locus hodie ad Martyres appellatur. Interim cohors quoque illa, quæ Beatum Victorem comitabatur, ad locum deſtinatum properans, pervenit ad oppidum Francorum, quod ex majorum ſuorum ſedibus Troiam nuncupabant; ibique cum Duce ſuo caſtra in pratis virentibus poſuit. Nec minus audaces illi cruentique milites adfuerunt: peremptoque illic fortißimo Chriſti milite cum 330. martyribus, ſancta eorum corpora in locis paluſtribus ſubmerſerunt. Tandem optatis locupletati ſpoliis, cum exercitu reliquo, quia Carauſius ille fugiens* (è Bataviâ ſcilicet à Francia confœderatis ſuis occupatâ) *ſeſe in Britanniam tranſtulit, quò venerant, læti pro ſcelere redierunt.*] Iſta licèt breviata, Helinandus. Quæ tanto libentiùs exſcripſi, quanto & in Belgicâ paſſi ſunt, & nulla ferè illuſtrior in Belgio etiam hodierno Eccleſia eſt, quæ Martyrum horum reliquiis non decoretur. Poccò ad hunc Chriſti annum 291. refero, cùm adverſus Carauſium rebellantem Maximianus ipſe primùm movit, & Francos ab ejus ſocietate quà pactis quà armis avocavit. Quadriennium igitur totum hos inter & Agaunenſes martyres interfluxiſſe neceſſum eſt; ſi Agaunenſes primo in Bagaudas procinctu, & hi poſteriore contra Carauſium cæſi, ut narrat hiſtoria. Sed Carauſium defectu claſſis tum Maximianus ulciſci non potuit.

Vide Brovverum in Carm 11. Fortunati l. 2. & Stevartium in Eucherii ſcriptum de Martyribus hiſce Thebæis.

CAPUT VI.

Conſtantius cum Galerio Cæſar creatus, Bellum contra Carauſium, & Francos gerit in Batavia.

I. QUARE *cùm per omnem orbem terrarum* (ut ait Eutropius) *res turbatæ eſſent; & Carauſius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Ægypto; Africam Quinquegentiani infeſtarent. Narſes Orienti bellum inferret: Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæſare fecit Auguſtum; Conſtantium verò* (Conſtantini patrem) *& Galerium Maximianum Cæſares. Conſtantius privignam Herculii Theodoram uxorem accepit, ex quâ poſtea ſex liberos Conſtantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores quas habuerant repudiare compulſi.*] Helenam igitur Conſtantini matrem, quam antè Conſtantius uxorem habuerat, tunc primùm repudiare compulſus, teſte hîc Eutropio. Quod & Victor Schotti fidus Scriptor aſſerit augetque; *diremptis*, inquit, *prioribus conjugiis, ut in Nerone Tiberio ac Juliâ filia Auguſtus quondam fecerat. His ſanè omnibus Illyricum patria fuit, & utilis Aureliani Probique inſtitutio. Valerium* (Diocletianum) *ut parentem, ſeu Dei magni ſuſpiciebant modo.*]

Conſtantius Cæſar Helenam repudiare coact. Fauſtâ ducit.

2. Hanc Cæſarum adoptionem ad annum Diocletiani 9. Chriſti vulgarem 293. Kalendaſque Martias (etſi varii antè collocent) refero. Primùm quidem, quia Victor Schotti & Eutropius, graves Auctores, & poſt eos Chronicon Alexandrinum, Conſtantium disertè notant, ab Cæſareâ hac dignitate, tredecim in univerſum annos imperaſſe. Obiiſſe autem anno Chriſti 306. Julii 25. Euſebius, Socrates & alii paſſim docent; noſque infrà probabimus. Ab Kalendis Martiis anni 293. ad 25. Julii 306. ſupra annos 13. nonniſi menſes 4. dies 24. interſunt. Quare cùm in Chronico Euſebii dicitur obiiſſe anno Imperii XVI. lege XIV. levi litteræ tranſpoſitione; & Græcè non ιϛ. ſed ιδ. Ad hæc Diocletianus & Maximianus hoc anno 293. ſimul Conſules ſunt; nempè ad majorem creationis iſtius auctoritatem: ut & proximè ſequenti novi Cæſares de more. Accedit edictum Galerii apud Euſebium, datum anno Chriſti 311. quo ſe Conſulem VIII. Tribunitiæ patria & Dictatorum XIX. Conſtantinum verò Magnum V. appellat. Ab hoc anno Chriſti 293. ad 311. quo Galerius 8. Conſul reperitur, anni rectè interceſſerunt 19. inchoati. Quare tum Cæſar dictus. Scio apud Euſebium legi, TRIB. POT. XX. Dictator XIX. ſed mendosè. Nec enim Tribunitia poteſtas à Dictatoriâ, tempore divellenda, cum ſit eadem; ut ibidem in Conſtantino videmus. Sed cùm Græcè legeretur, Δημαρχικῆς ἐξουσίας ϗ Δικτάτωρ ιθ. exſcriptor putavit illud ϗ eſſe notam numeri XX. quem ſcilicet Græci non aliter quàm per K. exprimunt: cùm hîc particula copulativa tantùm ſit. Certè Anonymus horum annorum ſcriptor, apud Petavium in Chronico, pag. 715. Galerium annos tum XIX. imperaſſe disertè ſcribit. Denique ad

Anno Chriſti 293. non Cæſares adoptati.

eumdem

eumdem annum apertè refert Chronicon Alexandrinum, ut & Græca Scaligeri Euſebiana. Quod ſcrupuloſiùs moneo, quia ab hoc veluti cardine, pendent Diocletiani in Oriente, Maximiani Conſtantiíque in Galliis res ante poſtve geſtæ. Diem creationis Kalendas Martias ſignat in Faſtis Idatius, & eo prior certiorque Eumenius in Panegyrico quem Conſtantio Cæſari poſt Britanniæ recuperationem dixit. Fallitur ergo Chronicon Alexandrinum cùm ad XII. Kalendas Junias refert, & Nicomediæ peractam dicit. cùm potiùs Mediolani contigiſſe videatur: quò hiberni ſolſtitii proximè tranſacti diebus utrumque Imperatorem (ob eam indubiè cauſam) ex Occidente Orientéque ſubitò conveniſſe tradit in Panegyrico Mamertinus: quem æſtate hujus anni 293. paulò poſt ipſam creationem dixit. Adverto tamen Diocletianum poſt creatos Mediolani Cæſares, Nicomediam veriſimiliter ſtatim repetiiſſe: ibique eorumdem creationem 12. Kalend. Junias ſolemniter evulgare potuiſſe, eóque creationem iſtam ab Orientalibus populis ſcriptoribusque relatam.

Dies adoptionis.

Qui incipit: Omnes quidem homines

3. *Et quoniam bellorum moles acriùs urgebat* (pergit Victor) *quaſi partito Imperio cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio commiſſa; Africa Italiáque Herculio; Illyrici ora uſque ad Ponti fretum Galerio: cetera Valerius retentavit.*] Conſtantius igitur ſimulatque Cæſar dictus, ſeu ut Paneg. pag. 192. & 210. *Adſcitus eſt imperio, tantâ celeritate in Gallias venit, ut omnes ortus* (ſeu creationis ſuæ) *adventusque ſui nuntios præverterit:* ſubitóque præter omnium expectationem, Bononiam (ſeu ut aliter vocat Geſſoriacum) adhuc à Carauſio poſſeſſam terra marique obſederit. Utque opem mari Carauſius ſuis inferre non poſſet, portum urbis, maris licèt æſtu reciprocum, arborum molibus in aditu defixis & ſaxis ingeſtis occluſit; donec urbs ipſa & qui in ea, & ad eam Carauſii miles ſe dederet, ac Cæſaris clementiâ totus in gratiam reciperetur. *Potuiſſet* (ſubdit Panegyricus pag. 211.) *ille virtutis & felicitatis impetu totum peragi continuò bellum; niſi ædificandis navibus dari tempus rei neceſſitudo ſuaſiſſet.*]. Facta ſunt hæc eodem iſto 293. Chriſti anno, quo & Panegyricum Treviris ad Maximianum habuit Mamertinus, qui incipit, *Omnes quidem homines.* & quidem geminis Imperatorum natalibus, quibus illi in lucem editi, ut diſertè exordio finéque Panegyrici legimus. Maximiani autem Diocletianive natalem 12. Kalendarum Auguſtarum celebrari ſolitum tradunt Marcelli Centurionis Acta. Sed ſide Imperii die agit, ad quintum-decimũ Kal. Octobris geminos Imperatorum natales certiùs ex Chronico Alexand. referemus.

Conſtantio Galliæ commiſſæ.

Qui ſtatim Bononiam venit & expugnat.

4. Conſtantius igitur, *exercitu illo, qui Bononienſis oppidi litus* (pro Carauſio) *inſederat* (ait Eumenius pag. 192. & 193.) *virtute capto clementiâ conſervatos dum ædificandis claſſibus Britanniæ recuperatio comparatur; nunquam ab eorum hoſtium everſione ceſſavit, quos adiri continens terra permiſit.* pag. 211.] Scilicet *lubrica illa fallaxque* Francorum *gens* (ut pag. 95.) tametſi paulò antè armis pactiſque à Maximiano devincta, quietem pati non poterat. Quare Conſtantius, *Terram Batavicam* (ut habetur pag. 193.) *ſub ipſo quondam alumno ſuo* (Carauſio) *à diverſis Francorum gentibus occupatam, omni hoſte purgavit.*] Rurſum pag. 211. Conſtantinum ipſum alloquens: *Quanquam*, ait elegantiſſimè, *illa regio divinis expeditionibus tuis, Cæſar, vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Scaldis interfluit* (Zelandia ſcilicet) *quamque divortio ſui Rhenus amplectitur* (ipſa Batavia Hollandiáve) *penè, ut cum verbi periculo loquar, terra non eſt, ita penitus aquis imbuta permaduit; ut non ſolùm quà manifeſtè paluſtris eſt, cedat ad nixum, & hauriat preſſa veſtigium: ſed etiam ubi paulo videtur firmior, pedum pulſu tentata quatiatur, & ſentire ſe procul mota pondus teſtetur. Ita* (ut res eſt) *ſubjacentibus aquis innatat, & ſuſpenſa latè vacillat. Ut meritò quis dixerit, exercendum fuiſſe tali ſolo militem ad navale certamen.*

Claſſem Romanam reparat.

Interim Bataviâ Francos pellit.

Bataviæ Zelandiæque deſcriptio.

5. *Sed neque illa fraudes locorum, nec quæ plura inerant perfugia ſilvarum* (an in Flandria tunc foreſtaria?) *Barbaros tegere potuerunt, quò minus ditioni tuæ divinitatis omnes ſeſe dedere cogerentur; & cum conjugibus ac liberis ceteróque examine neceſſitudinum ac rerum ſuarum, ad loca olim deſerta tranſirent: ut quæ fortaſſe ipſi quondam deprædando vaſtaverant, culta redderent ſerviendo.*] & mox: *Arat ergo nunc nobis Chamavus & Friſius: & ille vagus, ille prædator exercitio ſqualidus* (credo idem Friſius è Ponto in patriam prædando redux) *operatur, & frequentat nundinas meas pecore venali, & cultor Barbarus laxat annonam. Quin etiam ſi ad dilectum vocetur, accurrit, & obſequiis teritur, & tergo coërcetur, & ſervire ſe militiæ nomine gratulatur.*] Quibus videmus Conſtantium *Bataviam ſum purgaſſe, Franco advenâ hoſte depulſo*, p. 150. imò & cis Rhenum ad arva, quæ quondam vaſtaverat, colenda, in Romanum ſolum tranſlato.

Friſii & Chauci vicli.

6. Reſumpſerat ſcilicet Maximianus antiqua Divi Auguſti conſilia, quibus limitaneas iſtas inquietáſque nationes in Imperii interiora ſub Chriſti natalem tranſportaverat; rebellioni prorſus omni in poſterum extinguendæ. Unde rectè ſubdit Eumenius pag. 126. *Multa ille Francorum millia, qui Bataviam aliáſque cis Rhenum terras invaſerant, interfecit, depulit, abduxit.*] Quid autem per illud, *abduxit*, intelligat, clariùs adhuc pag. 193. ſignificat. *Nec contentus viciſſe, ipſas* (diverſas ſcilicet Francorum gentes) *in Romanas tranſtulit nationes: ut non ſolum arma, ſed & feritatem ponere cogerentur.*] Denique pag. 210. fine Panegyrici 10. Maximiani Herculii, qui tum adhuc in Galliis egiſſe videtur, juſſu, tranſlatos illos planiſſimè explicat: *Sicut pridem tuo, Diocletiane Auguſte, juſſu, ſupplevit deſerta Thraciæ tranſlatis incolis Aſia: ſic poſtea tuo, Maximiane Auguſte, nutu, NERVIORVM & TREVERORVM arva jacentia, velut poſtliminiò reſtitutus & receptus in leges FRANCVS excoluit.*] Ex quibus omnibus duo maximè haurimus: Primum Francos ipſos paulò antè *Bataviam aliáſque cis Rhenum terras invaſiſſe tenuiſſeque*: Mox ab Conſtantio ſuperatos in Treverorum, Nerviorum, Belgarumque noſtrorum deſerta vaſtatáve loca tranſlatos: pruſus ut Belgica noſtra, priuſquam Francis poſtea planè victoribus tota ſubderetur, non paucis Francorum colonis inſideretur. Atque hanc Bataviæ recuperationem ego quidem ad annum Chriſti 294. ſcilicet ab Cæſarum creatione proximum ſequentémve refero.

Ex in ſolum Romanum traducti.

Nempè in Nervios ac Treviros.

CAPUT VII.

Bellum gerit in Carauſium Alectumq́; Conſtantius. Britanniam recuperat. Alemannos vincit.

Ab anno Chriſti 297. ad 300.

Conſtantius à Carauſio repellitur.

1. SEquenti anno 295. novâ demùm claſſe jam inſtructâ, *& cunctis amnibus ad Oceanum deductâ*, pag. 95. Conſtantinus in Carauſium Britanniamque navalem expeditionem, ingenti ferèque certa omnium ſpe ſuſcepit. *Sed* (ut rurſum Eumenius pag. 214.) *maris inclementia* (tum fortè nata) *victoriam* illius *fatali quadam neceſſitate diſtulit. &* Romanos *in re maritimâ novos* (ait ibidem Eumenius) in continentem Galliam re infectâ, fortè & cum infamiâ aliquâ redire compulit. Id enim etiam innuere videtur Eutropius: *Cum Carauſio tamen*, ait, *cùm bella fruſtra tentata eſſent contra virum rei militaris peritiſſimum; ad poſtremum pax convenit.*] & pacem iſtam non inutilem habitam ſcribit quoque Victor Schotti: *Soli Carauſio remiſſum Inſulæ imperium; poſtquam juſſu ac munimento incolarum, contra gentes bellicoſas* (Francicas opinor, Saxonicas, Picticas, Caledonias & Scoticas) *opportunior habitus.*] *Munimentum* iſtud *incolarum* Camdenus in ſua Britanniâ, pag. 651. murum ab Agricola primùm, tùm à Lollio Urbico in Pictis dictum, non improbabiliter, intelligit: quem Carauſius ille reſtituerit. Nihilominus, ut idem ſubdit Eumenius, *mala deinceps coaluit ex indigniſſimo latrocinio belli moles. Nam & acceſſit diuturna ſceleris impunitas, quæ deſperatorum hominum inflavit audaciam: ut illam inclementiam maris, quæ victoriam noſtram fatali quadam neceſſitate diſtulerat, pro ſui terrore jactarent; nec conſilio intermiſſum bellum eſſe, ſed deſperatione omiſſum crederent. Adeò ut jam communis pœna timore depoſito, archipiratam* (Carauſium) *ſatelles* (Allectus) *occideret; & illud auctoramentum tanti diſcriminis putaret imperium.*] Ita Eumenius.

Carauſius ab Allecto interfectus.

2. Sed de hac Carauſii cæde, clariùs alii. Victor Schotti: *Carauſium ſexennio poſt* (rebellionem) *Allectus nomine, dolo circumvenit. Qui cum ejus permiſſu ſummæ rei præeſſet, flagitiorum & ob ea mortis formidine, per ſcelus imperium extorſerat.*] Eutropius: *Carauſium poſt ſeptennium Allectus ſocius ejus occidit: atque ipſe poſt eum Britannias triennio tenuit.*] Idem habet Oroſius. *Sexennium*, ut monui, completum Victor intelligit, ſeptennium labens Eutropius. ac proinde annum, quo ille cæſus, vulgaris Chriſti 296. exeuntem, aut ut ſummum 297. ineuntem, ex ejuſdem initio fuiſſe ſignificant. Tyrannidem triennio toto tenuit Allectus: igitur ad annum uſque Chriſti ſaltem naſcentem trecenteſimum. Quo toto tempore claſſem Conſtantius inſtaurarit, & bellum in perduellem parricidamque ſilentio paraverit. ſimul Perſas in Oriente magno prælio fudit Galerius, Carpoſque ſubactos in Romanum ſolum eis Iſtrum tranſtulit. De quo ſic antè Britanniæ recuperationem ad ipſum Conſtantium

Imperatorum Romanorum plures victoriæ

Eumenius pag. 233. *Nunc verò toto orbe terrarum, non modò quà Romanus fuerat, virtute veſtra recepto, ſed etiam quà hoſtilis* (contra Perſas) *edomito: cum toties proculcata eſſet Alamannia, toties obtrita Sarmatia, Vituugi, Quadi, Carpi toties profligati, ſubmittente ſe Gottho pace poſcenda, ſupplicante per munera Rege Perſarum* (quem jam ſcilicet Galerius fuderat, liberos ejus uxoreſque ceperat anno 297) *urebat animum* (quod nunc denique confitemur) *unus ille tanti imperii contumelia: eoq; nobis intolerabilior videbatur quod gloria ſola reſtabat*; adhuc ſcilicet à tyrannis occupata Britannia. Hæc ille: qui cùm totum orbem terrarum ante Britanniæ recuperationem aut olim proprium receptum, aut hoſtilem edomitum canit; facilè intelligimus etiam cum Narſeo in Perſide; cum Barbaris ad Iſtrum, cum Juliano & Quinquegentianis in Africâ debellatum.

Britanniam Conſtantius recuperat.

3. Poſt hæc igitur recuperari cœpta Britannia, de quo ſic Victor Schotti, Eutropius, & Oroſius: *Allectum, cùm poſt Carauſium Britannias triennio tenuiſſet*, Conſtantius *Aſclepiodoto, qui Prætorianis præfectus præerat, cum parte claſſis ac legionum præmiſſo, oppreſſit ac delevit. Ita Britannia decimo anno*, (ait Eutropius) aut *poſt decem annos*, ut Euſebii Chronicon & Oroſius, *recepta*] Nimis ſuccisè. Plures circumſtantias ſuggerit Eumenius, eo quem poſt victoriam Conſtantio dixit Panegyrico, cujus exordium, *Si mihi Cæſar* &c. *Primum enim, ne quid Barbaræ nationes, converſo in Britanniam Conſtantio Cæſare, novare tentarent, Maximianus Auguſtus novo itineris compendio adventum ſuum accelerare dignatus, repente Rheno inſtitit; omnemque illum limitem, non equeſtribus neque pedeſtribus copiis, ſed præſentia ſua terrore tutatus eſt. Quantoſlibet* ſcilicet *valebat exercitus Maximianus in ripâ. Tum verò Conſtantius inſtructis armatiſque diverſis claſſibus, ita hoſtem incertum, conſiliique inopem reddidit; ut tunc demum ſenſerit non munitum ſe Oceano, ſed incluſum.* Claſſis partem ab oſtio Sequanæ per Vectam inſulam; ait ibidem Eumenius; in Britanniam primùm ſub Aſclepiodoto Prætorii Præfecto immiſit. *Qui ſtatim atque Britanniæ littus invaſit, univerſis navibus ſuis ignes injecit, ut nullo fugæ præſidio reſervato, in ſolâ omnes victoriâ ſpem ponerent.*

Per Aſclepiodotum Prætorio Præfectum.

4. *Igitur Allectus ab eo litore,* (credo Rutupino ad fretum quod tenebat) *abſcedens, claſſem portumque deſeruit, Conſtantium, cujus imminentia vela conſpexerat, jam jamque venturum timens. ſed fugiens* (terrâ) *in Aſclepiodoti manus incidit; & in modum amentis attonitus, ita properavit ad mortem, ut nec explicarit aciem, nec omnes copias quas trahebat inſtruxerit: ſed cum veteribus illis conjurationis auctoribus, & mercenariis cuneis Barbarorum* (Francorum Saxonumque maximè) *tanti apparatûs oblitus irruerit.* prorſus, *ut nemo ferè Romanus* (ſive Romani imperii ſubditus) *occiderit, imperio vincente Romano. Omnes enim illos campos atque colles nonniſi tæterrimorum hoſtium* (Francorum) *corpora, olim cultu veſtis & prolixo crine rutilantia, tunc verò pulvere & cruore fœdata texerunt. atque inter hos ipſe vexillarius latrocinii* (Allectus) *cultu illo quem vivus violaverat ſponte depoſito, & vix unius velaminis repertus indicio. Adeo verum ſibi dixerat morte vicinâ, ut interfectum ſe nollet agnoſci. Præcipua fuit internecio Francorum. & illi quoque milites, qui per errorem nebuloſi maris abjuncti ad oppidum Londinenſe pervenerant, quidquid ex mercenariâ illâ multitudine Barbarorum prælio ſuperfuerat, cùm*

Fugiente cum ſuis Allecto

Mox etiam occiſo.

direptâ

Cum multis Francis ſibi ſociatis.

direptâ civitate fugam capeſſere cogitarent, paſſim totâ Vrbe confecerunt. Atque eâ victoriâ Britanniæ reſtituta, gentes FRANCORUM *penitus exciſæ, multis præterea gentibus in illius ſceleris conjuratione deprehenſis, impoſita eſt neceſſitas obſequendi: denique ad perpetuam quietem maria purgata.*] Hic fuit Allecti tyranni finis, cujus etiam ſub Auguſti nomine Nummi plures inveniuntur. erat autem (ut dixi) vulgaris Chriſti annus præcipitans 299. aut ver anni 300.

Conſtantius a Britannis ingenti gaudio excipitur.

5. Poſt Aſclepiodoti victoriam, *Statim ad littus Britanniæ* Conſtantius *exoptatus olim vindex & liberator appulit. et exultantes gaudio Britanni ſeſe cum conjugibus ac liberis obtulerunt: ingenti gaudio: nempe poſt tot annorum miſerrimam captivitatem, poſt violatas conjuges, poſt liberorum turpe ſervitium; tandem liberi tandemquê Romani, tandem verâ imperii luce recreati.* Ita Eumenius, qui concludit: *Tenet uno pacis amplexu Romana Reſp. quidquid variis temporum vicibus fuit aliquando Romanum: & illa quæ veluti nimiâ mole defluxerat magnitudo, tandem ſolido cohæſit imperio. Nihil ex omni terrarum cœliquê regione non aut metu quietum eſt, aut armis domitum, aut pietate devinctum. & ex aliis quidem partibus aliqua reſtant, quæ (ſi vel voluntas vel ratio deſiderent) poſſitis acquirere; ultra Oceanum verò quid erat præter Britanniam? quæ à nobis ita recuperata eſt, ut illæ quoque nationes terminis ejuſdem inſulæ cohærentes veſtris nutibus obſequantur.* & mox: *Itaque ſicuti pridem tuo, Diocletiane Auguſte, juſſu. ſupplevit deſerta Thraciæ tranſlatis incolis Aſia: ſicut poſtea tuo, Maximiane Auguſte, nutu Nerviorum & Treverorum arva jacentia velut poſtliminio reſtitutus & receptus in leges Francus excoluit: ita nunc per victorias tuas, Conſtanti Cæſar invicte, quidquid infrequens Ambiano & Bellovaco, & Tricaſſino ſolo Lingonicoquê reſtabat, Barbaro cultore revireſcit. Quin etiam illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum, devotiſſima vobis civitas Æduorum, ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ provinciæ redundabant, accepit artifices: & nunc extructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum inſtauratione conſurgit. Nunc ſibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen exiſtimat, cùm te rurſus habeat conditorem.*] Hæc ibi. quibus perſpicimus Galliarum urbes, adinſtar illius Auguſtoduni, tunc reſtauratas ac recreatas. uſque adeo, ut & Scholæ Mœnianæ in eadem illâ civitate refloruerint, quibus ipſe Eumenius præfectus eſt: ut alius ejuſdem indicat Panegyricus, eodem fere tempore, id eſt exeunte anno Chriſti 300. aut ineunte ſequenti habitus.

Qui victas gentes in Ambianos, Bellovacos Tricaſſinos transfert.

Auguſtodunum inſtaurat.

6. Sed non diu pax iſta Gallias recreaſſe videtur. *Nam* (ut ſtatim ſubdit Eutropius) *Per idem tempus* (anno credo 301.) *à Conſtantio Cæſare in Galliâ pugnatum eſt circa Lingonas: die una adverſam & ſecundam fortunam expertus eſt. Nam cùm repentè Barbaris ingruentibus* (Alemannis) *intra civitatem eſſet coactus tam præcipiti neceſſitate, ut clauſis portis in murum funibus tolleretur; vix quinque horis mediis adventante exercitu, 60. ferè millia Alamannorum cecidit.*] Eam Pugnam *Imperatoris quoque ipſius fuiſſe vulnere glorioſam,* teſtatur idem Eumenius, alio quem Conſtantino Conſtantii filio dixit Panegyrico. pag. 193. ubi etiam ſubdit, aliam ejuſdem ad *Vindoniſſam* in Helvetiâ victoriam, quâ *campos hoſtium ſtrage completos. & adhuc* (cum iſta ad Conſtantinum proferret) *oſſibus opertos* memorat.

Alemannorum 60. millia cedit.

Et alias aliorum copias.

Nec tacet *immanem ex diverſis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus illexerat, Inſulam quam divortio ſui idem amnis amplectitur* (Bataviam ſcilicet) *pedeſtri agmine tranſmittere auſam, repentè laxato flumine clauſam fuiſſe; & demiſſis* (ab Conſtantio) *ſtatim obſeſſam navigiis, ita ſe dedere coactam; ut quod difficilius eſt forte communi* ſeu morte in prælio) *eligeret; & ex æquo* (copiis adhuc integris incertóque prælii eventu) *captivitati ſe traderet, relatura cum reliquiis ſuis infamiam proditionis ſuorum.*] Ita ille. quæ poſtrema tamen an Conſtantius adhuc Cæſar, an jam Auguſtus geſſerit, non ſatis perſpicio. *Immanem* quidem illam *è diverſis Germanorum populis multitudinem* Francorum maximè Saxonumque fuiſſe vix dubito.

Maximiani in Africâ victoria.

7. At Maximianus Herculius Britanniâ jam receptâ, è limite Rhenano, quem interea tuebatur, in Africam tranſiens, *Maurorum agmina fulminavit*, ut ex duobus Eumenii Panegyricis poſt Britanniæ recuperationem habitis, ſupraque memoratis certò colligitur. quorum altero ad ipſum Conſtantium jam victorem dicto, legimus pagina 210. *Reſervetur nutibus jam jamque venientibus Mauris immiſſa vaſtatio.*] Sed & alter Incerti, pag. 129. *Maximianus*, ait, *ferociſſimos Mauritaniæ populos inacceſſis montium jugis & naturali munitione fidentes expugnavit, recepit, tranſtulit.*] fuiſſe iſtos Quinquegentianos ſignificat Eutropius, cùm ſcribit: *Maximianus Auguſtus bellum in Africâ profligavit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis.*] Ita ille victor, interim dum Diocletianus ad triumphum ex Oriente redit, Thermas Romæ Diocletianeas, & Carthagine Maximianeas ædificare aggreſſus, Chriſtianos potiſſimùm inſanis iſtis operibus alligavit. Simul pace toto orbe partâ, *alarum cohortiumq; caſtra* (ut ad Galliarum Præſidem ait Eumenius pag. 121. & 122.) *toto Rheni & Iſtri & Euphratis limite reſtituta. Adeò aurea illa ſæcula, quæ non diu quondam Saturno Rege viguerant, tunc Jovii & Herculii* (id eſt Diocletiani & Maximiani) *auſpiciis renaſci* viſa. Quare *Auguſtus uterque triumphum inclytum Romæ* (ſubdit Eutropius) *ex numeroſis gentibus egerunt, pompâ ferculorum illuſtri, quâ* ex Oriente quidem, *Narſei conjuges ſororesq; & liberi*; ex Occidente verò & Septemtrione, Francorum, Saxonum, Barbarorumque vis ingens ante currū ducta. Quod anno Diocletiani 18. Chriſti 302. ſeu Conſtantio & Maximiano Cæſaribus quartùm Conſulibus geſtum, tam Idatii faſti, quàm Chronicon Alexandrinum teſtantur: ille quidem, cum ait, *His Conſulibus vilitatem juſſerunt Imperatores eſſe*; Hoc verò, *Caſtrenſis ſportula ſeu panis à Diocletiano præbitus eſt.*] Hæc enim ex triumpho iſto manaſſe non dubito.

Et caſtra ad Rhenum reſtituta.

Unde illius & Diocletiani Triūphus.

CAPUT

CAPUT VIII.

Diocletiani in Galliis, totoq; Orbe Perſecutio,

Annis Chriſti 303. & 304.

Edictum Diocletiani atrox in Chriſtianos.

1. Hic erat Galliarum Belgiique noſtri ſub Maximiano Auguſto, Conſtantioque Cæſare ſtatus, uſque ad annum Chriſti inchoatum 303. Diocletiani jam mediantem nonumdecimum: quo decima ac poſtremo, ſed atrociſſima Chriſtianorum toto orbe Perſecutio exorta. Scilicet Diocletianus, curis omnibus orbe jam pacato vacuus, utcumque repreſſam hactenus animi rabiem totis in Chriſtianos habenis effudit: quod Victor Schotti his verbis exprimit: *Veterrimas religiones caſtiſſimè curavit.* Nam, ut Euſebius, *Anno Imperii Diocletiani 19. menſe Dyſtro, qui à Romanis Martius nominatur, ſalutifera Paſſionis appetente feſto, ubiq; Imperatoria edicta propoſita ſunt; ut & ſolo æquarentur Eccleſiæ, & Chriſtianorum Scriptura igni abſumerentur.* Ita de edictis ibi, paulò antè feſtum Paſchæ. At in Chronico de eorum executione loquens, *Decimo nono,* inquit, *anno Diocletiani, menſe Martio, in diebus Paſchæ Eccleſiæ ſubverſæ ſunt.*

Menſe Martio, circa Paſcha.

2. Edicta igitur paulò ante Chriſti Paſſionem ſeu Paſcha σταυρώσιμον & Crucifixionis promulgata, ipſis Paſchæ (credo Ἀναστάσιμον Reſurrectioniſve) diebus executioni mandata. Utrumque tum, ut diſertiſſimè Euſebius, menſe Martio peractum. Quare non ante annum Chriſti vulgarem 303. indicta Perſecutio. Nam anno 302. nulla ratione potuit Paſcha in Martium; ſed in Aprilem dumtaxat incurrere, σταυρώσιμον quidem in menſis illius tertium, in quintum Ἀναστάσιμον litera Dominicali D. At anno ſequenti 303. Cyclo Lunæ etiam Alexandrino XIX. ad 5. Martii diem adfixo (qui veteribus Latinis aliiſque Paſchali menſi dabat initium) Litera Dominicali C. Paſcha Crucifixionis quidem in Martii 19. Reſurrectionis in 21. Lunamque 17. incurrere potuit, ex priſco more Eccleſiæ, priſcum adhuc Judæorum limitem retinentis, ut in Victorio noſtro clariſſimè probavimus. Quòd ſi fortè Diocletiani adhuc ſæculo, Chriſtiani uno alteróve die tardiùs Novilunium indicebant; adhuc ejus anni Paſcha Ἀναστάσιμον in Martii 28. Lunamque tunc aut 21. aut priſco Latinorum more 22. propagari potuerit. Prorſus ut hunc planè annum digito notare videatur Euſebius, cùm Paſchæ dies, & in iis Eccleſiarum ex novo Imperatorum edicto ſubverſionem Martio menſi tam conſtanter adfigit.

Anno Chriſti vulgari 303.

Quod probatur ex die Paſchatis illius anni.

Et pluribus aliis rationibus.

3. Accedunt & aliæ plures non minus validæ rationes: ut Idatii in faſtis & Chronici Alexandrini auctoritas: ut Nonuſdecimus Diocletiani annus, qui ab 17. Septembris anni Chriſti vulgaris 302. ad ſimilem diem anni 303. decurrens, nullum niſi ejuſdem anni 303. Martium Paſchalem habere poteſt. Ut annus item Antiochenus trecenteſimus quinquageſimus primus, in Euſebiani Chronici margine ad hanc Perſecutionem vetuſtâ manu adpoſitus, & inter eorumdem annorum Octobres certiſſimè decurrens. Annus rurſum Perſecutionis *quartus*, quo Conſtantinum regnare orſum, idem in Chronico teſtatur Euſebius; quem exordii Conſtantini à morte patris annum eſſe Chriſti vulgarem 306. receptior opinio eſt. Præterea decimus ejuſdem Perſecutionis annus, non ante Conſtantini de Maxentio victoriam finitus quæ cum anno Chriſti 312. certo componitur: Denique Diocletianum nonùm & Maximianum 8. Conſules, purpuram depoſuiſſe, expreſſè teſtantur Zoſimus, Idatii faſti, Chronicon Alexandrinum, & alii paſſim omnes. Iſte conſulatus certò in annum Chriſti. Dionyſianum 304. incidit; & ab Euſebio *ſecundus perſecutionis,* & quidem *nondum completus* ſæpiùs dicitur.

Quando purpuram depoſuerint iſti Auguſti.

4. Primus igitur Perſecutionis annus Martio anni 303. neceſſariò inierit; & poſt Martium anni ſequentis purpuram Auguſti iſti depoſuerint: ſive primò Aprilis, ut vult Idatius; ſive quod magis cum Victore Schotti exiſtimo, *celebrato regni viceſimo anno,* quem nonniſi Septembris 17. anni 304. expiraſſe certum eſt. Ex Cirthenſi autem Cōcilio (quod contra nos aliqui proferunt) aut nihil certi, aut ſententia noſtra potiùs elicitur. Acta quidem ipſa quæ Baronius profert, ut & contra Creſconium Auguſtinus, *Diocletiano octies & Maximiano ſepties Coſſ.* præferunt; ſed vitioſe ea eſſe teſtatur ipſe quoque Auguſtinus, cum in Breviculo, diei 3. cap. 17. re jam curatius excuſſâ loquens, ſeque planè corrigens; nonniſi *Poſt Conſulatum Diocletiani novies & Maximiani octies* celebratum illud Concilium deliberatiſſimè ſcribit. his verbis: *Geſta Martyrum Conſulibus facta ſunt Diocletiano novies, & Maximiano octies Coſſ.* (ſeu anno Chriſti 304.) *pridie Idus Februarias: geſta autem Epiſcopalia decreti Cirthenſis, poſt eorundem Conſulatum* (nempe anno Chriſti 305. abdicatis jam Imperatoribus ac proinde perſecutione remittente) *3. nonas Martias. Ac per hoc 13. menſes interiſſe inveniuntur.* Quis hæc poſt tantam reflexionem, poſt tantum examen, non præferat ſeu Officii præcipitio hallucinationi, ſeu Donatiſtarum contumaciæ, & quorundam etiam Catholicorum ſimplicitati?

De actis Concilii Cirthenſis.

Miſſi in Provincias novi Præfecti, ad urgendam Perſecutionem.

In Galliam Rictiovarus.

5. Stet igitur anno Chriſti vulgari 303. menſe Martio cœpiſſe Perſecutionem. Cui ferventiùs exequendæ, uterque Imperator aut novos Provinciis Præſides immiſerit, ut Hiſpaniæ Dacianum, Galliæ noſtræ Rictiovarum, ſeu ut aliis placet Rictium Varum. Extat Eumenii Oratoris Gallicani Panegyricus de Mænianis Auguſtodunenſium Scholis reſtaurandis, ad V. P. Galliarum Præſidem, dictus anno, ut ſuprà monui, Chriſti 301. id eſt, ante hunc ſecundo. Quis ille Galliarum Præſes fuerit, non exprimit. Si non Rictiovarus ipſe, certè proximus Rictiovari deceſſor, mihi quidem, extiterit. Cæterùm quid nominis dignitatiſque fuerit, PRÆSES GALLIARUM, quæri fortè non immeritò poſſit. Siquidem in Notitia Imperii Præſides in Galliis multos, nempè undecim, ſed particularium dumtaxat & ſingulorum provinciarum legimus: puta Alpium maritimarum, Sequanicæ, Lugdunenſis ſecundæ, tertiæ, quartæ, Narbonenſis item primæ & ſecundæ; ſed univerſim generalemve Præſidem Galliarum nullum videmus. Fortè Galliarum Præſes dictus quoque fuerit ipſe Præfectus Prætorio Galliarum. quod ſi eſt, ejus dignitatis fuerit iſte Rictiovarus, Dacianus verò ejus in Hiſpania, & alter etiam in Britanniâ Vicarius. de quo tamen magis quærendum exiſtimo.

6. Imma-

Perſecutionis immanitas. Severus l. 2.

6. Immanem hanc fuiſſe perſecutionem omniumque cruentiſſimam, certum eſt. Unde rectè Severus noſter: *Poſt Valerianum, interjectis annis ferè 50. Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbiſſima perſecutio exorta; quæ per decem continuos annos plebem Dei* (toto ſcilicet orbe) *depopulata eſt. Qua tempeſtate omnis ferè ſacro martyrum cruore orbis infectus eſt. Quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur; multoque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhauſtus eſt: neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum ſtragibus vinci non potuimus. extant etiam mandata litteris præclaræ ejus temporis martyrum paſſiones, quas connectendas non putavi. Sed finis perſecutionis illius fuit ab hinc annos novem & 80. à quo tempore Chriſtiani Imperatores eſſe cœperunt.* Scribebat iſta Severus primò Stiliconis Conſulatu, anno Chriſti 400. à quo ſi 89. demas, reſtabit annus Chriſti 311. prorſus ut anno Chriſti 312. Perſecutio iſta ceſſaverit, poſt Conſtantini Magni de Maxentio victoriam. De univerſali igitur perſecutione, quæ totum orbem occupavit, loquitur Severus; non de particulari Galliarum, quam biennio ſolo duraſſe infrà oſtendam. Utinam & hodie extarent omnes illæ martyrum paſſiones, & eas operi ſuo Severus, vel modum ejus excedendo, aut ſaltem Gallicanas Gallus ſcriptor inſeruiſſet; aliarum deſideriũ faciliùs ferremus. Satis Conſtat Gallias hac perſecutione licet biennali dumtaxat, *martyrum ſanguine redundaſſe*; præcipuumque certaminis hujuſce campum, Treviros extitiſſe; ubi Galliarum iſte Præſes Rictius Varus plerumque degere conſueverat. Quorum omnium numerum Eccleſia cùm inire non poſſet, eos unicâ commemoratione conjunxit in hæc verba. *Treviris commemoratio innumerabilium penè martyrum qui in perſecutione Diocletiani, ſub Rictiovaro Præſide, ob Chriſti fidem vario mortis genere necati ſunt.*]

Martyres Trevirenſes ferè innumeri.

De quibus Sigeberti Chronicon.

7. Specialius aliquid ediſſerit Sigeberti Chronicon ad annum Chriſti 1072. id eſt totis ab eo martyrio annis 768. *Treviris*, ait, *in Eccleſiâ S. Paulini Confeſſoris in cryptâ ſubterraneâ, invenitur corpus S. Paulini; quod olim à Phrygiâ, ubi exulaverat, reportatum, ibi à Felice Epiſcopo catenis ferreis fuerat ſuſpenſum; & juxta eum multa corpora Sanctorum: ad dexteram ſcilicet eius Palmatius Conſul & Patritius Trevirorum; ad ſiniſtram Tyrſus, unus de principibus Thebææ Legionis, cum multis Thebæorum in hac urbe à Rictiovaro martyrizatus: ad caput, ſeptem Senatores Urbis, Maxentius, Conſtantius, Creſcentius, Juſtinus, & tres fratres Leander, Alexander, Soter: ad pedes, Ormiſda, Papirius, Conſtans, Jovianus. & cùm multi alii ibi jacerent, horum tantummodo nomina, & tempus, & dies paſſionis aurea litera in pariete ſcripta ſignabant, eosque omnes ſub Rictiovaro paſſos fuiſſe docebant.*] Hactenus Sigebertus. qui tantum ſacræ antiquitatis monumentum præſens videre potuit. Porrò, quem hîc memorat, Felix Trevirorum Epiſcopus ſecundus eo nomine, tempore Maximi Tyranni, Sanctique Martini Turonenſis Epiſcopi, circa annum Chriſti 386. Trevirorum ordinatus eſt Antiſtes, ut ſuo loco monebo, vix 30. annis Paulino ibidem Epiſcopo ipſo poſterior.

CAPUT IX.

MARTYRUM quorumdam Trevirenſium Tabula.

1 SEd juvat hîc & Tabulæ ipſius membraneæ, quæ in ipſa Collegiatâ S. Paulini Eccleſia hodieque legitur, verba dare. *In hac cryptâ*, ait, *jacent corpora Sanctorum, ſecundùm ſæculi dignitatem nobiliſſimorum, ſecundùm Dei autem voluntatem Martyrum pretioſorum. Nam Rictiovarus Maximiani Imp. Præfectus, legionem Thebæam juſſu ipſius circumquaque perſecutus; hanc etiam Urbem propter ipſos eſt ingreſſus. Quorum innumeros cùm hic occidiſſet; hoc quoque hujus Civitatis Principes, fidei Chriſtianæ Confeſſores cum ipſis occidit, quorum corpora hic circum circa ſunt collocata. In medio verò ipſorum S. Paulini, clariſſimi Trevirorum Archiepiſcopi corpus eſt ferreis catenis ſuſpenſum; quod ibi S. Felix hujus ſedis Epiſcopus a Frygiâ totius regni viribus tranſlatum, tertio Idus Maii honorificè ſuſpendit; qui & iſtud Monaſterium in honorem S. Dei genitricis, nec non eorumdem Martyrum conſtruxit. Nam propter horum principum corpora, innumerabilia ejuſdem multitudinis corpora in hoc Monaſterio ſunt comprehenſa, quorum nomina ſicut innumerabilis populi & peregrini, non potuerunt reperiri: excepto uno Ducis vocabulo, qui Tyrſus vocabatur. Hujus igitur & eorum Martyrum vocabula. quorum hic videre poſſunt ſarcophaga. aurea litteris in hujus cryptæ pariete conſcripta fuerunt; quæ inde devoti qui tunc erant Chriſtiani, hinc tranſtulerunt, quando Normannos hanc urbem, ſicut ceteras undiquè urbes, depopulaturos eſſe præſciverunt.*

Corpus S. Paulini.

S. Maria ad Martyres.

2. *Is ergo, qui in dextro S. Paulini latere eſt repoſitus,* PALMATIUS *vocabatur, qui Conſul & Patritius toti huic civitati principabatur. In ſiniſtro autem latere ipſius qui jacet,* TIRSUS *vocabatur: cujus nomen ſolius de tantâ multitudine, ideo eſt notatum, quia ipſe ejuſdem legionis gerebat ducatum. Ad caput autem beati S. Paulini ſeptem jacent hujus Urbis Senatores nobiliſſimi, martyrio cum ipſis Thebæis coronati: quorum medius vocatur Maxentius. Juxta quem dextrorſum qui jacet proximus, nomen habet Conſtantius, poſt quem eſt Creſcentius, poſtea Juſtinus. In latere autem ſiniſtro Maxentii qui jacent, tres erant fratres germani: quorum maior natu proximus Maxentio Leander: iuxta quem Alexander, poſtea Soter. Ad pedes vero S. Paulini altrinſecus poſiti ſunt quatuor viri, genere & virtute clariſſimi; qui licet tempore pacis occultè Chriſtum colebant, tempore tamen perſecutionis apertè adeò & conſtanter fidem Chriſtianam defendebant, adeo ipſi Rictiovaro in faciem reſiſtebant, quod eos, quaſi ad exemplum aliorum, diverſis tormentorum generibus multum afflictos tandem in præſentiâ ſuâ fecit decollari. Alter ergo duorum verſus Auſtrum poſitorũ, interior ſcilicet Hormiſda, exterior autem Papirius vocatur. Alter autem eorum, quorum latera Aquilonem reſpiciunt, interior item Conſtans, exterior Jovianus vocabatur.*

Palmatius Martyr.

Tirſus.

Septem Senatores,

& alii.

3. *Ingreſſus eſt autem Treviros Rictiovarus quarto Nonas Octobris, & eâdem die occidit* TIRSUM *cum ſociis; ſequente autem die* PALMATIUM *cum aliis principibus civitatis: tertiâ verò die eadem exercuit in plebem ſexus utriuſque. Rictiovarus enim diffuſis per*

Quo die Treviros ingreſſus Rictiovar⁹.

totum campum militibus, omnes præcepit interfici; & corpora eorum feris ac bestiis devoranda relinqui. Ex his innumeris tanta multitudo ad litus Moſellæ juxta Capitolium martyrizata eſt, ut ſanguinis rivuli defluentes in Moſellam aquâ permixti, eam in ſuum colorem converterent, uſque ad caſtrum quod NUMAGO dicitur, ut à naturali claritate remota peregrino magis quàm proprio colore ruberet.] Hucuſque Tabula. Caſtrum illud *Numago*, eſt Auſonii *Nivomagum*, *Divi caſtra inclyta Conſtantini*, de quo ſupra & infrà pluribus; ab Auguſta Trevirorum tredecim circiter paſſuum millibus abjunctum.

Non dubiũ inter iſtos Martyres, fuiſſe plures è Belgio hodierno.

4. Hâc tam immani procellâ licèt Treviris urbe Belgarum, Galliarumque primariâ maximè ſæviente, quis non intelligat conterminos ſubditosque Belgas, Tungros, Nervios ſeu Bavacenſes, aut Hannouios, Atrebates, Morinos Menapiosque magnam ſanctiſſimæ iſtius fortiſſimæque multitudinis partem compoſuiſſe? Sed tot purpureas tam generoſorum pugilum adoreas tempus edax rerum nobis eripuit. Paucos admodum ſuperſtites fecerunt antiqua Martyrologia & noſtrates Ecclesiæ. VICTORICUM & FUSCIANUM Morinis fidem intuliſſe ac templum erexiſſe tradunt ejus Eccleſiæ vetuſtiſſima monumenta. Hos *Ambianis* martyrii laureâ eâdem perſecutione decoratos teſtatur Martyrologium Romanum & alia: poſtquam in eorum nares & aures Rictiovarus Tarinchas immitti, clavis ardentibus tempora transfigi, oculos evelli, corpora jaculis transfigi denique cum S. Gentiano eorum hoſpite capite plecti juſſiſſet. Idem Rictiovarus FIRMINUM quoque Ambianorum, & ut nonnulli volunt, etiam Morinorum Epiſcopum, variis antè cruciatum pœnis capitis detruncatione perēmit. *Auguſtæ Veromanduorum* S. QUINTINUS civis Romanus, ordinis Senatorii, qui jam antè Româ in Gallias cum Luciano, Ruffino, Valerio, Eugenio, PIATO, CHRYSOLIO & aliis (ut mox dicam) fidem illaturus advenerat, inſigni admodum martyrio ſublatus eſt. *Bellovaci* ejuſdem Præſidis ſregit impetus puer nomine JUSTUS: qui quòd Chriſtianos juſſu Rictiovari quæſitos prodere nollet, & ipſe tenero capite plexus eſt. *Sueſſione*, CHRISPINUS & CRISPINIANUS, qui paulò antè Româ advenerant, verbumque Dei ſeminârant, ab eodem Rictiovaro inmanibus vexati tormentis, tandem gladio percuſſi ſunt. *Rhemis* MACRA Virgo in ignem ejuſdem Rictiovari mandato conjecta, cùm divinitùs non læderetur, mamillis abſciſſis in carcerem detruſa, tùm per teſtulas prunaſque volutata, ad virginitatis laurеam, inſignem quoque martyrii palmam adjunxit.

Victoricus & Fuſcian' in Ambianis & Morinis.

Firminus Epiſcopus Ambianenſis.

Quintinus Veromanduenſis.

Juſtus puer Bellovacus.

Criſpinus & Criſpinianus Sueſſione.

S. Macra Remis.

CAPUT X.

Sanctorum Martyrum Chryſolii, Piati, & Euberti Paſſiones, ſub Diocletiano.

Anno Chriſti vulgari 304.

Dioceſeos Tornacẽſis Martyres.

1. SEd in Belgio noſtrate hodierno, præ ceteris eminent Triumviri ſanctiſſimi, nobiliſſimæ Dioceſeos Tornacenſis Apoſtoli, CHRYSOLIUS, PIATUS & EUBERTUS; Româ & ipſi in Gallias cum S. Quintino ſociiſque fidei ferendæ causâ profecti. Tornacum Piatus, ſtrenuus Evangelii ſator, primus (quod ſciatur) ſuo ſanguine conſecravit, vertice capitis abſciſſo. cùm ut aiunt hominum millia triginta Chriſto, non ſine miraculis adjunxiſſet. Martyrii locus hodieque monſtratur, prope Eccleſiam Parochialem ejus nomini conſecratam. Vrelenghemium ſimiliter ad Deulam amnem, qui mox Liſæ confunditur, eodem genere mortis illuſtravit Chryſolius. Hoc inſuper uterque illuſtrior, quod verticem capitis abſciſſum hic Cominium uſque, oppidum Liſæ adſitum, per bina ferè milliaria; Seclinium ille, majore etiam intervallo, detuliſſe traditur. Obſcurior Euberti memoria; quem etiam non ut Martyrem, ſed Confeſſorem dumtaxat, & Epiſcopum Molanus agnoſcit; licèt vitam ejus hominibus ignotam fateatur. Siclinii depoſitum addit; ſed Inſulas ſeu Lillam Gallofrandriæ caput poſteà in Collegiatam S. Petri Eccleſiam tranſlatum. ubi modò quieſcit; communi de Confeſſore Pontifice officio hactenus honoratus: & cum Chryſolio Piatoque claruiſſe creditus.

Vetuſtate ruina non ſatis cogniti.

2. Atque hæ ſunt Martyrum noſtratium reliquiæ velut è naufragio tabulæ; quos nimirum tanta vetuſtas ita obſcurat, ut nunquam magno ex loci intervallo vix cernantur. Ne dicam, quòd rari per ea tempora Scriptores, præſertim ſacri fuerint; & qui fuerunt, continuis tyrannorum perſecutionibus agitati, magis de vitâ quàm de ſcriptione ſolliciti exſtiterint. Ne dicam item diuturnis Normannorum Barbarorumque vaſtationibus & incendiis abſumpta longè plurima. Sed & ſi plura ſupereſſent; non tam huic Belgii noſtratis hiſtoriæ generali, quàm privatis Sanctorum vitis inſerenda viderentur, ne in immenſum excreſceret hoc opus. quod e jam monuit obſervavitque Baronius.

Quâ occaſione in Belgium venerant.

3. Ceterùm hoc unum hic noto, quod ut eâdem omnes Diocletiani perſecutione per annum Chriſti vulgarem trecenteſimum tertium aut quartum abſumpti; nec enim eam diutiùs productam mox oſtendam; ita unâ eademque miſſione Româ in Gallias tranſmiſſi, ſimul profecti referuntur. Unde vehemens me incéſſit ſuſpicio, illos miſſionis iſtius impetum, ſeu à ſe, ſeu ab ſummo Pontifice Romano cæpiſſe: quòd Diocletianum in Chriſtianos jam tum in Urbe Italiaque ſævire conſpicerent; in Galliis autem pacatos Conſtantii Cæſaris mores, nulli pro Religione moleſtos eſſe, fama certa vulgaret. Maximè cum Belgicam noſtram, & à Fran-

cis

cis purgatam, & Britanniam à Carauſio Alectoque ſi nondum receptam, brevi certè recipiendam; campumque ideo Zelo ſuò patefactum, ſeque velut ad maturam meſſem invitari crederent. Verum Diocletiano mox hauſtas ubique ferè terrarum victorias ad Deos ſuos referente, eoque vehementiùs perſecutionis incendium per geminos Chriſti annos tertium ac quartum ſupra trecenteſimum excitante, graviorem in Galliis, quàm anteà Romæ, perſecutionem macti, glorioſo martyrii fine coronati ſunt.

An S. Piatus fuerit Epiſcopus?

4. Reliqua mihi eſt hic quæſtio, An ſicuti Chryſolium & Eubertum Epiſcopos fuiſſe conſtans in Eccleſiis opinio eſt, idem de Piato aſſeri non poſſit. Tornacum quidem urbem Vrelenghemio Sicliniòque multo nobiliorem extitiſſe, nemo dubitaverit; Cur ergo qui tanto excellentiorem ſpartam nactus eſt, & tam nobili in eâ martyrii coronâ redimitus, non æquè fuiſſet Epiſcopus? Scilicet narrationes hiſtoricas, non tam ratio, quam narrantium fides aſſerit. Non aliter eum quàm Preſbyterum agnoſcunt Romanum Uſuardique Martyrologia: ſicut neque Hieronymum Bedamque: quos ideo, licèt tanto potiores, nemo in Epiſcoporum numerum referre audet, nemo tentat. & cujus hac in re fides potior, quam Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis, ab ipſo Piato fundatæ? Nunquam illa ab ejus exceſſu hucuſque; ideſt annorum interfluxu pluſquam mille trecentorum; alio quam Martyris Preſbyterique ſimplicis, non Pontificis, officio celebravit. Cur ſupra matricem Eccleſiam, ipſiuſmet fœtum ſaperemus? Cur tantam, tam ſanctam antiquitatem convelleremus? Belgicæ antiquitatis atque dignitatis peritiores me, non paucos eſſe ſcio: cupidiores vix credo. & tamen hoc contra matrem aſſerere, cohorreo. Neque Siclinienſis Eccleſia prioribus ſæculis aliud ei officium unquam detulit. Neque poſt tantam lectionem ego quidem in ullum Scriptorem veterem incurriſſe me memini, qui Piatum Epiſcopali fulſiſſe dignitate tradiderit. S. Audoënus Rothomagenſis Archiepiſcopus, in ea quam de S. Eligio ſcripſit vitâ libro 1. cap. 32. non aliter quàm Preſbyterum & Martyrem nuncupat. Ipſe etiam Eligius annuum ejus de ſimplici Preſbytero Martyreque officium, ſuâ quoque ætate celebrari ſolitum, nunquam, ne poſt ejus quidem elevationem tam ſolemniter à ſe patratam, immutavit.

Non videtur.

Ex uſu Cathedralis Eccleſiæ perpetuo.

5. Nam quod affertur ex ejus vitâ Simoni dicatâ, Lectores Cantoreſque eum in Eccleſiâ ordinaſſe: quod etiam addunt nonnulli, Preſbyteros in Eccleſia à ſe erecta conſtituiſſe; & plura ſimilia: nihil de Epiſcopali dignitate aſſerunt. Non magis certè, quam ſi ego B. Franciſcum Xaverium noſtrum Indiæ Japoniæque tantum Apoſtolum, addo & Romani Pontificis ibidem à latere Legatum; Epiſcopum facere vellem, quia non unam dumtaxat, ſed tot in vaſtis illis regionibus fundaſſet Eccleſias; tot fontes erexiſſet baptiſmales; tot ubique Sacerdotes & noſtros & externos erudiendis novis fidelibus, verbo Dei paſcendis, Sacramentorum gratia replendis, ſuo loco conſtituiſſet. Japoniæ tanta Chriſtianitas, quot annos ſine ullo ſtetit ac erevit Epiſcopo? Plus mihi Belgicas antiquitates ac prærogativas ſcribenti, & undique venanti, longe plus inquam, doloris incutit iſta neceſſitas, quæ me ad negandum Piato Epiſcopatum cogit; quam iis, qui id ſe probaſſe putant. cum potiùs contra tantam teſtem Eccleſiam, tantum Piati partum, incurrunt. Amicus Piatus (ita ipſe me juvet) amicum Tornacum, ubi tanta dulcedine hactenus vixi: magis amica veritas. Denique unica mihi Cathedralis Eccleſiæ conſuetudo, tot centenorum annorum uſu roborata, præ quibuſvis argumentis hucuſque prævaluit. Si quis plura certioraque proferat, primus ero qui amplectar.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER OCTAVUS.
Ab Conſtantio Auguſto Conſtantini Magni Patre, Anno Chriſti 304. ad annum Chriſti 324. Per annos ferè 20.

LECTOREM, ſat ſcio, non minus quam me delectat, velut ipſi in timoris ac periculi parte fuerimus, è tot tamque cruentis furentium Imperatorũ perſecutionibus emerſiſſe. Serenior jam hinc, ſecurior, atque fœcundior fluet ſub Chriſtianis Imperatoribus Religionis noſtræ curſus. Nam quod priore libro tranſcurrimus temporis intervallum, vix Chriſtianæ fidei crepuſculum dici poteſt, denſâ adhuc idololatriæ totque perſecutionum nubibus offuſcatum. Quæ deinceps exequemur; clariores Belgio dies invehent, tametſi & ipſos ſi non idololatriæ, certè hæreſeos ſubinde nebulis obſitos: quæ tamen, neſcio quomodo, ſuâ licet fuſcedine nitorem ipſum dierum exacuat. Donec Romani in Galliis Imperii inclinatio & quidam veſper, innumerabilium Barbarorum, ceu denſiſſimarum nubium fœdam horrendamque caliginem Belgio noſtro reduxit: ſed illam tamen mox, Sole nobis iterum à Francorum horizonte, S. Remigii induſtriâ ſanctitateque, reducto, in plura ſæcula receſſuram. quod libri ſequentes ediſſerent.

CAPUT PRIMUM.

Conſtantii Chlori Auguſti principatus, in fidem noſtram propenſio, & Eccleſiæ Belgicæ ſub eo ſtatus.

Annis Chriſti 304 305. 306.

Conſtantius & Galerius ex Cæſaribus Auguſti.

Dividunt inter ſe Imperium.

1. Diocletiano & Maximiano ultrò Reip. adminiſtratione *abeuntibus*, CONSTANTIVS *&* GALERIVS ex Cæſaribus *Auguſti creati ſunt, diviſusque inter eos Romanus orbis, ut* GALLIAM, *Italiam, Africam Conſtantius; Illyricum, Aſiam Orientem Galerius obtineret, ſumptis duobus Cæſaribus. Conſtantius tamen contentus dignitate Auguſti, Italiæ atque Africæ adminiſtrandæ ſollicitudinem recuſavit. Vir egregius & præſtantiſsimæ civilitatis.* Ita Eutropius, Conſtantii imperium Galliâ dumtaxat, Hiſpaniâ, Britanniáque (ſicut & Oroſius) definiens. quod quomodo capiendum, infrà videro. Ita partito more novo Imperio, in ſuam quiſque ſortem abſceſſit. & Conſtantius quidem in Gallias, Treveros maximè, tum ex anteceſſorum ſuorum exemplo, tum Rhenano Imperii limite propugnando, ſe contulit. Quâ in Urbe, ceu Româ Gallicâ, eloquentia jam politioresque literæ vigebant, ut habiti ibidem Panegyrici fidem faciunt. Vigebat & Chriſtiana Religio, vel inter tantæ perſecutionis procellas: cujus ſectatores ipſam Conſtantii adhuc Cæſaris aulam ut plurimum occupaverant. Quod antequam demonſtrem, juvat ex Ethnico Scriptore Eutropio, Imperatoris iſtius mores haurire:

Oroſ. l. 7. c. 25 fin.

Conſtantius venit in Gallias.

2. Fuit, ait, Conſtantius *divitiis provincialium ac privatorum ſtudens, fiſci commoda non admodum affectans: ducensq; melius publicas opes à privatis haberi, quàm intra unum clauſtrum reſervari. Adeò autem cultûs modici, ut feſtis diebus, ſi amicis numeroſioribus eſſet epulandum, privatorum ei argento oſtiatim petito triclinia ſternerentur. Hinc non modo amabilis, ſed etiam venerabilis* GALLIS *fuit: præcipuè quòd Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem imperio ejus evaſerant.*] Tam moderatum Conſtantii in acervandis pecuniis animum, inſigni etiam facto confirmat Euſebius. Cùm enim Diocletianus, legatis ad eum miſſis, illius in adminiſtranda Rep. negligentiam & paupertatem increparet; ex omnibus ditionis ſuæ gentibus ditiores evocavit: pecuniâ ſibi opus eſſe dixit, ſingulorum ſe expectare benevolentiam. Illi Imperatoris jam antè humanitate devincti, alius alium largiendo ſuperare nitens, brevi ærarium prompto hilarique vultu compleverunt. Quod cum legatis oſtendiſſet, Ite, inquit, & renunciate theſaurum mihi iſtum jampridem reconditum fuiſſe; ſed apud proprios dominos, tanquam cuſtodes tutiſſimos, hucuſque conſervatum. Illis abeuntibus, pecunias dominis earum revocatis, poſt habitas humaniſſimè gratias, reſtituit, & ad ſua redire mandavit.

Ejus virtutes & civilitas.

Euſeb. de vita Conſt. l. 1. c. 9. 10.

3. Sed quod ad inſtitutum maximè facit, eſt quod notat Eutropius, Gallis eum amabilem juxta & venerabilem ex eo præcipuè fuiſſe, quod eos ſanguinariâ Maximiani temeritate liberaſſet. Hoc enim quid potiùs velit hiſtoricus, quàm cruentæ illum perſecutioni finem impoſuiſſe? Id certè bis expreſsè teſtatur Euſebius: cum *pacis tranquilliſſima*

Manſuetudo.

Perſecutionem cohibet.

illis quos regebat auctorem factum dicit, liberâ eiſdem vera Religionis ſine moleſtiâ excolendæ libertate permiſſâ. Quod & uberiùs in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ retulerat his verbis. *Tota Italia, Sicilia, Gallia, & quæ ad Solem Occidentem vergunt, & ad Hiſpaniam, Mauritaniam, & Africam ſe porrigunt, ubi non totis duobus primis annis perſecutionis impetum ſuſtinuerunt, creberrimè, clementis Dei obtutu, pacem ſunt & pacis tranquillitatem conſecuti; quandoquidem Cæleſtis providentia tandem ob vitæ innocentiam & fidem illorum miſerta eſt.*] *Non totis* ecce *duobus annis* prioribus, duravit in Galliis noſtris totóque Occidente Perſecutio: quòd Conſtantius ſimulac Diocletiano Maximianoque abdicantibus, Auguſtus & rerum inibi potens effectus eſt: perſecutioni ante ſeſquiannum inchoatæ finem impoſuerit. Idem habet Optatus l. 1. contra Parmenionem, cum Donatiſtas Conſtantinum alloquentes, ita dixiſſe refert: *Rogamus te, Conſtantine, quoniam perſecutionem pater non exercuit,* &c. Cùm autem non Galliis tantum & Hiſpaniis, ſed & Italiæ, Siciliæ, Africæque toti id indultum ſcribit; quis ſtatim non intelligit, Conſtantium, ex Euſebii quidem ſententiâ, prioribus ſaltem imperii ſui menſibus, iis quoque provinciis imperaſſe, Conſtantino filio earum partium pro ſe vicario? Nec enim Galerius, ſi ſtatim eas altero cedente tenuiſſet, perſecutionem inibi magis quam in Illyrico & Oriente remitti permiſiſſet. Planè Conſtantinum illic Cæſarem à patre relictum ſuſpicor; donec Galerii inſidiis impetitus, & effugiens, partes eas invaſori fortiori reliquerit: quas Conſtantius pacis amans, & Hiſpaniâ, Galliâ, Britanniâ ſolis abundè contentus, recuperare contempſerit. In tribus ergo ſolis hiſce provinciis (quæ Præfecti Prætorio Galliarum diœceſis paulò poſt extitit) conſtanter frænata fuerit à Conſtantio perſecutio, quæ in Italia Africáque vixdum ſopiri cœpta, ſub novo tyrannorum jugo recruduerit.

Euſeb. vita Conſt. l. 1. c. 9.

Liberam Religionē relinquit.

Optatus.

In Galliâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Africâ.

4. Ceterùm nec illud hic in Conſtantii laudem omittendum: durante adhuc primâ illâ ſub Maximiano Diocletianoque perſecutione, nullos illum, cum adhuc Cæſar tantum & infidelis eſſet, è domeſticis ſuis ullo perſecutionis furore vexari ſuſtinuiſſe. Sic enim disertè Euſeb. in vita Conſt. l. 1. c. 11. *Cum graſſante perſecutione, ſancti Martyres, qui in ipſis Imperatorum palatiis verſabantur, primi omnium certamina pro pietate obirent, & omnia mortis genera ſuſtinerent; prorſus ut Imperatorum regia ſanctis viris exhaurirentur; ſoli Conſtantio ſapiens quædam & ſolers occurrit cogitatio. Nam illis qui in Regia ipſi inſerviebant, imò & qui aliquem dignitatis gradum obtinebant, hanc tulit conditionem; ut aut Dæmonibus immolarent, aut à familiâ congreſſuque ſuo recederent. Cumq; diverſis, ut ſolet, diverſa placuiſſet optio; quos quidem in fide conſtantes reperit, laudavit primùm, mox etiam corporis ſui ſtipatores & regni cuſtodes retinuit: alios non ſibi magis quàm Deo fidem ſervaturos, ab ſe domoq; rejecit.*] Hæc, licet breviata Euſebius, & poſt eum Sozomenus l. 1. c. 6. Quibus omnibus enaſci oportuit, quod ſubdit Euſebius: *Cum jam longo temporis ſpatio eximia virtutis indicia dediſſet, tandem repudiatâ penitus Deorum plurium ſuperſtitione, Deum omnium moderatorem ultro agnovit, ſanctorum virorum precibus familiam ſuam firmè munivit, ac ita Deo conſecravit, ut nihil ab Eccleſiæ formâ diſtare videretur. In quâ inerant Dei miniſtri* (Sacerdotes ſcilicet) *qui continuos cultus pro Imperatore etiam tum obierunt, cùm plerum*

Ne ſub Maximiano quidem Perſecutionem exercuit.

Imò Chriſtianos corporis ſui cuſtodes aſſumpſit.

Sacerdotes Chriſti fovit.

hominum genus, & verè Deo ſervientium alibi apud Gentilium multitudinem, ne nominari quidem abſque periculo poſſet.] Hæc & ſimilia fuſiùs Euſebius de Conſtantii pietate. Quæ cùm intra privatos palatii parietes primùm adoleviſſet, ſimul ac tyrannis autoris libertatem adepta eſt, in publicum quoque velut jam grandior erupit. Unde etiam Afri poſtea, quamquam Donatiſtæ, Conſtantinum in Galliis alloquentes, non adulatione ſed veritate proferunt, *Conſtantine, de genere juſto es; cuius pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia.* Optatus l. 1. Quare Martyres noſtros Belgas, quotquot Diocletiani perſecutione conſumptos habemus, prioribus annis duobus, nempè Chriſti 303. & 304. abſumptos neceſſum eſt, quando nulli ſua ſub Conſtantio hoc fides nocuit: imò & ipſo non invito crevit.

5. Ita mecum aſſequeris, pie Lector, quanta fidelium in Belgicâ ſub hoc Auguſto, primo omnium Chriſtiano (ſi fides Euſebio) fuerit acceſſio, quàm ridens florenſque ſtatus; Belgis ac Gallis, Imperatoris ut ſolet exemplo, acervatim ad fidem advolantibus. Præfuiſſe videntur Eccleſiæ Trevirenſi ſub Conſtantio, tam Cæſare quàm Auguſto, Epiſcopi *Valentinus* & *Agricius.* quorum illum, cùm etiamnum à Treveris ut martyr honoretur, ſi propriè martyr intelligitur, mortem in poſtremâ Diocletiani perſecutione obiiſſe neceſſum eſt. Ejus certè ſucceſſor *Agricius* Conſtantini Imperium vidit, & Concilio Arelatenſi primo, anno Chriſti 314. ſubſcripſit, ut ibi reddemus. Horum igitur alter vel uterque Conſtantii Imperatoris Treveros ut plurimùm incolentis fidem, tanquam proprius Paſtor, excitare potuerit: aut ſi nihil operæ in ſerendâ, in augenda certè firmandaque aliquid attulerit. Nec dubito, quin uterque tam pronâ rei Chriſtianæ dilatandæ occaſione benè uſus, ad vineam Domini Sabaoth in vicinis quoque Belgarum populis propagandam operarios immiſerit. Quod & hodie agnoſcunt Tungri Treveris conterminì, dum eoſdem ferè ac illi ad Valentinum uſque recenſent Epiſcopos. Tungris confines in occidentem erant Nervii, hodie Hannonii, Aloſtenſes, & Bruxellenſes. Nerviis Atrebates, Atrebatibus extremi hominum Morini. quos omnes pedetentim à capite ſerpens Evangelii flamma magno haud dubiè ardore corripuerit. Hinc Sozomenus lib. 1. c. 6. *Cùm Eccleſiæ in aliis orbis partibus perſecutionum fluctibus jactarentur; ſolus Conſtantius* (jam Auguſtus) *Chriſtianis ſuæ Religionis libertatem indulſit.*] & mox: *Neque Gallis, neque Britannis, neque qui circa montes Pyrenæos ad Oceanum Occidentem incolunt* (i. Hiſpanis) *contra leges viſum, Chriſtianam Religionem, quamdiu Conſtantio vita ſuppetiit, profiteri*

Inde Fidei noſtræ in Belgica incrementum.

Agricius Trevirorū Epiſcopus Fidem promovet.

6. Neque verò óſcitanter tranſmittenda Euſebii verba: *Conſtantium omne tempus regni conſtans & tranquillum liberis & conjugi cum totâ famulorum turbâ præſtitiſſe.* His enim perſpicimus, non modò, quod jam monui, ejus regni dies, quantum in ipſo fuit, Halcyonios Eccleſiæ Belgicæ fuiſſe; ſed etiam illius è ſecunda uxore liberos, valde probabiliter in Gallia. ac Treveris plerumque natos educatóſve. Quippe cùm primùm Cæſar à Maximiano Herculio Auguſto renuntiatus eſt, anno Chriſti 293. Kalendis Martiis, Helenam priorem conjugem, ex quâ jam Conſtantinum tulerat,

Euſ. de vita Conſt. c. 11.

Conſtantii ex Theodorâ filii.

repudiare compulſus, Theodoram ejuſdem Maximiani priviguam duxit. cum quâ omne regni tempus, quod 13. annorum ac penè 5. menſium fuit, amore conjugali tranſegit: ſexque ex ea liberos teſte Euſebii Chronico, ſuſcepit. Quorum nomina, tametſi ibidem non exprimantur, facilè tamen ex Conſtantini hiſtoriis aſſequimur. Quibus tres filii memorantur; Conſtantius Galli Cæſaris & Juliani Apoſtatæ pater; Dalmatius Dalmatii Cæſaris genitor; & Annibalianus. Filiæ Conſtantia Licinii Imp. uxor, Eutropia Nepotiani conjux, & Anaſtaſia. Addunt alii quartum filium Conſtantinum: quem tum, aut certè Anaſtaſiam, excludit ſenarius liberorum horum numerus Euſebii Chronico definitus. erant hi omnes Conſtantini Magni ex eodem tantùm parente fratres; in Galliis, ac probabiliter Treveris ut plurimùm geniti, ubi Conſtantium rerum ſuarum domicilium maximè ſtatuiſſe ſatis conſtat. Hinc mecum Lector intelligat, quanta fuerit per hæc tempora Trevericæ Urbis nobilitas, quæ non Belgicæ, ceterarumque Galliarum modo, ſed & totius Occidentis caput ac velut altera Roma eſſet, Imperatores retineret, produceret, educaret, armaret. ut non immeritò cecinerit Auſonius:

Conſtãtius, Dalmatius, Annibalianus.

Filiæ Conſtantia, Eutropia, Anaſtaſia.

Trevericæ urbis præſtantia.

Trevericaq; urbis ſolium ——
Imperij vires quod alit, quod veſtit & armat.

7. Neſcio an hoc tempore, an cum adhuc Cæſar eſſet Conſtantius, quod narrat Eumenius acciderit. *Immanem*, ait, *ex diverſis Germanorum populis multitudinem duratus gelu Rhenus illexerat, ut inſulam* (Bataviam an aliam?) *quam divortio ſui idem amnis amplectitur, pedeſtri agmine tranſmittere auſa ſit.* Sed *laxato repente flumine clauſa; & dimiſſis ſtatim* (ſuperiore Rheno) *navigiis obſeſſa, ita ſe dedere coacta eſt; ut quod difficilius eſt ſorte communi eligeret, & ex aquo captivitati ſe traderet: relatura cum reliquis ſuis infamiam proditionis ſuorum.*] Ita Eumenius, de penultima Conſtantii expeditione loquens. Subdit enim: *Cujus etiam ſuprema illa expeditio non Britannica tropæa* (ut vulgò creditum) *expetivit; ſed Diis jam vocantibus ad intimum terrarum limen acceſſit; ut fruiturus exinde luce perpetua, jam videret illic diem penè continuum.*] Fuit tamen ſuprema iſta Conſtantii expeditio planè bellica, veroſimiliter adverſus Caledonas ac Pictos neſcio quid in extremâ Britanniâ molientes. Nam Barbarorum Regum auxilio ſuffultam, *Eroco præſertim Alemannorum Rege, auxilii gratia Conſtantium comitato*, teſtatur Victoris Epitome. Prorſus ut Belgium noſtrum, ineunte Chriſti anno 306. & tympanorum tubarumque clangore, & militum immani turba perſtrepuiſſe neceſſe ſit: quando è Geſſoriacenſi maximè litore Romanos in Britanniam exercitus trajicere ſolitos ſuprà monuimus.

Conſtantii ſuprema in Britanniam expeditio.

8. Cùm jam transfretaret Conſtantius, repentè & præter omnium expectationem adfuit ejus ex Helenâ filius Conſtantinus, hac occaſione. Galerius Maximianus, Conſtantii in Imperio collega, *vir* (ſi Eutropio fides) *& probè moratus, & in re militari egregius, cùm Italiam quoque, finente Conſtantio, adminiſtrationi ſuæ acceſſiſſe ſentiret: Cæſares duos creant.*] Ita Eutropius. At ego, ut jam dixi, magis credo, Galerium Italiam invaſiſſe, & Conſtantini (qui eam jam Cæſar obtinebat) loco, addictum ſibi novum Cæſarem Severum ſubrogaſſe. Nam *eodem tempore*, ut diſertè Victoris Epitome, *quo Severus per Italiam, Maximinus per Orientem creati Cæſares, Conſtantinus quoque Cæſar effectus eſt*: indubiè ab Conſtantio patre. ut Italiam Africamque tueretur. Neque tamen Severum Galerius vi, ſed dolo in Conſtantini locum intruſiſſe videtur. Nam ut idem Victor, Conſtantinus *Urbe Româ* tum expulſus non eſt, verùm ceu *obſes ibidem Religionis ſpecie detentus.* id eſt, quantum aſſequor; ceu Imperatoris illius filius, qui contra Diocletiani edicta non tantùm à perſecutione tantopere commendatâ, ceſſaret; ſed etiam Chriſtianos apud ſe ita caros honoratoſque retineret, quaſi jam avitâ Deorum Religione deſpectâ fidem eorum ſectaretur. & fortè Conſtantinus ipſe quoque per Urbem Romam, Italiam, Africamque perſecutionis curſum ex patris genio juſsúve ſucciderat: tametſi illum ipſo Imperii primordio antiqua adhuc ſuperſtitione verè an ſimulatè detentum infra viſuri ſumus. Severum igitur Cæſarem ſibi in Italia ſuffectum, *tolerare nequiens Conſtantinus*, ait Victor Schotti, *cujus jam tum à puero ingens potensq; animus ardore imperitandi agitabatur, fuga commento, tum, ad fruſtrandos inſequentes, publica jumenta, quaqua iter egerat, interficeret; in Britanniam pervenit: nam is à Galerio religionis ſpecie ad vicem obſidis tenebatur.*] Nec Italiam Africamque ſibi à patre creditas adminiſtrare ſinebatur. Deprehendiſſe eum præterea inſidias, quas qui rerum potiebantur ſemel iterumque paraverant, teſtis eſt omni exceptione major Euſebius.

Et in eamdem Conſtantini filii adventus.

Quem religionis ſpecie obſidem Romæ tenebat Galerius.

Eique Severum in Italiâ Cæſarem ſuffecerat.

Et ad patrẽ fugere coegerat.

9. His igitur cauſis, ſed peculiari partim Dei diſpoſitione, Româ fugam per Gallias in Britanniam arripuit. &, ut Eumenius in Panegyrico, quem ipſi poſtea Conſtantino Auguſto dixit, *rectè ad tempus ipſum, quo pater in Britanniam transfretabat, claſſi jam vela facienti repentinus ejus adventus illuxit. ut non advectus curſu publico, ſed divino quodam advolaſſe curriculo videretur. Non enim ulla Perſarum Cydonúmve tela tam certis ictibus deſtinata fixerunt, quàm tempeſtivus patri terras relicturo comes aſſuit; omnéſque illius curas, quas præſagâ & tacitâ mente volvebat, præſentia ſua ſecuritate laxavit.*] Hæc ibi. quæ non ita capienda, quaſi tum animam ageret Conſtantius. Nam cum à freto ſive languentem ſive ſanum Eboracum uſque perveniſſe, ibique demum fato functum teſtantur Eutropius & Euſebii Chronicon. *Poſtquam autem filium ex inſperato vidit* (verba ſunt Euſebii) *exiliens è cubili, illum amplexatus eſt: atque illud, quod ſibi jam ſpiritum exhalaturo ſolum triſtitiam attulerat* (*ſui* nimirum *abſentia*) *ex animo ſe ejeciſſe aſſeruit; preces ideò, cum gratiarum actione Deo obnixè fudit: familiam ſuam reiq; univerſas ordine diſpenſavit. Atque ita in medio filiorum pariter & filiarum, ipſum inſtar chori undiq; cingentium ſe ſtatuens, & in ipſâ regiâ tuq; regio cubili decumbens, regni hæreditate filio, qui ceteros ætate præibat, communi lege naturæ traditâ deceſſit è vita.*] Ita Euſebius. Cui conformis Eumenius (licèt Gentilium ritu, pag. 194.) *Verè Conſtantio*, inquit, *Superûm templa patuerunt, receptúsque eſt conſeſſu cælitum: Jove ipſo dexteram porrigente. Quinimo ſtatim ſententiam rogatus cui Imperium decerneret, ut decebat, dixit Conſtantinum Pium. manifeſtè enim ſententia Patris electus eſt Imperator.* & mox: *Dij boni, quanta Conſtantium Pium, etiam in exceſſu ſuo felicitate donaſtis! Imperator tranſitum facturus in cælum, vidit quem relinquebat hæredem.*

Quæ fuit Dei providentia.

Nam Conſtantius pater moriebatur.

Moxque mortuus.

10. *Obiit in Britannia Eboraci*, ait Eutropius)

Eboraci in Britanniâ.

principa-

principatus anno tertio-decimo: atque inter Divas relatus eſt.] & quidem ſeipſo *Conſtantio & Galerio VI. Conſulibus*, ut Idatii Faſti & Chronicon Alexandrinum. quod tamen Conſtantium annos 12. imperaſſe male ſubdit: cùm ipſe paulò ante, pag. 651. tredecim ei annos clarè indulgeat; & præter Eutropium etiam Victor Schotti, *potentiam Cæſaris annos tredecim geſſiſſe* memoret. Fortéque ita in Euſebii Chronico legendum *anno Imperij XIII.* completo ſcilicet, aut XIV. labente; non ut malè vulgo legitur, XVI. levi literulæ I. tranſpoſitione. Nec enim plures 13. ab anno Chriſti 293. quo Kalendis Martii Cæſarem dictum ſuprà vidimus, ad hos Conſules qui certò cum anno Chriſti 306. comparantur, admittit ſupputatio. Diem mortis etiam ſignat Socrates, 8. Kalendas Auguſtas, ſeu 25. Julii. & quidem ut ſubdit, Olympiadis 71. anno primo, nempè tunc expirante, & ineunte ſecundo. Ita ultra annos 13. menſes 4. dies 25. Cæſaris Auguſtique potentiam tenuerit.

Quot annis imperavit.

CAPUT II.

Conſtantini Magni quinque anni priores, in Belgicâ maximè exacti.

Ab anno Chriſti 306. ad 311.

1. CONſtantio *igitur Eboraci* mortuo (*rurſus Eutropii verba*) Conſtantinus, ex obſcuriore (*Helena*) matrimonio ejus filius, in Britanniâ creatus eſt Imperator, & in locum patris exoptatiſſimus moderator acceſſit.] Levatusque eſt (*addunt Idatii faſti*) octavo Kalendas Auguſti, *eadem ſcilicet quo pater exceſſerat die. ipſamet* Conſtantio & Galerio Auguſtis ſextum Conſſ. *& quidem, ut addit inſuper Euſebii Chronicon*, quarto Perſecutionis anno.] *anno Chriſti Dionyſiano 306 at noſtro, quem verum credimus*, 310. *Id factum* cunctis qui aderant annitentibus; ſed præcipuè Eroco Alemannorum Rege auxilii gratiâ Conſtantium comitato, *teſtis eſt uterque Victor*: Nam *filii Conſtantii* ex Theodorâ ſuſcepti, teneri adhuc erant, *ait Chronicon Alexandrinum*; *&* ex illis neminem prætoriani milites idoneum regno judicabant, *auctore ipſo quoque Zoſimo. Sed & fuerat jam antè ſucceſſor à patre deſignatus, ut dixi*; Sententiam enim rogatus (*ait Eumenius pag.* 194.) cui imperium decerneret, dixit, ut decebat, Conſtantinum Pium. Ita manifeſtè ſententiâ Patris electus eſt Imperator.] *Acceſſiſſe etiam ſuffragationem exercitus, mox ſubdit; ita Conſtantinum ipſum alloquens*: Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, univerſus in te cōſenſit exercitus, te omnium mentes oculique ſignarunt. Et quanquam tu ad ſeniores Principes de ſummâ Rep. quid fieri placeret retuliſſes, prævenerunt tamen illi ſtudio, quod mox judicio probaverunt. Purpuram ſtatim tibi, cùm primus copiam tui fecit egreſſus, milites, utilitati publicæ magis, quàm tuis affectibus ſervientes, injecêre lacrymanti. Neque enim fas erat diutius fleri Principem conſecratum. Diceris etiam, Imp. invicte, ardorem illum te depoſcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus incitaſſe. Quod quidem, ut verum audias, adoleſcentiæ errore faciebas. Quis enim te Cyllarus aut Arion poſſet eripere, quem ſequebatur Imperium? Sic modeſtiam tuam atque pietatem, & differendi Imperii conatus oſtendit, & Reip. felicitas vicit. O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britanniâ, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti!] *Hæc Eumenius. Similiter Euſebius de vita Conſt. lib. 1. cap. 16.* Conſtantinus paternâ purpurâ indutus, primùm è paternis ædibus egreſſus eſt; & patrem tanquam à mortuis revocatum, ſuo ipſius vultu repræſentavit. Deinde magna paternorum amicorum turbâ (*magnam, ut ex ea dixi, partem Chriſtianâ*) eum comitante funeri præivit, patremque cum infinitâ populi militumque multitudine, maximâ pompâ extulit: fauſtis omnium acclamationibus, & ſuavi hymnorum concentu. Omnes inde gentes, quæ ipſius obſequebantur imperio (*Britannia ſcilicet, Gallia, & Hiſpania*) incredibili lætitiâ efferuntur, quod illuſtri Imp. ne breviſſimo quidem temporis momento caruiſſent.] *Iſta & plura Euſebius.*

Conſtantinus Magnus imperat Anno Chriſti Dionyſ. 306. vero 310.

Patris ante mortem, & ipſius exercitûs ſuffragio. *Zoſim. l. 2.*

Conſtantii funus.

2. *Ita Conſtantinus compoſitis Britanniæ rebus in Gallias cum majori copiarum paternarum parte redit; Treviris clara jam deceſſorum Imp. domicilio imperium ſtabiliturus.* Ut autem primùm tutò fuit in imperio locatus (*rurſum Euſebius de vita Conſt. cap. 16.*) imperii portioni, quam rexerat pater, ſtudiosè proſpexit. Omnia Barbarorum genera, circa fluvium Rhenum & Oceanum verſus incolentia, quæ audaciâ & temeritate ſeditionem excitaſſent, penitus repreſſit, & ex indomitis efferatisque manſueta reddidit, ac ratione tractabilia. Alia vero inquieta & inſanabilia ab imperio ſecluſit, & ceu agreſtes beluas patriæ finibus exturbavit.] *Euſebius. Qui fuerint iſti barbari, explicat Eumenius pag.* 196. Imperatoris igitur tanti filius & ipſe feliciter adeptus imperium, Remp. vindicare cœpit. Neque ignobilem aliquam Barbarorum manum repentino impetu, & improviſo latrocinio, ortus ſui auſpicia tentavit. Affecit pœnâ temeritatis Reges ipſos Franciæ, qui per abſentiam patris pacem violaverant: nec dubitavit ultimis punire cruciatibus. Nihil veritus gentis illius odia perpetua & inexpiabiles iras: veram eam virtutem reputans, ut non ament & quieſcant. *& paulò infrà*: Hæc eſt tua, Conſtantine, de Aſcarici nece Gaiſique ſupplició quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam ſecundis præliis anteponenda.] *Similiter Nazarius ad ipſum quoque Conſtantinum*: Tu, Imperator optime, inito principatu, adhuc ævi immaturus, ſed maturus imperio, oſtendiſti curſum ætatis non expectandum in feſtinatione virtutis. Tu exinde domi militiæque juxtà bonus, nuſquam gradum extuliſti, quin ubique te gloria quaſi umbra comitata ſit. Tu ferociſſimis Regibus Aſcarico & comite ſuo captis, tantâ laude res bellicas auſpicatus es, ut eam inauditæ magnitudinis obſidem teneremus. Ut Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu eliſiſſe (ut jam infantulo indoles futuri roboris immicaret) ſic tu Imp. ut in ipſis Imperii tui cunabulis quaſi geminos dracones necares, per ſæviſſimorum Regum famoſa ſupplicia ludebas.] *Quænam autem fuerint illa* famoſa ſuppliciâ, *exprimit Eutropius cùm ſcribit*: Francorum atque

Conſtantin. e Britannia in Galliam venit.

Barbaros ad Rhenum & Oceanum reprimit.

Nempe Fràcos & Alemannos, & duos eorum Reges,

Aſcaricum & Gaiſum.

Quos beſtiis devorandos objicit.

Alemannorum captos Reges,beſtiis, cùm magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, objecit.] *factum id Treviris ſuadet & fixa inibi Principis ſedes, & Amphitheatrum etiam hodie ex parte ſuperſtes. Niſi fortè Colonia Agrippina magis placuerit, urbs Francis ipſis vicinior.*

3. *Quis fructus ſupplicium tantum ſecutus ſit, ita explicat Eumenius pag.* 197. Hoc boni confert pœna hoſtibus irrogata, ut non ſolùm inimici ferocire non audeant, ſed etiam amici impenſiùs revereantur. Inde eſt igitur, Imp. pax iſta quâ fruimur. Neque enim Rheni jam gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur. Quamlibet ille aut areſcat æſtu, aut reſiſtat gelu, neutro hoſtis audebit uti vado. Nihil enim tam inſuperabili vallo Natura præcludit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi ſpes relinquatur. Ille eſt inexpugnabilis murus, quem extruit fama virtutis. Sciunt poſſe ſe Franci tranſire Rhenum, quos ad necem ſuam libenter admittas: ſed nec victoriam ſperare poſſunt nec veniam. Quid ipſos maneat, ex Regum ſuorum cruciatibus metiuntur. ideoque tantum abeſt, ut amnis illius tranſitum moliantur, magis ut compertâ poteſtate deſperent. Ubi nunc eſt illa ferocia? ubi ſemper infida mobilitas? Jam ne procul quidem Rhenum audetis accolere; & vix ſecuri flumina inferiora potatis. Contrà, hinc per intervalla diſpoſita magis ornant limitem caſtella, quàm protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola: toto noſtri greges flumine bicorni merſantur. Hæc eſt tua, Conſtantine, de Aſcarici nece Gaiſique ſupplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam ſecundis præliis anteponenda. Semel acie vincitur; ſine fine documento. Cladem ſuam, quamvis multi pereant, vulgus ignorat: compendium eſt devincendorum hoſtium Duces ſuſtuliſſe.] *Ita Eumenius. Nec aliter Nazarius*: Franci ipſi præter ceteros truces, quorum vis cum ad bellum efferveſceret, ultra ipſum Oceanum æſtu furoris evecta, Hiſpaniarum etiam oras armis infeſtas habebat; ii igitur ſub armis tuis ita conciderunt, ut deleri funditus poſſent, niſi divino inſtinctu, quo regis omnia, quos ipſe affeceras, conficiendos filio reſervaſſes.] *Idem tangit rurſum Eumenius alio Paneg. pag.* 126. Multa Conſtantius Francorum millia, qui Bataviam aliasque cis Rhenum terras invaſerant, interfecit, depulit, cepit, abduxit: Tu jam ab ipſis eorum Regibus auſpicatus es; ſimulque & præterita illorum ſcelera puniſti, & totius gentis lubricam fidem terrore vinxiſti. Liberavit ille Britannias ſervitute: tu etiam nobiles illic oriendo feciſti.] *ortum tamen illum non Nativitatis ſed Imperii tantùm intelligi putant Lipſius & Henricus Valeſius, ut dixi. Atque hæc de Francorum Regibus geſta puto, proximo à Conſtantii morte anno, Chriſti ſcilicet 307. Quæ ſequuntur, anno item ſequenti 308.*

Fructus tanti ſupplicii.

Francorum metus.

Et quies.

Franci Hiſpaniarum Oras mari infeſtant.

4. Quid memorem Bructeros? quid Chamavos? quid Cheruſcos, Chabionas, Alamannos, Tubantes? Bellicum ſtrepunt nomina: & immanitas Barbariæ in ipſis vocabulis adhibet horrorem. Hi omnes ſigillatim, dein pariter armati, conſpiratione fœderatæ ſocietatis exarſerant. Conſtantinus tamen, cùm tantam belli molem videret, nihil magis timuit, quàm ne timeretur. Adit Barbaros: & diſſimulato Principis habitu, quàm proximè poterat, cum duobus accedit. Nunquam eſt excelſior principatus, quàm cùm ſe publico ſubmittit officio. facit verba: ſpem illorum agitat, & verſat credulitatem: negat ſe eſſe præſentem. Verè cœca Barbaria, quæ in illo vultu ſigna Principis non viderit & ne ſic quidem ſenſerit, cum intra jactum teli ſecurus ſui ſtaret, Conſtantinum eſſe. Innumeræ igitur hæ gentes ſimul ad bellum coactæ, uno impetu fuſæ ſunt; & dum collativam vim comparant, compendioſam victoriam præſtiterunt.] *Ita in genere tantum Nazarius. Paulo ſpecialiùs Eumenius*: Ut tum omnibus modis Barbarorum immanitas frangeretur; nec ſola hoſtes Regum ſuorum ſupplicia mœrerent, etiam immiſsâ Bructeris vaſtatione effecit. In quo prima ea conſilii ratio fuit, quòd exercitu repente trajecto inopinantes adortus eſt. non quod aperto Marte diffideret (ut qui palam congredi maluiſſet) ſed ut illa natio, perfugiis ſylvarum & paludium, bellum ſolita fruſtrari, fugæ tempus amitteret. Cæſi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quidquid fuit pecoris, captum aut trucidatum eſt. Vici omnes igne conſumpti. Puberes, qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia ſervituti, ad pœnas ſpectaculo dati, ſævientes beſtias multitudine ſuâ fatigarunt. Hoc eſt non pacem emere parcendo, ſed victoriam quærere provocando.] *De his idem in alio Paneg. Eumenius pag.* 126. 127. Plurimas Conſtantius Barbaras nationes victoriâ domuit, veniâ mitigavit: tibi cunctis hoſtibus alacritatis tuæ terrore compreſſis, interim deeſt materia vincendi.] *Pergit autem in ſuperiore Panegyrico.*

Bructeros, Chamavos. Cheruſcos fundit Conſtantinus.

Bructeros inopinantes vaſtat.

5. *Conſtantinus* inde Agrippinenſem pontem facere exorſus *eſt, velut* reliquiis afflictæ gentis inſultans, ne unquam metus poneret, ſemper horreret, ſemper ſupplices manus tenderet. magis id tamẽ ad gloriam imperii & ornatum limitis faciens, quàm ad facultatem, quoties vellet in hoſtem tranſeundi. Quippe tum totus armatis navibus Rhenus inſtructus erat, & ripis omnibus uſque ad Oceanum diſpoſitus miles imminebat. Sed pulcherrimum *ſpectaculum* erat, ut Rhenus non ſolum ſuperioribus locis, ubi aut latitudine vadoſus, aut viciniâ fontis exiguus; ſed etiam ibi novo ponte calcaretur, ubi totus eſt, ubi jam plurimos hauſit amnes; quos ingens fluvius noſter (*Moſella*) & barbarus Nicer, & Mœnus invexit. ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens, in ſua cornua geſtit excedere. Servire maximè *Conſtantini* numini ipſa rerum natura videbatur, cùm in illâ gurgitum altitudine, tantarum molium fundamenta jacerentur, fidam & ſtabilem firmitatem habitura. *Tantùm* opus difficile factũ, ſed uſu futurum (*ut putabatur*) ſempiternum, ſtatim primo ſui exordio hoſtium movit obſequia: qui pacem ſupplices petierunt, obſides obtulerunt.] *Hucuſque Eumenius. Divitenſe munimentum ad barbaricam Rheni ripam Coloniæ oppoſitum, à Conſtantino ad pontis tutelam, ſi non primum erectum, certe ſerio reſtitutum firmiuſque redditum prorſus exiſtimo. Narrat quippe Rupertus ejus loci Abbas, cùm murus quidam ſuâ ætate in Tuitienſi illo ſuo cœnobio dirueretur, repertam quamdam ex lapide Tabulam, cum Inſcriptione, quæ docebat,* Divitenſe munimentum in terrâ Francorum ab Imp. Cæſ. M. V. Conſtantino pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis erectum. *Id enim hoc tempore factum, docet verbum Cæſar, nondum ſcilicet Auguſtus: quem*

Pontem Agrippinæ facit.

Totum Rhenum navibus & milite occupat.

Divitenſe munimentum.

titulum

titulum proximo anno ab Herculio accepit; cum hic ad illum ex Italiâ advenit. *De quo ita idem Eumenius:*

CAPUT III.

Maximiani Herculii in Conſtantinum inſidiæ, & interitus.

Anno Chriſti 309.

Maxentius Romæ in Conſtantinum inſurgit.

Zoſim. l. 2.

1. *Conſtantinum talibus pro utilitate ac dignitate publicâ rebus intentum, averterunt in ſe novi motus, ejus hominis, quem ſucceſſibus ejus maximè favere decuiſſet.*] Quæ res altiùs repetenda *Cùm primùm Conſtantinum ab exercitu patris ſuffectum Imperatorem fama,* & imago ejus Romam de more miſſa *vulgavit* (*ait Zoſimus l. 2.*) Maxentius Maximiani Herculii filius (*ſuppoſititius*) non tolerandum ratus, Conſtanrino quidem ex animi ſententiâ rem ſuccedere, qui muliere non matronâ genitus eſſet; ſe verò talis Imperatoris filium deſidem hærere domi (in villâ ſex millibus ab Urbe diſcretâ, itinere Lavicano, *explicat Victoris Epitome*) aliis paternum imperium obtinentibus; adjunctis ſibi conatûs hujus adminiſtris Marcelliano & Marcello Tribunis militum, & Luciano, ſuillæ carnis, quam Fiſcus plebi Romanæ largiebatur, præbitore; ac Prætorianis denique militibus; in regium ab his ſolium collocatus eſt. cæſo tamen priùs Anullino (*malè* Abellio) Præfecto Urbis, qui eorum molitionibus adverſabatur.] *Zoſ.* Quo nuntio (*ait Eutropius l. 10.*) Maximisnus Herculius ad ſpem erectus reſumendi faſtigii, qnod invitus amiſerat, Romam advolavit è Lucaniâ; quam ſedem privatus elegerat, in agris amœniſſimis conſeneſcens: Diocletianumque etiam per literas adhortatus eſt, ut depoſitam reſumeret partem. quas ille irritas habuit.

A Prætorianis electus.

In quem mittitur Severus Cæſar à Galerio.

2. Sed adverſus motum Prætorianum atque Maxentii, Severus Cæſar Romam, *Mediolano* miſſus à Galerio, cum exercitu venit. obſidensque Urbem, militum ſuorum (quos præmiorum illecebris Maxentius traduxerat (*Victor Schotti*) ſcelere deſertus eſt. Auctæ Maxentio opes, confirmatumque imperium. Severus fugiens, Ravennæ obſeſſus eſt. *Eutr. & Victor Schotti.* Unde cùm Maximianus Herculius (*pergit Zoſimus l. 2.*) pro filio Maxentio non abs re ſollicitus, cùm perſpexiſſet Severum invitum eüci non poſſe, quòd ea urbs munita eſſet, & comeatu abundaret; ſacramentis eum circumvenit, Romamque ire perſuadet. Quò quidem pergens, cùm ad tres Tabernas perveniſſet, inſidiis ibi à Maxentio ſtructis adprebenſus necatur, fractis laqueo cervicibus. *Zoſ.*] Funusque ejus Gallieni ſepulcbro infertur, quod ab Urbe abeſt per Appiam millibns novem. *addit Victoris epitome. Factum id anno Chriſti vulgari* 307. *anno ipſius Severi* 2. *Euſebii, Alexandrinumque Chronicon, & Idatii faſti teſtantur.* Hoc acrior Galerius (*pergit Victor Schotti*) adſcito in conſilium Jovio (*ſeu Diocletiano*) LICINIUM vetere cognitum auricilia Cæſarem creat; eoque ad muniinentum Illyrici ac Thraciæ relicto, Romam contendit. Ibi cùm obſidione diſtineretur; militibus eadem qua ſuperiores via attentatis, metu ne dereretur, Italiâ deceſſit.] *pacificâ illius poſſeſſione Maxentio relictâ.*

Sed prodit° Ravennam fugit.

Mox tamen cæditur,

Galerius Severo Licinium Cæſarem ſufficere.

Maximian° Diocletianū ad Imperii reſumptionem hortatur.

3. Maximianus (*rurſum Eutropius*) in concione exercitûs, filium Maxentium denudare conatus, ſeditionem & convitiâ militum tulit. vir naturâ ferus, conſiliis ſtolidus, ortu agreſti Pannonioque, *ut eſt in Victoris epitome.* Ergo ad Diocletianum (*ait Zoſimus*) id temporis Carnunti (*oppidum hoc in Pannonia eſt, non in* Celtica, *ut Zoſ.*) degentem venit. eique perſuadere nititur, ut Imperium reſumat, nec id tanto tempore laboreque ſervatum, inſanienti juveniæ exponi quaſſarique permittat. Verum Diocletianus non modo dictis ejus adſentiri noluit: *Zoſ.*] *ſed (quod notat Victoris epitome)* ea tanquam peſtem aliquam deteſtans; in hunc modum ei Galerioque reſpondit: Utinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta! profecto nunquam iſtud tentandum judicaretis.] Herculius igitur eo conatu fruſtratus (*iterum Zoſimus*) & Ravennam uſque progreſſus, rurſum verſus Alpes contendit. *Zoſ.*] indeque (*ut Eutropius*) ad Gallias profectus eſt: dolo compoſito, tanquam à filio eſſet expulſus, ut Conſtantino genero jungeretur; moliens tum Conſtantinum repertâ occaſione interficere. Qui in Galliis & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat; cæſis Francis atqne Alemannis, captisque eorum regibus. qnos etiam beſtiis, cùm magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, objecerat.] *Eutr.*

Ille renuit.

Ergo ad Cōſtantinum generum Treviros redit.

Cui Fauſtā filiam ſuam, & Auguſti dignitatem tradit.

4. *Suſcepit hominem Treveris perhumanè Conſtantinus; atque ut idem Eumenius pag.* 199. illnm ab Urbe pulſum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, ſuis provinciis, ſuis copiis, ſuo palatio recepit. *Quin & ejus ex Eutropiâ Syrâ filiam Fauſtam ultrò & dolo perfidiâque oblatam in conjugium accepit, imò & poſtulavit (pag.* 126. *) nuptus magno apparatu feſtoque in eâdem Urbe Trevirenſi celebratis, in quibus & Auguſti nomen ab ſocero delatum aſſumpſit; ut ſæpius teſtatur Incerti Panegyricus; maximè initio, cùm ait:* Mihi certum ea ſermone complecti, quæ ſunt hujus propria lætitiæ: quâ tibi Cæſari additum nomen Imperii, & iſtarum cæleſtium nuptiarum feſta celebrsntur. quod tantum Reip. bonum nos præſentes intuemur.] *Secundam fuiſſe hanc Conſtantini uxorem, mox ita teſtatur idem Panegyricus pag.* 126. *Tu Conſtantine,* te ab ipſo fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidiſti, ut primo ingreſſu adoleſcentiæ formates animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus in hoc ſacrum pectus admitteres, novum jam tum miraculum, juvenis uxorius. Sed, ut res eſt, mente præſagâ omnibus te verecundiæ obſervationibus imbuebas, talem poſtea ducturus uxorem.] *Primam illam Conſtantini uxorem, nullam aliam eſſe poſſe quam* Minervinam *certum eſt, ex quâ ſcilicet* Criſpum *filium jam ſuſceperat, teſtibus Victore vulgato, & Zoſimo: licèt hi concubinam illam vocent. malè. cùm Criſpum Conſtantinus Cæſarem, ante omnes alios filios, ceu natu majorem legitimumque poſtea creaverit. Porrò cùm addit Panegyricus, Conſtantinum* ipſo fine pueritiæ, primoque adoleſcentiæ ingreſſu *illam duxiſſe; ſatis innuit circa* 17. *vel* 18 *ætatis Conſtantini annum id factum; ſeu annum Chriſti* 292. *vel* 293. *Nam cùm Conſtantinus anno Chriſti* 337. 22. *Maij moriens tantum poſt, quàm ante adeptum imperium, ab Euſebio vixiſſe dicatur: rurſumq; annos in imperio tranſegerit vel* 31. *vel* 32. *ut ſupra & infrà latiùs: planè eum anno Chriſti præter propter* 274. *natum*

Dimiſſâ Minervina.

eſſe

Ætas Criſpi filii Conſtantini.

eſſe neceſſum eſt: atque ita circa annum Chriſti 293. cum pater ejus Conſtantius Cæſar dictus eſt, priorem uxorem duxiſſe Minervinam. ex quâ ſi uno pòſt anno Criſpum ſuſtulit, Criſpum hoc anno Chriſti 308. vel 309. quo Fauſtam ductam putamus, annum ætatis egiſſe circiter 15. colligimus.

Maximianus Conſtantino inſidiatur.

5. *His igitur officiorum illecebris ſecurum jam ſe ratus Maximianus; animum ad imperii reſumptionem advertit:* Non ardore potentiæ (*ait Eumenius ſuprà*) quid enim genero imperante non poſſet? ſed errore jam deſipientis ætatis (*annorum jam 60. ut Victor vulgatus*) ut tot annos natus, graviſſimas curas & bellum civile ſuſciperet. Nempè nullis fortunæ muneribus explentur, quorum cupiditates ratio non terminat. atque ita eos felicitas ingrata ſubterfluit, ut ſemper pleni ſperum, vacui commoditatum, præſentibus careant, dum futura proſpectãt. At enim Diocletianum, qui primus Imperium & participaverat & poſuerat; conſiliũ & facti ſui non pœnitebat, nec amiſiſſe ſe putabat, quod ſponte tranſmiſerat: lætus aliorum imperio, quos ex ſuâ ſtirpe creviſſe ſciebat: & quorum glorias ſibi juſtè vindicabat. Hunc ergo à quo adſcitus fuerat, Maximianum puduit imitari: huic illum in Capitolini Jovis Templo juraſſe pœnituit; ut nihil mirum ſi genero pejerarit. Fuit iſta Fides, iſta Religio, Palatini ſacrarii devota penetralibus.] *Ita Eumenius.*

6. *Quo rem rectiùs aggrederetur, ſtatuit ſpecie in Italiam redeundi, Treveris à Conſtantino procul Arelatum abſcedere, militéſque ſibi conciliare,* non ſine ſpe (*addit Zoſimus l. 2.*) quòd ad odia mutua Conſtantinum generum & filium Maxentium impulſurus eſſet. Digredienti *Conſtantinus nihil adhuc mali, ſaltem certo ſuſpicans, ad latus comes hæſit: Gallorum per quos rediret,* obſequia (*ait Eumenius paulò antè*) impenſiùs etiam quam ſibi occurrere mandavit. *Mox: Ille* lentè & cunctanter, jam ſcilicet cum illis belli conſiliis, iter conficere, manſionum copias (*commeatus ſcilicet & annonam*) conſumere, ne quis conſequi poſſet exercitus. *Denique cùm Arelatem, ut ex conſequentibus elicitur, perveniſſet;* repentè intra parietes conſider purpuratus, & bis depoſitum tertiò uſurpat imperium. Literas ad ſolicitandos exercitus mittit; fidem militum, præmiorum oſtentatione, turbare tentat. ſecurè ſcilicet uſurus exercitu, quem venales manus habere docuiſſet. Sed illius hoc errore declaratum eſt, quantus Conſtantinum ſuorum militum ardor complecteretur: quem omnibus, quæ ille promiſerat donis, omnibus honorum oblationibus prætulerunt. Adeò inſuperabile largitionis genus eſt, cùm ipſe militi præmium eſt Imperator.] *Videtur hæc omnia Fauſta filia prodixiſſe Maximianus; Nam* illam dolum hunc viro detectis inſidiis enuntiaſſe. *teſtis eſt Eutropius & Zoſimus l. 2. Nec dubium, quin & militum aliqui enuntiaverint. Pergit enim Eumenius:*

Arelatum ſecedit.

Ubi Imperium reſumit.

Stat tamen pro Conſtantino exercitus.

7. Statim igitur ut fœdum illud facinus milites audierunt, ultro ab Conſtantino proficiſcendi ſignum petiverunt. *uſque adeò. ut* cùm viatica daret, idipſum ſibi moram facere, plúſque jam ſe, quàm ſufficeret, ex largitionibus tuis habere dixerunt. Inde arreptis armis, portas (*credo caſtrorum*) petierunt. tot dierum iter à Rheno uſque ad Ararim ſine ullâ requie peregerunt; feſſis quidem inde corporibus, ſed animis flagrantibus, & tanto magis creſcente in dies ardore vindictæ, quanto propiùs accederent. Ne ipſa quidem Conſtantini cura, quâ refovendis eorum corporibus à Cabillonenſi portu navigia providerat (*Arelatem ſcilicet prono flumine deſcenſuris*) feſtinantibus ſatis placuit. Segnis ille & cunctabundus amnis (*qui ut Cæſar, utram in partem fluat, oculis judicari non poteſt*) nunquam fuiſſe tardior videbatur. carinis tacitè labentibus, & ripis lenè recedentibus, ſtare ſe, non ire clamabant. Tum verò uſum pedum manibus aggreſſi, incubuere remigiis; & naturam fluminis urgendo vicerunt. Tandem eluctati Araris moras, vix ipſo Rhodano (fluminum. *ut rectè Florus*, impigro) fuere contenti. Parum illis videbatur concitus ruere, minus ſolito Arelate (*ubi ſcilicet Maximianus agitabat*) properare. Confitendum eſt, Conſtantinum cum ſuo illo vigore corporis, illo mentis ardore, laboraſſe interdum, ut quem ducebat, ſequeretur exercitum. Tanto enim omnes impetu ferebantur, ut cùm Maximianum Arelate deſerto (*adventantis Conſtantini metu*) Maſſiliam abiiſſe (*fugiſſe habet Eutropius*) comperiſſent; confeſtim navibus evolarent: effuſoque curſu non jam Rhodani curricula, ſed ipſa quodammodo ventorum flamina præverterent. Tantus illos incenderat amor Conſtantini; ut quamvis ſcirent oppugnandam eſſe munitiſſimam civitatem, ſufficere ſibi crederent, pervenire.

Maſſiliam fugit Maximianus.

Maſſiliæ deſcriptio.

8. Maſſilia enim in profundum mare prominens, & munitiſſimo accincta portu, in quem anguſto aditu maris Mediterranei refluit ſinus, mille quingentis paſſibus terræ cohæret; quâ firmiſſimus & turribus frequens murus opponitur. Quippè olim Græcos Italoſque illuc convenas, cùm artibus ingenióque pollerent, etiam ipſe docuit locus, omnia quæ bello uſui forent largiùs in eam partem, quæ adiri poſſet, impendere; cùm natura in cetera ſumptum operis remiſiſſet. At enim primo Conſtantini adventu, primóque exercitûs impetu, nihil altitudo murorum, nihil celeberrimæ turres, nihil loci natura remorata eſt, quominus, & portus caperetur, & urbs continuò, ſi dux voluiſſet. Quippè tanta fiducia murum omnem milites invaſerant, ut ſtatim ſine dubio aſcenſuri fuiſſent, niſi in parandis, quas admoverant, ſcalis, conjecturam oculorum ſublimitas fefelliſſet. Sed ſic quoque multi ſcalarum brevitate decepti, quod ſupererat aſcenſui, extentis corporibus æquabant; & ſuccedentium humeris ſublevati, jam intervalla pinnarum uncis manibus invaſerant. Adeò nihil periculi in vindictæ executione metuebant; ut ſibi non murum ſcandere, ſed ex æquo congredi viderentur. Sed ſingulari pietate Conſtantinus ſignum receptui dedit, & victoriam diſtulit, ut omnibus poſſet ignoſcere: neu quid atrociùs faceret miles iratus, quàm illius clementia pateretur. Optimi Imperatoris ſollicitudine cavens, ut inducti (*à Maximiano*) in fraudem milites, pœnitendi tempus acciperent, atque ultro veniam precarentur. Ita voto & illum & omnes quos ille receperat, reſervavit; ſibíque imputare debuit, qui eo beneficio uti noluit; nec ſe vitâ dignum judicavit, cum per Conſtantinum liceret ut viveret.] *Hactenus Eumenius, ſatis innuens, quo genere mortis Maximianus tum extinctus ſit.*

Et oppugnatio.

Maximianus deſperat, & ſe ſuſpendit.

9. *Nam, ut Victoris Epitome*, captus, pœnas mortis genere poſtremo, fractis laqueo cervicibus, luit. ætate ſexagenarius, annorum viginti (*potius*

duode-

duodeviginti) Imperator ortu agreſti Pannoniúque: nam etiam nunc haud longè Sirmio eminet locus palatio ibidem conſtructo, ubi parentes ejus exercebant opera mercenaria.] *Eutropius quoque* Maſſiliæ, ex quâ ad filium navigare præparabat, oppreſſum, pœnas dediſſe juſtiſſimo exitu *ſcribit:* virum ad omnem aſperitatem ſævitiamque proclivem, infidum, incommodum, civilitatis penitus expertem.] *Euſebius denique* propter perditos & fraudulentos conatus plurimos, quos in vitâ conſciviſſet, dæmonis incitatione extremum vitæ ſpiritum laqueo interrupiſſe *tradit. Quare malè Zoſimus,* Tarſi morbo extinctum *prodidit: licèt rectè addat,* in deſperationem rerum omnium adductum.] *Hanc Maximiani necem quædam Manuſcripta Chronici Euſebiani exemplaria ad annum Conſtantini 3. referunt, ſeu annum Chriſti vulgarem 309. quod & ego ex antecedenti & ſequenti hiſtoria ſerie verum exiſtimo. licèt Faſti Idatiani in 310. devolvant.*

Eutr. l. 10.

Euſ. l. 8. c. 29.

CAPUT IV.

Barbari interim Rhenum tentant.

Anno Chriſti 310.

Franci rebellant.

1. INTERIM ſtatim atque Conſtantinus (pergit Eumenius) *à limite* (Rhenano) *paulisper abceſſiſſet; magnis ſe terroribus Barbarorum* (puta Francorum & Alemannorum) *perfidia jactare* cœpit. *ſcilicet dum illa ſibi proponunt, Quando perveniet* Arelatem ſcilicet) *quando feſſum reducet exercitum? Sed repentè audito ejus reditu, velut attoniti conciderunt. Nec illius pro Rep. votum ampliùs quàm unius noctis cura tetigit. Poſtridiè enim quàm accepto illo nuntio geminatum itineris laborem ſuſceperat, omnem quam reliquerat tranquillitatem, rediiſſe didicit.*] Ita ille. Nimirum Tranſrhenani Barbari audito Maximiani exitu miſerrimo, ſuis ſe finibus tenuerunt. & Conſtantinus pace Galliæ jam firmatâ, aliò curas vertit.

Sed auditâ Conſtantini victoria, quieſcunt.

Conſtantinus in Britanniam. Euſeb. vita Conſt. l. 1. c. 25.

2. Nam ut Euſebius, *reliquas orbis partes ante oculos proponens, tandem ad Britannos trajecit, Oceani litoribus undique concluſos. Quos & vicit. Nec plura* Euſebius. Britannicum hoc bellum anno Chriſti 310. ego quidem conſequenter attribuo. His igitur etiam victis, in Galliam reverſus, *alias mundi partes* (pergit idem) *animo complecti cœpit, ut his qui opis indigerent, ſubſidio maturè veniret.*] Occurrit Roma à Maxentio miſerè lacerata. Quam dum liberare molitur, majus hauſit è cœlo beneficium, nempe Chriſti fidem, quam nondum amplexus erat, licèt ab eâ patris exemplo non alienus.

Et ad alias curas.

Romæ præſertim liberandæ.

3. Interim paulò enucleatiùs accuratiusque quæ hactenus in Belgica noſtra Galliisque per hoſce quinos priores Imperii annos geſſit Conſtantinus, ediſſerere viſum: quo magis conſtet non alibi, quam apud nos probabilius, veri Dei fidem imbibiſſe; non alibi quàm apud Rhenanum Imperii limitem Treverosque noſtros Crucis ſignum in quo victurus eſſet, oculis animoque vidiſſe. Quod jam inquirendum.

Galerii Auguſti miſer interitus.

Oroſ. l. 7. c. 28.

4. Prius tamen & illud ad ſecuturas narrationes, moneo, dum Conſtantinus in Romæ liberationem intentus eſſet, Galerium ſeu Maximianum juniorem Auguſtum in Illyrico *vulnere peſtilenti conſumptum*, ut ait Victor Schotti; ſive ut alter Victor, *conſumptis genitalibus defeciſſe.* Quod Oroſius ita fuſiùs: *Galerius cum perſecutionem à Diocletiano & Maximiano juſſam, ipſe atrocioribus edictis accumulaviſſet, ac poſtquam per annos decem omni genere hominum provincias exhauſiſſet; putrefacto introrſum corpore & vitalibus diſſolutis, cùm ultra horrorem humanæ miſeriæ etiam vermes eructaret, neque medici ultra jam fœtorem ferrent, eoque crebro juſſu ejus occiderentur; à quodam medico conſtantiam ex deſperatione ſumente increpitus, iram Dei eſſe pœnam ſuam, atque ideo à medicis non poſſe curari: edictis latè miſſis, Chriſtianos de exiliis revocavit. Ipſe autem cruciatus non ſuſtinens, vim vitæ ſuæ attulit.*] Hæc Oroſius; quæ adhuc fuſiùs Euſebius; apud quem & edicti de perſecutione remittendâ exemplar extat; quo ille dicitur, *Tribunitiæ poteſtatis & Dictator* XIX. *Conſul VIII. & Conſtantinus Trib. poteſtatis V.* qui characteres omnes in prius anni Chriſti vulgaris 311. ſemeſtre certò concurrunt. ſublatâ tantùm labeculâ, de quâ nos ſuprà.

Euſ. l. 8 hiſt. c. 28. & 29.

5. Galerio *quinquennium imperium fuiſſe* ſcribit Victor Schotti noſtri; *rectè:* ſi à Conſtantii morte & à Roma in ejuſdem Imperium devolutâ numeres. Quod poſt annuum Conſtantini Cæſaris ab eo pulſi Imperium, ac proinde finito jam Conſtantii Auguſtali biennio, cœpiſſe dicendum. Conſtantii quidē auguſtale Imperiū, *annuum* tãtùm non biennale ſupputat; ſed planè illud non Conſtantii ipſius morte, verùm Conſtantini filii in Cæſarem evectione (quæ annua quoque fuit) terminat. *Ita tunc Reſp.* (addit Oroſius) *ſub novis quatuor principibus fuit, Conſtantino* (in Galliis) *& Maxentio* (Romæ) *filiis Auguſtorum: Licinio autem* (in Illyrico & Græcia) *& Maximino* (in Oriente) *hominibus novis.*]

Conſtantinus Galliarum urbes reſtaurat.

6. Nec illud, quod ad rem quoque noſtram facit, omittendum; Conſtantinum pace Galliarum conſtitutâ, Treverorum civitatem, in qua maximè degebat, aliáſque Belgicas & Gallicanas priorum temporum injuriis miſerè laceratas, etiam cum fœnore reſtauraſſe. Sic enim ad eum loquens Eumenius: *Ipſam patriam meam* (Auguſtodunum) *ipſius loci veneratione reſtitues. Cujus civitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno populi Romani nomine gloriata, opem tuæ majeſtatis expectat: ut illic quoque loca publica, & templa pulcherrima, tuâ liberalitate reparentur. Sicut hic video hanc fortunatiſſimam civitatem* (Treverenſem) *cujus natalis dies tuâ pietate celebratur, ita cunctis mœnibus reſurgentem, ut ſe quodammodo gaudeat, olim quodammodo corruiſſe, auctior tuis facta beneficiis. Video Circum maximum, æmulum credo Romano: video Baſilicas & forum, & opera Regia, ſedemque juſtitiæ in tantam altitudinem ſuſcitari, ut ſe ſideribus & cœlo digna & vicina promittant. Quæ certè omnia ſunt præſentiæ tuæ munera. Quæcunque enim loca frequentiſſimè tuum Numen illuſtrat, in his & hominibus omnia & mœnibus & muneribus augentur,* &c.

Auguſtodunum.

Et Auguſtā Treverorū.

CAPUT V.

Conſtantinus in Belgica & Treviris Fidem amplexus: ibiq; Crucis ſignum vidit, cum Inſcriptione: IN HOC VINCE.

Anno Chriſti 310. vel 311.

Conſtantinus initio Imperii adhuc Ethnicus.

1. CONſtantinum, cùm patris Imperium ceepit, ſatis compertum eſt, priſcâ adhuc Idololatriæ fuligine obductum. infinitis ferè Id arguentibus nummis illius; qui ad deceſſorum Cæſarum imitationem, jam *Genio Populi Romani*, jam *Jovi Conſervatori*, jam *Marti Patri Propugnatori*, aut *Semper Victori*, aut *Conſervatori*, jam *Soli Invicto Comiti*, jam *Herculi Conſervatori* inſcripti hodie quòque leguntur. Sed & Eumenius ipſum in Panegyrico poſt cæſum Maximianum ſocerum alloquens: *Vidiſti*, (igitur) *Conſtantine, Apollinem tuum, comitante Victoriâ, coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenûm ſingula fuerunt omen annorum.* Mox: *Meritò igitur auguſtiſſima illa delubra tantis donariis honeſtaſti, ut jam vetera non quærant. Jam omnia te vocare ad ſe templa videntur: præcipuéque Apollo noſter, cujus ferventibus aquis perjuria puniuntur, quæ te maximè odiſſe oportet.*] Immolabat igitur tunc quoque dæmoniis, & non Deo. Paternæ tamen pietatis erga noſtræ Religionis diſciplinam æmulum ſe præſtitiſſe, frequenter ſcribit Euſebius. Adſtipulaturque Sozomenus, hoc inſuper adjungens: *Eccleſias, quæ in ejus erant imperio, in ſummâ lætitiâ vitam egiſſe, creviſſeque in dies, tam benevoli tamque pacis ac concordiæ ſtudioſi Principis beneficiis. quas quidem etiam ante ejus regnum, divinum Numen a Perſecutionis & turbarum procellis liberas vacuáſque ſervaverat.*] ſub Conſtantio nimirum patre. Nec dubium familiam eum patris integram ſibi adſciviſſe. quæ cùm Chriſtianis maximè conſtaret, paternis filium conſiliis & officiis, quando tantam ei benevolentiam conciliaſſent, *inſiſtere perſuaſerit.

Euſeb l. 8. c. 20. med. Soz. l. 1. c. 6.

Dei in Conſtantinum gratia & miſericordia.

2. Sic affecto, liberalis è cœlo, provocataque tot meritis Dei gratia non defuit. Quâ in tantâ re, ne quid de noſtro affingamus, ipſa Euſebii verba (qui è Conſtantino præſens hauſit) fideliſſimè tametſi ſubinde breviata, reddamus. Conſtantinus in paterno jam Imperio tranquillus planeq; victor: *alias mundi partes animo complecti cœpit, ut his qui opis indigerent, ſubſidio maturius adveniret. In univerſum igitur mundi ambitum, tanquam in corpus immenſum, aciem mentis intendens, & civitatem illam quæ Mundi caput eſt, totiúſque Imperii moderatrix* (Romam ſcilicet) *Tyrannis in ſervitutem datam perſpiciens; primùm ejus in libertatem vindicandæ poteſtatem illis, qui reliquas Imperii partes procurabant, utpote eum honoris gradum ante ipſum adeptis* (Galerio ſcilicet & Maximiano ſeniori) *permiſit. Verum ubi nullus eorum illi malo remedium potuit afferre; ſed qui periculum facere intendebant, turpem habuere exitum; ipſe ne vitam quidem vitalem ſibi fore dixit, ſi civitatem omnium reginam ita afflictam eſſe pateretur. Ideóque ea parare ſatagebat, quæ ad tyrannidem delendam ſpectare videbantur.*

Euſeb. de vita Conſt. l. 1. c. 26. & ſeqq.

Conſtantinus in Maxentium ſe parat.

Deum ſibi adjutorem quærit.

3. *At cùm accuratè luſtrando comperiſſet, propter maleficas & fallaces Magorum præſtigias, à tyranno* (Maxentio) *ſtudioſè conquiſitas, multo firmiore præſidio ſibi opus eſſe, quàm quòd res militaris ſuppeditare ſolet; Deum ſibi adjutorem quæſivit: ratus auxilia, quæ ex armis militumq; manu petuntur, vix ſecundas tribuendas: at quæ ſunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec ullâ frangi violentiâ poſſe. Mente igitur diligenter complexus eſt, quiſnam Deus ſibi in ſubſidium eſſet adſciſcendus. Ac quærenti illi talis ſubiit cogitatio. Eorum qui antea Remp. attigiſſent, plerumq; omnes ſuam ſpem in Deos compluress conjeciſſe, eóſque victimis ac monumentis coluiſſe. ac primùm divinationum invitamentis, deinde oraculis, quæ fauſta illis auſpicia denunciabant, in fraudem inductos, turpem habuiſſe exitum; neque quempiam Deorum prohibuiſſe, quo minus nefandâ internecione opprimerentur. Solum ejus patrem ad contrariam viam divertiſſe, eorum damnaſſe errorem; ſolum Deum verum totâ vitâ veneratum, eumq; omnis largitorem boni comperiſſe. Eum igitur quem pater ſanctè adoraſſet, ſolum colere inſtituit.*

Patris ſui exemplo.

Viſio divina Conſtantini, planeque mirabilis.

4. *Quocirca hunc obteſtatus eſt, ut tum quinam eſſet, vellet ei ſignificare, tum rebus animo propoſitis dexteram adjutricem porrigeret. Ita precanti viſio divina & admirabilis apparuit. Quam ſi quis fortè alius dixiſſet, non tam facilè perſuadere potuiſſet. Verùm cùm Imperator ipſe victor nobis longo tempore pòſt, cùm notitiâ eramus & familiari colloquio ab eo dignati, narraret & jurejurando confirmaret; cui dubium eſſe poterit, quin rei ita memoratæ ſit omnino fides adhibenda? præſertim cum tempus poſtea conſecutum, ejus orationi teſtimonium dederit.*

In ipſo Meridie.

5. *Cùm jam Sol ad medium cœlum aſcendiſſet, die in pomeridianum tempus paulatim inclinante; dixit, Se Crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum, in ipſo cœlo, Soli imminens manifeſtò oculis adſpexiſſe; inque eo inſcriptionem horum verborum conſignatam,* IN HOC VINCE. *Admiratio ingens ipſum & totum exercitum qui eum quopiam iter facientem comitabatur, adeoque hujus prodigii ſpectator factus erat, inceſſit. Sed dubitatione admodum intra ſe diſtrahi, quid tandem oſtentum illud ſibi vellet aſſeruit. Atque eum diu multumq; de illo cogitantem oppreſſit nox. Ibi ei dormienti Chriſtum Dei cum ſigno in cœlo monſtrato viſum fuiſſe; præcepiſſeque ut exemplari ad imitationem illius ſigni, quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquam præſidio in præliis cum hoſtibus committendis uteretur.*

Duces exercitus, Crucē pro malo omine capiebant. Panegyr.

Nocte autē ipſe Chriſtus apparet.

6. *Ille ſimulatque dies illuxit, ſurgens, primum arcanum illud viſum amicis exponit. Deinde artificibus, qui aurum & lapides pretioſos affabrè ſculpere norant, accerſitis, medio inter eos loco aſſidet: verbis ſigni deſcribit effigiem: eam auro & lapidibus pretioſis imitatione adumbrare mandat. Quam quidem effigiem contigit, ut nos oculis olim contemplaremur:* Ipſo enim imperator eam nobis oſtendere dignatus eſt.*

Cum Cruce, talis figura.

7. *Erat autem tali figurâ fabricata. Haſtile oblongum erectumque auro undique obductum fuit. quod cornu habuit tranſverſum, ad formam Crucis conſtructum. Supra in faſtigio ipſius operis corona affixa, lapidibus pretioſis & auro politè circumtexta. In eâ ſalutaris nominis Salvatoris nota inſcripta, duobus ſolum elementis expreſſa, id eſt, duabus primis litteris nominis Chriſti. (erat enim litera P. in ipſo medio litera X. curioſè & ſubtiliter inſerta) quæ totum Chriſti nomen perſpicuè ſignificarit. Quas quidem litteras *deinceps*

ſemper

ſemper Imperatorem Galeâ geſtare cõſuevit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex tranſverſo erat per haſtile trajecta, velamen quoddam pertenue appenſum adhæſit; regalis videlicet & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretioſorum, artificioſè conjunctorum, lucisque ſua claritate pulchrè reſplendeſcentium depicta, & multo auro intertexta. Quæ dici non poteſt, quantam ſpectatoribus ob ſuam pulchritudinem excitarit admirationem. Iſtud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis latitudiniſque crucis menſuram penitùs exæquavit. Oblongum verò & erectum haſtile in ſublimi appenſum, cujus pars inferior verſus baſim longius ducta fuit, ſub ipſum Crucis inſigne ad texturæ diſcurrentes fimbrias, auream Pii Imperatoris pariter ac liberorum ſuorum effigiem, ad pectus uſque concinnè deſcriptam continuit. Iſto igitur ſalutari ſigno Imp. tanquam hoſtilis cujuſque & infeſtæ violentiæ propugnaculo, ſemper uſus eſt. Cujus expreſſa ſimilitudines mandavit ut univerſum ſemper exercitum antecederent. Verùm iſta poſt.] Numiſmata etiamnum ſuperſunt pluſcula, quæ effigiem hanc exprimunt; & apud Baroninm alioſque videri poſſunt. Subdit Euſebius:

Labarum Cruce ornatum. *Vide Baron anno 312.*

Conſtantinus ad fidem convertitur.

8. *Conſtantinus igitur admirandâ illâ viſione obſtupefactus, nullum alium Deum, quàm qui ipſi apparuiſſet, colendum eſſe ſtatuens; Sacerdotes & Religionis profeſſores, & verbo illius initiatos acerſit. Quis eſſet Deus ille ſciſcitatur, quid etiam ſibi vellet illa viſio, quæ de ſigno fuiſſet ipſi patefacta. Illi Deum hunc reſpondent, Dei unius ac ſolius unigenitum filium eſſe. ſignum autem quod apparuerat, immortalitatis notam eſſe, trophæumq́; victoria illius de morte reportata, quam olim cum in terra verſaretur, fuiſſet aſſecutus. Cauſas etiam docent eius adventûs; accuratamq́ue illius inter homines œconomiæ rationem ei ſuggerunt. His rationibus probè eruditus, ubi cæleſte viſum cum Sacerdotum interpretatione contulit, animo confirmatus eſt: pro certo perſuaſus earum rerum cognitionem ſibi divinitus oblatam. ideoq́ue in divinam Sacrarum Scripturarum lectionem omni curâ incumbere decrevit. Quare primum Dei Sacerdotibus ſibi tanquam aſſeſſoribus aſcitis, ſtatuit Deum qui ſibi apparuiſſet, omni cultu venerari. Deinde ſpe bonâ in illo poſitâ firmè munitus, magnâ cupiditate ferebatur ardentes incendii tyrannici faces penitus extinguendi.*] Hactenus Euſebius mira quidem amœnaque narrans, ſed parum accuratè; ut qui neque tantæ viſionis Sacerdotúmve loca, neque tempus ſimileſque circumſtantias ſatis expreſſerit. Syrus nimirum aut Græcus homo, in ſui Orientis magis quàm Galliarum tam remotarum cognitione verſatus.

Et à Sacerdotibus edocetur.

In tyrannos animatur.

In Belgica contigit iſta viſio.

9. Verùm quæ ſuperiore capite narrata ſunt, id in Belgicâ noſtrâ contigiſſe vel puero ſignificant. Soxomenum tamen primùm audire juvat. *Sopatrum ait, non eſt veriſimile in colloquium veniſſe Conſtantini: cùm hic ſoli illi Imperii parti, quæ ad Oceanũ & Rhenum eſt, præeſſet. Nam propter diſſidium cum Maxentio in Italiâ exortum, Romanorum res inter ſe commiſſa erant. nec facile tum erat ad Gallos Britannóſve, & qui ea loca incolunt (apud quos conſpirant omnes imbutum Religione Chriſtiana Conſtantinum, priuſquam contra Maxentium moveret) iter ſuſcepiſſe, aut inde Romam & ad Italos commeare.*] Itã ille. Apud Gallos, inquit, & eam Imperii partem *quæ ad Oceanum Rhenumq́; adjacet*, conſpirant omnes imbutum Chriſti Religione Conſtantinum. Belgicam noſtram niſi nominaret, poſſetne clariùs exprimere? In illâ igitur, & quidẽ jam abs Italis ac Româ, Maxentii tyrannide preſſis abſciſsâ, fidem noſtram hauſiſſe Conſtantinum, tenemus è vetere fidoque Scriptore Sozomeno; qui & omnium aliorum conſpiratione idem firmari ſcribit.

Ex Conſtantini ad Chriſtum converſio.

10. Quod tametſi ſileret, plus ſatis evinceret fixa per hos annos in Belgicâ & circa Rhenanum Imperii limitem Conſtantini commoratio. Erat per hæc tempora non Belgicæ modò, ſed & Galliarum omnium caput Auguſta Treverorum. in eaq́ue tùm Conſtantini, tum patris Conſtantii, Maximiani Herculii, Tetrici, Poſtumi, & tot aliorum Cæſarum fixum longo jam uſu domicilium. Tot ibi quaſi Romæ datæ Leges; tot dicti ad Imperatores Panegyrici hódieque ſuperſtites; conditum contra tranſ-Rhenanos hoſtes penè totius Imperii occidentalis armamentarium; *Imperii vires quod alit, quod veſtit & armat*; ait Auſonius: Conſtantini Nuptiæ nuper inibi cum Fauſtâ contractæ: denuum quaſi Romana in occidente Senatorum juriſque Civilis Curia. Quis alibi Conſtantinum Catecheſi noſtrâ inſtructum exiſtimet, qui penè ſemper ad Rhenum contra ſitos trans Rhenum barbaros ac Treviris maximè, excubaſſe meminerit? Addit Sozomenus ibidem fide noſtra imbutum, *priuſquam in Maxentium moveret*: ergo neque in ipſo procinctu, aut itinere; nedum poſt procinctum. adhuc in ipſis ſcilicet Treviris, aut non procul.

& quidem in Treviris

Imperatorum ſolio.

11. Quin fertilius etiam eſt hoc argumentum, & longè plura colligit. Primùm enim efficitur, ingentem Belgarum eo ſeculo fidelium, Epiſcoporum maximè, zelum extitiſſe; qui ipſum etiam Reip. caput, id eſt Principem attingere, adeoque Chriſto ſubigere potuerit: tum verò nihilo minorem Chriſtianorum multitudinem; ſeu quæ tam felicem tantæ prolis partum anteceſſit, ſeu quam è tanto lucro ſucreſcere neceſſe fuit: ceteris ſcilicet Principis exemplo primùm, mox etiam vulgato (ut credere par eſt) in eam rem libertatis edicto, ad fidem noſtram advolantibus. Tum denique Sacerdotes iſtos tanti Imperatoria expiſcatores & Catechiſtas (de quibus agit Euſebius) Belgas potiſſimum, præque omnibus Treverenſem Colonienſem, Moguntinum, ac vicinos Rheno Epiſcopos Sacerdotéſve extitiſſe. Maternum certè ſecundum Colonienſem Antiſtitem in tantæ prædæ gloriæque participationem veniſſe, ſatis fidem facit ſecuta Conſtantini in eum fiducia; quando illo deinceps ad Concilia reſque fidei, tanquam Doctore ſuo primo fidoque, plurimum legitur uſus. Ac licèt aliis etiam extra Belgicam Epiſcopis, puta Rheticio Auguſtodunenſi, & Marino Arelatenſi, munus idem commiſerit; facilius tamen iſti tanto locorum intervallo diſtincti, in Regiâ Civitate Trevirenſi, quam in propriâ ſinguli Eccleſiâ reperti fuerint, & Conſtantino ſimul ac ſtatim exhibiti. Agroecio verò Trevirorum tum Archiepiſcopo, ejuſque Eccleſiæ, quàm deinceps cum matre Helenâ benefecerit, in ſequentibus edocebo.

Ingens fidelium in Belgio zelus.

Maximè Epiſcoporum Trevirenſis & Colonienſis.

12. Magna omnino Belgicæ noſtræ laus, rara cæleſtiſque laurea. Tot orbis Romani provinciæ, ipſaque adeo Regina Provinciarum Italia, tot Cæſares & Auguſtos tanto tempore poſſederant; nulla tot annorum fluxu, vel unum eorum Idololatriæ raptum veritati Chriſtoque aſſerere potuerat. Prima ſolaque BELGICA, quantumvis Aquilone rigens, quantumlibet Hieroſolymis Romaque, id eſt ipſis fidei fontibus abjuncta, extremis hominũ

Belgicæ inde gloria.

Morinis inſeſſa, tot Barb.orum Infidelium viciniis & irruptionibus agitata, lacerata, ſubverſa; Conſtantinum Principem ſuum, ardente licèt adhuc alibi perſecutione, Chriſto vindicatum, in Catechumenorum ſaltem numerum induxit. Vt jam nihil minus accepiſſe videri poſſit ab iis, quæ ſunt ſupra modum, Eccleſiis: quibus omnibus non minùs quàm ſibi Chriſtianum Imp. tot jam votis expetitum, tot martyrum cruoribus & laniєnis promeritum, tandem aliquando peperit. Ut jam illud ei Propheticum jure accini poſſit; *Lauda & lætare ſterilis quæ non paris, decanta laudem & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis; & ſemen tuum Gentes hæreditabit, & civitates deſertas inhabitabit. Paupercula, tempeſtate convulſa, abſq; ullâ conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris. & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.* Atque hinc conſideret Lector, num in aliquod veluti proverbium hæc ſententia verti non poſſit: Conſtantinum ſeu Britannia ſeu Dardania dedit Mundo, eadem Britannia Imperio, BELGICA Chriſto.

Isa. 54. ad Gal. 4.

CAPUT VI.

Nivomagi ad Moſellam ſignum Crucis vidit Conſtantinus.

Anno Chriſti 311.

1. SEd necdum Belgicæ Laudis in hoc genere terminis. Quid ſi etiam Crucis, & adſcriptæ ad Crucem Epigraphes, IN HOC VINCE, apparitionem apud noſtrates Conſtantino obtigiſſe probavero? Tum verò è Belgicâ noſtrâ non Catechumenum modò, ſed acerrimum quoque fidei Propugnatorem eduxerimus. Imprimis Conſtantinum Francis Barbariſque Transrhenanis Maximiano item; Britanniſque noviſſimè ſub jugum miſſis, omni bello vacuum binis capitibus prioribus clariſſimè vidimus. Quem igitur exercitum reliquum apud ſe habere poterat; circum ſe ac Treveros (ubi ſæpiùs agitabat) quaſi inde in Maxentium moturus armabat animabatque. Quippe cùm nullum alium per abſentiam ſuam, quàm Francum, & ſi fortè Alemannum lubrica fallaciq́ue fide hoſtem tantopere timendum animadverteret; in Rhenum validis firmandum præſidiis incumbebat. idq́ue Auguſtæ Trevirorum maximè, ubi ſedes illius & Imperii; unde item hoſtis utriuſque limites pari ferè intervallo proſpectabat.

Exercitum contra Maxentium Conſtantinus circa Treviros parat.

2. Quod ne gratis aſſerere videar, Panegyriſtæ verba profero ecce iſta, uno alterove (ut apparet) anno, poſt victum Maxentium Treviris publicè Conſtantino ipſi præſenti recitata: *Quiſnam te Deus hortatus eſt, ut omnibus ferè tuis Comitibus & Ducibus, non ſolùm tacitè muſſantibus, ſed omen etiam* (nempe Crucis iis temporibus infauſtæ apparitionem) *apertè timentibus, contra conſilia hominum, contra aruſpicum monita, ipſe per temet liberandæ Urbis tempus veniſſe ſentires? Habes profectò aliquod cum illa mente divinâ, Conſtantine, ſecretum, quæ delegatâ noſtri Diis minoribus curâ, uni ſe tibi dignatur oſtendere. Alioquin, fortiſſime Imperator, ſic quoque cum viceris, redde rationem. Rhenum tu quidem toto limite diſpoſitis exercitibus* (exercitibus, ait, & non tantùm præſidiis) *tutum reliqueras. ſed hoc majores pro te ſuſcepimus metus, quod nobis potius quàm tibi conſulebas; noſtramq́, pacem, magis quàm bellum quod aggrediebare, firmaveras. Nam tu, Imp. nimio noſtri amore, neſciſti ad ſecuritatem nobis verè providere, qui non omnia tecum arma moviſti; cùm in tuâ conſervatione ſalus noſtra ſit. Et quid opus erat ipſi Rheno, inſtructu militibus & claſſibus, quem jampridem barbaris nationibus virtutis tuæ terror obſtruxerat? An oſtentare voluiſti diligentiam tuam diviſis copiis inter cuſtodiam pacis & belli, aut etiam jactanter & glorioſè probare, liberandæ Vrbi te ſufficere cum paucis? Vix enim quartâ parte exercitûs contra centum millia armatorum hoſtium Alpes tranſgreſſus es. Vt appareret penitiùs conſiderantibus* (id quod nos fugit in amore trepidantes) *non dubiam te, ſed promiſſam divinitus petere victoriam.* Hactenus Panegyriſtæ ad Conſtantinum ipſum oratio.

Panegyriſtæ verba ad Conſtantinum, bene notanda pag. 135.

Rhenum bene munit Conſtantinus.

Vix quartam partem exercitus duxit in Maxentium.

3. Ex quâ multa ſanè jam à nobis narrata firmantur. Primò, quòd jam agimus, Conſtantinum in Maxentium molientem, Rhenum contra Francos, Alemannos, alioſque Germaniæ barbaros, non præſidiis modò ſolitis, ſed integris etiam *exercitibus*, ſed inſtructis etiam claſſibus muniviſſe, impenetrabilemq́ue reddidiſſe: & quidem tantâ militum frequentiâ, ut vix quartam reliqui exercitus ſui partem, in Italiam contra tantum hoſtem ſecum abduxerit. Deinde (quod ad ſupradicta pertinet) Comites ejus Ducéſque malum belli exitum ex malo viſæ Crucis omine præſagiſſe, timuiſſe, muſſitaſſe. Ipſum demum *habere* debuiſſe *aliquod cum ſupremâ mente divinâ ſecretum* commerciúmve, quo contra haruſpicum reſponſa, non jam dubiam, ſed promiſſam cælitùs, etiam cum paucis, peteret victoriam. Adeò ipſis quoque Ethnicis, & Crucis apparitio, & Chriſti promiſſiones, Euſebio & Panegyriſtâ hoc teſtibus, manifeſtatæ cognitæque fuerunt. Quod etiam Artemius miles Juliano in faciem dicere non erubuit, apud Surium vigeſimo Octobris.

Malum omen viſum Ducibus, Crux apparens.

4. Sed quod ad rem meam jam facit, Conſtantinus in Maxentium Italiamq́ue moturus, militem ad Rhenum maximè ſubmiſit, aut etiam ipſe deduxit, tanto numero, ut non ſolita modò præſidia firmaret, ſed *exercitibus* etiam claſſibusq́ue repleret; uſque adeo ut tribus inibi militis ſui partibus dimiſſis, ipſe ad Alpes vix cum quartâ parte reliquâ tranſiret. Si igitur adhuc in Galliis hærens, & bellū in Maxentium meditans, *iter quopiam cum exercitu* (quod notat Euſebius) inſtituit; quò potiùs, quam ad Rhenum iter iſtud habuerit? de quo ſolo aut præcipuè firmando cogitabat. Ad quam aliam Galliarum partem ubique ſecuram, duxiſſet exercitum? Quod ſi exercitum ducens, vivificum ſalutis noſtræ ſignum conſpexit, planè Treviros inter ac Rhenum adeóque in Belgica conſpexerit; quando non aptiùs aliunde quàm Treviris, ad Rhenum copias ſuas hoc tempore ducere potuit.

Rhenus exercitibus firmatus.

5. Quod argumentum ut ſolum eſſet, ſatis certò gloriam hanc Belgis noſtris adſtrueret. Sed & quæ pro primâ Conſtantini in Belgicâ

Catecheſi hactenus allata ſunt, eumdē & iſti Crucis apparitioni locum aſſerunt. Satis quippè diſertè ſcribit Euſebius, Conſtantinū *altero à viſione die*, rei viſæ effigiem artificibus exprimendam deſcripſiſſe, Sacerdotibus noſtris interpretandam ſubjeciſſe, interpretationi acquieviſſe. Quæ quidem eumdem aut proximum locum exigunt: etſi nondum ſatis definitum.

Viſionis locum. Auſonius indicat. *Edyll.* 10.

6. Determinatioris aliquem radium in Auſonio ſcintillare video. Conſtantinum ille Magnum etiam juvenis & grandior videre potuit. certè vix totis triginta ab illius exceſſu annis Poemata ſua, & eorum florem Moſellam edidit texuitve. In eo iter ſuum ab Nava fluvio, qui ad Bingium Rheno miſcetur, ad Treveros uſque retexens, ita canit:

Tranſieram celerem nebuloſo lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico (credo Bingiò)
Æquavit Latias, ubi quondam Gallia Cannas,
Infletaque jacent inopes ſuper arva catervæ.
Vnde iter ingrediens nemoroſa per avia ſolum,
Et nulla humani ſpectans veſtigia cultûs,
Prætereo arentem ſitientibus undique terris
Dumniſſum, riguaſque perenni fonte Tabernas.
Et tandem primis BELGARVM conſpicor oris
NIVOMAGVM, Divi caſtra inclyta Conſtantini.

Nivomagum.

Nivomagi ad Moſellā deſcriptio.

7. De locis hujus itineris intermedus, *Dumniſſo Tabernisq;*, infrà ſuo anno commodiùs. Nunc terminum ad quem, *Nivomagum ſcilicet*, ſat' fuerit cognoſcere. Etſi plura illo ævo nominis hujus oppida, perſpicuè tamen unum, quod *Treveros* inter ac *Bingium* jaceat, deſcribit Auſonius. Id etiamnum ſupereſt, vetúſque nomen retinet. *Numagen* (unde & in Auſonio legi volunt nonnulli *Neumagum*) Itinerario Antonini, Tabulæque Peutingeri memoratum. Vicus eſt ad dexteram Moſellæ ripam, duobus adhuc Templis inſignis, cum caſtro vetuſtate ſuâ planè Romanâ viſendo: quem nos ipſi magnâ animi voluptate, anno Chriſti 1628. 25. Julii luſtravimus, tertio infra Treverorum Auguſtam miliari Germanico. Ad quem uſque Martyrum fuſum ab Rictiovaro ſanguinem defluxiſſe, ſuprà ex antiquis Treverorum monumentis conſtantique traditione diximus. Marquardus Freherus in hoc ipſum Auſonii Poëma, locum hunc ſæpiùs à ſe frequentatum probéque luſtratum fuſiùs deſcribit; & de illius caſtro ita loquitur: *Caſtellum illum ducis* (imò & Conſtantini, ut credo) *Prætorium, loco edito & oportuno ſitum, hinc Moſellæ alveum, inde jugi dorſa circumquaque circumſpiciens, foſſâ cinctum. In eo turris rotunda, ipſiſſimum Romanorum opus, ingentibus* (ſaxis) *quadris extructa, fundo ſolida rupi impoſita: quam murus cum pinnis ambit, quadratas turres circum habens, opere firmiſſimo, nec humanâ vi facile ſolvendo: etſi humanarum rerum vices paſſum appareat; diruptis & hinc inde diſperſis, vel parietibus inſperſis antiquis ſculpturis, Inſcriptionibus, ſtatuis, ſarcophagis: quarum pars etiam ibi viſitur, pars Lutzelburgum in hortos Comitis Mansfeldii tranſlata dicitur. Duo inſigniora hic repræſentare viſum*, &c. quæ tu apud eum vide.

Mons Nivomagi.

8. Supra vicum, qui in valle Moſellæ adjacet, ad ſiniſtram fluvii ripam mons erigitur aut collis ſat præceps; in ſupremo planus, & inſtar ſoleæ equinæ peninſulæque fluvio circumcluſus; planè ſui ſeu munitione ſeu capacitate caſtris ponendis ſtativiſque habendis aptiſſimus; accedente præſertim Trevericæ Cæſarum aulæ, limitisque Rhenani vicinia. Prorſus ut Gallicum Romanorum exercitum eo ſæpè confluxiſſe, ſtativa habuiſſe, & exinde in varias expeditiones eductum mihi perſuadeam. Certè *Conſtantini caſtra*, & quidem *inclyta* diſertè vocat Auſonius.

In quo viſum Crucis ſignum.

9. In hoc ergo colle Nivomago imminente, aut ſi forte non procul, cùm exercitum plerumque haberet Conſtantinus: eumque *priuſquam in Maxentium moveret, quopiam* (ut ait Euſebius) inde traheret, ac veriſimiliter contra Francos Alemanoſque in Rhenana præſidia partiretur; ego quidem illi Crucis cœlitùs exhibitæ monſtratam imaginem probabiliter exiſtimo, ſaltem donec aliquis certiora proferat. Quid enim minus evincit Epitheton iſtud, hiſce *Conſtantini caſtris* additum, *Inclyta*? Tot aliis per omnem Galliam, imò per ſolum Rhenum locis, caſtra metatus fuerat aliquando Conſtantinus; cur Nivomagenſia iſta quaſi κατ' ἐξοχὴν præ ceteris *Inclyta* caneret, ei pene σύγχρονος Auſonius, Gratiani Chriſtiani Cæſaris adhuc teneri præceptor, qui toties loca iſta peragravit, idemque (ut videtur) Chriſtianus tametſi ſolutior; niſi quid illuſtrioris, hujuſque tanti miraculi ſimile quippiam intelligeret? Sanè Conſtantini Helenæque domum, Caſtrum Palatiúmve ibi fuiſſe, ex quo deinde perilluſtre D. Maximini Cœnobium ad Trevirorum muros conſtructum ſit, teſtatur in ſuis Cœnobiorum Originibus Bruſchius: & poſt eum in hunc ipſum Auſonii locum etiam Marquardus Freherus. qui non injuria proinde miratur, non eſſe dictum hunc locum, *Caſtra Conſtantiniana*.

10. NIVOMAGI ergo, prope Treveros, ad Moſellam, nec procul à Rheno, in BELGICA PRIMA (quod in lucem è tantâ oblivionis caligine tandem aliquando revocatum, fœlix genti noſtræ fauſtumque ſit) Conſtantino indulta eſt vivificæ Crucis apparitio: id eſt, omnis boni fons, Chriſtianæ fidei ſtabilimentum, Eccleſiæ poſt tot perſecutiones æterna pax, inſtauratio, ſerenitas, ſecuritas, & quædam quaſi cœleſtis παλιγγενεσία. Poteſtne quippiam aut antiquitate venerabilius, aut ſanctitate & gloriâ divinius de BELGIO Belgarumque principibus Treviris prædicari? Quid æquale, nedum majus, aliæ quæ ſunt (ut dixi) ſupra modum Eccleſiæ?

Gelenius in Sinzich ponit.

11. Scio Ægidium Gelenium in doctâ ſuâ curioſaque Colonienſi magnitudine, viſionem iſtam in *Sinzich*, ad Rheni & Aræ confluxum, referre, lib. 1. Synt. 4. ſanè probabiliter. Auſonium ego tamen hic amplector, ceu iſtius ævi, Gratiani Imperatoris præceptorem; & quidem Chriſtianum & qui *Nivomagum Divi Caſtra Inclyta Conſtantini*, carmine etiam Treviris edito, vocare nihil veritus ſit; tot adhuc inibi Senatoribus aliiſque vivis; qui videre potuerant. Utcumque ſit, uterque locus in Belgicâ noſtrâ eſt, vix denis miliaribus Germanicis à ſe invicem abjunctus; Treviros Rhenúmve juxta. Ingenti Belgarum gloriâ.

Exercitus cum ſigno Crucis apparet.

12. Necdum tamen hic tantorum miraculorum finis. Nequaquam ſolitarium paruit iſtud celeſte vexillum. celeſtes quinque legiones, adeoque totos etiam exercitus cœlo ſecum traxiſſe, tametſi taceat Euſebius, ſupplet ethnicus (quod mireris) Orator Nazarius, ipſâ Româ, totoque Senatu præſentibus & audientibus, coram ipſo Conſtantino jam victore: *In ore denique eſt omnium Galliarum exercitus viſos, qui ſe divinitus miſſos præ ſe ferebant.*

Et quamvis cæleſtia ſub oculos hominum venire non ſoleant; quod craſſam & caligantem aciem ſimplex & inconcreta ſubſtantia naturæ tenuis eludat: illi tamen auxiliatores tui aſpici audirique patientes, ubi meritum tuum teſtificati ſunt, mortalis viſus contagium refugerunt. Sed quænam dicitur fuiſſe ſpecies, qui vigor corporum? quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? flagrabant verendum neſcio quid umbone coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Conſtantinum petimus, Conſtantino imus auxilio. Habent profectò & divina jactantiam, & cæleſtia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapſi, illi divinitus miſſi gloriabantur, quod tibi militabant.

Ductore Conſtantio patre.

Ducebat hos (credo) Conſtantius pater, qui terrarum triumphis altiori tibi ceſſerat, divinas expeditiones jam Divus agitabat. Magnus hic quoque pietatis tuæ fructus, quod, quamvis particeps cæli, ampliorem ſe fieri gratiâ tuâ ſenſerit; & cujus munera in alios m⸍uere jam poſſent, in eum ipſum tua munera redundarint. Cedat tibi non recentium ſæculorum modò, ſed totius memoriæ vetuſtas. quamvis illa recti appetens, & nullo unquam depravata in officio, glorietur penes ſe ſanctitatis famam ſtetiſſe. Sed negliguntur præconia hominum, ubi quæruntur judicia divina. Illi igitur veteres laudati vitæ moderatores, quando tantam in prælio divinam opem pro merito integritatis habuerunt? Romano quodam bello ferunt duos cum equis juvenes ſpectatos formâ pariter ac viribus, qui in dimicando præter ceteros inſignes fuiſſent, juſſu Imp. ad remunerandum requiſitos. Ubi nullus inveniebatur; fides habita eſt divinos fuiſſe, quòd laborum ſedulò communicaviſſent, laboris pretium reſpuiſſent. Equidem hiſtoriæ non invitus aſſentior. Sed tamen illi, qui hoc Annalium monumentis illigaverunt, verebantur ne apud poſteros miraculis fides claudicaret. Eſtote, ô graviſſimi Scriptores, de ſcriptorum Religione ſecuri. credimus facta, qui majora nunc ſenſimus. Magnitudo Principis noſtri veterum fidem conciliat, ſed miraculum detrahit. Pro auxilii copiâ negotiorum ratio metienda eſt. Duo quondam juvenes, ſed nunc exercitus viſi. Hoc certè uberius, nec infirmius veritate. Stat argumento duplici fides nixa. Sic Conſtantinus juvari meruit; ſic debuit Roma ſervari.

Conſtantini pietas in Deum. Dei in eum amor.

13. *Magnum hoc, Imp. maxime; ſed de tuâ pietate non mirum. Adeſſe tibi in omnibus ſummam illam Majeſtatem, quæ te circumplexa tueatur, conjecturâ mentium tenebamus, etſi nondum ad fidem patebat oculorum. Etenim cum mens tua mortali contagione ſecreta, pura omnis, fundatus ſincera, ubique ſe promerendo Deo præſtet, cùm gloria tua humanum modum ſupergreſſa ſit: quis eſt hominum, qui non opitulari tibi Deum credat, cùm id & vita mereatur, & rerum geſtarum magnitudo teſtetur?*] Hæc ille gentilis, quibus plura non diceret Chriſtianus; in Belgicæ gloriam univerſa: ut quæ tantum Crucis ſignum meridie videre meruit, cæleſtes quoque & Angelicos exercitus Conſtantini auxiliares advenire perſpexerit. *In ore omnium Galliarum id fuiſſe* ſcribit Nazarius; utpote in Galliis clariſſimè peractum: ſed in Belgicâ deſtinatiùs, in quâ Conſtantinus, ad quem divinæ illæ tendebant copiæ, de more tunc agitabat. Poſſuntnè plures, poſſuntnè diviniores laudibus accumulari laudes?

Adhortatio ad Belgicā.

14. Sta igitur, ô Belgium patria dulciſſima, ſuper vias tuas, & interroga de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona; & ambula in eâ. Invenies in tam conſtante morum ſerie refrigerium animæ tuæ. Novatores impios, & eductam inferno furiam hæreſim, Cruces ſanctas conculcare pervicacem, ne ſequere. Tam ſanctum ſalutis tuæ vexillum, ſicut tuo primum Principi, tuo fundo, cæleſti lumine figuratum; ſic in Templis tuis, in turribus, in viis, compitis, ædium tuarum liminibus ac faſtigiis, in fronte, in corde tuo fixum æternum reverere. Atque utinam tantæ viſionis ut locum, ita diem quoque poſſes eruere, quam feſtâ patriâque ſolennitate annuo recurſu repeteres!

CAPUT VII.

Conſtantini in Maxentium expeditio, & victoria.

Anno Chriſti 312. & 313.

Hiſtoria ex duobus Panegyricis texta.

1. *Tot igitur è cælo ſignis, ac interno maximè Numine incitatus Conſtantinus, bellum in Maxentium contra omnium penè ſententiam ſuſcepit. Cujus ſeriem quò fidelius pertexam, duorum maximè Panegyricorum verbis utar, ſed in hiſtoriam modicè duntaxat inflexis: quorum priorem incertus quidam Orator Treveris anno uno, non multo plùs, poſt Maxentium caſum ipſi Conſtantino tunc reduci dixit: poſteriorem Nazarius Romæ, Criſpi & Conſtantini Cæſarum Quinquennalibus, id eſt, anno Imperii Conſtantini 15. Chriſti 321. poſt Maxentii necem octavo.*

Conſtantinus divino inſtinctu bellum Maxentio infert.

2. *Sic ergo prior Incertus & quidem ſtatim ab relatâ de Maxentio victoria:* Conſtantinum præſens aliqua Dei majeſtas hortata eſt, ut bellum hoc quieſcentibus cunctantibusque tunc Imperii ſociis, primus invaderet; & omnibus ferè illius Comitibus, Ducibusque non ſolùm tacitè muſſantibus, ſed omen (*Crucis ſcilicet infauſta*) apertè timentibus, contra conſilia hominum, contra aruſpicum monita per ſe ipſe liberandæ urbis tempus veniſſe ſentiret. Habebat profectò aliquod cum illa mente ſecretum, quæ delegatâ noſtri Diis minoribus curâ, uni ſe illi dignabatur oſtendere. Alioquin ſic quoque cùm viciſſet, reddere rationem, *perdifficile fuit.* Rhenum ille quidem toto limite diſpoſitis exercitibus tutum reliquerat (*quod ſupra vel ii bene notatum*) ſed hoc majores pro illo *Belgæ Galliq;* ſuſceperant metus, quod illis potiùs quàm ſibi conſuleret, eorumque pacem magis quàm bellum, quod aggrediebatur, firmaret. Nec enim ipſi Rheno inſtructis & militibus & claſſibus opus eſſe *putabant*, quem jampridem Barbaris nationibus virtutibus illius terror obſtinaverat. *& quæritabant*, an oſtentare fortè vellet diligentiam ſuam, diviſis copiis inter cuſtodiam pacis & belli? aut etiam jactanter & glorioſè probare, liberandæ Urbi ſe ſufficere cum paucis? Vix enim quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hoſtium Alpes tranſgreſſus eſt. Ut appareret penitiùs conſiderantibus (id quod Belgas Galloſque fugiebat in amore trepidantes) non dubium illum, ſed promiſſam diviniùs petere victoriam.

3. Duxerat magnum Severus exercitum; & hoſtem ſuum perfidiâ deſertus armaverat. Majores poſtea copias Maximianus (*Galerius*) admoverat, &

ipſe transfugis circumciſua, videbatur proſperè refugiſſe. Ipſe denique qui pater illius credebatur, diſciſſam ab humeris purpuram detrahere conatus, ſenſerat in illud dedecus (*Maxentium inquam ipſum*) ſua fata tranſiiſſe. Mille & 60. annis contractas ex toto orbe divitias monſtrum illud, redemptis ad civile latrocinium manibus, ingeſſerat. Utebatur ejus Urbis Majeſtate quam ceperat, totam Italiam conductis ad omne facinus ſatellitibus oppleverat. Hæc omnia Conſtantinus cùm cogitaret, ſciret, videret, & nec eum paterna gravitas, nec propria natura temerarium eſſe pateretur, quid in conſilio niſi divinum Numen habuit? Niſi eum illa forte ratio ducebat (ſua enim cuique prudentia Deus eſt) quod in tam diſpari contentione, non poterat melior cauſa non ſuperare: & innumerabiles licèt ille copias pro ſe objiceret, pro ſe tamen juſtitia pugnaret. Ut enim omittam illa quæ non decet comparari, quod erat Maximiani ſuppoſitus: Conſtantinus autem Conſtantii Pii filius: ille deſpectiſſimæ pravitatis, detortis ſolutiſque membris, nomine ipſo abuſiva appellatione mutilato; hic jam tantus ac talis: Hunc paterna pietas ſequebatur, illum (ut falſo generi non invideamus) impietas: hunc clementia, illum crudelitas: hunc pudicitia ſola dicata conjugio, illum libido ſtupris omnibus contaminata; hunc divina præcepta, illum ſuperſtitioſa maleficia: illum denique ſpoliatorum templorum, trucidati Senatus, plebis Romanæ fame enectæ piacula; hunc omnium eorum conſervatio.

Annus U.C. 1060

Conſtantinus juſtitiæ cauſæ ſuæ confidit, & Deo.

Conſtantini & Maxentii diſſimilitudo.

Conſtantini cum Alexandro Magno collatio.

4. In tam diverſâ cauſarum ratione, divino conſilio Conſtantinus, non militum multitudinem, ſed partium merita numeravit. Magnus Alexander cùm præter Macedonas ſuos, cunctæ Græciæ, univerſo Illyrico innumerabilē delectum poſſet indicere; nunquam tamen majores quadraginta millibus copias duxit: inhabile regenti ratus quidquid excederet, & turbam potius quàm exercitum. Conſtantinus etiam minoribus copiis bellum multò majus aggreſſus eſt: tanto ſcilicet virtute propriâ (*aut divinâ*) potior, quanto ille numero inſtructior. & ille quidem contra leves Medos, & imbelles Syros, & Parthorum arma volatica, & Aſiaticos optantes mutare ſervitium, rem geſſit prælii unius eventu: Huic vincendi erant milites paulò antè Romani, armis omnibus more primæ claſſis armati, & pro facinorum conſcientiâ nunquam niſi morte ceſſuri.] *Hucuſque ex Incerti Panegyrico.*

Quo militum numero pugnarint Conſtantinus & Maxentius. ex *Zoſimo.*

5. *A quo tamen in copiarum Conſtantini numero diſſentit Zoſimus, ſic ſcribens:* Collectis Conſtantinus copiis, ex redactis in partem Barbaris (*puta Francis, Alemanis, & alyſ*) & Germanis (*Ciſrhenanis*) & Celticis (*ſeu Gallicis*) nationibus, itemque de Britanniâ coactis militibus; qui omnes erant ad 90. millia peditum, & octo millia equitum; ex Alpibus in Italiam movebat. Cum Maxentio longè majoribus copiis inſtructo, Romanorum & Italorum octoginta millia ſe ad belli ſocietatem conjunxerant; præbebant & Carthaginienſes (*ſeu Afri*) exercitum 40. millium, & præter hos Siculi. Adeò quidem ut totus exercitus centum & 70. peditum, decem & octo equitum millibus conſtaret.] *Ita ille. Sed Panegyriſta ad Conſtantinum ipſum loquentis fidem longè potiorem nemo non videt. Belgarum noſtrorum Gallorumq́, plurimos Conſtantinum hoc bello comitatos promum eſt conjicere: quos & ille Romæ jam Italia Afri-cáque poſt victoriam meritis honorum præmiis affecerit, & cum familiâ locis iſtis affixerit. Et renovata tunc per Belgium Galliamq́, Vitelliana adverſus Othonem expeditionis, ſed multo melior effigies. An pro ſe Treveris filium Criſpum, 17. jam vel 18 annorum adoleſcentem, reliquerit, ſequentia docent. Vere primo anni Chriſti 312. abiiſſe inter omnes conſtat: & ſequentia docebunt. Conſtantini cum exercitu in Italiam Belgicâ iter colligere poteſt Lector, ex ſimili, quod antè 240. annos Vitellius Imperator inſtituit, quodque nos ſupra libro 5. cap 8 ex Tacito narravimus.*

6. *Per Alpes Cotias montemq́. Civiſium Alpes ſuperaſſe, prima Seguſienſium clades docet.* Nam, *ut Incertus narrat*, prima eorum fuit obſtinatio, qui ſub ipſis Alpium jugis munitiſſimum muro ac ſitu tenentes oppidum, auſi fuerunt Conſtantino imminente reſiſtere, ac portas claudere; non credentes ipſum adeſſe, nec tam citò à Rheno ad Alpes Imp. cum exercitu pervolaſſe (*Infuiſſe* militare præſidium *infrà docet.*) Luerunt igitur illico dementiæ ſuæ pœnas, cùm oblatam ſibi veniam recuſaſſent. Neque enim vallo foſſâque obſeſſio inchoata eſt; nec ariete tentati muri; ſed ſtatim injectæ faces portis, ſcalæ propugnaculis; & haſtis gladiiſque actum. Ita res ſimul cœpta & patrata, junctúſque rebellibus fuit conatus & exitus.] *Mitigat tamen caſum hunc Nazarius:* Nam cùm portarum (*ait*) inflammatio ignem latè diſtuliſſet; cujus facilis per adjuncta contagio partu peſtifero valeſcebat; maxima Imperatoris fuit cura non modò ut incendium non adjutum ſeneſceret, ſed oppreſſum emori poſſet. Itaque digrediens ſic cupiditatem ſui fecit, ut eam (*civitatem*) ad omne obſequium non victoriæ metus componeret, ſed admiratio lenitatis.

Alpes Cotias ſuperat Conſtantinus.

Seguſium capit.

Pugnat ad Taurinos.

7. Inde tamen ad Taurinos venientem pugna gravior excepit, nec Seguſienſium vaſtitas movit, ut ſibi caverent. Campum latè jacentem tantus miles oppleverat, ut non improbaret fiduciam, qui inſtructos videret.] Acie in cunei modū ſtructâ (*ait Incertus, nam utrumque jam miſceo*) atroci viſu & formidoloſâ, operimento ferri equis atque hominibus pariter obſeptis: Clibanariis in exercitu nomen eſt) ſupernè omnibus tectia equorum pectoribus, demiſſa lorica, & crurum tenus pendens, ſine impedimento greſſûs, à noxâ vulneris vindicabat. Ita in tanto numero duplicabat armatura terrorem, & vim armis numerus addebat. At enim ea armorum oſtentatio, & operti ferro exercitus, qui imbelles oculos vulneraſſent; invictas mentes excitaverunt; quòd imbutus Imperatoris exemplo miles totis animis ardeſcit, cùm invenit hoſtem, quem vinci deceat. Cataphractos equites, in quibus maximum ſteterat pugnæ robur, ipſe ſibi ſumit Conſtantinus. His diſciplina pugnandi eſt, cum aciem erectaverint, fervent impreſſionis tenorem, & immunes vulnerum, quidquid oppoſitum ſine hæſitatione perrumpant. Sed Conſtantinus, qui omnes bellandi vias noſſet, opem ex ingenio reperit: quod tutiſſimum eſt, eludit; quod difficillimum eſt, ſuſtinet. Deductâ acie, irrevocabilem impetum in hoſtes effundit; dein quos ludificandos receperat, reductis agminibus includit. Nihil proderat *Maxentianos* contra tendere, cum ex induſtriâ *Conſtantiniani* cederent. Flexum ad inſequendum ferreus rigor non dabat. Ita Conſtantiniani proditos ſibi clavis adoriuntur: quæ (*clava*) gravibus ferratiſque nodis hoſtem vulneri non patentem

cædendo deſatigabant; ac maximè capitibus afflictatæ, quos ictu perturbaverant, ruere cogebant. Tunc ire præcipites, labi reclines, ſemineces vacillare, aut moribundi ſedibus attineri, permixtâ equorum clade impliciti jacére, qui reperto ſauciandi loco paſſim equitem effræni dolore ſundebant. Ad unum interfectis *Maxentianis*, *Conſtantinianis* omnibus integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ tranſtulerunt: quod qui invulnerabiles habebantur, ſine adverſariorum vulneribus interiiſſent.] *Hæc graphicè Nazarius.*

Et vincit.

Civitates Italiæ Conſtantino ſe dant.

8. *Pergit Incertus*: Ita uſque ad Taurinatium muros ſuſi cæſique, obſeratasque ab incolis nacti portas, etiam corporum ſuorum mole clauſerunt. At non Taurinatibus neque ceteris Italiæ civitatibus idem animus fuit: Conſtantinum omnes gaudio exultantes certatim ad ſe vocaverunt. Miſſæ ab omnibus legationes, oblati undique commeatus. Ut appareret, quàm diu deſideraſſent, cui ſe tam promptè, bello adhuc reſtante, committerent. *Lætiſſimus fuit* dies ille, quo Mediolanum ingreſſus eſt, ingenti Principum civitatis gratulatione, nec minore plauſu populi; magna jam intuentium matrum virginumque ſecuritate, cùm & Imp. formam viderent, & licentiam non timerent. Oſtentare ſe omnes & tripudiare: ſine ullo de reliquiis belli metu: & auſpicium victoriæ pro conſummatione metiebantur. Non Tranſpadana provincia videbatur recepta, ſed Roma. nullo jam, *ut videbatur*, obſtaculo, quominus omnes exercitus ſe traderent. *Itaque* Conſtantinus dies aliquot Mediolani reſtitit, ut omnibus ſibi conſulendi tempus daret, ac benè de eo ſperandi.] *Incertus.*

Mediolanū maximè.

9. *Rurſum Nazarius*: *Nihilominus* poſt tantam & tam gravem pugnam, apud Brixiam magnus quidam & acer equitatus *adhuc* erat: ſed fugâ quàm vi ſuâ tutior, & primo impetu pulſus, Veronam uſque contendit ad præſidia majora. Ipſa *namque* Verona freta immanibus copiis, quas in unum adventantis Conſtantini formido conduxerat, cùm multorum jam clades accepiſſet, facta eſt parum per metu cautior, non ratione felicior. Muris ſe ab impetu vindicat. Aderat quidem Ruricius, experientiſſimus belli, & tyrannicorum Ducum columen. Per tota admodum mœnia magna vis hominum. ſed apud Brixiam plerique jam tracti. totum exercitum timoris contagio diſſiparant.] *Nazar.* Athesis *tamen fluvius* ſaxis aſper (*ut Incertus*) gurgitibus vorticoſus, & impetu feroa, oppugnationem prohibebat; omnemque retro regionem invehendis copiis tutam defenſamque præſtabat. Id ne diutius hoſtem juvaret, ſuperioribus in locis, quâ lenior amnis & ignari hoſtes erant, Conſtantinus exercitûs parte ancipiti periculo projectâ, clauſos obſeſſosque, omiſſâ ſpe moræ, experiri armis coëgit: adeoque omnes qui eruptionem tentaverant, cecidit; ut ipſe Dux (Ruricius) cum parte copiarum ad acceſſenda auſilia muris exceſſerit: majorem miſer adducturus exercitum, ut majore comitatu cladis occideret.] *Ita Incertus hic mendoſus, Clarius Nazarius*: obſeſſos intempeſtiva movit audacia. Clauſi impetum faciunt: & qui ſe aliquandiu latendo à morte defenderant, factâ pugnandi causâ (*aliàs* copiâ) pœnas eruptionis temerariæ pependerunt. Idemque Ruricius magnâ ſuorum clade rejectus in mœnia, ſpe jam laſſâ, ſed adhuc mente veſanâ, cùm ſe

Verona.

Brixia.

Pugna ad Veronam,

quâ Ruricius dux cæſus.

Veronâ proripuiſſet, novos eòdem coegit exercitus, & præcipitante jam die bellum non detrectavit, pugnæ avidior quàm ſalutis. Sed cum exitus magis quam merita fefellerunt, nam furorem mors domuit, quem non potuerat conſiderata ratio, nec victi formido ſanare] *Et mox*; Prælio vix multa nocte confecto, feſſus cædibus (*Conſtantinus*) anhelus ex bello, cruore oblitus hoſtili, ad obſidionis vigilias recurrit.] *Ita Nazar. Neſcias laudem majorem an vituperium meruerit eo nocturno prælio: nam & fortiſſimè pugnavit; & aptiſſimè: cum* (*ut ait Incertus*) redeunti Ruricio cum minore exercitu congredi, quàm obſidionem intermittere maluit; ne reſpirare clauſis, aut effugere, aut imminere tergo liceret. *At cùm etiam denſâ jam nocte* denſiſſimis hoſtium globis ſe miſcuit, *multo temeraritoque ſe remque publicam periculo expoſuit. uſque adeo, ut* cæſis jam fugatisque hoſtibus, interfecto quoque ipſo eorum Duce, Comites eum & Tribuni lacrymantes corripuerint. *Poſt hæc*, dato obſeſſis tempore pœnitendi, cùm Aquileiam quoque delegatis eorum ſupplicibus recepiſſet, cuncti ſe illi cediderunt, quos obſidendo ſervaverat; ignovit omnibus, & vitam quam deſperaverant reddidit.] *Mutinam quoque tunc receptam tangit Nazarius.*

Aquileia dedita.

Mutina recepta

10. *Ita* recuperatâ omni cis Padum Italiâ (*iterum Incertus*) ſupplices manus Roma tendebat, cui portentum illud (*Maxentius*) inſederat, nihil conari auſum ad tot nuncios cladium ſuarum. Stultum & nequam animal nuſquam extra parietes egredi audebat; ita enim aut prodigiis, aut metus ſui præſagiis movebatur. Ac ne tum quidem, cùm tot adverſa ſuorum prælia comperiſſet, obviam ire conatus eſt ad reſiſtendum, cùm Padi limite aut Apennini jugis uteretur: ſed litteras calamitatum ſuarum indices ſupprimebat. Interdum etiam palàm ut uſque ad portas veniretur, optabat. Itaque unum jam timebatur, ne ille conterritus his rebus, & in arctum reductus, debitas Reip. pœnas obſidione differret. Quippe omni Africâ, quam delere ſtatuerat, exhauſta, omnibus inſulis exinanitis, infiniti temporis annonam congeſſerat. Sed divina Mens, & ipſius Urbis æterna majeſtas nefario homini eripuêre conſilium; ut ex inveterato illo torpore, ac fœdiſſimis latebris ſubitò prorumperet: & conſumpto per deſidias ſenio, ipſum diem Natalis ſui ultimâ ſua cæde ſignaret; ne ſeptenarium illum numerum ſacrum & Religioſum inchoando violaret.]

Maxentio interim Romæ ſe non movente.

11. Tandem *igitur* Urbe in Saxa rubra, millia fermè novem, ægerrimè progreſſus (*ut hoc commode ex Victore Schotti inſeram*) ita inſtruxit aciem, ut nullus evadere, nullus loco motus gradum referre & inſtaurare prælium poſſet; cum à fronte armis, à tergo Tyberi flumine premeretur. Ad primum igitur adſpectum, primum impetum victoris exercitûs hoſtes territi fugatique, & anguſtiis Milvii pontis excluſi; exceptis latrocinii illius primis auctoribus (*nempe Prætorianis*) qui deſperatâ veniâ, locum quem pugnæ ſumpſerant, texêre corporibus; ceteri omnes abiere præcipites, ut tandem aliquod cædis compendium feſſis victoribus eveniret, cum impios Tyberis hauſiſſet. Ipſum etiam illum cum equo, & armis inſignibus, fruſtra conatum per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem Tyberis correptum gurgite devoravit; ne

Ultima pugna ad Tiberim.

quo mers ſus Maxentius.

tam

tam deforme prodigium vel hanc obitûs ſui relinqueret famam, quòd alicujus fortis viri gladio telóve cecidiſſet. & aliorum quidem hoſtium corpora & arma præceps fluvius volvendo devexit; illum autem quo extinxerat loco tenuit; ne diu Populus Romanus dubitaret, ſi putaretur aliquò profugiſſe, cujus mortis probatio quæreretur.] *Hactenus ex Incerto. Similiter Victor Schotti* Maxentius, dum cæſâ acie fugiens ſemet Romam reciperet; inſidiis, quas hoſti apud pontem Milvium locaverat, in tranſgreſſu Tyberis interceptus eſt, tyrannidis anno ſexto. *ſcilicet completo. Et alter Victor*: Maxentius, dum adverſus Conſtantinum congreditur, paulò ſuperiùs à ponte Milvio, in pontem navigiis compoſitum ab latere ingredi feſtinans, lapſu equi in profundum demerſus eſt: voratumque limo pondere thoracis corpus, vix repertum.] *Cujus tamen caput per Vrbem haſta circumlatum, irriſum, fœdatumque, teſtatur ejuſdem Incerti Nazariique Panegyricus: ac inde in Africam, ad eam permulcendam tranſmiſſum.*

Ad pontem Milvium.

Conſtantinus victor Romam ingreditur.

12. Hujus nece (*pergit Victor Sch.*) incredibile quantum lætitia gaudioque Senatus ac plebes exſultaverint. *Et Conſtantinum in Vrbem ingreſſum, incredibili omnium plauſu exceptum, ac in Palatium illatum eſt. & ad ejus radices arcus triumphalis illi poſitus, qui etiamnum ſupereſt cum inſcriptione*; Quod inſtinctu divinitatis, juſtis Remp. ultus eſſet armis.] *Ita tres jam Imperatores Roma Belgica noſtra, & Germania Inferior ſubminiſtravit: Vitellium, Trajanum, & Conſtantinum: & quidem duos poſteriores procſus eximios.* Prætoriæ legiones (*pergit idem Victor*) ac ſubſidia factionibus aptiora, quàm Vrbi Romæ, ſublata penitus; ſimul arma atque uſus indumenti militaris. Adhuc cuncta opera, quæ magnificè conſtruxerat, (*Maxentius*) Urbis fanum atque Baſilicam, Flavii (*Conſtantini*) meritis Patres ſacravêre. A quo etiam pòſt Circus Maximus excultus mirificè: atque ad lavandum inſtitutum opus (*Thermarum*) ceteris haud multò diſpar. ſtatuæ locis quam creberrimis; quarum plures ex auro, aut argenteæ ſunt. Tum per Africam Sacerdotium decretum Flaviæ genti; Cirtæque oppido, quod obſidione Alexandri (*per Africam paulo ante tyranni*) ceciderat, repoſito exornatoque, Conſtantinæ nomen inditum. Adeo acceptius præſtantiusque tyrannorum depulſoribus nihil eſt. quorum gratia eò demum auctior erit, ſi modeſti ipſi atque abſtinentes ſint. *Conſtantinus autem quantum Romæ Religionem Chriſtianam propagarit, pluribus agit Baronius. Illud Victoris Schotti non ſilendum: quod Conſtantinus* veterrimum ſupplicium patibulorum & cruribus ſuffringendis (*Crucem ſcilicet*) primus removerit; hincque pro Conditore ſeu Deo habitus ſit. *Crucis ſupplicium in honorem Chriſti ſuſtulit; Conditor autem fidei Chriſtianæ publicè colenda fuit.*

Quam ope-ribus auget.

CAPUT VIII.

Francos rebelles comprimit Conſtantinus.

Anno Chriſti 313.

1. PErgit Incertus: *Conſtantinus victor non modo hoſtium, ſed etiam victoria ſua, quidquid militum* (Maxentianorum) *bello ſuperfuit, ſibi imperioq́; reſervavit. Nam primùm eos armis exutos, adverſus hoſtes Barbaros rurſus armavit: Rheno Danubioque prætendit, excubias agere, latrocinia compeſcere* mandavit. *Neque enim feſſus licèt præliis, & expletus victoriis (ut natura fert) otio ſe & quieti dedit: ſed eodem impetu quo redierat* (Romam) *in Gallias ſuas perrexit, ad Inferiorem Germaniæ limitem. Magna ſcilicet intercapedine temporis, ac brevi locorum diſtantiâ, poſt annuam expeditionem, ſtatim bella auſpicatus, & a Tyberi ad Rhenum, imò (ut omen & ſimilitudo nominis & Conſtantini magnitudo pollicebatur) à Tuſco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium. Ruperat fidem gens levis & lubrica Barbarorum; & robore atque audacia* (per Conſtantini ſcilicet abſentiam) *lectis eruptionis auctoribus, inſtitiſſe Rheno nuntiabatur.*] Barbaros illos fuiſſe Francos evincūt, tum epitheta *levis ac lubrica gētis*; tum verò *Inferior Germaniæ limes*, Francis maximè oppoſitus; & ad quem perrexiſſe dicitur Conſtantinus. Adeò gens tunc perfida (ut vocat Salvianus) vel ad momentum quieſcere nequibat. Fuiſſe tamen adhuc Romæ Conſtantinum XV. Kal. Februarias anni proximi Chriſti 313. docet ejus edictum hîc à Baronio relatum. Nec tamen plus *bimeſtri ſpatio* ibi hæſiſſe, ſatis innuit Nazarius, cùm ait: *Quidquid mali ſexennio toto dominatio ſæculo inflixerat, bimeſtris fere cura ſanavit.*] Unde intelligi datur, ſi Conſtantinus præcipitante Januario poſt ſecundum menſem Româ diſceſſerit; Maxentium vix ante Novembrem Tiberi hauſtum.

Conſtantinus redit in Belgicâ.

Franci ſe movent.

2. Conſtantinus igitur jam tertiùm Conſul, collegâ Licinio tertium item Cos. *paucis quibuſdam Maxentio familiariſſimis* (ait Zoſimus) *& Prætorianis militibus è medio ſublatis, caſtelliſque (in quibus eſſe conſueverant) dirutis, deinque rebus urbanis conſtitutis; ad Celtas & Gallos profectus eſt. Liciniòque Mediolanum accerſito, ſororem Conſtantiam* [18. aut 19. circiter annorum] *in matrimonium tradit; quam ei antè daturum ſe promiſerat; tùm cum ſibi ſocium contra Maxentium hoſtem adjungere vellet. Eo peracto Conſtantinus ad Celtas diſcedebat.*] Hinc Victoris Epitome in Diocletiano *Cum à Conſtantino atque Licinio vocatus ad feſta nuptiarum, per ſenectam quo minus intereſſe valeret, excuſaviſſet, reſcriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio faviſſe, & Maximino* (Orientis adhuc tyranno) *favere, ſuſpectans necem dedecoroſam, venenum dicitur hauſiſſe.*] poſt triennium, ut infrà anno Chriſti 316. 3. Decembris, ut Idacii Faſt. Euſebius l. 8. hiſt. Eccl. c. ult. Zonaras. qui longo morbo conſumptum dicunt. Sed & in eo Mediolanenſi conventu, edictum in Chriſtianorum favorem ab Licinio æquè ac Conſtantino promulgatum, teſtatur Euſebius; quem videre potes; quādo id nihil admodū ad Belgicam noſtram, ſub ſolo Conſtantino pridem tranquillam.

Annus Chriſti Diony. 313. vetus 317.

Cōſtantiam ſororem Conſtantini ducit Licinius, quam forte ſub hâc aviſ Treviris adduxerat.

Diocletianus interitus anno Chriſti 316.

Quamquam fatendum ſit, poſt Imperatoris alterius, & quidem Ethnici conſenſum, tanto majorem animum & ſecuritatem Belgis Chriſtianis acceſſiſſe.

Conſtantinus Francos præſentiâ ſuâ comprimit.

3. Mediolano digreſſus Conſtantinus, ad Rhenum perrexit. *Vt affuit* (rurſum Panegyricus Incerti) Francos *illico præſentiâ ſuâ ne tranſitum auderent terruit. & jam videbatur rem votis ſuis feciſſe contrariam; quod inhibitâ eruptione non foret materia victoriæ. Sed inopinato conſilio uſus; abeundo ſcilicet, & ſimulato nuncio majoris in ſuperiore* (ad Moguntiam) *limite tumultûs, occaſionem ſtolidis ac ferinis mentibus obtulit in Romana veniendi; relictis in occulto ducibus, qui ſecutos adorirentur. Quò cùm veniſſent, conſilium ejus fortuna ſecuta eſt. Toto Rheni alveo navibus oppleto devectus, terras eorum ac domos mœſtas lugentéſque populatus eſt. tantamque cladem vaſtitatemque perjuræ genti intulit, ut poſt vix ullum nomen habitura videretur.* & mox: *Nihil illo triumpho pulchrius: quippe qui cædibus hoſtium uſus ad omnium etiam voluptatem, & pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerans; tantam captivorum multitudinem beſtiis objecit; ut ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio ſui, quàm ex ipſa morte paterentur. Indéque fuit, quod cùm exitum differre liceret, perire feſtinarent, ſeſeque letalibus vulneribus & mortibus offerrent. ex quo ipſo apparet, quàm magnum fuerit viciſſe tam prodigos ſui. facilè eſt vincere timidos & imbelles, quales amœna Græcia & deliciæ Orientis educant. Romanum verò militem, quem qualemque ordinat diſciplina, & ſacramenti Religio confirmat; aut trucem Francum ferinâ ſolâ carne diſtentum, qui vitam pro victus ſui vilitate contemnat, quanta fuit molis ſuperare vel capere? Quod Conſtantinus & nuper in Italiâ, & in ipſo conſpectu Barbariæ paulo antè fecit. Meritò igitur illi & nuper Senatus ſignum Dei, & paulò antè Italia ſcutum & coronam, cuncta aurea dederunt, ut conſcientiæ debitum aliquâ ex parte relevarent. Debetur enim & ſæpe debetur & divinitati ſimulacrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati.* Hactenus ex Incerti Panegyrico, paulò poſt relatam de Francis victoriam, Treveris ut apparet dicto, Conſtantino victori, Româ noviſſimè reduci. Cujus etiam notanda concluſio, cùm *Conſtantini ſobolem* (credo Criſpum) *ad Remp. vota ſucceſſiſſe, & adhuc ſperari futuram numeroſiorem* dicit.

Mox etiam vaſtat ac cædit.

Trucem Francum viciſſe, arduum.

Anni inter Chilonem & Libonem Coss. ad hos hujus anni, ſunt 110. *Zoſimo lib. 2. init.* Rectè.

4. Queritur autem hic Zoſimus, hujus anni Chriſti 313. Conſulibus Ludos Sæculares ex annorum ratione celebrandos, neglectos eſſe (ſcilicet à Conſtantino, quem ſemper mordet) indeque Imperium miſerè defluxiſſe. *Conſtantino* (ait) *& Licinio tertium Coss. centum & decem annorum ſpatium impletum eſt, quo jam Ludos conſueto more celebratos oportuit. Eo neglecto ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget.*] Annos iſtos 110. ab Chilonis & Libonis Conſulatu, qui in annum Chriſti vulgarem 204. inciderunt, quo Severus anno Imperii ſui 12. Ludos Sæculares exhibuerat, accerſit; & in Chronologia noſtra totidem ſunt incluſis extremis; cùm Annales in ſua biennio mutilâ, non niſi 108. reperiant. Quod hic pro tempore ſtabiliendo monere viſum. Vide Commentarium noſtrum in Victorium, pag. 233. 234.

Maximinus in Oriente moritur.

5. Eodem anno Chriſti 313. aut ut ſummum 314. puto Galerii Maximini mortem in oriente contigiſſe. Sic enim Victor Schotti: *Dumhæc in Italiâ geruntur, Maximinus ad Orientem, poſt biennium Auguſtum imperium, fuſus fugatuſque à Licinio, apud Tarſum perit*] Auguſtus non fuit Maximinus, niſi Galerio Maximiano Armentario jam mortuo. Mortuum autem anno Chriſti 311. (quo Conſul erat VIII. Tribunitiæ verò poteſtatis XIX. & Conſtantinus V.) ſuprà vidimus. Ait ecce hic Victor poſt biennium inde mortuum Maximinum; ergo hoc anno Chriſti adultiore ut minimùm 313. aut 314. Imperii ſui ſecundo completo, & tertio jam labente. Pro anno 314. videtur alter Victor: *Galerius Maximinus ſorore Armentarii progenitus, veroque nomine ante Imperium Daza dictus, Cæſar quadriennio, dehinc per Orientem Auguſtus triennio fuit.*] *Triennio*, ait, nempe inchoato aut labente: quod prior *poſt biennium* dicit. Eutropius quoque annum aut 313. præcipitatem, aut 314. labentem innuit, cùm ſcribit: *Non multò poſt* (ſcilicet Conſtantini de Maxentio Victoriam) *deinceps in Oriente quoque adverſus Licinium Maximinus res novas molitus, vicinum exitium fortuitâ apud Tarſum morte prævenit.*] Nimirum Maximinus ſeu imperii dilatandi cupidine, ſeu amaro in Licinium Conſtantino jam affinitate conſenſuque junctum livore, cùm eos Mediolani nuptialibus feſtis tempus ducere cogitaret, bellum primò paraverit, moxque in Thraciam infeſto exercitu Licinium oppreſſurus irruperit: in qua cùm Licinium adhuc imparatum & longiùs diſtantem non reperiret, in Illyricum interius penetraverit; prælio aggreſſus fuerit; quo tandem victus, & in Ægyptum fugiens, Tarſi in Cilicia perierit. Sic enim Zoſimus: *Bellis civilibus inter Licinium & Maximinum accenſis, acriquè commiſſo in Illyriis prælio, primùm quidem ſuperari viſus erat Licinius: ſed confeſtim redintegratâ pugnâ, Maximinum in fugam vertit. Qui per Orientem in Ægyptum diſcedens, ſpe cogendarum copiarum, quantæ gerendo bello ſufficerent, Tarſi diem ſupremum obiit.*] Horrendam ejus mortem fuſius texit Euſebius. quem vide. Porrò cùm Maximinus Cæſar quadriennio fuerit, Auguſtus biennio completo ſeu triennio labente ut diximus; planè ſexennium Imperii compleverit, & ad 7. annum pervenerit. Septem anni labentes ab anno 313. retro putati, in 306. refunduntur. Atqui Cæſar creatus videtur anno Chriſti 305.

Cum bellum in Licinium moveret.

Zoſimus l. 2.

CAPUT IX.

Concilium Arelatenſe primum, In quo Gallicani Belgæq; aliquot Epiſcopi.

Anno Chriſti 312. & 313.

Annus Chriſti Dionyſ. adhuc 313.

1. ANno poſt victum triumphatúmque Maxentium proximo, Chriſti 313. habita eſt Romæ Synodus in Cæciliani Carthaginienſis Epiſcopi causâ, paucorum quidem Epiſcoporum; ſed qui tamen ad noſtrates hujus temporis eruendos viam ſternunt. Rem igitur paulò altiùs ſed paucis repetam. S. Cypriano, Carthaginienſi Epiſcopo, qui martyrium anno Chriſti vulgari 258. generosè ſubiit, ſucceſſit in ea ſede Lucianus; huic Menſurius; Menſurio ejus Archidiaconus Cæcilianus,

anno Chriſti circiter 306. Perſecutione tum Conſtantii primùm benignitate, tum Maxentii imperium ineuntis ſimulatione remiſſâ. In eâ Cæciliani ordinatione conflatum ſchiſma gravi longaque Africanam Eccleſiam tempeſtate vexavit. Menſurius durante perſecutione aurea argenteáque Eccleſiæ vaſa, ne à Perſecutoribus raperentur, variis ſenioribus commendaverat; quorum Indiculum fideli cuidam aniculæ reliquerat. Indiculus iſte Cæciliano recens electo ex Menſurii mandato porrigitur; & vaſa ab ſenioribus repetuntur. Hi cùm hauſtam faucibus avaritiæ prædam (ait Optatus Milevitanus) reddere nollent, ſe plebemque Cæciliani communioni ſubduxere. Addunt ſe ſchiſmatis ſocios primùm Botrus & Cæleſius, qui Epiſcopatum eum ambientes repulſam paſſi fuerant: tum Lucilla potentiſſima quædam & factioſiſſima fœmina, *furialibus* (ut ait Auguſtinus) *in Cæcilianum odiis accenſa*; ab eo adhuc Archidiacono non ita pridem reprehenſa, quod Fidelem quempiam ineunte perſecutione cæſum, ceu Martyrem coleret, quem nondum Epiſcopi talem approbaſſent. *Sic tribus convenientibus cauſis & perſonis* (rurſum Optatus) *ſchiſma conflatum eſt, quod confuſa mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ab iis tribus perſonis contra Cæcilianum cauſa confictæ ſunt, ut vitioſa ejus ordinatio diceretur. Ad Secundum Tigiſitanum Epiſcopum Numidiæ Primatem miſſum eſt, ut Carthaginem veniretur.*

Schiſma in geſta Carthagine.

Optatus l. 1. contra Parm.

Aug. contra Creſc. l. 3. c. 27. 28.

2. Venit ille cum pluribus aliis Numidiæ Epiſcopis Traditoribus, qui ſcilicet furente Perſecutione Sacrarum Scripturarum Codices mortis metu tradiderant. *Suſcepti ſunt hoſpitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis; non à Catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus.* & ſeorſum ab eo convenientibus, illum ad ſe ceu legitimam Synodum vocaverunt. Non comparentem, tanquam contumacem, & ab Epiſcopo Traditore Felice Aptungenſi ordinatum, condemnant; Majorinum quemdam, qui Lector in Diaconio Cæciliani fuerat, domeſticum Lucillæ, ipsâ ſuffragante, & vehementer urgente, Epiſcopum ordinant. Cæcilianoque ſubſtituunt: & datis per totam Africam literis, in ſuam factionem Epiſcopos quoque Mauritaniæ pelliciunt. Ita viſa duo in Eccleſiæ corpore capita: Cæcilianus Catholicus, *cum Eccleſiâ Romanâ, in quâ* (ut ait Auguſtinus) *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus*, conjunctus; & Majorinus intruſus, Schiſmaticis Traditoribus communicans. Qui omnes *Donatiſtæ*, à quodam *Donato*, opidi à Caſis nigris in Numidiâ nigriore Epiſcopo (qui Cæciliano adhuc Diacono jam ante ſchiſma fecerat Carthagine; & à Lucilla furente adverſus Cæcilianum impulſus fuerat, teſtibus Auguſtino & Theodoreto) nomen hauſere. Quamquam poſtea Donatiſtæ ipſi ab alio Donato, Carthaginienſi poſt hunc Majorinum Epiſcopo, eloquentiſſimo celeberrimoque, nomen ſuum derivare maluerint, ſed ſeriùs.

Duo Carthaginiēſes Epiſcopi.

Donatiſtæ hæretici.

Aug. Brev. coll. 3 c. 12. Theodoret. hær. f. c. 3

3. Stetit ea Carthaginienſis Eccleſiæ diviſio totos ſex annos, ad Maxentii interitum Conſtantinique victoriam. Sub quo pace Africanis quoque Eccleſiis redditâ, rurſus in Cæcilianum inſurgentes, Anulinum Africæ Proconſulem primò in eum concitaverunt: mox hoc anno 314. ad Conſtantinum quoque ipſum Imperatorem jam in Gallias reducem harum rerum adhuc ignarum trajecto mari ſe contulerunt, & *Rogamus te*, dixerunt, *ô Conſtantine Imperator opt. quoniam de genere juſto es, cujus pater, inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia (nam in Africâ inter nos & ceteros Epiſcopos contentiones ſunt) & petimus ut de Galliâ nobis Judices dari præcipiat pietas tua. Data* (nempe hæ litteræ) *a Luciano, Digno, Naſſutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Epiſcopis partis Donati. Quibus lectis, Conſtantinus pleno livore, Petitis, inquit, à me in ſæculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium expectem. & tamen dati ſunt Judices, Maternus ex Agrippinâ civitate, Rheticius ab Auguſtoduno, & Marinus Arelatenſis.*] Hæc Optatus.

ANNUS Chriſti [illegible] 314 [illegible] Con-ſtantinum.

Optat. l. 1.

Petunt ab eo Judices. Ille dat Maternum Agrippinenſem, &c.

4. Simul Conſtantinus litteras ad Melchiadem Romanum Pontificem dat, quibus petit, ut tam Cæcilianum, quàm Donatum, quos cum denis ſuæ partis Epiſcopis Romam traiicere juſſerat, examinare, & cum Materno, Rheticio Marinoque Gallicanis à ſe miſſis Epiſcopis, aliisque Italis eorum cauſam judicare velit. *Romam ergo ventum eſt* (pergit Optatus ſuprà) *ab iis tribus Gallis & quindecim Italis Epiſcopis; & in Lateranenſi Fauſtæ domo* (paulò ante Melchiadi à Cōſtantino dono datâ) *conventum Conſtantino & Licinio tertiùm Coss. ſexto Nonas Octobres, ſexta feria. His decem & novem conſidentibus Epiſcopis, cauſa Donati & Cæciliani in medium miſſa eſt à ſingulis. Lata in Donatum ſententia, Quod confeſſus ſit ſe rebaptiſaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt. Cæcilianus, cùm teſtes à Donato inducti nihil in eum habere ſe dicerent, omnium ſententiis innocens eſt pronuntiatus, & Miltiades* (ſeu Melchiades) *eum in ſtatu ſuo meritò retinendum cenſuit. Sufficit ergo* (concludit Optatus) *& Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto judicio purgatum. Et tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis* ad Imp. *credidit.*] Hactenus ex Optato.

Qui Romā conveniunt, & Donatum damnant.

5. Conſtantinus, etſi appellationem illam ita horruit, ut *rabidam furoris audaciam*, eodem Optato teſte, vocaverit; ſpe tamen tantæ diviſionis prorſus extinguendæ, Arelate Concilium totius (ut apparet) Occidentis ad Kalendas Auguſtas ſequentes indixit. nam ſuis ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum litteris, *plurimos ſe Epiſcopos ex locis diverſis & prope infinitis, Arelatum convocaſſe* ſcribit. ut non tantopere reiiciendus videatur Ado Viennenſis, dum ſexcentos Epiſcopos tunc coiviſſe ſcribit, licèt ducentos dumtaxat numerare videatur Auguſtinus. Sanè non ex Siciliâ modò bini alii cum Chreſto convenire juſſi, ſed & ex diviſâ toto orbe Britanniâ; adeoque ex quavis Occidentali & interjacente provinciâ præcipuarum ſedium Metropolitani cum duobus aliis adeſſe juſſi.

Arelatenſe Concilium, totius Occidentis.

Apud Euſ. l. 10. c. 5. Ado Chr. Aug contra Parm. l. 2. c. 3.

6. Kalendis igitur Auguſti die præfixo, *Voluſiano & Aniano Coss.* anno Chriſti 314 cum ceteris Epiſcopis adfuerunt Sylveſtri Romani Pontificis, qui Melchiadi interim ſucceſſerat Legati, Concilio præfuturi: Adfuit & ipſe Conſtantinus tunc in Galliis ut plurimùm agitans. Cauſaque unanimiter adjudicata Cæciliano: *cum quo & plures Donatiſtæ* (teſte Auguſtino) *vanâ & diabolicâ diſſenſione damnatâ, in concordiam redierunt: alii verò pertinaciſſimi ac Religioſiſſimi, ad eumdem Imp. iterum appellaverunt. poſtea & ipſe coactus Epiſcopalem cauſam inter partes cognitam terminavit.*] & nondum acquieſcentes, vehementer commotus, mulctavit exilio. In eo quoque Concilio, decretum, ut Paſcha Dominicum eadem ubique die celebraretur,

Cui etiam ipſe Conſtantinus intereſt.

tie

ne ſcilicet diverſi tunc editi Canones Paſchales; feſtivitatum omnium Principem diverſis diebus indicerent. De quo ita Synodi Canon primus: *De obſervatione Paſcha dominici, ut uno die & tempore per omnem orbem obſervetur, & juxta conſuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.* Cetera apud Sirmundum noſtrum videre potes, qui Synodum iſtam ex antiquis Manuſcriptis emaculatam nuper edidit. Nos ex illo quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt, tantùm educimus.

Gallicani Epiſcopi.

7. Inter alios ſubſcripſiſſe reperiuntur, Epiſcopi è Galliis *Marinus Arelatenſis cum Salama Presbytero. Item Oreſius Maſſilienſis, Daſnus Vaſenſis, Verus Vienuenſis; E Lugdunenſi Prima Vocius Lugdunenſis, & Reticius Auguſtodunenſis*; E ſecundâ *Avitianus Rhotamagenſis*; è Belgica verò noſtra tres, *Ambitauſius ſeu Jnbetanſius Remenſis, cum Primogenia Diacono. Agroecius Treverenſis cum felice exorciſta, & Maternus Agrippinenſis.* ex Britanniâ denique ipsâ bini, *Eborius Eboracenſis, & Reſtitutus Londinenſis.*] & Epiſcoporum quidem Indiculum iſtum mancum & mutilum eſſe nemo non videt, quando non modò non ſexcentos, ut vult Ado, ſed longè infra ducentos quoq'. ut vult Auguſtinus, repræſentat. ex paucis tamen hiſce ſuperſtitibus, Eccleſiæ noſtræ antiquitas nonnihil elici poteſt.

Belgæ tres Remenſis, Trevirenſis, Agrippinenſis.

Britanni duo.

Agricius Trevirenſis.

8. Ac primùm, qui hic ſubſcriptus repetitur Trevirenſis Epiſcopus Agroecius, eum jam antè Sedem illam obtinuiſſe neceſſum eſt. ac proinde ruit eorum opinio, qui illum non ante annum Chriſti 326. Treviris Epiſcopum admittunt: qui item, Antiochiâ abs Helenâ Auguſtâ, dum Hieroſolymis Cruce Chriſti jam inventâ in Gallias rediret, adductum ſciſcunt. Quomodo enim, anno Chriſti 326. ſedere Treviris inciperet, qui hoc annò 314. id eſt, annis antea totis 12. Trevirenſis Epiſcopus Arelatenſi Synodo ſubſcribit? Sed neque Helena Antiochiam authoritate tantâ adire potuit, antequam Conſtantinus ejus filius, Orientem Licinio victo ſecurus obtineret: quod ante annum Chriſti 324. minimè factum, infrà capite hujus libri 16. & ultimo oſtendam. Ex hac igitur Agroëcii in Arelatenſi Concilio, ſubſcriptione, ſimul Helenæ ipſius occaſione, cujus curæ operæque Agritii Treviros adventus attribuitur; exiſtimo Agritium non Antiochiâ, ſed Româ ſubmiſſum, quod & Vita teſtatur. Romā, enim, cùm in Conſtantini poteſtatem Maxentii cæde veniſſet, Helena mater advenit. Ibi Agritium excellenti tum virtute tum doctrina nacta, à S. Sylveſtro ſeu coràm, ſeu per literas, Valentino Trevirenſi Epiſcopo vita functo ſucceſſorem impetravit, Treviróſque ſecum reduxit. Ubi ille ſedem abs anno Chriſti 314. adhuc ineunte, ad 335. per annos facilè 20. tenuerit; donec eodem anno 335. Januarii die tertiadecima Maximino ſucceſſori deceſſerit. Quòd ſi fortè ante Crucis apparitionem Conſtantino factam advenisset, unus haud dubiè è Conſtantini Catechiſtis, cum Materno Agrippinenſi, ceu domeſticus Paſtor, extitiſſet. Nulla illius eo tempore mentio: non igitur, ante annum 314. Treviros advenerit. Quamdiu ſedit, Caput Galliarum, imò & Occidentis ex Sylveſtri privilegio ſediſſe in Vitâ dicitur, juxta illud, *Accipe Primatum poſt, ſeu trans Alpes Trevir ubique; Quem tibi lege novâ Roma dat & veteri.* Certè in poſterū magna Trevirenſis Epiſcopi per Gallias auctoritas fuit.

9. Secundò proclivis illatio eſt, Si Treverenſis Agrippinenſiſque diœceſis hucuſque conjunctæ, proprios ſingulæ eo Concilio habuerint Epiſcopos; quidni & Tungris & Nervis, Menapiis & Atrebatibus, & Morinis ſuos ſigillatim per hos annos concedamus Antiſtites? Conſtantio Conſtantinóque Imperatoribus patri & filio, adeò in Chriſti fidem pendentibus, toties jam à tot annis à Treveris in Britanniam eundo redeundóve per intermedios hoſce populos, eóſque bene frequentes, iter obiigerat: & nulla de eorum Paſtoribus cogitatio occurrerat, nulla abs Chriſtianis illata mentio fuerat? Quis credat Conſtantinum, tantâ jam tum in Italiæ Africæque Eccleſias ſolicitudine, qualem vidimus, in Belgicas noſtrates, in quibus non fidei minus quam imperii cunabula poſuerat, nullâ fuiſſe? ne poſt cœleſte quidem Crucis illud ſignum, cujus & & apparitio apud nos facta, & beneficio tot paulò póſt tantáſque victorias adeptus eſt? An verò in aliis quidem Provinciis magnam fidelium factam ad Chriſtum acceſſionem admittemus: in Belgicâ, ubi tanto brevior extitit perſecutio, tanto major Eccleſiæ ſub patre Conſtantio pax, ſub Conſtantino filio gloria & ſecuritas, nullam agnoſcemus?

Tungrenſes Epiſcopi à Trevirenſibus diſtincti.

10. *Conſtantius* (ait Euſebius) *ſubjectos* (Chriſtianos) *conſervavit illæſos & incolumes; neque ſacras Eccleſiarum ædes diruit; neque aliud quippiam maleficii in nos molitus eſt. Sacræ iſtæ Eccleſiarum ædes,* etiam ante Conſtantium in Belgis extructæ, nec unquam ab eo dirutæ, tametſi à Diocletiano perſecutore dirui juſſæ, obſecro, ſine ullo Paſtore erant? Rurſum poſt Conſtantini de Maxentio victoriam, *dies ſtim ſerena* (ait idem Euſebius) *& nullâ nube opaca, clara cœleſtis luminis radiis, Chriſti Eccleſias per univerſum orbem illuxit. Singula loca, tyrannorum impietate paulò ante diruta, tanquam poſt mortiferam, diuturnamque vaſtitatem quodammodo reviviſcere, à fundamentis denuo in immenſam altitudinem erigi, & majore etiam ſplendore amplitudineque illuſtrari. Imperatores etiam ipſi ratis legibus edictiſque, Chriſtianis favere, & permagnam acceſſionem adjungere. Dedicationum feſtivitates, templorúmve recens extructorum conſecrationes; frequentes Epiſcoporum Synodi celebrari. Conſtantinus ipſe crebrioribus litteris ſuos Epiſcopos dignari, animare, honoribus ac pecuniâ proſequi. Neque Gentilibus hunc noſtrum triumphum Deus invidit, eos ex æqua nobiſcum bonorum omnium participes effecit.* & in eamdem ſcilicet fidem induxit.] Ita ille. Tantum valet in utramque partem Principum inclinatio. Quod igitur alibi terrarum tunc geſtum ſcribit Euſebius; in Belgicâ, ubi ſeptennium totum non diſpari pietate Conſtantinus, biennium etiam anteà Auguſtus ac liber Conſtantius imperaverant, non æquè geſtum fuerit? non reparatæ ſi quæ conciderant Eccleſiæ, non erectæ novæ, non inducti qui eas regerent Epiſcopi? Etiamnum hodie creſcente ovium Chriſti grege, Paſtorum quoque numerum augeri videmus: tunc auctus non fuerit? Conſtantinum tamdiu in Galliâ regnantem, tot miraculis in fidem inductum, tot victoriis roboratum; nemo unus, ne Catechiſta quidem ejus, ullam ei rerum iſtarum cogitationem, ullum cupidinem infuderit?

Euſeb. l. 2. fin.

Conſtantius Conſtantini pater quantum Chriſtianis Belgis indulſerit.

Euſeb. l. 10. hiſt. c. 1. 2. & 3.

11. Eſt & tertia deductio. Maternum Agrippinenſem iſtum Epiſcopum jam à Treverenſi divulſum, magnæ admodum apud Conſtantinum auctoritatis, magni apud alios à doctrinâ integritate-

Maternus II. quantæ auctoritatis.

que nominis fuiſſe oportet, qui primus Cæciliano Donatoque Judex dari, Romam tanto intervallo mitti, Concilio Arelatenſi rurſum deſtinari meruerit, Donatum Cæciliano probato cum cæteris ſapientiſſime damnaverit Ego quidem è Conſtantini Catechiſtis & Doctoribus unum, ſi non præcipuum fuiſſe vehementer ſuſpicor, dum ille Coloniæ Agrippinæ contra Francos arma movens frequentiùs ageret, de Fide Chriſti per mutua colloquia ſæpè quæſtiones injiceret. Neque verò tanti nominis eſſe potuit, niſi diuturnum jam pridem probitatis & reconditæ doctrinæ prudentiæque documentum præbuiſſet. quod Pontificiæ dignitatis illius jam provectioris non parvum quoque argumentum eſt; non parvum item paulò altioris ſacrarum diœceſeon in Belgica partitionis. Quod ſi Materni quoque doctrinam & dignitatem ex Collegis colligere licet (ut certè licet) quis neſcit Rheticium Auguſtodunenſem Epiſcopum, teſte Hieronymo, Commentarios in Cantica Canticorum, & aliud adverſus Novatianum grande volumen elucubraſſe? Quis ignorat eumdem ab Auguſtino magnæ auctoritatis in Eccleſia habitum vel inde probari, quòd Romæ in cauſa Cæciliani, cum Melchiade ſummo Pontifice aliiſque, Judex Donatum damnaverit? Idem igitur pro Materno valeat argumentum; & prævaleat inſuper hauſta cùm Conſtantino ex frequentiore viciniâ præſentiâque familiaritas, quæque inde manat auctoritas.

Probabiliter unus e Conſtantini Catechiſtis.

Hier. de Script. Eccl. in Rheticio.

Aug. contra l. 1. c. 3.

12. Quo etiam argumento ſanè fertili, multum auctoritatis acquiret, & viciſſim reddet Baldericus Noviodunenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, cùm in Cameracenſi ſuo Chronico ante ſexcentos annos ſcripto, Atrebatenſem Cameracenſemque Sedes audet ad Dionyſii Papæ primi tempora revocare, id eſt annis ante Maxentium debellatum ſuprà 40. Ut ut ſit, aliquot annis ante obtentam à Conſtantino Crucis virtute victoriam, Maternum Coloniæ Epiſcopum obtigiſſe neceſſum eſt: Quid quod in hoc ipſo Arelatenſi Concilio bini quoque Britanniatum adfuiſſe reperiuntur Epiſcopi, Eborius Eboracenſis, & Reſtitutus Londinenſis? Annon illi factam quoque jam antè ſacrarum diœceſeon in remotiore iſta Inſulâ diviſionem ſatis arguunt? Quanto magis in Belgicâ, Romanis ut viciniore ita familiariore, Imperatorumque inſuper Chriſto addictorum tam diuturnâ, tam conſtanti ſede, eâque ut dixi eorumdem Catechiſticâ feliciſſimâque magiſtrâ? Sed & frequentes ſub Conſtantio Conſtantini filio celebratæ Synodi Belgas alios exhibent Epiſcopos, famâ celebriores, eoque non tum primùm, credo, natos; etſi ut in remotiore & anguſtiore provincia rariores. Eminent in iis Servatius Tungrorum & Superior Nerviorum. Nec deſunt tam in Arelatenſi 1. quam in Ariminenſi Synodo terni quoque novi Britanniarum Epiſcopi ibidem & ex parte etiam Severo memorati. quamvis ſingulos dumtaxat è ſingulis provinciis ad Ariminenſe conveniſſe ſcribat Hilarius. Unde non malè Placentius, aliique Tungrenſis Eccleſiæ Scriptores Servatii primordia ad annum Chriſti vulgarem 315. referunt. Quod idem de Superiore Nerviorum Epiſcopo credi par eſt.

Balderici de primis Belgarum Epiſcopis opinio.

S. Servatius & Superior.

13. Denique in Gallicarum Eccleſiarum diſtinctione illud ad noſtram uſque ætatem magna ex parte conſtanter obſervatum video, quod hiſce Conſtantini temporibus inſtitutum eſt. aut ſi quid immutatum, non magni ponderis eſt. Antequam igitur ſeriem temporis hic proſequor, gratum me Lectori facturum opinor, ſi Belgicarum Eccleſiarum hoc ſæculo faciem ac Diœceſes hoc capite velut in Tabula repræſento.

Conſtantini partitio ſtetit ad noſtram ætatem.

CAPUT X.

BELGICARVM Eccleſiarum primæ Diœceſes, & Epiſcopi.

1. AC primùm facilè mecum æquus Lector admittet, ſapientiſſimam matrem Eccleſiam, quæ diſponit omnia ſuaviter, cùm Diœceſeon ſuarum partitionem moliretur, nullam faciliorem commodioremque inſtituere potuiſſe, quàm quæ civili reſponderet, aut proximè, quantum fas eſſet, accederet. Sic enim liquidior ac junctior erat ſacri profanique Imperii gubernatio, altera alterius auxilio ſubnixa. Quod tanto verius eſſe pervidebit, quiſquis priſcos Epiſcopatuum non Belgicorum modò, ſed ceterorum quoque omnium limites cum Romanarum Provinciarum civitatúmve terminis compoſuerit, ut doctè ante nos Rhenanus annotavit. quorum pleroſque etiam hodie reſpondere videmus in Galliis. Epiſcopales igitur in Belgio per hoc tempus parœcias ex civilibus Romanorum eruamus.

Civilis & Eccleſiaſtica Juriſdictio ferè eadem.

2. Fuerunt hiſce temporibus in Belgica generatim ſumpta quatuor Provinciæ, ut libri primi ſecundo capite diximus; Germaniæ duæ ad Rhenum porrectæ, duæ item Belgicæ propriè dictæ. In Germaniis nihil immutavit Conſtantinus, cùm jam Monarcha annis ab hinc non totis 20. novam Imperii diviſionem inſtituit, de qua paulò infrà. Belgicam quoque propriam tum (ſi non ante) ex una geminam fecit, ſaltem confirmavit: *Primaque* ac *Secunda* nomine diſtinxit. Nam ſuperiores Conſtantino Romani Scriptores, Belgicæ, ut dixi, propriæ ſæpè indiviſum meminiſſe videntur. poſteriores Primam & Secundam agnoſcunt; è noſtris quidem Hilarius, de quo infrà, è profanis autem Sextus Rufus, Ammianus, & Itinerarium Antonini. qui omnes ita poſt Conſtantinum ſcripſere, ut eum videre potuerint. Utriuſque Germaniæ Ciſrhenanæ fines ſatis ſuprà definivimus. Belgicæ jam diviſæ ex ejus civitatibus aſſequimur. Earum quaſdam tangit Ammianus: *Belgica Prima*, inquit, *Mediomatricos prætendit & Treviros, domicilium Principum clarum. Huic adnexa eſt Secunda Belgica, qua Ambiani ſunt, urbs inter alias eminens; & Cathelauni, & Rhemi.* Sed completum earum numerum Libellus provinciarum Romanarum nobis exhibet. *In Belgica Prima civitates numero 4. Metropolis Civitas Treverorum; Civitas Mediomatricorum, id eſt Metis; Civitas Leucorum, id eſt Tullum; Civitas Verodunenſium. In Provincia Belgica Secunda, Civitates numero 12. Metropolis Civitas Remorum; Civitas Sueſſionum; Civitas Catalannorum; Civitas Veromanduorum; Civitas Atrebatum; Civitas Cameracenſium; Civitas Tornacenſium; Civitas Sylvanectum; Civitas Bellovacorum; Civitas Ambianenſium; Civitas Morinenſium, id eſt Pontium* (potius *Tarvana*, ut habet etiam Ptolemæus)

Belgicæ duæ poſt Conſtantinum.

Quæ Belgicæ Civitates Civiles Epiſcopales. Amm. l. 15.

Civitas Bononienſium, ad Oceanum. *Civitas Lauduneñſium* deeſt: quia à S. Remigio primùm erecta. Et paulò ante. *In Belgica Prima eſt Treviris; In Secunda tranſitus in Britanniam.* eædem penè omnes civitates in Antonini Itinerario Ptolemæoque nominantur.

Belgicæ Romanæ, quibus hodiernis continentur.

3. Ex his qui Belgicarum ſub Conſtantini tempora, ac ſtante deinceps Romano Imperio termini fuerint, veluti lineis quibuſdam ad oculum oſtenditur. Belgica Prima Lotharingiâ hodiernâ, parte Lutzenburgenſis Ducatus Auſtraliore, Trevirenſiſque ditionis ſaltem potiori parte, eâ nempe quæ ab Leſurâ & Drahono fluviolis in Moſellam influentibus, in Occidentem meridiemque vergit, quod moneo, propter alteram partem ad Rhenum projectam, quæ ſi (ut quæſtio eſſe poteſt) ad Germaniam Superiorem hoc ævo pertinuerit, Moguntinæ diœceſis eſſe potuerit, de quo nihil definio. Belgica Secunda eo Campaniæ hodiernæ tractu, qui ad Aquilonarem dexteramque Matronæ ripam protenditur, Bellovacis, Ambianis, Veromanduis, Arteſiis, Hannonibus, Flandriſque finiebatur.

Maxime ad Conſtantini diviſionem aptatæ.

4. Ad hanc igitur Romani Imperii in Belgicâ partitionem, à Conſtantino poſtremùm (ſive ante ſive paulò póſt Monarchiam, exiguo temporis diſcrimine) inſtitutam, Eccleſia quoque poſtremas ſub Romanis Parochiarum ſuarum diœceſes aptaſſe videtur. Nam ante illum illiúsve patrem Conſtantium, in tot tantiſque Tyrannorum perſecutionibus, quid in eo genere præſtare potuerit, ſuprà oſtendere conati ſumus. Sub ejus demum Imperio & fide, ceu tutoris ac parentis optimi, tandem aliquando liberè reſpirans, planè ſe ad ejus diviſionem componere conſultius duxit. Quoniam igitur in totâ Inferiore Germaniâ, Francis tunc oppoſitâ, duas tantum celebriores cenſitas à Conſtantino aliiſque Civitates animadvertebat, Agrippinam Metropolim & Tungros; Agrippinenſem quoque & Tungrenſem dumtaxat ſtatuit Epiſcopos; quorum juriſdictio univerſos hujus provinciæ fines amplecteretur. quod ad Patrum uſque noſtrorum memoriam, vix paucis forſitam immutatis ſubſtitit. Nam de *Ultrajectino* quidem nulla tum mentio; credo, quòd Batavia vicinaque regio frequentiſſimis Francorum & Saxonum incurſionibus, ſubinde & jugo premeretur: eoque vix ante ſeptingenteſimum Chriſti annum Religione noſtrâ conſtanter imbui, & Pontificis honore ſub Francis decorati potuit; per S. Willibrordum.

In Germaniâ Inferiore, duo Epiſcopi; Colonienſis & Tungrenſis.

Ultrajectinus multò poſt Romanos, ſub Francis.

5. In Belgica Prima ſub Metropoli Trevirenſi, prædictas quoque Civitates Epiſcopales inſtituit, Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem, quæ etiamnum immutatæ ſubſiſtunt. In Secunda ſimiliter ſub Metropolitano Remenſi Suffraganeos decem, & ſi fortè undecim ordinavit; Sueſſionenſem, Catalaunenſem, Sylvanectenſem, Bellovacenſem, Veromandenſem, & Ambianenſem, in regno Francorum hodierno; In Belgio autem noſtrate, etiam Atrebatenſem, Cameracenſem, Tornacenſem, Morinenſem ſeu Taruanenſem, & ſi fortè Bononienſem; qui tamen poſtea Taruanenſi junctus permanſit ob vicinitam.

In Belgica Prima, Trevirenſis, Metenſis, Tullenſis, Verodunenſis.

Belgicæ Secundæ Epiſcopi ſub Remenſi.

6. Atque hæc eſt vetuſtiſſima, ſi non prima Cathedralium in Belgica Sedium inſtitutio, quam ſub Conſtantino, aut non multo poſt, integrè coaluiſſe, probant quæ paulò antè attulimus, & mox afferemus. Magis etiam firmat, quòd poſteriores omnes, quos hodierno Belgio comprehendi diximus, Epiſcopi, quum continuis Barbarorum incurſionibus defeciſſent, à S. Remigio non inſtituti ſed *reſtituti* dicuntur, & verè ſunt; ut patet ex Superiore Nerviorum, & Diogene Atrebatium Epiſcopis, longe ante Remigii tempora florentibus. Ne quid de Servatio dicam, qui ad Germaniam ſecundam non Belgicam propriam attinuit. Janus ſane biceps hac in re dici poteſt Remigius, qui velut ante poſtque diluvium, ſeu Barbarorum inundationem vixerit, & utrumque ſeculum, Romanorum, inquam, Francorumque in Galliis imperium viderit: ut ad reddendos primis Sedibus Epiſcopos, memoriâ illi opus non fuerit aut antiquâ aut alienâ.

Quos S. Remigius reſtituit.

7. Nec parum etiam eamdem Epiſcoporum in Belgio ſub Romanis inſtitutionem ſtabilit S. Hilarii Pictavorum Epiſcopi hoc ævo viventis Libellus de Synodis, quem ille anno Chriſti 359. à morte Conſtantini 22. edidit, & Hieronymus non multò poſt Treviris ſe tranſcripſiſſe gloriatur. Ejus enim Inſcriptio eſt: *Dominus & Beatiſſimus fratribus & Coëpiſcopis Germaniæ Primæ & Germaniæ Secundæ; & Primæ Belgicæ, & Belgicæ Secundæ; & Lugdunenſis Primæ & Lugdunenſis Secundæ, & Provinciæ Aquitanicæ,* &c. Vides tantillâ temporis intercapedine, id eſt annis à Conſtantini exceſſu duobus dumtaxat ac viginti, Belgicam non minus quam Germaniam geminatam, & in primam ſecundumque ſeu Superiorem Inferioremque diviſam. Ac licèt Libelli Inſcriptio Provinciarum dumtaxat, non etiam Civitatum prædictarum nominet Epiſcopos; ſi tamen cum politicâ Conſtantini ordinatione componitur, facilè ad earumdem civitatum notitiam nos inducit: quando nihil afferri poſſe videtur, cur Civitatum minùs quàm Provinciarum ſacra partitio cum Conſtantinianâ ſeu prophanâ componi poſſit aut debeat. Ceterùm illud hic mecum notet Lector, inter omnes hic enumeratos Galliarum Antiſtites, Belgas noſtros latè ſumptos ac jam quadripartitos, omnium primos ab Hilario compellari; ſive quòd apud eos Treviris Imperatoria ſedes fixa eſſet, ſive quod ab ipſo Conſtantino adhuc apud eos incolente, Sylveſtro Papa probante, non quidem primùm inſtituti, ſed primùm in ordinem redacti, & ſub quatuor Metropolitanis diviſi fuiſſent. Nam ſi ab Galliarum extremitate numerum inchoare volebat, cur ab Septentrionali remotiore, quàm ab Italicâ notiore, Hiſpanicâve ſeu Aquitanicâ, in quâ ipſe erat Epiſcopus, potiùs ordiſtur?

Et firmat Hilarius libro de Synodis.

Qui Belgicos ante alios omnes compellat.

8. Stetit hæc Paſtorum partitio ad Patrum uſque noſtrorum memoriam. donec Paulus IV. Pontifex Romanus, quaſi alter Sylveſter, petente Philippo II. Hiſpaniarum Rege Belgiique principe, altero itidem Conſtantino, anno Chriſti 1559. aptius illam ad hodiernam Principum populorumque ſtatum, linguam ac leges inflecteret ac mutaret. Nam Provincias tres novas in hoc Belgii noſtri tractu inſtituit, omnes ac ſingulas ea priſcæ Belgicæ Secundæ & Germaniæ Inferioris partibus compoſitas. Unam Gallicè loquentem ſub Cameracenſi Metropolitano, quæ Atrebatenſem Tornacenſemque veteres Epiſcopatus, novum Audomarenſem ex Belgica Secundâ (ſicut & in Franciâ pro Taruanenſi deſtructo, Bononienſem) novum Namurcenſem ex Germania Inferiore contineret. Alteram quæ Teutonicè loquitur, ſub Mechlinienſi novo Epiſcopo & Metropolitano, in ſex item novos diſtinxit

Stetit ea diviſio, uſque ad Paulum Papã quartum.

Qui novas Diœceſes inſtituit.

Epiſco-

Epiſcopatus; Iprenſem, Brugenſem, & Gandenſem ex Belgicâ 2. & è Taruanenſi Tornacenſique vetuſtis ſedibus; Antuerpienſem verò (ſaltem potiore ſui parte) Buſcoducenſem, & Ruremundanum ex Germania Inferiore deciſos. Ita ex Tungrenſi ſeu Leodienſi priſcâ Diœceſi tres penè integras novas erexit, Namurcenſem Gallicam, & Ruræmundanam Buſcoducenſemque Teutonicas; duarum inſuper aliarum partes, Antuerpienſis potiorem, & Mechlinienſis penè mediam amputavit; & ei tamen tantumdem adhuc reliquit.

9. Tertiam quoque Provinciam item Teutonicam, ſed majore ſui parte Tranſrhenanam Paulus inſtituit. Nam Vltrajectinum veterem quidem ſed ſub Francis primùm Epiſcopum, in Metropolitanum evexit, eique 5. ſuffraganeos ſubjecit; unum in Zelandia Middelburgenſem cis Rhenum; ceteros Tranſrhenanos, Harlemenſem in Hollandia, Levardienſem & Groningenſem in Friſia, denique Daventrienſem in Tranſiſalaniâ.

10. In Belgicâ verò Primâ Germaniâque Superiore, vetus Diœceſeon partitio etiamnum ſtat. Nam Moguntino adhuc hodie ſubſunt cis Rhenum in ripâ Gallicâ Vangionum Vormatienſis, Nemetum Spirenſis, & Straſburgenſis Triboccorum Epiſcopi: Treverenſi autem Metenſis, Tullenſis, & Virdunenſis.

CAPUT XI.

Cujuſnam Diœceſeos fuerit Epiſcopus, Superior Nerviorum?

Superiorem Sardicenſis Synodus generalis nominat, non ejus ſedem.

1. IN Concilio Agrippinenſi, quod circa annum Chriſti vulgarem 349. habitum dicitur, NERVIORVM quidam reperitur Epiſcopus SVPERIOR. In Sardicenſi quoque Synodo generali anno 347. habitâ, apud Athanaſium, Apologiâ 2. inter ceteros Gallos Epiſcopos, etiam Superior unus nominatur; nullo tamen Sedis aut Diœceſeos addito nomine. Quam Agrippinenſis nominat: circa annum Chriſti 249. Nerviorum: quos in Belgio hodierno ſitos, nemo negaverit: & quidem Julio ipſo Cæſare teſte, ad Sabim fluvium in Hannonia hodierna, ubi *Bavacum Nerviorum*; ubi item Notitia Imperii docente, *Fanum Martis Nerviorum Belgica ſecunda.* quos denique Tacitus ſuis hiſtoriarum libris, toties Tungris ceu finitimos jungit: prorſus ut eos Scaldim inter & Tungros incoluiſſe, ſaltem ex parte, certiſſimum ſit. Iſtius ergo Superioris Nerviorum Epiſcopi occaſione Quæſtio eſt, Quænam habenda propriè ſit Nerviorum antiqua Diœceſis, Illáne quam hodie Cameracenam appellamus; an vicina Tornacenſis, ultra Scaldim in Occaſum porrecta, nulla que ſui parte Tungris contigua; tota Cameracenæ Diœceſeos latitudine, ex omni quam ſciamus memoriâ, Scaldim inter & Tungros intercurſante?

Hæc quæſtio jam iterum editur. & ac iterius relicto Lectori judicio.

2. Hanc quæſtionem ante triennium uno alteroque folio ſeparatim edidi; variis variorum ſententiis explorandis; ut ſi validiora meis argumenta proponerentur, integrum ſemper eſſet, ſententiam agnitâ veritate mutare; imò & ei gratias agere, qui meliora ſuggeſſiſſet: nullius rei quam pacis veritatiſque cupidior. Nec pœnituit. Nam non pauci nobis aſſenſi ſunt, & ut pergeremus excitarunt; Diatribis etiam editis, quibus *Centrones, Grudios, Levacos, Pleumoſios, Gordunos, cum reliquis NERVIIS, antiquæ Diœceſi Cameracenſi includit, poſtmodum Brachatenſes appellatos.* Pauciores in cõtrarium pauca quæ potuerunt, verbis non paucis protulere; non omnium, ut paſſim fit, conſenſu plauſiive; quorumdam etiam incuriâ & neglectu. Ego avidius excepi, & expendi; promiſſo meo, præſertim ſponte, obſtrictus. Omnibus expenſis, amicis doctioribus auditis, viſum eſt, nihil aliud facere, quàm quod in oppoſitis S. Thomæ Scotique ſententiis etiam excuſis fit; ut excuſæ legantur, & Lectoris arbitrio, ſine ullâ animorum acerbitate permittantur. Reverendiſſimus quidem noſter, Illuſtriſſimusque Tornacenſis Epiſcopus Franciſcus Vilani à Gandavo, Raſenghemius, quem maximè tangere poſſet hæc quæſtio, pro ſua humanitate & prudentiâ idem juſſit; ut extremam concluſionem Lectoris arbitrio relinquerem. Quod modò exequor; publicè proteſtatus, Quæſtionem à me iſtam non aliter tractari, quàm clientium cauſas ab Advocatis; quas illi gnaviter defendunt, pro illis etiam fortiter concludunt: concluſionem tamen ſuam, non ut ſententiam, quando Judices non ſunt; ſed ut particularem ſenſum, & ut verbo Gallico exprimunt, *adviſum* proponunt. Spero neminem id mihi negaturum; nec Reverendiſſimo noſtro duriorem futurum.

Henſchenius noſter.

3. Imprimis civiles Nerviorum ſub Auguſto Romaniſque terminos libro hujus operis primo cap. 12. utcumque deſcripſi. & ſi Deus det, in fine hujus Tomi accuratiores dare potero; ſimul de Cæſariani in Nervios prælii loco; de confinibus circumquaque populis, ac ſimilibus diſputabo. totâ jam Belgii Romani hiſtoriâ completâ, & Lectori probè cognitâ. Nunc de Diœceſi duntaxat Eccleſiaſticâ, tracto. Binæ tantum Diœceſes hac in dubitatione locum habent, Cameracenſis atque Tornacenſis: aliæ remotiores ſunt. Duarum igitur Diœceſeon iſtarum, ante omnia, limites, iique vetuſtiſſimi etiam ſub Romanis (quantum datur) ſurſum ad mille trecentos annos expendendi; argumento primùm à primâ nobis cognitâ poſſeſſione, velut ex præſumptione ducto, juxta illud vulgare Juriſperitorum, Poſſideo quia poſſideo, in quo Tornacenſes maximam juris ſui poſſeſſionem tametſi recentiorem, minimeque pacificam ponunt. Tum verò ex antiquis Auctorum teſtimoniis, qui ſtante adhuc Imperio Romano, de Nerviis teſtes oculati ſcripſerunt; non recentium, à centum, trecentis, addo & quingentis annis ſcribentium. Antiquiores, ſaltem certos Epiſcopatûs utriuſque limites non ſcimus quàm quos ante novorum Epiſcoporum erectionem fatentur omnes extitiſſe. Porrò Tornacenſem & Cameracenſem Eccleſias, nihil niſi ſolus Scaldis interſecat. ut experientia ſemper probavit, & etiamnum probat.

Cameracenſes & Tornacẽſes ſoli de Nerviorum nomine certãt.

Solo Scalde diviſi.

4. Ut à Cameracenſi incipiam, fuerunt in ea ab omni hominum, ad noſtram uſque, memoriâ Archidiaconatus omnino ſex; Primus Cameraceſii, ſub quo Decanatus tres *Cameracenſis, Bellmanſi* in Arteſia & Agro Atrebatenſi; *Caſtelli*, ſeu vernaculè *Le Chaſteau en Cambreſis.* Secundus Archidiaconatus eſt Brabantiæ, quatuor ſub ſe continens Decanatus; quorum primus eſt, S. Briccii in ipſa

Archidiaconatus & Decanatus antiqui Cameracenſes.

urbe Tornacenſi, ad dexteram Scaldis ripam, junctis aliis duabus ibidem Parochiis S. Nicolai, & S. Joannis. 2. de Chirvia, Gallicè *Cheures* in ea Hannoniæ Boreali parte, quæ olim Brahantia dicta. 3. Hallenſis Bruxellis non procul. 4. Gerardimontanus, in Agro Aloſtenſi. Tertius Archidiaconatus Hannoniæ, quatuor complectitur Decanatus, Montēſem, Malbodienſem, Bavacenſem & Binchianum. Quartus Archidiaconatus Valencenenſis, tribus præeſt Decanatibus, Valencenenſi, Haſprenſi, & Aveſnenſi. Quintus Archidiaconatus Bruxellenſis tribus imperabat Decanatibus, Bruxellenſi, Aloſtenſi, Pamelenſi. Unde S. Vindicianus Cameracenſis paulò ante annum Chriſti ſeptingenteſimum Epiſcopus, Broſellæ mortem obiiſſe legitur, credo cùm circa illas partes officio ſuo fungeretur. Sextus denique & ultimus Archidiaconatus fuit Antuerpienſis, nullos quidem ſub ſe Decanatus, ſed Parochias omnino 97. continens: unicus ac ſupremus ipſe Decanus ſimul & Archidiaconus; à ceteris diverſus, quia poſtremus; & neſcio an ante Sanctorum Eligii & Amandi inchoatam apud Andouerpenſes prædicationem inſtitutus. de quo mox. Atque hi omnes Archidiaconatus dexterâ Scaldis ripâ, ad ipſam ferè uſque Zelandiam, ab Ultrajectino poſtmodum Epiſcopo Willibrordo Chriſti fide imbutam, continebantur verſus Septemtrionem; at verſus Orientem Tungrorum Diœceſi claudebantur.

Archidiaconatus antiqui Tornacenſes.

5. Jam Siniſtrâ Scaldis ripâ Diœceſis Tornacenſis Morinorumque territorio tota conſtringebatur, ut ex tribus ejus antiquiſſimis Archidiaconatibus, Decanatibusque duodecim cognoſcitur. Primus Archidiaconatus Tornacenſis, Decanatus numerabat quinque, Tornacenſem, Helcinienſem, Inſulenſem ſeu Lillanum, Seclinienſem, Cortracenſem. Secundus Archidiaconus Gandenſis, Decanatibus quatuor præerat; Rollarienſi (niſi fortè Brugenſis fuerit) Aldenardenſi, Gandenſi, Waſiæ. Ita tamen, ut Aldenardenſis Decanum quoque Pamelenſem ſub Archidiacono Bruxellenſi (qui Cameraco ſuberat) ſaltem ex parte, & ea dexterâ Scaldis in eo oppido ripâ agnoſceret. Tertius Archidiaconatus Brugenſis, Decanatus tres cenſebat, Brugenſem, Ardenburgenſem, & Oudemburgenſem. Atque hi omnes tam Archidiaconatus quàm Decanatus Menapiis adſcripti, Tornacenſem componebant Epiſcopatum; Scalde ipſo, ut dixi, Morinorumque confinio concluſum. Gandenſis Archidiaconatus Tornacenæ Diœceſeos, Antuerpienſi Archidiaconatui Cameracenſibus adſcripto, ad Antuerpiam occurrebat opponebaturve, ſolo Scalde diviſus. Ut nihil mirum ſit, ſi Sanctus Eligius Tornacenſis Epiſcopus, Gandenſes iſtos ſui juris tractus obiens, Waſiæque ſpeciatim Decanatum excolens, Andouerpenſes quoque contiguos inſtruaiſſe dicatur ab Audoëno, Vitæ S. Eligii libro 2 cap. 3. Quod & S. Amandum, Eligii cooperatorem, & quaſi coadjutorem feciſſe legimus; quando Chanclaum Flandriæ inſulam (hodie *Callo*) Antuerpiæ vicinam, imò & ipſam Antuerpiam cum eodem S. Eligio excoluit, paulo ante annum Chriſti 660. Binorum ſcilicet iſtorum Epiſcopatuum liminibus aut nondum ab eâ parte, poſtremâ curâ diſtinctis; aut mutuâ Epiſcoporum veniâ conſenſuque quaſi communibus; quò citiùs tractûs iſtius incolæ converterentur. Mox tamen, ſi non etiam

Gandenſis & Antuerpienſis Archidiaconatus, etſi diverſæ Diœceſeos, ſibi vicini.

Unde ſancti Eligius & Amandus Andouerpenſes inſtruunt?

antè, Diœceſin utramque Scaldis ipſe inferior, non minus quàm ſuperior, ad uſque Zelandiam, Ultrajectinum paulo poſt Epiſcopo ſubditam, ad noſtra uſque tempora diſpeſcere perrexit. Atque hæc eſt antiquiſſima eorum Epiſcopatuum, poſt Romanos à Francis & Saxonibus hac Belgii noſtri parte pulſos (ut in tempore reddam) nobis ſaltem cognita, diviſio. Quam ſi quis impugnare volet, ei probandi munus incumbet.

Unde Decanatus Bellomanſi, cum ſit agri Atrebatenſis, ad captus ſit Cameraco?

6. Supereſt Scaldis ea pars ſuperior, quæ à fonte ſuo ad Scarpi confluuum defluit. à dexterâ quidem ſui ripâ Cameraceno adhuc, à ſiniſtrâ autem Atrebateoſi Epiſcopatui prætenſa: quæ duos olim continebat Decanatus, Bellomanſenſem & Valencenenſem. Nam Bellomanſenſis quidem in civilibus juris olim Atrebatenſis erat, ut etiamnum eſt; ac proinde antequam Attebatenſis Epiſcopus Cameracenſi jungeretur, juris etiam Eccleſiaſtici, de more. Sed poſtquam ſemel juncti ſunt, Cameracenſes in ſecundâ diviſione eum Decanatum Atrebatenſibus nunquam reddere voluerunt; tùm ne tantâ eorum viciniâ premerentur; tum verò & maximè, ne fortè etiam in urbem ſuam, ad Scaldim uſque ceu communem limitem, penetrarent; ſicque duas intra ſe Diœceſes pati cogerentur; non ſine pari, quod Tornaci Valencenisque videbant, incommodo. Nec Atrebatenſes diu contenderunt; digiti unius potiùs, quàm totius corporis abſciſſione prudenter prælatâ. Eò tamen factum, ut Atrebatenſis eâ parte Diœceſis minus quadrata plenaque videatur; dum eo tanto Decanatu avulſo, priſcum Saldis limitem non niſi arcto ſui radio Valencenis attingit. Redde illi Decanatum iſtum abſciſſum, & videbis aptiorem, pleniorem, concinnioremque priſcæ Diœceſeos Atrebatenſis figuram. Atque hinc videmus, quod (ut ſuprà monui) diviſionem Scaldis fluvius & ſignificet & faciat.

Cameracēſis & Bavacenſis Epiſcopus pro uno ſumuntur; quia unius ejuſdemque Diœceſeos eſt.

7. Nec illud hîc omittendum, mihi in proluſoriâ ſeparataque quæſtionis hujus editione, Diœceſeos Cameracenſis ſub Romanis Epiſcopum, quocumque demum titulo dictus ſit, Bavaci potiùs quàm Cameraci reſediſſe viſum: quia Bavacum ſemper *Nerviorum* ab antiquo dicitur, nunquam Cameracum, licèt & ipſum in Nerviis, ſeu Nerviorum ſit. Nam licèt dici *Nerviorum*, aut in Nerviis eſſe, non abſolutè Caput gentis inferat; multo tamen minus infert pro urbe, quæ nunquam *Nerviorum* appellatur. Et Cameracum ſub Romanis vix urbs niſi benè exilis; & manſio potiùs viſa, ut Itineraria Peutingeri Tabula exhibet; docetque S. Auberti in eâ Monaſterium, quod ante Francorum Imperium mœnibus oppidi nunquam incluſum fuit. Sed fuerit Cameracum, Malbodium, Fanummartis, Valencenæ, &c. mihi perinde eſt; nihil id prorſus Tornaco ad Nerviorum appellationem confert, nihil de Cameracenſi Diœceſi detrahit. Bavacum hic aut Cameracum pro uno Diœceſeos iſtius Capite ſumo; & Tornaco tantum non ſibi invicem oppono. Cameraci tamen vocabulo ſæpiùs utar, ut omnem adverſariis occaſionem, nodum in ſcirpo quærendi ſuccidam. Nec eſt dubium, quin ille Nerviorum habendus ſit Epiſcopus, qui in ſua Diœceſi, Nerviorum Caput, aut plura ejus nominis loca oſtenderit. Agant ergo pro ſe partes, quantum poſſunt.

Antagoniſtica Diſſertatio.

8. In tanta antiquitate, annorum inquam pluſ-

quam

quam mille trecentorum, nemo non videt, ſtandum prorſus eſſe teſtimoniis eorum Scriptorum, qui durante adhuc Imperio Romano, de Nerviis teſtes oculati ſcripſerunt: Non recentiorum à centum, trecentis, addo & quingentis annis ſcribentium.

Cameracenſium, quod ſint Nervii, argumenta.

Ab antiquiſſimis teſtib. maximè à Cæſare ipſo.

9. Cameracenſes ergo, ſeu qui iidem hac in re ſunt, Bavacenſes, pro ſe proferunt vetuſtiſſimos ævi Romani Scriptores, quotquot adhuc ſuperſtites hodiè reperiuntur. cujuſmodi ſunt quinque vel ſex. Cæſar ipſe, Ptolemæus Geographorum ætatis ſuæ Princeps, Itinerarium Antonini, Tabula expanſa Peutingeri, Notitia Imperii. Primus omnium, ætate & dignitate ſummus, omni exceptione major, Julius Cæſar teſtis oculatus, Sabim fluvium agnoſcit *Nerviorum* libro 2. Illum Cameracenſes in ſua Diœceſi tenent, ſemperque tenuerunt, propè Bavacum; Tornacenſes nuſquam, quos Sabis iſte fugere videtur, donec Namurci Tornaco Scaldique procul, Moſæ faucibus hauriatur. Judicet Lector an Tornacenſes ex Cæſare Nerviorum Epiſcopi eſſe poſſint; & non potiùs Cameracenſes, per quorum Diœceſin Sabis fluit.

A Ptolemæo.

Secundò, Ptolomæus libro 2. cap. 9. Bagacum (ſeu potiùs ex continua Indigenarum ipſorum pronuntiatione, longè certiore, BAVACUM) ponit *Nerviorum* caput; quando nullas urbes, niſi gentium capita primo loco nominare ſolet. Et in hoc eſt Cæſari conformis, cùm Sabis fluvius per ejus agrum proximè fluat; non per Tornacum longè remotius: cui tergum ſemper obvertit, tanquam illud fugeret, ſolosque Nerviorum ſuorum agros rigare vellet.

Ab Itinerario Antonini.

Tertiò, Itinerarium quoque Antonini utrique conſentit; Bavacum æquè appellans *Nerviorum*. An hi tres ſimul, teſtes oculati, pariter errant? Iſta Antonini itinera adhuc hodie eadem exſtant; à nobis calcantur, ſenſibus uſurpantur, eodem ducunt reducúntve. An ipſa quoque fide laborant, aut ſenſibus noſtris imponunt? Quid certius etiam ſub Romanis vidiſſemus? Tornacum, etſi in iiſdem itineribus ſuo loco ponitur, nunquam tamen *Nerviorum* ibi dicitur. Quomodo ergo caput eorum eſt, quod nunquam *Nerviorum*, ſicut ſemper Bavacum, appellatur?

A Tabulâ Peutingeri.

Quartò, Tabula Peutingeri Antonino optimè reſpondet: Itinera ſua inſuper per lineas ceu vias ad oculum dirigit, adhuc hodie ſuperſtitea; pedibusque noſtris occurrentes. Quomodo erroris argui poſſunt? Tabula iſta, *iter à Geſſoriaca, quod nunc Banonia*, addit disertè; ducit per *Caſtellum*, hodie *Caſſel*; per *Viroviacum*, hodie *Vervich* ad Liſam; per Tornacum, nullo addito, velut privatum, & unum dumtaxat de numero; per *Pontem Scaldu*, *Eſcaupont*, ad eundem Scaldim, prope Condatum; denique *Bavacum Nerviorum*. Cur Tornacum in eadem linea ſeu via, nudè nominat, nec addit *Nerviorum*, ut Bavaco? Si ne Nerviorum quidem, id eſt in Nerviis eſſe dicit; quomodo eſt eorum caput? aut ſi fuit, cur urbis primariæ figurâ non pingit, ſicut Bavacum?

A Notitia Imperii.

Quinto, Notitia Imperii Romani ſcripta editáve anno Chriſti 457. (ut alibi probo) ruente jam Imperio, *ſub Præpoſituris Magiſtri militum*, recenſet *Præfectum Nerviorum Fanomartis Belgica ſecunda*. Is locus nomen etiamnum retinet, *Famars* prope Valencenas, Bavacum verſus. Caſtrum operis antiquiſſimi, planeque Romani: quo ſe Bavaco deſtructo receperant Romani ipſi; ſicut & *Logium* ibidem nominatum Tungris everſis. Hoc ergo caſtrum adhuc exſtans *Nerviorum* dicitur; & ſemper, ut hodie, ad Epiſcopatum Cameracenſem ſeu Bavacenſem attinuit, nunquam ad Tornacenſem. Cur Cameracenſis igitur *Nerviorum* Epiſcopus à Lectore non crederetur, Superioris noſtri ſucceſſor?

Argumentum ad hominem.

Sextò, Imò ex iſtis ipſorum dictis, validius adhuc contra eos, & prorſus *ad hominem*, oritur argumentum. Tornacum, una licèt urbs, unis iiſdemque mœnibus incluſa, partem tamen ſui pluſquam tertiam, Tranſſcaldanam & S. Briccii, non ſuæ ſed Cameracenſi Diœceſi, ab omni ævo reliquit. Si Tornacenſes, Caput Nerviorum ſunt, ut ipſi toto pectore contendunt; ergo & pars illa Tranſſcaldana, etiam in ipſorum Civitate, etiam ipſorum Confeſſione, in Nerviis, & Nerviorum eſt. Inferat inde Lector uter duorum iſtorum Epiſcoporum, Nerviorum dici debeat; Cameracenſiſne qui & Tornaci, & tot aliorum in ſua diœceſi Eccleſiaſtica Nerviorum locorum Paſtor eſt; an Tornacenſis, qui ne in ſuo quidem toto Epiſcopatu antiquo, quando latiſſimè patuit, vel unum Nerviorum locum ea Romani ævi Scrip. oſtendere poteſt? qui ne ſuam quidem, ſedem, Tornacum, totum poſſidet; ſed tertiam minimùm ejus partem, Cameracenſis eſſe ſemperque fuiſſe, & nihil tamen intra Cameracum Bavacumque ſimile ſibi relictum, fateri debet? Certè ſi tot loca, à Romanis ipſis adhuc ſtantibus, Nerviorum appellata, & adhuc hodie in ipſo Diœceſeos Cameracenæ fundo reperta, pro Cameracenſi nihil concludunt, ut Tornacenſes contendunt; nulla omnino in Tornacenſi reperta, pro eâ concludent? Vides Lector hominum iſtorum Paralogiſmos. Quid inde ſequatur, ipſe judica.

Tornacenſium contra Cameracenſes objecta.

10. Obiicit eorum unus, Primò, Si Bavacum Nerviorum Caput fuit; Cur ne unus quidem Hiſtoricus, ne Ammianus quidem Marcellinus, ita vocat? Reſpondebunt Cameracenſes, primò, hac in quæſtione, non curare ſe, quæ fuerit Sedes Epiſcopi Capitalis, Bavacum, Cameracum, Fanummartis, an Malbodium. Sit quodcumque libuerit: unum certè caput id ipſomet tanto Epiſcopatu eſſe debuit; non in Tornacenſi, qui extra Cameracenſem eſt, & ſuum proprium nactus eſt. Reſpondent ſecundò, vel Bavacum, vel Cameracum certò fuiſſe Sedem Epiſcopalem; iſtud, quia jam olim fuit, & adhuc eſt Caput: vel Bavacum tantis adhuc ruderibus illuſtre, tot Scriptorum Romanorum teſtimoniis approbatum. Cur enim tot ad illud viæ militares Herculeo labore deductæ? cur talis Aquæductus, ruinis adhuc ſuis adeo mirabilis? Cur inde tot Cæſarum Nummi, ærei, argentei, aurei? Sed de Bavaci dignitate, alibi fuſiùs. Hic tantùm iſtam Tornacenſium objectionem, interrogationémve, in ipſos, bonâ eorum gratiâ; retorquere libet: Cur Tornacum, ſi Nerviorum Caput eſt; ut Antagoniſtæ volunt; à nullo Romani ævi auctore Nerviorum, multo minus Caput Nerviorum appellatur? Nerviorum ſimpliciter dici, nihil ſaltem minùs, quàm in Nerviis eſſe dicit. Caput quidem eſſe Nerviorum non evincit: ſed ut ut ſit, certum tamen eſt, in Nerviis eſſe oportere. Id jam de Cameraco Bavacóve

abundè probavimus. Pro Tornaco ne unus quidem Romanus author affertur. Nunquid hoc miro mirius? Neque quippiam ponderis addit; quod nullus id aſſerat hiſtoricus. Nam præter quàm, quod illud incertum ſit; Geographus non æquivalet Hiſtorico? Ptolemæus Ammiano? Tot Itineraria vetuſtiſſima, Spartiano, Trebellio, Vopiſco, Hiſtoricorũ, ut Lipſius appellat, quiſquiliis?

Lipſ. in Tac. hiſt. 5.

Auctores allatos ſæpè errare.

11. Dicunt alii; iſtos ævi Romani Scriptores à nobis pro Cameraco Bavacóque productos, parum certæ plerumque Fidei; ſæpiùs etiam errare. Reponunt Cameracenſes non inſulsè, petuntque primùm, Errátne etiam in iis Cæſar? Ita vellent adverſarii, ſi auderent. Secundò pro aliis, addunt idem Cameracenſes: Proferant pro ſe Tornaceni ſimiles; non rejiciemus; imò pares jam nobis illos agnoſcemus. Non habent: & tamen ſuperiores eſſe volunt. Quid iſtis hominibus agas, niſi ut eos æquè rejicias, etſi civiliùs agere deſideres? Reponunt tertiò, Vix ullum unquam ſine errore ſcripſiſſe ſcriptorúmve. Rectè Tacitus hiſtor. 4. *Vitia erunt donec homines: ſed neque hæc continua: meliorum interventu penſantur.* Rectè item Horatius Serm. l. 1. Sat. 3. *Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt qui minimis urgetur.* Et heus tu, qui ita ſcribis, credis te, aut quos citas, errorum immunes? Eccleſia ipſa *ſagena eſt in mare miſſa, ex omni genere piſcium congregans: bonos in vaſa, malos foras mittit.* Ptolemæum Cluverius ipſe, qui accuſat, in pleriſque ſequi non deſinit, ſuáque ea ipſo firmare. Sed neque ipſe, neque nos errare deſinimus. Feramus ut ferri volumus: omnia probemus, quod bonum eſt teneamus.

Vix ullus ſine errore ſcribit.

Auctores iſti magnificè recuſi.

12. Auctores iſtos Romanos, anno Chriſti 1619. ſeriò ſimulque recuderunt Amſterodamenſes, regiâ planè majeſtate, in ſolio Lombardico, cum Tabulis. Et quidem apologiis ſtrenuè ſolidéque defenſos, cum Manuſcriptis accuratè collatos, emaculatos, Notis & Commentariis illuſtratos. Illos paſſim uſurpant ac laudant Bertius ipſe editor, Regis Galliæ Coſmographus; Marcus Velſerus longè doctiſſimus, Gerardus Mercator, Ortelius, Cluverius, Hieronymus Surita, Simlerus, Sirmundus noſter, Vendelinus, Nicolaus Samſon in ſuâ Galliæ veteris ſeu Romanæ Tabulâ, tot alii. Deus bone, qui viri? adverſariis certè noſtris non inferiores. Aut illos admittant, aut omnes omnino Scriptores, ſéque ipſos æquè errantes rejiciant. Quos certiores & *rugoſiores*, profert adverſarius ipſe? ut verbis ejus utar.

Belgicorum Epiſcopatuum antiquiorum TABULA.

13. Denique Mappam hic Belgicam exhibeo, priſcis Epiſcopatibus accuratè diſtinctam; quæ ad oculum omnia hic à nobis aſſerta demonſtret. Illam in æra incidi curavit nobis amiciſſimus, ſtudiorum conſortio cum Vendelino junctiſſimus, moribus planè humaniſſimis; Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Tornacenſis Canonicus digniſſimus, & qui me denique in hujus opuſculi editione non parum juvit, Nicolaus Fabius antiquitati deditiſſimus. Quod Opuſculum ſi tibi, Lector, non ingratum eſt; fave auxiliariis & collatoribus; iis ſaltem bene adprecare. Ea Tabula Diœceſes antiquas atque Romanas, non Eccleſiaſticas dumtaxat, ſed & civiles Populorum Belgicorum magna ex parte exhibet, quando, ut alibi monui, Diœceſes Romanorum Epiſcopales, multis certiſque indiciis Romanam & Civilem antiquitatem in eorum Provinciis fere omnibus, ſed præſertim in Galliis noſtris repræſentant: teſte Beato Rhenano in Imperii notitiâ, anno Chriſti 1552. Baſileæ primùm cuſa. Teſte item Joſepho Scaligero in Galliæ Notitiâ. Teſte ratione, dum Juriſdictionum iſtarum altera alterius, auxilio innititur. Teſte demùm experientiâ, quæ me, dum hæc compono, alioſque plurimos in eam cognitionem induxit. Experire tu quoque Lector benevole, & ita videbis. Simul parce, ſi quædam hic adverſariis proponunt Cameracenſes.

Quibus populis NERVII fuerint finitimi?

14. Auctorum ſummus (ut Tacitus appellat) Julius Cæſar, Commentario quarto, Treviros, Trevirorúmve clientes, Eburones atque Condruſios, Rhemos item, *Nerviis finitimos* facit. Oſtendant antagoniſtæ, quâ ſui parte Tornacenſis antiqua hodiernáve Diœceſis eos attingere potuerit, ab Oriente Sole Scaldi tota concluſa; trans Scaldim verò, ſtatim in ipſam Epiſcopatûs Cameracenſis latitudinem, mox etiam in Tungrenſem incurrens; quarum utrâque, ſanè latè porrectâ; procul à Trevirorum viciniâ ſecluditur. An fortè ſupra utramque ſaltu pluſquam Britonico, eam transferent, ut Treviris vicinam efficiant? Cameracena quidem, quanta quanta eſt, ab ipſo Scaldis fonte, per ripam ejus dexteram, ad ipſa uſque Zelandiæ confinia; ſimiliter & Tungrenſis à Belgii hodierni Franciæque confiniis, ad eamdem Zelandiam porrigitur. & utraque ſibi contigua Tornacenum Epiſcopatum longè à Treviris divellit. Veromanduos idem Cæſar lib. 2. *Nerviis* quoque *finitimos* dicit: Atrebates Tornacẽſem diœceſin quo minùs Veromanduis contigua ſit, impediunt, non item Cameracenſem. Videat Lector an non ergo hæc Nerviorum ſit?

Nerviorum latiores ſub Cæſare fines.

15. Nerviorum ſub Cæſare latiùs quàm modò videntur patuiſſe limites, & ferè ad Moſam, ſi non ſubinde & ultra, procurriſſe. Eos Auguſtus ſuccideritt; credo; aut Tungri poſt Cæſarem à quo non nominantur, invaleſcentes; partem illam quæ Bellomontem Chimacumque inter ac Moſam intercurſat, ſibi ſeu vi, ſeu Principum favore adjunxerint. ſicque potuerint Treviris tunc quàm modò fuiſſe viciniores: Sed Tornacenus Epiſcopatus, Scaldi compreſſus, quam intercurrente ſemper Cameracenſi, Trevirorum viciniam naneiſci potuerit? Atque hæc præcipua ſunt argumenta, quæ Nervios Cameracenſibus adſcribunt. Attendat jam Lector Tornacenſium.

CAPUT XII.

Tornacenſium, quod Nervii ſint, argumenta.

Se in poſſeſſione eſſe. Quam Cameracenſes negant.

1. VNicum eorum videtur conſiderandum. quod Nervii hactenus habiti ſint; eoque in poſſeſſione perſiſtant. Contrà: Cameracenſes eam negant; niſi fortè ex vulgi opinione. apud doctiores, nullam unquam fuiſſe contendunt, ſaltem pacificam. Non antiquam, nec Romanam; de quâ hic præcipua quæſtio eſt. Teſtes enim omnes hac in re, ævi Romani, ſuperiùs à me prolati, contrarium diſertè convincunt. Convincunt certè magis; quàm nulli omnino pro Tornacenſibus prodeuntes. quos tamen hic produci neceſſum eſt, & quidem nihilo Cameracenſiũ teſtibus deteriores. præſertim

Primò, quia non Romana, ſeu antiquiſſima.

poſt

poſt tot Barbarorum eluviones, tot Rerumpublicarum, adeóque Romanæ ipſius eserſiones, mutationéſve. An pauci aliquot; etiam quatuor aut quinque ſæculorum teſtes, de nongentis aut mille prioribus ſæculis teſtimonium ferre poſſunt? Non Mediam; à fine Imperii Romani, ſeu ab anno Chriſti quingenteſimo, ad milleſimum centeſimum quadrageſimum. circa quem ortam primò reor iſtam pro Tornacenſibus, opinionem. ut capite proximè ſequente fuſiùs, & otio majore probabo. Interim medio illo tépore toto, non videri meliorem hac in re Tornacenſium cauſam, multa probant.

Secundò, Non Media poſt Romanos.

2. Primùm non plures iſtius quoque temporis habent Tornaceni teſtes, quàm antiquioris & Romani. Et ſi habent, eorũ eſt proferre, non Cameracẽſium. Ut videant tamen, quod illis deeſt, Cameracenſibus non deeſſe, producunt aliquot Cameraco faventes, in prævíis & proluſoriis meis ante triennium editis ſolus allatos. In vitâ Caroli Martyris Flandriæ Comitis, qui Brugis cæſus eſt, anno Chriſti 1127. *ſexto Nonas Martii, feria quarta;* Walterus Taruanenſis Eccleſiæ Archidiaconus tunc vivens, ita ſcribit: *Ipſe verò,* Guilielmus Virovicenſis, *unus* è Comitis parricidis, *cùm juxta Tornacum ad villam quamdam deveniſſet, Tornacenſibus eum inſectantibus, & comprehendere ac punire tentantibus; uxore, & majore ſuorum parte, rebuſq́; ferè omnibus amiſſis; vix equum nactus, & in partes Nerviorum, duobus tantùm ſociis contentus, evaſit. Ubi Monaſterium quoddam adiit,* &c. quæ tu ibi, capite 52. pagina 118. legere potes. Si Guilielmus iſte ex agro Tornacenſi in partes Nerviorum ſeceſſit; ergo ne eo quidem tempore Nerviis Tornacenſes accenſebantur. Quomodo enim ab uno Nerviorum loco, in alium itidem Nerviorum, ſeu Tornaco Tornacum fugiſſet? Mirum quantopere ſe torqueat, qui huic argumento ſcriptis reſpondere voluit. Nec tandem aliter concludit, quàm vel Aldenardam, vel Sant-Amandum Mortaniamque fugiſſe. non ſatis advertens, Aldenardam tunc, uti modò, Flandriæ; ſicut & Sant-Amandum Mortaniamque Juriſdictionis ipſius Tornacenſis extitiſſe; quam utramque tunc ille fugiebat: quamque etiam ipſe Antogoniſta, Tornacenæ ditionis agnoſcit.

Quæ Cameracenſium, non Tornacenſium eſſe videtur.

Ex vita S. Caroli Flandriæ Comitis, anno 1127.

3. Rurſum Fulco Poëta, de recuperatione Terræ Sanctæ antè quingentos, & quod excurrit, annos ſcribens, à Francisco Ducheſne Andreæ filio nuper editus; cùm póſt expeditionis illius Principes, Godefridum Bullonienſem, Robertum Flandrenſem, Robertum Normannum, & Hugonem Magnum, libro primo enumeratos, Hannoniæ quoque Comitem adjungit, ita canens:

Ex tempore recuperatæ à Chriſtianis Hieroſolymæ. *Fulco Poëta.*

> *Rector* (ſeu Comes) *Montenſis, populus quem nomine priſco,* ſeu Romano,
> *NERVIUS aſſequitur, Hennegariumq́; moderno.*
> *Cui patruus tulerat Morinos damnabile crimen,*
> *Arnulfum perimens Dominum, pariterq́; nepotem.*

Rector ſeu Comes iſte Montenſis aut Hannoniæ, Balduinus erat, filius Richildis, Arnulphi Comitis Flandriæ frater & hæres. Patruus utriuſque Robertus Friſo; qui Arnulſum Nepotem cruento ad Caſſetum prælio, Februarii 22. Dominicâ Septuageſimæ, anno Chriſti 1071. peremerat, & Flandriam quam hic Poëta Morinos appellat, iniquè abſtulerat. Quam cùm frater iſte Balduinus, à Roberto patruo nec vi nec precibus recipere potuiſſet, ad Maternum Hannoniæ Montenſémve Comitatum ſe retulerat; dictus inde Montenſis. Hujus ergo Montenſis populum, *priſco* quidem ſeu Romano nomine NERVIUM, moderno autem ſive ſui ævi, *Heinegavium* (ſic enim non Heidenarium legendum eſt) id eſt, Hannonium rectè ac doctè appellat; ſive id ex ipſius Cæſaris Commentariis, cùm Sabim Hannoniæ (non Tornacẽſi) fluvium clarè Nerviis adſcribit; ſive potiùs ex antiquâ traditione; nondum tunc abolitâ, didicerit. Si tam rude ſæculum id non ignoravit, quid nos in tantâ literarum luce ſentire par eſt, ſi cavillari nolumus? Gordatus certè cavillari ſe credet, qui per *populum nomine priſco Nervium*, non Heinegavium, ut hîc diſertè Fulco, ſed Tornacenſem etiam invito Fulcone, etiam invito ſenſu explicabit.

Nervii hodie Hannegarii ſeu Hannonii.

4. Ad hæc argumenta, & illud forſan addi poſſet, quod in Sigeberti Chronico Lipſiano, à Miræo edito, legimus: *Balduinus junior Marchiſus* Flandriæ, *Nerviorum Comitatum imperiali munificentiâ, & auctoritate Apoſtolicâ ſuſcepit.* Nerviorum iſte Comitatus, potéſtne Tornaceſium eſſe, quod ad Franciæ Regem tunc alto ſupremóque jure, non ad Imperatorem pertinebat? & quam Balduino Flandriæ Marchiſo, Tornaci quoque (ut Antagoniſta etiam agnoſcit) Domino, munificentiam dediſſet?

Nerviorum Comitatus Hannonia.

5. His denique & aliud forte afferre poterit auxilium Jacobus Guiſius, Hannoniæ à trecentis fere annis Hiſtoricus; non ex ſe ille quidem, ſed ex *rugoſis* aliis, quales mecum vult Scriptor adverſarius, & quibus ille inniti ſe ſcribit: Tomo 1. l. 8. c. 3. *Legitur quod civitas Cameracenſis, à temporibus Hunnorum atque Vandalorum (qui omnes Galliæ civitates quaſi proſtraverunt) uſque ad tempora Walteri Comitis, ipſa extitit Metropolis, non ſolùm in ſpiritualibus, verùm etiam in temporibus, Sylva Carbonaria.* & capite 28. *Proſtratis cunctis Civitatibus Galliæ Superioris & Inferioris,* credo Belgii noſtri; *Romani devictis primitùs civitatem Cameracenſem reſarcierunt. & ab illis temporibus deinceps, ipſa incepit ſuper omnes Sylvæ Carbonariæ Civitates, dominium obtinere.* Ex veterũ ecce Romanorumque ſcriptis, haurire ſe iſta ſubindicat. Poterátne igitur Diœceſeos iſtius, quæ ad dexteram Scaldis ripam latè porrigebatur, Tornacenſi oppoſita, & Cameracena modo dicta; Cameraci ante cladẽ illam Vandalicam reſidere; ſi poſt illam primùm in ſpiritualibus ac temporalibus Cameracum in caput illius evectum eſt? & ubi antè potiùs aut ornatiùs. quàm *Bavaci Nerviorum* reſidere potuit? Sed ſive ibi, ſive Malbodii, Fanomartis Nerviorum, alibíve reſederit, nihil moror, ut dixi; Cameracenſem & Bavacenſem Epiſcopum unius ejuſdéque Sedis, non diverſarum, facio; nec alterum alteri, quod adverſarii faciunt, oppono. Nec opus eſt Antagoniſtas tanto clamore nodum in ſcirpo quærere. Saltẽ Cameraco nondum ad eam dignitatem elato, aliqua alia Diœceſeos iſtius ſedes ei obtingere debuit. Nec Tornacenſis Epiſcopus quippiam inde majoris honoris commodíve, quod ad Nerviorum quidem titulum attinet, haurire potuit. Quid adeò divagari juvat? Hoc Interim habemus, veteres omnes auctores, ævi ſeu Romani pro ſupremâ antiquitate, ſeu Medii pro mediâ: *Cameraci Bavacíve*, nominis Nerviorum poſſeſſionem adjudicare; nullos Tornaco. & audebunt ipſi adjudicare? audebunt *omnium ſæculorum* appellare, qui in annorum pluſquam 1300. controverſia, vix unum alterúmve teſtem parum certum, ante quingentos annos advocant? De quo jam dicendum.

Cameracẽſis urbs Bavaco in ſpiritualibus ſucceſſit. *Iacobus Guiſius l. 8. c. 3.*

CAPUT XIII.

Vnde & quando Recentiorem Nervici nominis poſſeſsionem Tornacenſes hauſerint.

Recentioris Poſſeſſionis Tornacenſis origo.

1. POſſeſſione igitur ætatis tam Romanæ quàm Mediæ uni parti ademptâ, reliqua de Recentiore quæſtio eſt: quæ æquè nulla reperitur, aut nunquam pacifica. Quovis enim quingentorum illorum anno, ſemper aliquis contradixit. Imò primus ejus opinionis aſſertor, fidei ferè nullius eſt. Anno Chriſti 1094. Atrebatenſis Eccleſia totos jam annos 534. Cameracenſi Epiſcopo adjuncta, ſub Urbano Papa, proprium tandem Epiſcopum Lambertum ingenti gaudio honoréque recuperavit. ut alibi oſtendo. Tornacenſes, qui pluribus etiam annis Noviomenſi Epiſcopo æquè adjuncti fuerant, ſanctâ quâdam æmulatione, ſpem eamdem conceperunt: multa ideo moliti ſunt; nec tamen ante annos exinde 52. quippiam impetrare potuerunt. Rem omnem ex Herimanno S. Martini Tornacenſis Abbate tunc ſcribente compendiosè narrabo. Erat quidam Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus *Henricus* nominè, *adoleſcens*, imò & *adoleſcentulus* ab eodem Herimanno dictus, *dictandi peritus*. Hic ardore Epiſcopi ſui reſtituendi non malo, ceteris ardentior; ut reſtitutionem tanto citiùs cautiúsque acceleraret; ad extaſes & revelationes neſcio quas anno Chriſti 1141. recurrit: quas fusè retexit Herimannus; ego hic ceu parum fidas omitto; & ſi vita ſuppetat, ſeparatas in lucem dabo. Sufficiat modò Anſelmi Gemblarenſis Chronicon, Sigebertino à Miræo ſubjunctum. In quo ad annum Chriſti 1141. ita legitur: *Apud Tornacum adoleſcens Clericus, Henricus nomine, multa in ſpiritu vidit. Vitam quoque S. Eleutherii Tornacenſis Epiſcopi*, ſanè obſcuram & intricatam, *notitiæ hominum* (nota) *tradidit. & alia multa, tam de ipſius urbis Epiſcopatu, quam de ceteris rebus prophetavit*. & paulò infrà, ad annum 1146. *Tornacenſis Eccleſia, quæ per quingentos & amplius annos*, imò ſexcentos integros, *Epiſcopis Noviomenſis Eccleſiæ commendata fuerat, proprium Epiſcopum, Anſelmum nomine, ab Eugenio III. Papâ recepit: Bernardo Abbate Clarevallenſi, inter alios procurante*. qui ſcilicet Eugenii III. ante Pontificatum Abbas fuerat.

Extaſes & Revelationes Henrici Canonici adoleſcentuli.

De reſtitutione Tornacenſis Epiſcopi.

De vita S. Eleutherii.

2. Henricus ecce iſte adoleſcentulus, ex iſtis extaſibus atque revelationibus, *Vitam quoque S. Eleutherii notitiæ hominum tradidit*, ignotam igitur antea, ſive ex integro, ſive ex parte. Eam Herimannus Henrico manu S. Eleutherii porrectam ex ejus revelatione ſcribit. quam deinceps aliis ipſe, *extra ſe raptus cordetenus etiam dictaverit*; priùs credo memoriæ commendatam. quomodo enim aliter, ſi *cordetenus*? Gallicè *par cœur*. Sed de eâ nos ſuo tempore locóque fuſiùs agemus. Nunc de Tornaco, & nomine *Nervia*, ex iiſdem extaſibus agendum eſt. Ipſius Herimanni verba, ne quid fingere videar, paulùm breviata appono:

Item de origine & nomine urbis Tornacenſis.

3. *TORNACUM*, inquit, *Civitas regia, à Romanis anno decimo Tarquinii Priſci ædificata eſt, alteráque vel minor Roma vocata; quo tempore Nabuchodonoſor Jeruſalem deſtruxit. Poſt Tarquinium Servius Tullius regnavit: Tornacum ſuper 125. Civitates ſublimavit: ex quibus tributa Romæ ſolvebantur. Quod diu factum. Donec Senatores Tornacenſes invaleſcentes, tributa negarunt. Unde Romani commoti urbem deſtruunt. Mox reſtaurant; & Hoſtiliam vocant, ob hoſtilem præſumptionem. Anno V. C. 364. Servius alteri Tarquinio deceſſit. Quo expulſo, Conſules ac Tribuni per 364. annos regnant. Quorum temporibus Hoſtilia deſtructa: regnante Perſa Artaxerxe. Inde anno Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti ſecundo vicéſimo ſexto, ſub Eleazaro Judæorum Pontifice reſtauratur, & NERVIA vocatur.* quaſi Servia ſcilicet, ut habet marginalis nota, etiam vetuſta. *Stetitq́; ad Julium Cæſarem · qui urbem obſedit, ac magnâ utrimque clade pugnavit. Nervii ideo Regem ſibi Turnum dicunt; & Cæſarem Æneam vocant. Turnus filium ſuum Manlium, Deus ex eorum reſponſo, immolat, & in ardentem fornacem dejicit exuritq́;. Ob hoc ſcelus Cæſar urbem capit & evertit. Tandem anno Neronis ſecundo, Chriſti 59. reædificatur. Tornacumq́; vocatur. de nomine Turni Regis olim ſui.* Huculque ex Henrici dictantis ore Herimannus. qui ſomnia iſta tandem ita concludit & approbat: *expletâ relatione conſtructionis, quam omittere non oportebat*, &c.

Quæ & Nervia dicta, quaſi Servia.

4. Pudet me talium narrationum; credo & Tornacenſes ſapientiores; quas etiam plerique eorum Scriptores, tanquam ſomnia rejiciunt. Narrare tamen coactus ſum; ut fontem Nervici nominis Tornacenſibus ab Henrico iſto extatico attributi detegerem. quando nullum antiquiorem fontem legi. Si quis legerit, gratum erit doceri. Abs iſto igitur Chriſti anno 1141. cœpit Nerviorum nomen Tornacenſibus affingi; cùm illi recipiendi Epiſcopi ſui cupidine, & ſanctâ Atrebatenſium æmulatione flagrarent: Henricus etiam iſte adoleſcentulus ceteris ardentior ad extaſes revelationéſque recurreret. In quibus majorémne fidem, quàm in iſta de Tornaci conditu nominéque narratione mereatur, Lectoris arbitrio relinquò. ego nemini inſultare volo. Similiter S. Eleutherii vitam, ex pari revelatione notitiæ hominum traditam, non urgeo. Sat ſciunt quicumque eam ad exactam Chronologiæ rationem, ad narrationis item ſeriem deductionemque revocare conati ſunt. teſtari etiam poſſunt Canonici ipſi Tornacenſes, illam etiam hodiè, ut olim corrigentes. Ego quidem in illâ jampridem multa ἀσύστατα comperi; digna *adoleſcentulo*, etſi *dictandi perito*; eaque *cordetenus* (ut ait Herimannus) & in ipſis raptibus ſuis *dictanti*.

Quod rident & rejiciunt etiam Tornacenſes.

Meritò.

Narravit tamen ut prima origo nominis *Nerviæ* appareat.

5. De quo ne plura dicam: credo neminem ei, Philippum ab Eleëmoſynâ, Bonæ Spei in Hannoniâ Abbatem, Sancto Bernardo iſtique Henrico coævum, poſthabiturum; qui vitam S. Amandi tunc componens, revelationum ſimilium non ignarus, Tornacum tamen ipſum capite iſtius Vitæ 20. non Nerviorum (quaſi Serviorum, ut Henricus) ſed prudentius veriúſque *Menapiorum urbem*, diſertè vocat. Imò Elnonenſe quoque Monaſterium Tornaco tanto Auſtralius, *intra Menapiorum fines* concludit, *Propontiis Nerviiſq́; conterminum*. Quin & Henſchenius noſter, in ſua de Trajectenſibus Epiſcopis diatriba, hiſce diebus humaniter ad me miſſâ, teſtatur paginâ 17. in Manuſcripti ſui perantiqui margine, antiquo quoque charactere additum, *Menapios eſſe Tornacenſes, Propontios Brachbantenſes, Nervios Hamonenſes*: Ludovicum Pium Imp. in Diviſione Imperii filiis factâ, *Menapiorum ditionem dividere*

Sed præferendus Abbas Philippus ejuſdem ævi.

Qui Tornacum rectè Menapiis adſcribit.

Ut & Henſchenius noſter ex antiquis Manuſcriptis.

in

ia Menapiſcon, Medenentam (hodiè credo Melanthois Lillenſis agri partem)*& fortè Franderes. quibus contiguas addat regiones, Braghentam, Ainau, Auſtrebam, Adertenſem, & Teraanenſem: Oſtendiſſe demùm ſit undecimo Februarii, ad vitam S. Adalaldi, Medenatenſes partem agri Inſulenſis incoluiſſe.* Quæ omnia tot veteribus Manuſcriptis aſſerta, quis Henrici ſimiliumque revelationibus non prætulerit? Nerviorum nomen Hannoniis potiùs, quàm Tornacenſibus Menapiis, non indulſerit? Sed de Menapiis infra, plura quoque addam, ut Nerviis eos in nihilo eeſſiſſe demonſtrem. Atque hæc de recentiſſimæ Poſſeſſionis exordio. quo Nerviorum appellatione, non minùs quàm in Supremâ Mediâque, Tornacenſes arcentur. Progreſſum videamus.

Vix extra Tornacum notus iſte Henricus. Neque fidem fecit externis.

6. Neque enim Canonicus iſte Tornacenſis Henricus; Neque Herimannus Revelationum ejus ſcriptor, opinionem ſuam, quantumvis primi ejus aſſertores, poſteris, doctioribus maximè, perſuaſerunt: ut qui in privatâ S. Martini Bibliothecâ, ad Patrum uſque noſtrorum ætatem, manuſcripti latuerint, arte Typographicâ nondum inventâ. Poſt hujus demum inventionem, uſumque promiſcuum, annis facilè ſexaginta; Typis illam edere cœperunt, primò Sabellicus, anno Chriſti 1504. & Volaterranus anno proximo 1505. tùm Raymundus Marlianus, anno 1513. nudâ tantùm aſſertione & conjecturâ. Erant omnes peregrini, Belgii noſtri parum gnari, & quantus Diœceſeon noſtratium, ſeu Civilium ſeu Eccleſiaſticarum limes ac diviſor Scaldis eſſet, prorſus inſcii. Videbant ex Sabi amne, Nerviorum ab ipſo Julio Cæſare finibus adſcripto, ex Bavaco item, Fanomartis, & ſimilibus certò Nervios, iſtum terræ tractum occupaſſe; nec iis tamen locis urbem Tornaco illuſtriorem & antiquiorem reperiebant; Bavaco pridem deſtructo jacenteque; Valencenis etſi ætatis non parvæ, vix tamen Romanæ, niſi fortè ruente Imperio, neque ullâ Epiſcopali dignitate, aut tantâ Juriſdictionis amplitudine fulgentibus; Montenſi urbe planè recente: Tornacum ergo vicinum, Nerviorum caput exiſtimarunt; in uno quidem veri, in altero falſi. Falſi, quod ab iſtis Nerviorum locis, Bavaco, Fanomartis, Sabi amne &c. Scaldis interfluxu planè removerentur, etſi viciniâ invitarentur. Veri, quia Tornaci pars Tranſcaldana Nerviorum verè oppidum erat, tametſi non Caput. nimirum Civitas à ſeipſa diviſa, duobus obſequens Epiſcopis, duobus item Imperans territoriis, ſi non totâ provinciâ, ſaltem Magiſtratu, diſtinctis. Quod ſi, ſicuti nos oculati teſtes, agnoviſſent; ad Bavacum utique Cameracúmve ſe vertiſſent, & veritatem acu tetigiſſent.

Sabellicus, Volaterran⁹ & Marlian⁹ primi Nervios Tornaco certò adſcribunt. ante annos 140.

Quo fundamento?

Expendat nobiſcum Lector.

7. Illi ergo primi tres maximè; Sabellicus, Volaterranus, atque Marlianus, typis editi, Henrici Canonici, Herimannique ſententiam notiorem reddiderunt. Marlianus etiam perſuaſit. Nempe ſolus ipſe, cum Cæſaris textu ceu Commentator, ſemper excuſus; ſolus à pueris primùm, mox etiam adultioribus, Cæſarianæ puriſſimæ phraſis amantioribus, lectus, ceu primò obvius; & ſine ulteriore examine, quando melior non occurrebat fidem meritus. Ea ecce prima aut præcipua recentiſſimæ de Tornaco Nerviorum Poſſeſſionis origo; ex Scholaſticorum aut incuriorum credulitate nata. Tantum abeſt ut ab oculatioribus ſolertioribuſque agnita & pacifica; ut potiùs ſemper inde controverſa ſimul & diſputationibus agitata, uti mox videbo; à veteribus autem ævi Romani Mediique Scriptoribus ne agnita quidem: quando qui de ea tunc loquatur, neminem ſcimus.

Henrici tamen opinionem, quam neſciebant, notiorem reddiderunt.

Marlianus maximè

Poſſeſſio iſta eſt recentiſſima, & quidem ſemper impugnata.

8. Ut autem recentiſſimam poſſeſſionem iſtam nunquam pacificam fuiſſe probemus, auctores qui improbarunt, & quotidie improbare pergunt, afferendi. Primus Jacobus Meierus ab annis centum ſcribens, in Flandriâ ſua, Bavacum Nerviorum ponit *Bavay*. Gerardus Mercator, natus anno Chriſti 1511. mortuus 1594. annorum ferè 83. in tertiam Ptolemæi Tabulam Belgicam, Bagacum Ptolemæi, ut & Baiacum Antonini interpretatur *Bavay*. Joſephus Scaliger in ſua Galliæ Notitiâ, *Quemadmodum*, ait, *certò nobis conſtat, Nervios non eſſe Tornacum quod vulgo perſuaſum eſt; ita quinam ſint, non temerè affirmarim.* Ortelius licèt in Theſauro ſuo Nervios Tornaco adſcribat, in ſuâ tamen Belgii veteris Tabulâ Nervios in mediâ Hannoniâ prope montes ponit; fluctuans, nec advertens, aut neſcius Tornacum ipſum medio Scalde dividi, eodemque Nervios à Menapiis ſejungi. Henricus Nuenarius, ſuo de Belgicâ commentariolo, Nervios ad *Hanagoios* pertinere valde ſuſpicatur. Marcus Velſerus in priorem Schedam Peutingerianam, *Baracum*, ait, *quibodie Tornacum opinantur*, Schedâ & Itinerario Antonini apertè refelluntur. Aubertus Miræus in Chronico ſuo Faſtiſque Belgicis Bavacum probat eſſe Nerviorum Caput. Philippus Cluverius libro 2. Germaniæ antiquæ, cap. 22. *Caput gentis Nerviorum*, ait, *apud Ptolemæum eſt Baganum, quod Antonino eſt Bagacum, Tabula Itineraria Peutingeri Bacacum Nerviorum, ubi primaria urbis figura, pictum viſitur. Id nunc eſſe Hannoniæ Bavay, cum nominis ſimilitudo, tum itinera comprobant, in diverſas hinc partes ducentia. Nam ut à Cameraco Cambray, à Tornaco Tournay, ſic à Bagaco factum Bavay, mutato G. in V. quaſi Bageat.* Ita ille. ego verò *Baracum* legendum puto, & g. illud ab q caudato provenisse puto; pluſque deferendum conſtantiſſimæ Indigenarum pronuntiationi, quàm Auctori cuivis externo. Plurimos alios omitto, quos ex Patre noſtro Malapertio citat P. Rutheau Minimus, in Hannoniæ Annalibus.

A multis coævis hucuſque Scriptoribus.

Qui pro Bavaco certant.

9. Atque hos ego omnes non eò profero, ut Bavaco Cameracóve, aut Hannoniæ Nervios affigam (quid enim probationis recentiores iſti ad annos pluſquam 1300. afferre valent?) ſed ut continuam atque conſtantem opinionis iſtius per tot ſæcula traditionem oſtendam; quam Tornacenſes antiquam, aut pacificâ probare non videntur. Rem omnem, tamen Lectoris arbitrio relinquo, ut dixi. Ex inſtituto tantùm hic eam tracto; nec plura prætendo, quam S. Thomas & Scotus excuſi, quorum ſententiæ tam Theologicæ quàm Philoſophicæ in lucem licèt emiſſæ, cuivis tamen Lectori liberæ ſunt. Rectè Poëta:

Non eadem ſentire bonos de rebus iiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.

Precari tamen humiliter nihil impedit, ut Tornacophilus amore patriæ tantiſper exuere ſe, & expendere dignetur, uter locus potiùs haberi debeat Nerviorum Caput; Qui Nerviorum ſemper, an qui nunquam appellatur? Nam ut Nerviorum, ſeu in Nerviis eſſe, non ideo primatum gentis inferat; multò minùs inferet, qui nunquam ab ullo veterum ita vocari videt. Gentis autem principatus,

cui juſtiùs adſcribetur, quàm Urbi principis loco à Ptolemæo poſitæ: Urbi item tot adhuc ruderibus admirabili; tot viis militaribus ad alias ævi Romani primarias urbes, Herculeo planéque Romano labore deductis, adeò munitæ; tot Thermis, Circis, Palatiis, quantumlibet obrutis, fundamentorum tamen adhuc indicio ſeſe prodentibus, adeò ſtupendæ; quatuor leucarum ſeu 12. millium paſſuum Aquæductu lacero quidem, ſed poſt tot ſæcula tamen ſatis adhuc integro; tot Nummorum Cæſareorum ære, argento, auro percuſſorum, quotidianâ effoſſione admirandæ; Cæſareani adverſus Nervios prælii loco ad Sabim fluvium jam vicinæ; à tot denique Scriptoribus & Romanis & noſtris decantatæ? præſertim cùm Tornacenſibus alia gens æquè nobilis, æquè ampla, certiùs aptiúsque conveniat. De quâ jam dictum eo.

CAPUT XIV.

An Nerviis cedant Menapiorum prærogativa?

1. HAnc quæſtionem deſideriis eorum indulgeo, qui Nervios ſe quàm Menapios haberi malunt. Si enim Nerviis in nullo inferiores ſunt, non eſt quod querantur. Unâ maximè pugnâ illos titillari video, quâ Cæſar à Nerviis ferè in deſperationem conjectus eſt. Verùm ſi verba Cæſaris libro ſecundo expendant, facilè refrigerabuntur: *Hoc prælio facto; & prope ad internecionem gente ac nomine Nerviorum redacto; Majores natu, quos unà cùm pueris mulieribuſque in æſtuaria ac paludes collectos dixeramus; hâc pugnâ nunciatâ, cùm victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur; omnium qui ſupererant conſenſu, Legatos ad Cæſarem miſerunt, ſeque ei dediderunt. Et in commemorandâ civitatis calamitate, ex ſexcentis ad tres Senatores; ex hominum millibus ſexaginta, vix ad quingentos* (trecentos habet epitome Livii 104.) *qui arma ferre poſſent, ſeſe redactos eſſe dixerunt. Quos Cæſar, ut in miſeros ac ſupplices uſus miſericordiâ videretur, diligentiſſimè conſervavit; ſuiſque facultatibus atque oppidis uti juſſit. & finitimis imperavit, ut ab injuriâ & maleficio ſe ſuoſque prohiberent.* Ait ecce *gentem nomenque Nerviorum prope ad internecionem redactum*, iſto uno prælio, licet 60. millibus in Romanos irruiſſent; adjunctis tamen Atrebatibus ac Veromanduis eorum ſociis; quorum illos ejuſdem libri ſecundi exordio cum ceteris Belgis in Cæſarem quindecim, hos decem armatorum millia eduxiſſe ſcribit. ita ut Nerviorum, non plura millibus 35. & quidem totius gentis expeditione factâ prodiiſſent. Quæ tanta laus, ut cum tantis copiis unico prælio, propè ad internecionem redigerentur? Prudentiùs omnino Menapii toties à Cæſare impetiti, denſiſſimis ſylvis & æſtuariis abditi, eum eluſerunt; nec aliter quàm ex pacto integri ſe dediderunt.

Nervii à Cæſare prope ad internecionem deleti.

Non ita Menapii.

2. Menapii non minoribus quàm Nervii agrorum ſpatiis patuiſſe videntur. Imò ſub Julio Cæſare longè majoribus; ab Oceano Oſtendano Brugenſique ad ipſum Rheni divortium & ſuprà, ad Sicambros uſque Tranſrhenanos extenti. Sub Auguſto contractiores quidem, ſed tamen iis ipſis, qui Tornacenſi Epiſcopatui ante novos erectos, conveniebant, ut jam antè deſcripſi: Cameracenſibus ipſis non adeò ſtrictiores: maximè ſi Antuerpienſis Archidiaconatus, everſo jam Romanorum Imperio, & circa S. Eligii ferè tempora, illis adjunctus, ſecludatur, nam ſub Romanis, Taxandrorum pars fuiſſe mihi videtur. Erant Menapii maritimi, rei nauticæ benè periti: ut in eorum cive Carauſio, Diocletiano & Maximiano imperantibus, oſtendi & inferiùs adhuc oſtendam. Nervii toti interiores atque mediterranei. Imperatorem Romanum unum in Britanniâ Carauſium Menapii habuerunt, nullum Nervii.

Menapiorũ olim lati fines.

Archidiaconatus Antuerpienſis olim in Taxandria.

Vide ſuprà Lib. 6. c. 14.

3. Menapiis Auguſtus Suevos toto ante Chriſti Nativitatem triennio conjunxit: ita ut Tornacum duarum jam Gentium illuſtrium à tanto tempore Caput eſſet. quod & poſtea S. Medardo & S. Eligio ejus Epiſcopis contigiſſe dixi libro primò cap. 20. Nervii unicâ ſemper gente conſtiterunt. Nec eorum opida ſub Romanis, Menapiorum fuere potiora. Inerant oppida Menapiis, mediterranea quidem, præter Tornacum ipſum, etiam Corteriacum, Gandavum ad quod ſcilicet viam militarem jam inde ab Romanis Bavaco ductam adhuc videmus: Opida autem & portus ad Oceanum pluſculi, ut Sluſanus, Oſtendanus, & ſimiles, etſi diverſis tunc nominibus. Cameracenſi diœceſi præter Bavacum ipſum, nihil tanti momenti infuiſſe videtur. Nam Cameracum tunc caſtrum erat; fortè & Manſio tantùm ad viam militarem viatoribus erecta; Valencenæ à Valentiniano poſteriorum Imperatorum uno fundatæ dicuntur; & lubens credo; ſed Cameraco adhuc tunc veriſimiliter inferiores, quando in dignitate capitis obtinendâ illi poſthabitæ. Montenſe oppidum tunc adhuc & longè póſt exile; Bruxella via ante Vindicianum Cameracenſem circa annum Chriſti 690. Antiſtitem nominata. Neque vetuſtior Mechlinia: ultra quam, & amnem Demeram non videntur Nervii ſub Romanis in Boream producti: Taxandris inde ad Oceanum extenſis, juxta Plinium, & ea quæ ſuprà libro 5. cap. 14. §. 4. dixi. Quid igitur Nerviis ſupra Menapios ſtante Romanorum Imperio, tantopere glorioſum?

Menapiis adjuncti ab Auguſto Suevi.

Opida Menapiorum plura.

4. Nec eſt quod aliquis exiſtimet, Superiore Nerviorum Epiſcopo vetuſtiſſimo Cameracenſibus adſcripto, ac proinde Tornacenſibus adempto; cæteris fore recentiorem Epiſcopis Tornacenſem. Æquam ego illi ac ceteris omnibus antiquitatem adſero. Quis enim Conſtantinum aut filios ejus, cùm ſingulis Belgarum populis procurarent Epiſcopos, nihil de Menapiorum Tornacenſique Epiſcopo cogitaſſe? quem ſcimus Lillenſi vicinoque Flandriæ tanto ad Oceanum uſque tractui, ſemper in ſacris, imò & in profanis præfuiſſe. Neque enim Menapiorum Suevorumque, iſtuc ab Auguſto tranſlatorum, ullus unquam præter Tornacenſem auditus eſt Epiſcopus: ne Gandavi quidem; tametſi vetuſto nec incelebri, ad Liſæ Scaldiſque concurſum loco; quando ad illud è tot militaribus Romaniſque Bavaci viis una adhuc ſuperſtes deducebat. Ad hæc Conſtantinus anguſtiori Atrebatium Diœceſi Paſtorem procuraſſet; Tornacenſem Menapienſémve tanto diffuſiorem, pluriumque populorum neglexiſſet? Et quomodo aliter S. Remigius illum cum Atrebatenſi, Cameracenſi, Morinenſi ſeu Taruanenſi *reſtituiſſe*

Tornacẽſis Epiſcopus antiquiſſimus.

Menapiorum & Suevorum.

diceretur;

Etiam ſub Romanis.

diceretur; ſi jam inde à Conſtantino Romanisve erectus non fuiſſet? Dum ergò Bavaci Cameracîve Superior, Tungris Servatius præſiderent, proprius quoque Tornaco non defuit Epiſcopus: tametſi ille non magis quàm Atrebatenſis, Taruanenſiſque, nimiâ jam ævi caligine nominetur; quos æquè conſtat à Remigio non de novo erectos, ſed poſtliminiò *reſtitutos*.

Tornacum alienis infulis non indiget.

5. Quemadmodum igitur Atrebates ac Morini, propriæ gentis Epiſcopatusque ſui ſplendore contenti, de Nerviis aliisve, quibus cedere ſe non credunt, nihil laborant: Ita nec Tornacum alienis Nerviorum plumis indiget: illuſtris ſemper, etiam ante Antonini Tabulæque Peutingerianæ Itinerarium editum, Menapiorum civitas; ſuis abundè contenta bonis; mercis & gentis alienæ non indiga vel ſucceſſionis; ſolâ patrimonii gloriâ, fuſoque S. Piati Apoſtoli ſui tanto ſenioris cruore micantior. Certè à Martyrio S. Piati ad exceſſum Conſtantini Magni, anni triginta tres intercurſant. Nec Conſtantinum Belgii noſtri tam diu inquilinum, & fide Chiſtianâ ibidem imbutum, tanti Martyris cognitio fugere potuit.

Menapiorũ duæ ſub Romanis legiones.

6. Poſtremam ſub Romanis Menapiorum gloriam claudet Imperii Romani Notitia, anno Chriſti 437. edita, ut circa operis hujus finem fusè validéque probabo. Ea in Orientalis ſeu Conſtantinopolitani Imperii parte, inter Legiones 21. Comitatenſes per Thracias, unam Menapiorum memorat. In Occicentali autem Romæque veteris,

Menapii ſeniores.

Menapii ſeniores celebrantur, alterâ Legione conſcripti: quæ ſub Magiſtro peditum Galliarum militabat. Unde gentis illius amplitudinem atque frequentiam colligere fas eſt; quæ etiam ruente Imperio, duas ex ſe legiones, Orientali unâ, Occidentali alteram ſubminiſtrabat. Tabernis quoque ad Rhenum, ſub Duce Moguntiacenſi, Menapii quidam militaſſe referuntur. quos omnes neſcio an Nervii Cameracenſéſve ſuperaverint, neſcio an æquaverint.

Tornaci eminentia.

TORNACUM verò gentis caput, ſæpiùs memorat eadem Notitia. Primùm in Galliis *Gynecaum Tornacenſe Belgica ſecunda*; ſub Comite Largitionum Occidentali. Et mox *Procuratorem Gynecaei Tornacenſis*, ſub eâdem diſpoſitione repetit. Rurſum in Britanniæ præſidiis *Sub Comite litoris Saxonici per Britanniam, Menapii. Præpoſitus Numeri Tornacenſium Lemannis.* &c Tantum adhuc ruente in Belgicâ Imperio potuit ecce Tornacum: paulò antequam in Chlogionis Francorum Regis poteſtatem, anno Chriſti 443. cum Cameraco, Atrebato, Ambianis, &c. deveniret. à Romanis quidem deinceps avulſum, gloriâ tamen antiquâ non

Childeric᷒ I. Rex Francorum Tornaci ſepultus.

privatum; forte & auctum. quando Childericus primus, Rex à Chlogione ſecundus, Meruvei filius annis inde non totis 40. moriens Tornaci ſepultus eſt, docente ejus ſepulchro, hoc demum anno 1653. detecto. Certè Andoënus Rhotomagenſis Archiepiſcopus vitæ S. Eligii libro ſecundo, cap. 2. Tornacum *Regalem quondam Civitatem* appellat.

Colonia Menapiorũ in Hiberniâ.

7. Ferè exciderat luculentum Ptolemæi Geographi teſtimonium, quo Menapios etiam in Hiberniâ, non procul ab hodierno ipſius Hiberniæ capite Dublinio collocat, libro 2. cap. 2. Menapii enim iſti, unde quæſo niſi à Belgicis noſtris, per Oceanum è Flandriâ noſtrâ tranſmiſſis? Magnam omnino gentis iſtius amplitudinem juxtà & fortitudinem fuiſſe neceſſum eſt, quæ præter tot Numeros militares, etiam Colonias in tam remotam Inſulam immittere; & tam firmiter inibi figere, incolis ſeu reluctantibus, ſeu permittentibus, valuerit.

S. Urſmarus Menapus ex Sigeb. 2. Apud Surii & Molanũ, 18 April.

8. Paulò ante annum Chriſti ſeptingenteſimũ, in vitâ S. Urſmari Abbatis Lobienſis legimus: *Sicut erat lucrandis animabus ſemper intentus*, Urſmarus, *ſe ad prædicandum Flandriæ, verſus Menapum fines contulit: qui adhuc* (poſt Sanctorum Eligii & Amandi prædicationem, annis ferè 30.) *detinebantur ritu gentili, vanis ſuperſtitionibus. Itaque ejus prædicatione aſſiduâ ad fidem converſi, ex magnâ parte prædiorum hæredem eum ſtatuunt.* Mox. *Ipſe etiam Provinciæ Dominus Aldo converſus, donavit dictum de nomine ſuo vicum Aldenburg, (inque conſtruxit Eccleſiam) & mille paſſus undique per circuitum: & dotavit Laubium: quatenus Urſmarus ejus Apoſtolus patrocinaretur Flandrenſibus & Menapiis, qui de idolorum cultoribus, facti erant una Eccleſia Christi. Supereſt adhuc Aldenburgi Eccleſia in honore S. Urſmari.* Valde celebres fuiſſe Menapios iſtos ac Flandrenſes opórtet, quià tot Apoſtolicis viris exculti ſint.

Menapii in Teſtamẽto Ludovici Pii Imp.

9. Rurſus anno ferè Chriſti 840. Ludovicus Pius Imperator, Caroli Magni filius, Imperium ſuum inter filios dividens, nominat, *Ribuarias, Atoarias, Saxoniæ, Friſiæ* partes, *Ardennam, Asbaniam, Bragbentum, Franderes*, MEMPISCON, *Medenenti, Ainau, Auſterban, Adertenſem* pagum *Teroanenſem, Bolenſem*, ſeu Bononienſem, *Quentovicum* (ad Cantium amnem, hodie *Eſtaples*) *Cameracenſem, Viromandenſem.* Nulla hîc Nerviorum mentio; quia erant *Cameracenſes*: nulla *Tornacenſium*, qui tùm *Franderes, Mempiſcon, Medenantum* (*Melantbois* Lillenſis agri partem) obtinebant.

Elnonenſe Monaſteriũ in Menapiis.

10. Ad hæc Carolus Calvus Ludovici Pii frater minimus & mediatè poſt illum Imperator, ferè biennio ab anno Chriſti 875. ad 877. *S. Amandi Monaſterio, Elnonenſi intra Menapiorum ſito fines, Propontiis*, Brabantiis, *Nerviiſque contermino* (ait Philippus ab Eleemoſynâ. Elnonem ecce à Nerviis iterum dividens) Diplomate quodam adhuc ut credo ſuperſtite, *donat in territorio Menapiorum, quod nunc Mempiſcum vocant, Roſſelaer*, Gallis hodie

Cui vicos Menapiorũ dat Carolus Calvus.

Roulers, Hardoie, Cokelaer, Ledden, Colſcamp, Wingbenen, Bernen, Boue. Quos omnes vicos in agro *Bulſcamſelt*, Brugas inter Cortracum & Ipras adhuc hodie agnoſcimus, in Epiſcopatu Tornacenſi antiquo.

Menapii & Flãdri Tornacenſi Epiſcopo adſcripti.

11. Denique Joannes Papa octavus anno Chriſti 879. uno ante Normannicam Tornaci exuſtionem, Menapios hoſce noſtros & Flandros Tornacenſi Epiſcopo adſcribit, teſte Meyero & Platinâ: quòd tum primùm ex locis nemoroſis ad meliorem cultum venerant; ait Meyerus eo anno. Neſcio an benè. vereor ego, ut Ultrajectinus Epiſcopus, aut alius quiſpiam, aliquid in eos juris prætenderit: Pontifex autem Paſtori antiquo potiùs adjudicarit. Plura ſimilia adhuc afferri poſſent. Iſta modò ſufficient, ut Menapios Nerviis nihilo inferiores videamus. Quid ergo tantus Nerviorum amor Tornacenſes à Menapiis avertere poteſt? In nullo prorſus ſeu Romani ſeu Franci Menapios Nerviis unquam poſthabuiſſe leguntur. Videat jam Lector indifferens ac judicet, utri Diœceſi Gentive Nerviorum nomen adſcribendum ſit.

CAPUT

CAPUT XV.

Reliqua de iſtis Epiſcopatibus, & de Bononienſi, ſub Romanis & Francis.

Bononienſis Epiſcopi antiquitas.

1. IDem porrò Provinciarum Gallicarum Libellus, BONONIAM quoque inter Sedes Romanorum Epiſcopales, etiam ſupra Taruanam recenſet. De quo nonnihil proinde ſubjungendum. Robertus montis S. Michaelis Abbas in Chronico ſuo, ad annos 1158. & 1160. *Mortuo*, inquit, *Milone Epiſcopo Taruanenſi, electus eſt Milo Archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ. Quem cùm Samſon Archiepiſcopus vellet ſacrare, Clerici civitatis Boloniæ, qui diu ſub Epiſcopo Taruanenſi fuerant, volentes à modo ſuum proprium Epiſcopum habere, ſicut antiquitus habuerant; prohibuerunt Archiepiſcopum ſub appellatione Apoſtolica, ne eum ſacraret, niſi tantummodo ad titulum Taruanenſis Eccleſiæ. Quòd prædictus electus refutans, inſacratus contra illos Clericos Romam perrexit, & ibi ſacratus eſt.* Ecce ut iſtius quoque ſæculi Clerici Bononienſes *Epiſcopum antiquitus habuiſſe ſe* publicè jactabant: ſibique eodem jure reſtitui, quo 12. aut 13. annis antè, Tornacenſibus ſub Eugenio Papa III. & 60. ampliùs annis Atrebatibus ſub Urbano II. reddituа fuerat. Idem in vitâ S. Bertulphi leges, circa annum Chriſti 1073. ſcriptâ vel interpolatâ. Imò & in vetuſtiore S. Euſtaſii Luxovienſis Abbatis, ab ejus diſcipulo Jonâ ante annum Chriſti 700. contextâ, videbis S. Audomarum Bononiæ & Taruanæ dici Epiſcopum.

Etiam ex Hincmaro.

2. Luculentiſſimum omnium eſt Hincmari Remenſis Archiepiſcopi teſtimonium, dum ſic ad nepotem Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum ſcribit: *Atrebatis, Viromandis, & BONONIA, ex cujus territorio es nativus, antiquiores Sedes cum Epiſcopis propriis in Remorum provinciâ extiterunt; quàm Caſtrum montis Lauduni inter Sedes computaretur, in quo es ordinatus Epiſcopus. Sed à longo tempore, certis eventuum ac neceſſitatum accidentibus (ſicut de pluribus civitatibus in quibuſdam provinciis legimus) aliis ſubjecta civitatibus, ſuum privilegium perdiderunt.* Bononienſem ecce Epiſcopum agnoſcit ipſe Metropolitanus Hincmarus, & quidem Laudunenſi vetuſtiorem, quem tamen S. Remigius circa annum Chriſti 500. inſtituit. Prorſus ut ſub Romanis quoque, ac ſub ipſo etiam Conſtantino aut filiis Sedem Epiſcopalem fuiſſe Bononiam neceſſe ſit: nec immeritò Notitia Provinciarum ac Civitatum Galliæ, ultra Taruanam Morinorum caput, Bononienſem quoque ſigillatim accenſuerit. Civitas enim nulla propriè, niſi Epiſcopalis appellabatur. Quod aliâ inſuper ad Suffraganeos ſuos epiſtolâ confirmat idem Hincmarus: *Remorum Durocortorum antiqua Metropolis præcedentibus temporibus habuit ſub ſe 12. Civitates. Videlicet Sueſſionum, Catalaunorum, Veromanduorum, Atrebatum, Tornacenſium, Cameracenſium, Ambianenſium, Morinum idem Ponticum, BONONIENSIUM, & Laudunum*, &c.

Etiam à Ratione.

3. Neque verò deſunt etiam à ratione argumenta. Erat Bononia jam inde à Caligulâ, Claudio, poſterioribuſque Cæſaribus frequentiſſima Civitas; vel ob ſolum in Britanniam tranſitum inde maximè fieri ſolitum. Quò cùm proinde confluеret populus ingens, quis dubitabit, quin Epiſcopo commendata fuerit, qui & hoſpitalitatem in Chriſtianos de more exerceret, incolas & commeantes Chriſto adjungeret, fidem in Britanniam inveheret, aut potiùs primo ſecundóve ſæculo jam, à S. quoque Petro invectam, aleret augeretque? Non alia certè ratione duo nobiliores Romanæ Provinciæ Epiſcopi, Oſtienſis atque Portuenſis ad Tiberis oſtia erecti, quàm ut in Africam, fortè & Aſiam, fidem inferrent alerentque. Quare aptè Franci, Taruanâ ſub Carolo V. Imp. anno Chriſti 1553. ſubverſâ, Epiſcopalem Bononiæ dignitatem velut poſtliminiò reddidêre. Eoque Bononienſis Epiſcopus aliquam antiquitatis prærogativam, præ Audomarenſi Iprenſique, ex Taruanenſis excidio pariter ortis, obtinere poteſt: ſicut viciſſim aliam Audomarenſis, quòd Diœceſeos Taruanenſis adhuc integræ meditullium, & Taruanæ ipſius ſuburbium reliquũ, unà cum S. Audomari corpore poſſideat.

Quo anno erecti Belgarum Epiſcopi.

4. Cæterùm, annum, quo ſacrarum Diœceſeon iſta partitio coaluit, certò definire non poſſum. Paulatim haud dubiè executioni mandata fuerit; & tempore, ut humana omnia, ipſoque rerum uſu coaluerit. Ut quæque civitas, aut creſcente Chriſtianorum ſuorum numero zeloque, aut propria gnavitate paratior extitit, ſeriùs ocyùs Epiſcopum ſuum obtinuerit. Quemadmodum in nuperâ Pauli IV. innovatione contigiſſe videmus. Potuerunt item ab initio binæ civitates ab uno regi Pontifice: ut poſtmodum Bononiam à Taruanenſi, Cameracum ab Atrebatenſi & contrà, Tornacenſem ab Noviodunenſi ſeu Veromandenſi diu regi contigit. Donec adultis rebus ſuus unicuique Paſtor obtingeret. Rurſus ut aliquas ante Conſtantinum Epiſcopo decoratas conſtat; ita paulo poſt ipſum ſub filiis nonnullæ primùm decorari & gaudere potuerint. Quod quidem etiam Turonicæ accidiſſe, ex ipſius Paſtore Gregorio disertè docemur; cùm Sedem iſtam ab anno vulgari Chriſti trecenteſimo ad trecenteſimum triceſimum ſeptimum ineuntem, per annos 37. ſolidos, id eſt, pluſquam toto Conſtantini imperio, vacaſſe ſcribit.

Greg. Turon. Lib. 10. c. 31.

Sub filiis Conſtantini maximè creverunt Epiſcopi.

5. Nam Gatianum quidem Decio & Grato Coſſ. id eſt, anno Chriſti vulgari 250. Turonos adveniſſe expreſsè narrat lib. 1. hiſt. cap. 28. Libri autem decimi cap. ultimo, annos in ea urbe 50. vixiſſe addit. Ita anno Chriſti 300. obierit. Lidorium inde ſecundum poſt annos 37. anno Conſtantis (ſeu potiùs Conſtantini junioris filii Conſtantini Magni) primo ordinatum ſubdit: id eſt ut dixi, Chriſti 338. ſaltem ineunte. Igitur toto Conſtantini imperio Pontificem Turones non habuerint. Quod etiam ex ſequentibus firmat Gregorius, cùm addit Lidorium 33. annis præfuiſſe, ac proinde anno Chriſti 370. fato functum. Qui annus ordinationis S. Martini proximi ejus ſucceſſoris certus eſt. Nam cùm Martinum conſtet 4. Julii conſecratum Epiſcopum, eo anno 370. 4. Julii rectè Dominica dies fuit, quâ ſolent tales plerumque ordinationes inſtitui. Fuit autem is annus Valentiniani Imperatoris I. ſeptimus, non ut in Gregorio mendosè

legitur

legitur VIII. Ita ſive ex Gatiani fine, ſive ex Lidorii Martinique tempore, Turones Epiſcopum toto Conſtantini Imperatoris Imperio non habuerint. Idem de Andegavis dicere poſſumus, quorum primum Epiſcopum Defenſorem S. Martini conſecrationi interfuiſſe Severus Sulpitius innuit. Si tantæ Sedes Antiſtite ſub Conſtantino caruere, quidni & Belgicarum nonnullæ carere potuerint? Quanquam aptè reſponderi poteſt, in Conſtantini apud nos maximè tum agentis oculos, animumque, noſtrates Eccleſias magis quàm remotiores illas incurrere debuiſſe. Utcumque ſit, ſicut modicus iſto Turonenſium Paſtorum hiatus, Gatianum iis antè non præfuiſſe non evincit: ita & in noſtratibus.

Etiam extra Belgium noſtrum.

6. Atque ut ſingulos tam Germaniæ quàm Belgicæ 2. horum annorum Epiſcopos enumerem; conſtat Agrippinenſem Maternum ante Arelatenſe Concilium, ſeu annum Chriſti 314. nec multo pòſt etiam Tungrenſem Servatium extitiſſe. De Trevirenſi Agricio & prioribus nullum dubium; uti nec de Ambitauſio Remenſi: nam uterque Concilio iſti Arelatenſi ſubſcripſit. In Sardicenſi verò & Agrippinenſi Synodis, vix 34. annis poſt Arelatenſem habitis, comparent Mercurius ſeu Mertarius Sueſſionum ſextus Antiſtes, Eulogius Ambianorum ſecundus, Superior denique Nerviorum. Catalaunis miſſum à S. Petro Memmium Epiſcopum ſuperiore libro vidimus; Bellovacis à S. Dionyſio, ſive Areopagitâ, ſive altero qui ſub Decio Pariſios advenit, Lucianum. Veromandui totos decem numerant Epiſcopos ante Sophronium, qui Synodo primæ Aurelianenſi ſubſcripſit, anno Chriſti 511. Si vicenos ſingulis Epiſcopis annos, aut ſi uni plures, tanto alteri pauciores indulgemus (& quid tanto minus poſſumus?) à ducentis antè annis, & Chriſti 311. ſedis etiam iſtius initium advocabimus: planè ad hos Conſtantini annos. Idem eſto pro Sylvanectenſibus argumentum, quorum nonus eidem Synodo I. Aurelianenſi æquè præſens eſt. Quidni & quædam ſucceſſionis interruptio, in tot Barbarorum eluvionibus intercurſare, aut qui ſuperſunt Sedium earum Indiculi, in tanta vetuſtatis caligine mutili eſſe poſſint?

Vetuſtas & frequentia Chriſtianitatis in Belgio.

7. Reliqui ſunt è Belgicâ noſtrâtes Epiſcopi tres, Morinenſis ſeu Teruanenſis, Atrebatenſis, & Tornacenſis, quorum maximè gratiâ tota iſta diatriba texitur. Nam Cameracenſem Bavacenſi ſuffectum jam diximus, Fidem Chriſti jam ante Diocletiani perſecutionem Morinenſibus prædicarant Fuſcianus & Victoricus; Tornacenſibus ac vicinis S. Piatus, Chryſolius, & Eubertus: & qui inde magno numero evaſerant Chriſtiani (30. millia uni ſoli Piato tribuuntur) adhuc ſub Conſtantino creviſſe poterant. Cur iis æquè ac ceteris Belgis Paſtorem non procuraſſet præſens Conſtantinus? Imò *Diogenes* Atrebatum memoratur Epiſcopus, qui cùm à Vandalis martyrio tradatur abſumptus, longè antea advenire, & fortè vix 50. aut etiam 40. poſt Conſtantinum annis præeſſe potuerit. Sanè tam Morinos, & Atrebates, quàm Tornacenſes, & Menapios, à Conſtantini converſione ad Vandalicam & Francicam irruptionem, per annos propè centum, ſub Romanis egiſſe ſatis compertum eſt. Quis credat tantâ temporis intercapedine, eorum populorum nullos, aut etiam paucos ad Chriſtum acceſſiſſe? erat adeò frequens Chriſtianorum in Tungris, erat & in Nerviis, erat & in Britannis remotioribus numerus, ut Servatium illi, Superiorem iſti, pluſculos Britanni habuerint Epiſcopos; triginta Tornacenſium millia, nec pauciora Morinorum & Atrebatum, non habuiſſent? tam aſſiduo præſertim Romanorum, plerumque Chriſtianorum hiſce terris præſidentium, & in Britanniam adeò Chriſtianam trajicientium itu redituque? Scio Paulinum illuſtrem Nolæ Epiſcopum Epiſtolâ ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum circa annum Chriſti 400. datâ, ſcripſiſſe, *Nervicano litore terraque Morinorum levi ante illum ſpiritu fidem veritatu afflatam.* Sed *afflatam* tamen non negat, ſimul amici laudes augere vult; & erat eo tempore non hic modò, ſed universâ Galliâ ſolutior fidei zelus; unde & mox cœlitùs immiſſa vaſtationis Vandalicæ punitio. Nihil tamen obſtat quò minus ille Conſtantini ac filiorum ævo flagrantior extiterit. Sanè cùm Hilarius tantus vir, vix annis à Conſtantini morte viginti, ſuum de Synodis Libellum ut ceteris Galliarum its Belgicæ ante ceteros Epiſcopis inſcribit; quidni ſicut Belgicam provinciam jam quadripartitam agnoſcit, ita & ſingularum Civitatum ſingulos Epiſcopos ſupponat ac compellare intendat? Sed neque deſunt, qui illud Nervicanum Paulini littus, Nerviorum noſtratium eſſe negent. De quo alibi.

8. Atque ex his facilè mecum, benigne Lector, aſſequeris, quàm nulla poſſit inter paucos hodierni Belgii veteres Epiſcopos, ex hac ſaltem parte, de primo loco ſubeſſe contentio. Omnes ſub Romanis, iiſdem ferè temporibus, cauſis, ac rationibus inſtituti, parem quoque vetuſtatis ac dignitatis locum ſortiuntur. Et ſi quæ ſtatuenda eſſet anteceſſio, non aliunde, quàm ab Antiſtitum ſimul viventium ordinatione petenda videretur. Ego quidem hactenus legendo, nullam aliam aut perexilem nulliuſque momenti video; ſimul adeo latentem, ut nonniſi ex pluribus, quàm quæ modo ſuperſunt, Scriptorum monimentis evolui poſſit.

Epiſcopi omnes ferè ſimul inſtituti. Nec alius alio prior.

CAPUT XVI.

Conſtantini contra Licinium bella.

Ab anno Chriſti 314 ad 324.

1. ARelatenſi Concilio finito, quid Conſtantinus ſtatim egerit, incertum. Treveris adhuc fuiſſe quarto Kalendas Novembris, iiſdem Voluſiano & Ammiano Coss. docet nos Lex prima Tituli 35. lib. 6. Cod. Theod. eo die locóque data. Quod & alia Lex de appellationibus confirmat, apud Baronium hoc eodem anno 314. §. 72. Sed non diu ibi quievit. *Jam poteſtas orbis Romani* (ait Victor Schotti) *duobus quaſita erat*, Conſtantino ſcilicet & Licinio. *Qui quamvis per Flavij ſororem*, (Conſtantiam, ut dictum) *nuptam Licinio, connexi inter ſe erant; ob diverſos mores tamen, anxie triennium congruêre. Namque illi* (Conſtantino) *præter admodum magna, cetera* (ſcilicet inerant) *huic* (Licinio)

Quid Conſtantinus poſt Synodum Arelatenſem egerit.

Anxiè cu[m] Licinio c[on]gruit ad t[…] cumulu[…].

parſimonia

parſimonia & ea quidem agreſtis tantummodo inerat. Denique Conſtantinus cunctos hoſtes, honore ac fortunis manentibus, texit recepitq́; : ìo pius, ut etiam vetus veterrimumq́; ſupplicium patibulorum, & cruribus ſuffringendis, primus removerit. nempè in honorem Crucis Chriſti. *Huic pro conditore ſeu Deo habitus. Licinio, ne inſontium quidem ac nobilium Philoſophorum ſervili more cruciatus adhibiti, modum fecere.*] Ita Victor, belli cauſam in diverſos eorum mores referens. Cúmque addit: *auxiè eos triennium cóngruiſſe*; planè annum Chriſti 315. adultum aut etiam 316. incuntem inſinuat. Nam cùm ea, de qua loquitur, affinitas, oriente anno Chriſti 313. Mediolani contracta ſit, paulò poſt Maxentium victum; clarum eſt, triennium ab eâ, non niſi naſcente anno 316. expirare. *Sed ait auxiè triennium*, quaſi illud completum non fuerit. Planè Euſebio conformis, qui de vitâ Conſtantini lib. 1. cap. 42. poſt ejus decennalia (ſaltem inchoata) celebrata, bellum hoc exortum ſcribit. & Victor vulgatus ait Conſtantinum 10. annis præſtantiſſimum; ſequentibus 12. latronem, &c. ſcilicet ob hoc bellum Licinio illatum.

Bellum inter Liciniū & Conſtantinum.

2. Anno igitur illo Chriſti 316. pace paulò antè ruptâ, bellum inter eos cœperit; cujus cauſam & ſeriem Anonymus apud Petavium in Chronico, & Valeſium in Ammianum, ſic texit: *Egit cum Licinio Conſtantinus, uti Baſſianus, cui Anaſtaſia ſoror ejus altera nupſerat, Cæſar fieret & Italiam obtineret, medius inter utrumque. Interim Sinicius Baſſiani frater, Licinio favens, fratri perſuadet, ut contra Conſtantinum bellum capeſſeret. Id molientem Baſſianum Conſtantinus in ipſo conatu oppreſſit; ſimul Sinicium inſidiarum auctorem ad pœnas à Licinio repoſcit. Negante Licinio, bellum inter ambos oritur. cui faces etiam Licinius ſubjecerat, cùm imagines ſtatuaſque Conſtantini Æmona dejeciſſet.*] Hæc ille. At Zoſimus Conſtantino ſemper iniquus, *Exorta* ait *inter eos diſſidia, cùm per exiguum temporis conſenſiſſent: quod more ſuo Conſtantinus pacta conventa parum integrâ fide ſervaſſet, ac nationes quaſdam ad Licinii imperium pertinentes avertere voluiſſet. Itaque prorumpentibus in apertum inimicitiis, ambo copias ſuas ad dimicandum cogebant.*] Euſebius hoc tempore vivens, belli cauſam in Licinii malevolum erga Chriſtianos animum conjicit: *quo ille tum Dei Eccleſiis tum reliquis provincialibus inſidias aſſiduè tendebat. Fideles è palatio ſuo pellebat, in exilium mittebat, facultatibus privabat, mortem ſi quando Chriſti nomen profiterentur, minabatur. intemperantia & adulteriis omnia fœdabat. qui Diis ſacrificare renuebant, militia ſubmovebat.*] Hæc & plura Euſebius.

Euſeb. vita Conſt. l. 1. cap. 42.

Primum in Pannonia.

3. At Eutropius libro 10. *Conſtantinus*, ait, *vir ingens, & omnia efficere nitens quæ animo præparaſſet, ſimul principatus totius Orbis affectans, Licinio bellum intulit.* Sed priuſquam Galliis procul abſcederet, Criſpum filiorum maximum annorum jam ferè 18. ipſis impoſuit. Ubi latinis ille literis à Lactantio erudiebatur, ſi non jam eruditus erat. Criſpo certè Lactantium in extremâ ſenectute magiſtrum in Galliâ fuiſſe, diſertè tradit in Lactantio Hieronymus. Quod & firmat Euſebii Chronicon, licèt Galliæ nomen non tangat. Unde intelligimus, Lactantium Treviris, claro Principum domicilio, ſenectutem extremam egiſſe: veriſimiliter item Inſtitutionum 7. libros ad Conſtantinum Imp. contexuiſſe. Quis ſcit, an aliquos è Panegyricis ibidem habitis, non habuerit? an non & ibidem ſepultus ſit? extrema illius ſenectus id facilè ſuaſerit.

4. Conſtantinus autem cùm in Licinium moviſſet, *primò eum in Pannoniâ*, ait Eutropius; *ſecundò ingenti apparatu bellum apud Cibalas inſtruentem, repentinus oppreſſit.*] Victor vulgaris. *Primùm apud Cibalas*, inquit, *juxta paludem Hiulcam nomine, Conſtantino nocte caſtra Licinii irrumpente, Licinius fugam petiit.*] Zoſimus: *Licinius ſuos ad Cibalim colligebat, Pannoniæ oppidum in colle ſitum, cui profunda* (ſeu Hiulca) *palus imminet. Ibi prælium quovis alio acrius commiſſum, à primâ luce ad veſperam.* { & quidem ſi Chronico Alexādrino, & Faſtis Idatii fides, *VIII. Idus Octobris.*] *Licinius cum ſuis Sirmium Pannoniæ urbem primò fugit, quam ab utraque parte flumen in Iſtrum influens alluit. eam Licinius curſu prætergreſſus, ac ponte fluminis* (Savi) *ſoluto, in Thraciam perrexit, militem ibi colligere parans. Conſtantinus occupatâ Cibali, & Sirmio, & aliis quæ fugiens à tergo Licinius relinquebat & ponte Savi rejuncto, eum perſecutus, in quapiam planitie eum jam caſtra metatum reperit, cum ſocio belli Valente; quem ille fugiens Cæſarem dixerat.*] eam planitiem, *campum Mardienſem* appellat Petavii Anonymus. *Sequenti luce conflictum eſt, diuturno dubioque Marte; donec ſigno dato ab ſe invicem dirimerentur.*] nocte ſuperveniente, addit idem Anonymus.] *Poſtridie* pergit Zoſimus, *pactis induciis, per Meſtrianum legatum, pollicente Licinio ſe imperata facturum* (addit Anonymus) *fœdus initum, ita ut Conſtantinus Illyrios* (id eſt, ut Eutropius habet, *omnem Dardaniam* (ſuam juxta hunc Anonymum, patriam) *Mœſiam, Macedoniam & ulteriores in Occidentem provincias teneret, Licinius Thraciam & ulteriora in Orientem retineret: Valens ceu malorum auctor è medio tolleretur.*] Zoſ. *Valentem à Licinio ipſo morte mulctatum*, tradit Victoris Epitome.

Iterum in Thracia.

Unde induciæ victori Conſtantino proficuæ.

5 Victor Schotti: *Licinium variis præliis pulſum, cùm prorſus opprimere arduum videretur, ſimul affinitatis gratiâ* (*& ut arctiori ſe fide adſtringerent*, addit Zoſimus) *recepit conſortio adſcitique imperio Cæſarum communes liberi; Criſpus Conſtantinuſque Flavio geniti* (*ille è Minervinâ concubinâ jam antè ſuſceptus*, literis in Gallia, ut dixi ſuperiùs jam dans operam: Hic *iiſdem diebus oppido Arelatenſi natus*, aiunt Victoris Epitome, & Zoſimus) *& cum iis Licinianus Licinii filius, menſium* (ait rectè idem Victor, *non annorum* ut male Zoſimus) *fere viginti.*] *Quod equidem vix diuturnum* (pergit Victor Schotti) *neque his qui adſumebantur felix fore, defectu Solis fœdato iiſdem menſibus die, patefactum*] Eam Cæſarum aſſumptionem, *Kalendis Martiis, Gallicano & Baſſo Coss.* factam teſtantur Idatii faſti & Chronicon Alexandrinum; *anno autem imperii Conſtantini undecimo* Euſebii Chronicon, id eſt Chriſti vulgari 317. Quod& eclipſis à Victore ſignata confirmat, *iiſdemque* (ut ait) *menſibus viſa*, nempe 20. Decembris inſecuti, feriâ ſextâ, iiſdem quoque (non ut Idacius ſequentis anni) Conſulibus, ut Tabulæ demonſtrant Aſtronomicæ. Erat jam Criſpus grandior, annorum ſere 20. Conſtantinus adhuc infans, ante dies non multos Arelate ex Fauſtâ genitus. Unde intelligimus, Conſtantinum uxorem ſuam gravidam, omnemque familiam, quando in Licinium movit, in Galliis cum Criſpo reliquiſſe; nec bellum hoc multò ultra novem menſes productum. *Tenuit ea pax ſexennium*, ait idem Victor Schotti.

Et utrinſque liberi, Cæſares.

Annus Chriſti 317.

In Kalēdario Sylvii à P. Bollādo edito in Proleg. SS. habetur: VII. Idus (Aug.) Natalis Conſtantini junioris.

Eclipſis Solis.

6. Quod

Criſpi de Alemannis victoria.

6. Quod tempus Conſtantinus in adjunctis ſibi de novo provinciis, firmandâ ſcilicet earum poſſeſſione, maximè extraxit: & interim in Sarmatas Gothoſque movit ex Zoſimo lib. 2. Conſtantium certè, ſecundum è Fauſta filium per hos annos in Illyrico ſuſtuliſſe, ex Juliani Apoſtatæ oratione 1. intelligimus. Ubi vide notas Petavii. Quo tempore Criſpus filius in Galliis à patre relictus, præclaram de Alemannis retulit victoriam. Sic enim Nazarius Panegyrico finiente: *Declarant ecce rationem cupiditatemq; votorum facta Criſpi, Cæſarum maximi: in quo velox virtus, ætatis morâ non retardata, pueriles annos gloriis triumphalibus occupavit. Crudâ adhuc hyeme, iter gelu intractabile, immenſum ſpatio, nivibus infeſtum, incredibili celeritate confecit. Qua tuum Conſtantine ipſa pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo* (trium ecor aut ferè 4. annorum) *videre filium licuit, & videre Victorem? Narravit utiq; exhauſta bella, & hoc ad tui gratiam, non ad ſui oſtentationem: qualis excipiendo hoſtis, quàm reſiſtentis vehemens, quàm facilis ſupplicanti. Nunc te, Conſtantine Maxime, omnes rogamus, cùm præſentem laudaveris, cùm jam Reip. flagitanti, cùm Galliis deſiderantibus reddes; iterum atque iterum moneas revertentem (neque enim perſuaderi facilè poteſt) ut ſi quando armis veſtris contuſa Barbaria aliquid tamen moverit; ſit ille anima, ſit conſilio tuo ſimilis. Temperet modo dextra, manui parcat, & ſit aliquid in quo te* (audaciam tuam) *iterum nolit imitari.*] Hæc Nazarius. qui, quis ille fuerit Barbarus hoſtis à Criſpo devictus, non exprimit. Nummi aliquot apud Occonem ALEMANIAM ab eo DEVICTAM aut CAPTAM exprimunt. ſimul Criſpum PRINCIPEM JUVENTUTIS appellant.

7. At Nazarius ipſe ſuo hoc eodem Panegyrico ſuprà, pag. 263. Francos eſſe innuit: *Franci* (ait) *præter ceteros truces ſub armis tuis* (Conſtantine) *ita conciderunt, ut deleri funditus poſſent: niſi divino inſtinctu, quo regis omnia, quos ipſe afficeras* (ante Herculii mortem ſcilicet, ut ſuprà viſum) *conficiendos filio reſervaſſes. Quanquam ad gloriam fecunda malis ſuis natio ita raptim adolevit robuſtâque recreata eſt; ut fortiſſimo Cæſari* (nempè Criſpo) *primitias ingentis victoriæ daret, cùm memoriâ acceptæ cladis non infractâ, ſed aſperata pugnaret*]. Hæc ibi. quibus Francos à Criſpo tum victos intelligimus. Et nihil obſtat Francos ſcilicet & Alemannos diverſis provinciis eodem ferè tempore ſuperatos. Unde rurſum eodem Panegyrico jam finiente: *Jacet*, inquit, *in latera Galliarum, aut in ſinu ſuo fuſa Barbaria.*]

Annus Chriſti 321. Conſtantini 15 Quinquennalia Cæſarum.

8. Porro orationem illam abſente Conſtantino Romæ anno Chriſti 321. habitam ipſe Nazarius docet, cùm ejus initio *annum agi imperii Conſtantini quintumdecimum*, in fine autem *quinquennalia Cæſarum feliciter inchoata* ſcribit. Jam enim vidimus creatos Cæſares Kalendis Martiis anni Chriſti 317. ergo eorum quintus annus iiſdem Kalendis anni 321. iniverit; quibus ſcilicet, aut non multò poſt Panegyrim iſtam Romæ Nazarius habuit. Unde etiam Conſulatûs ipſius Conſtantini junioris & Cæſaris (qui in eum annum incurrit) ita mentionem facit: *Nobiliſſimorum Cæſarum alter* (Criſpus) *jam abterrendis hoſtibus gravis, terrorem paternum, quo ſemper Barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen ſuum cœpit: alter* (Conſtantinus) *jam Conſulatum, jam venerationem ſui ſentiens, ſi quid intactum aut parens aut frater reſervet, declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincis ætatem.*] Quintum enim dumtaxat ætatis annum tunc attigerat Conſtantinus Cæſar & Conſul. Criſpus autem victoriam iſtam anno quo Cæſar creatus fuerat, Chriſti 317. aut ſequenti retulerat.

Annus Chriſti 32[2]. Bellum renovatum, ſexennio poſt primum.

9. Pergit Victor Schotti: *Sexennio poſt* (creatos Cæſares; ergo anno Chriſti 322. adultiore) *rupta pax eſt* iiſdem ferè quibus ante cauſis. Sarmatis jam victis, *& in urbes diſtributis* (ait Zoſimus lib. 2.) *Conſtantinus Theſſalonicam acceſſit; & portu confecto, qui antehac ibi nullus erat, rurſus ad gerendum contra Licinium bellum ſe parabat.* Claſſe utrimque paratâ, quam Criſpus hinc, Amandus illinc duxit, ut Anonymus; & milite ingenti collecto, bellum acriùs recruduit, quod, teſte Cedreno, *menſes octodecim* tenuit. eoque hujus anni 322. autumno cœperit, ut ex ejus fine videbimus. Primum prælium 5. Nonas Julias (ut reor anni 323.) Adrianopoli factum. quo Licinius victus, & Bizantium fugâ delatus eſt. Conſtantinus hominem perſequens & illum & Byzantium obſedit. Jam Criſpus cum claſſe è Piræo ſolverat. & in Macedoniâ ſtationem habebat. Eum ergo Conſtantinus accerſit, & ad oſtium Helleſponti adeſſe juſſit. Ibi ad Gallipolim navali prælio Criſpus adeò ſuperior fuit, ut Abantus Licinianæ claſſis Imperator (Amandum, ut dixi vocat Anonymus) vix quatuor navibus effugerit. Ita Conſtantinus navali exercitu auctior, & bis victor, Byzantium & Licinium arctiùs obſidere perrexit, aggere & turribus in magnam altitudinem erectis, quò murum ſuperaret, & extra periculum machinas admoveret. His ad inopiam conſilii redactus Licinius, ſtatuit deſerto Byzantio, infirmioréque dumtaxat ibidem exercitûs parte relictâ, cum aliis Chalcedonem Bithyniæ trajicere: ſperans novum ex Aſiâ colligere exercitum, rurſumque prælio decernere. Chalcedonem igitur navigio delatus *Martinianum*, ordinum Palatinorum Ducem, ſeu Magiſtrum officiorum Cæſarem creat, & cum exercitu Lampſacum mittit, impediturum ne hoſtes ad Halleſpontum è Thracia tranſirent. Ipſe copias ſuas de novo collectas in collibus, & ſitis ad Chalcedonem faucibus collocat.] Hactenus ex Zoſimo. quæ omnia proxima anni iſtius 323. diebus facta ſuadent, & ipſa occaſio, & Conſtantini celeritas, verentis ne toties victus, Licinius vires ullo modo reparare, & ſuos confirmare poſſet; cum multò ei conſultiùs eſſet unius ſupremæ pugnæ periculo certam confectamque jam penè victoriam prorſus abſolvere.

Navale.

Victus Licinius ad Adrianopolim fug[it] Bizantium.

Quod Conſtantinus obſidet.

Unde Licinius Chalcedonem fugit.

Quò etiam contendit Conſtantinus.

10. Eodem igitur anno Chriſti 323. Conſtantinus licèt nondum capto Byzantio, in Bithyniam trajecturus (pergit Zoſimus) veritus inacceſſas onerariis præſertim navibus Bithynici litoris oras, celoces & cymbas quàm citiſſimè ſtruit; & iis ad Promotorium ſacrum, ad oſtium Ponti ſitum, quod ducentis Chalcedone ſtadiis abeſt, navigat, copias exponit, quoſdam in colles aſcendit; in iis aciei ſtruendæ locum capit. Licinius quanquam ab hoſte Bithyniam teneri cerneret, tamen ut vir omnibus periculis exercitus, Lampſaco Martinianum accerſit; & tandem pugnare conſtituit. Ergo milites exhortatus, iiſque prævius, oppido egreſſus hoſtibus jam paratis occurrit. Acri pugnâ in locis Chalcedoni & fano interjectis initâ; longè ſuperior Conſtantini pars tantam cædem edidit, ut de centum & triginta millibus Licinianorum, vix

Chalcedonenſe prælium, quo victus poſtremò Licinius.

triginta millia evaderent. Quare Byzantini tum demum Conſtantinum victorem portis apertis accipiunt, idemque Chalcedonii faciunt.] Hoc porrò Chalcedonenſe prælium XIV. Kalendas Octobris commiſſum, teſtantur Idatii Faſti ac Chronicon Alexandrinũ, & conſentit Kalendarium vetus, Liberii Papæ tempore contextum, à nobis cum Victorio nuper editum.

Qui Conſtantino tandem ſe dedit.

11. Rurſum Zoſimus: Licinius victus Nicomediam cum equitibus reliquis, & paucis peditum millibus contendit. Ubi à Conſtantino ſtatim obſeſſus, cùm nullas penè ſibi reliquas ad dimicandum copias videret, rebus deſperatis, egreſſus urbe, Conſtantino ſupplex factus eſt, & allatâ ad eum purpurâ, Imperatorem ac Dominum clamabat, veniamque præteritorum poſcebat. Nam vitam ſibi certò pollicebatur; cujus nomine jusjurandum uxori (Conſtantiæ ſcilicet ſorori ſuæ) Conſtantinus præſtiterat.] Zoſim. *Conſtantiâ Licinii uxore* apud *fratrem* (Conſtantinum) *agente, vitâ Licinio conceſſa eſt. Licinius in ordinem redactus, & convivio Conſtantini adhibitus eſt Martinianus quoq; vitâ donatus. Ille Theſſalonicam miſſus.* Anonymus Petav. Unde & Vict. Epitome: *Licinius pactâ ſalute indumentũ regium per uxorem offerre adactus eſt.*] *Martinianum verò* (ſubdit Zoſimus) *Conſtantinus ſatellitibus ſuis occidendum tradidit.*] Licinium quinto Kalendas Novembris deditum ſatis indicat vetus Conſtantii Kalendarium, à nobis nuper editum, cùm ad eam diem notat, *evictio Tyranni*, indubiè Licinii. prorſus ut ille nonniſi 40. dies à Chalcedonenſi prælio purpuram tenuerit.

Et laqueo vitam finit.

12. *Licinius inde Theſſalonicam ablegatus, velut iſtic ſecurè victurus, non multò pòſt violatâ jurisjurandi religione, laqueo vitam finivit.*] Zoſimus. Idem habet Victor, qui *paulò poſt* quoque jugulatum ſcribit. Euſebii Chronicon *contra ſacrum ſacramenti jus occiſum* disertè ſcribit. & quidem ſequentis anni Conſulibus, ſi Idatii Faſtis fides eſt. *Licinius Theſſalonica novis rebus ſtudens Conſtantini juſſu peremptus eſt. Martinianus verò in Cappadocia.* Idem Anonymus, Sirmundi, Petavii, & Henrici Valeſii.

Conſtantius Cæſar fact°.

13. Paulò poſt ejus deditionem, planeque antè necem, Conſtantius Conſtantini filius ſecundogenitus Cæſar factus, ſexto Idus Novembris; adhuc puer, ut alibi probo. Victor Schotti: *Eo modo,* inquit, *Reſp. unius arbitrio regi cœpit; liberis Cæſarum nomina diverſa retentantibus. Namq; eâ tempeſtate Imperatori noſtro Conſtantio inſigne Cæſaris datum.*] Conſtantinum porrò Monarcham, tredecim annos totum orbem tenuiſſe disertè ſcribit uterque Victor. Certus eſt mortis ejus annus, nempè Christi 337. & dies 22. Maii, ut infrà. de 337. tolle 13. reliquus erit ante eumdem diem annus Christi 324. cujus Aprili Martióve cæſum Theſſalonicæ Licinium, & Conſtantinum Monarchiam iniiſſe dicendum. Aptiſſimè. Sic enim menſes à Licinii cæde 13. aut 14. pro Nicænæ Synodi convocatione commodiſſimè ſuperſunt. Quod in eorum ſententiâ dici nequit, qui ſequenti primùm anno Licinium cæſum ponunt.

Edictum Conſtantini, pro tantâ victoriâ.

14. Ceterum de poſtremis hiſce victoriis extat ipſius Conſtantini in Codice Theod. Lex 1. de Veteranis ad Florianum Præfectum in hæc verba: *Veterani, qui ex die quintâ Nonarum Juliarum, cùm prima per Thraciam victoria univerſo orbi illuxit, & qui poſtea ad Nicomediam noſtram miſſionem meruerunt, certam per edictum indulſimus, quæ ſcribendi tabulis vel encauſto & ceruſſâ conſcribere detur eis, licentiam.*] Ita ibi, planè ad narrationem noſtram. Sed datæ legis annus omnino, fortè & dies, vitioſus eſt; ſcilicet *quarto Idus Aprilis Licinio V. & Criſpo Cæſare Coss.* Nam Victor Schotti, & anni imperii Licinii ut minimum 14. alias etiam quindecim à Victore vulgato definiti, prorſus errorem detegunt. Unde Baronius (& ante eum Sigonius) Conſules illos ſecutus, planè in avia abiit, & bellum ſexennio toto antevertit, referens ad annum Christi 18. quo illi Conſules ſunt; quod ad initium anni Christi 324. & Conſules Licinium in gratiam receptum ſextò & Criſpum Cæſarem tertiò referendum erat.

Conſtantinus hoc bello Belgis & Francis uſus.

15. Hæc porrò Conſtantini contra Licinium bella fuſiùs narrare viſum fuit, quia in Annalibus confuſiora ſunt; tum verò quia Conſtantinum in iis fideli Belgarum operâ uſum nihil dubito: Imò etiam Francorum, teſte Ammiano libro 15. cap. 14. cum *Bonitum Francum pro Conſtantini partibus, in bello civili acriter contra Licinianos ſæpè verſatum*, velut in tranſitu meminit. Denique quòd haſce victorias eidem Crucis ſigno, quod in Belgicâ primùm viderat, retulerit acceptas; ut fuſiùs Euſebius in ejus vitâ, l. 2. c. 7. 8. 9. Atque ex hac Conſtantini de Licinio victoriâ clarum eſt, Helenam ejus matrem è Galliis & Occidente non potuiſſe in Orientem Antiochiamque, ante annum hunc Christi 324. aut 325. venire. nedum Agroecium Antiochiâ Treviros adducere: ut ſuprà monui.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER NONUS.

PRÆFATIO.

CONSTANTINUM Magnum, etſi vel Britannus vel Dardanus fuerit, ad Belgium tamen noſtrum nonnihil attinere ſatis compertum eſt. Parens ejus Conſtantius & ipſe Dardanus, cùm anno Chriſti vulgari 293. Cæſar creatus eſt, Galliam ſub Maximiano Herculio, cum Hiſpaniâ & Britanniâ, regendam accepit: Treviris maximè rerum ſuarum domicilium fixit; Bataviam à Francis, maximè Friſiis, qui cum Saxonibus juncti tunc erant; Bononiam & Britanniam à Carauſio primùm, tùm etiam ab Alecto recepit. Mox à Maximiano abdicante dictus Auguſtus, Galliam maximè Belgicam tenuit, Auguſtæ Trevirorum ut plurimùm incola. Nec inde ſe, niſi in Britanniam ibidem moriturus proripuit. Filius ejus Conſtantinus ſucceſſor & Cæſar ab eo dictus, è Britanniâ redux, Treviros pariter incoluit; Francorum Reges Aſcaricum & Gaiſum captos feris objecit; ut eo terrore Francos cohiberet. Treviris Maximianum Herculium Treviros dolosè redeuntem excepit; ab eo Auguſti nomen, & filiam Fauſtam, ſecundam uxorem, priore Helenâ repudiatâ, accepit, liberos ſex ex eâ ſuſcepit; Maximianum ipſum Imperio rurſus inhiantem, ad mortem adègit: Crucis ſignum in cœlo vidit, quo & ad Chriſti fidem acceſſit; ad eam ab Epiſcopis maximè noſtris, inſtructus. Ibi militem & arma in Maxentium paravit; inde in Italiam Romamque movit; poſt Vitellium & Traianum tertius è Belgicâ Imperator apparuit. Mox in Belgicam redux, in Licinium indidem copias in Pannoniam Thraciamque eduxit; & tandem anno Chriſti 324. Monarchiam Belgicis maximè Franciciſque copiis obtinuit. Prorſus uti Belgicus Imperator haberi meritò poſſit. Quare Lectorem mirari non convenit, ſi res ejus, etiam extra Belgium geſtas accuratiùs, tanquam Belgæ noſtratis exequor.

Continebit hic Liber nonus annos omnino triginta; à Synodo Nicænâ, ſeu ab anno Chriſti 325. ad Conſtantii victoris in Gallias & Arelatem adventum: ſeu ad annum Chriſti 354.

CAPUT PRIMUM.

Conſtantini jam Monarchæ primæ res in Oriente geſtæ. Arii hereſis. SYNODUS NICÆNA.

Anno Chriſti 324 & 325.

Tranquillitas Orientalis.

Lib. 2. vita Conſt. c. 19 & ſeqq.

1. AB Licinii interitu ad Concilium Nicænum menſes ferè 13. aut 14. intercedunt. Quo tempore quid à Conſtantino Nicomediæ tunc degente actum ſit; paucis expediam. Fusè, more ſuo, narrat Euſebius, Sub uno jam Imperatore & Monarchâ Conſtantino omnes Imperii Romani provincias tranquilliſſimo rerum ſtatu potitas: Eccleſias Orientales diu hucuſque perſecutionibus proſtratas erigere ſeſe cœpiſſe; fideles profugos & exules à Conſtantino revocatos; bona ademta illis aut cognatis, aut cum utrique deeſſent, Eccleſiis reſtituta, & ſimilia. Prorſus ut ſicut antehac in Occidente, ita modò in Oriente fides Chriſtiana non parum accreſceret. Cum ecce ridente aurorâ tætra ſubito nubes, & tetrior è nube tempeſtas.

Hæreſis Arianæ ortus.

Arius argutulus.

Dicit filium Dei genitū habuiſſe principium

2. Erat Alexander Alexandriæ in Ægypto poſt S. Petrum & Achillam Epiſcopus. *Hic quodam tempore* (ait Socrates l. 1. c. 3.) *præſentibus Presbyteris qui ſub ipſo erant, reliquoque Clero curioſius aliquanto & ſubtilius de S. Trinitate diſſeruit: unitatem in Trinitate eſſe philoſophatus. Arius e Presbyterorum illorum numero* (Alexandrum in Epiſcopatu ſibi prælatum jam antè non ferens, addit Theodoretus lib. 1. cap. 2.) *ut dialecticarum argutiarum non ignarus, ſuſpicatus* (aut calumniatus) *Epiſcopum Sabellii Afri errorem velle renovare, illi acerbè contradixit; affirmans: Si Pater genuit filium, eum qui genitus ſit, ſuæ eſſentiæ habuiſſe principium. Indeque perſpicuum eſſe, tempus fuiſſe, quando non erat filius. Neceſſarioque ſequi, eum ex nihilo eſſentiam habuiſſe. Cùm iſta novâ quadam & inaudita ratione concluſiſſet; complures ad quærendum de iiſdem incitavit. Et ex ſcintillâ perexiguâ ingens flamma incenſa eſt.* Iſta Socrates, quibus Proſper in eo quod ab O. C. contexuit Chronico, adjungit: *Prædicabat Arius, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum non eſſe unius ejuſdemque naturæ, aut ut expreſſius dicatur, ſubſtantiæ: quæ οὐσία Græcè appellatur. Ita ut Filius Patre minor, Spiritus autem Sanctus etiam filio haberetur inferior.* Atque hæc omnia ante Licinii bellum, ſaltem hoc poſtremum, geſta.

Eóque excommunicatur.

3. *Cum Eccleſia jam à perſecutionibus liberata eſſet* (aiunt Metrophanis & Alexandri apud Photium acta) *Martyrumque certaminibus illuſtrata* (igitur jam extincto Licinio) *Arium Alexander Alexandriæ Epiſcopus monere & hortari perrexit*, ut deſiſteret. *Cum nihil proficeret, ancipiti illum Eccleſiæ gladio reſecat.* Erat *Euſebius* quidam primò *Berytenſis in Phœnicia Epiſcopus.* Sed *Berytum deſpiciens, Nicomedienſi Eccleſiæ inhiaverat.* ubi ſcilicet paulò antè Diocletianus palatium ædificaverat, ait Socrates lib. 1. cap. 3. ſub finem; quæque ideo Orientis caput tum eſſe videbatur, nondum eo honoris evectâ Conſtantinopoli. *Nicomedienſi igitur Eccleſiam cùm ille callidè occupaſſet*; Conſtantiæ ſororis Conſtantini favore, ut creditur; Arium, ab eo præſertim rogatus (ut Theodoretus lib. 1. c. 5. & 6.) *ejuſque ſectatores defendendos imprimis ſuſcepit.* *Sed hos Concilium centum prope Epiſcoporum, qui ex Ægypto Africaque agente Alexandro convenerant, anathemati ſubjecit ac damnavit.* Ita Acta. *Simul Alexander litteras hac de re circulares ad varios Epiſcopos mittit* (addit Socrates) *Quibus Euſebius graviter perſtrictus, Conſtantinum Imp. apud quem tunc Nicomediæ ſimul agentem non parum poterat, primò monuit; ſimul ad Alexandrum Alexandrinum ſcribit, ut abdicatione abrogatâ Arianos in Eccleſiam denuo admitteret.* quod ille renuit.

Pro eo tamen ſtat Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus.

Et Conſtantia Conſtantini ſoror.

4. Conſtantinus igitur Imp. Nicomediæ ceu Orientis jam victi Metropoli agens, & hæc intelligens, incredibilem (ait Socrates) animo dolorem hauſit. quóque tam ardens incendium reſtingueret; literas per unum ſpectatum ac fidelem OSIUM. re ac nomine ſanctum Cordubæ Epiſcopum (aiunt cum Socrate Acta Metrophanis & Alexandri apud Photium) ſive ille fortè tunc, ſive à Sylveſtro Pontifice Romano ſubmiſſus, Nicomediæ in aula Conſtantini moraretur; literas, inquam, binas Alexandriam mittit; alteras ad Alexandrum Archiepiſcopum, alteras ad hæréſeos fontem Arium. quarum prioribus cum Ario humaniter agi petebat; poſterioribus ut Arius ipſe rabie depoſitâ cum Eccleſia conſentiret: contentione item & controverſiis cum aliis abſtineret, ni multis multorum malorum cauſa eſſe vellet. Ne ſic quidem Arius aut clari illius Hoſii præſentiâ doctrinâve, aut Imp. monitione pertinacem errorem deſeruit.

Oſius Cordubæ Epiſcopus Arium monet.

Fruſtrà.

5. *Acceſſit & ſecunda diſſidii lues, de tempore ſcilicet feſti Paſchalis celebrandi tunc exorta quæſtio. quæ tamen per Orientis partes ſolummodò pervadebat. dum alii more Judæorum* (ſcilicet ut quartadecima Lunâ Niſan, in quamcumque illud feriam incurreret) *celebrandum contendunt: Alii Chriſtianorum toto orbe conſuetudinem retinendam cenſent.* Nempe ut die Dominica dumtaxat, poſt quartamdecimam proximâ, qua Chriſtus reſurrexit, Paſcha Reſurrectionis non Crucifixionis ageretur. Atque duplicem hanc habendæ Synodi cauſam, ipſe quoque notat Athanaſius, eodem de Synodis libro.

Altera de die Paſchatis contentio.
Socr. l. 1. c. 4.

6 Duabus igitur hiſce præcipuè cauſis Imp. Epiſcopos undique per litteras acceſſit; & Nicæam Bithyniæ urbem, Nicomediæ ubi degebat, confinem convenire jubet. Trecenti & 18. conveniſſe Epiſcopi, ex Oriente fere omnes; nempe Ægypto, Lybiâ, Syriâ Meſopotamiâ, Aſiâ, Græciâ. Romæ Epiſcopus ingraveſcente ætate præditus abſuit quidem, ſed Legatos miſit. Ex Hiſpaniis unus dumtaxat Oſius Cordubenſis interfuit. E Gallis noſtratibus & Britannis nullus memoratur; quòd illos nulla Concilii iſtius cauſa tangeret. Nam Paſcha quidem die Dominicâ cuncti celebrabant; & ſi quæ dubitas ſuper illo naſcebatur à Romano Pontifice pendebant, juxta primum Arelatenſis Concilii ante decem annos habiti Canonem: pro quo Romani ipſi Centenarium illum Paſchæ Laterculum, ab anno Chriſti 312. ad 411. condiderant; quem nos cum Victorio nuper edidimus; paginâ 253 & ſequentibus. Notat quidem Beda de ratione temporum cap. 44 & 49 Galliarũ Eccleſias Paſchæ diem Martii viceſimo quinto celebrare ſolitas, in quamcumque feriam incideret. Verùm ut mos ille jam antè non deſiiſſet, Centenarius tamen iſte Laterculus, circa Arelatenſe Concilium editus, morem eum ſuſtulerat; nempe ad Lunæ Soliſque Cyclum aptatus, & Paſcha die Dominico ſemper indicens. Quare nihil de novo hac in re Nicæni Patres illis imperandum habebant.

Annus Chriſti 325. Dionyſ. Nicæam conveniunt Epiſcopi 318 omnes ferè Orientales.

Ex Occidente fere ſolus Oſius Hiſpanus.

Gallus nullus.

7. Arriana verò hæreſis vixdum illos afflaverat; nedum pervaſerat; ſi Hilarium quidem Pictavienſem in Galliis Epiſcopum longè doctiſſimum audimus libro de Synodis: quando neque ſe, etiam cum Epiſcopus aliquantiſper eſſet; neque Gallicanos alios pleroſque Antiſtites, ad quos paulo ante Synodum Ariminenſem, ſeu annum Chriſti 359. ſcribit, aliam ab Apoſtolicâ fidem, fideíve Symbolum, *audiviſſe* diſertè ſcribit. De ſe quidem his verbis: *Regeneratus pridem, & in Epiſcopatu aliquantiſper permanens* (nota) *fidem Nicænam nunquam niſi exulaturus, audivi: ſed mihi Homouſii & Homoiouſii intelligentiam Evangelia & Apoſtoli intimaverunt.* De aliis autem Galliarum Epiſcopis collegis ſuis, ac Belgicæ noſtræ præſertim Epiſcopis, ad quos libellum iſtum de Synodis mittit; *O vos*, inquit, *beatos in Domino & glorioſos, qui perfectam atque Apoſtolicam fidem conſcientiâ & profeſſione retinentes, conſcriptas fides hucuſque neſciſtis! Non egiſtis literâ qui ſpiritu abundabatis. Neque officium manûs ad ſcribendum deſideraſtis, qui quod corde à vobis debebatur* (ſeu credebatur) *ore ad ſalutem profitebamini. Neque neceſſarium habuiſtis Epiſcopi legere, quod regenerati Neophyti tenebatis.* Tanta ecce puritas, tam ſancta nativaque fidei ſimplicitas noſtrates pleroſque, etiam poſt Synodum Nicænam, tenuit Antiſtites. Ut non mirum ſit conventui iſti non adfuiſſe, quos ne illius quidem fidem tanto pòſt *audiviſſe*, ex tanto Doctore intelligimus. Sicut ergo ad Synodum Arelatenſem nullos Orientales vocavit Conſtantinus, utpote tùm ſub Licinii imperio degentes; ita neque ad Nicænam Occidentales, quos nulla Concilii cauſa tangebat. Ita duas contentiones ſub ſe natas duabus Synodis componi, Donatiſtarum Arelatenſi; Arrianorum Nicænâ: Paſchatis controverſiam ab utraque decidi curavit. Ad Arelatenſem Occidentales vocavit; ad Nicænam ſolos Orientales. ex duabus iſtis unam ſe Oecumenicam totius Imperii confeciſſe credidit. Porrò ſi quos ex Galliis Epiſcopos Nicæam evocaſſet, ſaltem Maternum Agrippinenſem, doctorem ſuum; aut Agroëcium Trevirenſem, quaſi Galliarum Patriarcham evocaſſet. Nullus eorum comparet.

8. Sic ergo tantæ Synodi celebratione, &

hæreſeos

hæreſcos Arrianæ ſaltem ad tempus, repreſſione, Conſtantinus famâ & meritis ingens evaſit: tantò major, quanto nullius ante exemplum in tam intricatâ re ſecutus. *Factum autem hoc Concilium à die 18. Kal. Julias*, ſeu Junii 14. qui tunc in feriam 2. poſt octavam Pentecoſtes, quam Trinitatis Dominicam hodie vocamus, *uſque ad diem octavum Kalendas Septembris*, ſeu Auguſti diem 25. tunc Sabbathum. per duos nempe menſes, & dies inſuper 12. *Paulino & Juliano Coss. anno Alexandri Magni 636. Ærâ Hiſpanicâ 363.* teſtatur ex variis auctoribus hoc anno Baronius §. 8. & 9. Addit paulò ante §. 4. ex tribus Euſebii Cæſarienſis locis, habitum *anno Imperii Conſtantini 20.* Sanè Vicennalia Conſtantini hoc anno Julii 25. die iniiſſe & eodem ſequentis anni die exiiſſe, ex antedictis omnibus clariſſimum eſt. Unde & in Euſebiani Chronici fine ad annum Chriſti, Dionyſianum quidem ſeu vulgarem 325. legimus; *Vicennalia Conſtantini Nicomediæ acta; & ſequenti anno Romæ edita.* Quod idem confirmat Alexandrinum Chronicon, *Indictione 13* inquit, *Paulino & Juliano Coss. anno Chriſti in cœlum aſſumpti 295 Imperii Conſtantini 20. menſis Deſii ſeu Junii 19. Nicænam Synodum Conſtantinus celebrari & Symbolum edi curavit. Conſtantium (non ut mendosè Conſtantem) Cæſarem 6. Idus Novembris Auguſtum declaravit: eodemque tempore Vicennalia celebravit.* Nicomediæ ſcilicet, ubi poſt Nicænam Synodum anni hujus reliquum egit: Romæ autem anno ſequenti, ſi non (quod tamen veriſimile ſit) ipſo initi quondam Imperii die 20. finiente, Julii ſcilicet 25. certè eorum menſium aliquo qui à Martio ad eumdem Julii 25. interfluxit; Æræ vulgaris Chriſti anno jam currente 326.

Tempus & dies Cõcilii Nicæni.

Annus Chriſti Dion. 326.

9. Quæ omnia tam accuratè notare viſum, quòd idem Chronicon Alexandrinum poſt Vicennalia Nicomediæ menſe Novembri celebrata, ideoque poſt finem anni Chriſti 325. ſubdat; *Criſpum Cæſarem filium ſuum calumniis appetitum, Conſtantinus occidit.* Apertiùs atque diſtinctiùs Idatii faſti, *Conſtantino 7. & Conſtantio Cæſare Coss.* (is planè eſt annus Chriſti vulgaris 326.) *occiſus eſt Criſpus, & edidit Vicennalia Conſtantinus Auguſtus Romæ.* Denique, quod caput eſt, Treviris quoque Nummi eruti, & à Browero noſtro exhibiti, CRISPUS NOB. CÆS. VOTIS XX. quod nonniſi ipſa Decennalium celebratione Principis alicujus voveri ſolitum ſatis conſtat. Decennalia igitur ſua Martiis hujus anni 326. Kalendis ineuntia celebrarit Criſpus, ſi non & ipſa Patris Romæ Vicennalia. Quibus tamen diu ſuperfuiſſe non videtur, mox à patre jam Monarchâ crudeliter interfectus. *Rerum ſecundarum inſolentia*, ait Eutropius, *aliquantum Conſtantinum ex illâ favorabili animi docilitate mutavit. Primùm neceſſitudines perſecutus, egregium virum* (Criſpum ſcilicet) *& ſororis filium* (Licinium juniorem, ſeu ut Victor vulgaris appellat, Licinianum) *commodæ indolis juvenem interfecit: mox uxorem, poſt numeroſos amicos.* Victor vulgaris: *Conſtantinus obtento totius Romani Imperii, mirâ bellorum felicitate, regimine; Fauſtâ conjuge; ut putant, ſuggerente, Criſpum filium necari jubet: dehinc uxorem ſuam Fauſtam in balneas ardentes conjectam interemit: cùm eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet.* Victor Schotti: *Natu grandior* (Conſtantini filius Criſpus) *incertum quâ cauſâ, judicio Patris occiditur.* Idem de incertâ cauſâ ſcribit Oroſius. Non diſſimulat Zoſimus l. 2. *Poſtquam univerſum Imperium ad unius Conſtantini poteſtatem rediit*, &c. *Et ubi Romam rediit, omnis adrogantiæ plenus* (ita loquitur Ethnicus ſcriptor Conſtantino infenſus) *ab ipſo lare ſibi ſumendum impietatis exordium putavit. Nam Criſpum filium Cæſaris, ut ante dixi, titulo ornatum, quod in inceſtæ cum Fauſta novercâ conſuetudinis ſuſpicionem veniſſet, nulla ratione juris naturalis habitâ, ſuſtulit. Cumque Conſtantini mater Helena tantam calamitatem ægre ferret animo, & intolerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet; quaſi conſolans eam Conſtantinus, malum malo majore ſanavit. Nam cùm balneum ſupra modum accendi juſſiſſet, eique Fauſtam incluſiſſet, mortuam inde extraxit.* Sidonius etiam quomodo Criſpus interierit, ex Ablavio Conſulo ediſſerit; *Iiſdem ferè temporibus extinxit Conſtantinus conjugem Fauſtam calore balnei, filium Criſpum frigore veneni.* Criſpi verò necem *Polæ in Iſtria* peractam, notat Ammianus lib. 4. fin. quo ſcilicet eum pater Româ, occultandâ cæde relegaverat. Hic finis Criſpi, qui Treviris ſi non ortum, moram certè commorationemque ſuam diu traxit; tot in Galliis adverſus Tranſrhenanos bella; & Licinianum etiam in Græciâ cum patre tam ſtrenuè geſſit. hoc uno felix, quod Chriſti fide ac baptiſmo initiatus fuerit; ut ex Numiſmate & Nicephoro probat Baronius.

Criſpus à patre cæſus.

Vicennalia Conſtantini, bis celebrata.

Conſtantinus ſuos perſecutus: etiã Fauſtam uxorem.

Lib. 7. c. 28

Lib. 5. ep. 8.

10. Cæterùm ex hac nece, duo quædam inſecuta, ſunt qui putent; Primum, Conſtantini Romæ baptiſmum, tum iter Helenæ Hieroſolymitanum, ſeu ad Crucis inventionem, ſeu ad dolorem ex nepotis interitu conceptum nonnihil mitigandum. Baptiſmum quidem Romæ à Conſtantino ſuſceptum, quo tantam crudelitatem expiaret, ex Zoſimo probat aliiſque pluribus Baronius, ſanè probabiliter. Quamvis Euſebius Conſtantino familiaris, Ambroſius, & in Chronico Hironymus, Conſtantinum fine primùm vitæ baptizatum, & quidem *in Arrianorum dogma declinantem*, diſertè ſcribant. Nos ea Lectoris examini relinquimus, & Belgicis rebus magis intenti, ad Baronium, Spondanum, aliósque remittimus.

Conſtantini Baptiſmus.

11. Helenæ verò in urbem Hieroſolymorum peregrinationem licèt pietas peperiſſe dicatur, non malè; nihil obſtat tamen, quin pietati conceptus de nepotis cæde mœror jungi potuerit: Sanè eam ægerrimè tuliſſe, imò *intolerabilem inde dolorem percepiſſe* diſertè teſtatur Zoſimus; Victor autem vulgaris etiam addit, eam *nimio dolore nepotis, Conſtantinum filium Imperatorem increpare* non ceſſaſſe. Cui ſanè importuno moleſtóque luctui, quin aptam peregrinatio tam ſancta potuerit afferre medicinam, nemo non videt. & aptiùs in hunc unum eumdemque Chriſti annum 326. ambo concurrunt, nepotis inquam cædes, & iſta peregrinatio; quæ tam duram aviæ crucem quæſitâ inventâque Chriſti cruce prorſus eraſerit animo. præſertim cùm ut materialem illam jam effoſſam corporis ulnis amplecti ſuaviarique non deſiit: ita & interiorem iſtam de nepotis interitu tanto pungentiorem, ultro mente complecti, Chriſtoque offerre, donec animo eum fœnore deleretur, haud ceſſaverit.

Chriſti Crucem invenit Helena.

CAPUT II.

Magiſtratuum novorum à Conſtantino inſtitutio. Præfecti Prætorio quatuor, & qui. Magiſtri militum, equitum, peditum, &c.

Ad annum Chriſti 330. 331. &c.

Pax in Belgicâ.

1. COnſtantinum inde ædificanda ſui nominis urbe occupatum Thracia diu tenuit. donec eam denique anno Chriſti 330. 11. Maii, feria ſecūda. Scriptorum omnium conſenſu dedicavit. Quo tempore Belgii noſtri Galliarumque res in obſcuro latent, altâ credo pace quietem ſilentiumque præſtante, & tranquillum noſtræ Religionis incrementum offerente. uſque adeò ut Conſtantinus junior, Conſtantini primogenitus, vix 14. annorum adoleſcens, ad mortem patris eas pacatè rexerit. Tantum Hieronymus in Chronico, ad annum Conſtantini Auguſti 31. qui eſt vulgaris Chriſti 336. notat: *Tiberianus vir diſertus, Præfectus Prætorio, Gallias regit.* Quod idem de Titiano addit anno Chriſti 345. Sed præcipuum, omniumque primum tacet Ambroſium, ſancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi patrem. Nam hunc filium Paulinus vitæ illius ſcriptor diſertè, *natum infantem in areâ Prætorii in cunabulis poſitum* ſcribit. S. Ambroſium autem anno Chriſti 333. in lucem editum, ipſius ætas evincit, rectè à Baronio aliiſque deducta. Quo fit, ut patrem quidem eo anno Præfectum Prætorio Galliarum; filium autem Gallum. & quidem Belgam Trevirenſem aſſerere cogamur; quando Præfecti Prætorio Galliarum ſedem ordinariam, ſicut & Imperatorum, non alibi quàm Auguſtæ Trevirorum per hæc tempora fiſam, docet nos hujus temporis hiſtoria. Nam Arelatum, quod hic quidam ingerunt, vix 90. poſthac annis, in Galliarum Metropolim, & quidem Treviris quadruplici jam everſione proſtratis, ab Honorio Imp. provectum, infrà videbimus. Ita tres habemus Prætorio Galliarum per hæc tempora Præfectos, ſi non omnino primos (quod mihi tamen probabile) certè ex primis: Ambroſium patrem, Tiberianum, & Titianum.

Ambroſius S. Ambroſii pater præfect. Galliæ.

Diviſio Imperii in Occidentale & Orientale.

2. Nimirum Conſtantinopoli conſtructâ, ut duplex tunc Imperium, Occidentis & Orientis Conſtantinus erexit: ita nova Magiſtratuum officia ſapienter inſtituit. De quibus, quia in ſequentibus ſermo crebrior habendus, aliqua hîc evolvere neceſſe eſt. Zoſimum audiamus; licèt Conſtantino iniquiorem: Poſt exſtructam Conſtantinopolim, Conſtantinus *conturbavit & Magiſtratuum officia, jam olim inſtituta. Nam cùm duo eſſent Præfecti Prætorio, qui hoc officium communiter gerebant, non palatini tantum ordines eorum curâ poteſtateq; gubernabantur; ſed etiam ii, quibus urbis erat commiſſa cuſtodia; & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum Prætorio Magiſtratus, qui poſt Imperatorem ſecundus exiſtimabatur; & annonas erogabat, & contra militarem diſciplinam admiſſa, convenientibus pœnis corrigebat.* Ita Zoſimus, de primâ câque ampliſſimâ, Præfecti Prætorio poteſtate. Juverit tamen hic & Caſſiodorum plura ſuggerentem adjungere: *Joſeph,* inquit, *primus hujus dignitatis infulas conſecravit: Ipſo carpentum reverendus aſcendit; ad hoc gloriæ culmen evectus, ut per ſapientiam conferret populis, quod præſtare non potuerat potentia dominantis. Ab illo namq; Patriarcha, & nunc PATER appellatur IMPERII. Quædam enim huic dignitati & nobiſcum jura communia ſunt. Fiſcum pro ſua deliberatione diſtribuit: evectiones ſimili poteſtate largitur: vacantia bona proſcribit: delicta provincialium Judicum punit: verbo ſententiam dicit. Prim eſt ut Leges poſſit ſcribere. Poteſtate, nulla ei dignitas eſt æqualis. vice ſacrâ ubique judicat. gratanter implemus quæ ille conſtituit: cujus reverentiâ & nos ita conſtringimur, ut ſine dubitatione faciamus, quæ illum decreviſſe cognoſcimus. Non immeritò. quando Palatium,* ſeu Prætorium noſtrum, *ſuâ proviſione ſuſtentat; ſervientibus nobis procurat annonas: humanitates quoq; Judicibus ipſis facit: Legatos gentium explet ordinationibus ſuis. Et licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab iſtâ totum penè geritur, quidquid Imperio noſtro æquabili moderatione tractatur. Hæc denique eſt curarum omnium pulcherrima moles.* & in fine: *Si prædictus Auctor ſanctiſſimus ille* (Joſeph) *recolatur, quoddam Sacerdotium eſt, Præfectura Prætoriana competenter agere dignitatem.* Similia habet in Præfatione Variarum. Unde aptè Ammianus lib. 21. c. Præfecturam hanc *apicem honorum & ſecundum Imperium* rectè vocat. aut ut Eunapius in prohæreſio, Βασιλείαν ἀπόρφυρον, *Regnum cui ſola purpura deeſt.* Tanta erat Præfectorum Prætorio poteſtas: quos ante Conſtantinum duos tamen fuiſſe dicit Zoſimus. qui ita pergit:

è Caſſiodoro, lib. 6. form. 3.

Vide etiam Sirmondi lib. Epiſt. 16. 1. Sidonii.

Quatuor Præfectos Prætorio Conſtantinus inſtituit.

3. *Conſtantinus autem rectè conſtituta loco movens, unum hunc Magiſtratum in quatuor imperia diſcerpſit. Nam uni Præfecto Prætorii* (Orientali ſcilicet) *totam Ægyptum cum Lybia Pentapoli, & Orientem ad Meſopotamiam uſque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armeniam, oramque maritimam totam, à Pamphyliâ Trapezuntem uſque, & uſque ad caſtella propter Phaſidem ſita, tradidit. eidem & Thracia commiſſa, & Myſia, & Cyprus & Cyclades. Alteri* nempe Præfecto Illyrici, *Macedonas adtribuit, & Theſſales, & Cretenſes, & Græciam, & circumjacentes Inſulas, & Epirum utramque; & præter hos Illyrios & Dacos, & Triballos & Pannonios, ad Valeriam uſque & Myſiam ſuperiorem* Hi duo erant Præfecti Prætorio Orientalis Imperii. Totidem in Occidentali inſtituti. *Tertio* igitur nempe Italiæ Præfecto, *totam Italiam, Siciliam, Sardiniam, & Corſicam, & Africam à Syrtibus Cyrenen uſque. Quarto Tranſalpinos Celtas, & Hiſpanos tum inſulâ Britannica commiſit.* Hic Præfectus Prætorio Galliarum à præcipua provincia dicebatur, ſicut & præcedens Italiæ.

Præfecti Prætorio officium. è Zoſimo, lib. 2. hiſt.

Magiſtri militum; equitum & peditum.

4. *Hac ratione diviſo Præfectorum Magiſtratu, ſtudioſè tenatum eſt aliis quoque modis eorum poteſtatem minuere. Nam cùm ubique locorum militibus præeſſent non modo centuriones ac Tribuni; verùm etiam Duces (ſic enim appellabantur) qui quolibet loco Prætorum vicem obtinebant; Magiſtris Militum inſtitutis, altero Equitum, Peditum altero; & in hos tranſlata parte militum ordinandorum & coërcendi delinquentes; hac etiam in parte Præfectorum auctoritati detraxit. Id verò tam pace quam bello detrimentum rebus attuliſſe, me protinus indicante patebit. Quippe dum Præfecti*

Prætoriis ubique terrarum tributa per adparitores ſuos exigerent, & militarem ex iis ſumptum facerent; idemque milites dicto audientes haberent: in ſuſtinendis ob delicta pœnis, prout ipſis ea coërcenda viderentur; non abs re milites cum animis ſuis cogitantes, eum qui annonam & ſtipendium præberet, delinquentes etiam punire; nihil agere præter officium audebant: partim annonarum ademptionem, partim præſentem coërcitionem veriti. Nunc cùm alius ſit qui ſtipendium exhibet; alius cujus arbitrio militum coercitio commiſſa eſt; omnia pro imperio agunt: ne dicam majorem annonæ partem Ducis & adparitorum ipſius lucro cedere. Hactenus Zoſimus.

Magiſtratus alii Civiles alii Militares.

5. Quæ omnia quò clariora reddantur & ſuppleantur, moneo, Magiſtratuum à Conſtantino tunc inſtitutorum alios fuiſſe *Civiles* ſeu *Politicos*, alios *Militares*. Civiles erant *Præfectum Prætorio*, *Præfectus Vrbis* ſeu Romanæ ſeu Conſtantinopolitanæ, qui tum incœpit. Præfecti Prætorio Eminentiam jam è Zoſimo Caſſiodoroque audivimus. niſi quod curam rei militaris Magiſtri militum de ejus antiqua juriſdictione decerpſerint. *Præfectum Vrbi Romanæ* Conſtantino longe antiquior eſt; ut ex libello Præfectorum à nobis nuper edito, & ab anno Chriſti vulgari 254. deducto liquet. Imò jam inde ab Auguſto cœpiſſe docent Tacitus ac Dio. Rurſus Præfecti tam Prætorio quàm Urbani, quia latè patebant, Vicarios habebant. Nos de Prætorianis tantùm, & quidem Gallicanis præſertim (quando ceteri præter inſtitutum ſunt) agemus. Præfectus Prætorio Galliarum tres ſub ſe Vicarios habebat: primum Galliarum ipſarum: cui ſuberant Galliarum provinciæ primùm quidem 14. tum etiam 17. Ac ſub Conſtantino & filiis, *Conſulares* quidem erant *Belgicæ quatuor*; *Lugdunenſis prima* Senoniam tunc adhuc complexa; *Viennenſis* item *prima*. Ceteræ Præſidiales erant; nempe *Lugdunenſis ſecunda* Rotomagenſem ac Turonenſem adhuc comprehendens; *Aquitania tres*; *Narbonenſis* quæ etiam mox Viennenſis 2. *Alpes Maritimæ*, *Alpes Graiæ*, & *Maxima Sequanorum*. Has enim 14. ſolas recenſent Hilarius Pectavienſis Epiſcopus, Sextus Rufus, & Ammianus Marcellinus. Sub ſequentibus Imperatoribus tres acceſſere; duæ quidē ſub Theodoſio Magno, nempe *Lugdunenſis tertia* ſeu *Turonenſis*, ex ſecunda Rothomagenſi deciſæ, & Quarta *Senonia* ex Lugdunenſi Primâ. Denique *Viennenſis tertia* ſeu Aquæ-Sextienſis, ex Viennenſi prima neſcio à quo diſſecta. Atque hinc etiam patet, quod aliquoties ſupra monui, Belgicam ſtrictè ſumptam in duas ſub Conſtantino, non ſeriùs partitam. quando prædicti Auctores, qui nonniſi duas Lugdunenſes admittunt, quatuor tamen Belgicæ latè ſumptæ agnoſcunt. Ceterùm Galliarum Vicarium iſtum, ſunt qui non 17. ſed 7. dumtaxat Provinciarum ſub Arelato Metropoli fuiſſe volunt. Earum nempe quæ in Meridiem vergunt; Aquitaniarum trium, & 4. Viennenſium. Reliquas Boreales decem, quatuor nempe Belgicas, 4. Lugdunenſes, Maximam Sequanorum, & Alpes Graias ab ipſo Præfecto Prætorii immediatè rectas; qui Treviris ut plurimum ſedem habebat. De quo judicium Lectori relinquo.

Vicarii.

Provinciæ Galliarum aliæ Conſulares aliæ Præſidiales.

Vicarius Galliarum.

Vicarius Hiſpaniarū.

6. Secundus Præfecti Prætorio Galliarum Vicarius, dicebatur Hiſpaniarum; ſex Provinciis impoſitus; Conſularibus quidem duobus, teſte Rufo, Bœtica & Luſitanâ; ceteris Præſidialibus Tarraconenſi, Carthaginienſi, & Gallæcia; deinde transfretum in Africæ ſolo, Tingitanâ Mauritaniâ. His ſeptima poſtmodum adjuncta, Baleares inſulæ. TERTIUS Præfecti Prætorio Galliarum Vicarius, Britannias regebat: in quibus provinciæ inerant, juxta Sextum quidem Rufum, tres; Maxima Cæſarienſis, Flavia, & Britannia Prima: Juxta Notitiam verò, etiam Britannia ſecunda, & Valentia, à Theodoſio Auguſti patre ſub Valentiniano primo recuperata, eoque Valentia dicta. Atque hæc de Civilibus in Galliâ Magiſtratibus.

Vicarius Britanniarum.

7. Inter *Militares* is princeps erat, qui *Militum in genere Magiſter* dicebatur. alios, ut puto *Magiſtros* binos ſub ſe continens, *Peditum* & *Equitum*. Notitia Imperii quæ lacerato jam à Barbaris Galliarum imperio contexta eſt, Romanas in iis legiones ac præſidia limitanea, alia à Conſtantini ratione recenſet. Ceterùm falſum planè, quod Zoſimus hic de Conſtantino narrat, exiſtimo. *Fecit*, inquit, *& aliud quiddam Conſtantinus, quod in ditionem populi Romani liberum Barbaris aditum præbuit. Nam cùm Imperium Romanum extremis in limitibus, ubiq; Diocletiani providentiâ, oppidis, caſtellis, atque Burgis incluſum eſſet; omneſq; copiæ militares in iis domicilium haberent; fieri non poterat, ut Barbari tranſirent; ubique copiis hoſtium repellendorum cauſa occurrentibus. Hanc præſidiorum munitionem Conſtantinus abolens, majorem militum partem de limitibus ſubmotam in oppidis nullius opis egentibus collocavit; à Barbaris vexatos præſidio nudavit; tranquillas & quietas urbes militum peſte gravavit; quâ jam complures ad ſolitudinem redacta ſunt. Milites ipſos theatris & voluptatibus addictos emollivit; denique rerum hactenus pereuntium internecioni principium & ſemina præbuit.* Hucuſque Zoſimus, planè malevolè. Nam præterquàm quod Conſtantini peritia providentiâque militaris id abundè refutaverit, etiam Victor Schotti clarè explodit, his verbis: *A Conſtantino pons per Danubium ductus* (quod idem Coloniæ Agrippinæ factum ſuprà vidimus, Barbaris ſcilicet ultro invadendis) *Caſtra caſtellâque pluribus locis commodè poſita.* nedum relicta nudatáve.

Conſtantinus præſidia militaria non ſuſtulit. *Zoſim. l. 2*

8. Porro præter Civiles Militaréſque Magiſtratus, fuerunt & alii Dignitatum tituli, quò inter plures differrentur honores. Horum nonnulli dumtaxat *Honorarii*, & quaſi Vacantes erant. Quo in genere Patriciatus eminebat. *Illum honoris*, non Magiſtratus *titulum*, ait Zoſimus, *primus Conſtantinus excogitavit, lataque lege ſanxit, ut qui hunc conſecuti fuiſſent, ſupra ipſos Præfectos Prætoriorum ſeſſitarent.* Et Caſſiodorus; *Honor* (ait) *iſte cinctus eſt, cùm vacaret; nihil juriſdictionis habens, & judicantis cingulum non deponens: in quo felicitas perpetua naſcitur, dum ſucceſſoris ambitio non timetur. Nam mox ut datus fuerit, in vita tempus reliquum homini fit coævus.* & paulò poſt: *Præfectorios & aliarum dignitatum viros præcedit; uni tantùm cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis* (Regibus & Imperatoribus) *conſtat aſſumi.* nempe Conſulatui. inter quem ceu honorum apicem, & Præfecturam Prætorii medius erat Patriciatus, non tam poteſtate, quàm honore; Magiſtratus enim non erat; ſed eò ſolùm inſtitutus, ut ſuſpectam Præfecti Prætorio dignitatem minueret. PATRICIUS autem ideò dictus quaſi Pater & Adjutor Imperatoris ait Paulus Diaconus in hiſt. Longobardorum. Quod monere viſum, ne Lector ſequentis legens miretur, Militum Magiſtros, adeóque ipſos Prætorio Præfectos ſæpè

Patricii dignitas.

…onſtanti- …s junior …lius præ- …ctus.

ad Patricii dignitatem evectos; & à rebus agendis ad magnificum juxta & otio gaudentem honorem, ſeu merito, ſeu Principum de Prætorianis diſſidentia traductos. Plura dignitatum muneris qui requiret, Notitiam Imperii conſulat. Nobis hîc ſatis ſit monuiſſe; omnia ſtatim ab extructâ Conſtantinopoli per Conſtantinum erectâ. Et in Galliis quidem noſtris illum filio ſuo Côſtantino poſt Criſpum maximo, ſed vixdum quindecenni, Occidenti impoſito, *Ambroſium* S. Ambroſii Patrem ceu Rectorem adjunxiſſe, ac Prætorio Galliarum Præfectum dixiſſe: cui deinde anno ante mortem proximo, ſeu Chriſti 336. teſte Hieronymi Chronico, *Tiberianum* ſucceſſorem dederit.

…um uxore,

…ib 4. vita Conſt. c. 49.

…e conſan- …guineis.

9. Neque morum tantùm Magiſtrum in Gallia filio dedit, ſed & uxorem, & ſocios ſanguine jûctos. Uxorem quidem datam ex Euſebio hautimus, cùm patrem ejus ſcribit ut *confecto Imperii* 30. ſeu anno Chriſti 336. *ſecundo filio* Conſtantio *nuptias apparaſſe*, ita *grandiorem hunc natu filium* Conſtantinum *multo ante in matrimonio collocaſſe*. Verba iſta *multo ante* nempe ante annum Chriſti 336. planè in hos annos incurrunt. ſed quæ uxor illa fuerit, ignoratur. Treviris tamen, certè in Gallia ductam, mihi quidem conjectura proclivis eſt. Nulla tamen inde proles memoratur. Socios verò illius & quidem conſanguineos ſuggerit Auſonius Poëta in Profeſſoribus, cum de Exuperio Rhetore Burdegalenſi ita canit:

Palladia primum toga te venerata Toloſa,
Mox pepulit levitate pari. Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos, fatalia Regum
Nomina, tum pueros grandi mercede docendi
Formaſti Rhetor, metam prope puberis ævi:
Cæſareum qui mox indepti nomen, honorem
Præſidis, Hiſpanumque ſibi tribuêre tribunal.

Dalmatium ſeu Delmatium Conſtantini Auguſti fratrem primò omnes agnoſcunt. Hujus Delmatii filium item cognominem Delmatium juniorem æquè admittunt; quem & Cæſarem à Conſtantino patruo creatum ſcribunt Hieronymus in Chronico, Victor vulgaris, & Oroſius. Hic autem Auſonius ſatis ſignificat fratrem ei ſaltem unum fuiſſe, cùm plurium numero *Delmatio* patre *genitos* canit. An fortè Annibalianus aliquis ei frater fuerit? Conſtantini certè fratres, horum patruos & unum patrem, Toloſæ aliquando degiſſe, ſi non & hos ibi genuiſſe, canit ibidem carmine 17. idem Auſonius: *Dum Conſtantini fratres opulenta Toloſa exilii ſpecie ſepoſitos cohibet.* Quod quid ſit, excutiat Lector.

Athanaſius à Conſtantino Treviros relegatus, anno 336.

10. Ceterùm ſeptem præter propter annis ab erectâ Conſtantinopoli ſuperſtes fuit Conſtantinus; eoſque omnes ibidem exegiſſe videtur: variis Arrianorum artibus agitatus, & tantùm non circumventus: qui fortiſſimum Concilii Nicæni defenſorem Athanaſium nullo non genere calumniarum & inſidiarum afflixerunt. tandemque ſuis criminationibus pervicaciſſimè repetitis, effecerunt, ut Alexandrinâ ſede avulſus, Treviros in Gallias relegaretur. Treviros igitur advenit anno Chriſti 336. & ab Conſtantino juniore Gallias vice patris moderante, necnon à Maximino ejus civitatis Epiſcopo, Agriciique proximo ſucceſſore ſanctiſſimo (teſte Hieronymi Chronico) populóque bene Orthodoxo, non ut exul, ſed ut Chriſti confeſſor, ac de Arrianâ triumphans hæreſi exceptus, *biennium* ibidem *ac ſex menſes* (ut notat Theodoretus lib. 2. cap. 1.) exegit. Magnam Epiſcopis noſtris, partim Belgis ea tanti viri mora gloriam, majorem etiam fructum peperit. Qui enim pauca huc uſque aut incerta de Arrianorum fraudibus acceperant, tam longâ Athanaſii commoratione mirum quantum in Conſubſtantialis fide inſtructi obſirmatique ſint. Prorſus ut jam inde Maximinus ipſe, & qui eum proxime excepit Paulinus Trevirorum Epiſcopi, in ſequentium annorum Synodis, Sardicenſi potiſſimùm, & Ariminenſi Mediolanenſique, muros ſe pro fide Catholicâ contra Arium firmiſſimos oppoſuerint; velut alteri in Galliis Athanaſii. Idem de vicino Treviris Servatio Tungrorum Epiſcopo ſentiendum; qui licèt ſanctimoniæ & orationibus hactenus quàm controverſiis addictior, ex eâdem tamen cum Athanaſio conſuetudine ceu turris David evaſiſſe viſus, ex quâ mille clypei, & omnis fortium armatura penderet; in Ariminenſi maximè Concilio. Nec dubito quin & ad alios non paucos eadem penetraverit inſtructio, ævi caligine jam ignotos. Magnus certè deinceps Belgicorũ Epiſcoporum in Arrianos zelus, nec minor ad eos confundendos revincendosque lux & doctrina.

A Maximino Trevirorum Epiſcopo humaniter except.

11. Porrò in eo receſſu ſeu exilio Athanaſium, non aliter quàm ſi Alexandriæ verſari perrexiſſet, omnibus ad vitam neceſſariis abundaſſe, omni honore obſervatum, disertè teſtatur Conſtantini junioris ad Alexandrinos pro ejus reſtitutione Epiſtola, quam Socrates atque Theodoretus referunt. Fabella igitur eſt abs otioſis aut ignaris hominibus conficta, Treviris illum in puteo (quem & vulgus oſtentat) latitaſſe; ibidemque celebre illud de Trinitate Symbolum conſcripſiſſe. Cur enim in puteo latuiſſet, quem Conſtantinus junior Galliæ tunc pro patre moderator, ipſe Trevirorum Epiſcopus Maximinus, aliique vicini ferè omnes Antiſtites, tanto honore, tanto amore, tantâ rerum omnium oblatione foverent? Sed & Symbolum iſtud probat Annalium conditor ab eo non Treviris, ſed Romæ poſtea contextum.

Conſtantini mors anno Chriſti 337.

12. Moritur interea Conſtantinus Auguſtus, Maii 22. ipſo feſto Pentecoſtes, ut ex Euſebio Chronicoque Alexandrino diſcimus; & quidem Feliciano Titianoque Coss. Socrate, faſtiſque Idatii teſtibus. Qui omnes characteres annum Chriſti vulgarem 337. certò determinant. cùm à morte patris Conſtantii annos imperaſſet omnino 30. menſeſque inſuper decem. De ejus morte ac baptiſmo, qui plura volet, Baronium, & ejus breviatorem Spondanum, Pontacum in Hieronymi Chronicon, Petavium libro de doctr. temp. 11. cap. 43. & alios legere poteſt. quibus nihil ſuperaddendum habemus.

CAPUT

CAPUT III

Geſta in Galliis ſub Conſtantino juniore, & Conſtante fratribus Francicum & Britannicũ bella. Conſtantis pietas. Maximini Trevirorum Epiſcopi in Arrianos zelus.

Ab anno 337. ad 346.

Conſtantino tres filii ſuccedunt.

Euſ. in vita Conſt. l. 4. c. 51.

1. CONſtantino tres Filii ſucceſſerunt, partito ea ejus ordinatione in tres partes Imperio *Conſtantinus* natu maximus avitam ſortem, teſte Euſebio, nactus eſt. annos jam à Criſpi fratris nece totos decem Galliis ſolus imperitans; aut etiam viginti, ſi Chronico Alexandrino fides, nempè cum Criſpo fratre. Gallias igitur hic, Belgiumq́ue noſtrum, Britannias, Hiſpanias cum Mauritaniâ Tingitanâ ſortitus eſt. *Conſtans* natu minimus, annum jam 3. Cæſar, ſi Chronicon idem audimus, Italiam, Africam, Illyricum, Macedoniam & Achaiam, id eſt totam Græciam, ſeclusâ Thraciâ. *Conſtantius* medius, annum jam undecimum Cæſar, eodem Chronico auctore, à Thracia & freto Propontidis Aſiam, Orientem, & Ægyptum, quod & Victoris Epitome, Zoſimus, aliique; & quæ mox narrabimus confirmant. De duorum poſteriorum juniorumq́ue prioribus geſtis, nihil adeo colligimus, quando ea nihil ad Belgium noſtrum. Solius Conſtantini natu maximi, qui noſtratibus per triennium duntaxat imperavit, acta quæ ſuperſunt retexenda.

Tom. 4. c. 27. in editione 2. anno 1589.

2. Extat in Patrum Bibliotheca *Iulii Firmici* Materni, Mediolanenſis, ut Baronius putat, Epiſcopi, *De myſteriis & erroribus profanarum Religionum, ad* CONSTANTIVM *&* CONSTANTEM (ut habetur ſecundâ editione, *non ad Conſtantinum*) *liber*. quo illis pluribus ſuadere conatur, ut idololatriam penitus extirpent. *Amputanda ſunt hæc* (ait) *ſacratiſſimi Imperatores, penitus atque delenda. ne diutiùs Romanam orbem præſumptionis iſtius error funeſtus commaculet; ne peſtifera conſuetudinis convaleſcat improbitas. Nolunt quidam & repugnant; ſed ſubvenite miſeris, liberate pereuntes. Ad hoc vobis Deus ſummus commiſit imperium, ut per vos vulneris iſtius plaga curetur. Melius eſt, ut liberetis invitos, quàm ut volentibus concedatis exitium.* Et capite 21. *Vos nunc, Conſtanti & Conſtans, ſacratiſſimi Impp. appello; modicum tantum ſupereſt, ut legibus veſtris funditus proſtratus diabolus jaceat, ut extincta idololatria pereat funeſta contagio. Veneni hujus vires evanuit; & per dies ſingulos ſubſtantia profana cupiditatis expirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc Divinitas reſervavit. cujus favore eminentes, proſtratores eſtis omnium hoſtium veſtrorum, quorum operâ Romanum firmatur Imperium. Signum veneranda legis erigite, ſancite, promulgate quod proſit. Sit fauſtum felixq́ue Reip. quod tot acervos cæſorum hoſtium proſtraviſtis exercitu.* Duo hic maximè ſuggerit auctor: Magnas 1. horum duorum Impp. de hoſtibus Romanorum victorias recoli; ex quibus ſecundò eos ad idololatriæ extirpationem impellit. Conſtantini junioris victorias ego tantas hucuſque non video. Unam ſuggerunt Nummi veteres, ALEMANIA DEVICTA. ſed eam *Conſtantino juniori* adhuc *Nobili Cæſari*, non Auguſto adſcribunt. *Conſtantium*, igitur hic non *Conſtantinus* ponendus eſt. Aptius ergo *ad Conſtantium* legit ſecunda editio Bibliothecæ: qui cum Conſtante diu rexit: plures uterque de hoſtibus ſequentibus annis laureas tulit. quod & ſequentia, cum de Britannicis Perſicisq́ue victoriis mox agemus, confirmabunt.

Et Idololatriam extirpare conantur.

Epiſcopos inſtituunt.

3. Idololatriæ tamen everſio etiam Conſtantino huic noſtro convenire poteſt. Nam novos Antiſtites in Galliis ubi deerant creaſſe, & priſcos qui temporum injuriâ hominúmve negligentiâ defecerant, primo imperii ſui anno reſtituiſſe video. Gregorius Turonenſis libro 10. cap 31. *Anno*, inquit, *Imperii Conſtantis* ſeu Conſtantini *primo*, *Lidorius Turonenſis ordinatur Epiſcopus. cùm jam Epiſcopatus 37. ceſſaſſet annis. Sedit* Lidorius *annos* 33. Et S. Martinum habuit ſucceſſorem immediatum. cujus ordinationem in annum Chriſti 370. incurriſſe, ibi validè probabo. præſertim cum eo anno dies Julii quarta, quâ conſecrationis illius etiamnum recolitur annua feſtivitas, aptiſſimè tũc in Dominicam inciderit, diem ſimilibus ſolemnitatibus uſurpari ſolitam. De 370. deme 33. in annum Chriſti 337. præcipitantem & 338. labentem revolvêris; qui eſt Conſtantini junioris & fratrum jam Auguſtorum annus primus. Cui quidem Martini ordinationi, cùm & *Defenſorem Epiſcopum* Andegavenſem primum ceu vicinum, & ejuſdem provinciæ Turonenſis ſuffraganeum, Severus Sulpitius adfuiſſe dicat; planè & hunc cum Lidorio, aut non multò poſt ordinatum, conſequentia eſt. Idem veriſimiliter & in aliis quibuſdam Galliarum Belgiiq́ue noſtratis Epiſcopis tunc factum. Idem Conſtantinus Athanaſium ab ſe adhuc Cæſare biennio antè humaniſſimè ſuſceptum tractatumq́ue, in ſedem Alexandrinam jam Auguſtus reſtitui curavit; literis ad Conſtantium fratrem & Alexandrinam Eccleſiam, Treviris 15. Kalendas Julias, velut ex patris mente, datis; ipſi Athanaſio ſanè perhonorificis. quarum exemplar in ejuſdem Athanaſii Apologiâ 2. Socrate item, & Theodoreto ſupereſt. Rectè igitur omnia iſta, & ad fidei noſtræ incrementum, fecit Conſtantinus junior.

Maximè Turonẽſes.

Athanaſius ſedi ſuæ reſtituitur.

4. Malè quod ſequitur. *Cùm enim ſit* Victoris Epitome, *ob Italia Africaq́ue jus ſ[illegible] cum fratre Conſtante diſſentire cœpiſſet, latrocinii ſpecie, dum incautus, fœdeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus eſt; projectuſq́ue in fluvium, cui nomen Alſa.* Quippe *Conſtans*, addit Zoſimus, *incautum fratrem opprimere volens, inimicitias tota triennio diſſimulaverat: expectatoq́ue tempore, quo per provinciam ſibi fidam & benevolam (credo Hiſtriam aut Venetiam) ingreſſus erat, ablegat milites ſpecie quidem opem Conſtantio in bello Perſico laturos, re ipſe Conſtantinum nihil tale ſcientem oppreſſuros. Hi imperata perficientes, Conſtantinum occidunt.* & quidem *Acyndino Proculoque* Coſs. ſi Socrati Idatiiq́ue faſtis credimus; id eſt anno Chriſti 340. Annorum ille tunc erat ferè 24. natus vel initio prorſus anni Chriſti 417. vel fine 416. Arelati. quanquam non deſunt qui paulò

Conſtantinus à Conſtante fratre cæſus.

Vide hic Ammianũ l. 21. c. 21. & Notas mihi Valeſii.

Annus Chriſti 340.

ſeniorem putent. Si Zoſimi narratio non fallit, præcipua fratricidii iſtius in Conſtantem culpa recidit. eoque nihil mirum, ſi necem ei poſtea parem Nemeſis divina reddiderit. Culpam tamen Victor in Conſtantinum retorquet. vereor ut utriuſque fuerit: ex dira latiùs durandi cupidine.

Conſtantis in Francos bellum.

5. *Ita Reſp.* (ait Eutropius) *ad duos Auguſtos redacta eſt.* ſed longè majore ſui parte ad Conſtantem; qui priori ſuæ ſorti cuncta trans Alpes, Gallias nempe, Britannias, & Hiſpanias tunc adjunxit, juvenis & ipſe, ac parum cautus. Et *Conſtantis quidem Imperium*, ſubdit Eutropius, *ſtrenuum aliquandiu fuit & juſtum.* Strenuum certè, quia anno proximè ſequenti 341. Marcellino Proboque Coss. ut vult Idatius, in Francos movit. *Iſto quippe tempore*, ait Socrates, *Reip. ſtatus magnopere perturbatus fuit. Nam gens Francorum, qui Galliæ finitimi ſunt, in Romanorum fines incurſionem fecerunt*; more ſolito ſcilicet, cùm Impp. civili inter ſe bello commiſſos adverterent. Et *pugnam* quidem hoc anno *in Galliâ cum iis factam* habet Idatius; ſed ſucceſſum non exprimit. Hieronymi Chronicon *vario eventu pugnatum* notat. Pugnas iſtas quas *in Galliâ* factas ſcribit Idatius, ex Francorum ſitu, in Ubiis confinibusque ſi ad Rheni limitem; ſi in Galliarum interioribus, in Belgio hodierno contigiſſe, neceſſum eſt. Anno autem ſequente 342. *Conſtantio tertiùm & Conſtante Coss. victos ab eodem Conſtante Francos, pacatóſve* idem tradit Idatius: *perdomitos & pacem cum eis factam*, Hieronymi Chronicon: denique *devictos, fœderatos, & ſocios Romanis factos* Socrates. Conſtantem igitur ſtatim à fratris cæde, ex Italiâ in Gallias commigraſſe neceſſe eſt: ac Treviris primùm domicilium deceſſorum more fixiſſe, quo novè parta firmaret. Francis autem primo repreſſis, durante tamen adhuc bello, Coloniam etiam Agrippinam patris exemplo tranſiiſſe, in eorum deinde terras trajeciſſe, ad pacem ſocietatemque coegiſſe certa conſequentia eſt. Alemannos item Conſtantem hunc ſolum omnium magis quàm poſtea Julianum formidaſſe, disertè ſcribit Ammian. lib. 30. fin. cùm Valentiniani mortui elogium texit.

Anno Christi 341.

L. 2. c. 7.

Anno Christi 342.

Et victoria.

Conſtans in Britannias.

6. Treviros inde ceu Principum curiam reverſus, in Britannias itidem ex eâdem civili diſcordiâ vexates animum armaque convertit. bellorum ibi ab avo Conſtantio geſtorum, & ſuſcepti à tempore Conſtantino imperii gratâ recordatione fruiturus. Id quidem primùm clarè ex Ammiano haurimus, cùm libri 20. initio *retuliſſe ſe* ſcribit *Conſtantem iviſſe ſubſidio Tranſmarino.* tum libro 27. cap 17. *ſe in Conſtantis actibus, motus adoleſcentis & ſeneſcentis Oceani, tractumque Britanniæ explanaſſe* adjungit. Utinam ſupereſſet ille liber! multa Conſtantis in Belgio viciniaque geſta legeremus. Prorſus enim iſta ſunt, de quibus Julius Firmicus à nobis ſupra citatus intelligit, cùm ad prædictos Impp. ita ſcribit capite 29. *Vicíſtis hoſtes, propagaſtis Imperium, & ut virtutibus veſtris gloria major accederet, mutato ac contempto temporum ordine, hyeme (quod nec factum eſt aliquando nec fiet) tumentes ac ſævientes undas calcaſtis Oceani: ſub remis veſtris incognitæ jam nobis pene maris unda contremuit; & inſperatam Imperatoris* (planè unius Conſtantis, non Imperatorum) *faciem BRITANNUS expavit. Quid amplius vultis? virtutibus veſtris elementa ceſſerunt.* Hæc ille. quibus duo certò cognoſcimus; *Primum*, Conſtantem in Britannias *hyeme* tranſmiſiſſe, *Britanniam expavescentem* celeritate tam inexpectatâ oppreſſiſſe, & ad obſequium reduxiſſe. Quod nonniſi Francis victis patrare potuit; quando annis proximè à Conſtantini cæde ſequentibus, 341. & 342. in Francos ſtatim arma movit. quodque inde ſequitur, *hyeme* ſecutâ (non certe alia eam quæ annos Chriſti 342. & 343. interfluxit) in Britanniam ſubitò & quidem hyeme tranſvolavit, inopinantem oppreſſit. quod & disertè teſtatur Libanius oratione quæ Βασιλικὸς inſcribitur. ut Valeſius in lib. 20. Amm. notâ 2. Alterum quod ex Ammiano Maternoque colligimus eſt, quod jam paulo antè monuimus; illum ad Conſtantium potius, quàm Conſtantinum ſcribere debuiſſe, quando toto ante bellum hoc Britanicum biennio, Conſtantinum juniorem à fratre necatum, certò jam vidimus. Quare etiam nonniſi poſt annum Chriſti 343. ea ſcribere potuit Maternus iſte Firmicus: Ceterùm bello iſto Britannico ſtrenuam Conſtanti Belgas noſtros opem contuliſſe regionis ipſius vicinia commoditaſque facilè perſuadent.

Anno Christi 343.

E Britanniâ redux, Treviros incolit.

7. Britanniâ pacatâ, Treviros Conſtans haud dubiè rediverit; è ſolito Auguſtorum ſolio pacis Eccleſiæque rebus intenturus. Ac Treviris quidem Maximinus Agricii ſucceſſor præerat Epiſcopus, Arrianis jam inde ex quo Athanaſium exulem receperat acriter infeſtus; prorſus ut in Galliis & Occidente tanquam alter Athanaſius, ſi non doctrinâ, certe zelo haberetur. Coloniæ Agrippinæ vix eſt ut Maternum Epiſcopum Conſtantini patris amicum, ſi non & Catechiſtam, ut docui, adhuc ſuperſtitem fuiſſe credam. Ei quidem per hos annos Euphratem, & ipſum rebus mox actis inclytum, ſucceſſiſſe jam audiemus. Servatius Tungris Antiſtes ſedulus invigilabat; Athanaſii & ipſe conſuetudine ut virtute, ita & doctrinâ in hæreticos longe provectior. ut in Sardicenſi, Agrippinenſi, Ariminenſique Synodis poſthac abundè probabit. Nec ab iis degenerabat Nerviorum Præſul Superior, Sardicenſi quoque Synodo memoratus. Ab his omnibus Belgii noſtratis ſive hodierni Paſtoribus ceu vicinioribus Conſtantem ego quidem in Orthodoxâ fide roboratum, & in Arrianos acriùs incitatum, nullus dubito. Maximè cùm eos Athanaſius & literis & exemplo ſtimulare non deſiſteret. Stimulabat & Romanorum Papa Julius, Sylveſtri poſt Marcum menſium dumtaxat octo Pontificem paulo ante Conſtantini M. mortem ſucceſſor, ad quem & Athanaſius iterum exul, & Paulus Conſtantinopolitanus ſede pulſus aufugiebant.

Ubi Maximinus Epiſcopus.

Coloniæ Maternus II. Tum Euphrates.

Tungris Servatius.

In Nerviis Superior.

8. Sed inter noſtrates iſtos Epiſcopos, Maximini Trevirenſis ut dignitas Patriarchalis, ita & zelus potiſſimùm eminebat: hoc maximè facto fulgidior. Anno Chriſti 341. *Marcellino Probóque Coss. Indictione* 14. (ut exertè Athanaſius) cum Antiochiam ad Dominici aurei Encænia conveniſſent Euſebiani ſeu Arriani Epiſcopi pluſquam 90. Synodum eâ occaſione ibidem, & quidem *præſente Conſtantio* Imp. celebraverant. in eaque tres primùm fidei formulas fraudulenter ediderant. mox aliquot inde menſibus quartam etiam ſubſtituerant: homines, ut hæretici ceteri, turbido fluctuanteque ſemper ingenio. Has recitat Athanaſius, & ex eo Socrates, quos vide. Paulo pòſt effrontes iſti Epiſcopi quatuor è ſuis in Gallias amandant. (pergit Athanaſius, & ex eo Socrates) *Narciſſum, Marim,*

Arianorum Fides diverſæ.

Athan. de Synodis.

Socr. l. 2. c. 5.

Theodo-

Theodorum, & Marcum Arethuſium. Hi tanquam à Synodo miſſi, iſta Conſtanti Auguſto, ceteriſque qui ibi aderant (credo Epiſcopis, cum Conſtante è Britanniis jam reverſo, Treviris agentibus) *tradiderunt.* Non ſubdit Athanaſius, non Socrates, quid Galli reſponderint. Supplebimus mox; ſi prius pauca ex Sozomeno addiderimus; *Triennio poſt iſtam Synodum evoluto* (igitur anno Chriſti 344.) aliam in alterâ Antiochiæ item habitâ Synodo, iidem Arriani fidei formulam, quam μακρόστιχον ſeu *Prolixam* nominabant, contexuerunt. *Et ad Epiſcopos itidem Occidentales, per Eudoxium Germaniciæ, Martyrium, Macedonium Epiſcopos ſubmiſerunt. Sed Occidentales non receperunt, reſponderuntque ſe Concilii Nicæni decretis acquieſcere, & præter iſta nihil amplius carioſe exquirendum putaverunt.* Ita Sozomenus, hoc etiam inſuper mox addens; *Maximinus Treverorum Epiſcopus* τοὺς εἰς Γαλλίαν ἀπὸ τῆς ἕω παραγενομένους ἐπισκόπους ἀπεκήρυξε: *Epiſcopos ex Oriente in Galliam profectos Eccleſia communione interdixit.* Idem ferè referunt Arriani iſti Epiſcopi, in *Synodali ſuâ Concilii Pſeudo-Sardicenſis epiſtolâ ſub finem: Maximinum à Treviris damnat omne Concilium, quod collegas noſtros Epiſcopos, quos ad Gallias miſeramus, noluerit ſuſcipere.* imò & juxta Sozomenum excommunicaverit. Is fuit legationum iſtarum exitus. is Maximini Gallicanorumque Antiſtitum maximè Treviris circumpoſitorum, pro Orthodoxâ Fide domoque Dei zelus & conſtantia. Neque enim ſine Epiſcoporum noſtratium Synodo, uti neque ſine Conſtantis Imp. conſenſu, iſta à Maximino peragi potuere.

Lib. 3. c. 10.

Legatos in Gallias mittunt.

quos Occidentales rejiciunt.

Maximinus Trevirenſis etiam excõmunicat.

& illum Arriani.

Apud Baron anno 347.

9. Hic ergo mihi vide 1. Archiepiſcopi Trevirenſis auctoritatem zelo tanto conjunctam. Vide novi Eliæ novos quoque ac ſuppares Eliſeos, Athanaſii veros undequaque diſcipulos & æmulatores. qui tot Fidei Confeſſiones ab Orientalibus, adeoque Conſtantio ipſo tam operosè procuſas, earumque allatores, non rejicere modò, ſed & anathematizare tam conſtanter auſi ſunt. Simul collige Maximinum ceteroſque noſtrates Epiſcopos, poſtquam hâc tali cenſurâ ſe jam cum Arrianis ultro commiſſos animadverterunt, quantus ceperit impetus, ut Conſtantem Auguſtum ad novæ generaliſque Synodi contra eos celebrationem impellerent. Et impulerunt ſanè: effeceruntque uti in Italiam primùm è Galliis Mediolanumque ſe conferret: quò è viciniâ majore, cum Julio Romano Pontifice, Athanaſioque Romæ tum exulante, ſuper eâ re communicaret, imò & ad fratrem Conſtantium de habendo Concilio literas mitteret. quod & fecit; Synodumque Sardicenſem obtinuit. Id quidem facilè eſt ex Athanaſio eruere.

Unde Galliarum Epiſcopi Conſtantem Imp. ad Synodũ Sardicẽſem impellunt.

10. Hic enim rurſus Alexandria Philagrii Ægypto Præfecti, Gregoriique ſubintruſi armis circa Paſcha anni 342. cedere coactus, Romam ad Julium Papam aufugerat ibique quartum jam annum exul agebat; Conſtante ſcilicet Imp. tum abſente & in extremo Septentrione bellis Francicis ac Britannicis occupato. Anno demum exilii 4. qui cum Chriſti 346. concurrit, cum Mediolanum Conſtans, ut dixi, veniſſet; eum advocatus adivit. ut ipſemet ita tradit: *Poſt triennium,* Romanæ commorationis ſcilicet, *quarto denique anno literis juſſit* Conſtans, *ut ad ſe venirem. Agebat autem per id tempus Mediolani. Sciſcitabar quid cauſa eſſet, cur evocaret; quippe ignarus omnium.* quia ſcilicet nullum adhuc Gallicanorum Epiſcoporum convenerat; ipſo etiam Julio Rom. ut apparet, æquè adhuc ignaro. *Comperiebam autem quoſdam Epiſcopos* (maximè credo Gallicanos) *qui eo profecti erant, precibus ab eo poſtulaſſe, ut tuæ pietati* (fratri nempe Conſtantio, ad quem hæc ſcribit Athanaſius) *de Synodo faciendâ ſcriberet. Cùm igitur, veniſſem Mediolanum, expertus ſum mirificam illius humanitatem; dum & me ſuis oculis dignatur, verbiſque indicat, ſe ad te de Concilio celebrando literas miſiſſe.* Ita Athanaſius; qui inter Epiſcopos iſtos Conſtantis comites, & Concilium expetentes, *Maximinum Trevirenſem* paucis antè lineis diſertè nominat, eum in teſtem advocaturus, ſi tum adhuc ſuperfuiſſet. Mediolanum igitur è Galliis cum Conſtante Maximinus advenerat, & Concilii celebrationem cum aliis præſentibus Epiſcopis urgebat. Et verò tandem impetraſſe, ita mox ſignificat Athanaſius ibidem: *Idem Conſtans me rurſus agentem in ſuburbio,* Mediolanẽſi credo, *in Gallias* (quo ſcilicet ſtatim ille cum Maximino aliiſque redierat.) *evocavit. Eò enim pater Oſius conceſſerat, ut inde ad* SARDICENSE *Concilium,* nempe jam decretum, *proficiſceremur:* cum Maximino item aliiſque Galliarum Epiſcopis, Synodi habendæ primis ac præcipuis authoribus, mox in ipſa Synodo ab Athanaſio quoque ipſo nominandis. Nec dubium, quin & hæc Athanaſii in Galliis Treviriſque mora Epiſcopis iſtis Belgicis, aliiſque Gallicanis haud modicè profuerit; dum ille fraudes illis Arrianorum accuratè detegit, & eos omni doctrinæ ac virtutis armaturâ præmunit.

Athanaſius rurſum Alexandriâ pulſus, Romã venit.

Anno Chriſti 346.

Apologia ad Conſtantium ſub init.

Hic cum Galliis Epiſcopis Conſtanti Synodum perſuadet.

11. Interim hoc eodem anno idem Conſtans ad Taurum Præfectum Prætorio Kalendis Decembribus ſanctionem verè Chriſtianam dedit, quâ *cunctos* deinceps *Gentiles ſacrificiis abſtinere* juſſit: *ſecus facientes gladio ultore ſterni.* haud dubiè noſtratibus iſtis Epiſcopis illius Comitibus præcipuis itidem auctoribus. Ita tunc Romæ, in Galliis, Belgioque noſtro occluſa idolorum templa, nec ante Juliani Apoſtatæ imperium recluſa. Quâ in re maligna fuit juxta ac ridicula Symmachi viri Conſularis exprobatio, quâ Conſtantis hoc reſcriptum diu non ſtetiſſe ſcribit: tanquam ideò Conſtantis cædes à Maguentio non multò poſt illata contigiſſet. Videtur ea ſanctione Conſtans Firmici conſilium ſecutus; multoque magis Epiſcoporum noſtrorum; quibus multum deferebat.

Conſtans Gentilium ſacrificia prohibet.

Apud S. Ambroſium in Relatione.

De quo hujus capitis §. 2.

CAPUT IV.

SARDICENSE Concilium. & in eo Belgarum Epiſcoporum zelus atque conſtantia.

Anno Chriſti 347.

1. PRoximo igitur anno Chriſti 347. à Conſtantini morte *decimo,* ait Sozom. l. 3. c. 11. nempe jam expleto; *undecimo* Socrates, ſcilicet ineunte; ab Nicænâ Synodo finitâ 22. vertente, habita Sardicæ Synodus, nobiliſſimâ tùm civitate, à Conſtantino M. nuper habitatâ ſubinde, ejuſque pluri-

Anno Chriſti 347 Synodus Sardicenſis generalis.

bus

bus reſcriptis celebratâ, in fratris utriuſque Imperatoris confinibus ſitâ, eoque ceteris ad tantam actionem prælatâ: ad Conſtantis tamen ditionem pertinente, licèt non deſint, qui Thraciæ potiùs adſcribant in ditione Conſtantii.

Ubi ſita Sardica.

2. Quâ in difficultate luculentiſſimus eſt Ammiani locus lib. 21. cap. 17. *Conſerta*, inquit, *celſorum montium ſummitates Hæmi & Rhodopes in anguſtias tumuloſis collibus deſinentes* (*Succos* paulo antè vocat idem Ammianus) *Illyrios interſcindunt & Thracas: hinc* (ad occaſum ſcilicet) *vicina mediterraneis Dacis & Serdica; inde* (ad ortum) *Thracias deſpectantes & Philippopolim, civitates amplas & nobiles.* Tria hic ad rem noſtram clarè docet Ammianus: Primum Succorum iſtas anguſtias Illyrios Thracaſque diſcindere, id eſt Occidentis & Orientis Imperium: nam Illyrios illius, Thracas hujus tum fuiſſe ſat conſtat. Secundum Serdicam in Illyriis iſtis Daciſque mediterraneis ſitam eſſe, his Succorum anguſtiis à Philippopoli diſtinctam. Tertium tam *Serdicam* quàm Philippopolim, *civitatem appellatam eſſe & nobilem.* Rurſus ut Orientis & Occidentis Imperium, ſic etiam Eccleſiam Succis iiſdem terminari docet Socrates, lib. 2. cap. Græco quidem 22. Latino 18. *Orientalis igitur Eccleſia ab Occidentali diſtincta fuit. & utriuſque terminus, Mons erat Illyricum inter & Thraciam interjectus, qui Tiſucis dicitur.* Lege omnino *Succi*, vel *Sucis*. Si mons iſte Eccleſiam utramque diſtinguebat, planè ſicut Thracia & Philippopolis ad Orientalem; ita Illyricum & in eo Serdica ad Occidentalem attinebat, & ad Conſtantis Imperium. Cur autem populum, in quo Serdica eſt, *Dacos* & quidem *Mediterraneos* appellet Ammianus, dixi ſupra lib. 6. c. 15. ex Vopiſco, Eutropio Jornande Rufo, Aurelianum ſcilicet Imp. Dacos è locis tranſiſtrianis, cis Iſtrum in Mœſiam primam ſeu Superiorem, Dardaniamque tranſtuliſſe; & utramque hanc provinciam novo nomine Daciam, illam quidem Ripenſem, hanc Mediterraneam appellaſſe. In hac Mediterranea ſeu Dardania Næſſus & Serdica, hæc noſtra inerat, dicta hodie vel *Sarbrod* vel *Sophia* in Serviâ, an Bulgaria: cúmque Succis ad occaſum adjaceret Imperii & Eccleſiæ Occidentalis erat, eoque ad Conſtantem ac Latinos attinebat; ac proinde in loci pro Synodo electione Conſtantio fratri Conſtans prævaluerat.

Terminus utriuſque Imperii & Eccleſiæ.

Qui & quot Epiſcopi cōvenerint.

3. Ad hanc igitur urbem Sardicam Epiſcopos conveniſſe ex Occidente quidem trecentos, ex Oriente vero 76. omnes Catholicæ communionis, concludit denique Baronius; diverſis diverſorum Scriptorum ſententiis inter ſe compoſitis. Sane ex omnibus Imperii Romani provinciis adfuiſſe, Ægypto, Palæſtinâ, Arabiâ, totâ Aſiâ, Græciâ, Illyrico univerſo, Italia, Siciliâ, Sardinia, Africâ universâ, Hiſpaniis, Galliis, Britanniis, teſtes ſunt Athanaſius ipſe teſtis oculatus, & ex ipſa Synodali Epiſtola etiam Theodoretus lib. 2. c. 8. Unde cur etiam plures Epiſcopi non convenerint, quæri poſſet; ni Socrates diſertè moneret, Epiſcoporum evocatorum alios quidem corporis infirmitatem; alios autem nimias temporis à Julio Papa præfiniti anguſtias cauſatos. Univerſalis igitur, Oecumenica, Plenaria, & Magna Synodus, magis etiam quàm Nicæna planè fuit: Nam hæc Orientalium maximè fuit; ſicut Arelatenſis Occidentalium: Sardicenſis amborum.

Athan. Apolog. 2.

Soc. l. 2. c. 16.

4. Ac de aliis quidem provinciis & Epiſcopis non eſt hic cur præter inſtitutum inquiramus; Galliis noſtris ac Belgio maximè inhæremus. E Galliis igitur præſens Athanaſius 34. Antiſtites adfuiſſe diſertè teſtatur, eos enumerat, licèt ſedibus eorum (non parvo ſenſu meo) tacitis. Singulórum nomina Græcè (ne quid temerè mutem) ita recenſet: Γαλλίας Μαξιμιανός, Βηρίσσιμος, Βικτοῦρος, Βαλεντῖνος, Δησιδέριος, Εὐλόγιος, ΣΑΡΒΑΤΙΟΣ, Δύσκολιος, ΣΟΥΠΕΡΙΩΡ, Μερκούριος, Δηκλόπετος, Εὐσέβιος, Σευηρῖνος, Σάτυρος, Μαρτῖνος, Παῦλος, Ὀπτατιανός, Νικάσιος, Βίκτωρ, Σεμπρόνιος, Βαλερῖνος, Πακᾶτος, Ἰεσσῆς, Ἀρίστων; Σιμπλίκιος; Μελιτνός, Ἀμάντιος, Ἀμιλλιανός, Ἰουστινιανός, Βικτωρῖνος, Σατορνῖλος, Ἀβουνδάντιος, Δονατιανός, Μάξιμος. *Galliæ* (ſcilicet Epiſcopi erant) *Maximianus* (lege Maximinus, omnium primus ut Patriarcha) *Veriſſimus, Victurus. Valentinus, Deſiderius, Eulogius, SERVATIVS, Dyſcolius, SVPERIOR, Mercurius, Declopetus, Euſebius, Severinus, Satyrus, Martinus, Paulus Optatianus, Nicaſius. Victor, Sempronius, Valerinus, Pacatus, Jeſſes. Ariſton, Simplicius, Mettanus, Amantius, Amillianus, Juſtinianus, Victorinus, Saturnilus, Abundantius, Donatianus, Maximus.* Singulorum ecce ſedes omittit. Vereor etiam ut non omnes omnino recenſeat. Nam Euphratem quidem Coloniæ Agrippinæ Epiſcopum interfuiſſe ſat conſtat, ut infrà etiam ex ipſo Athanaſio patebit; cujus tamen inter hos nulla mentio. Sed neque mihi quidem ſatis certum, an hi omnes verè Galli ſint; quando Britannos etiam Antiſtites interfuiſſe, ſupra dixit; & quidem nullum nominat: vereor ne cum Gallis hiſce commiſceat: ſicut & Hiſpanos, quos æquè præter unum Oſium tacet, cum Italis, aut etiam hiſce Gallis. Prorſus Indiculum hunc temporum librariorumque injuriâ depravatum atque etiam mutilum exiſtimo. Unde quid de Sedibus eorum colligi poſſit, Lector facilè mecum aſſequitur.

Gallorum Epiſcopi præſentes.

Maximinus Trevirorū.

Euphrates Agrippinēſis.

5. Dicam tamen hîc, quid ex Agrippinenſi Synodo mox etiam habitâ definiri poteſt. Ex Germania ſecunda ſeu Inferiore noſtrate Colonienſis Epiſcopus *Euphrates*; quem Athanaſius ipſe epiſtola ad Solitarios, *Agrippinæ, quæ Superioris Galliæ Metropolis eſt, Epiſcopum* appellat; Superiorem appellans, quòd in mappis Gallicis eam ſupremo loco poſitam videret. Servatius Tungrenſis. Ex Belgica prima Maximinus Trevirorum, Victor Mediomatricum, Satyrus (fortè Sanctinus) Virdunenſium. E Belgica ſecunda Dyſcolius Remorum, Mercurius Sueſſionum, Eulogius Ambianorum, SUPERIOR NERVIORUM. Ex Germania prima ſeu Superiore, Martinus Moguntiæ, Victor an Victurus Vangionum, Jeſſes Nemetum, Amantus ſeu Amandus Argentinenſium. Sunt hi omnes Belgicæ generatim ſumptæ Epiſcopi numero 13. Ex Lugdunenſi autem Prima, quæ tunc adhuc Senones ſub ſe continebat, Veriſſimus ſeu Verus Lugdunenſis, Donatianus Cabilonenſis, Simplicius Auguſtodunenſis, Deſiderius Lingonenſis, Severinus Senonenſis, Valerianus Autiſſiodorenſis, Optatianus Tricaſſinus, Victorinus Pariſiorum, Declopetus an Diopetus Aurelianorum. E Secunda Lugdunenſi, Euſebius Rhotomagenſis, à me quidem agnoſcitur. E Maxima Sequanorum, Juſtinianus Rauracorum. E Viennenſi Valerianus Arelatenſis. Ceteri incertæ mihi ſedis ſunt,

Servatius Tungrorū.

Superior Nerviorum.

& alii multi.

Pacatus,

Pacatus, Paulus, Nicaſius, Sempronius, Ariſton, Meſianus, Amilliaਨus, Saturnilas, Abundantius, Maximus. Si Galli non ſunt, Britanni & Hiſpani forte eſſe poſſunt. Ita ex Synodo Agrippinenſi: mallem etiam ex Athanaſio. qui tamen cum vel tacitis ſedium nominibus Antiſtites hoſce Gallos nominat, ſat docet, Gallicana, ac noſtra ſpeciatim Belgica, quantopere per hæc tempora floruerit Eccleſia.

6. Atque hos omnes Athanaſius in Gallias à Conſtante cum Oſio patre (ut vocat) Mediolano vocatus, ſedibus ſuis excitos in Arrianam perfidiam animavit; Synodiſque ſimilibus jampridem aſſuetus, ſi non omnes ſimul, potiores tamen aliquos Maximinum puta & Servatium, ſecum unà cum Oſio Sardicam evectione publicâ deduxit; ceteros ut proximè ſequerentur hortatus. quod & factum. Ita coacta Synodus in duo maximè incubuit; in fidem ſtabiliendam, & in Epiſcoporum, qui ſuis injuſtè ſedibus expulſi fuerant, reſtitutionem. Ac de fide quidem brevi peracta res eſt. Nam ut diſerte Athanaſius Concilii pars magna; *Quamvis* (ait) *certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Nicæno Concilio, adſcribere vellent, idque acriter contenderent; ſancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit indignè id tulit. Decretóque ſancivit, Ne quid ulterius de fide ſcriberetur: Et ſeſe contentos eſſe Nicanâ fide (ſeu Symbolo) declararunt. ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur. Neque edendam eſſe ullam profeſſionem fidei; ne illa quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur: Neve illis quibus libido eſt, ſemper nova ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant.*] Ita qui præſens interfuit Athanaſius. Cui potius fidem dandam nemo negaverit, quàm tanto juniori Sozomeno ſcribenti, aliam fidei formulam Sardicæ editam Nicænâ fuſiorem, quò faciliùs intelligeretur. Incidit ille fortaſſis in Arrianorum Philippopoli tunc congregatorum formulam nomine Sardicenſis editam; de quâ paulò infrà.

Acta præcipua Synodi.

Nihil ad Nicænà fidem addidit.

Athanaſiũ ſedi ſuæ reſtituit & alios ejectos ab Arrianis.

7. Quod ad Epiſcoporum Orthodoxorum reſtitutionem attinet, cùm Arriani accuſatores ſæpius ab Oſio citati comparere nollent, & Athanaſius conſtanter ſolideque ſe purgaſſet, Patrum omnium calculo, ſecundùm Julii Romani Pontificis ſententiam paulo antè latam, abſolvitur; in ſedem cum ſuis itidem ejectis reſtituitur, intruſus Gregorius deponitur, omniaque ejus acta irrita decernuntur. Hujus abſolutionis præcipuos auctores tres nominat in fragmentis Hilarius, dum Arrianos ita interrogat: *Ignoraſſe vos negabitis, Athanaſii (cujus damnatione à vobis Valens Urſacius, Saturninus exigunt) ab Oſio, Maximino, Julio, redditam communionem?* Audis ut cum Julio Papâ & Oſio Maximinum Trevirenſem ſolum nominet, ſuppareméque eis hac quidem in re Judicem componat? Nempe Synodi hujus ille è præcipuis non tantùm auctoribus, ſed & promotoribus columinibuſque fuit, tanquam & Conſtantis Auguſti Treviorum plerumque degentis proprius junctiſſimuſque Paſtor, & Eccleſiæ Gallorum eminentiſſimæ eximius, ut toties dixi, Patriarcha. Idem de Marcello & Aſclepâ judicium conſtituitur; illo Ancyræ, hic Gazæ Epiſcopis; quos ſedibus item ſuis expulerant Arriani; ſuffecto in Marcelli locum Baſilio, in Aſclepæ Quintiano. Nam uterque intruſis ejectis, Sedibus ſuis reſtituti. præſertim cùm & ipſi prius à Julio Papâ abſolvi & in communionem recepti fuiſſent. Fuerat Marcelli fides Confeſſioque etiam in Nicæna Synodo ſpectata, ubi Arrianis acerrimè contradixerat. Poſtmodum adverſus Aſterium quemdam Cappadociæ Sophiſtam & Arrianum ſcribens, in Pauli Samoſateni hæreſin, ſponte an imprudens incidiſſe viſus. aiunt Socrates atque Sozomenus. Sed Athanaſius ad Solit. eum ab hæreſi excuſat; aitque *Arrianos ſeu Euſebianos ab eo de hæreſi reprehenſos, hæreſeos recriminationem pro talione illi viciſſim impegiſſe, ſenemque hominem in exilium ejeciſſe.* in Synodo videlicet Conſtantinopolitanâ anno Chriſti 336. ſuffectoque illi in Ancyrano Epiſcopatu Baſilio. *Ille autem Romam profectus*, pergit Athanaſius, *ſeſe innocentem docuit: & ut juſſus ab illis fuerat, ſcripto ſuam fidem edidit, quam Sardicenſis Synodus amplexa eſt.* ſede illi ſuâ Ancyranâ redditâ, ejectoque Baſilio. Quæ omnia fuſiùs hic pro ſequentibus moneo.

Marcellum maximè Ancyranũ.

8. Inde Patres ad damnandos aliquot Arrianorum poſt Euſebium Nicomedienſem Principes verſi, *Theodorum ab Heraclea, Narciſſum à Neroniade Ciliciæ, Stephanum ab Antiochiâ, Georgium à Laodicea, Acacium à Cæſarea Paleſtinæ* (Euſebii hiſtorici ſucceſſorem) *Menophantem ab Epheſo Aſiæ, Urſacium à Singidone Myſiæ, Valentem à Murſis in Pannoniâ* communi calculo Epiſcopatu ſubmovent, fidelium communione, & Chriſtiano nomine indignos pronuntiant. *Photinum* quoque in hac Synodo damnatum, Epiſcopatúque Sirmienſi dejectum ſcribit Epiphanius hær. 71. Erat hic patriâ Ancyranus, aut ut ſcribit Socrates, ex parvâ Galatiâ ortus, Marcelli jam dicti in adoleſcentiâ diſcipulus, ſub quo & Diaconus aliquandiu vixit, teſte Hilario in fragmentis. Filium Dei ſolum hominem affirmabat, ſumpto primùm ex Mariâ principio. Unde & jam ante damnatus fuerat, in famoſo illo Tyri conciliabulo, anno Chriſti 336. quantum videtur. Certè in Antiocheno Concilio ſub annum Chriſti 345. habito, ut Marcelliani ita & Photiniani damnantur hæretici. ſecundò igitur in hac Synodo damnatus, ut & ſæpiùs poſtea ſuis annis. Atque hæc principua Synodi verè Sardicenſis Acta.

Arrianos Epiſcopos damnat, & ſedibus propriis pellit.

Etiam Photinum Sirmienſem Epiſcopum, qui Chriſtũ Deum negabat.

9. Nunc de alterâ Pſeudoſardicenſi, Philippopoli ab hæreticis habitâ pauca dicamus. Hi Orientales num. 80. (tot enim ſe ipſi in Epiſtola ſua Circulari recenſent) cùm Orthodoxorum numero longe ſuperantium zelum unionemque viderunt, conſcientiæ metu territi (ait Athan. Apol. 2. & ad Solit.) Sardicâ ſubitò diſcedunt, & Philippis Thraciæ urbe vicinâ privatam inter ſe Synodum habent, quam & Sardicenſis Concilii nomine decorarunt, eoque ſimplicioribus non paucis fucum fecerunt. *Separatim* (ait Sozomenus) *per ſe in unum coacti, decretis ſuis quæ jam ante in Athanaſium, Paulum, Marcellum, & Aſclepam ediderant ſtabilitis; primum omnium Julium Epiſcopum Romanum, quòd primus omnium cum iſtis communicaſſet, tum eâdem causâ etiam Oſium; tum Maximinum Treviris Epiſcopum, quod Paulo communicaſſet, & ejus Conſtantinopolim reverſionis auctor extitiſſet; Epiſcopis item ex Oriente in Galliam jam ante profectis communione interdixiſſet, abdicarunt.* Ita Sozomenus, ex ipſa eorum epiſtola Synodali credo, nam eadem ferè ibi leguntur. apud Baronium hoc anno 347 §. 110. & 102. *Julium*, inquit, *urbis Romæ*,

De Synodo Pſeudoſardicẽſi Arrianorum.

Philippis habita.

Ubi Julium Papam, Maximinum Trevirenſem, & alios damnant.

Oſium & Maximinum à Treviris damnavit omne Concilium: quod Collegas noſtros Epiſcopos, quos ad Gallias miſeramus noluerit ſuſcipere. & cauſa fuerit ut Paulus Conſtantinopolis Epiſcopus revocaretur, propter quod homicidia multa facta ſunt. Audis etiam Arrianorum confeſſione, Maximini Trevirenſis impulſu non Athanaſium modò, ſed & Paulum Conſtantinopolitanum Sedibus ſuis reſtitutos? Tanta tum Trevirorum Antiſtitis erat apud omnes auctoritas, tantus in Arrianorum animis metus. Sed ab hæreticis cum Julio Papa, cum Oſio, Athanaſio, & quidem proximè poſt illos damnari, quis non majorem gloriam quam laudari reputaret?

Novam fidem cudit, omiſſo Homouſio.

10. Ceterum his omnibus patratis necdum contenti Pſeudo-Sardicenſes Epiſcopi; novam poſt alias 4. ab ſe jam ante editas, ac proinde 5. condiderunt Fidei Regulam, quam & Sardicenſem appellarunt; eáque ut ab Arrio abhorrere ſe monſtrarent, quaſdam ejus theſes damnaverunt: nomen tamen Homouſion ſeu *Conſubſtantialis* omiſerunt. Unde & illud conſecuti ſunt, ut cum nihil Orthodoxæ Fidei contrariũ ponerent, neceſſariam tamen hoc tempore *Conſubſtantialis* vocem prætermitterent, Semiarriani dicerentur. Habetur ea Fidei formula in eorum Circulari epiſtola, ut & apud Hilarium de Synodis: qui ſive illam Sardicenſis veri Concilii, ſive falſi crediderit; fuſiùs tamen explicat, nec improbat; credo ut illos nonnihil ab Arrio jam declinantes, paulatim ad fidem Nicænam reduceret. de quo plura in ſequentibus.

Redeunt Gallıarum Epiſcopi.

11. Sic igitur concluſâ Sardicenſi Synodo, Epiſcopi noſtri Gallicani ad ſua remearunt. Cumque nullam novam Fidei formulam ſecum retuliſſent, quia nullam Synodus condere voluerat; nihil mirum, ſi noſtrates Epiſcopi deinceps ſolo Apoſtolorum Symbolo contenti, conſcriptas Fides novas, quod ait Hilarius, aut neſciverint, aut neglexerint. Cum ceteris tamen tunc Colonienſem Euphratem minimè rediiſſe docet nos Athanaſius, lepidâ hujus hiſtoriæ narratione, quam ad Solitarios miſit.

CAPUT V.

Euphrates Antiochiam ad Conſtantium Imperatorẽ mittitur. Concilium Mediolanenſe.

Athanaſius ad Solit.

1. M*iſſi ſunt à S. Concilio Sardicenſi in Legationem Epiſcopi Vincentius Capuæ, quæ Metropolis eſt Campaniæ; & Euphrates Agrippinæ, quæ eſt Metropolis Superioris Galliæ; ut pro Synodi decreto, Imperator Conſtantius Epiſcopos. quos ipſe ejecerat, in ſuas ſedes reverti pateretur. Et in eam quoque ſententiam additis à Conſtante pientiſſimo ad fratrem ſuum literis; quibus Epiſcopos iſtos reſtituendos illi commendabat; viri iſti mirifici,* Arriani ſcilicet Pſeudo-Sardicenſes, *ad quodvis facinus prompti, cùm Legatos iſtos Antiochiæ vidiſſent, in commune quidem conſilium ineunt. ſed ita tamen, ut Stephanus* Antiochenus Epiſcopus, *fabulam initi conſilii peragendam ſuſciperet, utpote ad hujuſmodi res longè aptiſſimus. Suſcepto negotio, conducit ille publicam meretricem, in ipſis ferm ſanctiſſimis Paſchatis* (ergo jam anno ſequenti 348.) *eamque noctu per tenebras in Euphratæ Epiſcopi ædes immittunt. Meretrix, quia principio credebat juvenem eſſe, à quo accerſeretur, promptè ſequebatur. Poſtquam ab illis deſtituta, hominem dormientem, ignarum omnium intuetur, diligentiuſque conſiderans, ſenis vultum & Epiſcopi ſpeciem animadvertit; ſtatim clamorem edit, ac vim quiritatur. Illi contra eam orare ut taceret, & falſum crimen Epiſcopo concinnaret. Die igitur illuceſcente, vulgatur facinus, univerſa civitas concurrit. & qui in Palatio erant, rei admiratione commovebantur. neque eam ſilentio tradi volebant. Itur in judicium. Leno prodit eos qui meretricem accerſierant; illique deinde auctorem iſtius rei Stephanum eſſe oſtendunt. Erant enim ejus Clerici, qui cum Lenone convenerant. Stephanus igitur Epiſcopali dignitate exuitur; & in ejus locum ſufficitur Leontius ille caſtratus: non in aliud, niſi ut non deeſſet hæreſeos propugnator. Imp. verò Conſtantius pauliſper commotus ad ſe rediit. conjecturaque ex iis, quæ adverſus Euphratem deſignaverant, facta, conſimile eſſe eorum in alios calumnias arbitratus; relegatos in Armeniam ex Alexandriâ Presbyteros & Diaconos e veſtigio redire jubet; & disertè Alexandriam ſcribit, ne ulterius Athanaſii aut Clericos aut Laicos perſequerentur. Deinde poſt menſes decem defuncto Georgio, accerſit Athanaſium cum omni honore; non ſemel aut iterum, ſed & tertio ad illum literas ſcribens amiciſſimas, quibus illum animabat, & ad veniendum hortabatur. miſitque ad illum Presbyterum & Diaconum, ut ad ſe majore cum fiducia rediret. Putabat enim me, ob ſuperiora pericula, ad reditum negligentiorem eſſe. Scribit item fratri ſuo Conſtanti, ut ipſe quoque ad reditum me cohortaretur. Affirmabat enim totum ſe annum Athanaſium expectaſſe; nec permiſiſſe unquam novi quippiam fieri, aut in ejus locum quempiam in Epiſcopum creari. ut Athanaſio ſervaret ſuas Eccleſias.* Hucusque Athanaſius, & fuſiùs adhuc Theodoretus lib. 2. cap. 9. & 10. Ex quo videmus quàm glorioſus ad ſuos Ubios redierit Euphrates, poſt tantam ab Oecumenica Synodo ad Auguſtum Legationem tanta virtute ſigillatam, ni paulo pòſt tanto forte ſucceſſu ebrius infamia majore corruiſſet.

Euphratem meretrice ſubmiſſâ Arriani diffamare conantur.

Annus Chriſti 348.

ſed proditi expediuntur.

Conſtantiusque inde Athanaſiũ & alios reſtituit.

Euphrates inde glorioſus ad ſuos redit.

Athanaſii reditus Naiſſum, Aquileiam,

13. Ceterùm Athanaſium inde quod attinet, ipſe ſua ad Conſtantium Apologia, ita narrat: *Poſt Concilium* Sardicenſe *Naiſſi mihi commoranti, denuo* (ſcilicet ex quo Roma Mediolanum evocatus erat) *ab Conſtante mihi ſcribitur. Confecto igitur itinere, per reliquum tempus Aquileiæ haſi. Ibi me literæ* primæ *tuæ pietatis deprehenderunt.* Ita ibi. & rurſum Apologia 2 pag. 598. *Aquileiæ tum temporis eram, cùm has* Conſtantis priores *literas accepi. quibus acceptis, Romam aſcendi, Eccleſiam & Epiſcopum aditurus. Ingens igitur gaudium in Eccleſia. Pontifexq́; Julius, ut gratularetur noſtræ reſtitutioni, literas ad Eccleſiam miſit. nos autem quacumq́; tranſivimus, cum pace ab omnibus Epiſcopis deducti ſumus.* Rurſum Apologia ad Conſtantium: *Inde*, inquit, *rurſus à Beatæ memoriæ viro* Conſtante Imperatore evocatus, in Gallias profectus ſum (ei nempe valedicturus, & mandata ejus excepturus) *atque ita ad tuam Majeſtatem perveni.* & Alexandriam remiſſus anno demum Chriſti 349. cùm Conſtantius acres à fratre Conſtante literas accepiſſet, niſi Athanaſium ſtatim reſtitueret, armis eum ſe reducturum. Tertia fuit hæc in Gallias Athanaſii profectio, Prima vivo adhuc Cõſtantino, ſecunda ante Concilium Sardicenſe 347. tertia poſt idem Concilium anno ut videtur 348. ſi non & 49. Cùm autem dicit: *quacumque tranſivimus, cum pace ab omnibus Epiſcopis deducti ſumus:* tam de Galliis &

Romam,

& in Gallias ad Conſtantem Imp.

Tres Athanaſii Treviros adventus.

Belgio noſtro, quàm de aliis regionibus intelligere debet; quando & per illas tranſiiſſe generalis ejus locutio convincit. Felix Gallia, Felix Belgium, felices Treviri; qui toties tantum fidei defenſorem tot trophæis inclytum Confeſſorem, tam ſanctum tam eruditum Doctorem, excipere, audire, alloqui, tantos ex eo fructus carpere meruit. Quis Maximinum, quis Servatium, quis Superiorem, tot alios, ignitis illius ſermonibus novas flammas animo hauſiſſe non crediderit? Atque de Sardicenſi Concilio.

Concilium Mediolanenſe.

14. Aliud Mediolani hoc eodem anno habitum, rectè Petavius noſter advertit. quod quia magnam ſequentibus facem præfert, breviter hic expendam. Extat in fragmentis Hilarii, Liberii Epiſtola, quam per Luciferum Epiſcopum, paulo antequam iret in exilium, miſit ad Conſtantium Imp. In eâ Liberius Conſtantium ſe vehementer urgentem, ut cum Arrianis pacem haberet, & in Athanaſii damnationem conſentiret, ita alloquitur: *Significat pietas tua, Orientales* (Epiſcopos Mediolani tunc congregatos) *paci noſtræ velle conjungi. Quæ eſt pax, clementiſſime Imp. cùm ſint ex partibus ipſis quatuor Epiſcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, & Martyrius; qui ante annos octo, cùm apud Mediolanum Arrii ſententiam hæreticam noluiſſent damnare, de Concilio animis iratis exierunt? Horum ſi fas eſt ſententiis, qualis ſit, aut quid periculi habeat, commodare conſenſum, æquitas clementia tua poterit æſtimare. Non eſt novum, quod nunc ſubtiliter, & ſub occaſione nominis Athanaſii attentatur.* In exilium à Conſtantio miſſus eſt, ut ſat conſtat, Liberius anno Chriſti 355. ſubtrahe annos octo, ante quos hic dicit habitum Mediolani Concilium, plane in hunc annum 347. jam vergentem recides. ac proinde Sardicenſem Synodum Mediolanenſis iſta proximè excepit. Solenniorem illam fuiſſe; ac præſentiâ etiam non *Legatorum modò Romanæ* Eccleſiæ; ſed & *Conſtantis ipſius Auguſti* honoratam, varia Scriptorum hujus ævi teſtimonia demonſtrant.

Pro quo vide Petavium noſtrum. Diſſertatione de Photino.

Proximè poſt Sardicenſe.

15. Primùm Hilarii in fragmentis: *Urſacius & Valens* (ait) *ſuſpecti hæreſeos Arrianæ & à conventione ſuſpenſi* (ut vidimus jam in Synodo Sardicenſi) *veniam rogaverunt; quam & meruerunt tunc temporis à Concilio Mediolanenſi; aſſiſtentibus etiam Legatis Romanæ Eccleſiæ, Conſtante præſente.* ſic enim legendum eſt, non ut ibi mendosè, Conſtantino. Secundò Synodi Ariminenſis ad Conſtantium Epiſtola, apud Athanaſium de Synodis; apud Socr. lib. 2. cap. 29. Theodoretum lib. 2. cap. 19. apud Epiphanium in Tripartitâ lib. 5. cap. 21. *Quando Mediolanenſis Synodus* (ait hîc poſterior) *celebrata eſt præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris. cognoſcentes etiam dignum memoriâ Conſtantem* (non Conſtantinum) *cum omni integritate & examinatione conſcriptam expoſuiſſe fidem.* &c. Videtur hæc Synodus Conſtante urgente & præſente coacta, primò ut Arrii hæreſis expreſſiùs quàm in Sardicenſi damnaretur. Nam *quatuor iſti Epiſcopi* à Liberio ſuprà nominati *de Concilio iſto iratis animis abierunt, quod Arrii ſententiam hæreticam damnare noluiſſent.* Secundò, ut quod in Philippenſi conventu contra Orthodoxos Arriani ſtatuerant, prorſus abrogaretur: Pſeudo-Sardicenſes iſti iidem Epiſcopi, qui ibidem Julium Papam, Athanaſium, Oſium, Maximinum Trevirenſem, alioſque Catholicos excommunicarant, ipſi viciſſim auctoritate majore excommunicarentur, quod & omnino factum exiſtimo. Nam Maximinum huic Concilio adfuiſſe, imò & præcipuum ejus auctorem apud Conſtantem extitiſſe non dubito. Tertiò ut Photinus quoque iterum fortiuſque damnaretur: Sic enim Hilarii fragmenta: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus,* &c. ut ſeq. capite dicam. Denique in eadem Synodo Urſacius & Valens veniam rogarunt, & impetrarunt, ut paulo antè viſum; evidenti argumento iis de cauſis quas diximus congregatam. Stet ergo Synodum hanc Mediolani habitam, anno Chriſti 347. vergente, paucis poſt Sardicenſem menſibus; prorſus ut Epiſcopos plures Sardicâ redeuntes Mediolanum Conſtans ad confirmandam Sardicenſem, damnandam Pſeudo-Sardicenſem, & quidem Maximino Trevirenſi ſuo Epiſcopo ſimul cum Julio Papa inſtante, vocaſſe videatur.

CAPUT VI.

Photini in primo Concilio Sirmienſi repetita damnatio: Euphratæ Colonienſis Epiſcopi, itidem Photiniani in Agrippinenſi.

Anno Chriſti 349.

1. PErgam in horum annorum Synodis, quando tantopere Belgica noſtra illuſtrant, percenſendis; quas Conſtans Auguſtus probè Orthodoxus, ut omnem hæreſim, ſaltem ex Occidentali ſuo Imperio, funditùs extirparet, ſæpiùs haberi, magno zelo curavit. Hilarium Pictavienſem fideliter & præ cæteris iſta tractantem audiamus: *Supereſt, ut quid de Marcello & Fotino geſtum ſit, pauciſſimis dicam. Fotinus Sirmienſis Epiſcopus fuit à Marcello imbutus. Nam & Diaconus ſub eo aliquandiu fuit. Hic corruptis innocentiæ moribus ac diſciplinis, turbare Evangelicam veritatem perſiſtebat novis prædicationibus. Et hoc ita ſæpè eſt: ut cum incrementa vitiorum, detrimenta in amore Dei fecerunt, veſanum depravata ſcientia ſtudium increſcat. Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Fotinum* (nam Synodus illum tantùm damnaverat; & volebat Conſtans ſimiles damnatos ex Concilii ſententiâ ſedibus etiam ſuis expelli) *qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo* (adde & Sardicenſi juxta Epiphanium ſupra) *erat hæreticus damnatus; ex pluribus provinciis congregantur Sacerdotes; hoc magis ſolliciti atque anxii, turbari rurſum miſcerique omnia: quod jampridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio judiciorum, vel communionis hæreſis Arrianæ, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare. Quam oportunitatem nacti Urſacius & Valens, Romanæ plebis Epiſcopum adeunt; recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant.* nempe improbi iſti duo & imperiti adoleſcentes Epiſcopi (ut eos Hilarius alibi vocat) cùm in Conſtantini ditione agere ſe non neſcirent, & Conſtantem in hæreticos ita ferri conſpicerent; quò magis ad Principum

Photinus negãs Chriſtum Deum eſſe, damnatur.

Hilarius in Fragm.

ſe nutum effingerent, non contenti Synodi Mediolanenſis abſolutione; ſicut ibi Eccleſiæ, ita nunc Julii quoque, ſimul & Athanaſii, eodem hoc anno 349. Imperatorum ſupremo juſſu in ſedem ſuam honorificentiſſimè reſtituti, gratiam ac communionem affectabant captabantque. *Julius* (iterum Hilarii verba) *ex conſilio veniam quam optabant impertit: ut cum lucro Catholica Eccleſia, vires quoque detraheret Arrianis: cùm eos, qui unitatem antè turbaverant, conſilii hujus & audaciæ pœnitentes, in communionem Catholicam, per veniam reconciliata pacis admitteret.* Profert hîc Hilarius eorum libellos aut epiſtolas tam ad Julium, quàm ad Athanaſium. & in priore, ad Julium ſubdit: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam hæreſis Fotini à Romanis damnata eſt.* Hoc nimirum anno Chriſti 349. quando damnationem Fotini in Mediolanenſi Concilio anno 347. ſuprà affiximus. Pergit Hilarius: *Superioribus igitur literis datis venia indulgetur; orantibus, reditus ad Catholicam fidem cum communione donatur: maximè cùm Sardicenſis Synodi veritatem ipſa orantium veniam litera continerent.*

Ne à Synodo Sirmienſi pœnâ quidem, ſede expelli potuit.

2. *Verum inter hæc Sirmium convenitur. Fotinus hæreticus comprehenſus; olim reus pronuntiatus* (nempè anno Chriſti 336. vivo adhuc Conſtantino, in Arianorum Synodo Conſtantinopolitanâ, cum Marcello preceptore ſuo, ut notat Severus, ibidem condemnato) *& à communione jampridem veritatis abſciſſus* (nota olim & jampridem) *ne tunc quidem per favorem populi potuit amoveri.* quantumvis id Synodus & ipſe Conſtans eniterentur. Sed neque Conſtans, brevi poſt hæc intervallo, nempe proximè ſequentis anni Januario, Magnentii proditione cæſus, vim adhibere potuit. Itaque Photinus biennium adhuc totum Sirmii Epiſcopus perſtitit. donec à Conſtantio Vetranionis ac Magnentii jam in Pannoniâ victore, novâ Orientalium Synodo & ſecundâ Sirmienſi fine anni 351. dejectus eſt, ut ibi reddam. Hilarium pergentem jam audiamus: Atque *hoc de Fotino decretum ab Occidentalibus eſt*; Epiſcopis ſcilicet Catholicis Sirmii ad Synodum congregatis; mox etiam *ad Orientales*, nempe Arrianos, *relatum*; & ad eos *fiunt mos poſcebat* (addit paulò infrà Hilarius) *epiſtolæ fiunt*, Synodicæ ſcilicet: *non injuriâ extorquendi* (*ut nunc agitur*) *aſſenſum, ſed inſtruenda univerſorum ſcientia conſuetudine.* Orientales eâ Sirmienſium Patrum acceptâ de more relatione; *homines mente callidi* (rurſum ſuprà Hilarius) *ingenio ſubtiles, malitiâ pertinaces* (nimirum Arriani, non tam de Photini, quàm de Marcelli illius Magiſtri, Athanaſiique renovandâ inde damnatione ſolliciti) *occaſionem revolvendi ejus, quod Athanaſii abſolutione* in Concilio ſcilicet Sardicenſi *erat diſſolutum quærentes judicii; & reſcribentes* Synodo Sirmienſi, *de Fotino; Marcelli mentionem, velut inſtitutionum talium* (quas ſparſerat Photinus) *Magiſtri, addiderunt: ut mortuam de Athanaſio ipſo jam tempore* biennali *quæſtionem, & veritatis judicio conſepultam, in publicam recordationem cauſa novitas excitaret; & ſubtegens per Fotini damnationem Marcelli nomen inveheret*, ſicque & Marcellus, & Athanaſius ipſe male abſoluti viderentur. Hactenus ex Hilario, ſubobſcuriore; ideoque aliquâ interpretatione à nobis adjuto.

Sed à ſecundâ ſub Conſtantio, anno Chriſti 351.

3. Paulò clariùs hæc eadem Severus: *De Photino Epiſcopo Sirmienſi, non eſt reſciſſa* Sardicenſis Concilii *ſententia, qui etiam Noſtrorum* (Orthodoxorum) *judicio hæreticus probabatur. Et tamen hoc ipſum Marcellum gravabat, quia Photinus auditor ejus fuiſſe in adoleſcentia videbatur: Veruntamen ad Athanaſii abſolutionem* in Sardicenſi Concilio factam *etiam illud* boni *acceſſerat, quod Urſatius & Valens Principes Arrianorum, cùm poſt Synodum Sardicenſem viderentur à conjunctione ſecreti; coram poſitis, à Julio Romana Urbis Epiſcopo veniam popoſcerunt, quòd innoxium* Athanaſium *condemnaſſent: meritòque eum ſententia Concilii Sardicenſis abſolutum. Interjecto deinde tempore* (nempe hoc anno 349. ſaltem ineunte) anteriore tempore quàm Photinus argueretur, ait Hilarius pag. 413.) *Athanaſius cùm Marcellum parum ſana fidei penitus comperiſſet à communione ſuſpendit. habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus, ſponte concederet. Ceterum antea innocens, poſtea depravatus, videri poterat jam tum nocens fuiſſe, cum de eo* abſolvendo *fuerat* in Concilio Sardicenſi *judicatum. Nacti ergo Arriani* (quos Orientales hic Hilarius appellat, *mente callidos, malitia pertinaces*) & ad quos Synodus iſta Sirmienſis de Fotino retulerat) *iſtiuſmodi occaſionem; conſpirant, penitus Sardicenſis Synodi decreta ſubvertere. Etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quòd tam injuſtè fuiſſet pro Athanaſio judicatum, quàm Marcellus fuerat abſolutus, qui nunc etiam Athanaſii judicio hæreticus eſſe probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæreſis aſſertor extiterat*, talisque jam ab Athanaſio deprehenſus: *Photinus vero novam hæreſin jam antè protulerat, à Sabellio quidem in unione diſſentiens; ſed initium Chriſti ex Maria prædicabat*, eoque minimè æternum, ac proinde nec Deum. *Igitur Arriani aſtuto conſilio, miſcent innoxium criminoſis; damnationemque Photini, & Marcelli, & Athanaſii, eâdem ſententia comprehendunt. illud nimirum apud Imperatorum animos præſtruentes, ut non putarentur de Athanaſio perperam judicaſſe, qui de Marcello atque Photino vera cenſuiſſent.* Ita clarè Severus, Hilario conformis. Verùm iſta conſpiratio cæde Conſtantis intercisa, nonniſi poſt victum primo in Pannoniâ à Conſtantio Magnentium, potuit erumpere. ut ibi dicam. Ceterùm Marcelli ab Athanaſio ſuſpenſionem paulò ante Sirmienſem hanc Synodum contigiſſe, adhuc ſignificat Hilarius, *cùm eam ſcribit his quæ in Fotinum gerenda erant auctoritatem præbuiſſe.*

Urſatius & Valens Arriani veniâ à Julio Papâ obtinent.

Athanaſius Marcellum excommunicat.

Unde Arriani in Synodum Sardicenſem rurſus inſurgunt.

4. Iſta licèt extra Belgium, hîc tamen inſerenda cenſui, quia ad Agrippinenſem noſtram Synodum viam ſternunt, ſuâ & temporis & materiæ conformitate. prorſus enim his annis habitam neceſſe eſt; & Euphrates Chriſtum non minus quàm Photinus Deum negavit. Unde vehemens me inceſſit ſuſpicio, illum in iſtius Legationis itu reditũve, cum Photino ſi non coram, certè litteris ſæpiùs egiſſe; & immenſis de Trinitate, Chriſtique perſonâ ſuperatum difficultatibus, in ejus hæreſin conceſſiſſe. gliſcentibus partim ſuperbiæ vitiorumque aliorum ex tantâ legatione incrementis. Scio nobis obſtare eam, quæ in Synodi textum irrepſit temporis notam, *Poſt Conſulatum Amantii & Albini quarto Idus Maias*; quæ annum plane denotat Chriſti 346. ante hunc tertium, ante Concilium Sardicenſe primum. Unde Baronius pleraque Synodi hujus acta impoſturæ ſuſpicione laborare concludit. *Qui enim*, inquit, *hic adeo ignominiosè damnatus eſt Euphrates, ille ipſe ſequenti anno* (347.) *reperitur è Synodo Sardicenſi, unà cum Vincentio Epiſcopo Capuano, honorificentiſſimâ legatione functus ad Conſtantium Imp. Antiochiæ commorantem, ut affir-*

Synodus Agrippinenſis.

Mendoſa in tempore.

Unde & Baronio ſuſpecta.

mant

mant Athanaſius, Theodoretus, aliique paſſim. Quis credat hominem adeo infami notâ inuſtum, quantumlibet palinodiam recantaſſet, tam brevi temporis ſpatio in priſtinam Sedem reſtitutum, & inter tot eximios ſanctitate doctrinaque Galliarum Epiſcopos, qui Sardicenſi Synodo interfuerunt, eſſe delectum? Refutat inde Teithemium, qui Synodum hanc Agrippinenſem in annum Chriſti 375. rejicit; ex Epiſcoporum ſubſignatione, quorum ſcilicet plures cùm in Sardicenſi Synodo reperiantur, vitam ad annum illum 375. producere non potuerint. Ita ille; Synodum quidem non omnino rejiciens, acta tamen ejus nonnulla dubiæ fidei ratus.

Quomodo reſtitui poſſit.

5. Ego ſuperſtitem hanc unicam ex tot antiquis Belgicis Synodum ſalvam cupiens, malo mendum è titulo ſolâ interpunctione tollere, atque ita legere, *Poſt Conſulatum Amantii & Albini quarto, Idibus Maii.* Sic annus hic Chriſti 349. aptiſſimè notabitur, ut (quod jam dixi) Euphrates in iſta legatione cum Photino & aliis Orientalibus hæreticis cecbrâ communicatione, perverſis opinionibus imbui facilè potuerit. quas in Sedem reverſus cùm vulgaret, vicinos Antiſtites ad ejus damnationē impulerit. Ita ſtabit temporis nota.

De Synodi hujus Conſulibus.

6. Nec eſt quòd quis titulum ita à nobis interpunctum, *Poſt Conſulatum Amantii & Albini* 4. miretur. tametſi enim in plerisque Faſtis aliorum Conſulum nomina, *ut Euſebii & Rufini, Philippi & Sallea* intercedant; ſimiles tamen hiſce temporibus formulas; ſive honoris amorisque gratiâ, ſive quod novi Conſules adhuc in iſtâ regione ignoti, minimève recepti eſſent; quod Dio quoque notat anno U. C. 715. Jul. 7. & Faſtorum conditores oſtendunt. Quin & hic annus Chriſti 349. Urbis conditæ 1102. Varronianus, à quibuſdam *Poſt Conſulatum Philippi & Sallea* notatur, licèt alii veros Conſules agnoſcant, *Catullinum & Limenium.* Quis ſcit an primigeniâ hujus Synodi acta *Poſt Conſulatum non Amantii & Albini*, ſed *Philippi & Sallea* inſignita non fuerint: quem deinde titulum ignarus aliquis aut negligens inverterit? Neque tantum hic annus 349. ex ſententia quorumdam *P. Conſ. Philippi & Sallea* præfert, ſed & duo quoque ſequentes *Poſt Conſulatum eorumdem ſecundò, & tertiò* præferunt. ut nihil mirum eſſe debeat, ſi P.C. Amantii & Albini 4. relinquamus. Utcumque ſit, quis tam antiquam Synodum, propter mendum in tempus illapſum, in Manuſcriptis tam familiare, rejiciat? Maximè cùm videat hoc eodem anno Photinum ejuſdem hæreſis reum Sirmienſi Concilio damnari. An Conſtans Imp. Photini Pannonii tanto remotioris damnandi curam tantam; Euphratæ vero itidem Photiniani, Treviris ubi penè ſemper agitabat, tanto vicinioris, eodem tempore fereque momento Belgas inficientis, nullam habuerit? Sanè Euphratæ caſus, ut ante Sardicenſe Concilium poni nequit, ne hæreticum à tanto Cœtu Legatum admittere cogamur; ita nec multò pòſt: quando Maximinum Agrippinenſis hujus Synodi Præſidē, annum Chriſti 351. vivendo non exceſſiſſe, ex ſucceſſoris Paulini primordiis ſatis conſtat, & nos infrà videbimus.

Maximini Trevirenſis Epiſcopi mors, anno Chriſti 351.

Alii item ſcrupuli.

7. Sed enim alii quoque intercurſant hîc ſcrupuli, qui Synodum hanc non parum quatere poſſunt. Primùm in Eccleſiis noſtris Belgicis crebrior eſt aliorum hujus ævi Epiſcoporum noſtrorum memoria; ut Servatii Tungrenſis, Diogenis Atrebatenſis, & aliorum memoria. Superioris hujus nulla penitus, nec in Tornacenſi, nec in Cameracenſi ſive Bavacenſi Nerviorum: nulla, inquam, penitus quod ſciam. Sola hæc Agrippinenſis Synodus, impoſturæ ſuſpicione Baronio laborans, ejus mentionem infert. Tacere quidem potuerint ea de re noſtrates Eccleſiæ. Sed an etiam oblivisci? Tardiùs ac difficiliùs omnino, quàm ſilentium, irrepit oblivio. Imò (dico ego) quàm multa olim geſta, quorum ne vola quidem ulla ſupereſt? Tornaci nuper Hilderici Francorum Regis, Meroveo geniti, ſepulchrum apparuit. Quis ejus inibi mentionem priùs audierat. Multa detegit tempus. Fortè & hoc aliquando deteget. Secundò: ultra Euphratis damnationem nihil hîc legitur; nulli Canones, ne ad diſciplinam quidem conditi ſunt; nullus Euphratæ damnato pulſoque ſucceſſor apponitur; nulla electio Colonienſi Eccleſiæ commendatur. Sed hæc omnia, & ſimilia in temporis injuriam, ſi non & in rudioris ac malignæ manus interventum referri poſſunt. quando in alia moltò certiora antiquorum monumenta æquè, ſi non & magis interveniſſe videmus. Stet potiùs inconcuſſa Synodus hæc noſtra, à variis noſtratibus Eccleſiis, Agrippinenſi, Trevirenſi, Tungrenſi, aliisque, quâvis ætate ſemper agnita, traditione nunquam interrupta ſcriptoque roborata. Nosque in antiquitatis venerandæ diſquiſitione, non pluſquam oportet, ſed ad ſobrietatem ſapiamus.

8. Tertius eſſe poteſt ſcrupulus. In Synodi hujus exordio, ſeu per ſe ſeu per Legatos, conſediſſe dicuntur Epiſcopi omnino 24. omnes Galli, qui & in Sardicenſi reperiuntur, ut ſupra diai. quorum Belgæ latè ſumpti recenſentur duodecim; ex aliis Galliæ provinciis totidem: & tamen, quod mirari quis poſſit, ſententiam dixiſſe non plures quindenis inveniuntur. Reſpondeo Synodi textum hic temporum injuriâ mutilum eſſe poſſe: ſive reliquos novem Epiſcopos ſententiam ſuam exertè non dixiſſe; ſed ceu pedaneos Romanorum Senàtores, in aliorum ſententiam pedibus iviſſe tacitè; ut Cicero notat libro ad Atticum 1. Epiſtola 16. & 17. Inter eas ſententias, tertiadecima Servatii Tungrenſis Epiſcopi notanda eſt. *Se, quid docuerit Euphrata Pſeudoepiſcopus, non opinione, ſed veritate pro finitimi loci* (adde & provinciæ) *conjunctâ civitate cognoviſſe; eique publicè & domeſticè ſæpiùs obſtitiſſe, cùm ille Chriſtum Deum negaret, audiente Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ, & Presbyteris ac Diaconis plurimis.* Coram Athanaſio Euphrates ita loqui ante Sardicenſe Concilium, non potuit; neque enim id in Concilio illo generali diſſimulaſſet Athanaſius; potiùs cum Photino damnandum curaſſet. id igitur ad id tempus refero quo tertiùm jam in Gallias Athanaſius, poſt Sardicenſem Synodum, à Conſtante evocatus advenit, anno Chriſti 348.

9. Euphratem porro ita damnatum atque depoſitum, paulo pòſt ſenio mœtoreque contabuiſſe volunt, & contra Noveſium ad Rhenum tumulatum. Ei deinde in Agrippinenſi Sede Severinum ſufficiunt, ſanctitate clarum; qui vitam ad S. Martini Turonenſis exceſſum, & annū Chriſti præcipitâtem 400. annos ſupra 50. produxerit. Niſi fortè quis intermedius temporum injuria & oblivione lateat.

Euphratis mors & ſepulchrum.

CAPUT VII.

Conſtantis Imperatoris cædes. Magnentii, Vetranionis, & Nepotiani Tyrannis.

Anno Chriſti 350.

Conſtans Occidentis Imperator, felix & ſtrenuus.

1. IAM Conſtans à cæde fratris Conſtantini, quam in annum Chriſti 340. incurriſſe ſuprà vidimus, Occidentis decimum annum victor tenebat Imperium. Qui licèt *debilis eſſet pedibus manibusq́, & articulorum dolore* (verba ſunt Victoris Schotti) *fortunatus* tamen hucuſque *fuit cæli temperie, fructuum proventu, nullâ à Barbaris formidine. Quæ profectò majora fierent, ſi Provinciarum Rectores non pretio ſed judicio provexiſſet.* Nec aliter Eutropius: *Conſtans* licèt *valetudine improſperâ uteretur, rebus tamen plurimis ſtrenuè in militiâ geſtis, exercitui fuit per omne vitæ tempus ſine gravi crudelitate terribilis.*] Et *externarum ſanè gentium* (addit Victor vulgatus) *compreſſerat motus: ſed dum earum obſides pretio quaſitos pueros venuſtiores cultiùs haberet, libidine hujuſmodi arſiſſe, pro certo habetur. Quæ tamen vitia utinam manſiſſent! Namque ſucceſſoris Magnentii, utpote gentis barbaræ, diro atroq́, ingenio; ſimul his quæ pòſt accidère, adeò extincta omnia ſunt, ut illud Imperium haud injuriâ deſideraretur. Sed enim* (ſubdit Eutropius) *tùm amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia converſus, ut intolerabilis Provincialibus, ita militibus injucundus* evaſit.] *Simul per ætatem cautus parum* (Victor Schotti) *atque animi vehemens; adhuc miniſtrorum pravitate execrabilis; atque præceps in avaritiam deſpectumque militarium.*] *Dum igitur* (Victor vulgatus) *venandi cupidine ductus, per ſylvas ſaltusque errat; conſpiravere aliquanti militares in ejus necem: auctoribus Chreſtio, & Marcellino, ſimulq́, Magnentio.* Eam conſpirationem, quia cæteris omnibus exactiùs fuſiùsque pertexit Zoſimus, ejus hîc verba proferam; licèt in Conſtantem, ſicut & in ejus patrem, iniquior ſit.

Per ætatem parum cautus.

Zoſimi opinio, cur Conſtans cæſus ſit.

2. *Conſtantinum fratrem Conſtans cùm è medio ſuſtuliſſet, in ſubditos cum omni crudelitate graſſabatur, & omnem intolerabilem tyrannidem excedebat. Emptis enim barbaris quibus eſſet vultus elegans; & aliis itidem quos obſidum loco ſecum haberet; quidvis adverſum ſubditos agendi facultate conceſsâ, veluti qui oculis ad impudicitiam ei gratificarentur; omnes imperio ſuo ſubjectas nationes in extrema mala præcipitabat. Quæ cùm Prætoriani moleſtè ferrent, & ipſum venationis voluptatibus deditum viderent: ducibus uſi Marcellino Ærarij Præfecto, & Magnentio, cui creditum erat in Iovianos & Herculianos imperium* (legionum ea nomina ſunt, quæ ſcilicet à Diocletiano, Jovio, Maximianóque Herculio ut inſtitûtæ, ita & nomen ſortitæ, Imperatorem ceu Prætorianæ comitari tutarique ſolebant. *hoc quodam modo inſidias ei moliuntur. Marcellinum qui Natalem filii ſui ſe celebraturum diceret, ad epulum cùm alios multos in caſtris dignitate præſtantes, tum Magnentium invitabat.* nempe Auguſtoduni, teſte Hieronymi Chronico, in Æduis, quo fortè venando Conſtans advenerat. *eâ comeſſatione mediam ad noctem productâ* (nam cœnam fuiſſe teſtatur Victor vulgaris, Zoſimo hîc per omnia reſpondens) *Magnentius quaſi rei neceſſariæ cauſâ de menſâ ſurgens* (*quaſi ad ventris ſecreta ſecedens*, ait diſertè idem Victor) *tùm perexiguum ad tempus à convivis ſeceſſiſſet, eis ſe rurſus amictum ſtolâ regiâ, velut in ſcenâ ſpectandum exhibuit. Ibi tùm eum convivæ Regem appellaſſent; ſimiliter omnes incolæ urbis Auguſtoduni* (*quâ in urbe hæc geſta ſunt*) *in eamdem ſententiam venerant.* Ita Zoſimus. Quintodecimo *Kal. Febr.* ſeu Januarii 18. (qui tunc in feriam 5 incidit) *Magnentium levatum* teſtantur Idatii faſti, & Chronicon Alexandrinum; *Sergio* autem *& Nigriano Coss.* ſeu anno Chriſti 350. præter Idatium etiam Socrates lib. 2. cap. 20.21. Licèt Chronicon Alexandrinum ad prioris anni Conſules referat, quia anno hoc 1. naſcente contigit.

Annus Chriſti 350.

Magnentii ambitio cauſa cædis ejus.

Auguſtoduni.

Magnentius acclamatur Auguſtus.

3. *Et quoniam rei fama* (pergit Zoſimus) *tendebat ulteriùs; extra urbem ruſtica quoque plebs confluebat. Per idem tempus, quidam Illyricanorum equitum, in ſupplementum Celticorum ordinum miſsi, cum iis ſe conjunxerunt, qui hujus rei causâ convenerant. Et ut ſimpliciter rem exponam; in unum congreſsi, quicumque cum imperio militibus præerant, quòd conjurationis Principes jam proclamaſſe viderent, ignari propè quid ageretur, exclamabant omnes, & MAGNENTIUM AVGVSTVM appellabant.*

Locus & annus cædis.

4. *Hæc Conſtans animadvertens, quoddam ad oppidum Pyrenæo monti proximum, cui nomen eſſet Helena, profugere conatus eſt. verùm à Gaiſone, qui eo nomine cum ſelectis quibuſdam miſſus fuerat, adprehenſus, & omni deſtitutus ope necatus eſt.* Zoſ. *anno Imperii*, ut Eutropius, 17. nempe ex quo Cæſar à patre Conſtantino dictus; *ætatis 30.* aut ut Victor, *tertiodecimo Auguſtæ dominationis* (*nam Cæſar triennio fuerat*) *ævi ſeptimo viceſimoque.* Morituro Conſtanti ſolum adfuiſſe Laniogaiſum, tunc militem candidatum, ait ſe ſcripſiſſe Ammianus cap 11. lib. 15. nempe in prioribus libris deperditis. Videtur fuiſſe Francus, & veriſimiliter ex iis quos apud ſe detinebat Conſtans.

Conſtantis laus & virtutes.

5. Ceterum de Conſtante tametſi Scriptores Ethnici, & alii etiam nonnulli ſiniſtrè loquantur; potius tamen nobis eſt Athanaſii, Patrumque Synodi Mediolanenſis teſtimonium: quorum ille ſuâ ad Conſtantium Apologiâ, eum beatum, divinâ *gratiâ in Baptiſmate donatum, mente ſummopere Chriſti amori addictum, & ſanctiſſimum virum martyrio decoratum* appellat: hi *eumdem, ex quo baptizatus eſt, ex hominibus in requiem ſibi debitam tranſlatum* diſertè confirmant. Et ſi quæ juventa incautior minus Chriſtianè commiſit, omnia baptiſmi paulò ante necem lavacro diluerit. Addit Athanaſius ſupra, *Conſtantis donariis Eccleſias plenas fuiſſe.* haud dubiè, Belgicas maximè, quando in Belgis, ac Treverorum urbe Auguſta de more deceſſorum, frequentiſſimè egit. Ammianus lib. 30. cap. 24. pag 428. ſcribit eum Alemannis ac Tranſ-rhenanis omnium maximè formidatum. Francis maximè credo, ut ſuprà tetigi.

6. *Poſt Conſtantis necem*, ſubdit Eutropius, *Magnentius Italiam, Africam, Gallias* (addo ego Britanniam & Hiſpanias) *obtinuit.* Romam ante omnia occupare conſilium fuit; & novum Urbi Præfectum dare; quod ex libello Præfectorum Urbis intelligimus: ubi legimus: *Sergio & Nigriano Coss. Hermogenes Præfectus Prætorio & Urbi.*

jam

jam inde ſcilicet à 14. *Kal. Junii* prioris anni, ut ibidem. Mox: hoc eodem anno 350. *Tertio Kalendas Martii Fabius Titianus Præfectus Urbi.* aptè ad primum Imperii Magnentiani diem, Januarii 18. quem inter & Fabruarii 27. dies ferè 40. interfluunt. Nam Titianum Magnentio firmiter adhæſiſſe, infra ex Zoſimo audiemus: licèt Præfectus Prætorio Galliarum anno Chriſti 345. ſub Conſtante fuiſſet, ut ſupra dixi.

Maximini & Servatii ad Conſtantium à Magnentio Legatio.

7. Quóque magis hauſtum ſtabiliret Imperium, non ignarus Conſtantium Imp. cæſi fratris ultioni non defuturum, Legatos ad eum Antiochiæ contra Perſas tunc agentem miſit. Eos ex Epiſcopis quidem binos, & è Palatinis totidem nominat in ſua ad Conſtantium Apologia Athanaſius; *Servatium & Maximinum*, illum videlicet Tungrorum, hunc Trevirorum *Epiſcopos, unà cum ſuis* nempe domeſticis; hos verò *Clementem ac Valentem* Comites exertè vocat. Unde intelligimus, quanta tum inter ceteros Gallicanos Antiſtites auctoritate pollerent Belgæ noſtri, & inter Belgas Servatius atque Maximinus; utpote Trevirico Imperatorum ſolio (quod ſæpè monuimus) proximi juxta, & ſanctitate, doctrina, uſuque rerum conſpicui. Hi igitur è Galliis Antiochiam petituri, itinere non terreſtri, ſed navali Maſſiliâ ſolviſſe videntur, quando illos Alexandriam Ægypti appuliſſe idem ſupra teſtatur Athanaſius. Quem nec Chriſtianæ erga tantos viros, in Galliis ſibi jampridem & in Concilio Sardicenſi probè cognitos, optimeque de ſe meritos, hoſpitalitati defuiſſe, certa eſt intelligentia; Præſertim cùm & hinc conflata illi nova calumnia ſit, quaſi litteras ſi non à Magnentio per eos accepiſſet, ad eum certe dediſſet, contra Conſtantium conſpiraturus. Unde ita ſe purgat: *Tibi veritatis ſtudioſiſſime Imp. bonâ cum fiduciâ innocentiæ meæ, auctor adhortatorque ſum, ut rem exquiras, maximè cùm eorum teſtimonio uti poſſis, qui à Magnentio pro Legatis ad te miſſi ſunt: Servatius ac Maximinus Epiſcopi, Clemens & Valens. Sciſcitare num ad me litteras deportarint. Ita enim occaſionem mihi dediſſent, ad eum reſcribendi. Quod ſi nec ille mihi ſcripſit, nec me cognitum habebat: quid cauſa fuit, ut ad eum ſcriberem qua ignorabam? Quare item, viſis comitibus Clementis, quam mentionem fecerim de beata memoria Conſtante: & quantopere lacrymis meis veſtimenta mea laverim; dum animo viri ſuccurrebat humanitas, & quantopere mentem ſuam Chriſti amori addixerat. Sciſcitare inſuper, quantopere ego certior de illius Belluæ* (Magnentii) *immanitate factus exhorruerim, ne ut latro trucidaret, quotquot beatum Conſtantem amore memoriaq; complecterentur; quæ in re nemini me ſecundum facio.* Et infra: *Me igitur neque illis* Legatis Epiſcopis *litteras dediſſe, aut ab eo accepiſſe, Deum, & ejus verbum, unicum filium, D. N. IESVM Chriſtum in teſtem voco.* Hucusque Athanaſius.

Unde novæ in Athanaſium calumniæ

8. Servatius porro & Maximinus Alexandriâ Antiochiam cùm denique appuliſſent, in Conſtantii conſpectum colloquiumque veniſſent; concordiæ ac pacis à Magnentio literas detulerunt, & potiorem civili bello pacem haud dubie perſuadere conati fuerint. Maximè cùm idem forte *diceret* ſcriberetque Magnentius, quod Julianus Apoſtata I. ſua in Conſtantii laudem oratione pag. 47. de Vetranione refert *ſe contra aliorum tyrannorum vim velle reſiſtere; ideoque pecunias ad ſe mitti cum ſubſidiariis copiis petere. manſurum ſe in officio promitteret: non ſibi Imperium arrogantem, ſed curatorem illius ſe cuſtodemque fore demonſtrantem.* Quid Conſtantius reſponderit, nemo tradit. fruſtrà fuiſſe Legationem eventus docuit: Conſtantio in ultionem fratris obfirmato. Servatium noſtrum in Gallias ex iſta Legatione rediiſſe certum facit vita illi ad plures abhinc annos ſuperſtes. Non rediiſſe Maximinum, ſed in reditu cùm Aquitaniam neſcio quâ de cauſa divertiſſet, niſi quod inde oriundum ferunt; ibidem naturæ munus impleviſſe, teſtatur in ejus vita Lupus. Et poſt eum fuſius etiam doctiusque Brouverus noſter. mortem illius anno 351. aſſignans, die 29. Maii ex Martyrol. Rom. eum proximè excepit Paulinus, & ipſe Aquitanus, è Paulina gente nobilis, Maximini diſcipulus, doctrina, ſanctitate, fideique zelo non impar; hoc etiam ſuperior, quod fidei Catholicæ confeſſionem ſanguine ſuo martyr obſignarit.

Maximini mors; & Paulini ſucceſſio.

9. Neque verò tantùm è Galliis à Magnentio legati; ſed & è Pannoniis à novo tyranno Vetranione venerunt, idem omnino poſtulantes. de quo ita ante omnes Julianus Apoſtata oratione I. p 47. *Exeunte jam hyeme, ſexto circiter anno poſt bellum illud* (contra Perſas inchoatum) *nuntiatum eſt* Conſtantio in Syriâ tum agenti, *Galliam una cum Tyranno* (Magnentio) *defeciſſe, fratri ejus Conſtanti inſidias ſtruxiſſe, cædemque perpetraſſe; atque ita Italiam ac Siciliam occupari. Quæ verò in Illyrico erant legiones, ſeditionibus concitatas Ducem ſuum* Vetranionem *Imp. creaſſe.*] Creatum autem *Kalendis Martiis* eodem anno Chriſti 350. rectè notat Chronicon Alexandrinum; Victori Schotti, uti mox videbimus, conforme. non Kalendis Maii ut levi mendo Idatii Faſti, pro *Martii.* Diebus igitur totis 4. poſt Magnentium creatus Vetranio. Id Sirmii factum notant Idatii faſti & Chronicon Alexandrinum, Murſæ Hier. Chronicon & Zoſimus. Vetranionem porro *grandævum jam, & cunctis amabilem diuturnitate ac felicitate militiæ ad tuendum Illyricum Principem creatum, virum probum & morum veterum, ac jucundæ civilitatis: ſed omnium liberalium artium expertem, adeo ut ne elementa quidem prima literarum, niſi grandævus & jam Imp. acceperit*, ſcribit Eutropius hoc ævo florens. *Magiſtrum militum* vocat uterque Victor; additque præterea vulgatus in Epitome, *Literarum prorſus expertem fuiſſe, ingenio ſtolidiore, idcircoque agreſti vecordiâ peſſimum, quum per Illyrios peditum Magiſterio milites curaret, dominationem improbè occupaſſe. ortum Mœſia ſuperioris locis ſqualidioribus.* Verùm dominationem non occupaſſe, ſed *à Conſtantiâ Conſtantii ſorore contra Magnentium declaratum Imp.* ſcribit diſertè Chronicon Alexandrinum. Quam quidem ſummam etiam innuere videtur Julianus, his verbis: Vetranio *adverſus invictam, ut quidem videbatur, tyrannorum vim ac potentiam volebat reſiſtere: ideoque pecunias ad ſe mitti, cum ſubſidiariis copiis petebat: quaſi magnopere ſibi metuens, ne in tyrannorum poteſtatem veniret. Interim manſurum ſe in officio promittebat, minimè ſibi Imperium arrogans, ſed curatorem ſe* (opinor) *illius fidelem ac cuſtodem fore demonſtrans. Sed non multò pòſt perfidiam ſuam proditurus erat, ac pœnas daturus. Quibus omnibus Conſtantius cognitis, non in otio fruſtrà conſumendum ſibi tempus exiſtimavit; ſed Syriæ urbes machinis, præſidiis, frumento, reliquoque omni apparatu complevit: prorſus ut quamvis abſens putaret ſatis ſe ei parti*

Vetranio novus in Pannonia Tyrannus.

Grandævus

& Magiſter militum.

Iulianus Orat. I.

Republicæ providiſſe. Ipſe verò expeditionem adverſus tyrannos comparabat. Hucuſquè de tyrannis duobus Julianus. Nunc etiam tertium deſcribamus.

Nepotianus Romæ Tyrannus, ex Zoſimo, lib. 2.

10. *Conſtantius* (ait Zoſimus) *licèt tum bello Perſis inferior eſſet* (de quo nos paulò infrà) *Magnentium tamen & Vetranionem perſequi ſtatuit. Dum hæc ſecum cogitat, & in adparatu totus eſt, apud Celtas* (ſeu Germanos Ciſrhenanos ac Belgas) *adhuc hærente Magnentio; NEPOTIANUS ſorore Conſtantini genitus, cui nomen Eutropiâ, collectâ multitudine non ſanorum hominum, ſed latrocinio & luxu perdita vita deditorum, Romam acceſſit, & Imperatorio ſe habitu ſpectandum exhibuit. Sed cùm in eum Anicius, quem Magnentius Præfectum Prætorio conſtituerat* (ut Titianum P. V.) *quoſdam è plebe armaſſet, & urbe emiſiſſet, cum Nepotiano dimicaturos; acre prælium commiſſum fuit. Romanis autem ut imperitis, & ordinem nullum ſervantibus, non magno labore in fugam actis; Præfectus Prætorio fugientes conſpicatus, & Urbis periculum veritus, portas occluſit. Itaque Nepotiani milites hos omnes, ut qui nullam evadendi viam invenire potuiſſent, trucidarunt.*] Zoſimus. Idatii Faſti diem etiam notant; *Nepotianus Roma 3. Nonas Junias* levatus eſt Imperator, *& pugna magna fuit cum Romanis & Magnentianis.* Idem totidem fere verbis etiam de die Chronicon Alexandrinum. Ita & Eutropius: *Romæ quoque tumultus fuit, Nepotiano Conſtantini ſororis filio per gladiatoriam manum Imperium invadente.* Victor Schotti. *Romæ Nepotianus, Eutropiæ Conſtantini ſororis filius, hortantibus perditis, Auguſti nomine rapit.* Et Victor vulgaris: *Romæ corrupto vulgo, ſimul Magnentii odio,* POTENTIANUS (lege Nepotianus) *maternâ ſtirpe Flavio propinquus, cæſo Urbis Præfecto, armataque gladiatorum manu, Imperator fit. Cujus ſtolidum ingenium adeo plebi Romanæ Patribuſque exitio fuit; uti paſſim domus, fora, viæ, Templa cruore ac cadaveribus opplerentur; buſtorum modo. Neque per eum tantùm. verùm etiam advolantibus Magnentianis.* de quibus mox. Denique Hieronymus in Chronico poſt Nepotianum Imp. factum, *Romæ,* inquit *populus adverſus Magnentianos rebellans, ab Heraclidâ Senatore proditur.* quod quid ſit, adhuc quæro. Neque enim Heraclidam, hunc Anicium P. P. exiſtimo.

11. Nepotianus Romæ de Magnentianis victor, omnes ſibi ſuſpectos haud dubiè vel occiderit, vel expulerit. idque vult Victor vulgaris, cùm *Romæ ab Nepotiano omnia cadaveribus oppleta* ſcribit, *buſtorum modo.* & Socrates lib. 2. cap. 20. *dicens plures è Senatu ac plebe trucidatos.* Verùm quod Victor vulgaris ſolus *Præfectum Urbis à Nepotiano cæſum* dicit, vereor ut ſubſiſtere poſſit: ſi quæ de Præfectis Urbis hujus anni notet eorum Libellus, attendimus: Nam ibi *Sergio & Nigriano Coſs.* (id eſt hoc anno Chriſti 350.) *à tertio Kal. Martias*; uſque *ad eaſdem Kalendas anni ſequentis 351. Fabius Titianus* ſemper eſt *Præfectus Urbis*: non futurus utique ſi menſe Junio hujus anni 350. (quo ſolo Nepotianus imperium tenuit) cæſus fuiſſet. *Titianum* Hieronymi Chronicon anno Chriſti 345. virum eloquentem Præfecturam Prætoriam apud Gallos adminiſtraſſe ſcribit; Zoſimus *Ordinis Romæ Senatorii* vocat; *è Patrum Romæ conſcriptorum numero.*

Nepotiani cædes,

12. Verùm *ſævis* iſtis *exordiis Nepotianus dignum exitum nactus eſt*, ait Eutropius, & Victor Schotti, *28. Imperii die à Magnentianis Ducibus oppreſſus.* Nam ut fuſiùs Zoſimus, *Magnentius non multis poſt diebus exercitu miſſo, Duce Marcellino, cui commiſſum erat in Palatinos ordines imperium* (*Romani Magiſtrum officiorum vocant*) *interfecit.* Erat Marcellinus ille, qui velut Natalem filii celebraturus ferale Conſtanti convivium apparaverat. ut ſuprà. *Nepotiani cæſi caput* (addit Eutropius, & ex eo in Chronico Hieronymus) *pilo per Urbem circumlatum eſt. Graviſſimaque proſcriptiones, & Nobilium cædes factæ.* In iis *Eutropiam* Nepotiani matrem, *Conſtantis materteram jure merito à bonis moribus ita dictam* (ait in ſua ad Conſtantium Apologiâ Athanaſius) *Abuterconem* item ſinceriſſimum hominem, & Sperantium fideliſſimum numerat; aliosque complures Chriſtianos notos ſuos tacet, quos *ſuos* etiam *Romæ hoſpites vocat, qui multâ cum & verâ benevolentiâ quondam tractaverant.* Ita Magnentius in toto fere Occidente ſolus rerum potitus eſt. eoque circa hoc tempus, ſi non antè, *Decentium conſanguineum ſuum trans Alpes* (ait Victor vulgaris) *Cæſarem creavit*; ut autem Victor Schotti, *fratri ſuo Decentio jam antea cum externi motus ſuſpectarentur Gallias commiſit.* quod etiam Nummi plures affirmant. Sicque pluribus munimentis inſiſtens, totus in belli adparatum toto hoc anno ad ver ſequentis incumbere perrexit; ne forte vel à Vetranione, vel à Conſtantio præoccuparetur.

& multorũ nobilium.

13. Nec Bellum interim in Oriente ceſſabat. Nam ut breviter Chronicon Alexandrinum, *Sergio & Nigriano Coſs.* adhuc hoc Chriſti anno 350. *Dum Conſtantius Antiochiâ in Europam tendit, Sapor* Rex Perſarum, irruens in Meſopotamiam, Niſibin centum diebus obſedit; & miraculosè repulſus eſt. Vide fuſiorem inibi narrationem; ut & apud Julianum Apoſtatam oratione prima & 2. in Conſtantii laudem, quando iſta nihil ad Belgium noſtrum. Et Zoſimus libro tertio eum citat; ſimul hunc annum 350. notat; quamvis inſcius; & de anno Chriſti 360. agere videatur. Sed ita pergit: *Poſteaquam verò Conſtantius ad bellum in Europam,* contra Vetranionem *profectus eſt, neſcio cujus dæmonis afflatu, mente captus ille* Vetranio, *qui fidum ſe interim cuſtodem manſurum receperat; quem Conſtantius ipſe pecuniis exercitibus, ac ceteris omnibus adjutum ſervaverat; pacem nihilominus cum homine ſceleratiſſimo* Magnentio, *atque cum omnium communi hoſte fecit. Conſtantius itaque alterum perfidiæ, alterum præterea execrandorum criminum accuſans; illum* Vetranionem, *ad judicium ac militum diſceptationem provocabat; cum hoc* Magnentio *bello tranſigendum putabat. Sed primò egregius & callidus ille ſenex* Vetranio *ad Conſtantium venit, quovis puero mutabilior.* nempe quia Conſtantio adhuc abſente cum Magnentio tranſegerat; ipſo jam imminente territus ac nutans, ad Conſtantium ſe vertebat.

Bellum etiã à Sapore Perſa.

Iulianus Apoſt. orat. 1. & 2.

Conſtantius redit in Europam.

Contra Vetranionem.

14. Atque hoc etiam eſt quod Zoſimus vult, cùm ait: *Conſtantius ex Oriente profectus, ante quàdam Vetranionem prius amicitiâ ſibi devinciendum arbitratus eſt. ne cum duobus ei, ſed uno tantùm perduelle dimicandum eſſet. Itidem Magnentius omnem operam ac ſtudium adhibebat, ut amicitiam Vetranionis impetraret; & eo ſocio ſuſceptum adverſus Conſtantium bellum conficeret. Itaque cùm uterque Legatos ad Vetranionem hoc nomine miſiſſet; ille Conſtantio quàm Magnentio maluit adſentiri. Ubi rebus infectis Magnentii Legati diſceſſiſſent, Conſtantius petiit, ut in unum copiæ cogerentur; & publicum de gerendo contra Magnentium bello conſilium haberetur.* Ita Zoſimus. ultimam

Quem ſibi adjungit.

pendenti-

pendentis Vetranionis ſententiam exprimens; priorem autem quâ Magnentio adhæſerat, non tangens. Ultimâ igitur hac reſolutione mutatus Vetranio, *ſenex quovis puero mutabilior*, ait Julianus, *ad Conſtantium* jam imminentem, eoque magis terrentem *primus venit*, & quidem *cum copiis ſuis, ad fines provinciæ, ut tranſitum prohiberet*. Julianus Oratione 2. pag. 141. fin. quam vide. & quidem *Naiſſum*, uti mox ex Hieronymi Chronico. & primo quidem Vetranio *æquale ſibi cum Conſtantio imperium arrogabat* (ait Julianus p. 56.) *neque Conſtantius, tunc multitudine militum inferior, eo quod non omnes eſſent ſecuti, in certamen deſcendendum putavit*, victoriâ periculo non carente. Quare *ſapienter rem ab ſe uno confici oportere judicavit*, non armis ſed oratione. *Vetranione decepto*, ait Zoſimus. At Victor Schotti diſtinctiùs: *Cum magnâ parte utrimque exercitus convenissent; habitâ ad ſpeciem judicii concione, quod ferè vix aut multo ſanguine obtinendum erat, eloquentiâ patravit.*] Nam, ut Julianus pergit, *Proinde Tribunal* (ad id paratum, addit Zoſimus) *cum Vetranione quaſi collegâ conſcendit; ac coram ingenti militum turbâ, armis undique collucente, diſtrictis gladiis, piliſq; prætentis, ſermonem inſtituit: ingenti per univerſum exercitum ſilentio, arrectis ad audiendum omnibus, pleriſque verò in lacrymas ſolutis ac manus in cælum tendentibus.*] Julianus. Addit Zoſimus: Ea oratione Conſtantius militibus liberalitatem Conſtantini patris ſui ad animum revocabat; juramenta item, quibus ſe filiis ejus adfuturos promiſerant: petebatque ne impunè Magnentius evaderet, qui filium Conſtantini occidiſſent illius, quocum tot bella confeciſſent, & à quo tantis muneribus adfecti fuiſſent.

Et eloquentiâ decipit.

15. His milites auditis, & opimis jam antè donis occupati, exclamant, Imperatores adulterinos expugnandos.] Zoſimus. & Julianus: *Milites denique divino quodam impetu correpti, Conſtantium ſolum Imperatorem proclamant, ſolum omnibus præeſſe volunt, ut ſe duceret rogant, libenter eum ſecuturos ſe; atque ut Imperii inſignia recipiat, hortantur. Sed Conſtantius Vetranioni manum injiciendam, aut imperii inſignia ei violenter extorquenda non putavit. Hic verò tandem, ægrè licet & invitus, Theſſalicæ neceſſitati cedens, detractam ſibi purpuram ad eum detulit.*] Jul. Et *Conſtantius quidem* (ait Victor Schotti.) *illum in privatum otium removit; grandævæ ætati*, addit alter Victor, *non vitam modo, ſed etiam voluptuarium otium concedens.* Nam ut Chr. Alex. *menſa illum ſuâ primo dignatum, ſummis honoribus muneribuſque, & benevolentiæ ſignificationibus proſecutus, Pruſiadem Bithyniæ civitatem amandavit. Ubi ad vitæ uſum omnia illi neceſſaria, annonam, penumque copioſè ſuppeditavit. Vetranio verò uti Chriſtianus, aſſiduus in Eccleſiæ celebritatibus, in egentes effuſus, Præſules Eccleſiæ uſque ad mortem religioſè coluit.* Ita Chr. Alexandrinum cui & Zoſimus adſtipulatur. plura etiam addit Socrates lib. 2. cap. 23. fin. *Imperator Britannionis ſumptus omnes ex publicis tributis ſuppeditari mandavit: Poſtea verò ad eum Pruſiæ Bithyniæ urbe degentem litteras ſæpè dedit; quibus oſtendit, eum ſe, quod curis eum & angoribus liberaſſet, maximorum bonorum ei auctorem fuiſſe; tum quibus miſeriis regnum ſtringeretur; eoque ſe parum conſideratè feciſſe, quòd bonis quæ illi conceſſiſſet, ipſe non frueretur.*] Ita ille, Principum more, qui regnum verbis deprimunt, re complectuntur; rarò certè deponunt.

Vitam dat, & otium voluptuarium.

16. Ceterum Vetranionis exautorationem iſtam *apud Naiſſum* Dardaniæ Metropolim factam, unus (quod ſciam) Hieronymus in Chronico tradit. Juliano Apoſtatæ conſentiens, qui oratione 2. pag. 141. fin. *Vetranionem Conſtantio ad fines provinciæ ſuæ occurriſſe* ſcribit. *Diem autem* ſignat in faſtis Idatius, *octavum Kalendas Januarii*, aptè *ad menſem* Vetranionis *decimum*, quem Victor Schotti & Chronicon Alexandrinum diſertè notant. Kalendis enim Martiis illum iniiſſe ſupra viſum. Unde hoc eodem anno Chriſti 350. factum id evincitur, non ſequenti, ut mendoſe Idatiani faſti. Sed & diem iſtum, 8. *Kal. Ianuarias*, æquè innuit Kalendarium hoc eodem ævo contextum, & nuper à nobis cum Victorio editum; cùm ad eum hæc adtexit verba; *Natalis Invicti*. quòd poſtmodum ſcilicet Conſtantius ab exercitu *Invictus*, acclamatus ſit; ut etiam ſignificat Ammianus lib. 17. fin. Niſi potius ea verba, SOLIS INVICTI Natalem notent, ut innuit oratione in Solem extremâ Julianus, & ad eum Petavius. Potuit utrique adſcribi. Certè in hanc noſtram ſententiam ſubdit non ineptè Victor Schotti: *Conſtantium, quò minùs in hoſtes alios ad Italiam contenderet, hyems aſpera, clauſaque Alpes tardavere.* Ita videmus Conſtantium Antiochiâ anno jam adulto Conſtantinopolim diſceſſiſſe, & rurſum Conſtantinopoli non multo ante Novembrem in Pannoniam moviſſe. Noto præterea hic, *Gumoarium ſub Vetranione ſcutarios regentem, latenter Principem ſuum* Conſtantio *prodidiſſe*. ex Ammiano lib. 21. Quod forte Socrates lib. 2. cap. 23. fin. inſinuat, cum Conſtantium narrat, *Militum Vetranionis animos ad ſe traducendos curaſſe.* & Zoſimus, dum lib. 2. *opimis jam ante donis occupatos*: Nec diſſentit Sozomenus. Moneo denique in Pannonico iſto Vetranionis exercitu, S Martinum Sabarienſem tunc militaſſe ut infra particulari capite fuſiùs.

Naiſſi ea geſta, ad 8. Kal. Januarii. anno Chriſti ſuntque 350.

17. Ea Victoriâ tam incruentâ Conſtantius *infinitas peditum copias* (pergit Julianus oratione 2. pag. 142. fin. & ſeqq.) *ac viginti equitum millia; gentes præterea bellicoſiſſimas, & uberrimos agros ſibi adjecit. non vi, nec ut captivos illos trahens; ſed ſponte ad obſequium paratos. Quippe* non Vetranioni tantùm, *ſed & omnibus qui cum eo erant* (addit idem oratione 1. pag. 58.) *integram dignitatem ſervavit: nec ullâ re cuiquam detractâ, pleroſque etiam muneribus affecit.*] & hæc quidem Conſtantii moderationem munificentiamque etiam in hoſtes magnopere commendant. Prudentia tamen nihilo minor: quando *adverſus eum hominem certamen iniit, qui non, ut plerique aſſerunt, contemnendus eſſet: ſed qui & multis antea bellis adminiſtratis clarus atque illuſtris extiterat; & erat jam ætate ſenex; atque ex temporis diuturnitate uſum atque experientiam comparaſſe videbatur. qui denique illis copiis longo iam tempore præfuerat,*

Quantum ea victoriâ creverit Conſtantius.

CAPUT VIII.

Magnentii in Conſtantiũ prælium Murſenſe.

Anno Chriſti 351.

Annus Conſti 351. Conſules Romæ, & Occidentis, alii ab Orientalibus.

1. SEquitur annus Chriſti vulgaris 351. Poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, in Faſtis hodiernis, ut & tunc in Oriente notatus: at Romæ totoque ferè Occidente *Magnentia & Gaiſone Coſſ.* Rerum ſcilicet tunc Romæ potiebatur Magnentius; & de more Conſulatû primis imperii ſui Kal. Januariis inire voluit: collegâ aſſumpto Gaizone, licèt Franco, ſi non barbaro, certè Francis & barbaris parentibus orto. ſed qui Conſtante Helenæ ad Pyrenæum cæſo, Magnentio Imperium aſſeruerat, eoque velut in operæ navatæ præmium, Conſulari dignitate decoratus, adeoque ipſius Auguſti collega. cui & carum eſſe oportuit, quando Decentio Magnentii fratri ac Cæſari in Faſcium adeptione prælatus eſt. Hæc ex Libello Præfectorum Urbis & hiſtoriâ ipsâ manifeſta ſunt. Nam eorum nomen ceu tyrannorum placuit poſtquam cæſi ſunt, eradi. qui quidem Libellus, & Præfectos Urbis hujus anni plures enumerat. his verbis: *Fabius Titianus P. V.* jam inde ſcilicet à 3. Kal. Martias anni prioris 350. eóque ſolidum annum. *Iterum Kalend. Martiis* hujus anni 351. *Aurelius Celſinus P. V.* per duos menſes, dies 11. *Iterum 4. Idus Maji alius Probatus P. V.* per dies duntaxat 25 *Iterum 7. Idus Junii Clodius Adelſius P. V.* per menſes ſex, dies 11. Denique 15. *Kal. Januarii Valerius Proculus P. V.* per menſes fere novem, nimirum ad quintum Idus Septembres anni proximè ſequentis. Tam denſarum mutationum cauſa eſſe potuit, aut Magnentii anxietas ac de ſingulis diffidẽtia, præſertim dũ belli caſus pateretur adverſos: aut quò plures ſibi Romæ Senatores obſtringeret, plures de ſe benè meritos penſaret.

Ex Libello de Præfectis Urbis, qui tunc etiam varii.

Conſtantii & Magnentii apparatus.

2. Totâ hyeme nihil dubium, quin in adverſarium uterque ſe paraverit. & utrumque æquè paratum animadverto. ſed callidiorem Magnentium hic fuiſſe, docet ejus in Pannoniam ipſam ingreſſus & expeditio; è quâ ceu victor Conſtantius, & tot Vetranionis copiis auctus, ut ſuprà è Juliano audivimus; Sirmio verſus Italiam perrexiſſe videatur; à Magnentio tamen deceptus, retrocedere coactus eſt. Quod ita innuit hoc tempore Zoſimus lib. 2. *Conſtantius, cùm ei dolus adverſus Vetranionem ſucceſſiſſet, in Magnentium movens, Gallum patrui filium, germanum Iuliani fratrem, Cæſarem appellat: eidem ſorore Conſtantiâ deſponsâ: ſimul bellum Perſicum, adjuncto Lucilliano committit. ipſe Vetranionis ad ſuas adjunctis copiis contra Magnentium pergebat.* Gallum hunc *Idibus hujus anni 351 Martiis* Cæſarem dictum, esertè monent Idatii faſti. & Chronicon Alexandrinum. Quod quidem anni tempus Conſtantii animum ſatis aperit, Magnentii præverteudi. niſi ab eo æquè parato, & haud dubiè Vetranionis deceptione non parum excitato, ipſe quoque deceptus eſſet. Et ſolidum jam annum in apparatu belli faciendo pacatiſſimum nactus erat Magnentius; dum ex Oriente in Pannoniam ac Vetranionem Conſtantius movet. Ingentẽ autem Magnentii apparatum juvat ex Juliano Apoſtatâ, tum vivente & fortè vidente, lectori tradere: quando ad Belgium noſtrum maximè pertinet. ex Juliani Apoſtatæ Orat. 1. & 2.

Magnentii ortus è Francis.

3. *Erat Magnentius majorum Conſtantii atque Conſtantis vile mancipium, & de Germanorum* (ſeu Francorum) *prædâ ſervata infelices reliquia. ne liber quidem habendus, niſi id à nobis* (ſeu Romanis) *impetraſſet. Complures a Comitatu vinculis aut morte afficiebat. at plebi interim turpiter ſerviens & adulans, ordinem omnem funditus evertebat. Tum verò præclaras illas leges edebat, uti dimidiam quiſque bonorum partem penderet, propoſito etiam mortis ſupplicio, ſi quis facere detrectaret. Servis adverſus Dominos judicium permittebat, atque Regias* ſeu Fiſci *poſſeſſiones emere invitos etiam, ac nihil opus habentes cogebat. Dies me tempuſque deficeret, ſi illius ſcelera percenſere, aut ejus, quæ tum graſſata, tyrannidis magnitudinem perſequi vellem. Sed bellici illius apparatûs, quem cùm adverſus barbaros* (Tranſrhenanos maximè) *comparaſſet, in nos effudit magnitudinem, quis pro rei dignitate poſſit explicare? Celtæ* (Germani nempè Ciſrhenani ac Belgæ noſtrates) *atque Galli invicti omnium à majoribus noſtris habiti; quique velut torrens aliquis, cujus impetus ſuſtineri nequeat, in Italiam atque Illyricum inundaverant, in Aſiam etiam penetrarant, armis ac præliis ubique victores; tandemq; in poteſtatem noſtram redacti Imperio paruerant; jamque luculenta tributa ex Conſtantii marum deſcriptione perſolvebant; tum diuturnâ pace ac maximis eius commodis potiti, opibus ac hominum multitudine plurimum aucti, non pœnitendam ſupplementi militaris ac delectûs copiam Romanis Imperatoribus hucuſque præbuerant;* hi inquam tales ac tanti *publicè tyranni ſigna, non ſponte, ſed vi ac inviti ſequebantur. Aderant unà & affinitatis nomine promptiſſimi ſociorum, FRANCI ac SAXONES; qui ultra Rhenum atque occidentis mare habitant, nationes omnium bellicoſiſſimæ. Urbes porro omnes, & vicina Rheno caſtella* (ergo Belgarum maximè noſtrorum) *præſidiis deſtituta* (quæ ſcilicet ſecum abducebat Magnentius) *omnia barbaris expoſita relinquebantur. Interim adverſus nos omnibus urbibus paratus atque inſtructus exercitus mittebatur. Gallia verò quodlibet oppidum ad bellum ſeſe præparans, caſtrorum ſimile eſſe videbatur. Armis ſcilicet, & equitum, peditum, ſagittariorum, & jaculatorum apparatu plena erant omnia.* Ita Julianus oratione 1.

Auxiliares Galli & Belgæ.

Item affines Franci & Saxones.

4. Nec aliter oratione 2. pag. 103 *Homo perfidus atque audax, nihil jam hoſtile vel adverſum ſibi relictum putabat: nihil quod obſtare poſſet, quò minus etiam ad Tigridis oſtia penetrare poſſet. Habebat ſecum legionarias pedites multas; cum non pauciorem equitum numerum: quidquid roboris ex Hiſpanis, Gallis ac Germanis Rhenum ac Oceanum occiduum accolentibus;* (quales ſunt Franci ac Saxones) *ad quem bellicoſiſſimas ac longè fortiſſimas Barbarorum nationes habitare, non auditu modò, ſed experientiâ ipsâ comperi. Harum igitur gentium non minorem multitudinem, quam quæ ex domeſticis copiis ſequebatur, ſecum educebat. vel potiùs, Barbari quidem, utpote generis ejuſdem ac cognati, quamplurimi comitabantur. Noſtri verò* (ſic enim Romanos appellare libet) *vi ac neceſſitate compulſi trahebantur: perinde atque auxiliarii & ſtipendiarii milites; malè in eum ceu barbarum ac peregrinum affecti; qui per ebrietatem & rapinam ad Imperium pervenerat, quique ut talibus principiis dignum*

Multæ cum Magnentio legiones, credo Rhenanæ.

Nec pauciores Barbari ejus populares

erat,

erat, illud gerebat. Sed barbarorum comitantium multitudine confiſus, omnia ſe illis in prædam daturum minabatur: Tribunum videlicet Tribuno, Centurionem Centurioni, ac militem militi, quibus quiſque oppoſitus eſſet, daturum, cum impedimentis omnibus ac pecuniis: nec ullum liberum relinquebat. Ita ibi. oratione 2. Rurſus oratione 1. *Jam enim ſocii illius in Italiam undique confluerent, ejusque ſe copiis adjungerent, quæ dudum conſcripta ibi fuerant: nemo ita audax fuit, qui non metueret, & ingruentem tempeſtatem perhorreſceret. Etenim fulmen id eſſe quoddam omnibus videbatur ex Alpibus immiſſum, quod tolerari nequiret. Hoc & Illyrii omnes, & Pannonii, & Thraces, & Scythæ timuerunt. Hoc & qui Aſiam incolebant, adverſus ſeipſos erupturum tandem eſſe, ſibi perſuaſerant. Adverſus hunc ipſi etiam Perſæ pro finibus ſuis ad certandum ſeſe comparabant. Et ipſe quoque Conſtantium parvi pendens, Indorum opibus ac Perſarum magnificentiæ totus inhiabat.*] Hæc Julianus de Magnentii apparatu: quem ille toto fere priore anno, & hujus etiam ineuntis hyeme, fecerat: in Italiam atque Venetos ad Alpes Julias advocaverat. Ut mirum non ſit, ſi tantarum copiarum titillatione ac velut impetigine concitatior, ultrò Conſtantium adventatem impetierit, & in Pannoniam reditum ſaltem ſimulare coëgerit.

Decentius frater Magnentii Galliis præponitur.

5. Igitur appetente vere anni Chriſti 351. Decentio fratre jam antè Cæſare dicto, ait Zoſimus libro 2. & in Galliis *ut præſidio tranſalpinis nationibus eſſet*, relicto, Româ ipſe egreſſus, ad exercitum ſuum, qui ad Alpes Julias erat, adverſus Conſtantium proceſſit. Earum clauſtra quædam, Adrana Zoſimo dicta, quæ præſidio Conſtantius inſidebat, cùm fraude & proditione cepiſſet, ut tangit Ammianus lib. 31. Siſciam urbem ad Savi Colopisque confluxum venit. A quâ primo impetu repulſus, non tamen abſcedebat. Conſtantius locis iſtis ſcruposis & impeditis, non libenter hærebat; quòd equitatu longè ſuperior, illo tamen in iſtis uti commodè non poſſet. Ut ergo Magnentium in campos planiores attraheret; cedere ſe, & in Pannoniam, Myſiam, Daciamque redire ſimulavit. Nihil moratus Magnentius, *locis, quæ ibi munita habebat, deſertis*, ait Julianus oratione 1. illum fugere ratus, ſtatim inſequitur; Siſciam primo captam impetu delet: loca ad Savum omnia pervadit; Sirmium etiam tentat. unde ſimiliter exactus, Murſam ad Dravum amnem, paulò ſuperiùs quam Danubio miſceatur, contendit obſidetque. Famâ obſidionis ad Conſtantium perlatâ, univerſis ille cum copiis, opem urbi periclitanti laturus, acceſſit. Ibi poſt leviores aliquot concurſus, tandem in planitie, quæ ante Murſam eſt, ad manus ſeriò ventum.

Magnentius in Pãnoniâ.

Sylvanus Francus à Magnentio in Conſtantium tranſit.

6. Quod tamen priuſquam fieret, Conſtantio res accidit longe gratiſſima. quam hic ex Juliani oratione primâ, ex Victore Schotti, & ex Ammiano lib. 15. breviter contexo. Erant in Magnentii exercitu, Galli & Belgæ multi, multi item Belgis finitimi Franci, Magnentii ſcilicet populares. Inter Francos origine quidem, ſolo autem natali Gallos, & ut puto Belgas, *Sylvanus* quidem. Francus, turmæ equitum Dux, *Boniti itidem Franci, ſed pro Conſtantino Magni partibus in bello civili, acriter contra Licinianos ſæpe verſati, filius*: ait Ammianus. Hic patris ſui (reor) exemplo, aut ut idem Ammianus, *patris fortia facta prætendens, tempeſtivâ enim*

Amm. l. 15.

Armaturis proditione, ante Murſenſe prælium, nova *gratiâ obligare* voluit *Conſtantium*. quâ, ut explicat. Julianus ſuis in Conſtantium Orationibus, *cùm Equitum turmâ & vexillis à Magnentio deficiens, cum Conſtantio periculorum, quàm cum illo ſecundarum rerum particeps eſſe maluit.* Eoque facto Conſtantium ad pugnam contra Magnentium ineundam alacriorem reddidit. Nam ut Victor Schotti, *in Galliâ ortus*, licet *barbaris*, ſeu Francis *ortus parentibus, ordine tamen militiæ, pedeſtre ad magiſterium adoleſcentior meruerat.* Et ut infrà videbimus, iſto *ad Conſtantium à Magnentio tranſgreſſu*, ordinem etiam auxit; utque Conſtantius prælium alacrior iniret effecit.

Pugna Murſenſis.

7. Ordinem pugnæ, cujus Belgæ noſtri, Belgisque confines Franci pars non minima fuere, juvat ex binis Juliani Apoſtatæ ad Conſtantium Orationibus, à Petavio noſtro non ita pridem verſis editisque contexere. *Conſtantius*, inquit, *flumen Dravum, cui adjacet Murſa, ad dexteram habebat: ſiniſtro cornu in campos extendebatur. Cumque hoſtes equitatu ſuperaret, Equites opportunè, ſeparatim, ac per genera diſpoſuit. Quorum alii haſtas ferebant, loricis ductilibus, & galeis ferreis protecti; nec non ocreis quæ ad tales aptabantur. Erant &* genuum tegumenta, & ad femur ipſum munimenta ferrea; ut quaſi ſimulacra quædam equis impoſita clypeo nihil opus habere viderentur. *Hos reliqui equites clypeati ſequebantur: ac nonnulli etiam ex equo ſagittarii. Jam ex peditibus legionarii mediâ in acie erant. Equitibus utrimque circundati. In ſubſidiis funditores ac ſagittarii erant; ac ferentarii omnes qui ſine clypeo ac lorica pugnant. Hunc in modum acie diſpoſitâ, cùm paululum ſiniſtrum cornu præcederet: eo ſtatim hoſtem ſuperavit*, ait Orat. 1. pag. 65. *Nam hoſtilis exercitus omnis perturbatus eſt, atque ordinem deſeruit.* Orat. 2.] at 1. pag. 65. *ipſaque adeò illorum phalanx in fugam acta ac diſſipata; quæ perperam inſtructa fuerat: utpote quam res bellica imperitum, & artis imperatoriæ rudis ordinaverat.*] *Inſtantibus equitibus* (rurſum Oratione 2. pag. 106.) *nec perſequi deſiſtentibus; turpiter in fugam ſe dedit ille qui turpius Imperium arripuerat*, nempe Magnentius: *relicto equitum Magiſtro ſuo, & Tribunis ac manipularibus innumeris.*] Oratione 1. 65. *effusè fugiens ac ne manu quidem conſertâ, ſolo armorum ſtrepitu perterritus; neque bellico clamore perſonantium exercituum vociferationem ſuſtinens. Ceterum licèt interrupti* Magnentianorum *ordines ac perturbati eſſent, centuriatim tamen collecti milites curſus prælium redintegrarunt.* [*fortiſſimeque ſuſtinuerunt.* Orat. 2.] *Quippe pudebat ipſos fugientes videri. ut quod mortalibus omnibus incredibile videretur, id in ſeipſis contigiſſe monſtrarent, Militem ſcilicet Germanum Gallumque* (nempe etiam Ciſrhenanum, ac Belgam) *hoſtibus terga vertiſſe. At barbari* (nempe tranſrhenani Saxones ac Franci) *ſi vincerentur, de reditu deſperantes, aut vincere, aut damno ſaltem aliquo affectis hoſtibus, emori cupiebant. Tantum iis qui cum Tyranno erant audaciæ ſuppetebat, tantum ad pericula alacritatis ac fiduciæ.* Orat. 1.] at 2. pag. 106. Quin & cum Marcellinus *ille diſparuiſſet, qui prodigioſi & execrandi hujus dramatis autor atque artifex fuerat, quique de Imperio* à Conſtante *transferendo conſilium ceperat; atque quod prior ſibi conatus ex animo ſucceſſerat, lætus hactenus & geſtiens inceſſerat, tum diſparuiſſet*; nihil tamen ejus fugâ territi remiſerunt.

Macellinus ab eo præſio non cõparuit.

9. Ac Marcellino *tyranni pædagogo*, imò & factori, quid factum ſit, *neſcio: certe neque inter mortuos, neque inter exules ultrà comparuit. Quid enim ullâ honeſtâ oratione veniam ſperare poſſet, qui tam ſcelerata patraverat: quique in omnium etiam Imperatorii generis cædes ruerat, meritò de conſequendâ veniâ deſperabat. Sed utrum vindex aliquis dæmon illum in ultimos terræ fines abripuerit; utrum ad piſcium pabulum fluvius* (Dravus) *abſorpſerit; nemini hactenus exploratum fuit. Etenim quamdiu ad bellum ordines inſtruebantur, ad pugnam uſque in medio agmine verſabatur, peracto prælio ſtatim evanuit. Igitur ne tali quidem Ducum ignaviâ, Magnentianorum animi ceciderunt ſed quamvis ægrè, aliquamdiu tamen reſtiterunt, ancipiti etiam prælio. Donec Cataphracti, ac reliqui generis Equites, hi ſagittando, illi equis immiſſis irrumpendo,* (*erat enim planus atque æquabilis campus*) *plurimos occiderunt, universos magno impetu disjecerunt. Tum verò superveniente inſuper nocte, Magnentiani fugam libenter arripuerunt. quorum alii ad campum* (nempe Conſtantianis ſiniſtrum) *contendebant; & ex iis pauci ægrè noctis beneficio ſervati ſunt.*] *alii curſu laxam in partem ſuam concitantur; quà fluvius ad dextram victoribus erat. Ibi verò cædes ingens perfecta; ut fluvium ipſum Dravum promiſcua hominum equorumque cadavera complerent.*] Unde & oratione 2. pag. 181. ſcribit, *hoc prælium ad Dravi ripas confectum.* cui proinde neceſſariò adjacuiſſe debuit Murſa.

Magnẽtiani fugiunt.

Murſenſi prælio vires Romanorum attenuatæ.

10. Atque hoc ipſum prælium eſt, *quo Magnentius, apud Murſam profligatus ac penè captus eſt*, ut ait Eutropius lib. 10. medio; & *quo ingentes Romani Imperii vires conſumptas* addit (ut ex eo Hieronymus in Chronico) *ad quælibet externa bella idoneas quæ multum triumphorum potuiſſent ſecuritatiſque conferre.* vel ut Victor vulgaris, *quo nunquam amplius totius Imperii fortuna peſſumdata:* Unde etiam Zoſimus; *Conſpicatus Conſtantius hoc bello civili vix ſe victoriâ potiturum, tantopere acciſis Romanis exercitibus, ut ne barbaris quidem undique imminentibus deinceps reſiſtere poſſent; cogitabat etiam adhuc pugnante utrinque milite, de bello certis conventionibus ſopiendo. ſed milites* (præſertim Magnentiani) *tanto furore pugnabant, ipſique Duces ita ſuos animabant, ut ne nox quidem jam alta dirimere poſſet. Quin & Ducum plerique cecidere: ut Arcadius Tribunus Abulcorum; & Menelaus, cui erat in Equites ex Armeniâ ſagittarios imperium. quem aiunt tria ſimul, eodemque tempore aptantem arcui jacula, in tria quoque unicâ ejaculatione defixiſſe corpora; ſicque non paucos occidiſſe hoſtes: imo illos ab eo propè uno in fugam actos. Sed tamen & ipſe occidit; à Romulo totius exercitus Magnentiani Duce interemptus: & cum eo ipſe quoque Romulus, poſtquam telo prius à Menelao petitus, ne plagâ quidem acceptâ pugnare deſtitiſſet, donec eum qui telum in ſe contorſerat, interfeciſſet.* Ita Zoſimus. Ego quoque nullus dubito, quin Belgarum noſtratium plurimi, & Belgis trans Rhenum oppoſiti Franci, Magnentii ſigna ſecuti, miſerè concisi ſint. unde Barbaros ſtatim novus ad Gallias irrumpendas impetus ceperit. quod & factum mox videbimus. Puto & S. Martinum huic prælio, ſub Conſtantio cum patre interfuiſſe; certe ſi in præſidio aliquo manſit, non procul abfuiſſe: nondum tamen baptizatum (quod aſſerit Baronius) ſed tamen Catechumenum: quando Ambiani poſtea chlamydem dividens, adhuc Catechumenus etiam à Chriſto ipſi appellatur.

parente vocatur.

11. Prælii porro diem exertè ſignant Idatii faſti *quartum Kalendas Octobres*, id eſt Septembris 28. tunc in Sabbathum incurrentem. Julianus Orat. 1. pag. 69. *autumno* (an potius æſtate) *exeunte* ſignat. unde & mox ſubdit: *Poſt hac hyems conſecuta, evadendæ pœnæ facultatem tyranno conceſſit. Deinde per præconem denuntiationes factæ magnificæ: quibus, omnibus qui cum Tyranno fuerant, impunitas eſt propoſita: præterquam iis, qui cum eo nefandarum cædium participes fuiſſent. Quamobrem domos ſuas, opes ac patriam universi* (igitur etiam Belgæ) *recuperarunt: qui tamen nullam earum rerum, quas haberent cariſſimas, viſuros ſe amplius exiſtimarent.* Ita Julianus, cùm & hoc paulò antè addidiſſet: *Conſtantius poſt victoriam trophæum* ad Murſam, *paterno* Cibalenſi *longè celebrius erexit.*

Prælii Murſenſis dies 28. Sept.

12. *At Magnentius* (rurſum Zoſimus) *omni ſpe deſtitutus, veritusque, ne à ſuorum reliquiis Conſtantio dederetur; in Pannonia loco derelicto * in Italiam excurrere ſtatuit. aliiſque collectis inde copiis, aleam pugnæ denuò tentare. Sed ibi Romanos in Conſtantium pendere cognovit, vel odio ſui, vel quod de prælii eventu jam intellexiſſent.*] Turbatum certè Romæ hoc anno, ſatis res ipſa docet: & Ammianus ex libris ſuis deperditis ſatis innuit libro 16. cap. 9. Quod ut melius intelligamus, Libellus primum de Præfectis Urbis audiendus: *Magnentio*, inquit, *& Gaiſone Conſulibus*, qui eſt hic annus 351. (aliis tamen in Oriente Coss.) *Fabius Titianus Præfectus Urbis*, jam inde à *3. Kal. Martias* anno ſuperiore conſtitutus. *Iterum Kalendis Martiis Aurelius Celſinus P. V. Iterum 4. Idus Maii Cœlius Probatus P. V. Septimo Idus Junii Clodius Adelfius P. V.* & denique *15. Kal. Ianuarias*, ſeu 18. Decembris, anno hoc expirante, *Valerius Proculus P. V.* Ita ibi. Quorſum uno eodemque anno tot à Magnentio Urbis Præfecti? niſi quod varii hujus belli quod gerebatur eventus, diverſos quoque timores ac diffidentias incuterent, diverſa conſilia ſuggererent? Nihil dubium quin multi ſub ſingulis Romæ pro nuntiorum varietate tumultus. Unius ſub Adelphio, qui Præfecturam iſtam ab 7. Junii, ad Decembris octavum decimum, menſes ſupra ſenos tenuit, etiam eum ad Murſam Magnentius victus eſt; meminit Ammianus ſuprà, ſic ſcribens: *Dorus quidam ex Medico Scutariorum, Nicteriorum Centurio ſub Magnentio Romæ provectus, Adelphium Urbi Præfectum, ut altiora captantem accuſavit.* quaſi ſcilicet occaſionem Magnentii ad Murſam *victi vel jam ruentis imperium* affectaſſet. Unde & ipſe Magnentius cùm primùm Romam victus cedit, Adelphio jam ſuſpecto Valerium Proculum anno exeunte ſucceſſorem dedit.

* Muniti Alpibus Venetiis.

Romæ iterum turbatum.

Ubi varii Urbis Præfecti: juxta varios de prælio nuntios.

13. Graviorem quoque tumultum ſuggerit Cæſar ipſe Julianus, poſt pugnam: *Tum verò*, inquit, *claſſem ex Italiâ venientem Conſtantius excepit, quæ quàm plurimos illinc cives, propter Tyrannorum* (*ut opinor*) *crudelitatem fugitivos ac profugos advehebat.* quòd Magnentius Conſtantio faventes aut ſuſpectos perſequeretur. & infrà. *Afflictis & calamitate affectis inimicis ſuis Conſtantius æquabilem ac benignum ſe præbuit.* Unde *Romam etiam ipſam, Tyranno adhuc in Italiâ dominante, per Senatum in Pannoniam tranſtulit; ac civitates ipſas ad tributa penſitanda promptas habuit.* Rurſus oratione 2. pag. 180. *Primarii*, inquit, *ordinis Senatores, qui dignitate, opibus ac prudentiâ cæteris antecellebant, tanquam ad portum*

Romani ad Conſtantium aufugiunt.

quemdam,

quemdam, ad illius dexteram confugerunt. cum domum ſuam, familiam ac liberos reliquiſſent. qui quidem Pannoniam Romæ, Conſtantii verò conſuetudinem convictus cum ſuis ac ſocietati prætulerant. Hi ſcilicet aut omnes aut plerique claſſe per Adriaticum mare in Dalmatiam Pannoniamque ſubvecti ſunt, ſeu Magnentij tyrannidem vitantes, ſeu Conſtantii gratiam adhuc vacui captantes; cùm ruentem jam Magnentium viderent.

14. Hoc loco priuſquam hunc annum finio, Lectorem in futurum præmoneo; Conſtantium victorem, Sirmii hyemem iſtam tranſegiſſe; multis Epiſcopis Arrianis, qui victoriam ei congratulabantur, eamque fidei aut perfidiæ potius ſuæ acceptam referebant, circumſeptum, & tantùm non obrutum. Nec eos ille, ſibi quoque ipſe plaudens, rejiciebat. Imò novam Fidei formulam, quâ Nicæna poſſet aboleri, ab eis condi permiſit, ſi non & curavit: quæ Sirmienſis prima dicitur, & quam Socrates hoc anno, poſt *Sergy & Nigriani Conſulatum* (ſic enim in Oriente propter bella dicebatur) procuſam rectè notat: ſtatim ſcilicet à Murſenſi victoriâ, poſtquam Valens Murſenſis Epiſcopus Arrianorum hoc tempore ſignifer, eventum prælii, per diſpoſitos ſuos cognitum, veluti ab Angelo hauſtum, Imperatori credulo, ante omnes non tam nuntians, quàm vaticinans retuliſſet; eoque illum ſibi præ ceteris obnoxium reddidiſſet. ut fuſius infra 3. abhinc capite ex Severo narrabimus. Valentem verò iſtum, ut & ejus Achatem Urſatium Singiduni in Myſia prima, ſeu Daciâ Ripenſi (ut tunc dicebatur) Epiſcopum Athanaſius Oratione 1. in Arrianos, pag. 116. ſcribit, *ut novitios à principio abs Ario catechiſmo inſtitutos.* Epiſtola quoque Sardicenſis Synodalis, apud Baron. anno 347. §. 27. Eos *impios & imperitos adoleſcentes* appellat. quod & in Hilarii operibus leges. Ceterum id in anteceſſum hic addo; ſi ut Severus monet, hæc ipſa Sirmienſis formula prima, paulò poſt ad Paulinum Trevirenſem in Belgicam miſſa eſt; Maximinum Paulini deceſſorem, ante annum 353. obiiſſe neceſſe eſt; ac proinde Synodum Agrippinenſem, cui præſediſſe videtur Maximinus, ante annum iſtum 353. habitam. contra eos qui ſeriùs ponunt.

Conſtantius cum Arrianis victoriâ ebrius.

CAPUT IX.

Magnentii reliqua; & tandem tragicus interitus.

Annis Chriſti 352. & 353.

Anni Chriſti 352. Conſules diverſi in Occidente & Oriente.

1. POſtero anno, U. C. 1105. Chriſti vulgari 352. Decentius & Paulus Conſules ponuntur à Libello de Præfectis Urbis. Nam licèt ad Murſam victus Magnentius, & Pannonias & Illyricum deſeruiſſet; Italiam tamen & Romam potiore adhuc hujus anni parte retinuit. & ut ſua firmaret, Decentium Cæſarem fratrem ſuum, & Paulum (neſcio an cognomine Catenam, ut Ammianus appellat) ſibi in Galliis fidiſſimum, Conſules Romæ dixit, ſi Libello iſti fides. Nam in Oriente ubi Conſtantius imperabat, Conſules erant Conſtantius Auguſtus 5. & Gallus Cæſar, dictus quoque Conſtantius. Urbis Romæ Præfectus, jam inde ab Decembris 19. prioris anni 351. exeuntis, erat Valerius Proculus; & præfecturam iſtam per hujus anni priores octo menſes ad Septembris diem nonum, ſeu quintum Idus perduxit. Sub ejus igitur Præfectura obiit Julius Papa pridie Idus Aprilis, Cõſtantio quintùm, & Cõſtantio Gallo Cæſare Coss. cùm ſediſſet annos omnino 15. m. 2. d. 6. Eum excepit Liberius ex die 11. Kal Junias, ut in Victorio noſtro pag. 273. notavimus ex hujus ætatis auctore. Ceterùm Valerio Proculo in P. Urbis ſufficit Libellus 9. Sept. Septimium Mnaſeam, per dies dumtaxat 18. quando etiam hinc ſexto Kalendas Octobres, ſive Septembris 26. Neratius Cerealis ex eodem Libello ſubſtitutus eſt, indubiè à Conſtantio Româ tum potiente. Nam dignitatem iſtam ille in ſequentis anni Decembrem produxit, ſub Conſtantio, adeoque poſt Magnentii quoque mortem menſes fere quatuor. Sexto Idus, ſeu octavo Decembris ejuſdem die Vitraſius Orfitus ei denique ſucceſſor ab eodem Conſtantio datus; ut ex eodem Libello ſanè fido haurimus. ſimul intelligimus, Magnentii potentiam, Romæ quidem, Septembrem hujus anni 352. non exceſſiſſe, ſed Conſtantio locum dediſſe. Nunc bellum reliquum pertexamus.

Qui tum Præfecti Urbis.

2. Sirmio aut Panoniâ Conſtantius majore hujus anni parte moviſſe non videtur. neſcio num etiam anni exitu. Nam Baronius quidem ſine hujus anni Reſcriptum illius unum profert, hujus anni Conſulibus Sirmii datum; licèt diem aut menſem non exprimat. Romam certè ante Septembrem non obtinuit. Nempe Sirmii agens, nec ita Conſtantinopoli remotus, vires omnes ſuas Orientales, navales præſertim, ex Græcia, Aſia, Ægypto, & Inſulis, ad Italiam, Africam, Hiſpaniam Magnentio eripiendas, cogebat atque immittebat. per Præfectos omnia agens, ipſe immotus. Simul cum Epiſcopis ſuis Arrianis, qui Orientales ut plurimum erant, pro hæreſi Arrianâ multa verſabat; ne imparatus in Occidentales Epiſcopos, ut plurimùm Orthodoxos incurreret. de quibus latiùs infrà, poſtquam belli in Italia geſti reliquias, ex Juliano Cæſare, aliiſque ejus ævi Scriptoribus excuſſerimus. Sic igitur Julianus Oratione 1. & 2.

Sirmio non ſtatim movit Conſtantius.

3. *Quamprimùm belli & expeditionis ineundæ tempus invitare cœpit;* vere ſcilicet labente, *rurſus inſtare tyranno Conſtantius atque imminere cœpit. Ille verò Italiæ* (quò fugerat) *prærupta & inacceſſa loca* (Alpes nempe Julias ac Venetas Pannoniæ oppoſitas) *præ ſe habebat. ac velut fera quædam in montibus qui illic ſunt, copias ſuas occultans. Ipſe in apertum, exercitum ſuum educere non audebat. Cùmque ſe propinquum in oppidum* (Aquileiam) *luxu deliciiſque refertum, recepiſſet; ludis ac voluptatibus tempus conterebat. Nam ad ſalutem ſibi prærupta montium ſufficere arbitrabatur. Naturâ verò in libidines propenſus cùm eſſet, tantis in periculis indulgere voluptatibus in lucro ponebat. Apparebat ipſum præſenti rerum ſtatu, ut à ſe optimè conſtituto, valde confidere. propterea quòd montibus univerſa circùm Italia, quaſi muro cingitur: præterquàm dimidiâ ſui parte, quam paluſtre atque uliginoſum mare complectitur; Ægyptiorum paludibus ſimile; quod eam navalibus hoſtium copiis inacceſſam reddit.* Ita Orat. 1.

Magnentius Aquileiæ hæret.

4. At Oratione 2. *Ignarus* (inquit) *ille, & acerbus tyrannus* Magnentius, *cùm ſublimitate montium fugam ſuam muniiſſet, & in iis ſex caſtella ſtruxiſſet;*

tamen ne loci quidem munitione confiſus eſt. ſed ſupplex & abjectus veniam petiit; quam ſi dignus eſſet, impetraret; ſi non & ejus perfidia ac temeritas deprehenſa ſupinis foret; & alia aliis ſceleribus adjeciſſet. Et infrà *Munimentum illud, quod ſuper Alpes poſitum erat, vetus caſtellum fuit, quod ſibi poſt fugam tyrannus elegerat, eamque tanquam novam arcem reddiderat: in qua fortium virorum firmum præſidium collocavat. Nec verò ille longius inde progrediebatur: ſed in vicinâ urbe permanebat, quod Italiæ Emporium eſt opulentum imprimis ac copioſum, ad mare poſitum; unde Mæſi, & Pannonii, & Itali, qui mediterranea tenent, merces avehunt. Heneti prius appellabantur, nunc unius litteræ adjectione* Veneti: *Urbi verò ipſi, cùm conderetur, aquila dextrâ ex parte cœlitùs advolans, de ſuo nomen impoſuit,* Aquileia videlicèt. *Sita eſt autem ad Alpium radices. Montes hi verò ſunt. varii ac ſparſi: in quibus abrupta quadam ruper ægrè plauſtro uni, ac mularum bigis aſcenſum enitentibus viam præbent.* &c. & mox pag. 134. *Alpes autem muniri ab ea parte diximus, ubi & Tyrannus præſidium impoſuerat. Sit ergo Italia omni ex parte præruptis montibus ac paludoſo mari cincta, quòd infinita flumina in illud erumpentia, ultimam maris illius Oram in paludes Ægyptiarum non diſſimiles, commutent.*

Conſtantius ad Alpes cōtra Magnentium venit.

5. *Imperator nihilominus noſter univerſam ad ſe tranſtulit, aditumquè perrupit, nihil obſtante loci difficultate: ubi neque vallum neque caſtra collocari, multoquè minus machina aut baliſta, per arentia loca, ac vel tenuiſſimi humoris expertia, muris admoveri poterant.* Hactenus Oratione 2. At Oratione 1. *Igitur Conſtantius & ſub dio ſtationem ſuam fixit; tametſi vicinum eſſet non contemnendum oppidum: & Militibus ſuis non vocis imperio, ſed factis & exemplis ad labores capeſſendos & pericula præeundo, ignotam hactenus omnibus viam reperit. Ac cùm delectam ex omni exercitu armatorum manum miſiſſet; poſtquam ad hoſtem eam perveniſſe ſenſit, tum cum omnibus copiis progreſſus eſt. uſque in orbem circumdatis, de omnibus victoriam reportavit. Hæc cùm ante auroram geſta eſſent; ad Tyrannum ante Meridiem perferuntur: Qui Equeſtribus certaminibus ac ludis erat occupatus, nec præſentem rei eventum expectabat. Porro quis ex quo tum demum fuerit; ac cujuſmodi de præſente rerum ſtatu animum habuerit, ac quemadmodum urbe illâ* Aquileia *& Italia omni derelictâ profugerit; & antea ctas cædes, ac priora illa facinora repurgaverit; ea omnia complecti dicendo, nihil in præſens attinet.* Imò verò maximè, mi Juliane, attinebat; & ſi feciſſes, lectorem tuum nosquè omnes non parum beaſſes, quos hic hiantes tuo ſilentio reliquiſti. Nos aliunde colligamus, & quantum licèt ſupplere conemur.

Qui in Gallias fugit.

6. Fugit ergo Magnentius, non Aquileiâ modò, ſed & *omni Italiâ* (ait Julianus; igitur & Româ) *derelictâ.* verſus Alpes Gallicas eum ſe recepiſſe, & Ticinum pertranſiiſſe, mox dicam. ſi prius hoc ex eodem Jul. Orat. 2. p. 135. tranſcripſero: Nam cùm ex Alpium Venetarū ſeu Juliarum munimentis illum à Conſtantio expulſum narravit; *Imperator noſter* (ſubdit) *nullo Tribuno aut Centurione, ac ne legionario quidem ullo milite deſiderato, liquidam & incruentam victoriam conſecutus eſt.* Itaque nihil dubium, quin ita victor, veſtigiis fugientis inſtiterit; nec Romā tendere permiſerit; ſed verſus Gallias, ubi Imperium arripuerat, fugere compulerit. quod & confirmat Zoſimus ſcribens: *Cum Romanos à Conſtantio ſtare cognoviſſet, vel odio ſui, vel prœliorum eventu, Alpes Gallicas tranſcendere, déque nationibus iſtic degentibus aliquid interim præſidii ſibi comparare decrevit.* Si Romam tetendiſſet, periculum evidens advertebat, ne Galliarum in quibus ſolis reliquam modo ſpem videbat, aditu præcluderetur. Itaque *omni Italiâ*, quod diſertè aptéque notat hic Julianus, ac proinde etiam Romā, quæ fortioris jam partes ſequebatur, derelictâ; Gallias ſibi unicas conſervandas exiſtimavit. Ad eas ergo dum rectâ properat, *Apud Ticinum* (ait Victoris Epitome) Conſtantianos *plures fudit; incautiùs, & ut in victoriâ ſolet, audaciùs perſequentes.* quod idem Julianus Oratione 1. pag. 72. ſubindicat, cum illum *fugientem, brevi aliquâ relaxatione confirmatum* ſubdit: *nihil tamen melius inde patratarum.* Cùm igitur Alpes Gallicas attigiſſet, eas ut jam antè Julias atque Venetas præſidio munivit idoneo. licèt *in Galliam cum paucis eum evaſiſſe* tradat Chronicon Alexandrinum anno Chriſti 352.

Alpibus illius munitio.

7. Magnentio Juliis Alpibus expulſo, Aquileiam primùm Conſtantius victor advenit: ubi & *Concilium Epiſcoporum habere voluiſſe*, tradit quædam Liberii Papæ ad Oſium epiſtola, apud Baronium anno 353. §. 19 quod & prius Liberium ipſum Conſtantio propoſuiſſe idem Baronius §. 16. ſuperiore tradit. Mediolanum inde Conſtantium tranſiiſſe puto; quo fugienti hoſti propiùs immineret, & contra eum trans-Alpes primâ occaſione moveret, ut ſequenti fecit anno. Id certè teſtatur ejus Reſcriptum Mediolani datum tertiò Novembris, Conſtantio Auguſto V. & Conſtante (ſcilicet Gallo) Coſs. Baronius anno 353. §. 32. male ponens vitium in Coſs. eum vide. Sic Italia in poteſtatem ſuam redactâ; Magnentii quoque profugi copias reliquas, *peditum* maximè *ordines, nobiliſſimaſque legiones* (puta Rhenanas & Gallicas) *quas ille in Italia habebat, ſibi adjunxit.* uti teſtatur Julianus oratione 1. & 2. Romam autem per Duces, ſubmiſſos obtinuit; niſi & ultrò ſe ipſa (quod videtur) dediderit. Eique ſtatim Præfectum *Neratium Cerealem ſexto Kalend. Octobres* hoc anno impoſuit, ut habet libellus de Præfectis Urbis. quo docemur Septembri primum menſe Romam Conſtantio obveniſſe, quando Cerealem hunc toto fere ſequenti anno, uſque ad 6. Idus Decembris; id eſt, etiam quatuor fere totis poſt Magnentii cædem menſibus, Præfecturam iſtam ſemper ſub Conſtantio tenuiſſe, ex eodem libello diſcimus. quo tempore idem etiam Cerealis eidem benefactori ſuo Conſtantio glorioſam ceu Victori Inſcriptionem erexit; quam refert Baronius anno 353. §. 9. Romam tamen ante Maium anni 357. menſem non iniiſſe Conſtantium, ibi ex Ammiani libro 16. certò videbimus.

Neratius à Conſtantio Præfectus Urbis.

8. Nec interim illud hic omittendum, Conſtantium ad Italiam obtinendam etiam claſſe uſum. Nam ut Julianus Orat. 1. pag. 77. fin. jam anteà, *Ipſe non integris decem menſibus extructis navibus claſſem adornaverat; quâ navium multitudine etiam Xerxem longe ſuperabat* Quæ in Adriaticum immiſſa mare (ut idem Oratione 2. pag 137.) *Eridani* ſeu Padi *oſtia occupavit; tum omnes* Magnentio *quas in Italiâ habebat copias ſubtraxit.* Quæ cauſa probabiliter fuit, cur Alpes ille Venetas licet tam munitas tam ſubito reliquerit; ne ſcilicet à tergo opprimeretur primum, mox etiam aditu in Gallias intercluderetur: cur item Româ totâque Italiâ repentè ſpoliaretur. Alias inſuper *claſſes*, ſi non & eamdem, *Carthaginem*

Conſtantius Italiam, Siciliam, Africam claſſe aggreditur. *è Juliano Orat. 1. & 2.*

& in

& in Siciliam miſſas, pag. fin. memorat idem Julianus; *qua & ex Ægypto comparata* (inquit) *& ex Italia eodem miſſa navigarunt; Pyrenas juga debellarunt;* *quo* ſcilicet *navibus exercitum miſerat*. Sed hæc forte poſtea, ſaltem ex parte: cùm in Gallias Arelatum ſe conferret, & Hiſpaniam provinciarum ultimam occupare cæſo Tyranno moliretur. Atque his geſtis, annus Chriſti 352. expletus eſt.

Annus Chriſti 353.

Magnentii in Gallias crudelitas.

9. Sequenti 353. Conſtantio 6. & Gallo Cæſare 2. Coſs. Magnentiano bello tandem finis impoſitus. quod jam exequendum. *Cùm in Gallias Magnentius ſe recepiſſet; ita ſeipſo moleſtior ac difficilior extitit, ut ſi qua eum pœna ſpecies atrox ac crudelis effugiſſet, hanc excogitans, jucundiſſimum ſibi ſpectaculum ex civium calamitatibus praberet. Siquidem vivos homines curribus alligans, rapique permittens, aurigas ut traherent imperabat; cùm adeſſet ipſe ac qua gererentur aſpiceret; atque id genus aliis perpetuo ſe ſpectaculis oblectaret. donec Conſtantius, tanquam Olympionices quidam, tertio illum congeſſu dejecturus adveniret.* Julianus Oratione 1.] Et rurſum orat. 2. *Tertium illud & poſtremum prælium ad Cottias Alpes callidè geſſit Conſtantius; ex quo tutum ac ſecurum victoria fructum ac voluptatem adeptus eſt.*] Quæ fuerit illa Conſtantii in hoc tertio prælio *calliditas*, non evolvo. Nec ullus quippiam ſcripſit, unde evolvi poſſit. Niſi forte Socrates l.3. (ex eo Sozomenus) licèt Murſam immani errore in Galliâ pro Pannoniâ ponat, aliquid innuit, cùm ita narrat: *Magnentius apud quoddam Galliæ caſtellum* (non *Murſam*, ut ſcribit; ſed forte *Matronam*, in ipſo monte cognomini ſitum: qui mons Alpium Cottiarum altiſſimus eſt, & hodie *Mont-Genevre* dicitur) *devictus, in aliud ſe caſtellum concluſit, in quo tale miraculum ſertur editum. Magnentius animos ſuorum, acceptâ clade fractos, erigere volens, altum ſuggeſtum conſcendit. Milites, ſolito ſuo erga Imperatores more, Magnentio fauſte acclamare cupientes, quaſi præter animi voluntatem, Conſtantio uno omnes ore acclamant, Auguſtumq́; prædicant. Quod ceu ſiniſtrum omen accipiens Magnentius, confeſtim caſtello ſe ſubducit, & in ulteriores Galliæ partes transfugit.* nempe per Brigantionem Ebrodunum Caturigas, Vapincum; *Montem Seleucum* uſque, Vocontiorum tunc, nunc Delphinatûs oppidum, vulgo *Lacluze*. Iſta ad Conſtantium loco Magnentii acclamatio, veriſimiliter fortè pecuniis à Conſtantio procurata, Julianum adegit, *ut callide egiſſe* Conſtantium ſcriberet.

Conſtantii ad Alpes Gallicas felicitas.

10. Utcumque ſit, *Conſtantii Duces*, pergit Socrates, *acriter inſequuntur. Denuoq́ue pugnatur in loco quodam, qui Miltioſeleucus* (lege *Mons Seleucus*) *dicitur, in quo Magnentius vi ſuperatus, fugam ſolus capeſſit.* Idem habet Sozomenus: ſed *Montioſeleucum* vocat. Tridui itinere Lugduno abeſſe addit Socrates, Itinerario Antonini non malè reſpondens, & locorum diſtantiæ. Magnentium porrò è Monte Seleuco Lugdunum fugiſſe, præter Chronicon Alexandrinum, ſequentia docent. Quippe ibi cùm ageret, & *Conſtantium* (ut ait Zoſimus) *maximis muneribus etiam vicinos Rheno Barbaros* (puta Francos, Saxonas, & Alemannos) *infeſtos ei reddidiſſe tum ad Gallicas nationes opera quorumdam favorem Conſtantio conciliantium Ducum, aditum ſibi præcluſiſſe intelligeret; Nec per Occidentales Hiſpanos ad Mauros trajicere poſſet; quòd illis etiam in locis confœderati Romani populi benevolentiam Conſtantii captaſſent* (credo ejus claſſe eo quoque jam immiſſâ ut ſuprà) *territi; inops ab omni parte conſilii* (*matre primum*, ſi Socrati Sozomenoque fides, *interemptâ*) *mortem voluntariam turpi ſaluti prætulit.*] *gladio*, addit Victoris Epitome, *occultè proviſo, ictum pulſu parietis juvans, transfoſſo latere, ut erat vaſti corporis; vulnere, naribuſque, & ore cruorem effundens. menſe Imperii 42.*] aut ut Eutropius *Imperii anno 3. menſe 7* optimè.] Ut autem Zoſimus, *cùm tribus annis, menſibus 6. imperaſſet. cùm per triennium*, addit Victor Schotti *acrioribus præliis congreſſus eſſet*. Lugduni autem cæſum, uno ore ſcribunt Hieronymus in Chronico, Eutropius, Victor vulgaris, Caſſiodorus, Chronicon Alexandrinum. Diem mortis variè notant: Idatius *tertium Idus Auguſti*: Chronicon Alexandrinum, 4. *Idus Auguſti*: Socrates 18. *Kal. Septembres. Conſtantio Auguſto 6. Et Gallo Conſtantio Cæſare 2. Coſs.* qui eſt annus Chriſti 353. Atque ex his omnibus pervidet Lector, quàm confuſè Annales Eccleſiaſtici, Treviricique uno ſolo ad Murſam Pannoniæ prælio, & quidem ſolo anno iſto Chriſti 353. bellum hoc Magnentianum concludant. Quod nos ut detegeremus, bellum hoc fuſiùs texuimus.

Conſtantii Duces Magnentium ultimò vincunt ad montem Seleucum.

Magnentius Lugduni ſe ſuoſque trucidat

11. *Ortus erat Magnentius* (concludit Victor vulgaris) *parentibus Barbaris qui Galliam inhabitabant. Lætos qua Gallica natio eſt*, vocat Zoſimus, Francos ego exiſtimo, quos Conſtantii majores in Gallias tranſtulerant (ut ſuprà Julianus Oratione 1. & 2.) ac Lætos appellarant. Ipſe verò *legendi ſtudio promptus erat* (*nam litteras latinas* Zoſimo teſte, *didicerat*) *ſermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ ſpecie formidinem*] *qui ceteris* (iterum Zoſimus) *mores ipſius & ingenium perſpectum non habentibus bonus eſſe putaretur.*] Chriſtianum cùm fratre Decentio fuiſſe, eoque labarum Cruciſque vexillum in præliis prætuliſſe, docent plures ejus Nummi. dubium tamen ingerit ipſius Conſtantii Reſcriptum Magnentio cæſo datum, quo Idololatris ſacrificia reſtituiſſe dicitur. *Decentius frater* (pergit Zoſimus) *à Magnentio ad ferendam opem acceſſitus, cum verſus Italiam contenderet, ſimulac intellexit quid illi accidiſſet, in ordines quoſdam turmaſque militum lapſus, ubi nullam ſalutis ſpem vidit, obtortâ laqueo cervice ſe confecit.*] ſeu ut Victoris Epitome, *laqueo faſcia ad collum poſito, vitam finivit.*] ut Eutropius, & ex eo Hieronymus in Chronico, *apud Senonas laqueo vitam explevit.*] ut Idatii Faſti, *laqueo ſe ſuſpendit XV. Kalendas Septembris.*]

Qualis fuerit Magnentius.

Decentius ejus frater laqueo ſe præfocat.

12. De hoc Decentio, quando ad res Belgicas maximè facit, minimè ſilendum quod docet Ammianus. Dum Magnentius bellum traheret, Decentius Cæſar in Galliis ab eo relictus, contra Alemannos in Gallias de more irrumpentes, expeditionem ſuſcepit. Erat tum Alemannorum Rex inter ceteros Chonodomarius, elati vir animi. *Hic Decentium, cum eo æquo marte congreſſus, ſuperavit. & civitates multas vaſtavit & opulentas. licentiuſq́; diu nullo refragante Gallias perſultavit.*] Vox *diu* annos minimum duos denotat: Neque tantum ſub Magnentio, ſed & ſub Conſtantio Julianóque ad annum uſque Chriſti 357. perſultare perrexit. Sed & Francos & Saxonas pro more ſe moviſſe, innuunt geſta Sylvani, de quibus paulò infrà. Zoſimus quidem ambas illas gentes junctis Alemannis, *40. tum ſitas ad Rhenum urbes cepiſſe, devaſtaſſe; cives & incolas infinita multitudinis cum innumerabili ſpoliorum*

Galliarum bello civili Magnentiano miſeriæ.

Maximino Epiſcopo Paulinus ſuccedit.

copiâ abduxiſſe diſerte ſcribit. Eidem Decentio *ſuam aliquando urbem Treviros occluſiſſe*, ſtrictim notat idem Ammianus: *Poemenio quodam à plebe, quam ille ceu quidam tribunus plebis, defenderat, electo.* credo cùm Magnentii in Pannonia victi fama ſpargeretur, ac jam Maximino ejuſdem civitatis Epiſcopo fatis abſumpto PAULINUS ſucceſſiſſet, in Conſtantini ſanguinem pronior. Non ſerius certè ſucceſſiſſe, ſequentia docebunt. Browerus quidem noſter, Decentio portas occluſas circa Magnentianæ rebellionis exordia exiſtimat; cùm adhuc Treviri Conſtantis necem ægrè ferrent. Sed Decentius eo rebellionis initio nondum Cæſar erat; nec ei commiſſæ Galliæ, niſi Magnentio jam contra Conſtantium moturo: quo enim Magnentius conſilio Gallias & Treviros nondum ſibi junctos, à tergo reliquiſſet? Planè junctos & pacatos in diſceſſu reliquerit. Sed Magnentii ad Murſam, & Decentii in Galliis pugnæ adverſæ fama ſtatim in Conſtantium Treviros inclinarit. Et verò Conſtantium novam Sirmienſis fidei formulam ad Paulinum circa hæc tempora miſiſſe, infrà videbo.

Gallicæ nationes Conſtantio addictæ.

13. Ceterùm quod paulò antè (§. 10.) è Zoſimo audivimus, Magnentio deſperationem ex eo injectam, *quòd Conſtantium inaudiſſet maximis muneribus vicinos Rheno Barbaros, infeſtos ei reddidiſſe; & Gallicas nationes quorumdam Ducum operâ ſibi conciliaſſe:* ſic accipio, *ut per vicinos Rheno Barbaros*, Saxonas ac Francos maximè intelligam; per *Gallicas* autem *nationes*, Belgas præſertim noſtros, ut Francis ac Saxonibus oppoſitos & Galliarum extremos: inter *Duces* denique qui favorem earum Conſtantio conciliaverant, *Sylvanum* ſaltem denotari puto: qui ad partes iſtas Galliæ remotiores miſſus eſt à Conſtantio, ſive ex Italiâ jam antè, ſive ex Alpibus Cottiis cum adverſus Magnentium Gallias intraret; ſive denique (quod potiùs credo) ſtatim à Magnentio ad Montem Seleucum debellato. Sic enim diſertè Ammianus l. 15. cap. 8. *Cum diuturnâ incuriâ Galliæ cædes acerbas rapinaſque, & incendia, Barbaris licenter graſſantibus, nullo juvante perferrent* (toto nempè civilis belli triennio) *Sylvanus pedeſtris militiæ Rector,* ſeu magiſter peditum, *& efficax ad hæc corrigenda, Principis juſſu perrexit: Arbetione id maturari modis quibus poterat adigente; ut abſenti æmulo, quem ſupereſſe adhuc gravabatur, perniculoſæ molis onus impingeret.* Erat Sylvanus paternâ origine Francus. ſed ut Victor Schotti, *in Gallia ortus, barbaris parentibus*, nempe Francis: *ſimul à Magnentio ad Conſtantium tranſgreſſus*, paulò ante Murſenſe prælium, ut ibi monuimus, *pedeſtre ad magiſteriū adoleſcentior meruerat.*] *Ingenio* (addit alter Victor vulgaris) *blandiſſimus, & quamquam barbaro patre genitus, tamen inſtitutione Romanâ ſatis cultus & patiens.*] Patrem ejus *Bonitum* diſertè vocat Ammianus, *Francum quidem, ſed pro Conſtantini* Magni *partibus in bello civili acriter contra Licinianos ſæpè verſatum.* & quamvis *tempeſtivâ illâ à Magnentio tranſgreſſione* (ut Ammianus) *Conſtantium obligatum gratiâ retineret*; novam tamen hanc Galliarum ad Rhenum maximè Præfecturam initurus, *filium ei ſuum infantem adhuc* (ait Julianus Orat. 1. & 2.) velut amicitiæ ſuæ ac fidei ſymbolum, ne petenti quidem, reliquit.

Quis ille fuerit.

Sylvani iter ex Ammiano l. 15. & 16.

14. Silvani, ex quo in Galliam maximè Belgicam, à Conſtantio victore miſſus eſt; credo ex monte Seleuco, ubi cum ceteris Magnentium prælio vicerat; iter tangit Ammianus lib. 16. cap. 2. cùm Julianum Cæſarem illius ceu viri fortis audaciam hac in re ſecutum dicit: *Sylvanus Magiſter peditum, per compendioſas vias, verùm ſuſpectas, quia tenebris multis umbrantur; cum octo auxiliarium millibus* (inter quos ego S. Martinum numero) *ægrè tranſiit. & percurſo eodem, ac poſtea* Julianus, *itinere, Antoſiodorum pervenit.* Inde ad *Tricaſſinos perrexit; barbaros partim proterens, partim pavore traditos capiens; reliquos fugientes, innocuos abire permittens. Tricaſſibus per multa diſcrimina, Remos advenit*, Ita Amm. lib. 16. c. 2. de Juliani ſimili itinere, ad imitationem Sylvani ſuſcepto. Remis ergo Sylvanus ad Rhenū tetendiſſe videtur, ex ejuſdem lib. 15. cap. 8. & 11. cum narrat eum poſtquam *Gallias ex re publicâ diſcurſaſſet, Barbaros propuliſſet, jam ſibi diffidentes & trepidantes*; tandem Agrippinam adveniſſe, ibique ad interitum uſque degiſſe. Quid ante interitum geſſerit, tangit Julianus Oratione in Conſtantium ſecunda: *In civitatibus pecunias diripiebat; eas Barbaris irruentibus largiebatur; tanquam his redemptionis quoddam pretium perſolveret: cùm armis ſecuritatem ſibi conciliare, non pecuniis comparare poſſet.* Ita Julianus cuncta in Sylvani ambitionem torquens. quod tamen Ammianus rectiùs negat. ut infrà. Certè biennio, quo Agrippinæ aut in viciniâ, maximè Belgicâ vixit, brevi omnia tranquillavit in pace continuit; Conſtantio addictos fovit; ut Paulinum Trevirenſem Archiepiſcopum; Poemenium quoque illum plebis Treviricæ defenſorem, & ſimiles eidem, etiam ſub Decentio fidos.

Conſtantius Arelate.

15. Atque hæc paulò fuſiùs, quia Belgica noſtra nonnihil illuſtrant: tum verò quia S. Martinum tunc militem, poſtea Turonenſem Epiſcopum, cum Sylvano in Belgicam adveniſſe, mox etiam Ambianis baptizatum video. de quo mox etiam agam. Dum Conſtantius interim Mediolano in Gallias tranſgreſſus, inſecutam hyemem Arelati tranſigit ubi ante omnia Gallos demulcere, ludiſque amœnioribus ſibi adjungere, diverſo licèt prætextu inſtituit. Nam (ut idem Ammianus ſuprà) per iſtam hiemem, licèt ſolito, ut Severus ait, aſperiorem, *theatrales ludos atque Circenſes ambitioſo edidit apparatu, die ſexto Idus Octobres, qui Imperii ejus annum triceſimum inchoabat.* Non *terminabat*, ut textus exhibet, ſeu librarii vitio, ſeu etiam ipſius Ammiani lapſu, memoriæve defectu. Nam teſte in Faſtis ſuis Idatio, Chronicóque Alexandrino, anno Chriſti vulgari 324. Criſpo Conſtantinóque juniore tertium Conſulibus, Licinio jam planè victo, Cæſar à patre dictus eſt hîc ipſe Conſtantius, & quidem *ſexto Idus Novembres*, licèt Octobres habeat hic Ammianus, alterâ vereor turbatione. Ab anno autem illo Chriſti 324. ad hunc 353. anni 29. completi dumtaxat interfluunt, & triceſimus tantum incipit. Unde quoque colligimus; Circenſes iſtos Ludos non demulcendis modò Gallis, non ſolo Magnentianæ cædis nomine; ſed & ob ejus Tricennalia, *tam ambitioſo* celebratos *apparatu. Tricennalia* inquam; non ut Ammianus putat terminata, ſed ineuntia.

Conſtantii ſupercilium.

16. Subdit inde ejus *inſolentiæ pondera* (verba ejus ſunt) *graviùs librata. Si quid dubium, ait, deferebatur aut falſum, pro liquido accipiebat & comperto.* prorſus, ut *Gerontium Magnentianæ Comitem partis exulari mœrore multaverit. Utque ægrum corpus quaſſari etiam levibus ſolet offenſis, ita animus ejus anguſtus*

& tener

& tener quidquid intrepuiſſet, ad ſalutis ſuæ diſpendium factum exiſtimans, inſontium cædibus fecit victoriam luctuoſam Plura ejuſmodi à Paulo quodam Catenâ in Britanniis acta narrare pergit Ammianus; quæ tu apud illum legere potes eodem libro 14. De Belgio tamen noſtro nihil ille; ut jam quidem legitur: credo quia Sylvanus partibus iſtis præfectus cohibuit, quem ſuprà ex Victore vulgato, *ingenio blandiſſimum; & quanquam barbaro patre genitum, tamen inſtitutione Romana ſatis cultum & patientem* audivimus.

CAPUT X.

S. Martini primordia. in Gallias ac Belgium adventus. & Chronologia.

Ab anno Chriſti 316. ad 356,

Legiones in varias transfert Provincias Cõſtantius

1. RΕcuperatas Magnentii Decentiique nece Gallias, quo ſibi ſuiſque Conſtantius aſſereret; *poſt conſummatas civiles procinctus* (ait Ammianus lib. 18.) legiones quæ tyrannorum rebellionem aluerant, ut fallaces ac turbidas amovere, & in Orientem, ubi nihil præter bella timebatur externa, transferre prudenter inſtituit. Rebellem enim exercitum (ut in ſimili rectè Tacitus) *per provincias ſpargi, & externo bello illigari, pars conſilii erat.* & certè quæ è legionibus illis in Perſas tranſlatæ, paulò pòſt in obſidione Amidenſi, adeò fortibus ſe factis probavere, ut earum ductoribus ſtatuas apud Edeſſam, in regione celebri locari juſſerit ipſe Conſtantius. In earum verò locum, quas ex Oriente ſecum adduxerat, Pannoniis impoſuit: Quas autem Pannoniis abduxit, ut fideliores incorruptioréſve Galliis impoſuit; & adverſus Barbaros Tranſrhenanos excubare educíque mandavit. Erat in iis Martinus ſtipendia merens, ætate provectior. Illyricóque, ubi natus fuerat, primumque meruerat, jam inde abductus, ex quo Magnentio ad Murſam victo, Conſtantius Alpes Julias Italiamque pervaſerat: Hinc igitur Galliis noſtris optatiſſimum ſidus illuxit. Prorſus ut ſi Magnentii rebellio funeſta noſtratibus extiterit, vel hoc optanda fuiſſe videatur, quòd tantum Apoſtolum è Pannoniis, per tot terrarum ſpatia, nobis feliciter intulerit. Hujus igitur ſanctiſſimi celeberrimíque viri Natales, ætatem, baptiſmum, non ſatis hactenus illuſtratos, hic paulò accuratiùs ediſſerere (quando huc maximè ſpectat) animus eſt. hoc magis, quo elegans vitæ ejus ſcriptor Severus intricata quædam ſibique repugnantia prodere, pleriſque non immeritò videtur.

Tacit. hiſt. l. 5.

Et ſpeciatim Pannonicas in Galliam.

in quibus S.Martinus.

S. Martini patria,

2. *Martinus*, ait Severus, *Sabaria Pannoniarum oriundus fuit. Sed inter Italiam Ticini altus eſt. parentibus ſecundùm ſæculi dignitatem non infimis: gentilibus tamen. Pater ejus miles primùm, poſt Tribunus militum fuit. Ipſe armatam militiam in adoleſcentia* (Nota) *ſecutus, inter Scholares alas ſub Rege Conſtantio, deinde ſub Juliano Cæſare militavit.*] In quem Chriſti annum Martini Natalis incurrerit, non exprimit. Ætatis tamen ejus nonnullos in vita radios oſtendit, ſed ſibi minimè conſtantes. *Cùm editum eſſet à Regibus* (ſubdit) *ut veteranorum filii ad militiam ſcriberentur, prodente patre, cùm eſſet annorum quindecim, raptus & catenatus, ſacramentis militaribus implicatus eſt.* Primus hic ætatis character eſt. Nam edictum quidem iſtud, adhuc in Codice Theodoſiano legitur, à Conſtantino Imperatore datum *Pacatiano & Hilariano Coss.* qui annum Chriſti ſignant 332. de quo ſi quindecim completos ætatis Martini tollas annos, Natalem ejus in annum 317. recidere videbis, *anno Imperii Conſtantini* (ſaltem poſteriore majoréque ſui parte) *undecimo*, ſicut & Gregorius Turonenſis annotavit. ſeu ex hoc eodem principio, ſeu ex ipſis quoque Eccleſiæ Turonenſis archivis. Verùm cùm edictum iſtud, quod hic Severus allegat, ad aliud ſe referat, quo Veteranorum filii caſtrenſi militiæ jubentur adſcribi, poſt exactum ætatis annum decimum-ſextum, nempè decimo-ſeptimò labente, idque teſte etiam Gellio, more majorum: malè Severus (aut ſi fortè exſcriptor ejus) Martinum tunc annorum *quindecim* tantùm fecerit. Certè paulò antè meliùs dixit, Martinum *militiam in adoleſcentia ſecutum*. quod anno ætatis decimo ſeptimo magis quàm decimo-quinto aut decimo-ſexto convenit. Quare ſi de anno Chriſti labente 332. demas 17. itidem labentes, in annum Chriſti aut 315. exeuntem, aut 316. ineuntem, & Conſtantini Imperatoris decimum Martini ortum cadere. videbis ſanè ad ſequentes in Severo characteras, ac præſertim annum ejuſdem 70. longè aptiùs, quem cum anno Chriſti ferè 384. exeunte comparat, ut ibi docebimus. potior enim edictorum iſtorum, moriſque priſci militaris, hic habenda ratio videtur, quàm Severi, qui ſe ipſe in hoc calculo Lectoremque ſæpè turbat ac fallit.

Militia prima.

Lib. 4. de filiis Milit.

L. 2. eod. tit.

Gell. lib. 10. c. 12.

3. Eo igitur anno Chriſti 332. Martinus anno ætatis ſuæ 17. labente, ſacramentis militaribus implicatus; inter legiones Pannonicas, ſpeciatimque *inter Scholares alas*; quæ equeſtris erat militia in Scholas plures diviſa, ſtipendia merere cœpit, & per annos proximè ſequentes totos octodecim, & 19. labentem ad bellum uſque Magnentianum, & annum Chriſti 350. ætatis ſuæ 35. completum merere perrexit. ſed pacatè, & in ſolitis præſidiis; ac velut hibernis. nullo interim ſaltem notabili, ſeu civili ſeu externo cõtra barbaros bello, nulla pugnâ. Nam Conſtantinus quidem toto fere quo poſt edictum illud ſuum ſupervixit quinquennio, nulla contra Marcomanos, Quados, Sarmatáſve, qui Danubio quà Pannonias adlambit, prætexuntur, bella geſſiſſe legitur. Imò ea Hieronymi Chronico, Sarmatas Limigantes à ſervis ſuis expulſos in Romanum ſolum admiſiſſe videtur. Et qui ei in Pannoniarum imperio ſucceſſit Filius Conſtans, *nulla à barbaris formidine*, ſed *externarum gentium compreſſis motibus* regnaſſe ab utroque Victore perhibetur. Totos igitur iſtos octodecim annos labentemque 19. tam pacatos, Martinus ipſe, militiæ licèt jam adſcriptus, in armis tamen fuiſſe ſibi non viſus; in ſolo domoque natali, cum patre ac matre ſemper ac quietè verſatus. Vetranione demum Pannoniarum Duce, ſub quo tunc cum patre Tribuno merebat, legionibus exuto, ipſe cum illis ad Conſtantium tranſiit. à quo anno ſequente, 351. in campum cruentoſque procinctus contra Magnentium abductus, in armis tum primùm ſe fuiſſe

Miles præſidialis uſque ad annum ætatis 35.

Triennalis S. Martini militia, quomodo capienda.

exiſtimavit. Eamque cāpeſtrem ſuam cruentamque militiam, triennio definivit, annis nempe Chriſti 351. 352. & 353. quibus contra Magnentium *acrioribus bellis*, ut Victor vulgaris ait, pugnatum eſt: Severoque & aliis enarravit. Hinc calculi non benè à Severo ipſo ſubducti vera origo.

4. Cùm enim ille non ſatis dubiè dicta diſtinguens, utramque Martini militiam, & præſidialem ſcilicet tanquam hibernam, in terra domoque natali, & campeſtrem cruentamque confunderet; univerſam Martini militiam annorum fere 22. triennio poſtremo ſolo coarctavit. indeque Martini ætatem annis fere 19. decurtavit. Verba ejus ecce iſta: *Cùm eſſet annorum quindecim, ſacramentis militaribus implicatus eſt.* Mox: *Triennium ferè ante baptiſma in armis fuit.* Denique paulò infrà, capite 2. finiente, *Cùm eſſet annorum duodeviginti, ad baptiſmum convolavit.* Verum eſt Martinum *in adoleſcentiâ, cùm eſſet annorum quindecim*, aut potius (ut dixi) *ſedecim* vertentium *ſacramentis militaribus implicatum*, anno Chriſti 332. ea Conſtantini Magni edicto: Verum item, *triennium fere ante baptiſma in armis fuiſſe.* ſed hic diſtinctio illa militaris ac cruentæ militiæ adhibenda erat; quam Severus omiſit, aut non vidit. Unde immanis enatus error: *Martinum, cùm eſſet annorum duodeviginti, baptizatum.* Et certè ſi cùm militare cœpit, quindecim erat annorum, ſi item triennio fere militiæ expleto baptizatus eſt; ſequitur ut annorum octodecim baptizatus ſit. Verùm Severo Martinus militiam illam ſuam præſidialem & in patriâ pacatam, licèt haud dubiè narraſſet (unde enim Severus illum militiam in adoleſcentiâ ſecutum, cùm eſſet annorum 15. ſedecimve, reſciviſſet?) quam & à poſteriore cruentâ triennio definitâ diſtinxiſſet: Severus tamen prioris octodecennalis feréque decennovennalis immemor, eóque mente confuſior, utramque triennio ante baptiſmum circumſcripſit: novóque errore falſaque ſubductione, cùm eſſet annorum 18. baptizatum intulit. cùm Martinum potiùs annorum ferè 39. baptiſmo elutum & militiæ adſcriptum, non tria tantùm, ſed duo ferè ſupra viginti ſtipendia in univerſum meruiſſe, ſcribere debuiſſet.

Martinus anno ætatis 39. non 18. baptizatus.

5. Id quò magis firmetur, annus baptiſmi Martini nobis eruendus. Ait ecce Severus Vitæ c. 2. *Per biennium fere, poſtquam eſt baptiſma conſecutus, ſolo licet nomine, militavit.* Conſtat eum, cùm Ambianis pauperem nudum aſperiore hyeme chlamydis ſuæ parte texit, nondum baptiſmi gratiam percepiſſe; quando Chriſtus ei propterea ſequenti nocte apparens, verba ea protulit, *Martinus adhuc Catechumenus* (nondum ergo baptizatus) *hac me veſte contexit.* Ambianos autem Martinus advenire non potuit, niſi poſtquam in Gallias cum Conſtantio ingreſſus, Magnentium ad Montem Seleucum cum ceteris ſuperavit; imò nonniſi poſtquam Magnentio perempto, in Belgicam cum Sylvano Conſtantii Duce pervenit, (ut paulo ante monui) ſeneſcente jam anno Chriſti 353. id eſt paulo ante hyemem illam, quam ſolito aſperiorem inhorruiſſe, ſcribit diſertè Severus. Non potuit igitur Martinus in primo ipſo ad Magnentianum bellum procinctu, cùm adhuc in Pannonia eſſet, ea Conſtantii tunc editâ ſanctione, baptizari, ineunte videlicet anno Chriſti 351. ut ſciſcit Baronius. Quomodo enim toto fere triennio pòſt, eum Chriſtus Ambianis, adhuc Catechumenum appellaſſet? Plane poſt

Quo Chriſti anno baptizatus S. Martinus.

annum illum 351. imo & poſt 353. baptizatum neceſſe eſt. nempè paulò pòſt hyemem iſtam aſperiorem, Chriſtique viſionem, anno jam adoleſcente Chriſti 354 veriſimiliter in Paſcate, quod eo quidem anno in Martii 27. tempeſtivè incidit. Sic enim *aptiſſimè triennium ferè ante baptiſma in armis fuerit*, ut ſcribit Severus; aptiſſimè item *per biennium poſt baptiſma militaverit*; quando nonniſi ſub Juliano jam Cæſare miſſionem impetravit; Nec Julianus Cæſar ante Novembrem anni Chriſti 355. dictus ſit: neque iſte demum ante ver anni proximè ſequentis 356. in Vangionas contra Tranſrhenanos advenire potuerit, ubi Martino miſſionem indulſit. Ita à Paſcate anni 354. ad ver 356 rectè biennium illud occurrit, quod Martini baptiſmum inter ac miſſionem interfluxiſſe ſcribit Severus. A quo biennio rurſum ceu certo charactere, ſi ſurſum regrediare, & baptizatum annis antè fere duobus invenies & quidē ſtatim ac Ambianis chlamide ſua pauperem texit: & denique triennio prius in armis fuiſſe; nempe ab ipſis belli Magnentiani primordiis. quæ omnia Severo quadrant aptiſſimè: quem proinde neceſſe eſt, ſolam Martini militiam expeditionalem, ante & poſt baptiſma ſimul quinquennalem, retexere: præſidialem & pacatam fere decemnovennalem non tangere; eoque Martini ætatem tanto tempore ſuccidere ſeu decurtare.

Nempè anno 354. in Paſcate.

6. His poſitis fluat jam Vitæ Martini hiſtoria Chronologiaque liquidior. Natus eſt Sabariæ Pannoniarum anno Chriſti vel expirante 314. vel naſcente certe parum adulto, 315. cùm belli ſemina Conſtantinum inter ac Licinium orirentur. uno fere ante Cibalenſe prælium anno. *A primis fere annis divinā potius ſervitute ſacra illuſtris pueri ſpiravit infantia. Nam cùm eſſet annorum decem* (Nicænæ fere Synodi tempore anno 325) *invitis parentibus ad Eccleſiam confugit; ſeque Catechumenum fieri poſtulavit. Mox mirum in modum totus in Dei opera converſus; cùm eſſet annorum* 12. (circa annum Chriſti 327.) *eremum concupivit. feciſſetque votis ſatis, ſi ætatis infirmitas non obſtitiſſet. Animus tamen aut circa Monaſteria; aut circa Eccleſiam ſemper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod poſtea devotus implevit. Sed cùm edictum eſſet à Regibus* (anno Chriſti 332. ut vidimus) *ut veteranorum filii ad militiam ſcriberentur, prodente patre qui felicibus ejus actibus invidebat, cùm eſſet annorum quindecim* (imò ſexdecim ſolidorum, jamque ſeptimumdecimum *ageret; ut ex alterâ lege, & Cellio audimus*) *raptus & catenatus* (antea dixerat, *non ſponte*) *ſacramentis militaribus implicatus eſt. uno tantùm comite contentus. cui tamen verſà vice Dominus ſerviebat: adeo ut plerumque ei & calceamenta detraheret, & ipſe detergeret; cibum unà caperent; hic tamen ſæpiùs miniſtraret.* Atque hæc prima Martini militia fuit, in Pannoniâ patrio ſolo nataliqne domo, ceteras inter legiones ad Danubium contrà barbaros excubantes, in præſidiis pacificis, nullo in barbaros procinctu, nullâ expeditione militari; *compreſſis tunc per Conſtantinum externarum gentium motibus*; & ſub Conſtantini Filio Conſtante, *nulla à barbaris formidine*, ut uterque notat Victor. Stetit ea pacata Martini militia per annos fere 19. ab Chriſti 332. labente, ad expirantem 350. quo Vetranio per Conſtantium copiis ac poteſtate exutus. Eam tantam quietem nec Martinus, quia vix laceſſitus, militiam exiſtimavit; nec Severus in calculum armorum retulit;

Chronologia S. Martini à nativitate, ad annum ætatis 35. Chriſti 350.

tametſi

tametſi vel inſcius aut incogitans retexuerit; cùm ex edicto illo Regum *ſacramentis militaribus implicatum* ſcripſit. Quid eſt enim *ſacramentis militaribus implicari*, quam militem eſſe, militiam exercere, ſtipendia merere? Atque hinc ætatis Martini rationes non bene ſubduxit, cùm à primis iſtis militiæ ſacramentis, ad ejus baptiſmum nonniſi triennium interfluxiſſe credidit; immani annorum fere 17. oblivione aut neglecto, nec ſatis militiam expeditionalem ac cruentam, à quietâ domeſticaque diſcernens. Verùm hunc ejus errorem unicum ſi ſuſtuleris, cetera probè conſtare videbis; excepto altero leviore, quo Martinum, cùm miles factus, annorum 15. dicit, pro 16. & 17. labente.

Ab anno Christi 350. ad 353. ejuſdem armata militia.

7. Anno demum Chriſti naſcente 350. Conſtante cæſo; & eodem finiente, Vetranione tyranno in ordinem redacto; cùm anni jam 351. appetente vere, in Magnentium moveret Conſtantius; cœpit operoſior Martini militia, vereque militaris expeditio, quæ in totum illud protenſa triennium, quo adverſus Magnentium Conſtantius in Pannonia, Italia, Galliaque bellavit. Ita Martinus primo ad Siſciam conflictu, tum acriori illo ad Murſam cruentiorique prælio interfuerit anno Chriſti 351. Victum inde in Pannonia Magnentium, & in Italiam fugientem Conſtantius cùm inſequi moliretur, quo ſibi Pannonias Vetranione in imperium evecto rebelles, eoque parum fidas certiùs aſſereret, relictis in Illyrico, quas ex oriente ſecum adduxerat, legionibus, Pannonicas ipſas ac Vetranionianas, ſecum in Italiam, Galliamque in iiſque Martinum noſtrum tranſduxiſſe, proclive clarumque, ut dixi, judicium eſt. Ita Martinus altero ad Ticinum (ubi puer alitus fuerat) congreſſui intereſſe quoque potuerit, anno Chriſti 352. Ac demum etiam poſtremo in Galliis decretorioque ad Montem Seleucum prælio anno 353. quo manus ſibi violentas Magnentius denique fractus intulit. Neque tamen ſtatim inde Martino quies. Sylvanum Conſtantius jam victor ad recipiendam ulteriorem ad Rhenum Aquilonemque Galliam, ut dixi, & Francorum Saxonumque irruptiones cohibiturum tranſmiſit. quod ille ſtrenuè perfecit. Cum eo tranſmiſſum quoque Martinum, vel inde colligo, quòd proximâ hyeme Ambianis eum fuiſſe, Severus tradit, & clarè paulò antè vidimus, moxque clariùs etiam videbimus. Quâ enim aliâ potiore occaſione, Martinus è Gallia Viennenſi, ubi mons Seleucus eſt, in Belgicam ſaltum repente feciſſet, & quidem præcipitante jam anno, cùm ſolent milites in hiberna deduci? Sed neque antehâc Martinum Samarobrivæ Ambianorum fuiſſe, hoc præ ceteris evincit: quia ipſe, teſte Severo, *armatam militiam* (nota, & diſtingue à præſidiali) *ſub Conſtantio primùm, tum Juliano Cæſare ſecutus eſt.* triennio ante, biennio poſt baptiſma. id eſt, in univerſum, quinquennio tantùm. Atqui Conſtantius nunquam ante hoc tempus Gallias, ſaltem Imperator ac victor iniit. Igitur neque Martinus, qui *militiam armatam* ſub illo primùm *ſecutus eſt.* Sed Severum priùs audiamus, Martini res geſtas totâ illâ triennali & armatâ ante baptiſmum militiâ recenſentem.

S. Martini virtutes in militiâ armatâ.

8. *Triennium*, inquit, *ferè ante baptiſma in armis fuit. integer tamen ab iis vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira caritas. patientia verò atque humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare, non eſt neceſſe: quâ ita uſus eſt, ut jam illo tempore non miles ſed Monachus putaretur. Quibus rebus ita ſibi omnes commilitones ſuos devinxerat, ut eum miro affectu venerarentur. Necdum tamen regeneratus in Chriſto, agebat quemdam bonis operibus baptiſmatis candidatum: aſſiſtere ſcilicet laborantibus, opem ferre miſeris, alere egentes, veſtire nudos, nihil ſibi ex militiæ ſtipendiis, præter quotidianum victum reſervans. jam tum Evangelii non ſurdus auditor, de craſtino non cogitabat.* Hæc omnia Severus de rebus toto illo triennali Magnentii bello à Martino geſtis, antequam ad baptiſmum Chriſti Domini apparitione impulſus convolaret. Subdit:

Chlamidem cum nudo dividit ineunte anno Christi 354.

9. *Quodam itaque tempore, cùm nihil præter arma & ſimplicem militiæ veſtem haberet, media hyeme* (anni ineuntis 354. paulò poſt Magnentii Decentiique interitum Belgicamque recuperatam, ut ex ipſa hiſtoriæ ſerie patet) *quæ ſolito aſperior inhorruerat, adeò ut pleroſque vis algoris exſtingueret: obvium habet in portâ Ambianenſium civitatis*, ubi credo hiberna agebat, *pauperem nudum. qui cùm prætereuntes ut ſui miſererentur oraret, omnesq; miſerum præterirent; intellexit vir Deo plenus, ſibi illum, aliis miſericordiam non præſtantibus, reſervari. Quid tamen ageret? Nihil præter chlamydem, quâ indutus erat, habebat: jam enim reliqua in opus ſimile conſumpſerat. Arrepto itaque ferro, quo accinctus erat mediam dividit, partémque ejus pauperi tribuit; reliquâ rurſus induitur. Interea de circumſtantibus ridere nonnulli, quia deformis eſſet, & truncatus habitu videretur. Multi tamen, quibus erat mens ſanior, altiùs gemere, quòd nihil ſimile feciſſent. cùm utique plus habentes, veſtire pauperem ſine ſuâ nuditate potuiſſent. Nocte igitur inſecutâ, cùm ſe ſopori dediſſet, vidit Chriſtum chlamydis ſuæ, quâ pauperem texerat, parte veſtitum. Intueri diligentiſſime Dominum, veſtémque quam dederat, jubetur agnoſcere. Mox ad Angelorum circumſtantium multitudinem, audit JESUM clarâ voce dicentem:* MARTINVS ADHVC CATECHVMENVS HAC ME VESTE CONTEXIT. *Verè memor Dominus dictorum ſuorum (qui ante prædixerat, Quamdiu feciſtis hæc uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis) ſe in paupere profeſſus eſt fuiſſe veſtitum. & ad confirmandum tam boni operis teſtimonium, in eodem ſe habitu, quem pauper acceperat, eſt dignatus oſtendere.*

Unde Christus ei apparet.

Cùm eſſet annorum 38.

10. *Quo viſo vir beatus non in gloriam eſt elatus humanam; ſed bonitatem Dei in ſuo opere cognoſcens; cùm eſſet annorum duodeviginti* (corrige ex dictis. *duodequadraginta*, ſive *duodebiſviginti*) *ad baptiſmum convolavit.* Iſtâ ipsâ videlicet anni 354. naſcentis hyeme, aut ſi fortè Paſcate proximè ſecuto, in Martii diem 27. tunc incidente; quando ſtatim à & ea Chriſti apparitione, ac biennio ferè ante Miſſionem ſub Juliano Cæſare impetratam, anni 356. vere labente, factum id clarè notat Severus. Quomodo ergo ante Murſenſem pugnam, id eſt, triennio citiùs, quod ſciſcit Baronius, in Pannoniâ baptizari potuit? Ambianis haud dubiè, ubi illi Chriſtus apparuit, & ad baptiſmum exſtimulavit, baptizatus longè potiùs fuerit; aut certè in viciniâ, Taruanæ, Atrebative, nondum hibernis eductus, nondum ad Rhenum ac Vangionas ab Juliano novo tum Cæſare evocatus. Ita Martinum ſanctiſſimum virum mundo dederit Pannoniæ Superioris Sabaria; puerum aluerit Catechumenumque

Ambianis aut in viciniâ baptizatur. Non in Pannonia.

feeerit Italiæ Ticinum, modò Pavia; ſed undis baptiſmi ſalutaribus elutum Chriſto adjunxerit Belgica noſtra Secunda, Arteſiæque noſtræ contermina Picardia, ſi non Arteſia ipſa, Martini tum hibernis inſeſſa. Ut mirum non ſit, ſi Martinum inde hucuſque tam conſtanter coluerit colatque Belgica, quem alumnum in Chriſto ſuum ſemper agnovit: atque etiamnum tanto ſe jactat alumno.

Baptizatus fere biennio adhuc militat.

11. Sic baptizatus tandem Martinus, annorum jam 38. *Non tamen ſtatim*, ſubdit Severus, *militiæ renunciavit, Tribuni ſui precibus evictus, cui contubernium familiare præſtabat. Etenim tranſacto Tribunatus ſui tempore renuntiaturum ſe ſæculo pollicebatur. Quâ Martinus expectatione ſuſpenſus, per biennium ferè, poſteaquam eſt baptiſma conſecutus, ſolo licèt nomine militavit.* anno nempè reliquo 354. 355. & & priore parte 356. æſtivisque adverſus Alemannos, qui tunc bello maximè à Conſtantio petiti, peractis, in Belgas ad hiberna remeare ſolitus, ubi contra Tranſrhenanos Romanæ legiones de more excubabant. Tribus iſtis hibernis, Eccleſias noſtras aſſiduè frequentarit, nec parvos in virtute progreſſus crebrâ cum Epiſcopis noſtratibus converſatione fecerit, quibus ad tantum ſanctitatis culmen, tantam miraculorum patrationem evectus eſt. Erant certè in Belgio noſtro Epiſcopi plures virtute perilluſtres. Servatius Tungrorum, Superior Nerviorum, Bavaci Nerviorum Metropoli tum reſidens, ut modò Cameraci; Eulogius Ambianenſium, fortè idem Martini regenerator; Dyſcolius Remorum; Victor Mediomatricum; aliquot etiam ſaltem menſibus Paulinus Trevirorum, & alii quos aut Concilium Agrippinenſe memorat, aut ævum aboluit. Cetera Martini ſequens pertexet hiſtoria, ad annum uſque Chriſti 400. quo Martinum exceſſiſſe videbimus. Nunc Conſtantii poſt Magnentii interitum geſta impia videamus.

Qui tunc in Belgio Epiſcopi.

BELGII ROMANI

ECCLESIASTICI ET CIVILIS,

LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Conſtantii Imp. in Occidente conciliabula, Arelati & Mediolani. Paulinus Trevirenſis, & alii Epiſcopi orthodoxi in exilium ejecti.

Annis Chriſti 353. 354. 355.

Conſtantius victor Arelatum in Gallias venit.

UM Magnentium Conſtantius ad Montem Seleucum ultimo fataliq́ue prælio debellaſſet; cumq́ue mox ſuis Lugduni manibus, ut & Decentium Senonibus interemptum, accepiſſet; victor jam ſecurus Arelatum vicinam urbem fratri ſuo Conſtantino natalem inivit; Galliarum inde, Italiæ, Hiſpaniæ, Britanniæq́ue res commodè velut è centro, mari partim vicino, compoſiturus. Nam claſſe ſuâ & exercitu etiam Pirenæi juga eum debellaſſe, teſtatur Julianus Orat. 1. Ibi poſtremam anni Chriſti 353. priorem 354. partem inſumpſit; tantâ proſperitate adeò ebriùs, ſeq́ue ipſo arrogantior, juxta & crudelior; ut ad *Invicti* nomen dejecto Vetranione ſumptum, *Æterni* quoque ſuperaddere nihil veritus ſit; *Adulatorum*, ait Ammianus l. 15. *blanditiis ſublatus*; id eſt Arrianorum; qui ut rectè Athanaſius libro de Synodis, Cæſarem ſuum *Æternum* ſummâ impietate vocaverant, cùm Filium Dei Æternum eſſe negarent. Et ſanè, ut benè Victor Schotti, tunc demum *longo poſt intervallo, annum ferè poſt 70. relata ad unum erat cura Reipublica.* felix quidem & optanda, ſi Monarcham rectum juſtique tenacem nacta: ſin vitiis tráſverſum, infauſtiſſima; laxatâ ſcilicet omni vitiorum generi licentiâ, nullo repugnaturi metu. Quod in Conſtantio mox videbimus. Ubi plures æquâ ferè poteſtate præſunt, vaſtata ab altero, alter inſito livore reſtaurat.

Ubi ludos circenſes edat.

2. *Arelate* igitur (pergit Ammianus) *hyemem agens Conſtantius, theatrales ludos atque Circenſes ambitioſo edidit apparatu, ad diem ſextum Idus Octobris: qui Imperii ejus annum triceſimum terminabat.* potiùs incboabat. Pro *Octobris* reponendum Novembris ſuadent Idatii Faſti, Chronicon Alexandrinum, & Vetus Kalendarium biſce Conſtantii annis Romæ vulgatum, quod nos cùm Victorio nuper edidimus. Ubi ad ſextum Idus Novembres legitur, *Natalis Nerva & Conſtantij.* Sed Imperii eumdem ac vitæ ejus natalem credidit Ammianus lib. 30. §. 13. fin. Si die illo & anno 353. 30. Imperii annum terminabat, anno igitur Chriſti 323. Cæſar à patre Conſtantino Magno dictus fuerat. At enim ad ſequentes anni 324. Conſules referunt Idatii Faſti: ad anni etiam 325. Alexandrinum Chronicon. Sed neque ſatis ſibi conſtat Ammianus l. 21. cùm anno Chriſti 361. 3. *Nonarum Octobrium* Conſtantii mortem affigit, *Imperij vitaq́, anno 40. & menſibus paucis.* De annis 361. dempti 40. reliquunt 321. cum antea 323. ſtatuerit. planè à ſe diſſennẽs, niſi textus corruptus eſt. Utcumque ſit, ſi idem Imperii qui vitæ fuit dies, & fratris illius natn majoris Cõſtantini locus natalis Arelatum, ut reor; nihil mirum tales ab eo, tali die & loco, poſt talem victoriam ludos editos. quos & ſpectare potuerunt Epiſcoporum nonnulli, de quibus mox: *Poſt hoſce ludos* (rurſum Ammianus) *inſolentia pondera graviùs librans, ſi quid dubium deferebatur aut falſum, pro liquido accipiens & comperto; inter alia, excarnificatum Gerontium, Magnentianæ partis Comitem exulari mœrore multavit. Utq́ue ægrum corpus quaſſari etiam levibus ſolet offenſis; ita animus ejus anguſtus & tener, quidquid increpuiſſet ad ſalutis ſuæ diſpendium, exiſtimans factum aut cogitatum; inſontium cædibus fecit victoriam luctuoſam.*

Conſtantii credulitas & crudelitas.

] Vix dubito quin ad Belgas noſtros Magnentii fautores ſtrages ea pertigiſſet, ſi *Sylvanus blandiſſimus* iis non præfuiſſet, ut dixi. Certè in Britanniam tanto remotiorem pertigit, miniſtro quodam Paulo Catenâ; de quo fusè Ammianus. quem vide.

Etiam in Sacerdotes. altiùs repetita.

3. Neque verò profanorum hiſce ſæculariumq́ue cædibus ſatiatus Conſtantius, in Chriſti quoque Sacerdotes Gallicanos maximè, & orthodoxos, iram vertit. Quod quia ad inſtitutum maximè pertinet, juvat altiùs repetere, nondum ſatis in Annalibus Eccleſiaſticis evolutum. Conſtantium & Arrianos jam antè Murſenſem pugnam, duo maximè coquebant; primùm quod hæretici paſſim audirent; tum verò quod Athanaſium ſibi ſemper adverſantem, nunquam vivente Conſtante Imperatore ſubvertere potuiſſent. Utrumque Conſtantio jam Monarchâ, nullo ampliùs à conſórte imperii metu, pronum & facile videbatur.

Arrianorũ fraudes, favente Conſtantio.

Ut igitur hæreſeos ſibi notam primùm eraderent; Conſtantio ſtatim à primâ Murſenſi victoriâ, Magnentio in Italiam fugato, hyemem anni ſeneſcentis 351. Sirmii tranſigenti perſuadent, ut ibidem Concilium cogeret, res Eccleſiæ diu turbatas compoſiturus; ſimul Deo gratias acturus, eoq́ue felicem reliqui belli finem promeriturus. Currentem ſcilicet facilè impulerunt, & juvit conſilium caſus. Eodem quippe

Sirmienſis Synodus. quâ

tempore

tempore Phoſinus ipſius Sirmii (ut ſupra monui) Epiſcopus, ſed à Sardicenſi Synodo jam antè, mox etiam à Sirmienſi anno 349. habitâ damnatus, & ſede judicatus indignus, ut hæreticus Chriſti Divinitati & Æternitati injurius; cum ante; Mariam matrem caſtitiſſe negans; victorem *Conſtantium adiit* (ut Epiphanius) *ſeu potius Sirmii tunc præſentem & victoria lætum convenit. Et tanquam iniquè depoſitus, cauſa ſua Judices petit, quibus injuſtè ſibi abrogatum fuiſſe Sacerdotium probaret.* Occaſionem avidè arripit Imperator. & Epiſcopos Sirmium advocat, maximè Arrianos & Orientales; qui hæreticum manifeſtarium facilè, nec ſegniùs quàm Orthodoxi damnarent. Coactâ Synodo, *Baſilio Epiſcopo Ancyrano* ceu Præſidi, *negotium dat, ut illum coram Judicibus examinaret.* Nec dicis cauſa ea diſceptatio habita; *à Notariis Imperatoris excepta eſt; ejuſq; exemplar unum obſignatum ad Imperatorem miſſum: aliud penes Synodum* (Nota) *cui Baſilius præerat, remanſit: tertium perinde obſignatum, apud Comites,* qui & ipſi Judices, *remanſit. quibus tota dogmatis illius expoſitio continebatur.* Iterum igitur hic damnatus Photinus. & qui ante biennium Epiſcopatu amoveri plebis oppoſitione non potuerat, hoc tandem anno 351. Conſtantii victoris autoritate expulſus eſt. Ita Conſtantius cum ſuis, uti nuper *Sardicenſi Synodo* fratris Conſtantis metu, ſic & jam *Sirmienſi, pium ſe Occidentalibus mentitus eſt.* ait Hilarius ſuo ad Conſtantium libello, cujus initium, *Tempus eſt,* &c.

Iterũ damnatur Photinus.

4. Idem clariùs diſtinctiúſque Socrates l. 2. c. 24. & Sozomenus: *Conſtantius,* inquit ille, *duces ſuos contra Magnentium,* qui ad Murſam victus in Italiam fugerat, & bellum ibi reparabat, *mittit. Ipſe Sirmij commoratur, rerum eventum expectaturus. Quo eodem tempore Photinus illius Eccleſiæ Antiſtes dogma ſuum manifeſtiùs divulgare conatur, & quoniam tumultus ex hoc oriebatur, Concilium Epiſcoporum Sirmii convocari jubet. Multi Orientis Epiſcopi convenere, inter quos Baſilius Ancyræ Marcello rurſum pulſo Epiſcopus. Ex Occidente autem Valens Murſiæ* & Urſatius Singiduni in Myſia. ſic enim ſubſtituendũ eſt, pro Oſius Epiſcopus: qui tunc Sirmium nondum venerat. ſed anno primùm 356. *tantùm. Contigit ea Synodus poſt Conſulatum Sergii & Nigriani; quo anno propter belli Magnentiani tumultus, Conſulatûs munera nullus obire potuit.* Eſt is annus Chriſti 351. & quidem poſt Auguſti diem 28. victo jam ad Murſam Magnentio; quando ante eam victoriam Conſtantius de eventu ſollicitus, aliis intendere non potuit. *Synodus* igitur iſta Sirmienſis *Photinum* iterum *damnat,* rurſus *Epiſcopatu abdicat. quod omnes deinceps approbarunt.* Iſta ferè Socrates. Conſtantius autem etiam expulit. ſubdens deinde, fidei formulas tres in eâdem Synodo conceptas vulgataſque; ſibi repugnantes. cùm nonniſi prima tunc contexta ſit, duabus aliis Sirmii quidem etiam, ſed longè pòſt compoſitis ac editis. ut ipſa hiſtoriæ ſeries, & ex eâ, etiam contra Socratem validè probat Petavius noſter. Quomodo enim ſecundam primæ directè repugnantem eodem tempore divulgaſſent? An uno eademque halitu frigidum ſimul & calidum exſufflaſſent? Photinum filii divinitatem negantem, quo Catholici viderentur, tunc damnabant; & eum tamen eodem ferè momento defenderent, Editâ ſecunda Fidei formulâ, Photino longe quàm Catholicis faventiore? Non is fuit vaferrimorum impoſtorum ſtupor. Intervallis temporum & ſenſim ſine ſenſu mutarunt. Prima igitur eáque tunc ſola vulgata, in quâ nihil contra Catholicum dogma poſuerunt: imò οὐσίας & ſubſtantiæ divinæ nomen admiſerunt; quin & c. 27. in Photinum anathematiſmis, hunc planè Orthodoxum primo loco tulerunt: *eos qui dicunt ex non ente, aut ex aliâ ſubſtantiâ, & non ex Deo, filium extitiſſe; aut quod tempus aut ætas fuit, quando ille non erat, alienos à ſe cenſet ſancta & Catholica Eccleſia.* Quis ea verba, quæ eadem ferè in Nicænâ Synodo leguntur, doctrinæ non Photini modò, ſed & Arrianorum directè repugnare non pervidet? Athanaſium, Hilarium, & Socratem vide, qui hoſce formulæ primæ Anathematiſmos ad longum referunt; & videbis à Catholicâ vix diſcrepare. Nam licèt Omoouſii nulla in ea mentio; nulla tamen eſt etiam rejectio. Nec magis Omoouſii in ſuo ſymbolo meminit Athanaſius. Secunda formula poſtea edita Omoouſion diſertè rejicit. de qua anno ſuo 357.

Anno Chriſti 351. finiente.

Soc. l. 2. c. 24. Sozom. l. 4 c. 5.

Prima Fidei Sirmienſis formula ſubdola.

5. Tali igitur confeſſione Sirmienſes iſti Epiſcopi licèt Arriani, famam Catholicorum adepti, toti in Athanaſii damnationem vertuntur. Neque hic defuit occaſio. Marcellus erat Ancyranus Epiſcopus; qui jam inde ab Synodo Nicænâ non minus ferè quàm Athanaſius Arrianis obſtiterat. Unde eorum artibus ſede ſua cum Athanaſio depulſus, iterum cum eo juſſu Conſtantis Imperatoris in Sardicenſi Concilio reſtitutus fuerat, ut ſuprà anno Chriſti 347. & rurſum 349. abundè monui. Verùm anno poſt Sardicenſem proximo 348. *Marcellum Athanaſius* (Sulpitii Severi verba ſunt ex Hilarii fragmentis, ut apparet) *cùm parum ſanæ Fides eſſe penitus comperiſſet* (Sabellianus enim etiam ea diſcipulorum diſciplinâ videbatur, ait Epiph. Hæreſ. 72. & 73.) *à Communione ſuſpendit. Habuitq; ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus, ſponte concederet.* (quod & Hilarii fragmenta notant.) *Cæterùm antea innocens, poſtea depravatus; videri poterat jam tum nocens fuiſſe, cùm de eo fuerat judicatum.* id eſt cùm in Sardicenſi Synodo abſolutus fuit. *Naſti ergo Arriani iſtiuſmodi occaſionem, conſpirant penitùs Sardicenſis Synodi decreta ſubvertere.* Sirmienſi nempè hoc conventu. *Etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quod tam injuſtè fuiſſet* ibi *pro Athanaſio judicatum; quàm Marcellus fuerat abſolutus; qui nunc etiam Athanaſij judicio hæreticus eſſe probabatur. Namq; Marcellus Sabellianæ hæreſis aſſertor extiterat. Photinus verò novam hæreſim jam ante protulerat: à Sabellio quidem in unione diſſentiens; ſed initium Chriſti ex Maria,* non ab æterno, *prædicabat. Igitur Arriani aſtuto conſilio miſcent innoxium* Athanaſium *criminoſis: damnationemq; Photini* (hoc ipſo Sirmii cœtu tandem executioni mandatam) *& Marcelli, & Athanaſii eâdem ſententiâ comprehendunt. Illud nimirum apud imperitorum animos præſtruentes, ut non putarentur perperam de Athanaſio judicaſſe, qui de Marcello atque Photino vera ſenſiſſent. Verumtamen eâ tempeſtate* (& in hoc maximè Sirmienſi Conciliabulo, ut jam viſum) *Arriani perfidiam ſuam occultabant* (quomodo occultaſſent, ſi ſecundam etiam Fidei formulam hic ediſſent?) *non auſi palam erroris ſui dogmata prædicare, Catholicos ſe gerebant, nihil priùs ſibi agendum rati, quàm ut Athanaſium Eccleſiâ ſubmoverent, qui ſemper eis velut murus obſtiterat. quo remoto, reliquos in libidinem ſuam ceſſuros ſperabant.* Vide ut Severus hic hujus conciliabuli cauſam tam 1. quàm 2. nobiſcum notet.

Quà Arriani Orthodoxi habiti.

Athanaſiũ cum Marcello & Photino damnant.

6. Sed

Catholici defendunt.

6. *Sed pars Epiſcoporum qua Arrium ſequebatur, damnationem Athanaſii cupitam accepit*, ſi non hoc poſteriore Sirmii conventu, ſaltem non multò poſt, *pars coacti metu & factione in ſtudia partium conceſſerant. Pauci quibus fides cara & veritas potior erat, injuſtum judicium non receperunt. Inter quos Paulinus Epiſcopus Treverorum* (Maximini paulò ante mortui non virtute minùs, quàm ſede ſucceſſor) *oblatâ ſibi epiſtolâ* (cùm Treviris adhuc ſub Imperio quidem Magnentii degeret, ſed Magnentio jam labante in Conſtantium ceu victorem inclinaret) *ita ſubſcripſiſſe traditur: Se in Photini atque Marcelli damnationem præbere conſenſum; de Athanaſio non præbere.*] Idem de Liberio Papa Romano, Julii item proximè ſucceſſore, tradit ex ejus epiſtolis Baronius anno Chriſti 352. §. 11. dum notat, ferè pari modo ſubſcripſiſſe. Unde intelligimus primò poſterioris generis Epiſcopos, quos hic bonos ait Severus, non interfuiſſe Synodo huic Sirmienſi; quando per epiſtolas cum eis actum dicit. Et quomodo anno Chriſti 351. etiam expirante Sirmii adfuiſſent, Italia adhuc & Galliis ſub tyranno Magnentio conſtitutis? Intelligimus ſecundò epiſtolas has ad Liberium Paulinumque non ante mitti, ſaltem cum autoritate, potuiſſe; quam Magnentio jam aut penitus, aut ferè victo, præcipitante jam minimùm anno Chriſti 352. ſi non & labente 353. Quod moneo propter quoſdam, qui belli Magnentiani ſeriem & ſucceſſionem non ſatis evolvunt. Italiam tamen à Conſtantio uno priùs quàm Galliam anno ſubjugatam agnoſco; eoque Liberio epiſtolam Sirmio anno illo Chriſti adultiore 352. mitti potuiſſe video; Paulino & Gallicanis Epiſcopis ante 353. quo primum Magnentii cæde Auguſto menſe patratâ, reſtitutæ Conſtantio Galliæ noſtræ, miſſas vix credo; niſi forte precariò, & tamquam ad Catholicos fratres Epiſcopos, non eidem imperio ſubjectos. Adeò Trevirenſium Epiſcoporum ſuffragia ſemper ambierunt Arriani; Gallias ſcilicet univerſas cum eo uno ceu Patriarchâ tracturi.

Paulinus præſertim Trevirenſis.

Arriani tunc ferè inexpugnabiles.

7. Pergit Severus: *Tum verò Arriani, ubi dolis parum proceſſerant, vi agere decernunt. Nam quodlibet audere atque agere facile erat, Regis* (ſeu Imperatoris & Monarchæ) *amicitiâ ſubnixis, quem ſibi pravis adulationibus devinxerant*, nempè ÆTERNUM eum à Magnentii interitu vocando, ut Ammianus & Athanaſius; cùm eum titulum Filio Dei homines impii negarent. *Qui etiam ex conſenſione multorum inexpugnabiles erant. Nam omnes ferè duarum Pannoniarum Epiſcopi, multiq́, Orientalium, ac tota Aſia, in perfidiam eorum conjuraverant. Sed Principes mali iſtius habebantur; à Singiduno* (Myſiæ) *Urſatius, Valens à Murſia* (Pannoniæ ſecundæ) *ab Heraclea* (Thraciæ) *Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius à Caſarea* (Paleſtinæ) *Menophantes Epheſo, Georgius Laodicea* (Syriæ) *Narciſſus à Neapoli*; Ierapoli apud Baron. anno 347. §. 28. ubi hi omnes numerantur; ſicut & ab Hilario, libello, cui initiū, *Benignifica*, &c. *Hi ita Palatium occupaverant, ut nihil ſine eorum nutu ageret Imperator; obnoxius quidem omnibus, ſed præcipuè Valenti deditus. Nam eo tempore quo apud Murſam contra Magnentium armis certatum, Conſtantius deſcendere in conſpectum pugnæ non auſus, in Baſilicâ Martyrum extra Oppidum ſitâ, Valente tùm ejus loci Epiſcopo in ſolatium aſſumpto, diverſatus eſt. Ceterum Valens callidè per ſuos diſpoſuerat, ut quis prælii fuiſſet eventus, primus cognoſceret: vel gratiam Regis captans, ſi prior bonum nuntium detuliſſet; vel vitæ conſulens, ante captivus fugiendi ſpatium, ſi quid contra accidiſſet. Itaque paucis, qui circa Regem erant, metu trepidis, Imperatore anxio, primus nuntiat hoſtes fugere. Cùm ille indicem ipſum intromitti poſceret, Valens ut reverentiam ſui adderet, Angelum ſibi fuiſſe nuntium reſpondit. Facilis ad credendum Imperator poſtea dicere eſt ſolitus, Se Valentis meritis, non virtute exercitûs viciſſe. Ab hoc initio illecti Principis, extulere animos Arriani; poteſtate Regis uſuri, ubi autoritate ſua parum valuiſſent.* Hinc Sirmienſe ſtatim Conciliabulum hoc coegerunt; ubi & Catholicorum nomen ac famam aſſumpſerunt; eoque non contenti, criſtas etiā in Athanaſium Orthodoxorum columen erexerunt, iterumque damnarunt; ceteros in eo faciliè proſtraturi, ut jam dixi.

Valens Arrianus Conſtantium dementārat.

Catholici Epiſcopi à Conſtantio coacti.

8. *Igitur cùm ſententiam eorum, quam de Athanaſio dederant, Noſtri* (ſeu Catholici, ſeu Gallicani, ſeu utrique) *non reciperent; edictum ab Imperatore* (Magnentii cæde jam Monarchâ ſecuro) *proponitur, ut qui in damnationem Athanaſii non ſubſcriberent, in exilium pellerentur.* Et Concilium quidem aliud haberi poſtulabat Liberius, antequam damnarentur; ſuiſque literis ſignificabat, *ipſi* quoque *Conſtantio dudum placuiſſe, Concilium Aquileiæ congregari* (quam ſcilicet urbem anno Chriſti 352. Magnentio ſucceſſu victoriarum extorſerat, Italiamque ac Romam inde receperat) ſed res ea in ipſius Magnentii interitum producta eſt, donec circa Septembrem Octobrémve anni Chriſti 353. Arelatem victor omnino jam Conſtantius iniret. *A noſtris tum* (ſubdit Severus, bello prorſus extincto) *apud Arelatem ac Biterras oppida Galliarum Epiſcoporum Concilia fuere.* apud Biterras quidem non ante triennium, ut ibi docebo: Arelate autem planè hoc anno 353. finiente aut ineunte poſtero. poſtquam *6. Idus Octobres* (ait Ammianus) aut ut Idatius aliique Novembres, ludos Circenſes, pro victoriâ, & inchoatu Imperii anni 30. edidit. Fuiſſe hoc Concilium Arelatenſe, ferè generale loco Aquileienſis, non pauca arguunt. Nam ad illud miſit Liberius Legatos ſuos, Vincentium Capuæ Epiſcopum, jam inde ex Nicænâ Synodo celeberrimum, & Marcellum æquè in Campania Epiſcopum; qui ſuo nomine præeſſent, & omnia ex Canonum præſcripto dirigerent. Hi plures ibi etiam Orientales (qui Conſtantium victorem ſequebantur) & Occidentales Epiſcopos evocatos invenerunt, partim ab Arrianis jam corruptos, ut Saturnium Arelatenſem. Fortunatianum Aquileienſem, &c. partim Orthodoxos. Veniſſe & ab Italiâ quoſdam ſignificat literis ſuis Liberius; neſcio an non & ab Hiſpania venerit Oſius; Britanniaque alii. Sed Gallicanos præcipuè conveniſſe, tum ipſe locus arguit: tum verò eorumdem in Athanaſium ipſum, & in Patriarcham ſuum Paulinum, adeoque in Fidem Nicænam & Orthodoxam inſita inclinatio. Præter Saturninum Arelatenſem prorſus Arrianum, adfuiſſe ex Orthodoxis reor Hilarium Pictavienſem, Rodanium Toloſanum (ſic enim in Severo lego) Paulinus deeſſe non potuit, qui cum Liberio Conſtantii Sirmienſiumque Arrianorum de Athanaſio poſtulata rejecerat. Ei Servatium Tungrenſem, Superiorem Nerviorum Antiſtites, & eorum nonnullos quos Sardicenſi præſentes uſque ad 34. facit Athanaſius ipſe, & ibi recenſui, non invitus nec ſine probabilitate adjungo. Lucium quoque Annæum Moguntinū Vita Maximi

Arelatenſe in Gallia Concilium.

Quo Epiſcopi Orthodoxi damnati.

Hilarium S. Hier in Chr. anno Chriſti 356 dicit, *ante triennium* (igitur hoc anno 353) *factione Saturnini in Phrygiam pulſum.*

adfuiſſe

adfuiſſe teſtatur apud Surium Novembris 18. & apud Baronium hoc anno §. 22. Valentem denique & ſocios, tragœdiæ hujus auctores hîc commemorat ipſe Severus. qui pergit:

In Concilio Arelatenſi quid actum.

9. Synodo igitur apertâ, *Petebatur* (credo ab Orthodoxis) *ut priuſquam in Athanaſium ſubſcribere cogerentur, de fide potius diſceptarent. Nec tum demum de re cognoſcendum, cum de perſonâ judicium conſtitiſſet. Sed Valens ſociique ejus* (nota) *prius Athanaſii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non auſi.* Scilicet fidei formulam, quam ante biennium Sirmii licèt aſtutè compoſuerant, ſat pervidebant abs acribus & dictis Arrianorum adverſariis, quales erant Hilarius, Paulinus, & alii, probè excuſſum, & latebras illius clarè detectum iri. Eam igitur offerre nolebant. Diu & pertinaciter agitata utrinque res; Catholicis à veritate & juſtitia ne latum quidem unguem recedere volentibus; Arrianis Imperatoris auctoritate ſubnixis, eoque vincere certis. Unde Liberius ſuâ quâdam apud Baronium Epiſtola, *anno 353. §. 17. ex parte & 354. §. 2.* ſcribit, *Legatos ibi ſuos, propter turbationem omnium Eccleſiarum conditionem propoſuiſſe, ſi Orientales Epiſcopi Arrii hæreſim condemnaſſent, hoc genere ſe inclinandos, eorum ſententiis obedire. Placitum ſcripto firmatum, ſed cùm in Concilium ventum fuit, Arrianos cum deliberatione reſpondiſſe, Arrii doctrinam ſe damnare non poſſe: Athanaſium, quod ſolum exigebant, communione privandum.* Ex tanto Arrianorum conflictu, Imperatoris poteſtate armato, non potuit non feralis extitiſſe exitus. Tandem enim. *Vincentius*

Vincentii Legati Apoſtolici lapſus.

Legatus conſtantiæ ſuæ priſtinæ & ſenectutis oblitus, *ab Arrianis in illam ſimulationem abducitur* (ſcribit ad Euſebium Vercellenſem Liberius) mox *reliqui per Italiam Epiſcopi publicâ conventione coacti ſententiis orientalium obedire.* magno Liberii bonorumque mœrore. Hinc etiam Athanaſius Apologiâ ad Conſtantium ſcribit; *Vincentium Capua, Fortunatianum Aquileia, & Herminium Theſſalonica, ceteroſque in Occidente Epiſcopos, vim non vulgarem, graveſque contumelias paſſos eſſe; donec promitterent ſeſe à noſtra communione abſtinere.* Stetere tamen

Et aliorum Epiſcoporum.

alii non pauci; tametſi nonniſi quatuor ad noſmemoria ſuſpicióve pervenerit: Hilarii Pictavienſis, Paulini Trevirenſis, L. Annæi Moguntini, & Rodanii Toloſani. De ſe Hilarius innuit; cùm de ſe ſcribit *dixiſſe Auxentium, damnatum quondam illum à Saturnino* (hic ſcilicet & Biterris) *audiri ut Epiſcopum non oportere.* De Paulino disertè Severus: *Ab hoc,* inquit, *parentum conflictu agitur in exilium Paulinus.* Idem ante eum in Fragmentorum præfatione Hilarius, cùm ait: *Incipiam ab his quæ proximè geſta ſunt, id eſt, eo tempore. quo primùm in Arelatenſi oppido, frater & comminiſter meus Paulinus Trevirorum Epiſcopus, eorum ſe perditioni ſimulationiq; non miſcuit: & qualis fuit ei ſententia, exponam: à qua referens voluntatem, indignus Eccleſiâ ab Epiſcopis, dignus exilio à Rege eſt judicatus. Judicatus*, ait, nondum planè relegatus; quando ante Mediolanenſe Concilium biennio poſthac habitum, verè in exilium actus non eſt, ut ibi reddam. Idem in L. Annæum decretum narrat Vita S. Maximi ſucceſſoris, ſuprà. Idem in Rodanium, Baronius hic §. 20. qui tamen ut & Hilarius nonniſi poſt Biterrenſem Synodum pulſi. Nec plura in hac Synodo geſta reperio. poteſt diligens Lector cetera conjicere. ſi meminerit hæc omnia quidem ita decreta,

Paulini Trevirenſis, Hilarii Pictavienſis, & aliorum conſtantia.

ut in proximam generaliorem Synodum differrentur; quæ loco Aquileiæ Mediolani commodiore loco indicta eſt. Certè *Paulinum Trevirenſem, etiam poſt Arelatenſem Synodum tantis illorum* Arrianorum *ſceleribus contraiſſe*, disertè tradit Hilarius.

10. Ceterum lugubris planè fuit hic Vincentii Sedis Apoſtolicæ Legati Arelate caſus. Qui cùm in primâ Nicænâ Synodo eâdem legatione probè ante annos 28. perfunctus eſſet; & in aliâ item magna Sardicenſi ante ſexennium, Romæque toties Athanaſium abſolviſſet, hic ultimâ ætate canitieque venerandâ, Arrianorum tandem vi dejectus, in eumdem damnationis ſententiam intulit. Sed à fide tamen, quod ſolatur, non defecit: cùm in utrumque crimen Fortunatianus Aquileienſis incurrerit. Ut mirum non ſit, ſi Gallorum aliquot minus illuſtres eadem fragilitate ceciderint.

CAPUT II.

S. Martini poſt baptiſmum militia armata ferè biennalis. Mediolanenſe Concilium Arrianorum, quo Paulinus Trevirorum Epiſcopus cum aliis in exilium relegatus.

Anno Chriſti 354 & 355.

1. ANNUS Chriſti ſequitur 354. Conſtantii 7. & Galli Cæſaris 2. Conſulatu illuſtris, Martini baptiſmo illuſtrior; quo tandem ille è Catechumeno Chriſtianæ Eccleſiæ adſcriptus eſt. Ambianis ut reor, & in Paſcate, tùm in Martii 27. illabente. Poſt quod hibernis eductus in Conſtantii caſtra profectus eſt, ſolo licèt jam nomine militaturus, ſoliſque *Tribuni ſui precibus evictus, qui tranſacto Tribunatus ſui tempore*, quod ſcilicet in biennium adhuc extendebatur, *renuntiaturum ſe ſæculo pollicebatur.* ait Severus. Id antequam exequor, Conſtantii res hoc anno geſtæ priùs retexendæ.

S. Martinus baptizatus militiam ſequitur.

2. Æſtiva hujus anni contra Alemannos ferè Alſatiæ ſuperiori hodiernæ tunc objectos maximè impendit Conſtantius, eoque proinde Martinus verterit. Ammianum audiamus: *Cœli*, inquit, *reſerato tepore*, poſt hyemem ſcilicet quam Severus *ſolito aſperiorem* dixit, *Conſtantius Conſulatu ſuo ſeptiès & Cæſaris iterum, egreſſus Arelate, Valentiam petiit: in Gundomadum & Vadomarium fratres, Alemannorum Reges* in hodiernâ Suevia, *arma moturus: quorum crebris excurſibus vaſtabantur confines limitibus terræ Gallorum. Dumq; ibi,* Valentiæ ſcilicet, *diu* (nota) *moratur, commeatus operiens, quorum tranſlationem ex Aquitaniâ verni imbres ſolito crebriores* (ut poſt aſperiorem hyemem plerumque ſolet) *prohibebant, auctiq; torrentes: miles interea omnis* (nota, quaſi ex omni Gallia etiam Belgica) *apud Cabillona* (Chalon en Bourgogne ad Ararim) *collectus, morarum impatiens ſæviebat; hoc irritatior, quòd nec ſubſidia vivendi ſuppeterent, alimentis nondum*

Conſtantius in Alemannos movet.

Amm. Lib. c. 30.

ex uſu

ex uſu tranſlatis. Vnde Ruſinus eâ tempeſtate Præfectus Prætorio, ad diſcrimen truſus eſt ultimum. Ire enim ipſe compellebatur ad militem, quem exagitabat inopia ſimul & feritas, & alioquin in ordinarias dignitates aſperum ſemper & ſævum; ut ſatisfaceret, atque monſtraret quam ob cauſam annona convectio ſit impedita. Et *navata eſt opera diligens. Euſebius Præpoſitus cubiculi miſſus eſt Cabillona, aurum ſecum perferens. quo per turbulentos ſeditionum concitatores occultius diſtributo, & tumor conſenuit militum, & ſalus eſt in tuto locata Præfecti.*

Rauracum ad Rhenum venit.

3. *Deinde cibo abunde perlato, caſtra die prædicto ſunt mota. Emenſis itaque difficultatibus multis, & nive obrutis callibus pluribus* (en iterum hyemis aſperioris veſtigia) *ubi prope Rauracum ventum eſt ad ſupercilia fluminis Rheni: reſiſtente multitudine Alemannâ, pontem ſuſpendere navium compage, Romani vi nimiâ vetabantur, ritu grandinis undique convolantibus telis. & quum id impoſſibile videretur, Imperator cogitationibus magnis attonitus, quid capeſſeret ambigebat. Ecce autem ex improviſo index quidam regionum gnarus advenit. & mercede acceptâ vadoſum locum nocte monſtravit; unde ſuperari poterit flumen. & potuiſſet, aliorſum intentis hoſtibus; ni pauci ex eâdem gente* Alemannâ, *quibus erat honoratioris* inter Romanos ipſos *militiæ cura commiſſa, populares ſuos hæc per nuntios docuiſſent occultos, ut quidam exiſtimabant. Infamabat autem hac ſuſpicione Latinum domeſticorum Comitem, & Agilonem Tribunum ſtabuli, atque Scudilonem Scutariorum Rectorem, qui tunc ut dextris ſuis geſtantes Remp. colebantur.* En quid ſit, externis ac barbaris fidere militibus, quid illis Remp. committere. Ruiſſe per eos Romanum Imperium ſequentia docebunt.

Penè proditus à ſuis.

Alemanni petunt pacem, & obtinent.

4. *At Barbari ſuſcepto pro inſtantium rerum ratione conſilio, dirimentibus fortè auſpiciis, vel congredi prohibentibus auctoritate Sacrorum, mollito rigore quo fidentius reſiſtebant, Optimates miſere, delictorum veniam petituros & pacem.* Quam, *cùm juſtis conditionibus peteretur*, imò cùm Reges pro adverſariis auxiliatores ſe fore pollicerentur; Conſtantius ex conſilii ſui totiusque exercitûs conſenſu, lubens indulſit; *multitudine eâ maximo ratione percitâ, quod norat expeditionibus crebris Conſtantii fortunam in malis tantum civilibus vigilaſſe* & faviſſe: *quum autem bella moverentur externa, accidiſſe plerumque luctuoſa. Ille igitur fœdere gentium ritu, perfectâque ſolemnitate, Imperator Mediolanum ad hyberna diſceſſit.* Ammian.] Ibi de Galli Cæſaris ſubverſione ſeriò cogitare cœpit. paulóque póſt perfecit. Ita Belgicam noſtram Conſtantius à Magnentii cæde non iniit; nedum patris ſui ſolium Treviros vidit: Sylvano, cujus filium parvulum obſidem retinebat, Rheni contra Francos ac Saxones ut antè ita tunc curâ relictâ. quem B. Martinus item hac hyeme ſecutus eſt, ſeu Ambianis ſeu in Belgio alibi hibernaturus. ſimul gradum in virtutem de virtute facturus.

Conſtantius tum Belgicam non vidit.

Annus Chriſti 355.

5. Proximo anno Chriſti 355. Arbetione & Lolliano Coss. multa poſteris recolenda contigerunt: Galli Cæſaris cædes, Mediolanenſe Arrianorum conciliabulum, quo plerique Epiſcopi Orthodoxi, etiam noſtrates in exilium à Conſtantio truſi; Sylvani Belgicæ Præfecti interitus; Juliani Apoſtatæ in Cæſarem loco Galli fratris adoptio, & in Galliam noſtram miſſio. quorum ſeriem perſtringam. Gallus Cæſar toto bello Magnentiano Antiochiæ in Syria degens, multorum innocentium ſe ſanguine cruentarat, ab uxore Conſtantinâ Conſtantii ſorore ut plurimum inſtigatus. Unde uterque Mediolanum à Conſtantio fictis blanditiis evocatus, primùm metu & conſcientiâ venire tardabat. Cùm ille urgeret, Conſtantia præire voluit, germani ſpe leniendi. ſed in itinere ad Bithyniæ ſtationem, Cœnos Gallicanos appellatam, vi febrium abſumpta eſt. Gallus jam ſolus, & calamitatis inſtantis non ignarus, primùm Principem locum ſi quâ poſſet, affectabat: ſed ceu truculentus à ſuis deſertus, mox etiam à Scudilone Scutariorum Conſtantii Tribuno deceptus, velut in partem Majeſtatis Galliarumque tutelam acciretur; Conſtantinopolim tranſiit; ubi & ludos Equeſtres tanquam rebus proſperis edidit. Inde per Adrianopolim, Pœtovionem, Noricorum ad Dravum urbem iniit. Ibi à Barbatione Domeſticorum Comite, & Apodemio Agente in rebus apertè jam indumentis regiis exutus, carpentoque privato impoſitus, in Hiſtriam prope oppidum Polam ductus eſt. Ubi aliquandiu arctiſſimè ſervatus, tandem ab Euſebio Cubiculi Præfecto, adveniente cum Pentadio Notario, & Mellobaude armaturarum Tribuno (Francum indicat ipſum nomen) rogatus cur Antiochiæ tot ac tantos trucidari juſſiſſet, nec aliud quàm, *incitante conjuge* reſpondiſſet; colligatis demum manibus in morem noxii cujuſdam latronis, capite truncatus eſt. *ætatis anno 29. cùm quadriennio imperaſſet.*] Ammianus. Quadriennium iſtud Martiis hujus anni Idibus explebatur. Quare hoc die non procul, interiit, ſui quoque ipſe pertæſus. Unde aulici palpones virtutem felicitatemque Imperatoris in cœlum extollere: cujus nutu in modum gregariorum militum, duo exauctoritati eſſent Principes Vetranio & Gallus. Quo ille ſublatus, *Æternum* ſe & *totius orbis Dominum* etiam reſcribendo vocavit. Unde aptè Athanaſius Arrianis exprobrat, Imperatorem eos *Æternum* appellaſſe, qui filium Dei Æternum negarent. Ita octo ferè menſibus Gallus, ante Julianum fratrem ſuum Cæſarem ſibi ſuffectum, interiit. nece quidem non immeritâ, propter ætatem tamen deceptionemque miſerendâ. Ammianus lib. 14. & 15.

Galli Cæſaris crudelitas, & interitus.

Polæ in Iſtria.

Conſtantius Imp. ſe Æternum vocat.

Synodus Mediolanenſis Conſtantii & Arrianorũ.

6. Iſtâ jam curâ Conſtantius expeditus in Synodum Mediolani congregatâ totus incubuit; quam & Pontifex ipſe Liberius anno priore poſtulaverat, ratus cognitâ Arrianorum perfidiâ, Conſtantium in Occidentales Epiſcopos Orthodoxos mitiorem futurum. ſed contra planè accidit; quando incluſos unum in locum Sacerdotes aut ſubſcribere in Athanaſium compulit, aut exilio multavit. *Mediolanum* (inquit Severus) *convenitur, ubi tum aderat Imperator*, & paulo infrà; *Arbetione & Lolliano* Coss. *abhinc annos 5. & 40.* Scribebat iſta Severus Stilicone primùm Conſule, anno Chriſti 400. de quibus ſi 45. demas, reliquus erit hic annus 355. Iſto igitur anno, & quidem ſi Athanaſio credimus, ſtatim à Gallo Cæſare interfecto, Mediolani conventum eſt. Jam quidem antè, paulo poſt Magnentium Italiâ pulſum, Aquileiæ Synodum cogi Conſtantius Liberiusque Pontifex probaverant. Bellica negotia & nondum debellatus Magnentius obſtiterant. Nunc igitur Magnentio Galloque peremptis, Synodum biennio ferè antè deſtinatam, & Arelati tentatam delibatamque, Mediolani tandem peragi placuit. Ad illam non *multos ex Oriente*

Epiſcopos acceſiſſe, ſcribunt Socrates atque Sozomenus; *ſeu ingraveſcente ætate, ſeu itineris longitudine retentos ex Occidente verò* (aiunt) *ampliùs trecenti convenerunt. inter quos Paulinus Trevirenſis, Dionyſius Mediolanenſis, Euſebius Vercellenſis. Aderant & Apoſtolica Sedis Romanæ Legati; Lucifer Caralitanus Sardiniæ Metropolitanus, Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus. Aderant alij multi ignoti*; mirum ſi non & Servatius noſter Paulino junctiſſimus: prorſus ut ea Synodus Nicænâ nihilo minor & numero & dignitate videretur.

Primum in Dominico, ſeu Baſilicâ Metropolitanâ.

7. Ea primùm in *Dominico*, ſeu Baſilicâ Metropolitanâ Mediolanenſi congregata eſt. de more. Ibi, ſubdit Severus, *eadem illa contentio nihil invicem relaxabat*; nempe quam Arelate biennio ante inchoatam jam dixerat. *Petebatur à noſtris*, Orthodoxis, *ut priuſquam in Athanaſium ſubſcribere cogerentur, de fide potius diſceptarent. Sed Valens ſociique ejus priùs Athanaſii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non auſi.* Hæc Severus in genere. Sed in particulari duorum meminit Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, neſcio an non & ipſe præſens: *Conventus*, inquit, *Euſebius Vercellenſis, ut in Athanaſium ſubſcriberet, ait de Sacerdotali fide priùs oportere conſtare: compertum ſibi quoſdam ex iis qui adeſſent, hæreticâ labe pollutos expoſitam fidem apud Nicæam poſuit in medio: ſpondens omnia quæ poſtularent eſſe facturum, ſi pro fidei profeſſione ſcripſiſſent. Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus chartam primus accepit. Vbi profiteri ſcribendo cœpit* [nempè ut explicat Severus, *in Athanaſii damnationem ſe conſentire, dummodo de fide inter Epiſcopos quæreretur*] *Valens calamum & chartam è manibus ejus violenter extorſit; clamans non poſſe fieri, ut aliquid inde gereretur. Res poſt clamorem multùm Epiſcoporum* ſcilicet in ipſo Dominico contendentium, *deducta in conſcientiam* ſeu cognitionem *plebis eſt. Gravis omnium dolor ortus eſt. impugnata eſt à Sacerdotibus* nempè Arrianis, *fides* utique Nicæna & Orthodoxa. *Verentes igitur illi*, Sacerdotes Arriani, *populi* Mediolanenſis egregiè Catholici *judicium*, & contra ſe tumultum, *è Dominico* ſeu Baſilicâ *ad Palatium* Imperatoris *tranſeunt*, ubi ſcilicet à plebe nil timerent. Ita enim clariùs Severus: *Valens & Vrſatius cæterique metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio ſtudio conſervabat, non auſi piacula profiteri, intra Palatium congregantur. Illinc epiſtolam ſub Imperatoris nomine emittunt, omni pravitate refertam. Eo nimirum conſilio; ut ſi eam æquis auribus populus recepiſſet, publicâ autoritate cupita proferrent: ſin aliter fuiſſet excepta, omnis invidia eſſet in Rege, & ipſa venialis: quia etiamtum Catechumenus ſacramentum Fidei meritò videretur potuiſſe neſcire. Igitur lectam in Eccleſia*, ſeu Dominico, *epiſtolam populus averſatur.*] eáque causâ rupta Synodus eſt, paucisque ſeſſionibus abſoluta; quòd, ut benè Severus, *eadem illa contentio*, an de Fide priùs, mox de Athanaſio agendum foret, *nihil invicem relaxabat.*

Synodus è Dominico in Palatium transfertur.

Ibi Arriani vi agunt.

8. Itaque Arriani ubi doli parum proceſſerant, ad vim proſcriptionesque vertuntur. *Nam quodlibet audere atque agere facile erat* (Severi verba ſunt) *Regis autoritate ſubnixis, quem ſibi pravis adulationibus devinxerant.*] Indè Imperator (ait Athanaſius) *ſi quando videbat accuſatores hærere & perplexos eſſe, eorum ipſe vices ſubibat. Hic enim cognitâ Paulini, Luciferi, Euſebii, Dionyſii Epiſcoporum libertate, docentium ex pœnitentiâ Vrſacii & Valetis falſos eſſe Athanaſii criminatores; neque ulteriùs habendam eſſe fidem Urſatij Valentiſque dictis, quæ ſuâ ipſi pœnitentiâ revocaverant; è veſtigio aſſurgens ita locutus eſt: Ego ſum Athanaſii accuſator, meo nomine illis credite.* Nec hoc dixiſſe contentus, *vocatis ad ſe Epiſcopis* (ſubdit paulò pòſt idem Athanaſius) *juſſit ut contra Athanaſium ſubſcriberent; & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus novum ejus ſtudium, dicentibusque, id non eſſe Eccleſiaſtici Canonis, ſtatim ſubjecit: At quod ego volo pro Canone ſit; ita enim me loquentem Syriæ Epiſcopi ſuſtinent. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules eſtote.* Cumque illi ſuas liberè rationes proponerent, & Judicium Dei denuntiarent, plura dicere non permiſit. *Excuſſo igitur Sancti pulvere, nec Cæſaris minas veriti, exilium ceu miniſterii ſui officium acceptarunt; pergentes de loco in locum, & licet in vinculis eſſent, Evangelizantes, Arrianamque hæreſim damnantes*; tanto majore fructu, quanto longioris intervalli exilium erat.] Iſta & longè plura Athanaſius. qui Paulinum Trevirenſem bis aut ter ceu præſentem huic Synodo infert, Rufino Socratique conſentiens. Ter certè Paulinum ſcilicet cum Lucifero, Euſebio, Dionyſio jungit: qui in Mediolanenſi tantùm Synodo damnati ſimul ſunt. Epiſt. ad Solit.

Maximè Conſtantius Imp.

Qui Epiſcopos Orthodoxos exilio multat.

Paulinum Trevirenſem.

9. Prorſus uti vel in Arelatenſi Synodo planè damnatus non ſit, ſed ad Synodum generaliorem remiſſus, ſi interim fortè reſipiſceret; vel ſi relegatus ſit, iterum revocatus fuerit; & in Athanaſii damnationem blandimento ſollicitatus; ut loquitur Hilarius. Cui cùm ſubſcribere nollet, *in Phrygiam relegatus* primùm eſt, *tum ad mortem uſque demutatus & exilüs extra Chriſtianum quoque nomen fatigatus; ne panem aut de Conſtantii horreo ſumeret, aut de Montani Maximillæque* (Cataphrygum) *antro profanatum expectaret.*] In Phrygia enim exulem tandem deceſſiſſe Paulinum, anno Chriſti 358. id eſt tertio ab hinc vertente anno, tradit in Chronico Hieronymus. ejus memoriam ceu glorioſi Martyris quotannis Eccleſia recolit ultimo die Auguſti. Succeſſoremque ei dant Bonoſium. Similiter *in Dionyſii Mediolanenſis expulſi locum, ſtatim* (ait Severus) *Epiſcopus ſubrogatur.* quem Auxentium fuiſſe, ſequentia docebunt. Ita expulſi Sancti iſti; licèt & ipſi & alii *parati eſſent* (ait Severus) *Athanaſium à communione ſuſpendere, modò de fide inter Epiſcopos quæreretur. Sed Arrianis optimum viſum, præſtantiſſimos viros à certamine ſubmovere.* Epiſcoporum reliquorum pleroſque ſuam in ſententiam pertraxit Conſtantius, ratus Athanaſij damnatione quietem fore. Simul edicit, uti Provinciarum Rectores Orthodoxos omnes cum Arrianis Epiſcopis, in Orthodoxorum locum ab ſe ſubſtitutis, communicare compellerent. Quam quidem perſecutionem ſanè violentam, in noſtrates quoque Belgas Epiſcopos Paulino Trevirenſi partim addictos manaſſe, ego quidem vix dubito. Ita unius perſonæ quæſita damnatio, in fidei quoque ſubverſionem tranſiit. ut & diſertè notat Lucifer Calaritanus, dum ab Arrianis in hac etiam Synodo Orthodoxis inculcatum ſcribit: *Derelinquite fidem, quam apud Nicæam contra nos tenetis conſcriptam. acquieſcite Arii doctrinæ; quia nos multùm poſſumus; Imperium noſtrum eſt; quibus velimus vos modis gravabimus; & omnes tollemus è veſtris Sedibus.*] Ruerunt ergo non pauci. ſtetere tamen nonnulli.

Luciferum item, Euſebiū & Dionyſium.

Hilar. cōtra Conſtantiū.

Paulini Trevirenſis in Phrygiâ mors.

Perſecutio violenta.

10. Synodo hoc modo finitâ, *Lentienſibus Alemannorum pagis*, qui ad Danubii fontes maximè porrigebantur, *indictum eſt bellum*, ait Ammianus,

Bellum in Lentienſes Alemannos.

collimi-

collimitia ſæpè Romana latiùs irrumpentibus. Ad quem procinctum Imperator Mediolano *egreſſus, in Rhetias campoſq́, venit caninos.* ad Ticini fluvii ſuperiora ſitos, *in quibus* (ait Greg. Turonenſis lib. 10. c. 3.) *jacet Bilitio caſtrum*, hodiè *Belinzona*, citra D. Gothardi montem. *Et digeſtu diu conſiliis viſum eſt honeſtum, ut Arbetio* hujus anni 355. Conſul ordinarius, & *Equitum Magiſter cum validiore exercitûs manu relegens margines lacus Brigantiæ* (ad quem ſcilicet Lentienſes ferè pertingebant) *contra eos pergeret, barbaris protinus congreſſurus.* Arbetio exploratorum ſuorum reditum non expectans, *in occultas delatus inſidias*, non paucos ſuorum cædi fugæque expoſuit. Mox eoſdem victoria inſolentes & incautos aggreſſurus, magna clade viciſſim affecit, ſuorum fugâ abundè penſatâ. An huic quoque bello S. Martinus interfuerit, quæri forte poſſet; quando ſecundus ab ejus baptiſmo hic annus eſt, quo militiam adhuc ſecutum illum ſcribit Severus. Verùm cùm ille tùm inter Sylvani copias in Belgica, Rheno inferiori non ita procul ageret, vereſimiliùs exiſtimo non interfuiſſe; quando Sylvanus ipſe Dux, Transrhenanum hoſtem deſerere commodè non potuerit, Coloniæ Agrippinæ ut plurimum degens; & jam tum apud Conſtantium invadendæ tyrannidis ab æmulis accuſatus; ac Conſtantii præſentiam horrens. Pergit enim Ammianus: *Hoc exitu prælio terminato, Imperator Mediolanum ad hiberna ovans revertit & lætus.* ubi de Sylvani rebellis interitu mox intellexit. de qua jam dicendum.

CAPUT III.

Sylvani Coloniæ Agrippinæ cædes.

Eodem Anno 355.

1. QVæ tria ſuperiore capite narrata ſunt, Galli Cæſaris nimirum interitus; tum Mediolanenſis Synodus tot Sanctorum Epiſcoporum exilio fœdè terminata; denique bellum adverſus Lentienſes Alemannos; priore hujus anni Chriſti 355. parte contigerunt. Sequuntur & alia tria, poſteriore ejuſdem anni patrata; Sylvani cædes; Liberii Papæ Romani relegatio; & Juliani ad Cæſaris dignitatem evectio. quæ hoc & ſequenti capite ſigillatim exequar.

Sylvanus Coloniæ Agrippinæ degit.

2. Ac Sylvani quidem cædes maximè ad Belgium pertinet, utpote Coloniæ Agrippinæ patrata, jubente Conſtantio. Eam tangunt fere omnes, Hieronymi Chronicon, Victor uterque, Eutropius, Oroſius, Socrates, Sozomenus, &c. Omnium diſtinctiſſime fuſiſſimeque Ammianus; ex quo breviter & clarè retexemus. Coloniæ Agrippinæ plerumque agitabat contra Francos Tranſrhenanos Sylvanus, licèt & ipſe ſi non animo, tamen origine Francus; *pedeſtris militia Rector*, aut ut Julianus ipſe, *Galliarum Præfectus.* Unde Gallias etiam ſubinde ex re publicâ diſcurſabat, & barbaros ſibi jam diffidentes ac trepidantes propellebat. Actuarius ſarcinalium Principis jumentorum (Dynamius quantum ex ſequentibus perſpicitur) commendatitias ab eo ad amicos petierat, quaſi familiaris ejuſdem notiſſimus. Eas facilè & ſimpliciter, nihil mali ſuſpicans Sylvanus conceſſit. At acceptas ille litteras ſervabat, ut pernicioſum aliquid in tempore moliretur. Verſutus igitur & in fallendo exercitatus, fraudem comminiſcitur impiam, ſubornatore & conſcio Lampadio Præfecto (credo Prætorii) & Euſebio excomite rei privatæ, atque Ædeſio eamagiſtro memoriæ, quos ad Conſulatum (opinor extraordinarium) ut amicos junctiſſimos, idem curaverat ſubrogari Præfectus. & peniculo ſeriè literarum abſterſâ, ſolâ incolumi relictâ ſubſcriptione, alter multùm à vero illo diſſonans ſuperſcribitur textus; velut Sylvano rogante verbis obliquis, hortanteque amicos, agentes intra palatium, vel privatos (inter quos & Thuſcus erat Albinus aliique plures) ut ſe altiora cœptantem, & propediem ſolium Principis aditurum juvarent. Hæc cum aſtu texiſſet Dynamius, conſiſtorium Imp. ſolus ingreſſus eſt intimum; lectaque in eâ conſarcinatâ materiâ, vitam pulſabat inſontis. Ita Tribuni (Sylvani ſcilicet, amici intra Palatium agentes; ad quos ille ſcripſiſſe, fingebatur) juſſi ſunt cuſtodiri; & de Provinciis duci privati, quorum Epiſtolæ nomina deſignabant.

A Dynamio proditur.

Falſatis literis.

3. Hujus iniquitate rei percitus Malarichus gentilium Rector (& ipſe Francus ut ex nomine officioque ſatis paret, Sylvano proinde conjunctus ut popularis, ſi non & parens) Collegis adhibitis ſtrepebat immaniter; circumveniri homines dicatos Imperio per factiones & dolos minimè debere proclamans. Petebatque, ut ipſe relictis obſidum loco neceſſitudinibus ſuis; Mallobauda armaturarum Tribuno ſpondente quòd remearet velociùs; (& hunc Francum nomen ſonat) juberetur ire Coloniam, ducturus ad Imperatorem Sylvanum, nihil tale aggredi conatum, quale inſidiatores acerrimi concitarent. Vel contrà, ſe paria promittente, Mallobaudem orabat. properare permitti, hæc quæ ipſe pollicebatur impleturum. Teſtabatur enim id ſe procul dubio ſcire; quòd ſi quis mitteretur externus (Sylvano non amicus, non popularis, aut incognitus) ſuopte ingenio Sylvanus, etiam nulla re perterrente timidior, compoſita ſeu pacata fortè turbaret. Utilia monebat & neceſſaria: ventis tamen loquebatur incaſſum. Vides hic (quod notat Ammianus lib. 15. cap. 10.) quanta floreret in Palatio Francorum multitudo, Certè præter hoſce duos Malarichum & Mallobaudem, nominat inſuper Ammianus lib. 14. 15. &c. *Bapponem* Promotorum ductorem; *Teutomerem* Protectorem Domeſticum, Principiſve Stipatorem; *Baınobaudem* Scutariorum Cornutorumque Tribunum; *Semaucum* Turmæ Equeſtri præpoſitum. & alios: quos in hoc Sylvani caſu non tacuiſſe nihil dubium. Verùm, ut pergit Ammianus, ventis loquebantur incaſſum. Namque Arbetione autore (Sylvani ſcilicet æmulo, ut paulo ſuprà Ammianus) Apodemius ad eum vocandum cum litteris mittitur, bonorum omnium inimicus diuturnus & gravis; qui diffidens à mandatis, nec viſo Sylvano, nec oblatis ſcriptis ut veniret admonito, in Galliis remanſit. adſcitoque Rationali, quaſi proſcripti jamque necandi Magiſtri peditum Sylvani clientes & ſervos hoſtili timore vexabat.

Unde alii Franci Romanis addicti indignãtur.

Malarichus

Mallobaudes.

4. Inter hæc tamen, dum præſentia Sylvani ſperatur, & Apodemius quieta perturbat; Dynamius, ut argumento validiore impiè ſtructorum

Nova Dynamii fraus.

aſſereret fidem; compoſitas litteras alias his concinentes, qnas obtulerat Principi Conſtantio per Præfectum Lampadium; miſit ad Tribunum fabricæ Cremonenſis, nomine Sylvani & Malarichi; à quibus, ut & arcanorum conſcius, monebatur parare properè cuncta. Qui quum hæc legiſſet, hærens, & ambigens diu quid id eſſet (neque enim meminerat ſecum aliquando ſuper negotio ullo interiore hos, quorum litteras acceperat, collocutos) Epiſtolas ipſas per bajulum qui portarat, juncto milite ad Malarichum miſit, obſecrans ut doceret apertè quæ vellet, non ita perplexè. nec enim intellexiſſe firmabat ut ſubagreſtem & ſimplicem, quid ſignificatum eſſet obſcuriùs. Hæc Malarichus ſubitò nactus, etiam tunc ſqualens & mœſtus, ſuamque & popularis Sylvani vicem graviter ingemiſcens; adhibitis Francis (quorum eâ tempeſtate in Palatio multitudo florebat) erectiùs jam loquebatur tumultuabaturque, factis inſidiis retectaque jam fallaciâ per quam ex confeſſo ſalus eorum

Inquirit Conſtantius Imp.

appetebatur. His cognitis ſtatuit Imperator diſpicientibus conſiſtorianis & militaribus univerſis, in negotium perinquiri. Quumque Judices faſtidiſſent, Florentius Nigriani filius agens tunc pro Magiſtro officiorum, contemplans diligentiùs ſcripta, apicumque priſtinorum reliquias quaſdam reperiens, animadvertit tum factum ex priore textu interpolato longè alium, quàm dictarat Silvanus, ex libidine conſarcinatæ falſitatis adſcriptum. Proinde fallaciarum nube diſcuſsâ, Imperator doctus geſta relatione fideli, Præfectum (credo Lampadium) ſtatui ſub quæſtione præcepit. Sed abſolutus eſt coitâ conſpiratione multorum. Suſpenſus autem (in eculeo) Euſebius ex comite privatarum, ſe conſcio hæc dixerat concitata. Ædelius enim neſciſſe quid actum ſit, pertinaci inficiatione contendens, abiit innoxius. Et ita

Fruſtrà.

finito negotio, omnes ſunt abſoluti, quos exhiberi delatio compulit criminis. Dynamius verò, ut præclaris artibus illuſtratus, cum Correctoris dignitate regere juſſus eſt Tuſcos.

Sylvanus anxius tandem Imperium occupat.

5. Agens inter hæc apud Agrippinam Sylvanus, aſſiduiſque ſuorum compertis nuntiis, quæ Apodemius in labem ſuarum ageret fortunarum; & ſciens animum tenerum verſabilia Principis Conſtantii, timens ne abſens & indemnatus perageretur reus; in difficultate poſitus maximâ, barbaricæ ſe fidei Francorum committere cogitabat. Sed Laniogaiſo vetante, tunc Tribuno, quem dum militaret candidatus, ſolùm adfuiſſe morituro Conſtanti ſuprà retulimus; docenteque Francos, unde oriebatur, interfecturos eum, aut accepto præmio proditaros; nihil tutum ex præſentibus ratus, in conſilia cogebatur extrema. Et ſenſim cum Principiorum verticibus ſecretiùs collocutus; iiſdemque magnitudine promiſſæ mercedis annixis; cultu purpureo à Draconum & vexillorum inſignibus ad tempus abſtracto, AD CULMEN IMPERIALE ſurrexit.

Quo nuntio Conſtantius perculſus.

6. Dumque hæc aguntur in Galliis, ad Occaſum inclinato jam die, perfertur Mediolanum (quò ad hiberna Conſtantius jam maturè redierat) inſperabilis nuntius, apertè Sylvanum demonſtrans, dum ea Magiſterio peditum altiùs nititur, ſollicitato exercitu ad Auguſtum culmen evectum. Hac mole caſûs inopini Conſtantio icto, quaſi fulmine fati, Primates conſilio ſecundâ vigiliâ convocato, properarunt omnes in Regiam. Cúmque nulli, ad eligendum quid agi deberet, mens ſuppetere poſſet aut lingua; ſubmiſſis verbis perſtringebatur Urſicini mentio, ut conſiliis rei bellicæ præſtantiſſimi, fruſtraque gravi injuriâ laceſſiti. Niſibin in Meſopotamiâ contra Parthos ſive Perſas jam antè defenderat Urſicinus equitum Magiſter; inde à Conſtantio primùm ad lites in Oriente ſive Syria ſub Gallo tunc ferociente diſpiciendas; paulo poſt

Amm. l. 14. c. 28. 34. 35.

etiam, ante Gallum Cæſarem, Mediolanum accitus erat. Ubi poſt Galli cædem & ipſe in crimen læſæ Majeſtatis arceſſitus, tanquam Imperium in Syria cum filiis ambiiſſet, Arbetione partim accuſatore tunc nimis in aula potente; parum abfuit quin indemnatus occideretur. conſilio in lenitudinem flexo interim dilatus fuerat.

Ammianus l. 15. c. 2.

Inopinata hæc Sylvani defectio hominem non ſervavit modò, ſed & altiùs evexit: Dum enim Conſiliarii eum ſubmittendum muſſitant; ſubitò per admiſſionum Magiſtrum (qui mos eſt honoratior) accito eodem & ingreſſo conſiſtorium, purpura offertur; ſeu adorandi Principis fit poteſtas, ſi contra Sylvanum properare vellet. Ita is, qui paulò antè cum inſectatione malevolâ, Orientis vorago, invadendæque

Urſicinum Sylvano opponit.

ſummæ rei per filios adfectator compellabatur, tunc Dux prudentiſſimus, & Conſtantini Magni commilito fuiſſe prædicabatur. ſolusque ad extinguendum Tyrannum probis quidem, ſed inſidioſis rationibus petebatur. Diligens enim opera navabatur, aut Sylvanum extingui, ceu fortiſſimum perduellem; aut ſi ſecus accidiſſet, Urſicinum exulceratum jam penitus aboleri, ne ſupereſſet ſcrupulus impendio formidandus. Igitur cùm de profectione celerandâ diſponeretur, crimina ſibi objecta propellere parabat Vrſicinus. ſed prægreſſus oratione leni prohibuit Imperator; non id eſſe memorans tempus; quo potius omnes in priſtinam concordiam reſtitui neceſſitas urgeret.

Urſicinus cum Ammiano Coloniam tendit in Sylvanum.

7. Habitâ igitur deliberatione multiplici, potiſſimùm tractabatur, quo commento Sylvanus rebellionem ſuam etiamnum ab Imperatore ignorari exiſtimaret. & probabili argumento ad firmandam fidem reperto, litteris honorificis admonetur, ut accepto Vrſicino ſucceſſore, cum poteſtate rediret intactâ. Poſt hæc ita digeſta, protinus jubetur exire Tribunus, nempe Vrſicinus; protectoribus domeſticis decem, ut poſtularat, ad juvandas neceſſitates publicas ſecum junctis. Inter quos Ammianus quoque ipſe ſe fuiſſe dicit, cum Veriano collega: reliqui omnes propinqui & familiares, qui illum per longa ſpatia deduxerunt, Mediolano ſcilicet Coloniam uſque. Et feſtinabat itineribus magnis ambitioſus Magiſter armorum Urſicinus, ut ante allapſum per Italicos de tyrannide ullum rumorem, in ſuſpectis Ubiorum finibus appareret. Verùm curſim nos properantes aërea quædam antevolans prodiderat fama. Et Agrippinam ingreſſi, invenimus cuncta noſtris conatibus altiora: Namque convenâ undique multitudine trepidæ rebellionis cœpta fundante, coactiſque copiis multis pro ſtatu rei præſentis, id aptius videbatur; ut ad Imperatoris novelli Sylvani, per ludibrioſa auſpicia virium acceſſus firmantis, ſenſim ad voluntatem Urſicinus ceu Dux flebilis verteretur. quo variis aſſentandi figmentis in mollius urgente ſecuritate, nihil ille metuens hoſtile deciperetur. Igitur ad Sylvanum admiſſus; adactuſque ex rei negotio

ſolemni-

Simulat ſe cum Sylvano ſentire.

ſolemniter eum adorare, non leviter modò ſuſceptus eſt: ſed etiam ut Spectabilis coli cœptus; & intimus facilitate aditûs; honoreque menſæ Regalis adeo antepoſitus aliis, ut jam ſecretiùs de rerum ſummâ conſultaretur. Ægrè ferebat Sylvanus, ad Conſulatum poteſtatesque ſublimes elatis indignis, ſe & Urſicinum ſolos, poſt exſudatos magnos pro Rep. labores & crebros, ita fuiſſe deſpectos; ut ipſe quidem Sylvanus, per quæſtiones familiarium, ſub diſceptatione ignobili, crudeliter agitatus, commiſiſſe in Majeſtatem arceſſeretur. Alter verò *Urſicinus*, ab Oriente raptus, odiis inimicorum addiceretur. Et hoc aſſiduè clàm querebatur & palàm.

Braccatos ac Cornutos ſibi adjungit.

8. Terrebant nos tamen, cùm dicerentur hæc & ſimilia, circumfrementia undique murmura cauſantis inopiam militis Sylvaniani; & rapidâ celeritate ardentis anguſtias Alpium perrumpere Cottiarum. quo ſcilicet Conſtantium Mediolani opprimeret imparatum. In hoc æſtu mentis ancipiti, ad effectum tendens conſilium occultâ ſcrutabamur indagine. Sederatque tandem mutatis ſæpè præ timore ſententiis; ut quæſitis magnâ induſtriâ cautis rei miniſtris, obſtricto religionum conſecratione colloquio, Braccati ſollicitarentur atque Cornuti, fluxioris fidei, & ubertate mercedis ad momentum omne verſabiles. Firmato itaque negotio, per ſequeſtres quoſdam gregarios, obſcuritate ipſâ ad patrandum idoneos, præmiorum expectatione accenſos; Solis ortu jam rutilo, ſubitus armatorum globus erumpit. atque ut ſolet in dubiis rebus audentior, cæſis cuſtodibus Regiâ penetratâ, Sylvanum extractum ædiculâ, quo exanimatus confugerat, ad Conventiculum ritûs Chriſtiani tendentem, denſis gladiorum ictibus trucidant. Ita Dux haud exilium meritorum, hoc genere oppetiit mortis: metu calumniarum quibus factione iniquorum irretitus eſt abſens, ut tueri poſſet ſalutem, ad præſidia progreſſus extrema. Licet enim ob tempeſtivam illam cum armaturis proditionem ante Murſenſe prælium, obligatum gratiâ retineret Conſtantium; ut dubium tamen & mutabilem verebatur: licèt patris quoque Boniti prætenderet fortia facta; Franci quidem, ſed pro Conſtantini partibus in bello civili acriter contra Licinianos ſæpè verſati. Evenerat autem, antequam hujuſmodi aliquid agitaretur in Galliis, ut Romæ in Circo Maximo populus (incertum ratione quadam percitus an præſagio) magnis vocibus exclamaret, Sylvanus devictus eſt. Hactenus Ammianus. Addunt Hieronymi Chronicon, Victor uterque Eutropius, & alii, *Octavo ac vigeſimo Imperii die, Legionum à queis præſidium ſperaverat, tumultu peremptum. Fuit*, ait Victor vulgaris, *ingenio blandiſſimus, & quanquam barbaro patre genitus, tamen inſtitutione Romanâ ſatis cultus & patiens.* neſcio an non & Chriſtianus, quando ad Chriſtianorum Eccleſiam perfugium quæſiviſſe dicitur. Felix omnino, ſi S. Martinum tunc ſub ſe militantem imitatus fuiſſet; eò certè miſeriarum præceps non iviſſet. locum interim ejus capeſſivit Urſicinus. Quæ omnia circa Septembrem hujus anni 355. geſta, ſeries docet hiſtoriæ; cùm paulò antè à Lætienſibus Alemannis Mediolanum ad hiberna rediiſſet maturè Conſtantius; uno minimùm menſe ante Julianum Cæſarem dictum; moxque in Gallias Sylvani loco miſſum. Biennium Sylvanus Galliæ, maximè Belgicæ, Magiſter armorum præfuit: tantæ autoritatis, ut Conſulatu ſe, non minùs quam alios plerosque Francos, in Palatio Imperioque Romano tum florentes, dignum exiſtimaret. Adeo Barbari tum, maximeque Franci, Romanam regebant militiam; in Romanas dignitates irrepebant, Romanis ipſis ignavis & elumbibus. Unde antequam tranſeo, hiſtoriam hic de quodam Franco, Conſtantii Candidato juvat intexere.

Qui Sylvanum in Chriſtianorũ ædiculâ trucidant.

Qualis fuerit Sylvanus.

CAPUT IV.

Francus quidam Conſtantii Imp. Candidatus, ab S. Hilarione dæmonio liberatus. Liberii Papæ exilium.

Francus Candidatus, dæmoniacus.

1. NARRAT in Hilarionis vitâ Hieronymus: *Candidatus quidam Conſtantii Imperatoris rutilus, comâ & candore corporis indicans provinciam (inter Saxonas quippe & Alemannos gens eſt, non tam lata quam valida: apud hiſtoricos Germania, nunc vero FRANCIA vocatur) antiquo ab infantiâ poſſeſſus dæmone; qui noctibus eum ululare, ingemiſcere, fremere dentibus compellebat; ſecretò ab Imperatore evectionem petiit; cauſam ei ſimpliciter indicans. & acceptis ad Conſularem quoque Palæſtinæ literis, cum ingenti honore & comitatu, Gazam* (ad Hilarionem) *deductus eſt. Qui cùm à Decurionibus illius loci quæſiſſet, ubi habitaret Hilarion Monachus; territi Gazenſes, & putantes eum ab Imperatore miſſum; ad Monaſterium adduxerunt; ut & honorem commendato exhiberent, & ſi quid ex præteritis injuriis in Hilarionem eſſet offenſa, novo officio deleretur. Deambulabat tunc ſenex in arenis mollibus, & ſecum de Pſalmis neſcio quid ſubmurmurabat. Videnſque tantam turbam venientem, ſubſtitit. Et reſalutatis omnibus, manuque eis benedicens, poſt horam ceteros abire præcepit; illum verò, cum ſervis ſuis & apparitoribus remanere: ex oculis enim ejus & vultu, cur veniſſet agnoverat. Statim ergo ad interrogationem Sancti ſuſpenſus homo, vix terram pedibus tangens, & immanè rugiens, Syro quo interrogatus erat ſermone reſpondit. Videres de ore barbaro, & qui Francam* (id eſt Teutonicam ſeu Germanicam) *tantùm & Latinam linguam noverat, Syra ad purum verba reſonare: ut non ſtridor, non aſpiratio, non idioma aliquod Palæſtini deeſſet eloquii. Confeſſus eſt itaque immundus ſpiritus, quo in eum intraſſet ordine. Et ut interpretes ejus intelligerent, qui Græcam tantùm & Latinam linguam noverant, Græcè quoque eum interrogavit. Quo ſimiliter & in verba eadem reſpondente, multáſque incantationum occaſiones & neceſſitates Magicarum artium obtendente: Non curo, ait, quomodo intraveris; ſed ut exeas, in nomine Domini* JESU *Chriſti impero. Cumque curatus eſſet, ſimplicitate ruſticâ decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit: audiens, quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.* Hæc Hieronymus.

Fráciа inter Saxonas & Alemãnos.

Venit ad S. Hilarionem.

Syriacè Græcèque loquitur.

Ab Hilarione curatur.

Quid inde colligere poſſumus.

2. Ex quibus erui poſſunt pluſcula. Primùm, Francos tunc *comâ rutilos, & candore corporis indicaſſe provinciam ſuam*, nempe Septentrionalem & hodiernam ferè Weſtphaliam. Nec non ex more comatos fuiſſe. Tum verò, Candidatum hunc fuiſſe è Scholaribus Imperatoris unum, qui ob

corporis vaſtitatem de cuſtodiâ Principis eſſe ſolebant. Nobilem item, & è præcipuis; qui tantum comitatum, evectionem publicam mereri, & denas Hilarioni auri libras offerre potuerit. Chriſtianum quoque arguit tanta de Hilarionis ſanctitate æſtimatio & inquiſitio, ſpesque ab eo ſanitatis. Unde plures tum Francos, maximè qui in Palatio Romanisque militabant, Chriſti fide imbutos intelligimus. Quod autem Françam cum tantùm ſeu Germanicam, & Latinam noviſſe linguam notat Hieronymus; vereor ut non tam Conſtantii, quàm Conſtantis ejus fratris Candidatum ſcripſerit. Quomodo enim in Conſtantii Græcorum Imperatoris Palatio degens Græcè neſciret? Niſi fortè recens victo Magnentio inter Conſtantii Scholares adſcitus fuerit: dum ille fratris Conſtantis familiam ad ſe recepit. Conſtans certè ſemper in Occidente egit; & barbararum *gentium* (Francorum præſertim) *obſides pretio quæſitos pueros venuſtiores cultius habuiſſe* traditur à Victore Schotti. Denique quod præcipuum eſt, diſcimus *Franciam* eo tempore trans Rhenum *Saxonas inter & Alemannos ſitam* fuiſſe: & quidem, *non tam latam quàm validam.* Nempe inter Lonam & Iſalam fluvios, ob Haſſia hodierna ſecus Rhenum ad Friſiam uſque, & ad Oceanum. Nam Holandiã Zelandiamque hodiernas à Saxonibus mare infeſtantibus nondum occupatas, è Zoſimo mox conjiciemus. Sed nunc è diverticulo in viam; ut Sylvani reliqua videamus.

Conſtantius in Sylvani domeſticos humanus.

3. Cæſi Sylvani amicos benignè tractaſſe Conſtantium, autor eſt oratione 1. & 2. finiente Julianus Apoſtata tum vivens & ſcribens: Quin & ejuſdem filium adhuc infantem, obſidem a patre ultrò ſibi relictum, nihil de paterno ſupplicio ſentire paſſum eſſe. Addit tamen clementiam iſtam illis dumtaxat indultam, qui nullius cum eo ſceleris participes fuerant. aptè ad Ammianum, qui de conſciis ſic tradit:

Ejus ex Sylvani cæde faſtus.

Princeps inæſtimabili gaudio Sylvani cæde cognitâ, inſolentiâ coalitus ac tumore, ut jam cælo contiguus, caſibus imperaturus humanis, fallu ſuſſlabatur adulatorum, quos augebat ipſe: ut etiam quædam ſcriberet de Gallicanis intercepta theſauris, quos nemo attigerat. Jamque poſt ſecuritatem quæſtiones agitabantur; & vinculis catenisque plures ut noxii plectebantur. Et inquirentibus in negotium Conſiſtorianis atque militaribus, Proculus admovetur eculeo, Sylvani domeſticus, homo gracilis & morboſus: metuentibus cunctis, ne vi nimia tormentorum, levi corpore fatigato, reos atrocium criminum promiſcuè citari faceret multos. Verum contra quam ſperatum eſt contigit. Memor enim ſomnii, quo vetitus erat per quietem, ut ipſe firmavit, pulſare quemquam inſontem; uſque ad confinia mortis vexatus, nec nominavit nec prodidit aliquem. Sed adſerebat factum Sylvani conſtanter; id eum cogitaſſe quod tuit, non cupiditate, ſed neceſſitate compulſum, argumento evidenti demonſtrans.

Sylvanus purgatur.

Cauſam enim probabilem ponebat in medio, multorum teſtimoniis claram. Quod die quinto antè quam inſulas ſuſciperet principatûs, donatum ſtipendio militem, Conſtantii nomine adloqutus eſſet, ut adhuc fidus. nam ſi imperium præſumpſiſſet, auri tam grave pondus expenſurus fuiſſet ut ſuum. Poſt hunc Pæmenius raptus ad ſupplicium interiit. Qui (ut ſuprà retulimus) quum Treviri civitatem Cæſari clauſiſſent Decentio, ad defendendam plebem electus eſt. Tum Aſclepiodotus & Lutto, & Mandio Comites interempti ſunt (Franci ut nomen indicat) *aliique plures.* nonnulli haud dubiè è Belgis, qui Sylvano Præfecto ſuo aut

Poemenius & alii cæſi.

conſenſerant, aut conſenſiſſe deferebantur. S. Martinum ei ſe conſpirationi non miſcuiſſe, ſatis arguit ſanctitas ejus. potius è caſu tam tragico, acrius mundi faſtidium hauſiſſe, penè certo meditatio eſt.

4. Sequitur Liberii Romani Pontificis exilium. ad quod non parum contuliſſe videtur eadem Sylvani cædes. Occinebant ſcilicet Conſtantii ſibi obnoxii auribus Ariani adulatores Epiſcopi; tanto uberiùs ac pleniùs in eum beneficiorum Dei manare perennareque profluvium, quanto fidem Arrii tueretur atque diffunderet. Magnentium ecce ſtatim penitus exunctum, ſimulac primam Sirmii confeſſionem edidiſſet. Cui quidem pietati cùm Athanaſii damnationem, & Epiſcoporum Athanaſio hærentium exilium addidiſſet; ſuperaddidiſſe quoque Deum tam ſubitam, tam incruentam Sylvani cædem. Quis non videret Deum ejus cœpta tot proſperis eventibus non obſignare modò, ſed & ut ad finem planiſſimè perducantur, novo quaſi jure exigere? Pergeret igitur animosè; & ſi ingratus eſſe nollet, quod factionis iſtius reſtaret unicum ac principale caput, amputaret Liberiũ Romanũ Pontificem, niſi & hic in Athanaſii damnationem concederet. Currenti calcar addendum non fuit. Evocatur Mediolanum Româ Liberius: & cùm non cederet, in exilium pellitur. Ejus cum Conſtantio hac de re diſputationem fusè texit Theodoretus, ubi Sylvani cædem jam patratam disertè exprimit. Eum tu vide. Nobis hic ſatis erit Ammianum audire, tametſi ſcriptorem externum:

Liberius Papa a Cõſtantio in exilium miſſus.

Arrianis urgentibus.

Urbis Romanæ Præfecturam (ait) *adminiſtrante Leontio; Liberius Chriſtianæ Legis Antiſtes à Conſtantio ad Comitatum* (qui tunc Mediolani) *mitti præceptus eſt. tanquam Imperatoris juſſis, & plurimorum ſui conſortii decretis obſiſtens; in re, quam brevi textu percurram. Athanaſium Epiſcopum eo tempore apud Alexandriam ultra profeſſionem altius ſe efferentem, ſciſcitarique conatum externa* (ut prodidere rumores aſſidui) *coetus in unum quæſitus ejuſdem loci multorum* (Synodus, ut appellant) *removit a Sacramento, quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum ſortium fidem quæve augurales portenderent alites, ſcientiſſimè callens, aliquoties prædixiſſe futura. Super his intendebantur et alia quoque a propoſito legis abhorrentia, cui præſidebat. Hunc per ſubſcriptionem abjicere ſede Sacerdotali, paria ſentiens ceteris, jubente Principe, Liberius monitus perſeveranter renitebatur: nec viſum hominem nec auditum damnare, nefas ultimum ſæpe exclamans: Apertè ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licèt ſciret impletum; tamen auctoritate quâ potiores æternæ Urbis Epiſcopi* (Nota) *firmare deſiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre* (populi metu, qui ejus amore flagrabat) *cum magnâ difficultate, noctu medio, potuit aſportari.* Berœam Thraciæ relegatum habet Theodoretus. ubi & biennium exulavit.

Ammianus l. 15. c. 10.

Pontificis Romani præ ceteris auctoritas.

5. Ceterùm tantam Romani Pontificis ſupra ceteros Epiſcopos auctoritatem, non potuit Ethnicus Ammianus (Ethnicorum certè verbis ac ſenſu loquens) tam fidenter aſſerere, niſi valdè publicam, omnibusque etiam Gentilibus notiſſimam. quod longè efficaciſſimum eſt contra Novatores argumentum. Ita nonniſi ſeneſcente hoc anno Chriſti 355. puta circa Octobrem, ſi non & Novembrem, deportatus fuerit Liberius, ſuffecto interim ei Felice Archidiacono. præſertim cùm ad

Euſebium

Euſebium Vercellenſem Epiſcopum, alióſque Chriſti Confeſſores (in quibus & noſter Paulinus) prioribus hujus anni menſibus expulſos literas dediſſe conſolatorias apud Baronium legatur. quem hîc conſulere potes. Reliqua eſt Juliani in Cæſarem adoptio, de quâ proximo capite commodiùs.

CAPUT V.

Iulianus Apoſtata fit Cæſar. in Galliam, præſertim Belgicam mittitur: reſq́ contra Francos & Alemannos gerere incipit.

Fine anni 355. & anno 356.

Sylvani cæde Julianus Apoſtata factus Cæſar.

1. VT Liberii exilio anſam præbuit Sylvani cædes, ita contrà Juliano Apoſtatæ Cæſaream contulit dignitatem. Erat Sylvanus ut dixi origine Francus è Tranſrhenanis barbaris, licèt in Imperio natus, ſimul peditum per Gallias Magiſter, adeò ut Galliarum etiam Præfectus à Juliano vocetur. eoque nihil dubium quin plures ſibi amicos addictóſve jam pridem conciliaſſet: in Francia autem Tranſrhenana multos adhuc conſanguineos ac clientes haberet. quorum numerum hauſtâ jam purpurâ veriſimiliter auxerat, & Magnentii contra Conſtantium, Conſtantini Magni contra Licinium exemplo, certis ſibi ſtipendiis officiisque militaribus adſtrinxerat. Ad hæc ex Provincialibus legionibusque Gallicanis copias non paucas, Ammiano teſte, contraxerat, quas & jurejurando ſibi devinctas lautioris ſpe fortunæ lactaverat. Quæ proinde cædem ipſius ceu parricidalem non potuerint non ægerrimè ferre, ut non minore ferè ſibi, quàm illi futuram exitio: Quod jam imminens, nihil niſi conſtans in cœptâ rebellione progreſſus, avertere poſſe videbatur. Ergo cum Francis Tranſrhenanis in Conſtantium Romanóſque conſpirare tutiſſimum viſum. Id ſatis innuit Ammianus ipſe, licèt hic juſto brevior. Nam primò notat, Sylvani percuſſorem Urſicinum, & Urſicini per hoſce ferè dies ſucceſſorem Marcellum, cum exercitu Gallicano, non ad Rhenanum Imperii limitẽ, ut in pace ſolebat, ſed in Rhemis, id eſt, in Belgicæ interioribus repertos à Juliano, quando anno ſequente jam Cæſar in Belgicam primùm ingreſſus eſt. argumento evidenti, Duces iſtos Urſicinum & Marcellum, cum exercitu reſiduo ab Sylvanianis copiis, Franciſque Tranſrhenanis longè ab Agrippinâ, ubi Sylvanus cæſus fuerat, & à Rheni tractu ad Galliarum intima, certè trans Muſam fluvium, fuſos fugatoſque. Quod rurſum confirmat pertinacior Coloniæ Agrippinæ obſidio, à Francis menſe ferè Octobri hujus anni inſtituta; & nonniſi captâ deletáque urbe ſoluta, decem ferè menſibus antequam à Juliano Cæſare reciperetur, ut Julianus ipſe teſtatur Epiſtolâ ad S.P.Q. Athenienſem. Adeo Romanus ex parte Francuſque miles junctis viribus in Sylvani ultionem incubuerat. Eaque cauſa, cur novus Cæſar, qui contra iret, creatus. de quo Ammianum audire juvat libro 15. cap. 20. 21. 22.

Franci quoque ea cæde irritati.

Amm. l. 15. c. 5.

Sicut & reliquæ Sylvani copiæ.

A quibus Colonia obſeſſa.

2. Conſtantium verò exagitabant aſſidui nuntii, deploratas jam Gallias indicantes, nullo renitente, Barbaris ad internecionem vaſtantibus univerſa. Nam barbari (ait Sozomenus l. 5. c. 2.) quos ante Conſtantius ad auxilium ſibi contra Magnentium ferendum mercede conduxerat, cùm nullo uſui ad eam rem fuiſſe ſe viderent, Galliam populari cœperant.] Et *jam innumera Germanorum multitudo* (ait ipſe Julianus tum præſens) *circum everſa per Gallias oppida commorabatur. Quorum numerus oppidorum ad 45. pervenerat, burgis & caſtellis minoribus omiſſis. Agri verò quem cis Rhenum obtinebant barbari, tantum erat ſpatium, quantum à fontibus illius ad Oceanum uſque porrigitur. Poſtremi autem illorum, ac finibus noſtris citimi, trecentis à Rheni ripâ ſtadiis diſtabant. Sed triplo adhuc amplior regio populationibus illorum & excurſionibus vaſta erat & inculta: ubi ne paſcendi quidem poteſtas Gallis fieret. Erant & urbes aliquot oppidanis vacuæ, etſi nondum vicinos haberent barbaros.* Ita Julianus. Nec procul abit Mamertinus, eo quem ipſi Juliano dixit Panegyrico, tum Conſul exiſtens anno Chriſti 362. *Florentiſſimas quondam antiquiſſimáſque urbes Barbari poſſidebant. Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis ſerviebat. Porro aliæ, quas à vaſtitate barbaricâ terrarum intervalla diſtulerant, Judicum nomine à nefariis latronibus obtinebantur; ingenua indignis cruciatibus corpora. Nemo ab injuriâ liber, nemo intactus à contumeliâ: niſi qui crudelitatem prædonis pretio mitigaſſet. Ut jam Barbari deſiderarentur & præoptaretur à miſeris fortuna captorum.* Hucuſque Mamertinus Conſul.

Magna Barbarorum ex Sylvani cæde in Gallias & Belgium irruptio.

Pluſquam 45. oppida capiunt.

3. Hanc ergo Galliarum calamitatem videns Conſtantius, *Æſtuabat diu* (rurſum Ammianus) *quâ vi propulſaret ærumnas. ipſe in Italia reſidens, ut cupiebat; periculoſum enim exiſtimabat ſe in partem contrudere longè dimotam; reperit tandem conſilium rectum. Julianum patruelem fratrem haud ita dudum ab Achaiâ accitum, etiam tum palliatum* (Athenis enim Philoſophum agebat) *in ſocietatem Imperii adſciſcere cogitavit. Id ubi urgente malorum impendentium mole, confeſſus eſt proximis; ſuccumbere ſe tot neceſſitatibus tamq́ crebris unum ſe (quod nunquam fecerat) apertè demonſtrans: illi in adſentationem nimiam eruditi infatuabant hominem; nihil eſſe ita aſperum dictitantes, quod præpotens ejus virtus, fortunáque tam vicina ſideribus, non ſuperaret ex more. Addebantque, deinceps caveri debere Cæſaris nomen, explicantes geſta ſub Gallo. His opponebat ſe Regina* (*Euſebia, ſummâ eruditione, ſupráque muliebrem ſexum prudentiâ*, ait Zoſimus) *incertum, migrationem ad longinqua pertimeſcens, an pro nativâ prudentiâ conſulens in commune: omnibusq́ memorans anteponi debere propinquum. Poſt multas ergo deliberationes, placuit* JVLIANVM *adſumere. Cum veniſſet accitus prædicto die*, ſtatim eum pro tribunali commilitio propoſitum purpurâ induit, Cæſaremque ſalutavit, *Arbetione Lollianoq́* Coss. *octavo Iduum Novembrium die.*

Unde Conſtantius Julianum patruelem, Cæſarem creat.

Euſebia Imperatrix pro Juliano.

4. *Deinde diebus paucis, Helenâ virgine Conſtantii ſorore eidem Cæſari conjugali fœdere copulatâ, paratuq́ univerſis quæ maturitas proficiſcendi poſcebat, comitatu parvo ſuſcepto* (militum nempè 360. ut ipſemet ait Julianus epiſtolâ ad S.P.Q. Athenienſem, pag. 510.) *Kalendis Decembris* (aut ut mox ait, *circa Solſtitium hibernum*) *egreſſus eſt. deductúſque ab Auguſto adusque locum duabus columnis inſignem. qui Laumellum interjacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos pervenit.*

Eíque Helenam ſororem uxorem dat.

Julianus Taurinum Mediolano venit.

Ubi Coloniam captã audit.

Ubi nuncio percellitur gravi. qui nuper in comitatum Auguſti perlatus, de induſtriâ ſilebatur, ne paratu diffluerent. Indicabat autem Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in ſecundâ Germaniâ, pertinaci Barbarorum obſidione reſeratam, & magnis viribus deletam. *Magnis* ait ecce *viribus*: quaſi non Francorum tantum urbi iſti, ipſis hucusque tam gravi, infeſtiſſimorum, ſed & legionum Sylvani necem in eâ patratam avidè vindicantium. *Quo mærore perculſus, velut primo adventantium malorum auſpicio, murmurans querulis vocibus ſæpè audiebatur, nihil ſe plus adſequutum; quàm ut occupatior interiret.*

Viennam ad Rhodanum venit.

5. *Cumque Viennam* (tranſgreſſis Alpibus, ad Rhodanum) *veniſſet*, ingredientem optatum quidem & *impetrabilem, honorificè ſuſceptura omnis ætas concurrebat & dignitas. proculque viſum plebs univerſa cum vicinitate, finitimâ, Imperatorem clementem appellans & fauſtum, prævia conſonis laudibus celebrabat, avidius pompam regiam in Principe legitimo cernens; communiumque remedium ærumnarum in ejus locabat adventu; ſalutarem quemdam Genium affulſiſſe conclamatis negotiis arbitrata. Tunc anus quædam orbata luminibus, cum percunctando quinam eſſet ingreſſus, Julianum Cæſarem comperiſſet, exclamavit hunc Deorum Templa reparaturum.*] Amm. Mirabile multis id viſum; nam ſcribit Eunapius, Julianum in Gallias venientem Deorum cultui addictum nemini notum fuiſſe. Ceterùm *Conſtantius naturâ inſidus*, (ait Zoſimus) *Julianum ſibi fidelem ac benevolum fore non credens, cum eo Marcellum & Salluſtium ablegavit; illis non Cæſari rerum in iis locis adminiſtratione creditâ.*]

Amm. l. 15. c. 22.

Juliani genus & ætas.

6. Erat tum Julianus *annos natus fere tres atque viginti*, teſte Victoris Epitome, cui ſuffragantur Eutropius, Eunapius, & Ammianus: licèt Sozomenus triennio ſeniorem ſtatuat. Julio Conſtantio, Cõſtantini Magni fratre, non uterino, ſed ex Theodora Maximiani Herculii privignâ orto Conſtantinopoli genitus. ut Ammianus lib. 20. §. matre Baſilinâ Chriſtianâ nobiliſſimâ. *Natalem* diem *Juliani* (credo hujus Apoſtatæ) notat Kalendarium Sylvii apud Bolandum in Prolegom. *octavo Idus Novembris*. id eſt, ſexta die Novembris. In Coſtantini morte tantùm quinquennis erat; eoque à Conſtantii carnificinâ ſervatus; poſtmodum ab Euſebio Nicomedienſi Arianâ hæreſi imbutus. Denique jam grandior in Clerum ultrò cum fratre Gallo adſcitus, ne Imperium affectare viderentur, ſicque cædis periculũ effugerát, ut pluribus apud Baronium Greg. Nazianzenus. Ac licèt cùm in Gallias venit Chriſtianum ſe, Catholicisque favere ſimularet, ut mox ex Hilario dicemus; ſecretò tamen Deos coluiſſe, noctuque ſurgentem occultè Mercurio ſupplicaſſe ſcribit Ammianus. Timori adhuc erat Conſtantius; & ſpes ſuberat eâ ſimulatione Gallos bene Catholicos, eoque à Conſtantio alieniores ſibi adjungendos. Quamdiu igitur in Galliâ Julianus egit, annos nimirum quinque; Religione ut interius gentili, ita & exteriùs Chriſtiana ſemper egit; ſic Orthodoxis quoque in ſpeciem addictus, ut contumeliæ nonnihil ab Arrianis, Hilario teſte, pateretur.

Baron. anno Chriſti 337. §. 11.

Julianus in Galliis Chriſtianum ſe ſimulat. Amm. l. 16. c. 6.

Annus Chriſti 356.

Julianus in hoſtẽ Viennâ movet.

7. *Anno proximo Chriſti* 356. Julianus Conſul, collegâ Conſtantio Auguſto octavum; paratis ad expeditionem omnibus, Viennâ in Barbaros movit; *provinciæ fragmenta, collecturus*, ut loquitur Ammianus lib. 16. cap 2. Juliani eâ de re verba paulò antè protulimus: quæ ita concludit: *Erant & urbes aliquot oppidanis vacuæ; etſi nondum vicinos haberent barbaros. His ergo calamitatibus vexatam & afflictam nactus Galliam, primùm Agrippinam recuperavit urbem ad Rhenum ſitam; quæ ante menſes circiter decem in poteſtatem hoſtium venerat.* Iſta Julianus. cui ſuffragantem Ammianum, & multa ex ipſo addentem jungere hic juvat. Julianus *agens negotioſam hyemem apud oppidum ante dictum* (Viennam) *inter rumores qui volitabant aſſidui, cùm comperiſſet Auguſtoduni civitatis antiquæ muros, ſpatioſi quidem ambitus, ſed carie vetuſtatis invalidos, Barbarorum impetu repentino inſeſſos, torpente præſentium militum manu, veteranos concurſatione pervigili defendiſſe; octavo Kalendas Julias Auguſtodunum pervenit, Barbaros ubi fors dediſſet aggreſſurus. Habitâ itaque deliberatione quodnam iter deligeretur ut tutũ; aliis per Arbor....... quibuſdam per Sedelaucum & Coram iri debere firmantibus.* Sed cum ſubſererent quidam *Sylvanum paulo antè Magiſtrum peditum, per compendioſas vias, verum ſuſpectas, quia tenebris multis umbrantur, cum octo auxiliarium millibus ægrè tranſiſſe, fidentiùs Cæſar audaciam viri fortis imitari magnopere nitebatur. Et ne qua interveniret mora, adhibitis Cataphractariis ſolis & Baliſtariis, parum ad tuendum Rectorem idoneis, percurſo eodem itinere Autiſſiodorum venit. Ubi brevi, ſicut ſolebat, otio cum milite recreatus, ad Tricaſſinos tendebat. Et barbaros in ſe catervatim ruentes, partim cùm timeret ut ampliores, confertis lateribus obſervabat; alios occupatis habilibus locis decurſu facili proterens; nonnullos pavore traditos cepit; reſiduos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes, quia ſequi non valebat gravitate præpeditus armorum, innocuos abire perpeſſus eſt. Proinde certiore jam ſpe ad reſiſtendum ingruentibus confirmatus, per multa diſcrimina venerat Tricaſſas; adeo inſperatus, ut eo portas penè pulſante, diffuſa multitudinis barbara metu, aditus urbis non ſine anxiâ panderetur ambage.*

Amm. init. lib. 16.

Auguſtodunum venit.

Eadem ac nuper Sylvanus via.

Autiſſiodorum, & Tricaſſes.

Inde Remos.

8. *Et pauliſper moratus* (Tricaſſibus) *dum fatigato conſulit militi, civitatem Remos nihil prolatandum exiſtimans petit. Ubi in unum congregatum exercitum, vehentem menſis cibaria juſſerat operiri præſentiam ſuam: cui præſidebat Urſicini ſucceſſor Marcellus, & ipſe Urſicinus, adusque expeditionis finem agere præceptus in iiſdem locis. Poſt variatas itaque ſententias plures, cum placuiſſet per Decempagos Alemannam aggredi plebem; denſatis agminibus tendebat illuc ſolito alacrior miles. Et quia dies humectus ac decolor vel contiguum eripiebat adſpectum; juvante locorum gnaritate, hoſtes tramite obliquo diſcurſo poſt Cæſaris terga, legiones duas arma cogentes adorti pæne deleſſent, ni ſubitò concitus clamor ſociorum auxilia coëgiſſet.*

Ubi eum expectabat exercitus cum Ducibus.

Movet in Alemãnos verſus Rhenum.

9. *Hinc & deinde nec itinera nec flumina tranſire poſſe ſine inſidiis putans, erat providus & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis ductoribus. opem ferre ſolet exercitibus & ſalutem. Audiens itaque Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Saliſonem, Nemetas, & Vangionas, & Moguntiacum civitates, Barbaros poſſidentes, territoria eorum habitare (nam ipſa oppida ut circumdata retibus luſtra declinant) primam omnium Brotomagum occupavit. Eique jam adventanti Germanorum* (indubiè Alemannorum) *manus pugnam intentans occurrit. Cùmque in bicornem figuram acie diviſâ, collato pede res agi cœpiſſet, exitióque hoſtes urgerentur ancipiti; captis nonnullis, aliis in ipſo prælii furore truncatis, reſidui diſceſſere, celeritatis præſidio tecti. Nullo itaque poſthac repugnante ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante*

Argentoratum, Nemetas, Vangionas, Moguntiacum.

Cæſaris

Broſtomagum quid?

Cæſaris in Gallias adventum exciſam.] Hactenus Ammianus. Broſtomagum in Triboccis ſeu Alſatis hodiernâ eſſe *Brumt* aut *Brumat*, Argentorato verſus Boream paſſuum millibus ſeptem, omnes paſſim exiſtimant. Hanc ergo, quia cis & proximè Rhenum ſita, primos Transrhenanorum impetus remoratura videbatur, primùm aggreſſus fuerit Julianus, gradum ad Rhenum inde facturus. *nec ullus poſthac repugnavit.*

10. Quin & Regii duo fratres, Gundomadus atque Vadomarius, *cujus erat domicilium juxta Rauracos*, ait Ammianus infrà lib. 18. Alemannorum Reges, è Rauracorum Montisque Briſiaci regione degentes, pacem à Conſtantio tunc ipſo, per Rhætias ab Italia & Mediolano, ubi tum agebat, urgente, impetraverunt, Cæſare Juliano proximo nuſquam elabi permittente, & finitimis aliis Alemannis à tergo prementibus; addit Ammianus, eodem libro 4. ſed anno ſequente. Unde collige Julianum hac expeditione, non Broſtomagum modò, ſed & Rhenanas ejus tractûs civitates, hic ab Ammiano nominatas, *Tabernas, Saliſonem, Nemetas, ſive Spiram, Vangiones hodie Vormatiam, & Maguntiacum recepiſſe.* Quod & Severus in vita S. Martini diſertè notat, ſcribens, hoſtes cum in Vangionibus pugnaturi viderentur ſequenti die *per legatos ſe ſuaque omnia dedidiſſe*; ac proinde quas occupsrant ad Rhenum in Germania ſuperiore civitates, Juliano reddidiſſe. Quare Ammianus proximè ſubdit: *Nullo itaque poſthac repugnante, ad recuperandam ire placuit Agrippinam.* quod circa Septembris finem factum infrà oſtendam. Quæ omnia ideo tam ſcrupulosè noto, ut mecum Lector advertat; hunc eſſe prorſus ad Vangiones Juliani procinctum, quo Sanctus Martinus tunc miles, ab eo miſſionem impetravit, & ad S. Hilarium Chriſto in poſterum militaturus acceſſit. de quo mox fuſiùs, ubi Juliani cetera hoc anno geſta pertexuero.

L. 16. c. 3.

S. Martinus miſſionem à Juliano impetrat.

11. Pergit igitur Ammianus: *Nullo itaque poſthac repugnante, ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante* Juliani *Cæſaris in Gallias adventum exciſam. Per quos tractus nec civitas ulla viſitur, nec caſtellum: niſi quòd apud Confluentes (locum ita cognominatum, ubi amnis Moſella confunditur Rheno) Rigomagum oppidum eſt* (hodie Rimagen) *& una prope ipſam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingreſſus, non ante motus eſt exinde, quàm Francorum Regibus furore miteſcente perterritis, pacem Reip. firmaret interim profuturam, & urbem reciperet munitiſſimam.* Mirum hæc tanta ab Ammiano tam ſtrictè perſtringi, cùm tamen & ipſe, ceu Urſicini contra Sylvanum Comes præſens adfuerit, & non parva cum ipſo pars extiterit. Nonnulla (& ſaltem tempus) ſupplet ipſe Julianus, Epiſtola ad Senatum Populumque Athenienſem, pag. 512. *Agrippinam*, inquit, *recuperavi, quæ ante menſes circiter decem in hoſtium poteſtatem venerat.* Circa Novembris exitum anno ſuperiore captam à Francis Agrippinam, ſuprà ex Ammiano monuimus. ab eo tempore ſupputati decem menſes in exeuntem hujus anni Septembrem deſinunt, quo celebris iſta Colonia recuperata eſt. Sed quomodo recuperata, cur & à quibus Francorum Regibus tam ſubitò deſerta ſit; quod ei præſidium, & quo Duce Julianus impoſuerit; nec Julianus ipſe tangit, nec Ammianus. *Pacem* illum *interim Reip. profuturam firmaſſe* ſcribit hic Ammianus: an in ipsâ recuperatione Civitatis; an paulò poſt, non dicit.

Coloniam Agrippinã Julianus recuperat.

Ubi cum Francis pacem facit.

12. Rhenum certè tunc ab Juliano trajectum, barbarosque ejus populatione vexatos, teſtatur, licèt id non niſi anno ſequenti, ex occaſione referat. *Anno*, ait, *nuper emenſo*, nempè hoc ipſo 356. *Romanis* (Duce hoc Juliano) *per Transrhenana ſpatia volitantibus, nec viſus eſt Barbarorum quiſquam laris ſui defenſor, nec obvius ſtetit. ſed concæde arborum denſâ undique ſemitis clauſis, ſidere urente brumali, ægrè vixere Barbari longiùs amandati. quodque Imperatore terras eorum ingreſſo, nec reſiſtere auſi nec apparere, pacem impetrarunt ſuppliciter obſecrantes.* Hæc ille cùm Juliani adverſus Chonodomarium pugnam anno proximè ſequenti factam deſcribit; ex æſtate, quæ brumale ſidus anni hujus excepit. Cúmque Julianus ipſe ſuprà pag. 514. ter ſe, cùm adhuc Cæſar eſſet, Rhenum trajeciſſe teſtetur, primum hunc illius trajectum huc referre neceſſe eſt, quando de duobus aliis infra diſertè teſtaturus eſt Ammianus. qui pergit:

Rhenũ trãſit Julianus circa Agrippinam.

Vide Henricũ Valeſiũ, pag. 127. in hũc Ammiani locũ §. 2.

Sidere brumali.

13. *Quibus vincendi principiis lætus, per Treviros, hiematurus apud Senonas oppidum tunc opportunum abſceſſit. Ubi bellorum inundantium molem humeris ſuis, quod dicitur, vehens, ſcindebatur in multiplices curas: ut milites qui à ſolito diſcrevere præſidio, reducerentur ad loca ſuſpecta* (Rheno ſcilicet adſita) *& conſpiratas gentes ad noxam Romani nominis disjectaret; ac provideret, ne alimenta deeſſent exercitui per varia diſcurſuro.* Alimenta ex Britanniis maximè petita, anno ſequente videbimus. Cur autem Senonibus potiùs quàm Treviris, ſolito Principum domicilio, Julianus hibernare voluerit; cauſam Ammianus innuere videtur; quòd *milites à ſolito deſcivisſent præſidio*, Barbarorum impetus incurſioneſque repentinas & acres veriti. Ita pavido trementeque milite præſidiario, Treviris hiberna ſua figere minus ſibi tutum ſecurumque credebat Julianus. Imò ne Senonibus quidem Rheno tantopere disjunctis, periculo caruit. Nam in Ammiano ſequitur.

In Senonibus hibernat Julianus,

Trevirorũ muris diffidens.

14. *Hæc ſollicitè perpenſantem hoſtilis aggreditur multitudo, oppidi capiundi ſpe in majus accenſa: ideò confidentes, quod nec Scutarios adeſſe, prodentibus perfugis, didicerant; nec gentiles per municipia diſtributos, ut commodiùs veſcerentur. Clauſa ergo urbe, murorumque intutâ parte firmatâ; ipſe cum armatis diu noctúque inter propugnacula viſebatur & pinnas, irâ exundante ſubſtridens; cùm erumpere ſæpè conatus, paucitate præſentis manûs impediretur.* De hac ſui obſidione ita Julianus ipſe ad S. P. Q. Athenienſem pag. 510. *Primo anno, cùm non malè* (ſic enim legendum) *adminiſtrata res eſſent, ubi ad hiberna redii* (nempe Senonas) *in extremum ſum diſcrimen adductus. Etenim copias mihi cogere non licebat; illudque erat alterius poteſtati commiſſum: & eram cum paucis concluſus. Tum vicinis urbibus auxilium petentibus, cùm eorum quos mecum habebam maximam partem miſiſſem, ſolus ſum relictus. & qui exercitibus præerat*, nempe Marcellus, non ſuccurrebat; ut jam dicet Ammianus: *Poſt triceſimum denique diem abiêre barbari triſtes; inaniter ſtultéque cogitaſſe civitatis obſidium muſſitantes. At quod indignitati rerum eſt adſignandum, periclitanti Cæſari diſtulit ſuppetias ferre Marcellus Magiſter Equitum, agens in ſtationibus proximis: cùm etiam ſi civitas abſque Principe vexaretur, oppoſitâ multitudine malis obſidionalibus expediri deberet.* Hinc Conſtantius Mediolani eâ de re certior factus, *Marcellum ſacramento ſolutum abire juſſit in larem.* qui Mediolanum veniens, conatus eſt ſe coram Conſtantio purgare; fruſtrà.

Juliani Senonibus periculum à Barbaris.

Cui non ſuccurrens Marcellus abdicatur.

Eutherio

Eutherio Spadone bono, à Juliano ſubmiſſo contra nitente & ſuperante. ſubdit idem Ammianus mox, capite 9. & 10. cui Julianus Epiſtola ad S. P. Q. Athenienſem pag. 510. 511. conformis, ait: *Qui exercitibus præerat, Marcellus, in ſuſpicionem apud Conſtantium adductus, in ordinem redactus eſt, ejúque abrogatum imperium, quod minimè viſus eſſet idoneus.* Erat autem Marcellus iſte Serdicâ oriundus. quo & remiſſus eſt, teſte eodem Ammiano, ſi quod in eo mendum eſt, tollitur in cap. 12. *Superato Marcello, reverſóque Serdicam unde oriebatur.* non *everſa Serdicâ*, ut male habent cuſi?

Juliani providentia, & virtutes.

15. *Hoc metu ſolutus efficaciſſimus Cæſar* (pergit Ammianus) *providebat conſtanti ſolicitudine, ut militum diuturno labori quies ſuccederet aliqua, licet brevis, ad recreandas tamen ſufficiens vires. quanquam ultimâ ſqualentes inopiâ terræ ſæpè vaſtatæ, exigua quadam victui congrua ſuggerebant. Verùm hoc quoque diligentiâ curato pervigili, affuſâ lætiore ſpe proſperorum, ſublato animo ad exequenda plurima conſurgebat.* Pergit deinde Ammianus Juliani virtutes recenſere: ut quod temperantiam ſibi induxerit, vili & fortuito cibo contentus; quod noctes ad officia divideret tripartita, quietis, publicæ rei, & Muſarum; quod abſque inſtrumento quoties voluit evigilavit; & nocte dimidiatâ ſemper exurgens, non ex plumis, ſed ex tapete, occultè Mercurio ſupplicabat, quem Mundi velociorem ſenſum eſſe, motum mentium ſuſcitantem Theologicæ prodidere doctrinæ. Poſt quæ ad procudendum ingenium vertebatur; per omnia Philoſophiæ membra diſputando currebat. Poëticam mediocriter & Rhetoricam, & noſtrarum externarumque rerum hiſtoriam hauriebat. Nec aberat Latinè quoque diſſerendi ſufficiens ſermo. *Ad ultimum exceptis victoriis quibus Barbaros fudit, adeò quoque profuit anhelantibus extremâ penuriâ Gallis; ut cùm primitùs partes eas ingreſſus pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos repeririſſet flagitari, diſcedens ſeptenos tantùm, munera univerſa complentes exigi curaverit. Ob quæ tanquam Solem ſibi ſerenum poſt ſqualentes tenebras affulſiſſe, cum alacritate & tripudiis Galli lætabantur. Denique id eum aduſque imperii finem & vitæ ſcimus utiliter obſervaſſe, ne per indulgentias quas appellant, tributaria res concederet reliqua. norat enim hoc facto ſe aliquid locupletibus additurum; cùm conſtet ubique pauperes inter ipſa dictorum exordia, ſolvere univerſa ſine laxamento compelli. Hæc per eum annum ſpe dubiâ, eventu tamen ſecundo, per Gallias agebantur.* Quæ & ſimilia plura Ammianus texit, in Juliani laudes effuſior. quod & Zoſimus facit. Nunc ad S. Martini miſſionem, & Hilarii exilium vertatur narratio; quando hæc eodem quoque anno 356. geſta ſunt.

Temperantia.

Vigilantia

Literarum & ſtudiorũ amor.

Belgium & Gallias levat tributis & Capitatione.

Unde Gallis gratus.

CAPUT VI.

Sanctus Martinus miſſionem à Iuliano impetrat. S. Hilarius agente Saturnino Arelatenſi, in exilium pellitur.

Eodem anno 356.

1. SAnctum Martinum notat in ejus vitâ Severus, non antè ſuam ab armis miſſionem impetraſſe, quàm ad Vangiones hujus anni procinctu Julianus acceſſiſſet. quod quidem non ante Julium contingere potuiſſe, ſic colligo. Julianus Ammiano teſte, ante octavum Kalendas Julias, ſeu 24. Junii diem Auguſtodunum minimè pervenit, ut ſuprà vidimus. Inde per Tricaſſes Romosque poſt aliquot quietis intervalla, ad Decempagos Rhenumque pervenit. Quare ante adultum Julium Vangionum fines inire commodè non potuit, neque proinde Martini miſſio contigiſſe. Severum audiamus: *Irruentibus intra Gallias Barbaris, Julianus Cæſar coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus. & ut eſt conſuetudinis, ſinguli citabantur; donec ad Martinum ventum eſt. Tum verò opportunum tempus exiſtimans quo peteret miſſionem (neque enim integrum ſibi fore arbitrabatur, ſi donativum non militaturus acciperet) Hactenus, inquit ad Cæſarem militavi tibi. patere ut nunc militem Deo, donativum tuum militaturus accipiat. Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum verò adverſus hanc vocem Tyrannus infremuit; dicens eum metu pugnæ, quæ poſterâ die erat futura, non Religionis gratiâ detrectare militiam. At Martinus intrepidus, imò illato ſibi terrore conſtantior, Si hoc, inquit, ignaviæ adſcribitur non fidei, craſtinâ die ante aciem inermis adſtabo; & in nomine Domini JESV, ſigno crucis, non clypeo protectus aut galeâ, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Retrudi ergo in cuſtodiam jubetur; facturus fidem dictis, ut inermis Barbaris objiceretur. Poſtero die hoſtes Legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeſeque dedentes, Unde quis dubitet, hanc verò beati viri fuiſſe victoriam, cui præſtitum ſit, ut inermis ad prælium mitteretur? Et quamvis pius Dominus ſervare militem ſuum, licèt inter hoſtium gladios & tela potuiſſet; tamen ne vel aliorum morte ſancti violarentur obtutus, exemit pugnæ neceſſitatem: Neque enim aliam pro milite ſuo Chriſtus debuit præſtare victoriam, quàm ut ſubactis ſine ſanguine hoſtibus nemo moreretur.*

Quando Miſſionem S. Martinus impetrârit.

Amm. l. 16. c. 2.

2. Hic Severus ſatis nos docet, quod tacuit Ammianus, Vangionum civitatem ceteraſque ad Rhenum finitimas, Argentoratum puta, Spiram atque Moguntiam, ultronea deditione ab Juliano receptas. eumque proinde viribus integris nulloque jam repugnante Agrippinam contendiſſe. Docet etiam Martini miſſionem hanc, non cauſariam fuiſſe, ſed honeſtam; quæ ſtipendiis 20. in pedite, decem in Equite, explebatur. ut Lipſius de Militia Romana, libro 5. cap. 19. Quæ etiam ſub Auguſto & Imperatoribus exauctoratio dicta. ut idem.

Quid Severus hic ſupra Ammianũ doceat.

Neque verò Cauſaria eſſe potuit, quia Chriſtianus eſſet; quando ſolis Chriſtianis ex nupero Conſtantii edicto militare licebat; ſed quod ſæculo renuntiare, & aſperiorem, ſi non & Monachalem amplecti vitam decreviſſet; ceu novus & addictior etiam inter Chriſtianos Chriſti miles. quod ejus verba conficiunt, *Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet*; mihi inquam, quem à profanâ ſæculari que militiâ, ad ſacram ſpiritalemque Chriſtus evocat. Unde ſubdit Severus:

S. Martinus Pictavos ad S. Hilarium venit.

3. *Exinde relictâ militiâ Martinus S. Hilarium Pictava Epiſcopum civitatis, cujus tunc in Dei rebus ſpectata & cognita fides habebatur, expetivit, & apud eum aliquamdiu commoratus eſt. Tentavit autem idem Hilarius, impoſito Diaconii officio, ſibi eum arctiùs implicare, & miniſterio vincire divino. ſed cùm ſæpiſſimè reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans: intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuria videretur. Itaque exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille ordinationem ne deſpexiſſe tanquam humiliorem videretur, non repudiavit. Nec multò pòſt admonitus per ſoporem, ut patriam parentesq́;, quos adhuc gentilitas detinebat, religioſâ ſolicitudine viſitaret; ex voluntate S. Hilarii profectus eſt: multisq́; ab eo adſtrictus precibus & lacrymis, ut rediret; mœſtus (ut ferunt) peregrinationem illam aggreſſus eſt: conteſtatus fratres, multa ſe adverſa paſſurum. Quod poſtea probavit eventus.* Iſta omnia Severus, plurima hic Ammiano (qui & ipſe huic bello Urſicini comes, & ſancti Martini commilito præſens fuit) conformia narrans, & plura.

Abit in patriam Pannoniam.

Cùm apud Hilarium non diu hæſiſſet.

4. Primùm enim certò docent, Martinum Miſſionem impetrare non potuiſſe, nedum ea impetratâ ad Hilarium ſe conferre; ante hunc annum, & anni menſem Julium. quo primùm Julianus Vangionas ad Rhenum attigit, qui & à baptiſmo ejus ſecundus eſt, & quidem planè completus, ut ex præcedentibus ac ſequentibus apparet. Rurſum nonniſi poſt hujus anni Julium menſem, ſaltem exeuntem, illum ad Hilarium è Vangionibus Pictavos militiâ deſertâ perveniſſe. Denique nec ante menſem Auguſtum (quàm citiſſimè) Synodum Biterrenſem haberi potuiſſe, non certè ex ejus decreto relegari in Phrygiam Hilarium. præſertim cùm *apud eum aliquandiu commoratus eſſe* dicatur Martinus, & *ad parentes ſuos ex ejus voluntate profectus*. Sed illam commorationem diuturnam eſſe non potuiſſe, quæ jam dicam evincunt, præſertim Biterrenſe Concilium ante hujus anni finem habitum.

Saturninus Arelatenſis Epiſcopus Arrianorũ Dux.

5. Nam dum iſta à Juliano Cæſare Martinoque noſtro geruntur, in Galliis iiſdem, Arriani quidam, Conſtantii, hoc adhuc anno toto 356. Mediolani ſubſiſtentis, ſavore ſubnixi, non dormitabant. Saturninus Arelatenſis Epiſcopus, Conſtantii ejuſdem Arelate ante biennium agentis converſatione corruptior, magnus in Galliis hæreſeos Arrianæ fautor ac promotor evaſerat: *Galliaſque homo impotens & factioſus* (ait Severus) *premebat*; ſancto Hilario Pictonum Epiſcopo præ ceteris infenſus. Hilarius enim, ut ipſemet libro contra Conſtantium teſtatur, poſt ſanctorum virorum exilia, Paulini, Euſebii. Luciferi, Dionyſiique, ſtatim à Mediolanenſi Conciliabulo (quem annum Hilarius ante exilium ſuum rectè *quintum* hic appellat) *à Saturnini, Urſatij, ac Valentis* (qui ſcilicet Confeſſores iſtos expulerant) *communione ſe cum ceteris Gallicanis Epiſcopis*, Arrianam perfidiam execrantibus *ſeparaverat*; *indultâ* tamen tantiſper *ceteris eorum* Arrianorum *conſortibus reſipiſcendi facultate: ut nec pacis abeſſet voluntas, & principalium membrorum fœtida, & in corruptionem totius corporis membra proficientia deſecarentur. ſi tamen hoc ipſum beatiſſimis Confeſſoribus Chriſti*, Gallicanis nempè Epiſcopis collegis ſuis in eoſdem Arrianos conſpirantibus, *editum decretum tum ab illo manare placuiſſet.* In Hilarium ergo ceterorum Orthodoxorum impulſorem commotior Saturninus, ab Conſtantio, dum hoc adhuc anno Mediolani degeret, impetravit, uti novam in Galliâ Synodum adverſus eos nondum cedentes cogere poſſet. Biterris igitur eam, Arelato ſuo non procul, indicit, & in Gallicanos Epiſcopos omnes, etiam Belgas noſtros, ut mox oſtendam, ad eam evocatos, pro poteſtate, ceu Synodi Præſes, agere inſtituit.

Hilarius ab Arrianis ſe ſeparat. *Hilar. lib. de Synodis.*

Synodus Biterrenſis à Saturnino Arriano habita.

6. Hilarius *videns ſe collegasq́; ſuos per factionem iſtorum Pſeudo-apoſtolorum* (verba ejus ſunt) *ad Biterrenſem Synodum compulſos*, periculi non ignarus; *cognitionem hæreſeos hujus*, nimirum Arrianæ, quam ſubdolè tectéque Saturninus cum ſuis ingerebat, ſi non toti Synodo, ſaltem Gallicanis præcipuis Epiſcopis *obtulit*, ſcripto ſcilicet edito quo fraudes Arrianorum detegebat. *Sed hi* Galliarum Epiſcopi, licèt egregiè Orthodoxi, *timentes publica conſcientia* (quam nempè ſemel cognitam publicatamque Conſtantius Imperator ut anno ſuperiore Mediolani, ita & iſto Biterris exilio perſecuturus eſſet) *audire ab Hilario ingeſta noluerunt: putantes ſe innocentiam ſuam Chriſto poſſe mentiri, ſi volentes neſcirent, quod geſturi poſtmodum eſſent ſcientes.* Metu quippe Conſtantii conſultiùs exiſtimabant hi Epiſcopi, latentem ac multis adhuc occultam Arrianorum perfidiam modò non diſcutere, quam diſcutiendo novis Epiſcoporum exiliis Eccleſiam Gallicanam magis affligere. quanquam Ruffinus ſcribit, ipſos *vel ignoraſſe, vel non crediddiſſe fraudem.* Ita tepuit quidem inibi, non tamen excidit Gallicanorum *Epiſcoporum fides. Manſit namq́;, atque etiam nunc permanet* (iterum Hilarii verba libro de Synodis) *poſt Synodi Biterrenſis profeſſionem* (*in qua patronos hujus hæreſeos ingerenda quibuſdam vobis teſtibus denunciaveram*) *innocens inviolataqúe Religio; non cedendo poſtmodum Saturnini minis, poteſtatibus, bellis.* Fervorem igitur & conſtantiam unus hic palàm oſtendit Hilarius. cui ſocium ſe, nonniſi unus alter addidit *Rhodanius* Toloſanus Epiſcopus. ita tamen, *ut ipſe naturâ lenior, non tam ſuis viribus* (verba Severi Sulpitii ſunt) *quam Hilarii ſocietate non cederet.* Unde ipſe poſtmodum Hilarius librum de Synodis, quo hac de re agit, ſcribens ad ceteros Gallicarum provinciarum Epiſcopos, nulli Narbonenſium ſcribit, niſi *plebibus & Clericis Toloſanis*; tum Rhodanii eorum Epiſcopi memor, tum Narbonenſes ſeu Viennenſes reliquos Antiſtites Saturnino adhæſiſſe ſatis innuens. Ad Belgas tamen, Lugdunenſes, & Aquitanos omnes librum illum dirigit: quia Saturnini minis poſt Synodum non ceſſerant, quantumvis in ipsâ Synodo majoris mali metu diſſimulaſſent. Verumtamen mihi quidem ſatis mirum, ne unum quidem è Belgis Paſtoribus (quos primos hîc compellat Hilarius) Paulini Trevirenſis Patriarchæ ſui conſtantiam tenuiſſe; atque omnes ceu canes mutos contra lupum latrare non auſos.

Cui S. Hilarius fortiter ſe opponit.

Tepentibus quibuſdam aliis Galliarũ Epiſcopis.

L. 1. c. 20.

Rhodanio ſolo conſtante.

Sever. hiſt. l. 2.

Hilarius & Rhodanius poſt Synodum exules.

7. Ita Synodo ferè pro libito concluſâ Saturninus nuntios ejus nomine ad Conſtantium Mediolanum miſit; qui felicem Synodi exitum aperirent; ſimul Hilarii unius præfractam audaciam, & ſi forte Rhodanii accuſarent. Effecitque, ut ipſe *daretur exilio* (ait Severus) *Rhodanium eadem implicaret conditio.* Unde Hieronymus in Chronico, & in Scriptoribus Eccleſiaſticis; *Hilarius Pictavorum Epiſcopus factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, de Synodo Biterrenſi in Phrygiam relegatur.* Et ipſemet Hilarius eodem libro de Synodis, *In exilium*, inquit, *me Saturninus, ipſam conſcientiam ſuam verens, circumvento Imperatore detruſit.* An autem hi duo Confeſſores pacatè ſedibus ſuis avulſi ſint, quæri poteſt. Rhodanium certè Toloſâ non ſine tumultu abreptum, verba iſta Hilarii ad Conſtantium fidem faciant: *Quos tu in Eccleſiam Toloſanam exercuiſti furores? Clerici fuſtibus caſi, Diacones plumbo eliſi; & in ipſum Chriſtum* (Rhodanium Epiſcopum) *manus immiſſa.*

Pro Rhodanio pugnant Toloſani.

Pro Hilario utcumque Julianus Cæſar.

Pro Hilario autem videtur Julianus Cæſar benevolentiæ nonnihil oſtendiſſe: quando ipſe libello, cujus initium, *Non ſum neſcius*, ita Conſtantium alloquitur: *exulo non crimine, ſed factione, & falſis nuntiis Synodi, apud te Imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conſcientiam, ſed per impios homines delatus. Nec levem habeo querela mea teſtem, Dominum meum Religioſum Cæſarem tuum Julianum; qui plus in exilio meo à malis contumelia, quàm ego injuria, pertulit. In promptu enim ſunt pietatis veſtra litera. falſa autem eorum omnia, qui exilium meum procuravere, non in obſcuro ſunt. Ipſe quoque vel miniſter vel auctor geſtorum omnium* (*Saturninus*) *intra hanc urbem eſt.* nempe Conſtantinopolitanam. *Circumventum te Auguſtum, illuſumque Cæſarem tuum, eâ confidens conſcientia mea conditione patefaciam; ut ſi indignum aliquid non modo Epiſcopi, ſed etiam Laici integritate geſſiſſe docear, non jam Sacerdotium per veniam expectem, ſed intra pœnitentiam Laici conſeneſcam.* Hæc ibi. quibus liquet rem hanc non paucorum nec communium hominum curâ oppoſitioneque perpetratam.

8. Nempe cùm hæc Biterris habita Synodus, nuntios Mediolanum ad Conſtantium miſiſſet; & hi reduces exiliũ Hilario retuliſſent, illud Julianus ipſe & alii moroſè diſcuſſerint, nec uſquequaque probaverint. Quæ omnia aliquod ſanè tempus, & duorum ferè menſium exigunt. Quare Hilarium & Rhodaniũ ſuſpicor, primò metu majoris tumultûs, Maſſiliâ in Phrygiam raptim navi tranſvectos; tum verò autumno jam hujus anni 356. ſaltem ineunte; quando non ante Julium exeuntem, ad Hilarium nondum condemnatum Martinus venit (ut ſuprà docui) *& apud eum aliquandiu commoratus* dicitur. Porro Hilarii exilium ad quintum uſque annum tenuiſſe, ſequentia docebunt. Quibus omnibus intelligimus, Severum cùm Biterrenſem Synodum hanc Arelatenſi conjungit, brevitatis id & compendii, non temporis ejuſdem, ratione facere. Inter utrumque enim facilè triennium, & maximè Mediolanenſe Concilium intercеſſit.

CAPUT VII.

Conſtantii Imperatoris Romam adventus triumphalis. Inde Sirmium diſceſſus. & quid utrobique egerit.

Anno Chriſti 357.

ISta omnia tam ſacra quàm civilia in Galliis unico Chriſti anno 356. geſta. Nec pauciora ſequenti 357. quæ antequam pertexo, Conſtantii quædam amœniora ſimul & triſtia, Romæ Sirmiique facta priùs exequar: præſertim cùm in Annalibus videam ea non ſuis annis comprehenſa; & ſi quæ comprehenſa ſint, non ita tamen diſtinctè narrari videantur.

1. Anno igitur Chriſti 357. Conſtantio nonùm, & Juliano Cæſare iterum Coss. *Conſtantius Auguſtus hactenus Mediolani triennio toto commoratus;* Anno Chriſti 357. Conſtantii Imp. Romã adventus.
Arriana hæreſi, & tot Epiſcoporum Orthodoxorum exiliis licèt infamis; tamen eorum non minus quàm Magnentii debellatione gloriabundus, concluſo Jani templo (ait Ammianus) *ſtratiſque hoſtibus cunctis, Romam geſtiebat viſere; poſt Magnentii exitium, abſque nomine ex ſanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem ullam bella cientem, per ſe ſuperavit; aut victam fortitudine ſuorum comperit Ducum, vel addidit quidquam Imperio, aut uſquam in neceſſitatibus ſummis primus, vel inter primos eſt viſus. ſed ut pompam nimis extentam, rigentiaque auro vexilla, & pulchritudinem ſtipatorum oſtenderet agenti tranquilliùs populo* Romano, *hac vel ſimile quidquam videre, nec ſperanti unquam nec optanti.* Ammianus l. 16. c. 11.
Mediolano igitur anno Chriſti 357. Aprili finiente tandem excedens, *multis in apparatu regio conſumptis, ſecundâ Orphiti præfecturâ* urbanâ, *tranſcurſo Otriculo, elatus honoribus magnis, ſtipatuſque agminibus formidandis, tanquam acie ducebatur inſtructâ, omnium oculis in eo* (an in eum) *contuitu pertinaci intentis. Cumque urbi propinquaret, Senatûs officia, reverendaſque patricia ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, non ut Cineas ille Pyrrhi legatus, in unum coactam multitudinem Regum, ſed aſylum mundi totius adeſſe æſtimabat. Unde cùm ſe vertiſſet ad plebem, ſtupebat, quâ celeritate omne quod ubique eſt hominum genus confluxerit Romam. Et tanquam Euphratem armorum ſpecie territurus aut Rhenum, altrinſecus præeuntibus ſignis, inſidebat aureo ſolus ipſe carpento, fulgentes claritudine lapidum variorum. Quo micante, lux quædam miſceri videbatur alterna. Eumque poſt antegreſſos multiplices alios, purpureis ſubtegminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflabiles; & ideo velut irâ perciti ſibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* Et apparatus. Pompa.

2. *Et incedebat hinc inde ordo geminus armatorum, clypeatus atque criſtatus, coruſco lumine radians, nitidis loricis indutus; ſparſique cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant Perſæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes ſimulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti.* Progreſſus.

ut quo-

ut quocumque artus neceſſitas commoviſſet, veſtitus congrueret junctura cohærenter aptata. Auguſtus itaque fauſtis vocibus appellatus, montium litorumque intonante fragore cohorruit; talem ſe tamque immobilem, qualis in provinciis ſuis Orientalibus viſebatur, oſtendens. Nam & corpus perhumile curvabat, portas ingrediens celſas; & velut collo munito, rectam aciem luminum tendens, nec dextrâ vultum nec levâ flectebat, tanquam figmentum hominis: Non cùm rota concuteret nutans, nec ſpuens, aut os, aut naſum tergens vel fricans, manúmve agitans eſt viſus unquam. Quæ licet affectabat, erant tamen hæc & alia quædam in citeriore vitâ patientia non mediocris indicia, ut exiſtimari dabatur, uni illi conceſſa. Quod autem per omne tempus Imperii, nec in conſeſſum vehiculi quemquam ſuſcepit, nec in trabeâ ſocium privatum adſcivit, ut fecere Principes conſecrati; & ſimilia multa, quæ elatus in arduum ſupercilium tanquam leges æquiſſimas obſervavit, prætereo: memor ea me retuliſſe, cùm incidiſſent.

Ingreſſus in Urbem.

Ammianus eodem l. 16. c. 17.

3. Proinde Romam ingreſſus, Imperii virtutumque omnium larem; cùm veniſſet ad Roſtra. perſpectiſſimum priſcæ potentiæ Forum obſtupuit. perque omne latus, quo ſe oculi contuliſſent, miraculorum denſitate præſtrictus, allocutus Nobilitatem in Curiâ, Populumque pro tribunali, in Palatium receptus favore multiplici, lætitiâ fruebatur optatâ. Et ſæpè cùm equeſtres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec ſuperbè nec à libertate coaluâ deſciſcentis: reverenter modum ipſe quoque debitum ſervans. [Iis Circenſibus ludis Liberium Papam ſe revocare, lectis in Circo litteris edixit, ex præviâ matronarum Romanarum ſupplicatione. Unde populus lætior, clamavit primùm æquam Imperatoris eſſe ſententiam, mox rurſum omnes uno ore, Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus.] Ita Theodoretus. pergit Ammianus:

Ejus opera miratur.

Deinde intra 7. Montium culmina, per acclivitates planitiemque poſita Vrbis membra colluſtrans, & ſuburbana; quidquid viderat primum, id eminere inter alia cuncta ſperabat. Jovis Tarpeii delubra, quantum terrenis divina præcellunt; lavacra in modum provinciarum extructa: Amphitheatri molem ſolidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus ſummitatem ægrè viſio humana conſcendit: Pantheon velut regionem teretem, ſpecioſa celſitudine fornicatam, elatoſque vertices ſcanſili ſuggeſtu, Conſulum & priorum Principum imitamenta portantes: & Vrbis Templum; forumque Pacis, & Pompeij Theatrum, & Odeum & Stadium, aliaque inter hæc decora Urbis æternæ.

Trajani forum.

4. Verùm cùm ad Trajani forum veniſſet, ſingularem ſub omni cœlo ſtructuram, ut opinamur, etiam Numinum aſſenſione, mirabilem, hærebat attonitus: per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus appetendos.

Et equum.

Omni itaque ſpe hujuſmodi quicquam conandi depulſâ: Trajani equum ſolum, locatum in atrii medio. qui ipſum Principem vehit, imitari ſe velle dicebat & poſſe. Cui prope adſtans Regalis Hormiſda, cujus è Perſide diſceſſum ſupra monſtravimus, reſpondit geſtu gentili: Antè, inquit, Imperator, ſtabulum tale condi jubeto, ſi vales; equus quem fabricare diſponis, ita latè ſuccedat, ut iſte quem videmus. Is ipſe interrogatus, quid de Româ ſentiret, id tantùm ſibi placuiſſe ajebat, Quòd didiciſſet ibi quoque homines mori.

Omnia denique ſupra famam.

Multis igitur cum ſtupore viſis horrendo, Imperator de famâ querebatur ut invalidâ vel malignâ: quòd augens omnia ſemper in majus, erga hæc explicanda quæ Romæ ſunt, obſoleſcit. Deliberanſque diu quid ageret, Vrbis addere ſtatuit ornamentis, ut in proximo Circo erigeret Obeliſcum. quem & paulo poſt Alexandriâ navi advectum erexit: Sixtus autem quintus Pont. Max. jacentem & fractum, poſt annos 1230. reſtituit, & ante S. Joannis in Laterano Baſilicam anno Chriſti 1588. Pontificatus ſui 4. noſtrâ memoriâ feliciſſimè tranſtulit, ubi adhuc hodie viſitur.

Conſtantius Româ cõtra barbaros egreditur Sirmium.

5. Pergit Ammianus: *Cupiens itaque auguſtiſſima omnium ſede morari diutius Imperator, ut otio puriore frueretur & voluptate; aſſiduis nuntiis terrebatur & certis; indicantibus Suevos Rhætias incurſare; Quadoſque Valeriam; & Sarmatas latrocinandi peritiſſimum genus, ſuperiorem Mœſiam, & Secundam populari Pannoniam. Quibus percitus, triceſimo poſtquam ingreſſus eſt die, 4. Kal. Junias* (ſeu 29. Maii) *ab Vrbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit. Vnde miſſo* (ad Gallos & Julianum) *in locum Marcelli Severo, bellorum uſu & maturitate firmato, Vrſicinum ad ſe* Sirmium è Galliâ *venire præcepit. indéque in Orientem cum Magiſterii poteſtate remiſit.* Quò & eum Ammianus hiſtoricus noſter, ab anno 355. in Galliis fere biennio cum eo verſatus, comitatus eſt.

Severus Dux in Gallias loco Marcelli miſſus.

Ammiano hic conformis Julianus Apoſtata ad S. P. Q. Athènienſem ſcribit, primo belli ſui anno exeunte (Chriſti videlicet 356.) *Ei qui exercitibus Gallicanis præerat* (nempe Marcello jam dicto) *abrogatum imperium.* Unde hujus Marcelli ſucceſſor Severus, quem mox ex Ammiano audivimus in Gallias ab Conſtantio, Tridentum & in Illyricum feſtinante ſubmiſſum, primo hujus æſtatis in Gallia contra Chonodomarium procinctu, cum Juliano reperitur, in eodem Ammiano. Certum igitur eſt, Conſtantium Romam nonniſi hujus anni (non prioris 356.) Maio veniſſe diſceſſiſſeque:

Romam Conſtantius ante annum 357. non venit.

Quomodo enim Maio prioris anni 356. Severum Marcello ſucceſſorem Conſtantius miſiſſet, quo primum belli ſui Gallicani annum Julianus inchoabat, & quo nonniſi finiente abrogatum Marcello imperium? Planè ex Ammiani quoque ſententiâ, Maio hujus anni 357. & Romam primùm Conſtantius triumphans init, & Româ digreſſus in Illyricum, Marcello Severum ſucceſſorem dedit. Accedit Theodoretus ſuprà, cùm *exacto ab Liberij relegatione biennio* Romam veniſſe, & Liberii reditum matronarum precibus indulſiſſe diſertè ſcribit.

Vicennalia Conſtantii anno 357 Romæ celebrata.

Suffragantur denique & Hieronymi, & Alexandrinum Chronica, quæ Conſtantium Romam ad vicennalia ſua celebranda veniſſe teſtantur, quæ Maii 22. (nempe à morte patris) iſto primum anno 357. concluduntur. Chronicon quidē Alexandrinum & Conſules hujus anni, & Indictionem notat: Indictione 15. inquit, *anno Conſtantij Auguſti 20.* (quod & Hieronymi Chronicon habet) *eodem Auguſto 11. & Juliano Cæſare 2. Coss. Conſtantius propter vicennalia ſua, cum ingenti pompâ & apparatu Romam venit; & cum eo uxor ejus Euſebia Auguſta. Romaque morati ſunt dies 18.* id eſt 14. Ammianus habet 29. ſeu xl. cui potiùs, ut tunc ſcribenti peneque videnti, & diem inſuper egreſſûs illius 30. notanti, credendum exiſtimo.

6. In Illyricum Româ, digreſſus Conſtantius, Sirmii in Pannonia Inferiore ſeu 2. ad annum uſque Chriſti ſeneſcentem 359. pluſquam biennio hæſit. ubi non pauca contra fidem Catholicam, & contra nonnullos Epiſcopos Orthodoxos molitus eſt. Ac primùm, agentibus maximè Urſacio, Valente, & Germinio Epiſcopis Arrianis, novam adhuc fidei formulam, quæ 2. Sirmienſis appellatur, procudi permiſit, latino primùm ſermone, teſtibus Atha-

naſio, Hilario, & Socrate, qui eam deſcribunt, & aliis. Sed de ea infrà ſuo loco. Ceterùm cùm disertè ſcribat Athanaſius; *Acceſſit Oſium Conſtantius; & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmii*: Sirmium autem Conſtantius ipſe nonniſi poſt Maium menſem hujus anni 357. advenerit ut ſuprà demonſtravi, planè hunc Oſii lapſum vix ante Maium ſequentis anni 358. contingere potuiſſe, neceſſum eſt. Quod moneo ne cum Annalibus hic aliisque labamur. Nunc in Gallias redeamus: & in illis quid Julianus hoc eodem anno Chriſti 357. (qui eſt ipſius belli ſecundus) geſſerit, videamus; jam ab Rectoribus & quaſi pædagogis ſuis liber.

CAPUT XIII.

Iuliani de Chonodomario & Alemannis victoria.

Eodem Anno Chriſti 357.

Juliani de anno belli ſui ſecundo teſtimoniū.

1. DE anno belli ſui Gallici *ſecundo* ita ſcribit Julianus ipſe, Epiſtola ad S. P. Q. Athenienſem; nonnihil tamen perturbatâ & mutilâ. *Igitur cùm ut audiſtis, primo anno non male adminiſtratæ res eſſent, nec nullum factum eſſet operæ pretium*; (ſic enim rectè reſtituit Petavius noſter) *Conſtantius Imperator, exiſtimans Gallicanam rem majora paulo incrementa capturam, ſed non ad tantam mutationem eſſe venturam; regendos mihi exercitus ineunte vere tradidit*; Ita Julianus, & proſequitur Ammianus lib. 16. cap. 9. Julianus (ait) exactâ apud Senonas hyeme turbulentâ, Auguſto novies ſeque iterum Coss. (anno ſcilicet hoc Chriſti 357.) Germanicis undique circumfrementibus minis, ſecundis ominibus motus, & adultis jam frugibus, addit Julianus ſuprà, REMOS properavit: alacrior magisque lætus quòd exercitum regebat Severus, Marcello abrogato ab Imperatore Conſtantio ſuffectus, nec diſcors nec arrogans, ſed longâ militiæ frugalitate compertus; & eum rectâ præeuntem ſecuturus, ut ductorem morigerus miles. Parte aliâ Barbatio, poſt Sylvani interitum promotus ad peditum magiſterium, ex Italiâ juſſu Principis cum 25. millibus armatorum Rauracos venit. Cogitatum eſt enim ſolliciteque præſtructum, ut ſævientes ſupra ſolitum Alemanni, vagantesque fuſiùs, multitudine geminatâ noſtrorum, forcipis ſpecie truſi in anguſtias cæderentur. Dum hæc tamen ritè diſpoſita celerantur, læti Barbari ad tempeſtiva furta ſolertes, inter utriuſque exercitus Romani caſtra (quorum unus ſcilicet circa Remos ſub Juliano & Severo; circa Rauracos alter ſub Barbatione) occultè tranſgreſſi, invaſere Lugdunum incautam; eamque populatam niſu avido concremaſſent, ni clauſis aditibus repercuſſi, quidquid extra oppidum potuit inveniri, vaſtaſſent.

Amm. l. 16. c. 19.

Lugdunum invadunt Barbari.

Julianus eos reprimit.

2. Quâ clade cognitâ, agili ſtudio Cæſar miſſis cuneis tribus equitum expeditorum & fortium, tria obſervavit itinera; ſciens per ea erupturos procul dubio graſſatores. Nec, quod deſtinaverat irritum fuit. Cunctis enim qui per eos tramites exiere truncatis, receptaque prædâ omni intactâ, hi ſolùm innoxii abſoluti ſunt, qui per vallum Barbationis tranſiere ſecuri: ideo labi permiſſi, quòd Bainobaudes (vox Francum ſonat) Tribunus Cornutorum, & Valentinianus poſtea Imperator, cum equeſtribus turmis quas regebant, ad exequendum id ordinati, à Cellâ Tribuno Scutariorum, qui Barbationi ſociatus venerat ad procinctum, iter obſervare ſunt vetiti, unde redituros didicere Germanos. Quo non contentus Magiſter peditum ignavus (Barbatio ſcilicet) & gloriarum Juliani pervicax obtrectator, ſciens ſe id contra utilitatem Romanam juſſiſſe (hoc enim cùm argueretur Cella confeſſus eſt) relatione fefellit Conſtantium: finxitque hos eoſdem Tribunos (Bainobaudem videlicet & Valentinianum) ad ſollicitandos milites quos duxerat, per ſpeciem veniſſe negotii publici. quâ causâ abrogatâ poteſtate, ad lares rediere privati.

Et alios qui Rheni inſulas occuparant.

3. Iiſdem diebus, exercituum adventu, perterriti Barbari, qui domicilia fixere cis Rhenum, partim difficiles vias, & ſuapte naturâ clivoſas & incommeabiles, clauſere ſollerter, arboribus immenſi roboris cæſis. Alii occupatis inſulis, ſparſis crebrò per flumen Rhenum, ululantes lugubre, conviciis & Romanos inceſſebant & Cæſarem: qui graviori animi motu percitus, ad corripiendos aliquos, ſeptem à Barbatione petierat naves, ex his quas velut tranſiturus amnem, ad compaginandos paraverat pontes. qui ne quid per eum impetraretur, omnes incendit. Doctus denique Julianus exploratorum delatione recens captorum, æſtate jam torridâ flumen vado tranſiri poſſe; hortatus auxiliares velites cum Bainobaude Cornutorum Tribuno miſit. qui inſulam propinquam nando ingreſſi, omnes cujuſvis ætatis & ſexûs trucidarunt ut pecudes. Unde Germani inſulis relictis, ad ulteriora receſſerunt.

Tres Tabernas in Alſatiâ hodiernâ reparat.

4. Converſus hinc Julianus ad reparandas tres Tabernas, munimentum haud ita pridem ſubverſum, opus ſpe celeriùs conſummavit: Ammianus. Hæc ipſe Julianus ad S. P. Q. Athenienſem, Argentorato vicinū caſtellum dicit ad Voſegi radices. unde nullâ ratione poſſunt hic intelligi Tabernæ Rhenanæ (quod ſciſcit Cluverius) ſed Alſaticæ: quo ſic Germani ab Galliarum intimis arcerentur. neque enim ad Rhenum adhuc pervenerat Julianus. In hoc igitur reparatū, victum ex barbaricis meſſibus in uſum totius anni condidit. quoniam ex commeatu recens advecto, Barbatio cùm juxta tranſiret, partem aliquam ſuperbè præſumpſerat; reſiduum in acervum congeſtum exuſſerat. incertum vanitate & dementiâ, an mandato Principis. nam ubique jactabatur, quòd Julianus non levaturus incommoda Galliarum electus eſſet, ſed ut poſſet per bella deleri ſæviſſima. Dum caſtrorum opera maturè conſurgunt, militiſque pars ſtationes prætendit agrarias, alia frumenta inſidiarum metu colligit cautè; multitudo Barbarica (Alemannorum) rumorem nimiâ velocitate præverſa, Barbationem cum exercitu, quem regebat, Gallico vallo diſcretum, impetu repentino aggreſſa, ſequenſque fugientes aduſque Rauracos, & ultrà quoad potuit; raptâ ſarcinarum & jumentorum cum calonibus parte maximâ, redit ad ſua. Et ille (Barbatio) tanquam expeditione eventu proſpero terminatâ, milite diſperſo per ſtationes hibernas, ad comitatum Imperatoris revertit (ergo Sirmium) crimen compoſiturus in Cæſarem, ut ſolebat, graviter ſemper inceſſens.

Cluverius l. 2. Germ. c. 12.

Barbatione contrario.

5. Quo

Alemannorum Reges prope Argentoratū.

5. Quo diſpalato fœdo terrore, Alemannorum Reges Chonodomarius & Veſtralpus; Urius quin etiam & Urſicinus, cum Serapione, & Suomario, & Hortario, in unum robore virium ſuarum omni collecto, conſedere propè Urbem Argentoratum e extrema metuentem Cæſarem arbitrati retroceſſiſſe, cùm ille tùm etiam perficiendi munimenti ſtudio ſtringeretur. Erexerat animos ſcutarius perfuga, qui armatorum tredecim millia tantum remanſiſſe cum Juliano docebat. Unde miſſis legatis ſatiapro imperio Cæſari mandaverunt, ut terris abſcederet virtute ſibi quæſitis & ferro. Qui ignarus pavendi, nec irà, nec dolore perculſus, ſed faſtus Barbaricos ridens, detentis legatis aduſque perfectum opus caſtrorum, in eodem gradu conſtantiæ ſtetit immobilis. Miſcebat autem omnia ſine modo Rex Chonomodarius, ardua ſubrigens ſupercilia, ut ſæpè ſecundis rebus elatus Nam & Decentium Cæſarem ſuperavit æquo Marte congreſſus, & civitates erutas multas vaſtavit & opulentas, licentiúſque diu nullo refragante, Gallias perſultavit. Ad cujus roborandam fiduciam, recens quoque fuga Ducis (Barbationis) acceſſerat, numero præſtantis & viribus Quæ anxiè ferebat ſolicitus Cæſar, quòd trudente ipsâ neceſſitate, cum paucis licèt fortibus, populoſis gentibus occurrere cogebatur. Ad hæc Regii duo fratres, Gundomadus & Vadomarius (è regione Rauraci regnantes) qui pacem anno præteritu (ergo 356.) impetraverant à Conſtantio, vires hoſtibus addiderant. Quippe paulò poſtea uno ex his Gundomado, qui potior erat, Fideique firmioris, per inſidias interempto, omnis ejus populus cum noſtris hoſtibus conſpiravit; & confeſtim Vadomarii plebs, ut aſſerebant, agminibus bella cientium barbarorum ſeſe conjunxit.

Superba ad Julianum dant mandata.

Præſertim Chonodomarius Decētii victor.

Cum quibus cōſpirāt etiam Gundomadus & Vadomari⁹.

Pugna Argentoratenſis.

6. Cunctis tamen ſummis infimiſque, approbantibus tunc opportunè congrediendum, promotus Juliani exercitus prope collem advenit molliter editum, opertum ſegetibus jam maturis, à ſuperciliis Rheni haud longo intervallo diſtantem. ergo Julio fere menſe, cum jam *matura ſunt ſegetes*; & *ſeneſcente Luna* hoc anno Chriſti 357. ut paulò antè notaverat. Prælium fusè graphicéque deſcribit hic Ammianus: cujus ſumma hæc eſt: Romanum dexteri cornu equitatum primò fuſum; ſed mox à Juliano verbis lenioribus reductum. indeque acriore prælio, Alemannos tandem fuſos, fugatos, variiſque modis etiam in Rheno cæſos. Rex Chonodomarius ipſe captus, *Juliano oblatus humique fuſus, veniam poſcēs, diebus poſtea paucis ad comitatum Imperatoris* Conſtantii, *ſtatim ſubmiſſus eſt: cùm ille è Quadis Sarmatiſque, Iſtri accolis commodè* anno ſequente *rediret*. ait ipſe Julianus ad Athenienſes.] *atque exinde Romam ductus, in Caſtris Montis Cœlii Peregrinus, morbo veterni conſumptus eſt.* (*Ceciderunt*, ait idem auctor, *in hac pugna Romani quidem 243. Rectores quatuor, Bainobaudes* Francus *Cornutorum Tribunus, adæquè Laipſo, & Innocentius cataphractos ducens, & vacans quidam Tribunus, cujus non ſuppetit nomen. ex Alemannis verò ſex millia corporum numerata ſunt in campo conſtrata, & inæſtimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.*] Ex quibus Zoſimi vanitas hîc apparet; cùm pro ſex, 60. millia hominum deleta ſcribit; & alia totidem in Rhenum præcipitata extinctaque: audetque victoriam hanc cum Alexandri de Dario conferre. Longè potior Ammiani tum florentis ac ſcribentis fides, præſertim cùm Alemannorum omnium exercitum non exceſſiſſe armatorum 35. millia diſertè paulò ſuprà notaverit. *Tunc Julianus*, ſubdit, *ut erat fortunâ ſui ſpectator, meritiſque magis quàm imperio potens, Auguſtus acclamatione concordi totius exercitûs appellatus; ut agentes petulantiùs milites increpabat, idſe nec ſperare nec adipiſci velle jurando confirmans.*] Tum quidem; ſed poſtea firmatâ jam auctoritate lubens admiſit.

Cæſarum numerus.

Juliani inde gloria.

7. Poſt pugnam Julianus ad tres-Tabernas (Alſaticas) revertit. Unde cum captivis omnibus prædam Mediomatricos, ſervandam ad reditum uſque ſuum, duci præcepit. & petiturus ipſe Moguntiacum, ut ponte compacto tranſgreſſus, in ſuis requireret Barbaros, cùm nullum reliquiſſet in noſtris; refragantemque pacaſſet militem; terras occupavit hoſtiles, nemineque reperto flammis cuncta ſuccendit. Germani perculſi, deſertis quas per latebras ſtruxerant inſidiis, trans Mœnum fluvium ad opitulandum ſuis neceſſitudinibus avolarunt. quorum digreſſu miles liberè gradiens, cuncta flammis exurebat. Emenſaque æſtimatione decimi lapidis, cùm propè ſylvam veniſſet ſqualore tenebrarum horrendam, & vias inciſis arboribus conſtratas inveniſſet, æquinoctio autumnali jam exacto, nivibusque ſuperfuſis, frendens licèt retrogredi coactus eſt. Dum tamen nullus obſiſteret, munimentum, quod in Alemannorum ſolo conditum Trajanus ſuo nomine voluerat appellari, dudum violentiùs oppugnatum, tumultuario ſtudio reparatum eſt: locatiſque ibi pro tempore defenſoribus, ex Barbarorum viſceribus alimenta congeſta ſunt, Quæ illi maturata ad ſuam perniciem contemplantes, metuque rei peractæ volucriter congregati, precibus & humilitate ſupremâ, petiere miſſis oratoribus pacem. quam Cæſar per decem menſium tribuit intervallum, ut caſtra quæ ſupra quàm optari potuit occuparat, apparatu valido communire poſſet. Hac fiduciâ tres immaniſſimi Reges, ex his qui victis apud Argentoratum auxilia miſerant, venêre jurantes conceptis ritu patrio verbis, fœdera ad præſtitutum diem cum (Trajani) munimento ſervaturos intacto, frugeſque portaturos humeris, ſi defuiſſe ſibi docuerint defenſores. quod utrumque metu perfidiam frænante fecerunt.

Qui victor iterum ad Tabernas.

Inde Mogūtiacum venit.

Trāſrhenanos vaſtat.

Æquinocti autumnali.

Qui pacem petunt, & obtinent.

8. *Julianus ergo ad ſedes revertens hibernas, ſudorum reliquias reperit tales. Remos Severus Magiſter Equitum per Agrippinam petens & Juliacum* (Moguntiâ credo miſſus à Juliano, partes iſtas curaturus) *Francorum validiſſimos cuneos in ſexcentis velitibus* (mille habet Libanius in orat. funebri) *ut poſtea claruit, vacua præſidiis loca vaſtantes, offendit: hac opportunitate in ſcelus audaciam erigente, quòd Cæſare in Alemannorum ſeceſſibus occupato, nulloque vetante, expleri ſe poſſe prædarum opimitate ſunt arbitrati. ſed metu jam reverſi exercitûs, munimentis duobus, quæ olim exinanita ſunt, occupatis, ſe quoad fieri poterat tuebantur. Hac Julianus rei novitate perculſus, & conjiciens quorſum erumperet, ſi iiſdem tranſiſſet intactis, retento milite circumvallare diſpoſuit* .... *Moſa fluvius præterlambit.* Ita Henricus Valeſius doctis ſuis ad Ammianum notis, cum ſimili hiatu, ex editione Romanâ, Codiceque Regio edidit, dicens tria verba, intermedia *Caſtellum oppidum quod*, à Petro Caſtello addita. Quidquid ſubſit, Libanius in Oratione funebri ſatis ſupplet; cùm *Francos*;

Franci tractum Moſæ infra Trajectum vaſtāt.

Eos Julian⁹ cohibet.

vaſtatu aliquot vicis, caſtro, quod in eorum medio erat deſertum, à Juliano circumſeſſos, & fame ad deditionem coactos, ſcribit. & firmat hic Ammianus, cùm eoſdem *obſidione circumvallatos*, & quidem ad *Moſam fluvium præterlambentem*, verbis adhuc ſuperſtitibus adjungit. Sive ergo *Caſtrum illud* tum *deſertum*, non aliud fuerit, quàm quod Ptolemæus l. 2. Geogr. cap. 9. *Menapiorum poſt Moſam Fluvium Caſtellum* appellat; Menapios adhuc ex Commentariis Cæſaris illic collocans, quos deinde Toxandros dictos ſuprà ex Plinio exiſtimavi; ſive quodlibet aliud, Moſæ Juliaco non procul, adſitum, Julianus obſedit *ac circumvallavit*.

Diu obſidet.

9. Et adufque quartum & quinquageſimum diem (pergit Ammianus) Decembri ſcilicet & Januario menſe, obſidionales tractæ ſunt moræ; deſtinatis barbarorum animis incredibili pertinaciâ reluctatis. Tunc pertimeſcens ſolertiſſimus Cæſar, ne obſervatâ nocte illuni, barbari gelu vinctum amnem pervaderent, quotidie à ſole in veſperam flexo adufque lucis principium, luſoriis navibus diſcurrere flumen ultrò citroque milites ordinavit; ut cruſtis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facile perveniret. Hócque commento, inediâ, & vigiliis, & deſperatione poſtremâ laſſati, ſponte ſe propriâ dederunt: ſtatimque ad comitatum Auguſti ſunt miſſi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egreſſa, cum captos comperiſſet & aſportatos, nihil ampliùs auſa repedavit ad ſua. Ceterùm Severus Agrippinâ & Juliaco Remos ad hiberna ut puto ſua tendens, per Belgium noſtrum Tungris & Bavaco, viâ militari adhuc hodie ſuperſtite, tranſibat; quaſdam è ſuis copias ibidem relicturus: quemadmodum de Sylvano ſuprà, in rebus S. Martini memoravi. Hiſque perfectis (concludit Ammianus) acturus hiemem revertit Pariſios Cæſar Julianus; haud dubiè etiam per aliquam Belgii noſtri partem; quò peractâ hieme brevi contra Francos, Salios præſertim & Chamavos, rediturus erat. ut capite proximè ſequenti videbimus.

Et tandem dedentes ſe, capit.

Pariſiis hiemat.

CAPUT IX.

Iuliani res in Gallia continuatæ. Salios in Toxandria, Chamavos ad Rhenum ſubigit.

Anno Chriſti 358.

ANNUS Chriſti 358.

Amm. l. 17. c. 5.

Julianus tributa Gallica diſpenſat.

1. ANNUS Chriſti 358 *Datianum*, aliis *Tatianum* & *Cerealem* habuit Conſules. Quo, ait Ammianus, quia plurimæ gentes Germanicæ vi majore collaturæ capita ſperabantur, dolum bellorum contrectans ſobrius Rector Julianus, magnis curarum molibus ſtringebatur. Dumque per inducias, licèt negotioſas & breves, ærumnoſis poſſeſſorum (Belgarum maxime) damnis mederi poſſe credebat; tributi ratiocinia diſpenſavit. Cumque Florentius Præfectus Prætorio (Galliarum) cuncta permenſus, ut contendebat, quidquid in capitatione deeſſet, ex conquiſitis ſe ſupplere firmaret; talium gnarus, animam priùs amittere, quàm hoc ſinere fieri memorabat. Norat enim hujuſmodi proviſionum, imò everſionum ut veriùs dixerim, inſanabilia vulnera, ſæpè ad ultimam egeſtatem provincias contraxiſſe. quæ res ut docebitur poſtea; penitus evertit Illyricum. Ob quæ Præfecto Prætorio (eodem Florentio) ferri non poſſe clamante, ſe repentè factum infidum, cui Auguſtus ſummam commiſerit rerum: Julianus eum ſedatiùs leniens, ſcrupuloſè computando & verè, docuit non ſufficere ſolùm, verùm etiam exuberare Capitationis calculum ad commeatuum numerarios apparatus. Nihilominus tamen diu poſtea Indictionale augmentum oblatum ſibi, nec recitare perpeſſus, humi projecit. Literiſque Auguſti monitus ex relatione Præfecti, non agere ita perplexè, ut videretur parum Florentio credi; reſcripſit, gratandum eſſe, ſi provincialis hinc inde vaſtatus (ab Tranſrhenanis ſcilicet & ſociis) ſaltem ſolemnia (ſeu ſolita tributa) præbeat, nedum incrementa; quæ nulla ſupplicia egenis poſſent hominibus extorquere. Factumque eſt tunc & deinde, unius animi firmitate; ut præter ſolita, nemo Gallis quidquam exprimere conaretur. Denique inuſitato exemplo Cæſar id impetraverat à Præfecto Prætorio, ut SECUNDÆ BELGICÆ multiformibus malis oppreſſæ diſpoſitio ſibi committeretur. ea videlicet lege, ut nec Præfectianus nec Præſidialis apparitor, ad ſolvendum quemquam urgeret. Quo levati ſolatio cuncti, Belgæ noſtri præſertim, quos in curam ſuſceperat ſuam Julianus, nec interpellati; ante præſtitutum tempus, debita contulerunt. ſimul ingentes opinor, Juliano Apoſtatæ, tanto ejus beneficio obſtricti, grates habuerunt.

Quibus Belgarum ſecundam ſublevat.

2. Inter hæc recreandarum exordia Galliarum, adminiſtrante ſecundam adhuc Orphito Præfecturam urbanam, *Obeliſcus* (de quo ſuperiore anno, juſſu Conſtantii) in Circo erectus eſt maximo. ſuper quo multa Ammianus, quem hic vide. nos Belgicis maximè inſiſtimus. Cæſar Julianus hyemem apud Pariſios agens, Alemannos prævenire ſtudio maturabat ingenti, nôdum in unum coactos; ſed in inſaniam poſt Argentoratum, ſeu Argentoratenſem pugnam, audaces omnes & ſævos. Operienſque Julium menſem, unde ſumunt Gallicani procinctus exordia, diutiùs angebatur. Nec enim egredi poterat, antequam ex Aquitaniâ, æſtatis remiſſione ſolutis frigoribus & pruinis, veheretur annona. Sed ut eſt difficultatum penè omnium diligens ratio victrix; multa mente verſans & varia, id tantum reperit ſolum, ut anni maturitate non expectatâ, barbaris (Francis) occurreret inſperatus, firmatoque conſilio, viginti dierum frumentum ex eo, quod erat in ſedibus conſumendum, ad uſus diuturnitatem excoctum, buccellatum ut vulgo appellant, ſeu biſcoctum; humeris impoſuit libentium militum. Hocque ſubſidio fretus, ſecundis ut antè auſpiciis profectus eſt; intra menſem quintum vel ſextum, duas expeditiones conſummari poſſe urgentes & neceſſarias, arbitratus. Nempe & liberam Rheni, ſi Franci ei adjacentes priùs vincerentur, navigationem; & frumenti è Britanniâ per Rhenum ipſum uſque ad Alemannos, quos comprimere volebat, tranſvectionem.

Obeliſcus Romæ erigitur.

Ammianus l. 17. c. 6.

Juliani expeditio ad Rhenum, primo contra Frâcos.

3. Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſuetudo SALIOS appellavit. auſos olim (nota olim) in Romano ſolo apud TOXANDRIAM locum (hodie in Brabântiæ

Kempi-

Kempiniâ *Teſſenderloo*) habitacula ſibi figere prælicenter, à priore anno iſtic viſos, & hoc ipſo ultioni deſtinatos. Pro quo in memoriam revocanda, quæ ſuprà libro 6. cap. 13. de Francis notavimus: ex quinque eorum populis Rheno adſitis, Friſios & Salios maximè Septentrionales extitiſſe; Friſios ad Oceanum uſque ipſum; Salios ad lacum *Zuyderzee* Iſalamque fluvium, reliquos ſurſum adverſo Rheno, *Hattuarios*, *Chamavos*, & *Bructeros* ad Meridiem, & ad Lonam uſque flumen, primóſque Alemannorum fines. Horum quilibet in oppoſitos ſibi Belgicæ Romanæ tractus nunquam ceſſabant irrumpere. Et quantumcumque pellerentur, nunquam non redibant, quietis impatientiſſimi; prædarum quibus maximè victitabant, avidiſſimi. Friſii igitur & Salii Bataviam ſibi contiguam ſemper impetebant; ſemper à Conſtantio primo, à Conſtantino Magno Filio, à Conſtante etiam nepote repulſi. Quod & Magnentiano bello non omiſiſſe videntur. Friſii Saxonibus Pyratis jam adjuncti in Bataviam inferiorem Oceano proximam; Salii in Superiorem, adhuc hodie *Batuam* dictam, & ulteriora in Belgium noſtrũ contumaciſſimè irrumpentes. Uſque adeò ut Salii jam *olim*, ſeu jampridem, in Toxandria apud *Teſſenderloo*, ſi non antè, certè ſub Conſtante anno Chriſti 342. pace factâ, tanquam in ſuis ſedibus agitarent. Hattuarii ſimiliter Neerſæ amniculo, qui per Juliam, Gelriam, Venlonenſem, & Cliviam fluens ad opidum *Genep* Moſæ confunditur, adſita ſæpiùs incolerent. Chamavi Lippiæ & Ruræ oſtiis oppoſita; ſicut & Bructeri Ubiorum ad Coloniam & Bonnam agros ſemper impeterent; ſubinde ad aliquod etiam tempus obtinerent.

Tum contra Salios in Toxandria apud Tungros.

4. Julianus ergo Cæſar eos omnes locis iſtis occupatis exacturus, Salios ante omnes tanquam ceteris interiores, aggredi conſtituit. Pariſiiſque ex hibernis maturiùs egreſſus, quo illis inſperatus occurreret; *pane buccellato*, ſeu biſcocto *militum libentium humeris impoſito*, per viarum compendia, puta Sylvanecto, Auguſtâ Veromanduorum, & Bavaco, repentè Tungros advenit. Ibi Saliorum ei *legatio occurrit, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis*. ait Ammianus libro 17. capite itidem Valeſii 17. *Pacem ſub hac lege prætendens, ut quieſcentes eos, tanquam in ſuis jam olim* obtentis ſedibus *nec laceſſeret quiſquam, nec vexaret. Hos Legatos negotio plenè digeſto, oppoſitáq; conditionum perplexitate, ut in iiſdem tractibus moraturus, dum redeunt,* ſeu *donec redirent, muneratos abſolvit. Dictóque citiùs ſequutus profectos, Severo Duce miſſo per ripam* (ſi non Demeræ fluvii, qui Tungros inter ac Teſſenderloo interfluit; certè Moſæ primùm ac Vahalis, quâ parte mixti Bataviam faciunt inſulam, ab aliâ Saliorum parte tunc Zoſimo teſte, occupatam; & è quâ probabiliter in Toxandriam Salii gradum fecerant) *ſubitò cunctos aggreſſus, tanquam fulminis turbo perculſit. Jamque precantes potiùs, quàm reſiſtentes, in opportunam clementiæ partem effectu victoriæ flexo dedentes ſe cum opibus liberiſq; ſuſcepit.* Fortè etiam ſua iſta loca poſſidenda jure clientelari reliquit: imò militaribus quoque Romanorum Numeris adſcripſit; quos Imperii Notitia *Juniores Senioresq; Salios* vocat, & *inter Palatina auxilia recenſet*. Sic enim Libanius: *Gentem Saliorum integram* Julianus *adeò terruit, ut migrare in orbem Romanum peterent. Agros itaque petentibus dedit, & barbaris adverſus barbaros auxiliaribus uſus eſt.* quod & Ammianus Zoſimuſque confirmant, ut paulò infrà dicam.

5. Ceterùm vix dubito, quin S. Servatius tot legationibus Principumque colloquiis aſſuetus, ſermonem Tungris cum Juliano miſcuerit. Et cùm ille Chriſtianus adhuc haberi vellet, egerit de Eccleſiâ ſuâ, à tot barbarorum incurſibus recreandâ: de Saliis item, Toxandriam non parvam diœceſis ſuæ partem incolentibus, Imperio Chriſtóque ſeriò conciliandis: & ſi fortè de Paulino Trevirenſi, reſtituendo; de Hilario Pictavenſi, aliiſque ſimilibus Epiſcopis in pace relinquendis. Quæ Julianus animo jam tum Apoſtata, ut non multùm curaverit, curare tamen, ne ſe proderet, ſimulaverit.

Julianus in Chamavos.

6. E Toxandris inde Saliiſque ad Rheni paulò altiora verſus, *Chamavos*, ait Ammianus, *iiſdem ſimilia auſos* (ſcilicet quòd in Romano limite ſedes ſibi conſtituerant, ut rectè hic Valeſius) *adortus eſt*. Eam ſoli Tranſrhenani tractum Chamavi tunc incolebant, ut ſuprà monui, per quem nunc ferè Comitatus Markenſis totus, confluéſque aliquot ad Rhenum è Bergenſi Clivienſique Ducatibus urbes, à Duſſeldorpio ferè Weſaliam uſque, non procul à Bataviæ inſulæ capite, porriguntur. Nam Rheni ripam eos accoluiſſe, ex Eunapio mox audiemus, cùm frumentum dicet è Britannia Rheno ſubvehi, *iis invitis* non potuiſſe; ſimul è Zoſimo, cùm illos Bataviam ceu vicinam & ſibi commodam, invaſiſſe addit. Superiora verò ad Lupiam amnem etiam tenuiſſe, ſatis arguunt reliqua adhuc quædam nominis eorum, in eodem Markenſi Comitatu veſtigia: ut *Caemen*, & ſupra adhuc ad Lupiam Comitatus caput *Ham*, ſeu forti & Germanicâ adpiratione *Cham* & ſimilia. Hos igitur ad Rhenum *adortus* Julianus, *eâdem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes, vivoſque captos compegit in vincula. alios præcipiti fuga trepidantes, ad ſua, ne militem ſpatio longo defatigaret, abire permiſit innocuos.* Hæc de Saliis atque Chamavis Ammianus nimis ſuccinctè. ſed neque cauſam cur tam citò tam inopinatò eos aggreſſus ſit, tangit ullam; quam tamen ſcire, noſtra intereſt. Eam igitur nos è Zoſimo primùm, quia fuſior hic atque diſtinctior eſt; tum è Juliano ipſo ſuppleamus. Sic igitur Zoſimus, anno poſt victum Chonodomarium proximo, id eſt iſto Chriſti 358.

Quos etiam vincit.

Captivos Romanos recipit.

7. *His peractis; tantáque captivorum multitudine ab Alemannis redditâ, quantam veriſimile erat de 40. per vim captis urbibus fuiſſe coactam; Cæſar quid ageret ambigebat. Nam & opida funditus deleta cernebat, & terram non exiguo tempore relictam prorſus incultam; & à Barbaris recuperatos* Gallos *egentes annona non exigua: quæ vicinis ab urbibus ſuppeditari propterea non poterat, quòd cùm & ipſa barbarorum graſſationis expertes non fuiſſent, annonæ ſatis magnam copiam non haberent. Itaque cùm ignoraret, quo pacto, ſe præſente rerum ſtatu gereret, tale quiddam machinatur. Ad extremos Germaniæ limites, ubi Gallicæ cujuſdam nationis* (puta Batavicæ) *ſedes ſunt, Rhenus in Atlanticum mare ſeſe exonerat. Ab eo litore nongentis Britannia Inſula ſtadiis diſtat. Itaque collectis arboribus ex iis ſylvis quæ flumini Rheno,* nempè etiam ſuperiori, *adjacent, octingentas naves lembis majores ſtruxit. Iis in Britanniam miſſis, frumentum adferri curavit, ut fluvialibus navigiis adverſo Rheno ſubveheretur. Quo ſæpiùs iterato, quod navigatio brevis eſſet, abundè præbuit iis quos opidis ſuis reſtituerat, unde partim victitarent, partim ſementem facerent, partim ad meſſem uſque*

Oppidis ſuis reſtituit.

Iiſque frumentum è Britanniâ advehi curat.

 commeatum

commeatum haberent. Hæc Zoſimus; cauſam aperiens, cur Julianus tam maturè, tam improviſò, Salios Chamavosque propè Rheni inferiora incolentes, invaſerit. Nempe ne ſemel victi Franci frumentum è Britannia Rheno ſubvehendum non impedirent. Ex quo etiam fit, ut Hattuarii quoque & Bructeri, Francorum ad Rhenum reliqui, Juliano ſe cum aliis dediderint.

Juliani ipſius de eâ expeditione narratio.

8. Quam in ſententiam Julianus ipſe ita ſuâ ad S. P. Q. Athenienſem epiſtolâ: *Alter poſt hos ſucceſſit annus 357. ac tertius* (qui eſt iſte Chriſti 358) *cùm è Galliis pulſi omnes fugatiq; Barbari, pleraque urbes recreata, multa ex Britanniâ naves appulſa. Cùm ſexcentarum itaque navium claſſe ſolvens, è quibus quadringentas vix totis decem menſibus fabricaveram, omnibus ſum in Rhenum invectus. quod propter ingruentes & vicinos Barbaros, imprimis difficile videbatur. Sanè Florentius* Præfectus Prætorio Galliarum, *adeò fieri iſtud poſſe deſperaverat, ut de tranſitu cum Barbaris* (Saliis igitur maximè ac Chamavis, Hattuaris ac Bructeris) *duobus argenti librarum millibus paciſceretur. Quâ de re certior factus Conſtantius* (*nam cum eo ille communicaverat*) *mandavit mihi ut id agerem, niſi omnino turpe eſſe judicarem. Hoc verò quidni turpe foret, cùm ejuſmodi eſſe vel Conſtantio ipſi videretur, qui tamen Barbaros obſequiis omnibus fovere ac retinere conſueverat. Verùm nihil in illos à nobis eſt impenſum. Quin adverſus eos exercitum movens,* primo vere, *adſpirantibus Diis, Saliorum partem excepi, Chamavos expuli, infinita boum armenta cum mulieribus ac parvulis in poteſtatem redegi. Ita verò omnes exterrui, ac tantus illis excurſionis meæ injectus eſt metus, ut ſtatim obſides acceperim, & annonæ ſubvectionem tutam reddiderim.* Huc uſque Julianus, clariſſimè ad id, quod volumus, intelligendum: Nempe cùm *Alemannos* anno ſuperiore ad Argentoratum victos quidem, ſed iſto rurſum irâ & indignatione ad inſaniam furentes ac reſurgentes (ut ſuprà ex Ammiano audivimus) *prævenire ſtudio maturaret ingenti*; idque ſe facere non poſſe, niſi annonâ è Britanniâ advectâ videret; quæ rurſum adverſo Rheno ad Alemannos uſque ſubvehi, niſi Saliis, Chamavis, aliisque ad Rheni inferiora degentibus Francis ac Barbaris ſibi adjunctis, haud poſſet; illos inſperatus invaſit, ſubegit, imperata facere coëgit, tutâ annonæ ſubvectione relictâ.

Ex expedita cauſa.

CAPUT X.

Julianus in Saxones bellum gerit. Saliorum aliam partem cum Batavia recipit.

1. SEd iſto tam improviſo bello multa adhuc à Juliano geſta narrat Zoſimus libro 3. contra Salios, Chamavos, & Quados, quos Saxonum partem vocat; quæ cùm ad inſtitutum pertineant, hic videre & expendere operæ pretium fuerit. *Omnes,* inquit, *jam propemodum in iis locis barbari ſpem omnem abjecerant; tantumq; non ad internecionem perituras exiſtimabant ſuorum reliquias: cùm SAXONES omnium eas regiones incolentium barbarorum & animis & corporum viribus, & laborum in præliis tolerantiâ, fortiſſimi habiti, Quados nationis ſuæ partem, in ſolum à Romanis occupatum* (nempè Germaniam Belgicam Inferiorem, & ut credo Bataviam maximè) *emittunt.* Saxonas è Cimbricâ Cherſoneſo verſus terras Auſtraliores juxta maris oram moviſſe; & cum Friſiis Francorum Rhenanorum maximè Septentrionalibus, qui primi occurrerant, fœdus ad pyraticam exercendam iniiſſe, jam antè monui. E Friſiis igitur cùm in ſolum Romanum irrumpere, prædarique de more vellent; *à finitimis Francis,* ait Zoſimus l. 3. *tranſitu prohibiti ſunt: qui metuerent ne juſtam Cæſari* Juliano *cauſam præberent, ſe rurſus invadendi.* Cùm dicit *rurſus*, planè de Francis à Juliano paulò antè invaſis intelligit: cujuſmodi nulli alii fuere quàm Salii Toxandrici, jam victi; & ſi qui fortè Transrhenani; aut certè Batavici, à quibus eam inſulam (priùs Romanam) *tunc poſſeſſam* mox dicet Zoſimus; *poſſeſſam* inquam ex Romanorum vel pacto, vel diſſimulatione: quomodo enim aliàs frumentum è Britanniâ Rheno ſubvexiſſet Julianus? De Francis igitur etiam Batavis intelligit Zoſimus; ſicut & de Chamavis, Hattuariis item, & Bructeris, per quorum quoque ditionem frumentum è Britanniâ Argentoratum uſque devehere intendebat Julianus. Iſti itaque Franci tranſitum Saxonibus Quadis obſtruebant, ne juſtam darent Juliano cauſam ſe rurſus invadendi, ſi eos in Romanum ſolum admitterent.

Sed Quadi iſti, quicumque demum fuerint; Saxonum certè pars vel ſocii; Bataviæ inſulæ ad pyraticam his partibus exercēdam longè commodiſſimæ, ſi non & neceſſariæ, pertinaciter inhiantes; *primùm naves conſtruxerunt*; aut jam antè conſtructas aſſumpſerunt; *illiſque Rheno* (non ergo mari) *prætervecti parentem Francorum imperio regionem, in Romani juris* (ſi non immediatè, certè *alterius ac ſupremi*) *ſolum contenderunt. & adpulſis ad Batavum navibus* (*quam diviſus Rhenus inſulam efficit, quavis fluminea majorem*) *Saliorum gentem, Francorum partem: & vi Saxonum in hanc inſulam jam ante ſuis è ſedibus,* primævis ſcilicet & ad Iſalam, lacumque Zuyderzee porrectis, è Zallandt inquam, *rejectam expulerunt. Hæc inſula prius Romanis in univerſum parens, à Saliis hoc tempore poſſidebatur.* ex conventione Romanorum ſcilicet. Sed quâ Rheni parte, *& quam parentem Francis regionem* navibus prætervecti ſunt Quâdi? Obſcurus in iis, parumque diſtinctus eſt Zoſimi ſtylus. Puto navibus iſtis conſtructis, è lacu Zuyderzee in Friſiis ſibi addictis, per Iſalam foſſamque Druſianam, Saliorum primævorum in Toxandriam Bataviamque migratione ferè vacuam, in Romanum ſolum ideoque Bataviam ipſam tunc Salicam intraſſe: eamque Saliis inde pulſis occupaſſe. Unde ſequitur in Zoſimo: *Cæſar* Julianus *eâ re cognitâ*, Saliiſque ceu clientibus favens, *Quados ille quidem viciſſim aggrediebatur: juſſo tamen prius exercitu cum Quadis acriter dimicare, Saliorum neminem occidere, nec prohibere quo minùs in Romanorum fines illi tranſirent: quòd non ut hoſtes Romanam regionem peterent, ſed per vim & coactionem à Quadis pellerentur. Hac animadverſâ Cæſaris humanitate Salii, partim ex inſula cum Rege ſuo Romanum in ſolum tranſjiciebant, partim arreptâ fuga montes petebant* (an in hodiernâ Veluviâ?) *omnes Cæſari ſupplices facti, ſponte ſe cum rebus ſuis ejus ſe fidei permittebant*; popularium credo ſuorum in Toxandriâ prius factum imitati. Ita Julianus Bataviam & oſtia ſaltem bina

Saxones in Romanum ſolum Quados immittunt.

2. Qui Bataviam occupant.

Salii inde pulſi.

Rheni

Quam tamen Julianus recuperat.

Rheni recepit, & ſumentum è Britannia Rheno immittere liberè deinceps potuit, utque latiùs & in ſuperiora poſſet, Chamavos ſtatim aggreſſus eſt, quos, ut ſuprà narravit Ammianus, *partim cecidit, partim acriter repugnantes vivos cepit, & in vincula compegit; alios præcipiti fugà trepidantes, ad ſua redire permiſit incolumes, ne militem ſpatio longo fatigaret.*

3. Ita *Cæſar barbaros* (Saxones, Chamavos & alios) *non jam ad bellum gerendum amplius promptos & audentes videns* (rurſum Zoſimi verba) *ſed clandeſtinis incurſionibus ac latrociniis intentos; haud levibus hoc pacto malis ac detrimentis regionem adficere: quid ageret dubius, hanc barbarorum artem prudenti ſtratagemate viciſſim ultus eſt. Erat quidam vaſto ſupra ceteros omnes corpore, cui quidem corporis magnitudini fortitudo viri reſpondebat. Hunc natione Barbaro* (Franco opinor), *ceteriſque cum Barbaris latrociniis aſſueto, viſum eſt relictis ſedibus ſuis, ad ſubjectos Romanis Celtas* (puta Belgas) *ſeſe conferre. Commoratus igitur ad aliquod tempus Treviris, quæ urbs tranſalpinarum gentium maxima eſt, cum Tranſrhenanos barbaros videret urbes in adverſà* (ſeu Belgicâ) *Rheni ripà ſitas incurſionibus vexare, omniumque fortunas nullo prohibente populari* (quòd quidem tum temporis accidit, cùm necdum Julianus Cæſaris poteſtatem nactus eſſet; an ſub Conſtante, Magnentio, &c.) *defendere quidem oppida cogitabat; ſed quod nullam ejus rei licentiam haberet, cui nulla lex id facere permiſiſſet; initio ſolus in denſiſſimas ſylvas abditus, barbarorum incurſus operiebatur. Eoſque noctu aggreſſus, temulentos ac ſomno ſopitos, capita quotquot poterat, barbaris abſcindebat: & in urbem* (Treviros) *allata civibus oſtendebat. Id inſtitutum continuans, metum & cunctationem barbaris non exiguam incutiebat; ignorantibus quidem, quo pacto res fieret, ſed malum ex quotidianà copiarum ſuarum imminutione deprehendentibus.*

Et Charietonem Francum in Barbaros incitat.

Trevirenſis civitas tranſalpinarum maxima.

In quam Charietto capita Barbarorum plura adfert.

4. *Cùm autem & alii latrones ei ſe junxiſſent, & jam excreviſſent; tum verò Charietto* (*ſic enim Dux iſte vocabatur*) *adito Cæſare* Iuliano, *rem ei non multis antè cognitam aperit. Cæſar, cui facile non eſſet, cum exercitu nocturnas & clandeſtinas incurſiones coërcere* (*nam exiguo numero, variis locis latrocinabantur; & de die ſaltibus abdebantur, ex prædis ſuis victitantes*) *eò redactus eſt, ut non exercitu tantùm, ſed & latronum globo latrones perſequeretur. Itaque recepto Charietone cum ſuis, & compluribus Saliorum ei adjunctis; noctu velut exercitos latrociniis in latrocinantes Quados ſeu Chamavos emittebat: interdiu ſub die diſpoſitas militum ſtationes habebat, & omnes qui latronum manus evaſerant trucidabat. Nec id facere deſtitit, donec Quadi maximas ad anguſtias redacti, déque multis pauci facti, cum Duce ſuo Cæſari ſe dederent.* Ita Zoſimus, more ſuo confuſiùs; & Quados cum Chamavis malè confundens, id eſt Saxones cum Francis. de quo mox.

Ideo à Juliano receptus; & poſtea rei militaris in utraque Germaniâ Belgicâ Comes, *Ammianus init. l. 27.*

5. *Magnam eorum* (Chamavorum vult dicere) *multitudinem ſuperioribus irruptionibus captivam fecerat Julianus; & inter alios ipſum Regis* Chamavorum *filium, à Charietone captum. Cùm ergo illi miſerabili modo ſupplices pacem peterent; obſides ille dare juſſit, & quidem homines claros, & in his ipſum Regis filium. Rex ſuorum miſerabili lamentatione ſublatâ, cum lacrymis dejerabat, inter alios & filium ſibi periiſſe. Cæſar lacrymas patris miſeratus, & ipſe* (addit Eunapius) *tenere illacrymavit. ac triſtia lætis, ut in comœdiâ mutans, adoleſcentem ſubitò productum omnium oculis ſubjecit, regiè apud ſe educatum: eumq; cum patre colloqui juſſit. Non protulit Sol diem qualis illa barbaris fuit. ſtupore & admiratione fixi ſteterunt. tanquam Julianus non adoleſcentem, ſed illius ſpectrum exhibuiſſet. At Imperator, hunc quidem, inquit, bellum perdiderat, ut vos exiſtimabatis; ſed Deus & Romanorum benignitas reſtituit. Habebo eum obſidem, non à vobis, ſed à bello ipſo, contentus viciſſe. Nec eum ampliſſima deficient, dum meâ conſuetudine fruetur, & vos à fœdere non diſcedetis; aliàs jacturam omnium facturi. Procubuerunt his dictis omnes: & illi ceu Deo ſancta omnia precati ſunt. Pacem igitur fecit; & ſolam Nebogaſtis* (Regis an ejus filii?) *matrem petiit. quam barbari fœdus approbantes ſtatim dederunt.* Ita Zoſimo conformis Eunapius, niſi quod Chamavos appellet, quos ille Quados. cùm hiſtoriam hanc ita inchoat: *In hoſtile ſolum cùm Julianus irrupiſſet, Chamavis ſupplicantibus, ut genti ceu jam ſuæ parceret, aſſenſus eſt. Et eorum Rege ad ſe venire juſſo, eum de ripà Rheni ſtantem, & barbaros per interpretem allocutus eſt; cum de navi, quæ telis erat inſtructa, deſcendiſſet. Illis imperata ſe facturos affirmantibus, cùm honeſtam ſimul & neceſſariam ſibi pacem hanc animadverteret* (*nam Chamavis invitis commeatus ex Britannia ad Romanorum colonias & munimenta Rheno ſubvehi nullo modo poteſt*) *utilitate adductus pacem indulſit: & obſides fidei firmandæ accepit.* Eo quo jam dixi modo. Subdit Zoſimus: *Cæſar his rebus ita conſtitutis, & Salios & Quadorum ſeu Chamavorum partem, & quoſdam Bataviam inſulam incolentes Legionibus adſcripſit: quorum ordines noſtro quoque tempore ſuperſtites eſſe videntur.*

Juliani in Chamavis geſta, *ex Zoſimo & Eunapio*, quæ ſuprà Ammianus.

Regi Chamavorum reddit filium inſperatò.

Et pacem indulget.

6. Zoſimus hîc confusè more ſuo loquitur, & quinam Quadi fuerint, ignoraſſe videtur. Sed neque Quadorum ullus auctor alius meminit. Priora quæ de Saliis per illos Bataviâ pulſis ſcribit; Friſiis verè aptari poſſunt. Nam illi primùm à Francorum ad Saxonum ſocietatem deſiderio pyraticæ tranſierunt; eoque Saxonum pars dici, & Salios gentilibus odiis inſectari; Bataviâ denique pellere potuerunt; & ſi plura non addidiſſet, verus haberi poſſet. Sed cùm ea ſubdit, quæ Chamavis certò ex Juliano Eunapioque tribuuntur, duas in unam nationes confundit, cui & nomen his partibus inauditum affingit. Ut igitur eum cum Juliano Eunapioque benignè conciliemus; dicamus quæ de Saliis per Quados Bataviâ pulſis narrat; de Friſiis intelligere, qui & Quadi ex malis ſuis effectibus vocari potuerunt. Poſteriora verò, quæ de Francis & eorum Rege Nebogaſte ſubdit, certò Chamavis tribui debent; niſi Julianum ipſum qui hæc geſſit, erraſſe dicamus. In poſteriorum igitur iſtorum narratione, licebit pro Quadis Chamavos reponere. Interim duo præterea hic addit non tacenda Zoſimus. Primò Julianum, cùm hæc ageret, nondum viceſimum quintum ætatis annum attigiſſe. Secundò Salluſtium è Galliis in Orientem à Conſtantio revocatum; quòd eum conſiliis ſuis tantam Juliano gloriam conciliare crederet. De quo extat Juliani ipſius oratio octava, querelarum de tanti amici diſceſſu pleniſſima, hoc proinde anno ſcripta; ex cujus inſuper fine diſcimus, ortum è Galliis Salluſtium. Cetera jam hujus anni ex Ammiani lib. 17. pertexamus.

Per Quados Zoſimus primùm Friſios, tum Chamavos intelligit.

7. Chamavorum ergo legatis paulò pòſt (quàm eos ſubegiſſet ſcilicet) precatum, ſuiſque rebus conſultum miſſis, humi proſtratis pacem tribuit, quo jam dictum pacto. *Cunctis igitur ex voto currentibus; ſtudio pervigili properans modis omnibus utilitatem fundare provinciarum; munimenta tria rectâ*

Munimenta tria ad Moſam reſtaurat.

ſerie

ſerie ſupercilii impoſita fluminis Moſa, ſubverſa dudum obſtinatione barbaricâ (ſuprà an infrà prædictum Caſtellum Menapiorum, certe non procul) *reparare pro tempore cogitabat, & illico ſunt inſtaurata, procinctu pauliſper omiſſo. Atque ut conſilium prudens celeritas faceret tutum; ex annona decem dierum & ſeptem, quam ex hibernis Pariſienſibus in expeditionem pergens vehebat cervicibus miles, portionem ſubtractam, in iiſdem condidit caſtris. ſperans ex Chamavorum ſegetibus id ſuppleri poſſe, quod ablatum eſt.* Caſtra igitur iſta Moſana in hodierna ſuperiore Geldriâ erant; Ruremundâ Venlonâque non procul, uti nec à Chamavis Rheno vicino adſitis.

Seditio militum in Julianum.

8. *Longè autem aliter accidit. Frugibus enim nondum etiam maturis, miles expenſis quæ portaverat, nuſquam reperiens victus, extrema minitans, Julianum compellationibus inceſſebat & probris: Aſianum appellans, Græculum fallacem, & ſpecie ſapientiæ ſtolidum.* & ſtrepebant nonnulli dura ſe jam & aſpera perpeſſos per nives ac pruinas; *cùm ultimus ille hoſtium fatis inſtat, fame ignaviſſimo mortis genere tabeſcere. Non pro auro argentóve, quæ nunquam contrectaverint; ſed pro vitâ ſolâ loqui. Et erat juſta ratio querelarum. inter tot enim neceſſitates, ſudoribus Gallicanis miles exhauſtus, nec donativum meruerat nec ſtipendium, jam inde ut Julianus eò miſſus erat: eâ re, quod nec ipſi quod daret ſuppetere poterat uſquam, nec Conſtantius erogari more ſolito permittebat. Hocque exinde claruit fraude potius quàm tenacitate commiti; quòd cùm idem Cæſar petenti ex uſu gregario cuidam, ut barbas detondêret; dediſſet aliquid vile; contumelioſis calumniis appetitus eſt à Gaudentio tunc Notario, quem poſtea ipſe interfici juſſit. ut loco monſtrabitur competenti.*

CAPUT XI.

Iulianus in Alemannos movet.

Annis Chriſti 358. & 359.

Alemannos impetit Julianus.

1. IUlianus in Alemannos, ut jam antè conſtituerat, bellum è Toxandria Chamavisque tranſtulit. De quo ſic pergit Ammianus : Lenito tandem tumultu, non ſine blanditiarum genere vario : contextoque navali ponte (ad Moguntiam de more) Rheno tranſito, terris Alemannorum calcatis (jam enim frumentum naves è Britanniâ ſubvexerant) Severus Magiſter Equitum, bellicoſus antè hæc, & induſtrius, repentè commarcuit : & qui ſæpè univerſos ad fortiter faciendum hortabatur ac ſingulos, tunc diſſuaſor pugnandi contemptus videbatur ac timidus, mortem fortè metuens adventantem. Inter has tamen moras Alemannorum Rex Suomarius ultrò cum ſuis improviſus occurrit; ferox antè ſæviensque in damna Romana; & tum lucrum exiſtimans inſperatum, ſi propria retinere permitteretur. Et quia vultus inceſſusque ſupplicem indicabat; ſuſceptus bonoque animo eſſe juſſus, nihil arbitrio ſuo relinquens, pacem genibus curvatus orabat. Et eam cum conceſſione præteritorum, ſub hac meruit lege, ut captivos redderet noſtros, & quoties ſit neceſſe militibus alimenta præberet. Quod ita rectè diſpoſitum, eſt impræpeditè completum.

Suomarium Regem recepit.

2. Hortarii inde Regis alterius pagum Cæſar petiturus, quia nihil præter ductores deerat, correpto priùs operâ Neſticæ Tribuni, & Chariettonis viri fortiſſimi uno ex hoſtibus adoleſcente itinerum gnaro, eo ductore exercitum duxit. Qui ceſſarum arborum exiſtente concæde, ire protinus vetabatur. Verùm per circuitus longos & flexuoſos, ventum eſt tandem ad loca. Et irâ quiſque percitus armatorum urebat agros, pecora diripiebat & homines, reſiſtentesque ſine ullâ parſimoniâ contruncabat. His malis perculſus Rex Hortarius, oravit ipſe quoque veniam, facturum ſe imperanda: jurandique exſecratione reſtituere univerſos captivos promiſit; Id enim curâ agebatur impenſiore; detentisque plurimis reddidit paucos. Quo cognito ad indignationem juſtam Julianus erectus, cùm munerandus veniſſet ex more, quatuor comites ejus, quorum ope & fide maximè nitebatur, non antè abſoluit, dum omnes rediere captivi. Ad colloquium tamen accitus à Cæſare, trementibus oculis adorato, victorisque ſuperatus adſpectu, conditione difficili premebatur, hac ſcilicet, ut quoniam conſentaneum erat poſt tot ſecundos eventus, civitates quoque reparari vi Barbarorum exciſas, carpenta & materias ex opibus ſuis ſuorumque præberet. Et hoc pollicitus, imprecatusque, ſi perfidum quidquam egiſſet, luenda ſibi cruore ſupplicia, ad propria remeare permiſſus eſt. Annonam enim transferre ita ut Suomarius, ea re compelli non potuit, quòd ad internecionem regione ejus vaſtatâ, nihil inveniri poterat quod daretur. Ita Reges illi (Alemannorum) tumentes quondam immaniter, rapinisque diteſcere adſueti noſtrorum, Romanæ potentiæ jugo ſubdidêre colla jam domita; & velut inter tributarios nati & educati, obſecundabant imperio ingravatè. Quibus hoc modo pactis, diſperſo per ſtationes milite, conſueta ad hiberna regreſſus eſt Cæſar. Hæc cùm in comitatu Conſtantii ſubinde noſcerentur, adulatores vertebant in deridiculum, Julianum ut hirſutum capellam appellantes, loquacem talpam, & purpuratam ſimiam, & litterionem Græcum. Ammianus. qui ſequenti lib. 18. pergit:

Hortarius alius Rex pacè etiam petit.

& imperat, modo oppida deſtructa reſtauraret

Quod & facit

3 Anno ſequenti, Criſti 359. quo Synodus Ariminenſis habita, uti mox, *Euſebio Hypatioque Fratribus Coss.* Julianus apud hiberna provinciis multa conducentia diſpoſuit; diligenter obſervans, ne quem tributorum ſarcina prægravaret, néve potentia præſſimeret aliena, vel Judicum quiſquam ab æquitate deviaret impunè. Unum ſufficiet poni. Numerium Narbonenſis paulò ante Rectorem accuſabant ut furem. qui cum inficiatione defenderet objecta, nec poſſet in quoquam confutari; Delphidius orator acerrimus, documentorum inopiâ percitus, exclamavit: ecquis, florentiſſime Cæſar, nocens eſſe poterit uſquam, ſi negare ſufficerit? Contra quem Julianus prudenter motus ex tempore, Ecquis, ait, innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficerit?] De Delphidio hoc etiam his annis in Chronico Hieronymus: Alcimus & Delphidius Rhetores in Aquitaniâ florentiſſimè docent. Ad hunc eſt carmen 6. Auſonii; ex quo ut & ſuperiore quinto intelligimus, eum fuiſſe filium Pateræ ſeu Paterii item Oratoris, Rhetoricam Romæ ſub extrema Conſtantini tempora profeſſi, ut habet Hieronymus; nepotem Phœbicii Béleni Æditui, ſtirpe Druidarum ſati; ut Auſonius carmine 11.

Annus Chriſti 359.

Tributi onera ſublevare pergit Julian⁹.

Delphidius Orator.

Auſonio & Hieronymo memoratus.

quos

quos omnes Hedibiæ majores vocat ad eam ſcribens Hieronymus. Sed pergit Ammianus.

Julianus iterum in Alemannos.

4. Julianus cùm Alemanorum pagos aliquos adhuc hoſtiles auſuros immania reputaret, ni eos ad cæterorum exempla repentinus invaderet; Hariobaudem (Francum nomen, ut apparet) vacantem Tribunum fidei fortitudinisque notæ, ad Hortarium miſit Regem jam pacatum, ut ſcitaretur quid illi molirentur, ſermonis Barbarici (nempè Germanici) perquam gnarus. Quo fidenter ad hæc pattanda digreſſo, ipſe anni tempore opportuno profectus, id inter potiſſima maturè duxit implendum, ut ante præliorum fervorem, civitates multo antè exciſas introiret, receptasque communiret: horrea quin etiam extrueret pro incenſis, ubi condi poſſet annona à Britannis ſueta (*nota* ſueta) transferri: Et utrumque perfectum eſt, ſpe omnium citiùs; Nam & horrea veloci opere ſurrexerunt, alimentorumque in iis ſatias condita. Et civitates occupatæ ſunt ſeptem: *ab Rheni ſcilicet diverti-ſurſum contra fluvii curſum; nempè*, Caſtra Herculis, *non longè ab ipſo diverti* (Qualberg *propè Clivium*) Triceſimæ (*nempè legionis Traianæ caſtra, quæ & Colonia Ulpia Traiana dicta, hodie* Kellen *prope Clivium*) Noveſium *hodie* Nuys; Bonna, Antennacum (*Andernach*) & Bingium. Ubi læto quodam eventu etiam Florentius Præfectus Prætorio apparuit ſubitò, partem militum ducens, & commeatuum præferens copiam, uſibus longis ſufficientem. Poſt hæc impetrata, reſtabat adigente neceſſitatum articulo, receptarum urbium mœnia reparari, nullo etiam tum interturbante. Idque claris indiciis apparet, eâ tempeſtate utilitati publicæ, metu barbaros (*Alemannos*) obediſſe, Rectoris *Juliani* amore, Romanos. Nam Reges (*Alemannorum, Suomarius, & Hortarius*) ex pacto ſuperioris anni, ædificiis habilia multa ſuis miſère carpentis; & auxiliarii milites ſemper munia ſpernentes hujuſmodi, ad obſequendi ſedulitatē Juliani blanditiis deflexi, quinquagenarias longioreſque materias vexere cervicibus ingravatè, & fabricandi miniſteriis opem maximā contulerunt.

Ad quas frumentum è Britanniâ Rheno vehere pergit.

Civitates 7 ad Rhenum occupat in Belgicâ.

Quæ & à Barbaris, & à Romanis ſtrenuè inſtaurātur.

Rhenum ad Moguntiam trāſire volunt Romani.

5. Quæ dum diligenti maturantur effectu, Hariobaudes exploratis in Alemaniâ omnibus redit, docuitque comperta. Poſt cujus adventum incitatis viribus omnes venêre Moguntiacum: ubi Florentio & Lupicino Severi ſucceſſore, deſtinatè certantibus, per pontem illic (*Moguntiæ*) conſtitutum tranſiri debere, renitebatur firmiſſimè Cæſar; aſſerens pacatorum terras non debere calcari; nè, ut ſæpè contigit, per incivilitatem militis occurrentia vaſtantis, abruptè fœdera frangerentur. Alemanni tamen omnes, quos petebat exercitus, confine periculum cogitantes, Suomarium Regem amicum nobis ex pactione præteritâ, monuerunt minaciter, ut à tranſitu Romanos arceret: ejus enim pagi Rheni ripis ulterioribus adhærebant: *credo è regione Moguntiæ, Vormatiæ, Spiræ & vicinorum.* Quo teſtante, reſiſtere ſolùm non poſſe, in unum coacta barbarica multitudo venit propè Moguntiacum, prohibitura viribus magnis exercitum, ne tranſmitteret flumen. & per contrarias ripas leniter incedentes, ubi Romanos figere tentoria procul cernebant, ipſi quoque noctes agebant exſomnes; cuſtodientes pervigili ſtudio, ne tranſitus tētaretur. Sed Cæſar trecentis militibus expeditis, 40. navibus luſoriis, quæ tunc aderant ſolæ, noctu impoſitis; adverſas occupavit limitis ripas. Iique milites Hortarium Regem nobis antè fœderatum, cùm Regibus omnibus, Regalibus, & Regulis, quos illic ad convivium congregatos epulis adusque vigiliam tertiam retinuerat, fortè tunc revertentes, corripuiſſent; ni tenebrarum equorumque adjumento effugiſſent. Lixas tamen ſervos pedibus ſequentes, multos occiderunt. Ita Romani tranſiêrunt.

Alemanni impediunt.

Illi tamen tranſeunt, Regibus fugientibus.

6. Quo cognito, perculſi Reges eorumque populi, qui pontem ne strueretur, ſtudio ſervabant intento, metu vertuntur in pedes, & neceſſitudines opeſque ſuas transferre longiùs feſtinant. Ita ponte novo conſtrato, viſus in Bàrbarico miles, per Hortarii regna tranſibat intacta. Ubi verò terras infeſtorum etiam tùm tetigit Regum, urens omnia rapienſque, per medium rebellium ſolum graſſabatur intrepidus. Cùm ventum fuiſſet ad regionem, cui Capellatū vel Palas nomen eſt; ubi terminales lapidea, Alemannorum & Burgundiorum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita: ea propter, ut Macrianus & Hariobaudus germani fratres & Reges ſuſciperentur impavidi: qui propinquare ſibi perniciem ſentientes, venerant pacem precaturi. Regio Capellatium vel Palas, is terræ tractus videtur; qui inter Fuldam & Sylvam *Speſſart* jacet. Nam tunc Burgūdi Mœno finitima obtinebāt à Bohemiâ occiduâ ad iſtam uſque Sylvam *Speſſart*. Macrianus autem & Hariobaudus fratres inter fluvios Lonam ac Mœnum regnabāt, circa Veteraviam, in Hanovienſi Naſſoviēſi, finitimiſq; Comitatibus hodiernis.

Regio Capellatu vel Palas.

Macrianus & Hariobaudus Reges germani fratres.

7. Poſt quos ſtatim, Rex quoque Vadomarius venit, cujus erat domicilium contra Rauracos; ſcriptiſque Conſtantii principis, quibus commendatus eſt artiùs, allegatis, leniter ſuſceptus eſt ut decebat; olim ab Auguſto in clientelam rei Romanæ ſuſceptus. Et Macrianus quidem cum fratre inter aquilas admiſſus & ſigna, ſtupebat armorum viriumque varium decus, viſa tunc primitus; proque ſuis orabat. Vadomarius verò noſtris coalitus, utpotè vicinus limiti, mirabatur quidem apparatum ambitioſi procinctûs; ſed vidiſſe ſe talia ſæpè ab adoleſcentiâ meminerat primâ. Libratis denique diu conſiliis, concordi aſſenſione cunctorum, Macriano quidem & Hariobaudo pax eſt attributa: Vadomario verò, qui ſuam locaturus ſecuritatem in tuto, & legationis nomine precator venerat pro Urio, & Urſicino, & Veſtralpo Regibus, pacem itidem obſecrans, interim reſponderi non poterat; ne, ut ſunt fluxioris fidei barbari, poſt noſtrorum abitum recreati, parum acquieſcerent per alios impetratis. Sed cùm ipſi quoque miſſis legatis poſt meſſes incenſas & habitacula, captoſque complures & interfectos, ita ſupplicarent, tanquam ipſi hæc deliquiſſent in noſtros, pacem conditionum ſimilitudine meruerunt. Inter quas id feſtinatum eſt maximè, ut captivos reſtituerent omnes, quos rapuerant excurſibus crebris.] Hactenus Ammianus

Mirantur arma viresque Romanorum.

Pax omnibus data.

8. De hiſce 4 iſtorum annorum expeditionibus, ita ſummatim ipſe Julianus epiſtola ad S.P.Q. Athenienſem, pag. 514. *Longū eſt ſingula pertenſere, quæ 4. annis à me geſta. Horum ſumma iſta capita ſunt: Ter, cum adhuc Cæſar eſſem, Rhenum trajeci. Viginti captivorū millia à Transrhenanis Barbaris repetii. Ex duobus præliis & una obſidione, mille homines in poteſtatem accepi, nec eos ætate confectos, ſed juvenes. Quatuor lectiſſimorum peditum numeros, tres nihilo inferiorum Equitum, ſcholas duas honoratiſſimas, ad Conſtantiū miſi. Oppida cepi nunc quidē omnia, tū verò paulò minus 40 potitus fuerā.* Ita Julian.

Juliani in Gallius geſta quatuor annorum.

CAPUT

CAPUT XII.

Hilarii ad Belgas primùm, tùm alios Galliarum Epiſcopos Liber de Synodis, occaſione Fidei ſecundæ Sirmienſis, ab illis conſtanter rejectæ.

Anno Chriſti 358. & 359.

Conſtantius Româ Sirmiû venit.

1. DVm hæc in Galliis à Juliano geruntur, Conſtantius Imperator jam antè ex Urbe, Italiáque in Illyricum menſe Maio anni Chriſti 357. ut diximus, expirante profectus, Sirmium Pannoniæ Inferioris ſive ſecundæ Metropolim, ſub Junium Juliúmve menſes pervenerat. Quâ in urbe diutiùs contra Sarmatas hoſteſque vicinos hærens, & cum aliquot Arrianis Epiſcopis ſibi familiaribus agens; quaſi nondum ſatis hucuſque Arrii perfidiam ſtabiliiſſet, ſemperque mente fluctuans (quod hæreticis omnibus accidit) novam credendi formulam cudi vulgaríque permiſit, ſi non & curavit: quæ novos ingenteſque tumultus exeivit. Rem fuſiùs accuratiuſque retexere conabor, hoc magis quo in Annalibus turbatior apparet.

Prima Sirmienſis Fidei formula, anno Chriſti 351.

2. Jam antè vidimus anno Chriſti 351. præcipitante, ſuperato ad Murſam Pannoniæ Magnentio, in eâdem Sirmienſi Urbe primam fidei formulam à Valente, Urſatio, aliiſque Epiſcopis non admodum Orthodoxis emiſſam; quæ etſi Nicænam generalem non ſatis exprimeret, tacitâ Homoouſii voce, nihil tamen contra, ſaltem apertè, continere videretur. *Eâ quippe tempeſtate* (ut rectè Severus) *Arriani perfidiam ſuam occultabant, non auſi palam erroris ſui dogmata prædicare, Catholicos ſe gerebant; nihil ſibi prius agendum rati, quàm ut Athanaſium Eccleſiâ ſubmoverent.* Et tyrannos plures tunc exortos, Magnentium præſertim, nondum Conſtantius planè devicerat. Primam igitur illam Fidei formulam ſeu Ecthesin, cùm in varias partes Epiſcopi iſti etiam in Gallias noſtras emiſiſſent; aliqui formulam improbarunt; unde & Paulinus Trevirorum tunc Epiſcopus & cum illo nonulla (ut reor) Galliæ pars,

A Paulino Trevirenſi, Belgiſque Epiſcopis nô admiſſa.

ſe in *Photini atque Marcelli damnationem præbere conſenſum*, quos ea formula damnabat; *de Athanaſio non præbere* reſcripſit. Poſtquam Magnentio Lugduni perempto Monarcha Conſtantius evaſit; extulere animos Arriani poteſtate Regis uſuri, ubi auctoritate ſuâ parum valuiſſent. Hinc tot in Occidente contra Orthodoxos Synodi; Arelatenſis, Mediolanenſis, ac Biterrenſis, quibus præcipui quique in exilium pulſi Paſtores; è Gallis noſtris Paulinus, Hilarius, atque Rhodanius; ex Italis Euſebius, Dionyſius, Lucifer, Liberius Papa & alii. ſicut antè viſum.

Secunda Sirmienſis Fidei formula, anno Chriſti 358. fin. aut 359. meunte.

3. Ne ſic quidem Arrianis ſatisfactum. Pudor quidam eos urebat, velut medio dumtaxat ore hactenus Arrii ſectam expoſuiſſent. Igitur annis poſt primam iſtam Ecthesin Sirmii editam omnino ſex Imperatore Sirmium hoc anno Chriſti 357. poſt triumphum Romæ initum, circa menſem Junium Juliúmve reverſo, ſi non ſtatim, ineunte ſaltem eâ quæ annum iſtum clauſit & proximum 358. inchoavit hyeme; aliquot Epiſcopi, nec adeo multi quidē, ſed ſectæ Arrianæ anteſignani, præſertim Valens, Urſacius, ac Germinianus; ſecundam ac novam fidei expoſitionem formulamque procudunt, Arrii hæreſi planiſſimè infectam blaſphemamque; quam *Sirmienſem* Secundam omnes unanimiter (licèt tempore diſcordent) appellant: quamque Hilarius de Synodis modò *Sirmienſem Infidelis Fidei impietatem*, modò *Oſii Potamiique* qui ei ſubſcribere coacti ſunt, *blaſphemiam ſuppuratæ impietatis doctrinam* appellat. Eam hic ex eodem Hilario, Athanaſio, & Socrate audire juverit:

Quam Hilarius exhibet, libro de Synodis.

4. *Cùm nonnulla putaretur eſſe de fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt & diſcuſſa. præſentibus ſanctiſſimis fratribus & Coepiſcopis noſtris Valente, Urſatio, & Germinio. Unum conſtat eſſe Deum omnipotentem Patrem, ſicut & per univerſum orbem creditur; & unicum filium ejus JESUM Chriſtum, Dominum Salvatorem noſtrum; ex ipſo ante ſæcula genitum: Duos autem Deos, nec poſſe nec debere prædicari; quia ipſe Dominus dixit, Ibo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Ideo omnium Deus unus eſt: ſicut Apoſtolus docuit: An Iudæorum Deus tantum? nonne & gentium? imo & gentium. quoniam quidem unus Deus, qui juſtificat Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Sed cetera convenerunt, nec ullam potuerunt habere diſcrepantiam. Quòd verò quoſdam haud multos movebat de Subſtantiâ, quæ Græcè* ο..ιa *appellatur; id eſt, ut expreſſiùs intelligatur, Homouſion quod dicitur, aut Homœouſion; nullam omnino fieri oportere mentionem; nec quemquam prædicare eâ de cauſa ratione: quòd nec in divinis Scripturis contineatur; & quòd ſuper hominis ſcientiam ſit: nec quiſquam poſſit Nativitatem Filii enarrare: de qua ſcriptum eſt, Generationem ejus quis enarrabit? Scire autem manifeſtum eſt, ſolum Patrem, quomodo genuerit filium; & filium, quomodo genitus ſit à Patre. Nulla ambiguitas eſt, majorem eſſe Patrem. Nulli dubium poteſt eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, majeſtate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe. Filio teſtante, Qui me miſit, major me eſt. Et hoc Catholicum eſſe nemo ignorat, Duas perſonas eſſe Patris & Filii; majorem Patrem, Filium ſubjectum: cum omnibus his quæ ipſi Pater ſubjecit. Patrem initium non habere, inviſibilem eſſe, Immortalem eſſe, Impaſſibilem eſſe: Filium autem, natum ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cujus filii generationem, ut ante dictum eſt, neminem ſcire, niſi Patrem ſuum. Ipſum autem Filium Dei, Dominum & Deum noſtrum, ſicut legitur, carnem vel corpus, id eſt hominem ſuſcepiſſe ex utero Virginis Mariæ, ſicut Angelus prædicavit. Ut autem Scripturæ omnes docent, & præcipuè ipſe Magiſter gentium Apoſtolus, hominem ſuſcepiſſe de Mariâ Virgine, per quem compaſſus eſt. Illa autem clavis totius Fidei & illa confirmatio, quòd Trinitas ſemper ſervanda eſt, ſicut legimus in Evangelio, Ite, & baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti; integer, perfectus numerus Trinitatis eſt. Paracletus autem Spiritus per Filium eſt, qui miſſus venit juxta promiſſum; ut Apoſtolos & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret.* Hactenus ſecunda Sirmienſis formula apud Hilarium.

Eadē apud Athanaſiū, & Socratē.

Latinè primùm edita, tum Græcè verſa.

5. Eamdem referunt Athanaſius itidem de Synodis, & Socrates lib. 2. cap. 25. Simul Romano ſeu Latino ſermone primò conceptam disertè notant; ac deinde in Græcum converſam. quod &

Sozome-

Sozomenus innuere vedetur lib. 4. cap. 5. An Latinum ipſum Fidei autographum viderit, & hoc exſcripſerit Hilarius, ipſe quidem non negat, neque diſertè exprimit; ſubinnuere tamen videtur, non vidiſſe; cùm illius damnationem ab Ancyranâ mox Synodo factam, & Græcè ab illâ editam Latinè ſicut & Sirmienſem ecthesin recitaturus, queritur, *Quod ex Græca in Latinum facta tranſlatis affert plerumque obſcuritatem; dum cuſtodita verborum collatio eamdem abſolutionem non poteſt ad intelligentiæ ſimplicitatem conſervare.* Probat quoque non vidiſſe ipſius formulæ Titulus ab ipſo appoſitus; *exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium Potamiumquè conſcripta.* quando titulum illum neque Athanaſius, neque Socrates, neque Sozomenus omnes Græci agnoſcunt, neque ab Oſio Potamioque ſcriptum memorant. Planè ut additus poſtea videatur. quod & neceſſarium eſt. Nam cùm Oſium Cordubenſem vix tandem poſt annum integrum Sirmii tranſactum, & quidem variis cruciatibus in illius ſubſcriptionem adactum, iidem ipſi referant, omnino ante ejus conſenſum primò conceptam & editam oportet. Quin & vehemens ſuſpicio eſt, Latinè oblatam Oſio ſimpliciorem fuiſſe, nec quicquam contra fidem Nicænam apertè continuiſſe. quam cùm ille approbaſſet; auctam deinde, perverſam, & in Græcum verſam, rurſumque Latinè converſam, denique in omnes Imperii partes tranſmiſſam. Nam & à Valente ipſo cæteriſque auctoribus, imò & Imperatore mox improbatam, revocatam, ſupprimi & extingui juſſam infrà videbimus.

Sed dubiè.

Ideoque revocata.

Et blaſphemiam vocat Hilarius.

6. In ea quid damnandum ſit, per ſe patet; & ita aperit Hilarius eodem de Synodis libro: Gallicanos Epiſcopos alloquens: *Meminiſtis in eâ ipſâ ſcriptâ proximè apud Sirmium blaſphemiâ* (nempe anno Chriſti 357. finiente; aut ineunte 358.) *id tentatum ac laboratum eſſe; ut dum Pater unus & ſolus omnium Deus prædicatur, Deus eſſe filius negaretur; & dum de Homouſio & Homœouſio taceri decernitur, id decretum eſſe; ut aut ex nihilo ut creatura; aut ex aliâ eſſentiâ, ut conſequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus filius natus confirmaretur. Tum porro in eo, quòd honore, claritate, dignitate, majeſtate Pater major diceretur, id eſſe quæſitum, ut Filius his omnibus quibus Pater major eſt, indigeret. Poſtremò, dum ignorabilis nativitas ejus aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretum, neſcire quòd ex Deo ſit, juberemur. perinde quaſi juberi decernique poſſit, ut quis aut quod ignoraturus ſit, ſciat; aut quod ſciverit ignoret.* Ita Hilarius Ectheſeos iſtius errores perſtringens, ex quibus videmus, quantos ex victoriis Imperatoris ſui ſumpſerint ſpiritus nequam iſti ſectarii. Unde rectè Severus poſt pulſos in exilium Synodo Mediolanenſi tot Epiſcopos Confeſſores: *Interea* (inquit) *Arriani non occultè ut antea, ſed palàm ac publicè hæreſis piacula prædicabant. Quin etiam Synodum Nicænam pro ſe interpretantes, quam unius literæ additione corruperant, caliginem quamdam injecerant veritati. Nam ubi Homouſion erat ſcriptum, quod unius* (& ejuſdem) *eſt ſubſtantiæ, ſeu Conſubſtantialis; illi ὁμοιούσιον Homœouſion, quod eſt ſimilis ſubſtantiæ, ſcriptum eſſe dicebant; concedentes ſimilitudinem, dum adimerent unitatem: quia multum ab unitate* (ſeu identitate) *ſimilitudo diſtaret. Ut verbi gratia, pictura humani corporis eſſet hominis ſimilis, nec tamen haberet hominis veritatem. Sed quidam ex his ultra progreſſerant, Anomœouſiam, id eſt diſſimilem ſubſtantiam confirmantes. Eoque his certaminibus proceſſum, ut iſtiuſmodi piaculis Orbis terrarum implicaretur. Nam Italiam, Illyricum, atque Orientem Valens & Urſatius, cæteriquè quorum nomina edidimus, infecerant. Gallias noſtras Saturninus Arelatenſium Epiſcopus, homo impotens & factioſus premebat. Oſium quoque ab Hiſpaniâ in eamdem perfidiam conceſſiſſe, opinio fuit.* Iſta omnia Severus, de hac maximè ſecunda Sirmienſi fide agens, cui ſcilicet ſubſcripſiſſe dicit cum cæteris Oſium. de quo plura mox. Nunc Severum in his paulo fuſiùs ac clarius explicuiſſe juverit.

Severus Sulp. l. 2.

Similitudo & veritas diverſa.

Anomœouſia ſeu diſſimilis ſubſtantia.

Saturninus Arelatenſis, Arrianus.

Homouſion ſeu Conſubſtantialem amoliri ſemper Arriani conati ſunt.

7. Vocem Homouſion ſeu Conſubſtantialem Arriani, quod eâ maximè ſtrangularentur, nihil non moliti ſunt ut abolerent aut enervarent. Ac primùm in Antiochenſi ad encænia Dominici aurei conventu anno Chriſti 341. Fidei formulam aliam ab Nicænâ procudentes, vocem eam non prohibere quidem, ſed tacere cœperunt. In Sardicenſi autem Pſeudoſynodo Philippis ab iiſdem ſegregatis habitâ anno 347. eadem vox planiſſimè taceri juſſa, id eſt prohibita, ut Sozomenus quidem autor eſt: quaſi ſimplicius tutiusque ſupprimeretur, quod nuſquam in Bibliis haberetur. Eius ergo loco, ὁμοιούσιος deinceps, ſeu ſimilis ſubſtantiæ Filius dictus, exili quidem illâ & nonniſi unius literulæ adjectæ mutatione, ut rectè Severus; ſed aliâ planè ſignificatione, nec magis in Bibliis memoratâ. & hi primùm adhuc οὐσίας ſeu Subſtantiæ vocabulum admittebant, Semiarriani propterea dicti. quaſi Arriani molliores. Eorum Principes erant Baſilius Ancyranus, Sylvanus Tarſenſis, & pauci alii Epiſcopi qui Ancyranæ Synodo (de qua mox) conſenſerunt: eratque ea ipſa fides, quæ Antiochenſi primùm ad Encænis conventu anno 341. concepta; ſexennioquè poſt Sardicæ anno 347. mox Sirmii anno (ut dixi) 351. ac denique Ancyræ hoc ipſo Chriſti anno 358. (uti mox videbo) confirmata. Ac licèt Semiarriani, quod vocem Catholicam à Nicæna Synodo ſtabilitam ὁμοούσιον ſuppreſſam vellent, haberentur; tamen quod in nullo præterea ab Orthodoxis recedere viderentur, ſimul iſta filii ſimilitudo. Subſtantialis & per omnia intelligi diciquè poſſet; ſubinde Catholicis & Hilario maximè in pretio fuiſſe videntur; in eorum præſertim odiū & confutationē, qui in deterius prolapſi, non Homoouſion & Homoiouſion modò, ſed omnē penitus Subſtantiæ divinæ vocem in Filio reiiciebant; omnimodamquè proinde naturæ diſſimilitudinem & Anomœouſiam decernebant. unde & Anomœi, ſeu Anomœouſii dicti. Horum Duces in Occidente quidem fuere Valens, Urſacius, & Germinius, hujus ſecundæ formulæ Sirmienſis fabricatores; & cum iis ſaltem in Gallia Saturninus Arelatenſis; tametſi vocem Anomœouſias diſertè eâ formulâ non expreſſerint, ne Orthodoxis quos ad ſe trahere volebant, horrorem & alienationem ingererent: in Oriente verò fautores ejuſdem erant Acacius Cæſarienſis Epiſcopus Euſebii hiſtorici ſucceſſor; Georgius Alexandrinus Athanaſii ſupplantator, Uranius Tyrius, & alii.

Sozom l. 3. c. 10.

Tum in Homœouſion mutare. Unde Semiarriani.

Quæ vox ſi per omnia ſimilis intelligatur, Hilario aliiſque non diſplicebat.

Contra eos præſertim, qui omnem diſſimilitudinem volebant, Anomœos.

Quinam illius ſectæ?

8. Sed præ cæteris Eudoxius Germaniciæ in Syria primùm, mox hoc Chriſti anno 357. etiam Antiochenus per invaſionem Epiſcopus: Aëtii hujus hæreſeos auctoris, tacitus primùm aſſecla, mox etiam apertè patronus. Videtur is per hos annos in Italia cum Valente, Urſatio, & cæteris Arrianis Conſtantium Imperatorem comitatus. Romæ certè Maio anni 357. ei adfuiſſe diſertè tradit Socrates

Eudoxius maximè Antiochenus, & Aetius.

lib. 2.

lib. 2.cap.29. ibiqúe audita morte Leontii Antiocheni Epiſcopi, à Conſtantio ludificato, redeundi Germaniciam poteſtatē impetraſſe; per dolum autem Antiochenam ſedem, ſuâ deſertâ pervaſiſſe, deincepsqúe tenuiſſe: mox etiam Aëtium licèt Antiochiâ ob iſtam hæreſin jam ante expulſum revocaſſe; ejusqúe hæreſio in fortiùs aluiſſe. Cum hoc igitur in Conſtantii comitatu Valens & ſocii ſæpius communicantes, licèt hactenus Semiarriani fuiſſent, hanc Anomœouſias ſeu Diſſimilitudinis omnimodæ blaſphemiam, paulatim imbibiſſe videntur; mox in eam quoque propagandam acriùs incubuiſſe. Nam ſimul ac Româ Sirmium cum Conſtantio rediverunt; ſecundam hanc fidei formulam prorſus Anomœouſiacam procuderunt, licèt vocem eam verſutè tacuerint. Fuit ea ſecta Arrianorum ſuprema, & in Dei Filium maximè blaſphema, quem Creaturam planiſſimè aſſerebant, ex nihilo & in tempore factam. Nihilominus ceterarum aliarum copioſiſſima juxta ac fortiſſima, ceu Conſtantii Imperatoris licèt decepti patrocinio ſubnixa. à quâ proinde non in hoc modo Sirmienſi paucorum cœtu; ſed in generalibus Ariminenſi Seleucienſique Conciliis in Eccleſiam manavit omne malum.

Anomœi Arrianu ſupremi, & maximè blaſphemi.

9. Ceterùm ut ad inſtitutum meum redeam, formula iſta ut aliò, ſic & in Gallias noſtras ſtatim ſubmiſſa eſt. & ut prior Paulino Trevirenſi tum Archiepiſcopo, ſic & ſecunda hæc Bonoſo ſeu cui alteri Paulini ſucceſſori probanda ſubſignandaque propoſita. Sed rurſum ut prima à Gallicanis pluribus Epiſcopis repudiata, communique conſenſu novâ quapiam eorum Synodo planiſſimè condemnata eſt. non obſtante violento, & Conſtantii autoritate valentiſſimo, Saturnini conatu: ſive ille à Sirmio tum fortè redierit, ſive in Galliis hærens novum ab Imperatore urgendi mandatum acceperit. Miſſam quidem ſtatim in Gallias Belgiumqúe noſtrum Sirmio formulam hanc Anomœam damnatamqúe, diſertè docet Hilarius, libro iſto quem hac occaſione ad Gallos Epiſcopos de Synodis ſcripſit; cùm illius initio ita ſcribit: *Beata fidei veſtræ literis ſumptis (quarum lentitudinem ac raritatem, de exilii mei & longitudine & ſecreto intelligo conſtitiſſe) gratulatus ſum in Domino, incontaminatos vos & illæſos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe; voſqúe comparticipes exilii mei, in quod me Saturninus (ipſam conſcientiam ſuam veritus) circumvento Imperatore detruſerat; negatâ ipſi uſque hoc tempus toto jam triennio* ſaltem veriente *communione, fide mihi ac ſpiritu cohærere: & miſſam proximè vobis* (nota *proximè*) *ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem, non modò non ſuſcepiſſe; ſed nunciatam etiam ſignificatámque damnaſſe: Neceſſarium mihi ac religioſum intellexi; ut nunc quaſi Epiſcopus, Epiſcopis mecum in Chriſto communicantibus, ſalutaris ac fidelis ſermonis colloquia tranſmitterem. Et qui per metum incertorum, conſcientia tamen antea mea (quòd ab his omnibus eſſem liber) gratulabar; nunc jam communis fidei noſtræ integritate gauderem. O glorioſa conſcientia veſtra inconcuſſam ſtabilitatem? O firmam fidelis petræ fundamine domum! O intemerata voluntatis illæſam imperturbatamqúe conſcientiam! Manſit namque, atque etiam nunc permanet poſt Synodi Biterrenſis profeſſionem (in quâ patronos hujus hæreſeos ingerenda quibuſdam vobis teſtibus, denunciaveram) innocens inviolatáque Religio. Expectatis enim ſancta & indemutabilis perſeverantia glorioſum triumphum; non cedendo Saturnini minis, poteſtatibus, bellis. Et cùm omnia inchoandæ blaſphemiæ in Deum certamina moverentur, manentes nunc uſque mecum in Chriſto fideles. Neque antea ad occaſionem prorupturæ hæreſeos ceſſiſtis; & nunc omnem ejus petulantiam in proruptionis congreſſione fregiſtis. Viciſtis enim fratres, cum ingenti fidei communis congratulatione.*] Iſta omnia Hilarius, Epiſcoporum noſtratium conſtantiam & præteritam ſub initia prorumpentis hæreſeos; & recentem hanc maximè, cùm Saturnino Sirmienſis hujus fidei receptionem urgenti, fortius adhuc reſtiterunt; ſummo præconio gaudioque extollens.

Formula iſta 2. in Gallias miſſa non admiſſa.

Hilario teſte.

Epiſcoporū Gallicorum laus.

Qui Saturnino non cedunt.

10. Neque contenti eam Synodo publicâ damnaſſe, etiam ab Hilario quid hac in re ipſe ſentiret, expetierunt. Sic enim paulo pòſt ſubdit: *Sed tenet etiam nunc invicta fides veſtra ſpectabilem conſcientiæ ſuæ gloriam, & nihil ſubdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta, ſecura in Chriſto libertatis ſuæ profeſſione ſubſiſtit: ab eorum ſe communione (qui Epiſcopos blaſphemiis ſuis contradicentes in exilio detinent) abſtinendo; neque ſe in injuſti judicii reatum, per aſſenſum diſſimulationis ſubdolæ, aggregando.* &c. Mox: *Et quamquam in omnibus quæ geſſiſtis, & geritis, conſtantem fidei veſtræ libertatem & ſecuritatem teſtemini: tamen etiam in eo ferventis ſpiritûs ardorem probaſtis; quòd nonnulli ex vobis, quorum ad me potuerunt ſcripta deferri; quæ exinde* (nempe poſt formulam hanc ſecundam Sirmii editam & tranſmiſſam) *Orientales fidei profeſſionibus gerant & geſſerunt, ſignificari vobis humilitatis meæ litteris efflagitaſtis: etiam hoc mihi onus imperitiſſimo omnium ex affectu charitatis addentes; ut quid ipſo ſuper omnibus dictis eorum ſentiam, judicem.* Rurſum infra: *fortè omnis hic fidei meæ ſermo præſtabit, ut neque furtivi hæretici, quod volunt, fallant: & perfecti Catholici quod deſiderant conſequantur. Obſequor igitur charitatis veſtræ impatientiſſimæ voluntati; & omnes fides quæ poſt ſanctam Synodum Nicænam diverſis temporibus & locis editæ ſunt, cum ſententiarum omnium, atque etiam verborum additis per me expoſitionibus, deſtinavi.* Hactenus Hilarius; qui etſi omnes poſt Synodum Nicænam fides diverſis temporibus ac locis editas, ſe hic tranſmittere teſtetur; plures tamen omittit; & quas recenſet, non temporis ordine recenſet; ſed hanc, Sirmienſem ſecundam licèt omnium hactenus ultimam, & *proximè* Sirmii *ſcriptam, proximéque inde tranſmiſſam*, (notandum *proximè* bis repetitum) ante omnes recitat, & ex Ancyranæ Synodi decretis refutat. ſatis ſignificans, hujus maximè occaſione, ſe librum hunc de Synodis ad iſtos populares ſuos Epiſcopos ſcribere; tùm ut eos ab eâ rejectâ laudaret, & in Orthodoxâ fide confirmaret; tum ut ad futuras brevì Synodos alias, Ariminenſem & Seleucienſem, cautè diſponeret.

Sed Hilarii ſententiam expetunt.

CAPUT XIII.

Ancyrana Synodus Belgicæ conformis: cujus Epiſcopos primùm ſalutat Hilarius.

Anno Chriſti 359.

Gallorum Synodus Orientales quoſdam in ſententiā ſuam trahit.

1. IAm inde ergo diſpicimus quantus in Gallicanis Epiſcopis, ac Belgis præſertim noſtratibus, quos in ipsâ inſcriptione primus, ut jam videbo, nominat Hilarius; fuerit Fidei Nicænæ retinendæ ardor; quantus aliarum etiam ab ipſo Imperatore de integro editarum imperatarumque contemptus; quam nullus ab eo & ejus Satellite Saturnino eas urgente metus; quanta cum Hilario, ceteriſque Orthodoxis Epiſcopis in tantâ tot aliorum ruinâ conjunctio: quanta & quàm publica ejus conſtantiæ profeſſio. Tanta equidem ut Orientales etiam quoſdam Antiſtites, licèt Homouſion tacentes, ad hujus tamen formulæ ſecundæ Sirmienſis damnationem incitaverint; quin & ipſius auctores, adeoque ipſum Conſtantium ad ejus ſuppreſſionem revocationemque perduxerint. Et Orientales quidem eam Gallorum exemplo damnaſſe, ſic teſtatur Hilarius: *Nam fides veſtra imperturbata inconcuſſaque famæ, quoſdam Orientalium Epiſcopos ſero jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreſeos auctæque commovit. & auditu hu quæ apud Sirmium conſcripta impiiſſimè erant, irreligioſorum audaciæ quibuſdam ſententiarum ſuarum decretis contradixerunt.* Ancyranam Synodum intelligit, quæ ab Baſilio Ancyræ Epiſcopo tum habita eſt, non tam ex deſtinato, quàm ex occaſione; nempe cùm ad Eccleſiæ ſuæ conſecrationem aliquot tunc Epiſcopos fortè convocaſſet. Cognitis enim eodem tempore quæ Sirmii à Valente, Urſatio, Germinioque geſta erant, Synodum ex convocatis iſtis Epiſcopis prudenter habuit, quæ Sirmienſem formulam iſtam condemnavit, & Patri filium ſubſtantiâ ſimilem conſtituit. ut apud Epiphanium hæreſi 73. videre potes. Et extant apud Hilarium aliquot ejus anathematiſmi ſecundæ huic Sirmienſi formulæ dicti, quos ille laudat ubertimque declarat. ut ibi legere potes.

Qui etiam formulam iſtam damnant.

Quando habita Synodus Ancyrana?

2. Extat item apud Epiphanium hujus Concilii Synodica Epiſtola; quæ illud ante Paſcha celebratum docet; ad quod propterea aliquot alii Epiſcopi convocati, propter hyemis inclementiam venire nequiverint. Unde certò intelligimus ante annum Chriſti 358. Synodum hanc Ancyræ cogi non potuiſſe, quo Paſcha in Aprilis 12. incurrit, Cyclo Lunæ 17. Littera Dominicali D. Cùm enim Conſtantium Imperatorem nonniſi exeunte Maio anni 357. Româ in Illyricum diſceſſiſſe, ex Ammiano, adeoque Juliani ipſius operibus, ac Theodoreto ſuprà clare demonſtraverimus; ac proinde Sirmium ante expirantem ejuſdem anni Junium attingere via potuiſſe conſequatur; planè vix ante præcipitantem eum annum 357. Sirmienſis iſta expoſitio ſecunda procuſa fuerit & evulgata. Hyeme igitur fere ineunte edita, primùm ad Gallos miſſa, & ab iiſdem damnata eſt, ut jam ex Hilario audivimus. qui ſubdit, eorum deinde exemplo Orientales Epiſcopos, nempe hos Ancyranos *irreligioſorum* (Sirmienſium ſcilicet iſtorum) *audaciæ quibuſdam ſententiarum ſuarum decretis contradixiſſe*; & quidem juxta Synodicam apud Epiphanium Epiſtolam, *τῆς ἁγίας ἡμέρας τῦ Πάσχα ἐπειγομένης, imminente ſacro Paſchatis die.* Non igitur ante Paſcha anni 358. quando Conſtantius anterioris anni 357 Paſchate, nondum Romam inierat, nedum Italiâ deceſſerat. Addit Hilarius ibidem. *Hæc doctrina*, Synodi Ancyranæ ſcilicet, *ſub his ipſis propè diebus, quibus vos ingeſtam hæreſin reſpuiſtis, emerſit.* prorſus ut & Ancyrana & Gallicana hæc Synodus ſe mutuo exceperint; & nonniſi paucis diebus Ancyranam Gallicana præverterit.

Conſtantius formulam iſtam ſecundam revocat, & ſupprimi vult.

3. A Synodo Ancyræ ita peractâ, Legati non ita multo pòſt Sirmium ad Imperatorem miſſi, Baſilius ipſe, & alii; eumque perpulerunt, uti formulam iſtam revocaret, ſuiſque ad Antiochenſes litteris condemnaret. Unde & Socrates: *Dederunt operam*, Imperator ſcilicet & Epiſcopi iſti Sirmienſes, ut formula, *ex eorum qui deſcripſerant manibus eximeretur. Cùmque à multis occultaretur, Imperator edixit ut quæ exierant exemplaria conquirerentur, ſupplicium etiam ei comminatus, qui eam occultaſſe deprehenderetur. Sed nullæ minæ exemplaria ſemel evulgata delere potuerunt, cùm in tam multorum manus incidiſſent.* Cum Hilario igitur concludo, & tandem evinco, Gallos noſtros Epiſcopos formulam iſtam ad ſe miſſam tantâ conſtantiâ, tantâ felicitate damnaſſe, uti primùm (quod disertè tangit Hilarius) Orientales, id eſt Ancyranos Antiſtites ad ejuſdem damnationem impulerint; deinde ut eorumdem autoritate Conſtantium ipſum ac ceteros illius authores ad pœnitentiam palinodiamque coëgerint: ſeu ut Hilarii ipſius verba reddam, *ut ipſos illos qui tunc apud Sirmium, in ſententiam Potamii atque Oſii, ita ut ipſi conſentientes confirmanteſque conceſſerant, ad profeſſionem ignorantiæ erroriſque compellerent*; (nempe Ancyrani iſti quidem Epiſcopi, ſed Gallorum exemplo provocati) *ut ipſi* Sirmienſes & Imperator *rurſum ſubſcribendo damnarent quod fecerant.* Ita ibi. Poteſtne major Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ ac Belgicæ, conſtantiorque eo ævo reperiri fides, laus illuſtrior? Dolendum ſane tam heroïca Noſtratium facta tanto obruta ſilentio; *carent quia vate ſacro.* Nos quæ potuimus hîc ex Hilario aliiſque Patribus eruimus.

Oſius ad Arrianorū ſententiam cogitur.

4. Laudem tantam augent adhuc ipſius Oſii adeoque etiam Liberii Papæ tantorum virorum vix credenda infirmitas. Nam ſi primariæ cœli columnæ contremiſcunt; quid de ſecundariis, ſi firmè ſtant, æſtimandum? De illis hic proinde pauca ſubtexam. Nihil ſibi tot Epiſcoporum exiliis egiſſe videbantur Arriani, niſi Oſium atque Liberium ſuam in ſententiam pertraherent. Eorum igitur impulſu Conſtantius *Oſium accerſit* (ait Athanaſius) *& pro exilio detinet illum integrum annum Sirmii; nihil veritus impius Deum, nec ſenectutem hominis jam centenarii.* Mox: *tantamque vim intulit ſeni*, Centenario, *ita eum arctè tenuit; ut afflictus attrituſque malis, tandem ægrè cum Urſatio & Valente communicaret.* Et Apologia ſua ſecunda finiente: *Vis & Conſtantii tyranni partes, multaque contumeliæ & interminationes ſatis oſtendunt, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe; ſed ſenii imbecillitate imparem verberibus ad tempus ceſſiſſe.* Addit Socrates *plagis illi*

ex Athan. ad Solit.

lib. 2. c. 26.

inflictas, membráque machinis diſtorta. Severus autem. *Oſium quoque*, inquit, *ab Hiſpaniâ in eamdem perfidiam conceſſiſſe opinio fuit. quod eò mirum atque incredibile videtur, quia omni ferè ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium: & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur. Niſi fatiſcente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in Epiſtolis refert) deliraverit.* Sed cùm Athanaſius ſuprà notet eum *ad tempus* duntaxat *ſenii imbecillitate verberibuſque ceſſiſſe*; ſatis innuit, non propterea deliraſſe. maximè cùm ſubdit, *eum moriturum, quaſi in teſtamento, eorum vim proteſtatum eſſe; Arrianam hæreſin condemnaſſe, vetuiſſeque eam à quoquam probari aut recipi.* Mortuum autem paulo poſt Ariminenſem Synodum anno Chriſti 360. rectè probat Baronius. Sed & longe ante mortem factum hoc ſuum improbaſſe, vel inde intelligere poſſumus, quòd iſta ipſa fidei profeſſio ab ejus auctoribus Arrianis, adeoque ipſo Imperatore revocata, ſuppreſſa, edictoque prohibita fuerit: Conſtantiumque illam revocantem ac vetantem, non minus quàm imperantem timere debuerit.

Quam tamen moriens damnat.

5. Liberium autem Pontificem Romanum ſcribit ad Solitarios Athanaſius, *poſt exactum in exilio biennium, minis quoque mortis ad ſubſcriptionem inductum. verùm* (ut ſubdit) *quæ per tormenta, contra priorem ejus ſententiam extorta ſunt; ea non jam metuentium, ſed ita cogentium voluntates &* ſubſcriptiones *habenda ſunt.* Ita ille. Sed Liberium rectiùs liberat Sozomenus, cùm ſcribit, *Non aliter aſſentiri voluiſſe, quàm ſi viciſſim alteram à ſe profeſſionem acciperent iſti*, qui cogebant Arriani: *quæ* profeſſio *illos interdicebat Eccleſiâ, qui Filium Patri non ſubſtantiâ & ceteris rebus omnibus ſimilem aſſeverarent.* Sic enim certò intelligimus, ei neceſſariò formulæ ſubſcribere debuiſſe Liberium, quæ aut Homoouſii Homœouſiique mentionem non faceret; aut ſi aliquâ ſui parte faceret, eam partem Liberio oſtenſam non fuiſſe, Arrianos inde, mentitos eum toti ſubſcripſiſſe; cùm ille nonniſi ſimplicem vocis controverſæ ſuppreſſionem cauſa pacis admiſiſſet. Quomodo enim eodem tempore tam manifeſtas contradictiones tantus vir admitteret? Verùm quòd communionem cum Arrianis iniiſſet, & latam ab iis in Athanaſium ſententiam ratam habuiſſet; *rumorem ſparſerunt* (ait Sozomenus) *hæreſis Aetianæ* ſeu Anomoouſianæ *fautores, illum verbum Conſubſtantiale rejeciſſe, & Filium Patri diſſimilem aſſeruiſſe.* quod licèt falſum, multis tamen in poſuit.

Liberio quoque Papa bis illata.

Quem excuſàt Athanaſius & Sozomenus.

6. Sed qualiſcumque demum fuerit Liberii conſpiratio, qualiſcumque Oſii lapſus, non parum tamen Belgicæ noſtræ, adeoque Gallicanæ totius Eccleſiæ fidem laudemque ſuperexaltat. Quis enim tantis columnis fatiſcentibus & curvatis, non miretur Gallos ferè omnes Epiſcopos, ſtetiſſe inconcuſſos; & tanta quidem famâ inconcuſſos, uti non ſolùm formulam illam ab Imperatore probatam, (ſi non & vulgatam) ad ſeque tranſmiſſam, nullo diſſimulationis anfractu primi clarè damnaverint; ſed alios quoque Orientales ſeu Ancyranos Antiſtites Synodo factâ ad ejuſdem damnationem impulerint? De quibus Ancyranis, ideo ſic honorificè loquitur Hilarius: *Domino gratias, quòd ignorationem per vos admonitus Imperator agnovit, & errorem non ſuum, ſed adſtantium, per has fidei veſtræ ſententias recognovit: & ſe invidiâ apud Deum & homines impiæ voluntatis exemit. cum legationem veſtram honorificè habens, falſitatem eorum, quorum auctoritate in invidiam deducebatur, coactâ à vobis ignorantiæ ſuæ profeſſione cognovit.* Iſta Hilarius de Ancyranis Epiſcopis. Quæ & de Gallis æquâ, ſi non & æquiore, veritate diceret, quando ab his illi impulſi. Neque verò dubito quin & coactâ Treviris Synodo priùs id effecerint: adeo, ut ſicut primùm Antiochenæ Pſeudoſynodi formulam auctore Maximino Trevirenſi damnaverant; priorem deinde Sirmienſem quâ damnabatur Athanaſius Paulino Trevirenſi auctore æquè rejecerant; ita nunc ſecundam hanc, exitialem ſub Bonoſo Paulini ſucceſſore, & ut reor Servatio noſtro Tungrenſi ſubadjuvâ, prorſus execrati ſint; Nam Paulinum quidem anno Conſtantii 22. in Phrygia exulantem mortuum, teſtatur Hieronymi Chronicon. Is annus Hier. quidem eſt Chriſti 358. quo ille ultimo Auguſti deceſſit, anniverſariâ feſtivitate adhuc hodie in Eccleſia cultus, cum luculento elogio.

Virtus & conſtantia Epiſcoporum Gallicorum.

7. Hanc porro noſtratium fidem tanto magis adhuc mirandam exiſtimo, quanto Eccleſia Gallicana, Belgica præſertim, tot Tranſrhenanorum incurſibus obnoxia, non tam ſtudiis aut hujuſmodi diſputationum ſalebris, quàm armis tùm intendere potuerit. cùm nulla videatur in ea fuiſſe Academia Theologica; cujus ſaltem, ſicut Alexandrinæ, & Romanæ veteris ac novæ aliarúmve memoria ſit. Imò ad hæc uſque tempora, præter Apoſtolorum Symbolum, quod in Baptiſmo didicerat, nullum aliud agnoviſſe, ac ne audiviſſe quidem videtur, ſi verba iſta Hilarii perpendimus: *Inter hæc, ô vos beatos in Domino & glorioſos! qui perfectam atque apoſtolicam fidem conſcientiâ & profeſſione retinentes, conſcriptas fides hucuſque neſcitis. Non enim eguiſtis literâ, qui ſpiritu abundabatis. Neque officium manûs ad ſcribendum deſideraſtis: qui quod corde à vobis debebatur, ore ad ſalutem profitebamini. Neque neceſſarium habuiſtis Epiſcopi legere, quod regenerati Neophyti tenebatis.* Quod idem ipſe de ſe quoque teſtatur eodem de Synodis libro finiente: *Regeneratus pridem, & in Epiſcopatu aliquantiſper manens fidem Nicænam nunquam niſi exulaturus audivi. Sed mihi Homouſii & Homoiouſii intelligentiam Evangelia & Apoſtoli intimaverunt.* Tanta fuit jam inde ab initio Gallicanæ, ſed Belgicæ maximè tanquam à Græcis remotiſſimæ, Eccleſiæ virginitas, ſimplicitas, & inconcuſſa in primâ fide conſtantia. Quæ tamen ita ſubito intelligentiæ dono per hæc tempora radiavit, ut altiſſimas de Trinitate quæſtiones toties agitatas, eoque intricatiores, ipſa diſſolverit; diſſolutas aliis quoque perſuadere potuerit.

Et Fidei Apoſtolicæ cuſtodia.

8. Atque hæc omnia ex aureo illo Hilarii de Synodis Commentario haurimus, ad Gallos quidem ferè omnes, ſed Belgas ante omnes deſcripto, ut ex ejus Inſcriptione tali docemur: *Dominis & beatiſſimis fratribus & Coepiſcopis Provinciæ GERMANIÆ PRIMÆ & SECVNDÆ*, nempè Ciſrhenanæ; *PRIMÆ BELGICÆ & BELGICÆ SECVNDÆ; Lugdunenſis Primæ & Lugdunenſis Secundæ, & Provinciæ Aquitanicæ, & Provinciæ Novempopulanæ; & ex Narbonenſi, plebibus & Clericis Toloſanis: & Provinciarum Britanniarum Epiſcopis, HILARIVS ſervus Chriſti in Deo & Domino noſtro æternam ſalutem.* Primùm non ad omnes Gallos ecce ſcribit, ſed ad Galliæ ſolius Comatæ: quando Braccatæ ſeu Narbonenſis Viennenſiſve nullam, ſicut neque Maximæ Sequanorum facit mentionem; quod ejus ſcilicet Eccleſiæ omnes, exceptâ una Rhodani Toloſanâ, in

Cur Belgas Epiſcopos nominet primùm Hilarius.

Arrianam & Sirmienſem iſtam perfidiam cum Saturnino Arelatenſi conceſſiſſent. Secundo, quòd ad inſtitutum eſt quàm maximè, Hilarius ipſa libri Inſcriptione, Belgicæ latè ſumptæ Provincias omnes quatuor, & quidem primo ante reliquas loco compellat; etiam ante Aquitanicas, in quarum tamen ſecunda Pictavienſis illius Sedes inerat: etiam ante Lugdunenſes ſeu Celticas (quas nonniſi adhuc duas hic agnoſcit; cum 4. aut 5. poſteà fuerint) quarum tamen Metropolitanus Lugdunenſis Primatis Galliarum titulum, uti nunc & jam pridem, ita & tunc uſurpare potuit. Quorſum id verò Hilarius? non fortuitò ſanè. Sed duabus ſaltem haud dubiè de cauſis. Primùm, quòd Treviris in Belgicâ primâ Imperatorum Occidentalium ſedes jampridem conſiſteret: eóque Trevirorum non Civitas modò, ſed & Archiepiſcopus ipſe Galliarum Princeps ac Patriarcha videretur. maximè cùm ſuam ab Eucbario Petri diſcipulo Româ ſubmiſſo duceret originem. Unde & exiſtimo, Hilarium cùm hunc de Synodis librum in Gallias tranſmitteret, & ad omnes ſigillatim commodè deſtinare non poſſet; Trevirenſi primum Epiſcopo ſive Bonoſo ſive cui alteri tradi juſſiſſe, reliquis ab eo ceu Principe tranſmittendum, & Synodicè convocatis explicandum. Id quidem valde etiam perſuadet Hieronymus, licèt tacitè: cùm pauculis poſt hunc annis Galliam univerſam cum Bonoſo peragrans, Treviris ſe S. Hilarii de Synodis Librum manu ſua deſcripſiſſe refert: quaſi tum primùm illic inventum & aſſervari ſolitum; primùm item illuc ab auctore tranſmiſſum. Sanè remotiores ab Italia Treviri ſunt; eóque mirum eſſet in Gallicis aliis Italiæ vicinioribus urbibus, quas primo adire debuerat Hieronymus, ab eo non repertum; ſi æquè in iis ac Treviris aſſervatus eſſet. Ac licet alibi quoque ſervari potuiſſe non diffitear; autographum tamen ipſum non multo antè ſcriptum miſſúmve, Treviris in Hieronymi manus primùm incurriſſe, verò propius eſt.

Etiam ante Lugdunenſes & Aquitanos.

9. Atque hinc ſecunda ſeſe aperit cauſa, cur Belgas Epiſcopos hic primò compellet Hilarius; Nempè quia Treviris principe Civitate congregati Galliarum Epiſcopi *Miſſam illo proximè* (verba ſunt Hilarii) *ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem non modò non ſuſceperant, ſed nuntiatam etiam ſignificatamq́; damnaverant.* Nec hoc contenti, *literis ad eum miſſis omnes ei Communionem Dominicam fidei ſuæ tranſcripſerant: Quidam etiam ex illis ad Synodon quæ in Bithynia futura videbatur, acciti, firmiſſimâ fidei conſtantiâ intra illius communionem ſe continentes, à ceteris extra Gallias abſtinebant.* Quæ ambo nonniſi coactâ Synodo commodè fieri potuiſſe, nemo non videt. Gallis igitur tot officiis obſtrictus Hilarius, hunc Librum ad eos exaravit. Et quia nunc, agente Bonoſo Archiepiſcopo, *prorumpentem à Sirmio hæreſin* Treviris in Synodo *reſpuerant*; ſicut nuper Maximino & Paulino Bonoſi deceſſoribus præeuntibus, ſimiles alias ibidem damnaverant; Belgas hic ante ceteros aptè civiliterque compellandos ſibi duxit. Et ubi commodiùs in communibus ſuis rebus ac difficultatibus emergentibus, congregarentur Galliarum Antiſtites, quam in hujus ævi Principe Galliarum Civitate Trevirenſi, ſicut modò Lutetiæ Pariſiorum, etiam minore occaſione, paſſim congregari videmus?

Ad Treviros maximè Librum de Synodis miſit Hilarius.

10. Quod ſi eſt, ut eſſe credo, laudes jam eas omnes, quas hic Gallis univerſim effundit Hilarius, Belgis maximè noſtris convenire conſequens eſt. ut hæc non fruſtra tam fusè deduxerim; quæ Belgicæ per hos annos Eccleſiæ faciem & integritatem, Belgicorum item Epiſcoporum antiquitatem frequentiamque repræſentant. Sic enim Antiquitas hujus ut minimum ætatis eſt; frequentia verò vel hinc elucet; quod ſicut quaternas jam tum Belgicæ Provincias agnoſcit Hilarius; quibus nunquam ante Philippum ſecundum Hiſpaniarum Belgiique noſtri Principem plures extitêre; ita vero ſimile ſit, tot quoque in ſingulis quaternarum iſtarum Provinciarum Civitatibus agnoviſſe Epiſcopos, quot ſemper jam inde fuiſſe conſtat: nempe in Belgio quidē hodierno Trevirenſē in Belgica prima, Coloniēſem & Tungrenſem in Germania ſecunda. In Belgica autem ſecunda Remenſem, Ambianenſem, Atrebatenſem, Morinenſem, Tornacenſem, Bavacenſemque ſeu Cameracenſem. ac proinde iis etiam omnibus librum hunc de Synodis æquè conſcribere; quo eos curaret *quam maximè* (verba ejus ſunt) *futuris Synodis probabiles elucere; nec pateretur uno atque eodem Apoſtolicæ fidei ſenſu Catholica ſentientes, aliquâ ſaltem à Catholica fidei ſynceritate, ignoratâ verborum opinione, differre.* Quod & feliciter præſtitit. contemptis neglectiſque Narbonenſibus, qui Gallorum ſoli (niſi forte & Sequani) Saturnino, & perniciosis formulæ hujus ſecundæ Sirmienſis cuſoribus adhærebant.

Belgicorum Epiſcoporū antiquitas. & frequentia.

CAPUT XIV.

ARIMINENSE Concilium Legitimum. & Priora ejus acta.

Eodem anno Chriſti 359.

1. LIbrum ſuum de Synodis Hilarius duabus maximè de cauſis ad Gallicanos Antiſtites conſcripſit. Primò, ut eos de damnatâ Sirmienſi fide ſecunda laudaret; laudatos in eadem opinione conſtantiaque confirmaret. Secundò, ut eoſdem ad futuras proximè Synodos Ariminenſem & Ancyranam ſeu Seleucienſem, detectis Arrianorum technis, inſtrueret. Quæ duplex cauſa, duplicem quoque Synodum Treviris in Belgica noſtra peperit. Priorem cauſam priori quoque capite vidimus. Secundam breviter iſto tractabimus. de quâ ſic ipſe Hilarius ibidem: *Reſpondere litteris veſtris neceſſarium fuit, quibus mihi communionem Dominicam fidei veſtræ ſcriptis miſeratis: & quidam etiam ex vobis ad Synodum, quæ in Bithynia futura videbatur, firmiſſima fidei conſtantiâ intra communionem ſe meam continentes, à ceteris extra Gallias abſtinerent. Et dignum ſane erat Epiſcopali miniſterio ac voce, in tanto hæreticorum furore, aliqua vobiſcum per litteras piæ fidei conſilia conferre. Non enim cum corporibus noſtris exulem, vinctum ac detentum eſſe potuit Dei verbum; ut non communicari vobiſcum poſſet ubicumque. Sed maximè cum comperiſſem Synodos in Ancyrâ atque Arimino congregandas; & ex ſingulis Provinciis Gallicanis binos vel ſingulos eò eſſe venturos; ea quæ inter nos* Occidentales ſcilicet, ſed Gallicanos maximè *atque Orientales Epiſcopos*

Duabus cauſis Hilarius librū de Synodis ad Gallos Epiſcopos ſcripſit.

mutuis ſuſpicionibus detinentur, per me, qui in Orientis partibus continebar, exponenda vobis licet jam ſcientibus, atque edenda exiſtimavi. ut cum hanc prorumpentem à Sirmio hæreſin & vos condemnaſſetis, & illi cum anathemate judicaſſent: ſciretis tamen in cujus fidei profeſſione, id ipſum quod geſſeratis, etiam ab Orientalibus (credo Ancyræ congregatis) *Epiſcopis eſſet effectum. Et vos quos maximè vellem futuris Synodis probabiles elucere, non pateret uno atque eodem Apoſtolicæ fidei ſenſu Catholica ſentientes, aliqua ſaltem à Catholicæ fidei ſynceritate, ignoratâ verborum opinione differre.* Iſta Hilarius. pro quorum intelligentia, pauca hæc promitto.

Concilium generale bipartitum. in Orientale, quod bis aut ter mutatum. Sozom. l. 4. c. 25.

2. Tantis Epiſcoporum diſſidiis *perturbato Orbe terrarum* (ait Severus) *& morbo quodam Eccleſiis languentibus; ſegnior quidem, ſed non minus gravis cura Principem* Conſtantium *exercebat; quod licèt Arriani, quibus favebat, ſuperiores viderentur, necdum tamen de fide inter Epiſcopos conveniret.* Oecumenicum igitur cogere Concilium conſtituit. primò Nicææ, tum Nicomediæ in Bithynia, ut Sozomenus (& cum eo ex parte hîc Hilarius) notat. Quò cùm Epiſcopi ſe jam conferre cœpiſſent, contigit Nicomediam terræ motu ſubverti: Daciano & Cereale Coss. hoc eſt anno Chriſti 358. 9. Kalendas Septembris, ſeu Auguſti 24 ut diſertè Idatii Faſti & Ammianus l. 17. c. 13. & quoad Cerealem Conſulem, ſeu hunc annũ 358. & Victor Schotti in Lucio Vero, ut & Socr. l. 2. c. 31. longè probabilius quàm ſequentis anni menſe Hyperberetæo. ut vult Chronicon Alexandrinum. Nicæa igitur iterum ad conventum habendum, juxta eumdem Sozomenum, probata; mox quia & ipſa terræ motibus jam ante quaſſata adhuc mœrebat, improbata. Denique Valentis & ſimilium Arrianorum ſuggeſtione, Synodum in duas dividi placuit, quo facilius hæreſis perſuaderetur. Et Occidentales quidem Epiſcopi Ariminum convenire juſſi, conſtanter; Orientales autem vacillanter, modò Ancyræ in Galatia, modò Tarſi in Cilicia, demum Seleuciæ in Iſauriâ quod & tenuit. Unde vides cur de illû Hilarius hîc dubitet.

Et Occidentale Arimini

Quo anno ſcriptus ab Hilario liber de Synodis.

3. Simul intelligis quo anno, quo anni tempore librum hunc de Synodis conſcripſerit. Cùm enim ejus libri exordio ſcribat *triennio ſe jam toto exulare*; & ſuprà non ante Auguſtum anni Chriſti 356. exulaſſe viderimus; clarum eſt non ante hunc annum 359. ſcribere potuiſſe. Jam verò rùm iſto eodem anno 359. *Euſebio ſcilicet ac Hypatio Coss ad 11 Kalendas Junii ſeu Maii 22.* juxta Socratem & Athanaſium ipſum; & quidem *pridie Pentecoſtes* juxta Epiphanium conſtet, Sirmienſem 3. fidem Sirmii coram Imperatore compoſitam, moxque ad Ariminenſe Concilium à Valente & ſociis allatam; planè efficitur non multo ante iſtud tempus, librum de Synodis ad Gallos eſſe tranſmiſſum. cum Hilarius Synodum Orientalium Ancyræ futuram adhuc opinaretur, Seleuciæ deſtinatam nondum audiſſet. de qua nos aliquid dicemus, poſtquam Ariminenſem expenderimus. circa cujus initium natum eſſe Gratianum Valentiniani mox Imperatoris filium, teſtatur Hieronymi Chronicon, & quidem ſi Idatii faſtis fides, 14. Kal. Maias hujus anni; ſi Chronico Alexandrino, 10. Kal. Junias. Sanè cùm infrà ex Severo audiemus, *ſub hyemem Synodum jam 7. menſem tranſiſſe; planè circa initium Junii eam cœpiſſe conſequitur.* Sequitur item aliquot antea diebus Gallicanos Antiſtites novâ Synodo congregatos, & quidem ut dixi, Treviris; quo receptum Hilarii de Synodis librum excuterent; ac ſecundum illum *probabiles* ſe ac benè inſtructos Ariminenſi Concilio ſiſterent. Qua in re Servatium noſtrum Tungrenſem Epiſcopum præ cæteris eminuiſſe, infrà videbimus ex Severo. Qui ſic ſcribit:

Soc. l. 2. c. 29. Ath. de Syn. Epiph. hæ. 73. §. 22.

Initio Junii videtur cœpiſſe Ariminenſe Concilium, anno 359.

Ex Epiſcopis Occidentalibus amplius quadringentis.

4. *Igitur apud Ariminum urbem Italiæ Synodum* Occidentalium *congregari jubet* Conſtantius. *Idque Tauro Præfecto Prætorii Italiæ imperat, ut collectos in unum non ante dimitteret, quàm in unam fidem conſentirent. promiſſo eidem Conſulatu, ſi rem effectui tradidiſſet. Ita miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliaſque* (addo ego & Britannias) *Magiſtris officialibus, acciti aut tracti quadringenti & aliquot amplius Occidentales Epiſcopi. Quibus omnibus annonam & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id Noſtris, id eſt Aquitanis, Gallis, & Britannis, indecens viſum. repudiatis fiſcalibus, propriis ſumptibus vivere maluerunt. Tres tantùm ex Britanniâ inopiâ proprii, publico uſi ſunt; cùm oblatam à ceteris collationem reſpuiſſent: ſanctius putantes fiſcum gravare, quàm ſingulos. Hoc ego Gavidium Epiſcopum noſtrum quaſi obtrectantem, referre ſolitum audivi. Sed longè aliter ſentirem: laudique attribuo Epiſcopis, tam pauperes fuiſſe, ut nihil proprium haberent; neque ab aliis potius quam fiſco ſumerent; ubi neminem gravabant. Ita in utriſque egregium exemplum. De reliquis nihil memoriâ dignum traditur.* Hactenus Severus. mox ſubdens, ex quadringentis iſtis & ampliùs Epiſcopis, 80. tantùm Arrianos fuiſſe, reliquos Orthodoxos.

Quìa Conſtãtio aluntur.

Arriani fuerunt 80.

Quinam è Galliis, Belgicâque cõvenerint.

5. Quot & quinam ex Belgicâ Galliiſque ceteris convenerint, excepto uno noſtrate SERVATIO Tungrenſi, & Fœbadio Aquitano Aginnenſi, à Severo nominatis, non reperio. Non pauciores tamen quàm in Sardicenſi tanto à Galliis remotiore, adfuiſſe, facilis conjectatio eſt; nempe ferè 34. ex ſingulis ſcilicet Galliarum Provinciis binos, ut ſuprà dixit Hilarius. quas tum quatuordecim fuiſſe, ex Sexti Rufi Breviario, quinque vel ſex annis poſt hunc ſcripto, intelligimus: Nempe ultra quatuor Belgicas, duas Lugdunenſes, tres Aquitanias, ab Hilario libro de Synodis appellatas, quæ ſunt novem; alias inſuper 5. Narbonenſem, Viennenſem, Alpes Maritimas, Alpes Grajas, & Maximam Sequanorum. Quarum ſingulæ ſi binos miſerint Epiſcopos, Gallicanos omnino 28. Epiſcopos Ariminum conveniſſe neceſſum eſt. Sed forte ex majoribus Provinciis terni pluréſve convenerint. Britanniarum Provincias quatuor ibidem recenſet Rufus, Britanniam primam, Britanniam ſecundam Maximam Cæſarienſem, & Flaviam Cæſarienſem. ex quibus quidem nonniſi trium Epiſcoporum, & quidẽ pauperum meminit Severus. ſed non negat, quin alii quiſque copioſiores advenerint, è 4. nempe provinciis iſtis binos. Ita & è quatuor Belgicis noſtris latè ſumptis, octo quoque adfuiſſent Epiſcopi, ſi non plures. licèt unius tantùm SERVATII Tungrenſis mentionem ingerat Severus. Quis enim credat Bonoſum Trevirenſem Paulini ſucceſſorem, aut ſiquem alium defuiſſe? quis Superiorem Nerviorum, ſi adhuc ſuperfuit? quis Remenſem, quis è ceteris Belgarum omnium Epiſcopis, qui numero tunc erant facilè 22. nullos omnino tractos, tam moderato partim itineris intervallo credat? Servatium unum habet Severus, credo ceu conſtantiſſimum, veriſimiliter & antiquiſſimum;

Servatius Tungrenſis præ cæteris.

mortuis

mortuis præſertim jam Maximino Paulinoque Trevirenſibus, & Euphrate Colonienſi.

Quomodo confici poſſint, 400. iſti Occidentales Epiſcopi.

6. Ceterùm non ſatis ſcio, an quadringentorum & amplius Epiſcoporum numerus confici potuerit, ſi ex ſolis Occidentalibus Provinciis bini tantùm advenerint. Nam tunc ducentas & amplius in Occidentali Eccleſia fuiſſe Provincias neceſſum eſſet; quod fidem omnino ſuperat. Sanè Sextus Rufus ultra jam recenſitas, 18. Galliarum Britanniarumque provincias, Hiſpaniarum quidem omnino ſex, Africæ item ſex, Illyrici verò ſeclusâ Thraciâ Græciâque vix decem; Italiæ denique Notitia Imperii tantum ſeptemdecim, etiam cum duabus Rhætiis, accenſet. Quæ univerſim nonniſi 57. totius occidentis provinciæ ſunt; & Epiſcopos, ſi bini tantùm è ſingulis provinciis advenerunt, non ultra 114. conficiunt; bene procul adhuc à quadringentis & amplius, qui Ariminum conveniſſe dicuntur. Plures igitur omnino binis, imo & ternis exiiſſe oportuit. Niſi Provincias intelligat Hilarius non civiles ſeu profanas, ſed Eccleſiaſticas & Archiepiſcopales: aut potius bini iſti Epiſcopi primùm deſtinati, in plures novo edicto mutati ſint; aut denique libertas cuique relicta veniendi. Inter 80. autem Arrianos Epiſcopos, fuiſſe principes Valentem Murſenſem, Urſacium Singidunenſem, Auxentium Mediolanenſem, Caium & Demophilum tradit Athanaſius de Synodis. Addo ego & è Gallicanis Saturninum Arelatenſem, cum ſuis Narbonenſibus omnibus, exceptis Toloſanis; cum Vienenſibus item, Alpium Maritimarum & Graiarum, atque etiam Maximæ Sequanorum Epiſcopis: quos libro de Synodis non appellat Hilarius, tanquam Saturnini fuligine infectos.

Arimini Epiſcopi Catholici occupant Eccleſiam: Æ diculam Arriani 80.

Sozomenus etiam pluſquam 400. numerat Epiſcopos.

7. Sed jam pergat Severus: *Poſteaquam omnes in unum collecti ſunt, fit partium ſeceſſio. Eccleſiam* Ariminenſem Cathedralem *Noſtri* ſeu Orthodoxi *obtinent: Arriani Ædem tum de induſtriâ vacantem orationis loco capiunt. ſed hi non ampliùs quàm octoginta,* amplius 50. habet Athanaſius de Synodis. *Reliqui partium noſtrarum erant.* Addit Sozomenus: *Ad hoc Concilium congregati ſunt ampliùs quam 400. Epiſcopi. Et de Athanaſio quidem hi, qui infenſo atque inimico erga eum erant animo, commodiſſimum duxerunt nullam omnino actionem inſtitui. Cùm autem de fide quæri captum eſt, Valens & Vrſatius (quibus ſubſidio aderant Germinius, Auxentius, Caius, atque Demophilus) poſtulant ut formulæ fidei jam antè editæ antiquentur; eaque teneatur, quam dudum*(Imo recentiſſimè. uti mox) *Sirmii Latino ſermone compoſuerant; quæ Filium Patri ſimilem ſecundùm Scripturas docuit, atque ut nulla fieret in Deo Subſtantiæ mentio. Quam formulam etiam Imperatorem approbaſſe dicebant, eamque à Synodo neceſſariò recipiendam. De cetero non debere Concilium curioſè quid quiſque ſentiret inquirere, ne contentiones inde naſcerentur, cùm verba in diſputationem vocantur. Præſtare imperitiùs diſſerere, modo rectè ſentiant, quàm inanes verborum & Dialecticorum argutias ac captiones introducere. Significabant autem obſcurè, imò verò apertè arguebant, verbum Conſubſtantialis, utpote nec in ſanctis literis repertum, & multis obſcurum ignotumque. volebantque pro eo dici, Filium Patri rebus in omnibus ſimilem juxta Scripturas.* Hactenus ex Sozomeno; rectè; ſi formulam iſtam Sirmienſem, Synodo tunc propoſitam, non *dudum*, ſed paucis antè diebus Sirmii cuſam, coram Imperatore, editamque dixiſſet.

Tertia mien... formula recentiſſima.

8. Nam ea certè non eſt prima Sirmienſis, ab annis ſeptem, ſtatim à victo Murſæ Magnentio habita, Poſt *Conſulatum Sergii & Nigriani*, anno Chriſti 351. ut Socrates Sozomenusque diſertè notant; ſed tertia & poſtrema, hujus anni 359. Conſulibus Euſebio & Hypatio, paucis antè diebus Sirmii cuſa, indeque Ariminum allata: In cujus fine ſeu capite, id teſte Athanaſio, Socrateque legebatur: *Edita eſt iſta Catholica fides in præſentiâ Domini noſtri religioſiſſimi, præclarique Victoris, Regis Conſtantii Auguſti, ÆTERNI, Conſulibus clariſſimis viris, Euſebio & Hypatio, Sirmii, undecimò Kalendas Junias.* ſeu menſis Maii die 22. Et quidem, ut addit Epiphanius hæ. 73. *pridie Pentecoſtes*: qui omnes characteres annum hunc 359. certò determinant. Formulam ad longum recitant iidem Athanaſius ac Socrates, apud quos videre potes. Ridet autem aptè Athanaſius, quòd *Cæſarem ſuum ÆTERNUM appellent, qui Filium Dei Æternum eſſe negant.* Quod & ex Athanaſio refert Sozomenus, qui & hæc præterea benè ſubdit libro 4. cap. 16.

Athan. de Syn. So... l. 2. c. 29

Quam ideo Patres Synodi reſpicunt.

9. *Ubi formulam, quam iſti* Valens ſociique, *ſecum attulerant, perlegerunt,* Patres Synodi ſcilicet *complures, Nihil opus eſſe novâ fidei formulâ, conſtanter affirmabant. ſed acquieſcendum decretis quæ ante ſuam ætatem erant de fide ſancita. Se jam in unum conveniſſe, ut ſi quid contra iſta novaretur, prohiberent. Simul poſtulant ab formulæ authoribus, ut ſi ea quæ lecta erant, nihil novi contra ea decreta continerent; palàm ipſi dogma Arrii rejiciant, quod ab Arrii ætate omnibus Eccleſiis cauſa tumultus extitiſſet. Hoc poſtulatum cùm Vrſacius, Valens, Germinius, Auxentius, Demophilus & Caius facere recuſarent: Concilium jubet formulam fidei tum aliarum ſectarum, tum Nicænæ Synodi legi; uti ſectæ ceſſerentur, Nicæni Concilii decreta ſuffragiis omnium firmarentur. quæ in poſterum nemo argueret, aut de illis Concilium poſtularet; ſed eiſdem jam olim editis contentus acquieſceret. Nam abſurdum eſſe, quaſi jam credere inciperent, novas fidei formulas conſcribi, & temporis anteacti traditionem reprehendi: quam & ipſi hactenus, qui ante ſe rexiſſent Eccleſias, plerique Martyres, tenuiſſent. Cùm Valens & Vrſacius morem his gerere nollent; ſed inſtarent ut formula à ſe allata confirmaretur; ipſos primùm Synodi Patres abdicant, & formulam eorum irritam decernunt.* Ita Sozomenus.

Valens & alii ejus auctores damnantur.

Nicæna Fides ſola retinetur.

10. Quibus conformis Athanaſius de Synodis: *Omnibus,* inquit, *Epiſcopis inter ſe conſentientibus; illis ex adverſo abnuentibus, ac proinde ut inſciis, doloſis, ac potius hæreticis condemnatis; totum Concilium ſuis calculis Nicænam Synodum approbavit, & eam ad omnia ſufficere judicavit. Vrſacium, Valentem, Germinium, Auxentium, Caium, Demophilum hæreticos pronuntiatis ab Eccleſia ſubmovit, & contra eos litteras ſcripſit. Ita Patres omnes concorditer.* & verò rectiſſimè. Nam licèt iſta formula, Epiphanio Hieronymoque teſtibus manifeſtam hæreſin non contineret; cum tamen Homouſion ſeu Conſubſtantiale non exprimeret, ſed ad Arrianam blaſphemiam aditum relinqueret, cautè damnata eſt. Porrò Valentem ac ſocios *12. Kal. Auguſti, ſive Julii 21.* damnatos habetur in fragmentis Hilarii & apud Bar. hic, §. 17. menſe ſecundo à formulæ procuſione nondum evoluto. Ac ſi Concilium hic ſolutum fuiſſet, ſanctiſſimè omnia & integrè acta erant. Quare etiam multis pro legitimis Ariminenſis Synodi actis habentur. & à Poſterioribus aptè ſecernuntur; quæ & rejiciunt. de quibus jam agendum.

ſeu Colonienſem, ſeu Treverenſem, Nerviorum ſeu Bavacenſem, vel ſi forte Tornacenſem, Atrebatenſemve, Morinenſem, aut quempiam è finitimis cum Servatione muros ſe pro domo Dei oppoſuiſſe: tametſi omnia ævum aboluerit.

7. Cæterùm, ut cum Hieronymo contra Luciferianos pergam, *Concilio ſoluto, læti omnes ad provincias revertuntur: idem enim Regi & bonis omnibus cura fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis ſibi vinculo necterentur. Sed diu ſcelera non latent, & cicatrix malè obducta, incocto pure dirumpitur. Cœperunt poſtea Valens & Vrſacius cæteriq́, nequitiæ eorum ſocii, egregii ſcilicet Chriſti Sacerdotes, palmas ſuas jactare, ſe Filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Tunc Vſiæ nomen abolitum eſt; tunc Nicænæ Fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus Orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt. Alii igitur intra ſuam communionem remanſere: alii ad eos Confeſſores, qui ſub nomine Athanaſii exulabant, cœperunt literas mittere: nonnulli mutam ſocietatem meliorum deſperatione planxerunt: pauci verò, ut ſe natura hominum habet, errorem pro conſilio defenſavere.*] Ex pœnitentibus fuiſſe Servatium, adeoque Belgas noſtros & Gallorum pleroſque infra patebit.

Arrianorũ fraus & jactantia.

8. Quòd autem ait hîc Hieronymus: *Orbem ingemuiſſe, ſeq́, Arrianum eſſe miratum,* non ita capiendum, quaſi tot Catholici Patres inde hæretici evaſerint. ſed quod nimis molliter cum illis egerint, à quibus Conſubſtantialis nomen, à Patribus Nicænis tanquam inexpugnabile propugnaculum Arrianis oppoſitum ſibi extorqueri, & ſubdolam illam Valentis appendicẽ, *Filium Creaturam cæteris ſimilem non eſſe*, in Fidei ſymbolum irrepere paſſi ſint. licèt diſertè aptéque teſte Hieronymo jam antè decreviſſent; *Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre*; aut *erat tempus, quando non erat filius, Anathema ſit.* In his enim, ut rectè Hieronymus, *locutio incauta facit hæreſin*: ſaltem materialem, quam cavere Concilii eſt.

Quomodo capiendum hîc Hieronymi dictũ.

9. Equidem negandum non eſt: ut Hæreſi multum & ſatis eſt, non prorſus victam occumbere; ita Eccleſiæ Catholicæ nunquam ſatis eſt, non planiſſimè viciſſe. Prorſus omnimoda hujus hæreſis jugulatio ab divinâ illâ *Homouſion* ſeu *Conſubſtantialis* voce pendebat, quæ hîc nimiâ Patrum, tametſi ſtudio pacis, conniventiâ prætermiſſa, inſolentiſſimæ hæreſi toties redivivum caput amputare, quòd omnino oportebat, non potuit. Tanti refert in Fidei decretis, Synodi cujuſvis auctoritate firmandis, pleno non medio ore loqui. In hæreſis quidem punitione, forte utilis ſubinde videri poſſit ſimulatio: in ejuſdem damnatione potiùs caſtigabilis. Neque tamen poſteriora hæc, quæ Arimini Recentiora vocat Athanaſius, prioribus ejuſdem Synodi decretis præjudicium ullum inferunt; quando iſtis & Sirmienſis Fides, & ejus auctores hæreſeos damnati, & Nicæna confeſſio pluſquam trecentorum Epiſcoporum ſuffragio confirmata. Hinc Athanaſius, Ambroſius aliique ſemper Synodum Ariminenſem laudant; & à Recentioribus iſtis rectè ſejungunt: propter quæ ſola Synodus eadem malè ab nonnullis aliis ut impia habita eſt: maximè cùm eadem Imperator ad ſe allata, Conſtantinopoli pridiè Kalendas Januarii, teſte Sozomeno, rata eſſe ingenti animo voluerit.]

Vox Homouſios, non erat diſſimulanda.

Poſteriora Synodi non enervant priora.

A quibus Synodum laudant Patres.

10. *Interim in Oriente* (pergit Severus) *exemplo Occidentalium, Imperator juſſerat cunctos ferè Epiſcopos apud Seleuciam Iſauriæ oppidum congregari. Quâ tempeſtate HILARIVS quartum jam exilii annum in Phrygiâ agens, inter reliquos Epiſcopos, per Vicarium ac Præſidem datâ evectionis copiâ, adeſſe compellitur: cùm tamen nihil de eo ſpecialiter mandaſſet Imperator. Judices tantum generalem juſſionem ſecuti* (ſunt) *quâ omnes Epiſcopos ad Concilium cogere jubebantur; hunc quoque inter reliquos volentes miſcere. Vt ego conjicio, Dei nutu ita geſtum; ut vir divinarum rerum inſtructiſſimus, cum de Fide diſceptandum erat, intereſſet.*] Adfuiſſe autem iſti Concilio Epiſcopos in univerſum 160. tradunt Athanaſius, Socrates atque Sozomenus: prorſus ut duabus penè tertiis ab Ariminenſium numero abfuerint. Nec ante menſis Septembris tertiam-decimam, ſeu Thoth Ægyptii ſextam-decimam diem, ſi Athanaſium quidem audimus, aut 27. ſi Socratem, datum Synodo huic initium; quando jam priora Ariminenſium Patrum decreta Legati Conſtantio detulerant, & reſponſum extorquere non poterant.

De Synodo Orientali Seleuciæ.

Epiſcoporũ 160.

Septembri tantum inchoata.

11. *Hilarius igitur* (rurſum Severus) *ubi Seleuciam venit magno cum favore exceptus, omnium in ſe animos & ſtudia converterat. Ac primùm, quæſitum ab eo, quæ eſſet Gallorum Fides? quia cum Arriani prava de nobis vulgantibus, ſuſpecti ab Orientalibus habebamur, trionymam ſolitarii Dei unionem ſecundum Sabellium credidiſſe.* Aiebat Sabellius tres in Deo perſonas non re, ſed ſolo nomine diverſas; triumque nominum diverſorum unionem effectam eſſe. Quod igitur Arrio Galli ſummopere adverſarentur, ejuſdem Patrem Filiumque ſubſtantiæ acriter aſſerentes, facilem ab Arrianis malevolisve Sabellianæ ſectæ calumniam patiebantur. *Sed Hilarius expoſitâ fide ſuâ, juxta ea quæ Nicææ erant à Patribus conſcripta, Occidentalibus perhibuit teſtimonium. Ita abſolutis omnium animis, intra conſcientiam communionis, nec non etiam in ſocietatem receptus, conciliôq́, adſcitus eſt.*

In eâ Hilarii Pict. auctoritas.

In fide Nicæna conſtantia.

12. *Agi deinde cœptum, repertique prava hæreſis auctores, atque ab Eccleſiæ corpore avulſi. In eo numero fuere Georgius ab Alexandria* (Athanaſianæ ſcilicet ſedis invaſor) *Acacius* Cæſarienſis Archiepiſcopus Euſebii Pamphili ſucceſſor, cæterorum horum hæreticorum Princeps; *Eudoxius* Antiochenus, *Uranius, Leontius, Theodoſius, Evagrius, Theodolus.*] Ita Severus paucis. Pluribus Socrates atque Sozomenus, qui Concilium primò in duas partes diviſum ſcribunt, quarum alteri Acacius Cæſarienſis cum Eudoxio Antiocheno, Georgio Alexandrino, & aliis triginta duobus hæreticis præfuerit; alteri Georgius Laodicenus, Eleuſius Cyzicenus, Sophronius Pompeiopolitanus, aliique multo plures adhæſerint; Et fidem quæ anno Chriſti 344. Antiochiæ in Encæniis condita fuerat confirmarint: Acaciani verò novam condiderint, quâ abdicatis *Conſubſtantialis* & *Subſtantiæ* nominibus, Filium Patri non ſubſtantiâ, ſed voluntate dumtaxat ſimilem aſſeruerint. Ita illi.

Arriani ibi primum damnati.

13. Verùm Hilarius præſens adhuc diſtinctiùs indicat, Acacianos (licèt eos non nominet) *negaſſe quidquam ſubſtantiæ Dei ſimile eſſe poſſe; neque de Deo poſſe exiſtere generationem; ſed eſſe Chriſtum creaturam. Itaque quod creatus eſſet, id ei nativitas deputaretur: ex nihilo autem eſſe; & idcirco non eſſe Filium, nec Deo ſimilem.* Imo excepta hæc ex ore Antiocheni Epiſcopi, nempè Eudoxii Aëtiani, Acaciani: *Erat Deus quod eſt: Pater non erat, quia neque et Filius. Nam ſi Filius, neceſſe eſt ut fœmina ſit, & colloquium*

S. Hilarii narratio. *Libro cõtra Conſtantiũ*

ſermo-

ſermonis, & compunctio conjugalis verbi, & blandimentum, & poſtremo ad generandum naturalis machinula. Unde exclamat Hilarius: *O miſeras aures meas, quæ tam funeſtæ vocis ſonum audierunt!* & mox ab alio ſibi dictum ſubdit: *Filium ſimilem Patri intelligi, quod ſimilia vellet; & idcirco voluntatis eſſe potiùs Filium, quàm Divinitatis: Diſſimilem autem Deo eſſe, quia neque ex ſubſtantiâ Patris natus. Qui autem ὁμοιούσιον prædicabant, omnes qui impudentiſſima hæc loquebātur, condemnaverunt.* Ita Hilarius, quem tum conſule.

…cedi Arrianorum cōceptus.

14. *Sed confectâ Synodo* (rurſum Severus) *decreta ad Imperatorem Legatio, quæ geſta inſinuaret. Damnati quoque ad Regem* (qui Conſtantinopolim jam ſub anni exitum è Pannoniâ redierat) *profecti, ſatis freti ſociorum viribus, & Principis ſocietate. Ibi repertos Seleucienſis Synodi Legatos, vi regiâ compellunt, exemplo Occidentalium* [*qui* (ut Sozomenus lib. 4. c. 22. fin.) *præter ipſorum opinionem, Subſtantiæ nomen, Ariminis in* Synodo, *reliquerant*] *pravam illam Fidem* à Valente ſcilicet obtruſam, *recipere. Plerique abnuentes, injurioſâ cuſtodiâ ac fame vexati, captivam conſcientiam dedere. Multi conſtantiùs renitentes, adempto Epiſcopatu in exilium detruſi, atque in eorum locum aliis dati. Ita optimis Sacerdotibus aut metu territis, aut exilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti conceſſerunt.*] Atque hæc omnia fine anni Chriſti 359. Conſtantinopoli inchoata, in ſequentem quoque producta ſunt. Nam Sozomenus l. 4. c. 22. finiente, diſertè ſcribit, Conſtantium tunc Conſtantinopoli agentem, diem Kalendarum Januarii, quo Conſules creantur, totum, & ſequentem diem impendiſſe; ut Legatos Synodi Seleucienſis, qui tunc advenerant, ad ſubſcribendum formulæ Concilii Ariminenſis impelleret. quod & fecit. Addit Severus lib. 2. *Aderat ibi tum Hilarius, à Seleuciâ Legatos ſecutus; nullis certis de ſe mandatis, opperiens Imperatoris voluntatem, ſi forſitan redire ad exilium juberetur. Is ubi extremum Fidei periculum animadvertit*, quid egerit, anno ſequenti reddam.

[L]egati utrimque ad Imperatorem. qui [C]onſtantinopolim redierat.

Qui variè vexati.

Annus Chriſti 360.

CAPUT XVI.

S. Martini in Pannoniâ patriâ vexationes. Hilarii item Conſtantinopoli labores. Vtriuſque in Italiam reditus.

1. DUm tot à Conſtantio Concilia Arrianorum importunitate peraguntur, S. Martinus interim totum fere exilii Hilariani tempus in Pannoniâ natali ſolo exegerat. *Ibi matrem*, ait Severus in ejus vitâ, cap. 4. *gentilitatis errore abſolverat; patre in malis perſeverante. plures tamen ſuo ſalvârat exemplo. Deinde cùm hæreſis Arriana per totum orbem, & maximè intra Illyricum pullulaſſet* (longâ ſcilicet Conſtantii in eo, maximè Sirmii, morâ) *cùm adverſus perfidiam Sacerdotum, ſolus penè acerrimè pugnaret; multiſque ſupplicijs eſſet affectus* (*nam & publicè virgis cæſus eſt; & ad extremum de civitate Sabariâ exire compulſus*) *Italiam repetens; cùm intra Gallias quoque, diſceſſu S. Hilarii, quem ad exilium vis hæreticorum coëgerat, turbatam Eccleſiam comperiſſet; Mediolanii ſibi Monaſterium ſtatuit. Ibi quoque enim Auxentius, auctor & princeps Arrianorum, graviſſimè inſectatus eſt; multiſq́*

S Martinus in patria vexatus.

Virgis cæſus. & expulſus.

Mediolanū venit. unde etiam pellitur ab Auxentio.

affectum injuriis, de civitate exturbavit. Cedendū itaque tempori arbitratus, ad inſulam Gallinariam nomine (in litore Genuenſi) *ſeceſſit, comite quodam Presbytero, magnarum virtutum viro. Hîc aliquamdiu radicibus vixit herbarum. Quo tempore Elleborum venenatum, ut ferunt gravem, in cibum ſumpſit. Sed cùm vim veneni in ſe graſſantis, viciná jam morte ſenſiſſet; imminens periculum oratione repulit; ſtatimque omnis dolor fugatus eſt.* Ita Severus. qui ſubdit, Illum Romam inde ſe contuliſſe; *ut Hilario redeunti occurreret.* de quo etiam aliquid dicendum.

Gallinarram inſulam incolit.

2. Hujus anni 360. exordio, erat Hilarius Conſtantinopoli; Seleucienſis Synodi Legatos, ut dixi, ſecutus, *Opperiens Imperatoris voluntatem, ſi forſitan redire ad exilium juberetur. Is ubi extremum Fidei periculum animadvertit* (verba Severi ſunt) *Occidentalibus deceptis, Orientales per ſcelus vinci; tribus Libellis publicè datis* (credo ſupplicibus) *audientiam Regis popoſcit; ut de fide coram adverſarijs diſceptaret. Id verò Arriani maxnuopere abnuère.* Tres iſtos libellos excidiſſe putat Baronius. Is tamen, cujus initium eſt, *Non ſum neſcius*, &c. ex tribus iſtis unus commodè eſſe poteſt; quando & hoc anno, & ad Conſtantii audientiam impetrandam ſcriptum, plura ejus verba docent. Pro audientia, *Dabis*, inquit, id in *præſens inſtructionis ad cauſam, ut præſentem eum* (Saturninum nempe Arelatenſem) *cujus miniſterio exulo, uſque ad confeſſionem falſorum, quæ geſſit, adducam. Sed de eo nihil, cùm juſſeris, loquar*, &c. Pro hoc anno autem, ſunt hæc: *Proximi anni fides* (nempè Arimini propoſita) *quid jam de immutatione in ſe habet? primùm, quæ Homouſion decernit taceri. Sequens rurſum* (Nicææ Thraciæ eodem anno edita) *quæ Homiouſion decernit & prædicat. tertiùm deinceps, quæ uſiam ſimpliciter à Patribus præſumptam, per indulgentiam excuſat.* ea eſt Seleucienſis Synodi, ejuſdem prioris anni. *Poſtremùm quartum, quæ non excuſat, ſed condemnat.* ea eſt Synodi Conſtantinopolitanæ, poſt Conſtantii in eam urbem è Pannoniâ reditum, ab Acacianis fine ſuperioris anni habitæ. Hujus igitur prioribus menſibus Libellum eum Hilarius, ad audientiam habendam conteauit. ac proinde unus è tribus illis Severi eſſe poteſt. Alius verò liber, cujus initium, *Tempus eſt loquendi.* hoc quidem etiam anno 360. ſcriptus eſt, nempè ut ibi ſcribit Hilarius, *quinto, à Paulini & ſociorum Epiſcoporum exilijs anno*; ſed acerrima in Conſtantium invectiva eſt; nedum audientiæ poſtulatio. Et illum tamen non Conſtantinopoli, ſed Romæ aut in Italiâ, quò hoc anno rediit, ſcriptum aut editum, mox videbo. Ex illo videbimus quo ſervandæ Fidei zelo arderet, quàm nullo Conſtantii, nullo Arrianorum metu teneretur. Unde ſubdit aptè Severus:

S Hilarius Conſtantinopoli.

A Conſtantio audiri petit.

3. *Poſtremò quaſi diſcordiæ ſeminarium & perturbator Orientis, redire ad Gallias jubetur, abſque exilii indulgentiâ.* ita ſcilicet ut in Galliis etiam agitans, exulis pœnâ teneretur. Id factum anno Conſtantii 23. teſtātur ſaniora Hieronymi Chronica Manuſcripta, qui annus hic eſt Chriſti 360. quod & pervincit hiſtoriæ ſeries; & Turonenſis libro 1. c. 35. *exilii ſui anno 4.* rediiſſe, diſertè ſcribens. nam anno Chriſti 356. circa Auguſtum menſem eum relegatum vidimus. Sed notandus hîc diligenter duplex Hilarii reditus; prior in Illyricum, & Italiam, adeoque Romam: ubi fere ſeſquiannum laborans, acceptam in Ariminenſi Synodo plagam ſanare contendit.

Fruſtrà! In Gallias remittitur.

Venit in Italiam & Romam.

Tum in Galias.

tendit poſterior anno ſequenti 361. quo Juliano jam rebelli & in Conſtantium tendente, forte & ipſâ jam Octobris quintâ die mortuo, Gallias Romæ Italiaque relictâ poſtliminiò repetiit, ut ibi reddam: quando Juliani novi Principis indulgentiâ exules Epiſcopi ad Eccleſias ſuas redire juſſi, ut notat Hieronymus contra Lucif. c. 7. cùm addit: *Tunc Hilarium ſuum de prælio revertentem Galliarum Eccleſia complexa eſt.* Ubi & id notandum, eumdem Hieronymum duplicem Hilarii reditum nobiſcum agnoſcere, quando in Chronico priorem, ſecundo aute poſteriorem cum ceteris Epiſcopis anno, prænotat. Et Rufinus lib. 1. c. 3. *Hilarium ante ceteros exules regreſſum, & in Italiâ poſitum, fidem Patrum reparare molientem, ab Euſebio Vercellenſi redeunte repertum,* expreſsè tradit: Socrate Sozomenóque ſuffragantibus, ut fuſiùs anno ſequenti.

Romanam Eccleſiam juvat.

4. In Italia igitur Romæque Hilarius, cùm *orbem penè terrarum, malo perfidiæ infectum permenſus eſſet; & plerisque videretur, non ineundam cum his communionem, qui Ariminenſem Synodum recepiſſent, optimum factu arbitratus eſt, revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam.* ut & poſtea in Galliis fecit, teſte Severo. Et multos ſanè revocavit; in ſtatum priſtinum Eccleſiarum, etiam Romanæ fidem, Liberii caſu nonnihil ſuccuſſam, reformavit. Commodè tunc agebat Romæ Liberius, ſed occultus in cœmeteriis ſuburbanis, quia Conſtantii juſſu per Valentem Murſenſem Epiſcopum Arrianum Eccleſiâ ejectus, quòd Formulæ ejus Ariminenſi Concilio per fraudem obtruſæ, ſubſcribere nollet; uti neque recentiora ſeu poſteriora Synodi Ariminenſis approbare. ut fusè Baronius ex Sozomeno aliiſque proſequitur hoc anno 360. §. 48.

A quâ Liberius prohibebatur.

5. Atque hâc inter ceteras occaſione, injectum Hilario impetum exiſtimo, Invectivam illam (cujus exordium, *Tempus eſt loquendi*) in Conſtantium ſcribendi; quinto à Paulini ceterorumq; Mediolanenſium Epiſcoporum exilii expirante anno, ſi non & completo. quâ ejus in Epiſcopos Orthodoxos immanitatem acerrimè carpit, & Anti-chriſtum eum ſæpiùs appellat. Scribendi, inquam; &, ſi non omnibus, ſaltem amicis offerendi; donec intellectâ Juliani hoc anno in Conſtantium non rebellione tantùm, ſed & ſuſceptâ jam expeditione; multóque magis cognitâ anno ſequenti Conſtantii ſerâ morte, eam publicam planè fecit. Ex quâ, parcet Lector, ſiquædam hîc ad meam non minus quàm ipſius inſtructionem excerpo. Ex Oriente, & regiâ urbe Conſtantinopoli Conſtantius egreſſus in Occidentem atque Pannoniam contra Magnentium & Vetranionem tyrannos venit, anno Chriſti jam adulto re 350 quando non multò pòſt, Vetranionem Naiſſi in Dardaniâ ſolâ oratione ſibi adjunxit, octavo Kalendas Januarii, teſte in Faſtis Idatio, ut ſæpiùs monui. Ab anno igitur eo ſeneſcente 350. ad præcipitantem item 359. quo ſolutâ tandem Ariminenſi Synodo Conſtantinopolim rediit; per annos omnino novem, in Occidentali tam Eccleſiâ quam Imperio, inſanâ hæreſeos inducendæ cupidine, moras ſanè longiores traxit; Plures in Pannoniâ, plures in Italiâ, plures in Galliâ Synodos coëgit; ut hoc toto libro oſtendi & mecum Ammianus libro 21. finiente; ſcribens: *Dum Chriſtianam Religionem abſolutam & ſimplicem perplexiùs ſcrutatur, quàm componit graviùs: excitavit diſcidia plurima; quæ progreſſa fuſius aluit concertatione verborum: ut catervis Antiſtitum,* ſeu Epiſcoporum *jumentis publicis ultrò citróque diſcurrentium per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ ſuccideret nervos.* Ita Ammianus, licèt Ethnicus.

Tot Synodis Conſtantius, nonniſi ſe aliosque turbavit.

Teſte S. Hilario, libello contra ipſum.

6. Et tot tamen ille Synodis, nihil aliud effecit, quàm ut ſuam ſuorumque fidem ſemper fluctuantem, fluctuantiorem in dies redderet. Unde Hilarius eo quem contra ipſum edidit libello, rectè interrogat: *Hoc nunc à te, Conſtanti, requiro, In quâ tandem fide credas? Ego enim nunc Fidem tuam ignoro, per demutationis tuæ tempora, quibus quiſque in unũ blaſphemiæ ſuæ barathrum deſcendens, per gradus præcipites cucurrit. Namq́, poſt primam veræ Fidei Synodicen* (Nicænam ſcilicet) *congregato rurſum Antiochiæ Concilio fidem renovas. Sed accidit tibi quod imperitis ædificatoribus; ut ſemper deſtruas, quod ſemper ædifices. Ego quidem in ſcriptâ Nicææ à Patribus Fide fundatus maneo; ſed tamen hæc tu emendando reſcindis; ac ſine fidei meæ damno, tibi requiris perfidiæ occaſionem. Poſt Synodum deinde Sardicenſem, omnem rurſus adverſus Photinum Sirmium,* ſeu Sirmienſem Epiſcopum, *Catholica doctrina tua commoves curam. Sed tibi ſtatim hoc, quod utráque fide continebatur, exhorret,* &c. *Tu his ipſis diſſides; & adverſus tuos, hoſtis rebellas: novis vetera ſubvertis: nova ipſa rurſum innovatâ emendatione ſcindis: emendata autem iterum emendando condemnas. Hoc tantùm querar, Cur tua damnas? Fidem enim unam, & unum Baptiſma Apoſtolus prædicat. Jamquidquid apud te, præter Fidem unam eſt, perfidia non Fides eſt. Nam qui Fidem emendando condemnas, damnationem Fidei eſſe conſtituis: dum apud te aboletur per alteram, quæ per alteram rurſus abolenda eſt. Cujus tu exinde Epiſcopi manum innocentem reliquiſti? Quam linguam non ad falſiloquium coëgiſti? Quod cor non ad damnationem anterioris ſententiæ demutaſti?* &c. quæ apud Hilarium legere potes.

BELGII ROMANI

ECCLESIASTICI ET CIVILIS,

LIBER VNDECIMVS.

A Iuliano Apoſtata jam Auguſto, ad Valentiniani primi mortem. ſeu ab anno Chriſti 360. ad 375. Per annos 16.

CAPUT PRIMUM.

Iulianus Cæſar Pariſiis ab exercitu Auguſtus acclamatur.

Conſtantius Eccleſiæ perſecutor Diocletiano gravior.

VE quoque juvat hîc, non minùs quàm in Diocletiani perſecutione, ad tot cruentorum Conſtantii Conciliorum finem perveniſſe. Nam ut rectè Hilarius noſter, Libello ſeu Invectivâ quam in eum ſcripſit, *damno ille in nos majore, & veniâ minore deſævijt. Subrepebat nomine blandientis, occidebat ſpecie Religionis: Chriſti fidem Chriſti mendax prædicator extinguebat. Omnia perſecutionis mala ita temperabat, ut excluderet & in peccato veniam, & in confeſſione martyrium. Plus crudelitati Neronis, Decii, Maximiani debemus. Diabolum enim per eos vicimus.* Hic *nihil prorſus egit aliud, quàm ut orbem terrarum, pro quo Chriſtus paſſus eſt, Diabolo condonaret. Tyrannus non jam humanorum, ſed divinorum.* Nec defuit Nemeſis divina. Cæſarem ab eo creatum ſtatim in illum concitavit; mox etiam vindictam ſpirantem, de medio ſuſtulit. Dum enim tantam rebus Eccleſiaſticis turbationem invehit, non parum in Galliis valeſcebat Julianus. de quo audiendus Ammianus libri 20. principio:

Annus Chriſti Dionyſ. 360. verus 364.

2. Anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano, quo paſſim hodiè utimur; licèt ut ſuprà ſæpè monui, ſit annus iſte à verâ Chriſti Nativitate trecenteſimus ſexageſimus quartus; *Conſulatu Conſtantij Auguſti decies, terq; Juliani* Cæſaris, cognomento Apoſtatæ: *In Britanniis, cùm Scotorum Pictorumq; gentium* barbararum *excurſu, loca limitibus vicina vaſtarentur; & implicaret formido provincias, præteritarum cladium congerie feſſas: hiemem agens apud Pariſios Cæſar, diſtractusq; in ſollicitudines varias, verebatur ire ſubſidio transmarinis, ut retulimus antè feciſſe Conſtantem: ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alemannis ad ſævitiam etiamtum incitatis, & bella.* quæ ſcilicet FRANCI & Saxones à Juliano paulo ante contriti ſuſcitabant. *Itur igitur ad hæc, ratione vel vi componenda, Lupicinum placuit, eâ tempeſtate Magiſtrum armorum; bellicoſum ſanè, & caſtrenſis rei peritum; ſed ſupercilia erigentem & cornua: ſuper quo diu ambigebatur, avarus eſſet potius an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Herulis ſcilicet & BATAVIS,* quos Julianus ipſe conſcripſerat, *numerisq; Mæſiacorum duobus, adultâ hieme, Dux antedictus BONONIAM* ad mare in Morinis, *venit. quæſitisq; navigijs,* è Belgio maximè noſtro, *& omni impoſito milite, obſervato flatu ſecundo ventorum, ad Rutupias ſitas ex adverſo, defertur. petitq; Lundinium: ut exinde, ſuſcepto pro rei qualitate conſilio, feſtinaret ociùs ad procinctum.*

In Britannias contra Pictos & Scotos

Mittitur Lupicinus,

qui cum Batavis Bononiâ è Morinis ſolvit.

3. Cùm ecce Conſtantius, quem Juliani virtutes famaque celebrior urebant, per Decentium Tribunum & Notarium, auxiliares protinus repetit Herulos & Batavos, cumque Petulantibus Celtas, ut adeſſe poſſint armis primo vere movendis in Perſas. Viſus primùm acquieſcere Julianus; ſed addidit, Herulos & Batavos relictis laribus Tranſrhenanis ſub hoc pacto nomina militiæ dediſſe, ne ducerentur ad partes unquam tranſalpinas. verendum eſſe affirmans, ne voluntarii barbari militares, ſæpè ſub ejuſmodi legibus adſueti tranſire ad noſtra, hoc cognito deinceps arcerentur. Sed incaſſum loquebatur. Decentius enim Auguſti juſſis obtemperans, cum lectâ expeditiore manu duce Sintulâ profectus eſt. Ita Julianus curis angebatur, cùm hinc barbara feritas, inde juſſorum urgeret auctoritas; ſimul abſentia Magiſtri equitum dubietatem faceret. ergo ad Florentium Præfectum, olim Viennam ſpecie annonæ parandæ, ut ſe militari eximeret turbâ, digreſſum, ſcribit, ut ad ſe redeat, conſiliaque communicet. quod ille facere contentione maxima recuſavit. Nam Conſtantio conſilium illud ſuggeſſiſſe credebatur. Inter has tamen moras abſentis Lupicini, motusque militares tumentis Præfecti (Florentii) id optimum factu exiſtimavit Julianus, ut viâ ſolemni cunctos milites ex ſtationibus, in quibus hiemabant, egreſſos, ad Conſtantium maturare curaret. Quo comperto, apud Petulantium ſigna, famoſum quidam Libellum humi projecit occultè, inter alia multa etiam id continentem: Nos quidem ad orbis terrarum extrema ut noxii pellimur, & damnati: charitates verò noſtræ Alemannis denuò ſervient, quas captivitate primâ poſt internecinas liberavimus pugnas

Batavos & Herulos è Gallia revocat Conſtantius. *Amm. l. 2. c. 2.*

Julianus alios eorum loco mittit.

4. Quo

Cum familiis proptus.

4. Quo textu ad comitatum perlato, lectóque, Julianus contemplans rationabiles querelas, cum familiis eos ad Orientem proficiſci præcepit, clabularis curſus facultate permiſsâ. Et cum ambigeretur diutius, quâ pergerent viâ; placuit Notario ſuggerente Decentio, per Pariſios homines tranſire ubi morabatur adhuc Cæſar nuſquam motus. & ita factum eſt. Iiſdemque adventantibus, in ſuburbanis Princeps occurrit, ex more laudans quos agnoſcebat: factorumque fortium ſingulos monens, animabat lenibus verbis, ut ad Auguſtum alacri gradu pergerent, ubi poteſtas eſſet amplè patens & larga; præmia laborum adepturi digniſſima. Utque honoratiùs procul abituros tractaret, ad convivium proceribus corrogatis, petere jure ſi quid in promptu eſſet, edixit. Qui liberaliter ita ſuſcepti, dolore duplici ſuſpenſi diceſſerunt, & mœſti; quod eos fortuna quædam inclemens & moderato rectore, & terris genitalibus diſpararet Hocque angore impliciti, in ſtativa ſolita receſſerunt.

Sed iſti ſeditionem movent.

5 Nocte verè cœptante, in apertum erupere diſſidium: incitatiſque animis, ut quemque inſperata res adflictabat, ad tela convertuntur & manus. fremituque ingenti omnes petivere palatium; & ſpatiis ejus ambitis, ne ad evadendi copiam quiſpiam pervèniret, Auguſtum Julianum horrendis clamoribus concrepabant; eum ad ſe prodire deſtinatiùs adigentes. Eſpectareque coacti, dum lux promicaret, tandem progredi compulerunt. Quo viſo, iteratâ magnitudine ſoni, Auguſtum appellavere conſenſione firmiſſimâ. Et ille mente fundatâ univerſis reſiſtebat & ſingulis; nunc indignari ſemet oſtendens, nunc manus tendens oranſque & obſecrans, ne poſt multas feliciſſimaſque victorias, agatur aliquid indecorum; néve intempeſtiva temeritas & prolapſio, diſcordiarum materias excitaret: ſe apud Auguſtum imperraturum, ne quid viſerent tranſalpinum. Conclamabatur poſthæc ex omni parte nihilominus, uno parique ardore nitentibus univerſis. Maximoque contentionis fragore. probro & conviciis mixto, Cæſar aſſentire coactus eſt. Impoſituſque ſcuto pedeſtri & ſublatiùs eminens, populo ſilente Auguſtus renuntiatus, jubebatur diadema proferre. negansque unquam ſe habuiſſe, uxoris colli vel capitis poſcebatur. Eoque affirmante, primis auſpiciis non congruere aptari muliebri mundo; Equi phalera quærebatur, uti congruâ ornatus ſpecie, ſaltem obſcuram ſuperioris prætenderet poteſtatis. Sed cùm id quoque turpe eſſe adſeveraret, Maurus nomine quidam, poſteà Comes, qui rem male geſſit apud Succorum anguſtias, Petulantium tunc haſtatus, abſtractum ſibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani impoſuit confidenter. Qui truſus ad neceſſitatem extremam, jamque periculum præſens vitare non poſſe advertens, ſi reniti perſeveraſſet, quinos ſingulis aureos, argentique ſingula pondo promiſit.

Et Julianum proclamant Auguſtum.

qui adſentitur.

Diadema accipit.

Et donativum largitur.

6. Hiſque geſtis, haud minore quàm antea curâ conſtrictus, futuraque celeri providens corde, nec diadema geſtavit, nec procedere auſus eſt uſquam, nec agere ſeria quæ nimis urgebant. Sed cùm ad latebras ſeceſſiſſet occultas, accidentium varietate perterritus, Julianus aliquis Palatii Decurio, qui eſt ordo dignitatis, pleniore gradu ſigna Petulantium ingreſſus atque Celtarum, facinus indignum turbulentè exclamat, pridiè Auguſtum eorum arbitrio declaratum, clàm interemptum. Hócque comperto milites diverſo vagóque, ut in repentino ſolet, excurſu, occupavere volucriter Regiam: Ilrepituqúe immani excubitores perculſi & Domeſticorum Comes Excubitor nomine, veritiqúe verſabilis perfidiam militis, evanuere metu mortis ſubitæ diſpalati. Viſo tamen otio ſummo, quieti ſtetere paulisper armati: & interrogati, quæ cauſa eſſet inconſulti motus & repentini, diu tacendo, hæſitantes ſuper ſalute Principis, non anteà diſceſſerunt, quàm acciti in conſiſtorium, fulgentem eum auguſto habitu conſpexiſſent.

Mox anxius latebras petit.

Unde nova ſeditio.

Quâ Julianus prodit habitu Auguſto.

7. His tamen auditis, etiam illi quos antegreſſos retulimus duce Sintulâ, cum eo jam ſecuri Pariſios revertuntur. Edictóque ut futurâ luce cuncti convenirent in campo, progreſſus Princeps ſignis aquiliſqúe circumdatus, primùm ſua cum iis facta commemorat, victorias de Alemannis relatas, partim ad Argentoratum, quâ perpetua Galliis reddita libertas; tum ſui defenſionem iis commendat; concluditqúe ſe jam ſtatuere, Neque civilem quemquam Judicem, neque militiæ Rectorem, alio quodam præter merita ſuffragante, ad potiorem venturum gradum: non ſine detrimento pudoris eo, qui pro quolibet petere tentaret, diſceſſuro. Hac fiducia ſpei majoris animatus miles Inferior, uno propemodum ore dictis favebat & cœptis.

Unde qui diſceſſerant, Pariſios redeunt.

Et omnes Julianus alloquitur.

8. Nocte verò quæ declarationis Auguſtæ præceſſerat diem, junctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem viſum, ut formari Genius publicus ſolet, hæc objurgando dixiſſe: Olim, Juliane, veſtibulum ædium tuarum obſervo latenter, augere tuam geſtiens dignitatem; & aliquoties tanquam repudiatus abſceſſi. Sed ſi ne nunc quidem recipior, ſententiâ concordante multorum, ibo dimiſſus & mœſtus. Id tamen retineto imo corde, quod tecum diutiùs non habitabo.] *Amm.* Atque inde forte ſcribit tam in Miſopogone quàm in Epiſtola ad S.P.Q. Athenienſem Julianus, nolétem ſe, reluctantem, & ab exercitu coactum imperium ſuſcepiſſe; ne ſcilicet Genii ſui favorem & tutelam amitteret.

Juliani in ſomnis viſio.

9. Hibernis tamen apud Pariſios adhuc locatis, ſumma cœptorum quorſum evaderent, pertimeſcens, erat anxius, nuſquam aſſenſurum Conſtantium factis, multa volvendo conſiderans, apud quem ſordebat ut infimus & contemptus. Circumſpectis itaque trepidis rerum novarum exordiis, legatos ad eum mittere ſtatuit geſta docturos; eiſqúe concinentes litteras dedit, quid actum ſit, quidve fieri oporteat deinceps, monens apertiùs & demonſtrans. Quamquam eum hoc dudum comperiſſe opinabatur, relatu Decentii olim reverſi, & cubiculariorum recens de Galliis regreſſorum, qui ad Cæſarem aliqua portavere ſolemnia.] Agebat quoque tunc apud Conſtantinopolim Conſtantius hiemem, quæ annum hunc Chriſti 360. inchoabat; arma in Perſas apparans & Scytharum etiam cogens auxilia, ut adulto vere (ait idem Amm. c.18.) profectus è Thraciis loca ſuſpecta protinus occuparet. Interim Macedonium Conſtantinopolis Epiſcopum ob crimina (& quia Acacianis obſiſtebat) exauctoravit, ſuffecto Eudoxio Antiocheno, cujus in Dei filium obſcœniſſimas Seleuciæ blaſphemias priore capite ex Hilario tum præſente retulimus. poſtque paucos dies, Februarii 15. & 16. magnam

Legatos & literas ad Conſtantium mittit.

Amm. l.20. c.19.

Conſtan-

Conſtantinopoleos Eccleſiam dedicavit; ejusque Encænia celebravit, poſt annos fere 34. quàm ejus fundamenta jecerat Conſtantinus Magnus. pro quo vide fuſiùs Chronicon Alexandrinum, cui & Idatii Faſti conſentiunt. Habebat tunc ſcilicet ibi Synodum Epiſcoporum 72. Acacianorum, quorum ſtudio tot Orthodoxos Epiſcopos exilio dedit, ſedibusque privavit; ut ſupra ex Severo aliisque dictum.

Quarum ſumma iſta.

10. Juliani porro ad Conſtantium litterarum ſummam Ammianus iſtam ſuggerit: ſe nolentem & reluctantem Auguſtum dictum à milite, qui præmia à ſolo Cæſare nulla ſe ſperare poſſe crederet; quique glacialibus terris aſſuetus, ad partes orbis ejuſmodi extremas trahi, aut à liberis cõjugibusque ſeparari nollet. Aſſenſum itaque ſe, ne alter libens Princeps declararetur: ceterum Conſtantii præcepta deinceps quoque ſuſcepturum. Quin & equos præbiturum curules Hiſpanos, & miſcendos Gentilibus atque ſcutariis adoleſcẽtes lectos (*lætos legit Hadr. Valeſius lib. 1. Franc.*) quoſdam, cis Rhenum editam Barbarorum progeniem; vel certè ex dedititiis, qui ad Romana deſciſcunt. Præfectos Prætorio eum æquè daturum; reſiduos tantùm Judices, militiæ moderatores, ſuique ſtipatores ſe lecturum. Gallos ad longinqua nullos ſe mittere poſſe, conſumpta tunc juventute, & barbaris ſemper imminentibus: prorſus ut Galliæ externis novis indigeant adjumentis. Hortabatur denique ad concordiam imperio perutilem adeoque neceſſariam.

Aliæ literæ ſecretiores & mordaces.

His litteris (pergit idem Ammianus) junctas ſecretiores alias Conſtantio offerendas clanculo miſit, objurgatorias & mordaces: quarum ſeriem nec ſcrutari licuit, nec ſi licuiſſet, proferre decebat in publicum. Ad id munus implendum electi ſunt viri graves, Pentadius officiorum Magiſter, & Eutherius cubiculi tunc præpoſitus.

Florentii P.P. fuga ad Conſtantium.

11. Auxerat inter hæc cœptorum invidiam Florentii fuga Præfecti prætorio Galliarum; qui velut præſagiens concitandos motus, ob militem accitum, conſultò diſceſſerat Viennam, alimentariæ rei gratiâ divelli cauſatus à Cæſare, quem, ſæpè tractatum aſperiùs, formidabat. Dein cùm comperiſſet eum ad Auguſtum culmen evectum, exiguâ ac prope nullâ vivendi ſpe, malis, quæ ſuſpicabatur ſe exemit; & neceſſitudine omni relictâ, venit ad Conſtantium itineribus lentis. Utque ſe nulli obnoxium culpæ monſtraret, Julianum ut perduellem multis criminibus appetebat. Cujus poſt abitum bene Julianus cogitans & prudenter, ſcirique volens quod præſenti pepercisſet; charitates ejus cùm re familiari intactâ, publici curſus uſu permiſſo ad Orientem redire tutiùs imperavit.

Legati Juliani ad Cõſtantium tarde moventur.

12. Nec minore ſtudio ſecuti legati, hæc ſecum ferentes quæ prædiximus, intentique ad viandum, cùm venirent ad Judices celſiores, obliquè tenebantur: moraſque per Italiam & Illyricum perpeſſi diuturnas & graves; tandem transfretati Boſphorum, itineribusque lentis progreſſi, apud Cæſaream Cappadociæ etiamtum degentem invenere Conſtantium.

Eum tandè Cæſareæ Cappadociæ inveniunt. *Amm. l. 20. c. 24.*

Qui intromiſſi, datâ poteſtate offerunt ſcripta. Hisque recitatis, ultra modum ſolitæ indignationis excanduit Imperator; limisque oculis eos adusque metum contuens mortis, egredi juſſit; nihil poſt hæc percontatus vel audire perpeſſus. Perculſus tamen ardenter, cunctatione ſtringebatur ambiguâ, utrum in Perſas an contra Julianum moveri juberet acies, quibus fidebat. hæſitansque diu perpenſis conſiliis, flexus eſt quorumdam ſententiâ utilia ſuadentium; & iter Orientem verſus ediait.

Qui per Leonam Julianum cõprimere tentat.

Statim tamen & legatos abſolvit, & Leonam quæſtorem ſuum in Gallias cum litteris datis ad Julianum pergere celeri ſtatuit gradu; nihil novatorum ſe aſſerens ſuſcepiſſe; ſed eum, ſi ſaluti ſuæ proximorumque conſuleret, tumenti flatu depoſito, intra Cæſaris ſe poteſtatem continere præcipiens. Utque id facilè formido intentatorum efficeret, velut magnis viribus fretus, in locum Florentii Præfectum prætorio Galliarum Nebridium tum Quæſtorem ejuſdem Cæſaris promoverat, & Felicem Notarium Officiorum Magiſtrum & quoſdam alios. Gumoharium enim ſucceſſorem Lupicini, antequam ſciretur hujuſmodi quidquam, Magiſtrum provexit armorum.

Sed eum exercitus rejicit.

13. Ingreſſus itaque Pariſios Leonas, ſuſceptus ut honoratus & prudens, poſtridie Principi progreſſo in campum, cum multitudine armatâ pariter & plebeiâ, quam de induſtriâ convocarat, è tribunali altiùs ut emineret ſuperſtanti, ſcripta jubetur offerre. Replicatoque volumine edicti quod miſſum eſt, & legi ab exordio cœpto, cùm ventum fuiſſet ad locum id continentem, quod geſta omnia Conſtantius improbans, Cæſaris poteſtatem ſufficere Juliano cenſebat; exclamabat undique vocum terribilium ſonus, Auguſte Juliane; ut provincialis & miles, & Reip. decrevit auctoritas; recreatæ quidem, ſed adhuc metuentis redivivos barbarorum excurſus. Quibus auditis Leonas, cum Juliani litteris hæc eadem indicantibus revertit incolumis. ſolusque ad Præfecturam prætorii Galliarum admiſſus eſt Nebridius; id enim Cæſar quoque ſcribens ex ſententiâ ſuâ fore apertè prædixit. Magiſtrum enim Officiorum jampridem Anatolium ordinavit, libellis antea reſpondentem; & quoſdam alios, ut ſibi utile videbatur & tutum.

Lupicinus in Britannis continetur.

14. Et quoniam, cùm hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licèt abſens agensque etiam tum apud Britannos, homo ſuperbæ mentis & turgidus; eratque ſuſpicio, quod ſi hæc trans mare didiciſſet, novarum rerum materias excitaret; Notarius Bononiam mittitur, obſervaturus ſollicitè, ne quiſquam fretum Oceani tranſire permitteretur. Quo vetito, reverſus Lupicinus antequam quidquam horum ſciret, nullas ciere potuit turbas. Unde patet Juliano non Gallias tantùm, ſed & Britannias Hiſpaniasque tum adhæſiſſe.

Julianus in Germaniã ſecundam.

15. Julianus jam tamen celſiore fortunâ militisque fiducia lætior, ne intepeſceret, néve ut remiſſus argueretur & deſes; Legatis ad Conſtantium miſſis, in limitem GERMANIÆ SECVNDÆ eſt egreſſus. (Pariſiis ſcilicet) omnique apparatu quem flagitabat inſtans negotium, communitus, Obtricenſi Moſæ oppido propinquabat.] Ita quidem primus edidit Gelenius, cum in editione Romana legeretur Obtricenſimæ. (ait hic Henr. Valeſius) prout etiam habet editio Auguſtana & Codex Regius, Florentinus & Valentinus. At Caſtellus audacter emendaverat, Taſandrio, quod oppidi nomen alicubi legerat. Ita Valeſius. Obtricenſe oppidum ſi vera lectio eſſet; hodiernam ad Moſam urbem *Maeſtrecht* non ineptè ſignaret, cujus pars potior etiamnum dicitur *Trect*, id eſt Trajectum. Cumque lingua Teutonica *Op* vel *Ober* ſit quaſi ſurſum vel ſuperius, *Obtricenſe* eſſet ſuperius Trajectum Moſæ adſitum, ad Trajecti

Inferioris

Cõtra Hattuarios, ad Triceſimã Rhenanam.

Inferioris diſtinctionem, quod ad Rhenum inferiorem dicebatur *Vndertriecht*. Verùm cùm Julianus hic contra Hattuarios Francos Tranſ-rhenanos, eosque longe infra Moſæ Trajectum inferiores, ad Rhenum ſcilicet bicornium fere naſcens ſitos; ſaniorem Valeſii lectionem credo, non *Obtricenſi*, ſed *Triceſima oppido*: cujus etiam meminit Ammianus ſuprà libro 18. cap. 2. pag. 115. & Itinerarium Antonini cùm *Vlpiam Triceſimam* vocat, inter Vetera caſtra & Burginacium; ubi & Tabula Peutingeri *Coloniam Trajanam* ad Rhenum locat. ad quam ſcilicet Ulpius Trajanus Imperator *Legionem Germanicam* à ſe (teſte Dione lib. 55.) collectam, *Triceſimamque* vocitatam contra Germanos præſidio collocarit, Clivia oppido non procul, ubi etiamnum jacet vicus *Kellen*; Coloniæ nomen aptè referens. Ea igitur Colonia integrè dicta, *Colonia Vlpia Trajana*. ad quam quia legio iſta Triceſima caſtra fixerat, loco nomen compendio fecit *Triceſima*. Et ſitus aptè reſpondet *Hattuariis Francis* trans Rhenum ibidem ex oppoſito colentibus. Unde aptiùs adhuc ſubdit Ammianus.

Galliarum extima vaſtantes.

16. Rheno exinde tranſmiſſo, regionem ſubito pervaſit FRANCORUM, quos ATTHUARIOS vocant, inquietorum hominum, licentiùs etiam tum percurſantium extima Galliarum. Quos adortus ſubito, nihil metuentes hoſtile nimiumque ſecuros, quòd ſcruposâ viarum difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiſſe meminerant Principem, ſuperavit negotio levi. captiſque plurimis & occiſis, orantibus aliis qui ſuperfuêre, pacem ex arbitrio dedit; hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus. Unde reverſus pari celeritate per flumen (Rhenum) præſidiaque limitis explorans diligenter & corrigens, adusque Rauracos venit. locisque recuperatis, quæ olim Barbari intercepta retinebant ut propria, iiſdemque pleniore curâ firmatis, per Beſantionem Viennam hyematurus abſceſſit.

Quos vincit & pace donat.

Quinam iſti Hattuarii?

17. Hatthuarios Cluverus libro 3. cap. 15. nullos fuiſſe putat, reponitque *Chattuarios*, ſeu *Chaſſuarios*; (quos Strabo libri 7. initio, & Ptolemæus lib. 2. cap. 11. memorant) & partem facit Chattorum. Verùm Chattuarii Strabonis ac Ptolemæi, ab Hathuariis Ammiani, aut Attuariis Velleii, nihil niſi forti aſpiratione differunt. Unde idem Cluverus fluctuans, eodem libro cap. 20. ſubſtituit *Anſibarios*. Velleius libro 2. in Germanicis Teberii jam ab Auguſto adoptati bellis; Attuariorum æquè ac Ammianus meminit; *Subacti*, ait, *Canninefates*, *ATTVARI*, *Bructeri*, *Cheruſci*. & ſuprà dixi *Caninefates* ad infimum Rhenum ſitos, ſuprà item adverſo Rheno, Attuarios, Bructeros, cum Francis in barbarico; Cheruſcos denique, Francis etiam accenſos, poſt illos magis in Orientem incoluiſſe; planè ad auctorum iſtorum antiquiorum mentem. Prorſus ut per ripam Rheni barbaricam ſeu dexteram ſurſum aſcendendo, ſiti fuerint Caninefates intra ipſam Bataviam; extra verò, Friſii, Salii, Hattuarii, Chamavi, Bructeri. Et in Mediterraneis ad ortum & Septentrionem, Chatti, Cheruſci, Anſibarii, ſeu Ampſibarii; & Amſuarii, ab Amiſia fluvio nomen ſortiti. In eorum fere medio, Hattuarii hi Ammianici, plane ad dexteram Rheni ripam; quâ modo Zupthania, Clivia tranſrhenana, & Monaſterienſis Epiſcopatus pars ea finitima, quâ modo Amiſii fluvii ſuperiora defluunt; maximè quâ montes obtinent: quando Ammianus ſcruposâ viarum difficultate intactos fuiſſe; eoque extima Galliarum impunè percurſaſſe notat; quæ etiam tandem occupaverint. Nam in Chronico Lauriſſamenſi, quædam profertur Donatio Ansfridi Comitis Palatini, quâ Cœnobio iſti datur pagus *Geizefurt*, in pago Hattuarienſi, ſuper fluvium *Neerſe*, qui ejuſdem etiamnum nominis, in Ducatu Juliacenſi ortus per mediam Geldriam & Cliviam, ad oppidum Genep in Moſam influit. Is locus primis eorum trans Rhenum ſedibus jam deſcriptis aptè reſpondet; & *extima Galliarum*, Moſam inter ac Rhenum, continet: quæ illi ſub Juliano quoque commodè, velut ex viciniâ, percurſare potuerint, cùm adhuc pars Francorum eſſent. Quo fit, ut Julianum non ex Obtricenſi oppido ſeu *Maeſtrecht*, rectà ad Vetera caſtra, hodie *Santen* aut *Byrten* in Cliviâ, perrexiſſe, Rhenumque tranſmiſiſſe exiſtimem; ut potiùs priùs, & inopinatò eos aggreſſum credam. Nec differam tamen, ſi quis Hattuarios, aut fortiore etiam, planeque Germanicâ aſpiratione, Chattuarios legere velit. Sunt enim iidem populi, à Chattis, ut opinor, orti; qui jam dicta loca & Tiberii & Juliani temporibus incolebant.

Hilarius in Conſtantiũ invehitur.

18. Hæc Juliani jam Auguſti proſperiora cum in dies Romæ lætior auribus hauriret Hilarius, eum adhuc Chriſtianum Orthodoxumque, nondum Apoſtatam à fide ratus; quid mirum ſi tanto concitatior in Conſtantii contumaciam crudelitatemque latus ſit; & ea in illum effuderit, quæ ſine fine miramur, & in vivum Imperatorem vix dici poſſe credimus? Diſtingue tempora, & conciliabis jura. Quamquam quiſquis generoſos Hilarii ſpiritus, & ardentiſſimam martyrii ſitim perſpectam habuerit, non dubitabit quin paria abſque Juliani quoque rebellione, ſolo fidei zelo, ſcripto traditurus fuerit. Sed de hoc, annis ſequentibus plura.

CAPUT II.

Iuliani contra Conſtantium apparatus. Conſtantii mors, Iuliani initium.

Annis Chriſti 361. 362.

Conſtantius in Perſas infelix.

1. INterea Conſtantium cum Perſis dimicantem fortuna ſecuta eſt afflictior, Deo vindice: prorſus ut propoſiti irritus, ingraveſcente jam hyeme Antiochiam redire coactus ſit, ærumnoſam perpeſſus æſtatem, & atrocem, diuque deflendam, ut fuſiùs Ammianus libro 20. finiente. qui libri 21. initio ſubdit: Intercluſo igitur bellorum difficili ſorte Conſtantio trans flumen Euphratem: Julianus agens (& hyemans) apud Viennam, formandis in futura conſiliis dies impendebat & noctes; quantum opes patiebantur anguſtæ, altiùs ſemet attollens; ſemperque ambigens, utrum Conſtantium modis omnibus alliceret in concordiam, an terroris incutiendi gratiâ laceſſeret prior. Quæ ſollicitè reputans, utrumque formidabat, & amicum cruentum, & in ærumnis civilibus ſæpè victorem. Maxi-

Amm. l. 20. & 21.

Julianus Viennæ hiemat.

méque Galli fratris exemplum mentem ejus anxiam ſuſpendebat; quem inertia mixtæque perjuriis fraudes prodidêre quorumdam. Erigebat tamen aliquoties animum ad multa & urgentia, tutiſſimum ratus, inimicum ſe ex confeſſo monſtrare ei, cujus ea præteritis motus conjectabat ut prudens, ne per amicitias fictas inſidiis falleretur occultis.

De bello inferẽdo ambigit.

2. Paruit igitur occultis, quæ per Leonam Conſtantius ſcripſerat, nulloque arbitrio ejus promotorum ſuſcepto præter Nebridium, Quinquennalia Auguſtus jam edidit. octavo ſcilicet Idus Novembris anni Chriſti 360. inchoata; quo eum Cæſarem dictum ſuprà ex Ammiano Idacioque vidimus; licèt Chronicon Alexandrinum 8. Idus Octobres præferat. Et ambitioſo diademate utebatur, lapidum fulgore diſtincto: cùm inter exordia principatûs aſſumptâ vili coronâ circumdaretur, Xyſtarchæ ſimilis purpurato. Inter quæ HELENÆ conjugis defunctæ ſuprema miſerat Romam, in ſuburbano viæ Nomentanæ condenda: ubi uxor quoque Galli, quondam ſoror ejus, ſepulta eſt Conſtantina. utraque nimirum Conſtantino Magno genita.

Quinquennalia celebrat.

Uxorem Helenam amittit.

3. Accidebat autem incendebatque ejus cupidinem pacatis jam Gallis inceſſere ultro Conſtantium, conjiciens eum per vaticinandi præſagia multa, quæ callebat, & ſomnis, è vitâ protinus exceſſurum. Hic unde Juliano præſagiendi ars, deque variis divinandi generibus diſputat Ammianus. quem ſi lubet conſule. Pergit: Agebat itaque, nihil interim de ſtatu rerum præſentium mutans, ſed animo tranquillo & quieto incidentia cuncta diſponens, paulatimque ſeſe corroborans, ut dignitatis augmento virium quoque congruerent incrementa. Utque omnes nullo impediente, ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat; à quo jampridem occultè deſciverat, arcanorum participibus paucis; aruſpicinæ auguriiſque intentus, & ceteris, quæ Deorum ſemper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, Feriarum die quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani EPIPHANIA dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam, ſolenniter Numine orato diſceſſit.] Vides hic Chriſtianorum in Galliis multitudinem & pietatem; vides antiquiſſimam Feſtorum noſtrorum etiam hodiernorum celebritatem atque frequentationem, quæ jam tot ſæculis inconcuſſa durat. Verùm ea Juliani ſimulatio non diu tenuit; quando proximâ æſtate in Conſtantium per Illyricum infeſtus tendens, Maximo Epheſio ſcripſit, Deos ſe publicè palamque cum exercitu colere; ut fuſiùs ex iis litteris intelligere potes.

Nihil in rebus mutat.

Chriſtianũ ſe adhuc ſimulat.

ANNUS Chriſti 361. Et Feſtum Epiphaniæ publicè celebrat.

4. Dum hæc ita aguntur (rurſum Ammianus) propinquante jam vere, nuntio percitus inopino, ad triſtitiam verſus eſt & mœrorem. Didicit enim Alemannos à pago Vadomarii (è regione Baſileæ hodiernæ ſito.) exorſos (unde nihil poſt ictum fœdus ſperabatur incommodum) vaſtare confines Rhætiis tractus; nihilque ſinere intentatum, manus prædatorias fuſiùs diſcurrentes. Quod ne diſſimulatum redivivas bellorum materias excitaret, Libinonem quemdam Comitem cum Celtis & Petulantibus miſit hiemantibus ſecum (credo Viennæ) negotium, ut poſcebat ratio, correcturum. Qui cùm maturè prope oppidum Sanctionem (hodie Sekingen in Rheni ripâ dexterâ Rauracis oppoſitum) veniſſet, longè viſus à Barbaris, qui jam certamina meditantes ſeſe per valles abdiderant, adgreditur inconſultè Germanos; interque dimicandi exordia ipſe concidit omnium primus; ac noſtri tandem disjecti, occiſis paucis & vulneratis.

Alemanni rebellant, duce Vadomario.

Libinonem Comitem cædunt.

5. Ad hunc Vadomarium Conſtantius, firmatâ jam antè ut dictum pace, fecialem mandaverat, ut tanquam rupto concordiæ pacto, ſubinde collimitia ſibi vicina vexaret: quo Julianus id metuens, nuſquam à tutelâ diſcederet Galliarum. Quibus obtemperans Vadomarius, hæc & ſimilia perpetrabat, ad fallendum miris modis ab ætatis primitiis callens; ut poſtea quoque ducatum per Phœnicem regens oſtendit. Verùm capto à ſtationariis militibus Notario, quem miſerat ad Conſtantium, ſcrutatoque ſi quid portaret, Epiſtola ejus reperta eſt, in qua præter alia multa id quoque ſcripſerat: Cæſar tuus diſciplinam non habet. Julianum autem aſſiduè per litteras Dominum & Auguſtum appellabat & Deum. Hæc Julianus ut exitiale malum eruptura conſiderans, ut incautum rapere feſtinabat. Miſſus Philagrius Notarius Orientis poſtea Comes, Vadomarium, flumen ut in profunda pace tranſgreſſum, convivioque adhibitum fortiter apprehendit, & ad Juliani caſtra miſit; qui eum in Hiſpanias ablegavit, ne ſe à Galliis diſcedente, immaniſſimus homo provinciarum ſtatum ægrè compoſitum, licentiùs conturbaret. Mox barbaros, qui Libinonem Comitem peremerant, ſubitò adortus, ſuperato Rheno noctis alto ſilentio, cum auxiliorum expeditiſſimis globis, nihil metuentes hujuſmodi circumvenit, quoſdam occidit, orantes alios prædamque offerentes deditities cepit, reliquis pacem precantibus dedit, quietem pollicitis firmam.

Vadomarium Conſtantius in Julianum incitarat.

Sed eum Julianus capit, & in Hiſpanias ablegat.

Alemannos circũvenit.

6. Inde conjectans quantas inteſtinæ cladis excitaverat moles, nihilque tam convenire conatibus ſubitis, quàm celeritatem ſagaci pervidens mente; profeſſâ palàm defectione ſe tutiorem fore exiſtimavit. Incertuſque de militum fide, placatâ ritu ſecretiore Bellonâ, claſſico concionem advocavit, ſuggeſſitque, ſe poſt fractos Alemannos & Francos, recreataſque Gallias, ipſorum judicio rerumque neceſſitate ad Auguſtum culmen evectum. ut igitur adverſa præveniret, conſilium ſuum eſſe, ut dum majoribus vacant præſidiis regiones Illyricæ, Daciarum fines extimos occupet; exinde ſucceſſus ſequendos. Interim juramento fidem ſibi de more obſtringerent; ſe quoque nihil præter ea quæ conducerent aggreſſurum. tantùm ipſi in privatorum & provincialium damna ne exilirent. His incitata concio immani ſcutorum fragore crepuit. gladiiſque cervicibus ſuis admotis, ſub execrationibus diris juravere, omnes pro eo caſus ſe perlaturos. Solus omnium repugnavit Nebridius, jurejurando contra Conſtantium nequaquam ſe conſtringi poſſe commemorans, cujus tantis beneficiis obligatus eſſet. Quo re miles inflammatus eum trucidare volebat, ni Imperator ad genua prolapſum paludamento protexiſſet, & ad larem in Tuſciam remiſiſſet. Ita per teſſeram edicto in Pannonias itinere, caſtris promotis fortunæ ſe temerè commiſit.

Tandemq; militem in ſua verba adigit.

Qui ſe Juliano devovet.

Solo Nebridio repugnante.

7. Interea Conſtantius hiemem agens Antiochiæ, poſt defunctam pridem Euſebiam conjugem, Euſebii Hypatiique ſororem, Juliani promotricem, ductâ Fauſtinâ; Florentium è Galliâ profugum Anatolio recens mortuo in Illyrici præfecturâ

Florentius & Taurus Coss. anni 361.

fufficit,

Conſtantius Imp. in Perſas, relicto Juliano.

ſufficit, ſimul cum Tauro Conſulem hujus anni Chriſti 361. declarat. Inde multum anxius, Julianum an Perſas peteret; communicato ſæpè cum ducibus conſilio, tandem ut quid à tergo relinqueret, in Perſas ire decrevit, Julianum venaticiam inde prædam fore. Tunenſque Africæ, Gaudentium Notarium, quem exploratorem actuum Juliani fuiſſe diximus, eò per mare miſit. qui illa ſtatim aſſertâ, Aquitaniæ Italiæque objecta litora tutatus eſt arctiſſimè. Conſtantius Edeſſam venit, & nihil tamen contra Perſas promovit, eorum Rege ad propria reverſo.

Julianus Gallus abiens officia ordinat.

8. *Diſcedens inter hæc Julianus à Rauracis, Salluſtium Præfectum promotum remiſit in Gallias, Germaniano juſſo vicem* (in Prætorii Præfectura) *tueri Nebridii: itidemque Nevitæ Magiſterium commiſit armorum; Gumoarium proditorem antiquum timens, quem cum ſcutariis regeret, latenter prodidiſſe Vetranionem ſuum Principem audiebat: & Jovio Quæſturam cujus in actibus Magnentii meminimus; & Mamertino largitiones curandas: & Dagalaiphum præfecit domeſticis. Profectus itaque per Marcianas ſylvas, viáſque junctas iſtri* (hodie Suartwald, *Rhenum inter ac Danubii fontes*) *fluminis ripis, & agminibus diſtributis, quoſdam per Italiæ itinera, cum Jovino miſit & Jovio, alios per mediterranea Rhætiarum Magiſtro Equitum Nevitæ commiſit. Qui per varia diffuſi, immenſi numeri ſpeciem præferentes cuncta formidine compleverunt.*

Juliani iter per Danubium.

Cúmque ad locum veniſſet, unde navigari poſſe flumen didicit (credo *Samulocenum*, ſeu *Alcimannem*, bodie contractiore voce, *Ulmam*) *lembis aſcenſis, quos oportune fors dederat plurimos*, nominis ſui terrore Taurum ex Italia, Florentium ex Illyrico, Prætorio Præfectos & Conſules fugere compulit. Lucillianum rei caſtrenſi Præfectum Sirmii oppreſſit, ubi etiam Auguſtus appellatus eſt & Dominus. Inde Succorum anguſtias prope Serdicam, quà Æmus ac Rhodope montes coeunt, occupavit: iiſque Nevita impoſito Næſſum copioſum oppidum reverſus, *Victorem Hiſtoricum* Sirmio ubi eum viderat accitum, *Pannoniæ ſecundæ Conſularem præfecit, & honoravit æneâ ſtatuâ, virum ſobrietatis gratiâ æmulandum, multò pòſt Urbis præfectum.*

Ulmam.

Sirmium.

Sardicam.

Næſſum. Ubi Victorē hiſtoricum Pannoniæ ſecundæ præfecit.

Invectivam in Conſtantium Romā ad Senatum mittit.

9. *Jamque altiùs ſe extollens, & nunquam credens ad concordiam provocari poſſe Conſtantium; orationem in eum acrem & invectivam ſcripſerat ad Senatum* Romæ agentem. *Quæ cùm Tertullo adminiſtrante adhuc Præfecturam, recitarentur in Curiâ, eminuit nobilitatis cum ſpecioſâ fiduciâ benignitas grata. Exclamatum eſt enim, in unum cunctorum ſententiâ congruente, AUTORI TUO REVERENTIAM ROGAMUS. Tunc & memoriam Conſtantini Magni, ut novatoris turbatoriſque priſcarum legum & moris antiquitùs recepti vexavit: eum apertè incuſans, quòd Barbaros omnium primus adúſque faſces auxerat & trabeas Conſulares. Inſulſe nimirum & leviter. qui cum vitare deberet id quod infeſtius objurgavit, brevi poſtea* (proximo ſcilicet anno) *Mamertinum ad Conſulatum evexit, nec vita, nec ſplendore, nec uſu nec gloriâ, horum cujuſquam ſimilem, quibus Magiſtratum ampliſſimum detulerat Conſtantinus: contrà, inconſummatum & ſubagreſtem; &, quod minus erat ferendum, celſâ in poteſtate crudelem. Haud diu poſtea, Conſtantii mortem intellexit: de quâ nunc agendum.*

Conſtantinum Magnum incuſat.

Ipſe incuſandus.

Conſtantius Edeſſâ in Julianum movet.

10. Conſtantii quidem mors ita ſe habuit. Dum moras Edeſſæ trahit, Julianum audiit Italiam & Illyricum curſu celeri prætergreſſum, clauſtra occupaſſe Succorum, Thraciiſque imminere. Quo primùm mœſtus, mox etiam audito Regis Perſarum ad ſua reditu recreatus, in Julianum movit; reverſus ſtatim Hierapolim, & Antiochiam. Unde *initio Indictionis 4.* (*à* Septembri ſcilicet ineuntis, ut habet Alexandrinum Chr.) Tarſum Ciliciæ, mox Mopſueſtiam ſeu *Mopſucrenas Ciliciæ ultimam ſtationem, ſub Tauri* montis radicibus poſitam, venit. Ubi cùm febri urente *diu colluctatus, dictóque, ut ferebatur, ſucceſſore Juliano, eandem tertio Nonarum Octobrium abiit è vitâ: imperii vitæque anno 40. & menſibus paucis.* ait Amm. libro 21. ut autem *Victor anno ævi quarto & 40. Imperii* nono atque 30. verùm Auguſtæ dignitatis quarto viceſimoque; octo ſolus; cum fratribus atque Magnentio ſedecim; quindecim Cæſar. Ut autem Eutropius, anno imperii 8. & 30. ætatis 4. & 40. Ut Hieron. in Chron. anno ætatis 45. cùm regnaſſet annis 24. menſibus 5. diebus 13. Ut Caſſiodorus anno ætatis 46. cùm imperaſſet annis 24. menſibus 4. diebus 23. Idatius tamen in faſtis eum 3. Nonas non Octobris, ſed Novembris fato functum notat. At Chronicon Alexandrinum Dii ſeu Novembris 3. anno Antiocheno 410. (ineunte ſcilicet) cùm Eccleſia pacem annos 50. habuiſſet, Tauro & Florentio Coss. Conſtantinum juniorem ex Fauſta natum eſſe Arelate, vel primis diebus anni 317. vel ultimis 316. ſupra ex Victore Schotti vidimus. Conſtantius ergo qui eum ſecutus eſt, vix ante annum ſaltem ineuntem 318. naſci potuit. à quo incluſivè uſque ad annum 361. in Octobri vel Novembri, tantum interſunt anni 44. labentes necdum completi. Ita verus hic eſſe poſſet Victoris & Eutropii de ætate Conſtantii calculus. Non autem Hier. nedum Caſſiodori.

Mopſueſtiæ moritur.

Ejus elogiū ex Ammiano.

11. *Uxorem Fauſtinam* (pergit Ammianus) *prægnantem reliquit. unde edita poſthuma, ejuſque nomine appellata* (Conſtantia) *cùm adoleviſſet, matrimonii jure copulata eſt Gratiano. Princeps fuit, ut in externis bellis adflictus, ita in civilibus felix & tumidus. unde pravo propoſito triumphales arcus ex clade provinciarum magnis ſumptibus erexit in Galliis & Pannoniis, titulis geſtorum adfixis. Chriſtianam Religionem abſolutam & ſimplicem, anili ſuperſtitione confundens: in quâ ſcrutandâ perplexius, quàm componendâ gravius, excitavit diſſidia plurima, quæ progreſſa fuſiùs aluit concertatione verborum. ut catervis Antiſtitum, jumentis publicis ultro citróque diſcurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariæ ſuccideret nervos.* Ita Ethnicus ille ſcriptor: cujus de Conſtantio reliqua, legere apud eum potes, libro 21.

CAPUT III.

Iuliani initia, & edicta.

Julianus Conſtantinopolim ingreditur.

1. IVlianus rerum Conſtantii morte potitus, iter in Thracias edixit, motisque properè ſignis emensâ declivitate Succorum, Philippopolim petiit, mox Heracleam Perinthum: tandemque Conſtantinopolim 11. Decembris introiit, Senatûs populique conſonis vocibus exceptus. *Et quanquam* (ſubdit Ammianus) *à rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga Numinum* ſeu idolorũ *cultum, paulatimque adoleſcens deſiderio rei flagrabat multa, metuens tamen, agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultiſſimè. Ubi verò abolitis quæ verebatur, adeſſe ſibi liberum tempus faciundi quæ vellet advertit, ſui pectoris patefecit arcana. & planis abſolutiſque decretis aperiri Templa* (idolorum) *ariſque hoſtias admoveri, & reparari Deorum ſtatuit cultum* [*Edictum per totum orbem vulgavit, quo idola inſtaurari imperabat*, ait Chronicon Alexuodrinum.] *Utque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum Antiſtites cum plebe diſciſſâ in palatium intromiſſos monebat, ut civilibus diſcordiis conſopitis, quiſque, nullo vetante, Religioni ſuæ ſerviret intrepidus. Quod agebat ideo obſtinatè, ut diſſenſiones augente licentiâ, non timeret unanimantem poſtea plebem: nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales pleriquè Chriſtianorum, expertus. Sæpèque dictitabat, Audite me, quem Alemanni audierunt & Franci.*] Addit Theodoretus libro 3. cap. 4. *Julianus* (initio Imperii) *quo omnium ſibi conciliaret benevolentiam, Epiſcopos à Conſtantio Eccleſiis ejectos, & in ultimas terræ oras relegatos, ad ſuas redire juſſit Eccleſias.* credo exitu hujus anni Chriſti 361. Et id quidem non Catholicæ veritatis amore, ſed acriore Conſtantii & miniſtrorum ejus odio.

Aperiri templa idolorum jubet.

Epiſcopis tamen libertatem relinquit.

Imò à Conſtantio ejectos revocat.

Annus Chriſti 162.

2. Anno igitur proximè ſequenti, 362. quo Mamertinus Conſul, collegâ Nevitâ, Panegyricum ſeu Gratiarum actionem Juliano Conſtantinopoli dixit (quemque totum Julianus primò Conſtantinopoli, tum in Aſia Antiochiæque exegit) è noſtris quidem Occidentalibus, ne quid de Orientalibus dicam, redierunt Lucifer Caralitanus, Euſebius Vercellenſis, & Hilarius Pictavenſis noſter. *Omnes Epiſcopi* (ait Hieronymus contra Luciferianos) *qui de propriis ſedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis, ad Eccleſias redeunt. Tunc triumphatorem ſuum Athanaſium Ægyptus excepit, tunc Hilarium de prælio revertentem Eccleſia Galliarum complexa eſt.* Tametſi enim jam inde ab anno 360. Orientem reliquiſſet Hilarius, aliquandiu tamen, ut dixi, in Italiâ retentus, Gallias ante autumnum aut finem anni 361. vix attigiſſe videtur. poſt Conſtantii ſcilicet mortem, & veniâ redeundi Epiſcopis exulibus indultâ, ut fuſiùs infrà. De quo ſic etiam Socrates lib. 3. cap. 8. *Hilarius Pictavorum Epiſcopus ante Euſebium tam Italiæ quàm Galliæ Epiſcopos Catholicæ fidei dogmatis diligenter erudivit. Etenim priùs ab exilio reverſus, ante eum ad ea adventarat loca. Vterque verò fidem ſtrenuè propugnavit. Hilarius utpote diſertus, libris Latino ſermone conſcriptis, Conſubſtantialis dogma explanavit: iiſdemque tum illud ipſum confirmavit abunde, tum Arrianorum opiniones penitus labefactavit. Verùm iſta paulò poſt quàm exules erant in patriam revocati contigerunt.* Soxomenus lib. 5. cap. 12. *Euſebius Illyricum properè pertranſiens, venit in Italiam. Ibi Hilarium Epiſcopum Pictavorum reperit. qui in rebus fidei corrigendis ante ejus adventum laboraverat. Nam Hilarius jamdudum ab exilio reverſus* (ante ſeſquiannum ſcilicet) *Italos & Gallos docuerat, quæ dogmata amplectenda quæ fugienda*, &c. Eadem ferè & ante ipſos Ruffinus. *Et concurrebant* (ait Hieronymus) *Epiſcopi* docibiles, *qui Ariminenſibus dolis irretiti, ſine conſcientiâ hæretici ferebantur: conteſtantes corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, Se nihil mali in ſuâ fide ſuſpicatos. Putavimus* (dicebant) *ſenſum congruere cum verbis nec in Eccleſia Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. decepit nos bona de malis exiſtimatio. non ſumus arbitrati Sacerdotes Chriſti adverſus Chriſtum pugnare.*

Ad ſuas Eccleſias redeunt Athanaſius, Hilarius, & alii.

Hilarii præclari conatus.

3. Itaque, ut intra Gallias noſtras ex inſtituto maneamus, illas redux Hilarius anno Chriſti 361. ſeneſcente attigit, ſexto non amplius ante mortem anno: & quidem Sancto Martino auctus Comite. Sic enim Severus in ejus Vita cap. 4. & 5. *Cùm* Martinus *Sancto Hilario comperiſſet, Regis* (Conſtantii) *pœnitentiâ, poteſtatem indultam fuiſſe redeundi, Romæ ei tentavit occurrere; profectuſque ad Vrbem eſt. Cùm jam Hilarius pertranſiſſet; eum veſtigiis eſt proſecutus. Et ab eo gratiſſimè ſuſceptus; haud longè ſibi ab oppido Pictavenſi Monaſterium collocavit.* in quo novem ferè annos divinis ſe meditationibus, donec Epiſcopatum iniret, exercuit. At Hilarius activæ tum vitæ deditus, & ſaluti proximorum incubiturus, omnes animi nervos eò contendit, ut quod habet in Chronico Hieconymus, *Galliæ Ariminenſis perfidiæ dolos damnaret.* Severum audire juvat: *Ibi permenſus eſt orbem penè terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi, & magnâ curarum mole æſtuans; cùm pleriſque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminenſem Synodum recepiſſent, optimum factu arbitratus, revocare cunctos ad emendationem atque pœnitentiam; FREQVENTIBVS INTRA GALLIAS CONCILIIS, ATQVE OMNIBVS FERE EPISCOPIS DE ERRORE PROFITENTIBVS, apud Ariminum geſta condemnant, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fidem reformant. Reſiſtebat ſanis conſiliis Saturninus Arelatenſium Epiſcopus, vir ſanè peſſimus, & ingenio malo pravóque. Verùm etiam præter hæreſis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus, Eccleſiâ ejectus eſt. Ita partium vires amiſſo Duce infracta. Paternus etiam à Petrocoriis æquè vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, Sacerdotio pulſus, ceteris venia data. Illud apud omnes conſtitit, unius Hilarii beneficio, Galliâs noſtras periculo hæreſis liberatas. Ceterùm Lucifer* Caralitanus, *tum Antiochiæ, longe diverſâ ſententiâ fuit. Nam in tantum eos qui Arimini fuerant*, & fidem ibi factam probaverant, quantumvis pœnitentes, *condemnavit, ut ſe etiam ab eorum communione ſecreverit, qui eos ſub ſatisfactione, vel pœnitentia recepiſſent. Igitur & Hilarii noſtri; qui cunctos ad emendationem pœnitentiamque revocabat.* Hactenus è Severo. qui utinam fuſiùs hæc ſancta Hilarii officia, tam ſanctum Gallicanorum noſtrorum Antiſtitum palinodiam retexere perrexiſſet. Multa etiam de Belgicis Epiſcopis habeeemus: ac præſertim de Servatio noſtro, Tungrenſi, quem cum Fœgadio Aginnenſi Fidei Ariminenſis profeſſiones concepiſſe edidiſſeque ſuprà ex Severo audivimus.

Gallias ab Arrianis avertit.

Reſiſtente Saturnino Epiſcopo Arelatenſi Arriano.

Et Paterno Petrocorienſi.

4. Ait

Concilia in Galliis plura procurat Hilarius.

4. Ait ecce Severus; *frequentia tum intra Gallias habita* Hilario curante Concilia. Et ne unom quidem nominat; nec quâ potiſſimum Galliarum parte habita, manifeſtat. Tam frequentia ego quidem non unis in provincia celebrata, facilè perſpicio. Quaterna ut minimum pro quaternis Galliarum provinciis, ſi non plura, fuiſſe neceſſum eſt: Belgicum unum, Lugdunenſe alterum, Tertium Aquitanicum, Narbonenſe ſeu Viennenſe poſtremum, ita tamen ut aut ſingula, aut plura Galliæ totius eſſe potuerint. Belgicum Treviris, ſummâ præcipuâque Galliarum civitate, eóque generalius & eminentius, ideóque primùm habitum, prona ſuſpicio eſt. hoc magis, quo Servatius noſter Belga, præcipuus fidei Ariminenſis conditor extiterat. à quo ſcilicet ceteri Epiſcopi, ſicut antè credendi formulam, ita nunc emendationis ac pœnitentiæ exemplum hauſturi eſſent. & certè primus ipſe delit, ut mox dicam. Lugduni an aliud habitum ſit, non ſcio. Pariſus in Senoniâ, ſeu 4. Lugdunenſi, unum habitum certum eſt; quando illius unius modò ſuperſtes eſt Synodica Epiſtola; quæ etiam Synodum hanc omnium Galliæ Epiſcoporum extitiſſe ſignificat: quæqúe ſanctos Hilarii labores, Saturnini damnationem, & Gallicanæ Eccleſiæ in priſtinum ſtatum reformationem, planè ad Severi ſenſum exhibet. Eam ad Orientales Epiſcopos datam juverit hic per otium attentiùs inſpicere, & ab unâ diſcere omnes.

Epiſtola Synodica Pariſienſis, inſtar omnium.

5. *Dilectiſſimis & beatiſſimis conſacerdotibus Epiſcopis Orientalibus omnibus, per diverſas Provincias in Chriſto manentibus, Gallicani Epiſcopi ſalutem. Omnis quidem vita noſtra fideique ſenſu, gratias Deo Patri per Dominum noſtrum JESVM CHRISTVM confitemur, quod nos in lumine ſcientia confeſſionis ſua, doctrinis & Propheticis & Apoſtolicis conlocavit: ne ſecularis imperitia tenebris detenti, judicio ſeculi teneremur: cùm ſola ſpes ſit pleniſſima ad ſalutem, Deum Patrem Omnipotentem per unigenitum ejus Dominum JESVM Chriſtum in ſancto Spiritu confiteri. Sed planè non minor quotidie gratulationis noſtra cauſa cumulatur, quòd liberans nos ab errore mundi, nunc etiam inexpiabili hæreticorum admiſceri non patitur ſocietati. Ex litteris veſtris, quas dilecto fratri & conſacerdoti noſtro Hilario direxiſtis, fraudem diaboli, & conſpirantia adverſus Eccleſiam Domini hæreticorum ingenia cognovimus, ut diviſi in partibus Orientis atque Occidentis, diverſis invicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini aut Nicaa adfuerunt, ſub auctoritate veſtri nominis ad Vſia ſilentium ſunt coacti. Quod verbum à vobis quondam contra Ariomanitarum hæreſim inventum, à nobis ſemper ſanctè fideliterque ſuſceptum eſt. Nam Homouſion ſermonem ad veram & legitimam ex Deo patre unigeniti Nativitatem ſumus amplexi: deteſtantes ſecundum Sabellii blaſphemias ipſam unionem; neque aliquam partem Patris eſſe Filium intelligentes; ſed ex toto atque perfecto innaſcibili Deo, totum atque perfectum unigenitum Deum natum, ideò à nobis idcirco vel Vſia vel ſubſtantia cum Deo patre confeſſum; ne creatura potiùs, aut adoptio, aut appellatio videretur. & quia ex ipſo eſſet, ut ex Patre Filius, ut ex Deo Deus, ut ex virtute virtus, ut ex ſpiritu ſpiritus, ut lumen ex lumine. Similitudinem quoque ejus ad Deum patrem, non inviti audientes: quippe cum Imago inviſibilis Dei ſit. Sed eam ſolum ſimilitudinem dignam ad Patrem intelligentes, qua veri Dei ſit ad Deum verum. Ita ut non unio Divinitatis, ſed unitas intelligatur: quia unio ſit ſingularis, unitas verò ſecundum*

Fidei Orthodoxæ confeſſio.

Quæ ſimilitudo Dei Patris ad Filium.

nativitatis veritatem, plenitudo naſcentis ſit. Maximè cùm Dominus ipſe Jeſus Chriſtus ad diſcipulos ſuos ſit profeſſus, dicens, Ego & Pater unum ſumus. Quo non ſolum caritatem qua ad patrem eſt, ſed & Divinitatem qua Dei ex Deo eſt ſignificat; ſecundum illud, Qui me videt, videt & Patrem. Et, Si mihi non vultis credere, vel operibus credite, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. Hanc igitur ſemper fidem tenentes & tenebimus. deteſtantes quoque eos qui dicunt, non erat antequam naſceretur: non quod Vnigenitum Deum, innaſcibilem prædicemus; ſed quod impium ſit maximè Deo temporum aliquod tempus anteferre. cùm ipſum illud, antequam naſceretur non fuiſſe, ſit temporis. Sed & obedientem quoque Patri Filium, etiam uſque ad mortem Crucis, ſecundùm infirmitatem aſſumptæ hominis, non negâmus: cùm ipſe de aſcenſu ſuo ad cælos locutus ſit: Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt. Per cujus carnis ſuſceptionem, nos ſibi fratres cognuncupare dignatus eſt, cùm in formâ Dei manens, forma ſervi eſſe voluit.

6. *Itaque, cariſſimi, cùm ex litteris veſtris in Vſia ſilentio fraudem ſe paſſam ſimplicitas noſtra cognoſcat; etiam pietatem eorum qui Arimino Conſtantinopolim reverterunt, conventos,** ſicut Epiſtola noſtra continentia teſtatur, neque eos ad tantam rem blaſphemiarum damnationem potuiſſe compellere, fidelis Dominici nominis prædicator frater noſter Hilarius nunciaverit: Nos quoque ab his omnibus, qua per ignorantiam perperam geſta ſunt, referimus. Auxentium, & Vrſacium, ac Valentem, Gaium, Megaſium, & Juſtinum excommunicatos habemus ſecundùm litteras veſtras; & certè, ut diximus, juxta fratris noſtri Hilarii profeſſionem, qui ſe pacem cum his, qui horum ſectarentur errores, habiturum negavit; blaſphemias quoque omnes, quas litteris veſtris ſubjeciſtis damnamus, maximéque eorum Sacerdotes Apoſtatas reſpuentes, qui in loca fratrum indigniſſimè exulantium, quorumdam aut ignoratione aut impietate, ſunt ſubſtituti. Pollicentes hoc coram Deo, atque etiam confitentes, ut quiſque his, qua ſtatuimus, intra Gallias putaverit renitendum, à communione ac ſede ſit ſacerdotii abjiciendus. Neque enim ut aliàs, aut occaſionem prædicandi non damnando permittens, aut contra Deum & Chriſti unigeniti Dei majeſtatem aliter, quàm nos de Homouſion ſignificatione ſentimus, obnitens dignus erit ſanctitate Sacerdotii nominis judicandus. A quo etiam Saturninum, qui ſtatutis ſalubribus impiiſſimè contradixit, ſecundùm fratrum noſtrorum geminas jam litteras, excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis caritas veſtra cognoſcat. quem & vetera diſſimulata jamdiu licet crimina, & cetera edita Epiſtolis ſuis nova temeritatis irreligioſitas, indignum Epiſcopi nomine eſſe fecerunt.* Hactenus Gallicani Epiſcopi ad Orientales.

Locus corruptus, aut mutilus.

Saturninus excommunicatus.

5. Ita videmus quàm verè dixerit Severus, *unius Hilarii beneficio Gallias piaculo hæreſis liberatas.* Quod etiam confirmat augetque in ejus vitâ Fortunatus: *Confitetur lingua multorum, totum penè mundum gravi errore confuſum, factis ſæpè in Galliâ Synodis, per Hilarium fuiſſe ad viam veritatis adductum.* Porrò inter reſipiſcentes Epiſcopos primos, fuiſſe Servatium noſtrum Tungrenſem non dubium eſt, ut quem maximè res tangeret, Ariminenſis quæ damnabatur Fidei præcipuum cum Fœgadio Aginnenſi conditorem. Unde & Hilario in tot Conciliis celebrandis auxiliatricem præ ceteris porrexiſſe manum facilè inducor: & Belgas ſuos Co-epiſcopos magnâ in fide curâ firmaſſe. Id certè Severus innuit,

S Servatius Hilarii adjutor.

cùm extra Saturninum & Paternum, ceteris omnibus Galliæ Paſtoribus de errore profitentibus, veniam datam ſcribit. Porrò Servatium, exinde fraudem ſemper hæreticorum veritum, Synodos non facilè frequentaſſe, tradunt Annales noſtri, ſed domi maximè ſe tenuiſſe, contemplationi deditum, & intimæ cum Deo conjunctioni. donec de Galliarum ſpeciatimque Tungrorum ſuorum imminente vaſtitate divinitùs edoctus, Romam ſuffragia Principis Apoſtolorum impetraturus, ultimò repeteret. de quo infra. Ceterum tam frequentes Hilarii Synodos, non intra hunc unicum annum 462. habitas dico: Ad mortem uſque Hilarium illis incubuiſſe credo: tametſi maximè primis reditûs ſui annis frequentiores habuiſſe credam: Nam ſub Juliano quidem *blanda* (ut Hieronymus in Chron.) *tantùm perſecutio fuit, illiciens magis quàm impellens ad ſacrificandum; in quâ tamen multi ex noſtris propriâ voluntate corruerunt.* Sub Joviano quidem & Valentiniano Principibus Chriſtianis, id ei tanto faciliùs adhuc fuit; pulſis ab hoc trans Rhenum Barbaris, & redditâ Eccleſiæ pace. Nam licèt fidei libertatem, ut infrà dicam, Valentinianus indulſerit, quia tamen in Orthodoxos ſe proniorem exhibuit, eorum zelum acuit potiùs quàm retudit. Stetit deinceps Eccleſia noſtra inconcuſſa, tanto ſuo lapſu, licèt involuntario, cautior reddita. Ita metit Deus ubi non ſeminat, & colligit ubi non ſpargit.

S. Martini vita privata prope Pictavos.

8. Dum in aciem prodit Hilarius, in ſolitudine ſe Martinus ejus diſcipulus exercebat. Nam cùm *ab eo gratiſſimè fuiſſet ſuſceptus* (ait in illius vita Severus cap. 5.) *haud longè ſibi ab oppido* (Pictavienſi) *Monaſterium collocavit. Quo tempore ſe ei quidam Catechumenus junxit, cupiens ſanctiſſimi viri inſtitui diſciplinis. paucisq́; interpoſitis diebus languore correptus, vi febrium laborabat. At tum Martinus forte diſceſſerat. & cùm per triduum defuiſſet, regreſſus corpus exanime invenit. ita ſubita mors fuerat, ut abſque baptiſmate humanis rebus excederet. Corpus in medio poſitum, triſti mœrentium fratrum frequentabatur officio; cùm Martinus flens & ejulans accurrit. Tum verò S. Spiritum totâ mente concipiens, egredi cellulam in quâ corpus jacebat ceteros jubet; ac foribus obſeratis, ſuper exanimata defuncti fratris membra proſternitur. & cùm aliquamdiu orationi incubuiſſet, ſenſiſſetq; per ſpiritum, Domini adeſſe virtutem; erectus paululum & in defuncti ora defixus, orationis ſuæ ac miſericordiæ Domini intrepidus expectabat eventum. vixq́; duarum ferè horarum ſpatium interceſſerat, vidit defunctum paulatim membris omnibus commoveri, & laxatis in uſum videndi palpitare luminibus. Tum verò magnâ ad Dominum voce converſus, gratias agens, cellulam clamore compleverat. quo audito, qui pro foribus adſtiterant, ſtatim irruunt. Mirum ſpectaculum! quòd videbant vivere, quem mortuum reliquiſſent. Ita redditus vitæ, ſtatim baptiſma conſecutus, plures poſtea vixit annos, primúſque apud nos Martini virtutum vel materia vel teſtimonium fuit. Idem tamen referre erat ſolitus, ſe corpore exutum ad tribunal Judicis ductum, deputatumq́; obſcuris locis, & vulgaribus turbis triſtem excepiſſe ſententiam: tum per duos Angelos Judici fuiſſe ſuggeſtum, hunc eſſe pro quo Martinus oraret. Ita per eoſdem Angelos ſe juſſum reduci, & Martino redditum, vitæque priſtinæ reſtitutum. Ab hoc primo tempore beati viri nomen enituit, ut qui ſanctus jam ab omnibus habebatur, potens etiam & verè Apoſtolicus haberetur.*

Mortuum unum ſuſcitat.

9. *Nec multo pòſt, dum agrum Lupicini cujuſdam honorati ſecundùm ſæculum viri* (nempe hoc anno Chriſti 367. Conſulis ordinarii) *præteriret, clamore & luctu turbæ plangentis excipitur. ad quam ſollicitus cùm adſtitiſſet, & quis eſſet hic fletus inquireret, indicatur unum è familiâ ſervulum laqueo ſibi vitam extorſiſſe. Quo cognito, cellulam in quâ corpus jacebat ingreditur; excluſiſque omnibus turbis, ſuperſtratus corpori, aliquantiſper oravit: mox viviſcente vultu, marceſcentibus oculis in ora illius, defunctus erigitur: lentóque conamine enixus aſſurgere, adprehensâ beati viri dexterâ in pedes conſtitit, atque ita cum eo uſque ad veſtibulum domûs, turbâ omni inſpectante, proceſſit.* Hæc mira à Martino geſta, in priore Monaſterii ſui ſolitudine, in quâ poſt octennium, cùm ſe ad majora paraſſet, prodiit in campum, ductor & Antiſtes aliorum effectus. ut ſuo loco.

& alterum.

CAPUT IV.

Iuliani Imp. reliqua, & mors. Ioviani ſucceſſiò & mors.

Annis Chriſti 362. 363. 364.

1. DUM Hilarius perfidiam Ariminenſem in Galliâ retundere ſtudet, Julianus Conſtantinopoli contra Perſas egreſſus, Aſiâ percursâ in Syriam tandem Antiochiamque eodem anno Chriſti 362. pervenit. Ibi quid in Chriſtianos egerit, fusè perſequitur Ammianus, & noſtri Scriptores Eccleſiaſtici. Nos, quia nihil ad Belgium noſtrum, hîc omittimus. Id unum reddo, quod idem ſugillat Ammianus: *Illud*, inquit, *inclemens, obruendum perenni ſilentio; quòd arcebat docere Magiſtros Rhetoricos & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores. ne tranſirent* (Gentiles diſcipuli) *à Numinum cultu.* quòd ſcilicet impuras ſtolidasque Deorum gentilium actiones Diis indignas, pueris demonſtrarent Chriſtiani. *Signum* item, addit Sozomenus, *quod divino mandato Conſtantius in Crucis inſigne commutaverat*, nempè *Labarum, ad veterem effigiem & figuram* gentilium *reduci decrevit.* Imò cultum Crucis Chriſtianis objectare, eosque ob id irridere conſueviſſe tradit Cyrillus Alexandrinus. maximè autem, quòd relictis æternis Diis, ad mortuum Judæum tranſirent; imò quod ad hunc antiquum mortuum, multos alios recens mortuos, nempe Martyres ac Sanctos, adderent; quorum ſepulchris advoluti venerationem exhiberent. Ita Julianus Apoſtata, verus Novatorum hodiernorum præcurſor ac Magiſter. Quæ quidem omnia licèt in Oriente maximè perpetraret ipſe: in Galliis tamen noſtris idem per Salluſtium Prætorio Præfectum & ipſum gentilem factitaſſe, ſatis intelligimus, ex eo, quòd adverſus illum, ſive illius Vicarium Dioſcorum, ſcripſiſſe Hilarium Epiſcopum Pictavenſem, teſtetur Hieronymus. Qui liber cùm perierit, plura nos de Gallicanæ Belgicæque Eccleſiæ vexatione cognoſcere prohibet. Pronum eſt exiſtimare, quod in Oriente adverſus Julianum præſtitêre Baſilius & Nazianzenus, hoc in Occidente contra Juliani Vicarium Salluſtium, præſtitiſſe S. Hilarium. Sanè & in Galliis

Julianus Rhetoricã & Grammaticam à Chriſtianis doceri vetat.

*Labarum Crucis amovet.

Eiúſque Crucem & mortem Chriſti exprobrat.

hac perſecutione nonnullos martyres effectos, docent Elaphii Tullenſis viri, fratris ejus Eucharii ibidem Epiſcopi, & ſororum Libariæ atque Suſannæ Martyria, apud Surium 5 Octobris: Item Victricii ſub quodam Tribuno certamen, qui Rothomagenſis poſtea, & quidem celebris creatus eſt Epiſcopus. de quo S. Paulinus Nolanus Epiſtola 26.

Annus Chriſti 363.
Amm. l. 23.
Templum Hieroſolymitanum inſtaurare conatur.

2. Inſequente anno Chriſti 463. Julianus jam quartùm Conſul adſcito in trabeæ collegio (ait Ammianus) Salluſtio per Gallias Præfecto, ſibi idolorum cultu junctiſſimo, videbatur præter ſolitum *adjunxiſſe Auguſta privatum. quod poſt Diocletianum & Ariſtobulum,* annis ante hunc 78. *nullus meminerat geſtum. Et licèt expeditionis Perſica apparatus flagranti ſtudio perurgeret; Imperii tamen ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolymam Judæorum Templum, ſub Tito ægrè expugnatum, inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis.* Non tam ob gloriam, quàm ut Judæos atque Chriſtianos in ſe invicem committeret, ſimul Chriſti vaticinium inane redderet, non remanſurum lapidem ſuper lapidem. *Negotium ergo maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro Præfectis. Cùm itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque Provinciæ Palæſtinæ Rector; metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hócque modo elementa deſtinatiùs repellente, ceſſavit inceptum.* Ita Ammianus. Meminit & Sozomenus: ut & Julianus ipſe in Epiſtolis. idque ſe puero geſtum ſcribit Chryſoſtomus, ac denique Nazianzenus, Socrates, Theodoretus. Addit Ruffinus, Cyrillum Hieroſolymorum Epiſcopum ab exilio reverſum, vidiſſe *admirandâ terræ concuſſione, revulſa penitus & foras emiſſa vetera Templi fundamenta;* prorſus ut non modò non caſſum redderetur, ſed maximè tum impleretur Chriſti vaticinium, ne uno quidem lapide ſuper lapidem remanente.

Fruſtra.

Julianus in pugna vulneratur.

3. Nec multo pòſt, Julianus ingenti apparatu in Perſas Cteſiphontem uſque provectus, *cùm ſeſe in pugnam* quandam, *ardentiùs, & cavendi immemor effunderet; ecce ſubita Equeſtris haſta (incertum unde) cute brachii ejus perſtrictâ, coſtis perfoſſis hæret in imâ jecoris fibrâ quam dum avellere dexterâ manu conatur, acuta utrinque ferro digitorum nervos ſenſit exciſos. Et provolutus jumento, præſentiumque veloci concurſu relatus in caſtra, medicinæ miniſteriis fovebatur.* fruſtrà. nam *hiante latiùs ſuffoſſi lateris vulnere, & ſpiritum tumore cohibente venarum, epotâ gelidâ aquâ, quam petiit medio noctis* (quæ in 5. Kalendas Julias illuceſcebat) *horrore, vitâ faciliùs eſt abſolutus, anno ætatis altero & triceſimo.* Ita Ammianus, addens paulò pòſt, *hoſtium Perſarum etiam aſſertione conſtitiſſe, non ipſorum armis, ſed telo Romano interemptum.* nempe ſecundùm Socratem quidem è quodam Calliſto, *à dæmone transfixum*; juxta Nazianzenum, *miniſterio Angelorum*; juxta Damaſcenum ex Helladio, *per Mercurium martyrem*; cui & ſocium Nicephorus Artemium addit, utrumque militem ac martyrem. Utcumque res habeat (concludit Nazianzenus) Julianus orbi univerſo ſalutare vulnus accepit; unoque facinore multorum pernicioſè vexatorum pœnas exolvit. Nec omittendum quod Theodoretus, & alii plerique adjungunt, eum ſimulac plagam accepiſſet, ſanguine manum implesse, eoque in aërem projecto exclamaſſe, *Viciſti Galilæe, viciſti.* aut ut Nicephorus, *Saturare, Nazarene.*

Et moritur.

Ammiani de Juliano elogium.

4. Juliani porro erga milites autoritatem, ex duobus maximè confirmat Ammianus, lib. 25. cap. 14. quod *Cæſar adhuc in Gallia, ſine ſtipendio regeret militem, feris appoſitum gentibus,* nempe Transrhenanis. tum quòd ſolâ *exhortatione & ſupplicatione, Militem Gallicanum, pruinis adſuetum & Rheno, peragratis ſpatiis regionum extentis, per tepentem Aſſyriam, adusque confinia traxerit Medorum. Felicitas* autem ejus *ita eminuit, ut difficultates ſuperaret immenſas. Et poſtquam ex occiduâ plagâ digreſſus eſt, quoad fuit in terris; quievere nationes omnes immobiles:* (puta Saxones, Franci & Alemanni) *ac ſi quodam caduceo leniente mundano.* At contrà paulo pòſt (ut idem Ammianus lib. 30. cap. 25.) *cognito Juliani Principis interitu, Alemannorum* (ſicut & Saxonum Francorumque) *excurſus revixerunt erectius; quem poſt Conſtantem, ſolum omnium formidabant.* Sed de his infra ſuis annis.

Jovianus Juliani ſucceſſor.

5. Juliani ſucceſſor JOVIANUS, Chriſti cultor, pace licèt infami cum Perſis factâ, militem in Romanos fines immani labore periculoque reduxit. Quo in receſſu cum Tigris ingens fluvius, exortu Caniculæ tumens, trajiciendus eſſet, juſſi *Galli, nare aſſueti, primi omnium penetrare; electique maximè habiles, qui maxima præ ceteris flumina tranſmeare in regionibus genitalibus à primâ pueritiâ ſunt inſtituti. Hi cùm latendi copiam nocturna quies daret, tanquam è tranſennâ ſimul emiſſi, ſpe citiùs ripas occupavere contrarias. Perſarumque conculcatis pluribus & truncatis, quos loca ſervare diſpoſitos ſecuritas placido devinxerat ſomno, efficacis audaciæ ſignum, elatis manibus contortisque ſpiculis oſtendebant.*] Hos Gallos Ammianus paulò infrà, cap. 25. *Germanos* vocat; planè *Batavos* noſtros fuiſſe ſignificans, qui linguâ moribus, & viciniâ Germani, maxima Rheni, Moſæ, Scaldiſque flumina à puero tranare docti erant. prorſus ut militem Juliani Gallus in Orientem eductum, ex Germanis Ciſrhenanis Gallicíſve, & Belgis omnium Gallorum fortiſſimis magnam partem conſtitiſſe neceſſe ſit.

Amm. l. 25. c. 21.

Galli Germani, maximè Batavi.

Juliani in Perſas exercitus, è Belgis.

6. Hinc ad Ur Perſicum caſtellum ventum. unde Jovianus Procopium Notarium, ac Memoridum Tribunum in Illyricum Galliaſque miſit, ſuam poſt Julianum elationem nuntiaturos. iiſque mandavit, ut Lucillianum ſocerum ſuum Sirmii nuper à Juliano in ordinem redactum ibique adhuc morantem, oblatis Magiſtri militiæ codicillis properare Mediolanum urgerent, res firmaturum ancipites: Malarichum verò in Italiâ agentem Joviño armorum per Gallias Magiſtro ſuccedere, ut dux meriti celſioris eoque ſuſpectus (Jovinus) abiret è medio; & homo inferioris ſpei nutantem adhuc auctoris ſui ſtatum ſtudio fundaret ingenti. Et Lucillianus quidem Mediolanum ingreſſus eſt, cum Tribunis Seniaucho æquè Franco, & Valentiniano poſtea Imperatore. Verùm Malaricho Magiſterium recuſante, effuſo curſu Remos petiit. Ubi cum, ut in alto gentis ſilentio ratiociniis ſcrutandis incumbit ardentiùs, Actuarium quemdam irritatum, ad militaria ſigna fugere compulit. qui fingens quemdam Juliano adhuc ſuperſtite in res novas ſurrexiſſe, fallaciis ſuis Lucilliano & Seniaucho mortem procuravit. Valentinianus vix hoſpitis Primitivi benevolentiâ ſalvus, ad Jovianum

Malarichus Francus armorum in Galliâ Magiſter.

effugit. At Jovinus Legatos ad Jovianum miſit, qui Gallicanum exercitũ ejus imperium æquo animo amplecti nuntiarent. Jovianus ergo confeſtim in Gallias Arintheum mittit, Jovino locum ſuum relinquens, jubensque ut in ſeditionis auctores animadverteret. Nec multò pòſt, cùm Dadaſtanam veniſſet, ſubitò deceſſit, anno ætatis 33. ii. 12. vel 13. Kal. Martias, ut Amm. Idatius, Socr. Soz. Chroniconque Alexandrinum ſcribunt. cùm imperaſſet menſes 8. dies 15. vir Chriſtianæ legis ſtudioſus, mediocriter eruditus, honorificus, atque benevolus. Amm. lib. 25. fin.

Joviani Auguſti mors anno 364.

CAPUT V.

Valentini Imperatoris in Italiam & Mediolanum adventus. Hilarii cùm Auxentio diſceptatio.

Anno Chriſti 364.

Valentinianus Imp. altero a Biſſexto die, Anno Chriſti 364. Amm. l. 26.

1. JOvianum vita functum Valentinianus excepit, & ipſe Chriſtianus, ſuffragio exercitus altero à biſſexto die, ac proinde anno Chriſti 364. allectus Nicææ in Bithyniâ. Qui Kalendis Aprilis proximè ſequentibus, 36. imperii die, Valentem fratrem licet Arrianâ labe pollutum Conſtantinopoli conſortem Imperii dixit. Statimque & Crucem & Chriſti nomen Labaro reſtituit, ſimul legem dedit, ut quam quiſque vellet Religionem coleret. Unde Amm. *Inter Religionum varietates medius ſtetit, nec quemquam inquietavit; neque ut hoc coleretur imperavit aut illud; nec interdictis minacibus ſubjectorum cervicem, ad id quod ipſe coluit inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.*

Valentem fratrem Imperii conſortem facit.

& Religionis libertatem permittit.

Gentium barbararũ toto orbe motus. Amm. l. 26. c. 10.

2. *Hoc tempore* (verba rurſum ejuſdem) *velut per univerſum orbem Romanum, bellicum canentibus buccinis, excita gentes ſæviſſimæ, limites ſibi proximos perſultabant. Gallias Rhætiaſque ſimul Alemanni populabantur: Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, Saxones, & Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis vexavere continuis.* Francos quoque & Saxonas Belgicam tentaſſe ſequentia docebunt. *Auſtoriani Mauricaque aliæ gentes Africam ſolito acriùs incurſabant: Thracias diripiebant prædatoris globi Gothorum; Perſarum Rex manus Armeniis injectabat. Actâ igitur hyeme Principes percurſis Thraciis Naiſſum advenerunt, ubi mox ſeparandi partiti ſunt Comites.* (ut & Occidentem Valentinianus, Orientem Valens.) *Valentiniano Jovinum evenit, dudum promotum à Juliano per Gallias Magiſter armorum; & Dagalaiphus, quem militiæ Rectorem provexerat Julianus. Valenti Victor, Arintheus, Lupicinus, & Serenianus. Equitum Illyriciano præpoſitum exercitui, nondum Magiſter, ſed Comes. Et poſt hæc cùm ambo fratres Sirmium introiſſent, diviſo palatio, ut potiori placuerat, Valentinianus Mediolanum, Conſtantinopolim Valens diſceſſit. Et Orientem quidem regebat poteſtate Præfecti Salluſtius; Italiam verò cum Africa & Illyrico Mamertinus; & Gallias provincias Germanus.*

3. *Agentes igitur in memoratis urbibus Principes* (nempe Mediolani Valentinianus, Conſtantinopoli Valens) *ſumpſerunt primitus* (ſeu primùm) *trabeas Conſulares;* anno Chriſti, jam 365. Cujus anni exordio, niſi forte prioris fine, contigit Hilarii cum Auxentio Mediolani habita diſputatio. Cum enim à Valentiniano Imperatore novo, neſcio quod edictum in erroris ſui favorem accepiſſet Auxentius Mediolani Pſeudo-epiſcopus Arrianus; Hilarius in rem Catholicam ſemper intentus, ægrè ferens unum hunc in Occidente reliquum Arrii fautorem, non paucis, adeoque ipſi etiam Imperatori fucum facere; Mediolanum proficiſci, & opportunè importunè blaſphemiæ illũ in Chriſtũ incuſare coram ipſo Imperatore conſtituit. Ibi quid fecerit, ipſius verbis audire juvat. *Cùm edicto gravi ſanctus Rex* (Valentinianus) *perturbari Eccleſiam Mediolanenſem* (*quæ Deum verum Chriſtum, & unius cum Patre divinitatis & ſubſtantiæ confitetur*) *ſub unitatis ſpecie & voluntate juſſiſſet;* ſeu cùm edicti iſtius occaſione turbaſſet, licet inſcius ac nolens; *etiam importunâ interpellatione ſuggeſſi, Auxentium blaſphemum eſſe, & omnino hoſtem Chriſti habendum. Atque adjeci, eum aliter credere, quàm Rex ipſe aut alii omnes haberent. Quibus rebus permotus Imperator, audiri nos à Quæſtore & Magiſtro præcepit. conſidentibus unà nobiſcum Epiſcopis fere decem. Primùmque* (*ut in foro ſolet*) *de perſona calumniatus eſt; damnatum quondam me à Saturnino, audiri ut Epiſcopum non oportere. Non eſt nunc temporis, quid ad hæc reſponſum ſit enarrare: ſed qui tum audiebant, de fide potius ut Regi placuerat, agitandum eſſe decernunt. Cumque jam in arcto eſſet negandi periculo; credere ſe Auxentius Chriſtum Deum verum, & unius cum Deo Patre divinitatis & ſubſtantiæ, eſt profeſſus. Placuit igitur hoc ſcribi. Et ne memoriis audientium quæ dicta eſſent elaberentur, continuò libellum Regi per Quæſtorem offero; quo quid conveniſſet, continetur. Et ne mentiri arguar, ejuſdem exemplar ſubjeci.* Id nunc non extat; in Hilarii certè operibus non reperitur. quod dolendum eſt. *Placet omnibus Auxentium hæc ipſa profiteri frequenter, qui ut ipſe ſcriberet, eſt coactus. Qui diu conſilia ſua verſans, calidiſſimè fidem Regis eludit. dat ſcripturam ſtylo Antichriſti compoſitam.* Eſt iſta Scriptura, ipſamet Auxentii Epiſtola, apud Hilarium hic ſubtexta, ubi tu legere poteris. in quâ etiam videbis hæc omnia poſt annos decem à concilii cujuſpiam *decretis* eſſe geſta. Puncta quædam ejus ſic refutat Hilarius.

Annus Chriſti 365. Amm. l. 26. c. 12. Hilarii cum Auxentio diſceptatio.

Hilarius libro contra Auxentiũ.

Prima Auxentii profeſſio.

Subdita.

4. *Nam primùm* (inquit) *ea quæ Nicææ Thraciæ omnium impietas ex ſe ſoluiſſet, ſancta eſſe teſtatur.* (quæ tamen ab Arrianis maximè ſancita.) *vim ſcilicet illatam Epiſcopis* (Orthodoxis) *fidem eſſe veræ confeſſionis affirmans. Negat quoque ſe ſcire Arrium; cum in Alexandriâ in Arriana Eccleſia, cui Gregorius præerat, Presbyter eſſe cœpiſſet. Sed de Ariminenſi Synodo* (cujus Nicænum illud conventiculum appendix fuit) *quæ ab omnibus eſt religioſè diſſoluta, nihil dicamus. tantum diaboli commenta pandenda ſunt. Cùm placuiſſet igitur ſcribi, Deum verum eſſe Chriſtum, & unius cum Patre divinitatis eſſe, atque ſubſtantiæ; ponitur talis ab eo,* (*ut à calidiſſimo diabolo*) *ſententia, quæ ſignificaret, Chriſtum ante omnia tempora natum Deum verum filium; ut ſecundum Arrianos veritas ad filium, non ad Deum referretur. & ut longe major differentia hujus ſignificationis exiſteret ſubjicitur, ex Deo Patre: ut in Patre Dei veritas eſſet,*

Scriptura Auxentii callida.

in

in Chriſto veritas tantum filii ſcriberetur. Deinc procedente ſermone, una ab Auxentio divinitas prædicatur; & in eâ non confitetur & filium. ut in ſolo Patre, non etiam in filio, eſſet ſola una divinitas. Hæc Hilarius; acutè verſipellis Arriani technas retegens. Nec tamen ultrà auditus, ſed potiùs calumniator & diſcordiarum ſator habitus, Auxentio ceu Catholico probato. Unde ſubdit.

Populi fama Auxentio favet.

5. *Spargitur verò per populos, Auxentium, verum Deum Chriſtum, & unius cum Patre divinitatis ac ſubſtantiæ ſcripſiſſe; neque ab expoſita per me fidei diſſidere ſententiâ. Poſt quæ ad communionem ejus Rex pro fidei ſinceritate advenit. Sed cùm hoc myſterium impietatis diu occultatum jam non taceretur; diceremque ſingi omnia, fidem negari, Deum atque homines illudi; jubeor de Mediolano proficiſci: cùm conſiſtendi mihi in eâ, invito Rege, eſſet nulla libertas.* Ita pulſus Hilarius Apologeticum (quod reliquum etiam) hunc libellum, quo ſe purgaret, edidit. ſimul Orthodoxos, & in iis Belgas noſtros, admonuit, ut Auxentium caverent. *Unum* (ait) *moneo, cavete Antichriſtum. Malè enim vos parietum amor cepit, malè Eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramini, malè ſub his pacis nomen ingeritis.* Et mox: *Abſiſtite ab Auxentio Satanæ Angelo, hoſte Chriſti, vaſtatore perdito, fidei negatore, quam ſic eſt Regi profeſſus, ut falleret. ſic fefellit, ut blaſphemaret. Congreget nunc ille quas volet in me Synodos; & hæreticum me, ut ſæpe jam fecit, publico titulo proſcribat; & quantam volet iram in me potentium moliatur. Mihi certè ille nunquam aliud, quàm Diabolus erit, quia Arrianus eſt. neque pax aliquorum unquam optabitur, niſi eorum, qui ſecundum Patrum noſtrorum apud Nicæam tractatum, anathematizantes Arrianos, Chriſtum verum Deum prædicabunt.*

Hilarioſiniſtra.

Licet tot alios Arrianos ſuperaſſet.

6. Hactenus Hilarius. qui tot aliorum certaminum, apertè omniumque teſtimonio ac plauſu victor, in hoc ceu victus, etiam ab ipſo Imperatore. & ei adhærentibus, habitus eſt. More ſcilicet Deo familiari, qui amicos ſuos, poſt tot proſperè geſta, ſolet ſupremo vitæ exitu ſimilibus afflictionum flāmis excoquere purgareque. ſeu quod ajebat Ignatius Antiochenus, *dentibus beſtiarum molere, ut panis mundus inveniantur.* Qui Saturninum Arelatenſem Epiſcopum, qui Conſtantium ipſum Imperatorem fregerat, qui tot Synodis Arrianorum furores; qui ipſius etiam Ariminenſis Concilii decreta poſteriora vi extorta ſubverterat; unius Auxentii fallaciis quodam modo ſuperatus, & rubore perfuſus abſceſſit: verus licet de errore coram cœlo omnibuſque rectè ſentientibus triumphator. Illum Deus ad Pictavos ſuos regreſſum, biennio poſt hæc ad laborum meritorumque præmia evocavit, ut ibi reddemus. manente interim vivo exultanteque Auxentio; & quidem ad annos fere totos octo; donec anno Chriſti 374. illi putidè tandem extincto, ſuccederet Decembris ſeptimo multo ſanctior Ambroſius. ut ibi fuſiùs.

Redit Hilarius ad Pictavos.

Dictum Auxentii, non oportere Epiſcoporum 600. decreta, poſt 10. annos refricari,

7. Ceterùm diſputationem hanc Hilarii Baronius ad annum Chriſti 369. quadriennio toto quàm nos ſeriùs retulit. non aliâ ratione, quàm quòd Auxentius ipſe in ſuo ad Imperatores contra Hilarium libello ſcribat; *Non oportere ſexcentorum Epiſcoporum unitatem, poſt tantos labores, ex contentione paucorum hominum refricari; abjectis decretis ante annos decem.* Nam *decreta* iſta Baronius Synodi Ariminenſis exiſtimat: quæ cùm anno Chriſti 359. edita conſtet; diſputationem hanc, decem inde poſt annos habitam, neceſſe ſit in annum 369. referri. Verùm de Ariminenſi Concilio Auxentium hic non agere, ſalvo tanti ſcriptoris honore, pluſcula evincunt. Primùm, non neſcivit Arrianus iſti Synodo non ſexcentos, ſed paulo amplius quàm quadringentos dumtaxat interfuiſſe, ut Athanaſius disertè, Severuſque, fereque Socrates ac Soxomenus atteſtantur. Tum verò ſeries docet hiſtoriæ 1. Valentinianum hoc anno in Gallias Mediolano diſceſſiſſe; ibique totum hunc annum, & ſequentes quatuor contra Germanos exegiſſe. quod & varia ejus reſcripta in Galliis non alibi data teſtantur. Undè tertiò videmus, Hilario nihil neceſſe fuiſſe Mediolanum per eos annos ad Imperatorem excurrere, quem tanto tam continuo tempore præſentem in Galliis apud ſe tenebat. Et verò, cur hanc in Auxentium diſceptationem, ab anno Chriſti 364. quo Mediolanum Valentinianus advenit, in annum uſque 369. id eſt quinquennio toto diſtuliſſet, cùm jam inde ab ipſis Valentiniani primordiis, Auxentii malignitatem, aſtutias, & tot illata fidei detrimenta, lentum item Valentiniani in fidem animum non neſciret. Denique Hilarium ad annum iſtum Chriſti 369. vitam non produxiſſe, infrà ex Hieronymo aliiſque videbimus. Multo igitur aptius veriuſque nos hoc anno ineunte 365. aut ſi forte exeunte 364. collationem hanc referimus: quando & Valentinianus adhuc Mediolani reperitur; & primis Imperii ſui menſibus, iſtius Civitatis Epiſcopo in ſectæ ſuæ promotionem callidè incumbenti, gratificari de more ſtudet, præſertim nondum cognito, & adhuc ſub ovis pelle latenti. Multo item aptiùs quod de *ſexcentorum Epiſcoporum decretis ante annos decem* latis dicit Auxentius, in hac ſententiâ noſtra explicari poteſt. Nam ut non augeat, aut non mentiatur hæreticus; aut ut numerum certum pro incerto non capiat; dicimus, ſexcentos iſtos Epiſcopos non unius hic accipi Synodi, ſed plurium; & ſaltem duarum, Arelatenſis ſcilicet ac Mediolanenſis. quibus unà ſumptis facilè ſexcenti, ſi non plures, adfuerunt Epiſcopi: & quidem annis ante hunc Chriſti 365. facilè decem: quando vel ſola Mediolanenſis decimo ante hunc anno; Arelatenſis autem etiam duodecimo habita ſit. Quæ omnia eò dico, ut Lector videat, quis in Gallia noſtrâ Eccleſiæ & fidei ſtatus eſſet. Hilario certè Belgæ noſtri, ceterique Galli ſemper juncti fuere.

Quomodo intelligendum.

CAPUT VI.

Valentinianus Mediolano in Gallias venit. Ab Alemannis caditur: & eos cadit.

Annis Chriſti 365. & 366.

Alemanni Valentiniano rebelles.

1. NUnc civilem retexamus hiſtoriam. Ammianus lib. 26. cap. 11. *Omnis hic annus* (nempe 365.) *diſpendiis gravibus rem Romanam afflixit. Alemanni enim perrupere Germaniæ* (Superioris ſcilicet & Ciſrhenanæ) *limites, hac ex cauſâ ſolito infeſtius moti. Cùm legatis eorum miſſis ad Comitatum*

certa & præſtituta ex more munera præberi. deberent (ſub novo ſcilicet Imperatore) *minora & viliora ſunt attributa. quæ illi ſuſcepta, furenter agentes, ut indigniſſima projecere. Tractatique aſperius ab Urſatio tunc Magiſtro Officiorum* (quem cum Quæſtore diſputationi Hilarii interfuiſſe credo) *iracundo quodam & ſævo; regreſſi, factúmque exaggerantes, ut contumelioſe deſpectas gentes immaniſſimas concitarunt. Et circa id tempus, aut non multo poſterius, in Oriente Procopius in res ſurrexerat novas. quæ prope Kalendas Novembres, venienti Valentiniano Pariſios, eodémque nuntiata ſunt die.* Mediolano igitur jam antè Valentinianus in Gallias tráſierat. circa autumni (reor) initium, menſe Septembri. Nec multo antè Procopius, Juliano Apoſtatæ ſanguine junctus, Divitenſium militum Tungricanorumque noſtratium per Thracias forte tranſeuntium corruptione, Conſtantinopoli tyrannidem invaſerat; rectè cùm *vaporatis æſtibus Cilicia jam lenitis* (ait Ammianus, lib. 26. cap. 18. fin. quod ante autumnum ſaltem ineuntem fieri non conſuevit) *Valens Cæſareâ Cappadocum jam profecturus, ad Antiochiæ percurreret ſedes.* Adde quod Valentiniani reſcripta, facilè decem, Mediolani hoc anno data, quæ Codex Theodoſianus exhibet, idem confirmant. Valentinianus ergo *his* de Procopio Kalendis Novembribus Lutetiæ Pariſiorum *cognitis, repedare ad Illyricum deſtinabat, ne perduellis perſultatis Thraciis invaderet hoſtili excurſu Pannonias. Sed ardens hic ejus impetus mollitus eſt conſiliis proximorum, ſimul & legationibus urbium nobilium, orantium ne minantibus Barbaris exponeret Gallias, quas ſolo nominis ſui metu poſſet eripere. Statuitque nuſquam extra confinia moveri Gallorum, aduſque Remos progreſſus.* Indéque Pariſios, ut apparet, ad hiberna reverſus.

Valentinianus in Gallias venit.

Pariſios ac Remos.

2. Ineunte anno ſequenti 366. *Alemanni* (pergit Ammianus libro 27. initio) *ob cauſam ſupra expoſitam* (nempe ob munera ſolito viliora ab novo Imperatore recepta) *ſtatim poſt Kalendas Januarii, hieme rigidâ, magnâ multitudine cuneatim egreſſi, licentius vagabantur. Horum portioni primæ Charietto, tunc per utramque Germaniam Ciſrhenanam Comes occurſurus, cum milite egreditur ad bella promptiſſimo. adſcito in ſocietatem laboris Severiano, item Comite invalido & longævo, qui apud Cabilona* (an forte Coloniam.) *Divitenſibus præſidebat & Tungricanis. Proinde conſertius agmine in unum coacto, ponteque brevioris aquæ firmâ celeritate tranſmiſſo, viſos eminus barbaros Romani ſagittis aliiſque levibus jaculis inceſſebant; quæ illi reciprocis ictibus validè contorquebant. Ubi verò turmæ congreſſæ ſtrictis confixere mucronibus, noſtrorum acies impetu hoſtium acriore concuſſa, in fugam compulſa eſt: præſertim cùm Severianum vidiſſent equo deturbatum, miſſilique telo per os fixum. Ipſe denique Charietto, dum cedentes objectu corporis, & vocis jurgatorio ſono, ardentiùs retinet, oppetiit telo lethali confixus. Poſt cujus interitum, Erulorum Batavorúmque vexillum direptum, quod inſultando tripudiantes Barbari crebrò ſublatum altiùs oſtendebant, poſt certamina receptum eſt magna.* Ita Ammianus lib. 27. Tungricanos & Divitenſes noſtrates non minus in Oriente, quàm in Occidente Romanis militantes exhibens.

Annus Chriſti 366. Alemanni Gallias invaſiant.

Valētiniani exercitum ſuperant, cæſis ducibus, Severiano & Charettone.

3. At Zoſimus de hac eâdem clade & Batavorum ignaviâ agens libro 4. ſic loquitur: *Imperator Valentinianus apud gentes tranſalpinas degens, maxima pariter & inopinata pericula experiebatur. Quippe tota Germanorum natio* (ergo & Francorum) *revocatis ad animos iis, quæ Juliani Cæſaris temporibus perpeſſa fuiſſet, ſimulatque de morte ipſius accepiſſent; excuſſo metu qui animis eorum infixus erat; & innatâ genti audaciâ reſumptâ, pariter univerſi ſubjecta Romano imperio loca invadebant. Quibus Imperatore obviam profecto, prælium acre ceptum eſt; quo barbari Romanorum exercitum vincebant, & effuſo curſu perſequebantur. Valentinianus periculum fugâ declinare minime ſtatuit: ſed caſu hoc æquo animo tolerato; detrimenti accepti & fugæ auctores perquirit. Quæſtione inſtitutâ, cum legionem Batavorum ream peregiſſet; juſſit univerſum exercitum cum armis convenire; & cùm verba iis eſſet quæ pudorem infamiamque fugæ auctoribus irrogarent; Batavos juſſit armis exutos, velut mancipia fugitiva, aliò abducendos, pretium offerentibus diſtrahi. Tum verò proni in terram omnes, exercitum tali dedecore liberari obſecrabant; polliciti ſe viros nomine Romano dignos fore. Quod ille acceptans, pugnam redintegravit; quo miles tam ſtrenuè ſe geſſit, ut de barbarorum infinitâ multitudine, pauci domum redierint incolumes. Iſque belli Germanici fuit exitus* ſecundùm Zoſimum.

Zoſimi de eadem pugna narratio.

Batavi primi fugiunt.

Eoque puniti.

4. Ammianus autem lib. 27. diverſis id prælio factum narrat, & quidem Jovino Equitum Magiſtro Duce: *Ea clade* (nempe Romanorum per Batavorum ignaviam) *cum mærore compertâ; correcturus hujuſmodi geſta Dagalaiphus Pariſiis mittitur, ubi tum erat Valentinianus. Eóque diu cunctante, cauſanteque diffuſos per varia barbaros ſemet adoriri non poſſe, accitóque paulò poſt, ut cum Gratiano Valentiniani ipſius filio, etiamtum privato, ſuſciperet inſignia Conſulatûs; Jovinus Equitum Magiſter accingitur, & inſtructus paratuſque, cautiſſimè obſervans utrumque agminis ſui latus, venit prope locum Scarponam* (vicus eſt Lotharingiæ ad Moſellam, adhuc nomen ſervans) *ubi improvius majorem Barbarorum plebem, antequam armaretur, temporis brevi puncto præventam, ad internecionem extinxit.* Inde igitur exultantes innoxii prælii gloriâ milites, *Jovinus ad alterius globi perniciem ducens, ſenſimque incedens; ſpeculatione didicit fidâ, direptis propinquis villis vaſtatoriam manum quieſcere prope flumen.* (credo Moſellam) *Jamque adventans, abditusque in valle, denſitate arbuſtorum obſcurâ, videbat lavantes alios; quoſdam comas rutilantes ex more, potantesque nonnullos. Et nactus horam impendiò tempeſtivam, ſigno repente per lituos dato, latrocinalia caſtra perrupit. Contráque Germani, nihil præter ineſſicaces minas jactanter ſonantes & fremitum, nec expedire arma diſperſa, nec compingere aciem, nec reſurgere in vires permittebantur, urgente inſtanter victore. Quocirca cecidere complures; alii in tramites flexuoſos fugére.*

Annus Chriſti 366. Jovinus in Alemānos.

Quos cædit.

5. *Hoc eventu fidentior Jovinus, in tertium cuneum, qui reſtabat, properè caſtra commovit; & maturato itinere eum prope Catelaunos invenit, ſed ad congrediendum promptiſſimum. Et ſuis recreatis, primo auroræ exortu, pedem contulit: prælioque ad diei extremum protento; tametſi Balchobaudes* (Francus ut apparet ex nomine) *armaturarum Tribunus inſtante jam veſperâ ceſſiſſet incondite; ita tamen ceſſerit, ut hoſtium 4. millibus ſauciis ſex altera interficeret millia; ipſo non amplius ducentis amitteret, ducentis tantummodo vulneratis. Sequenti die lapſos jam tenebris Barbaros inſecutus, cùm nullum repperiſſet, revertens, didicit hoſtium Regem cum paucis captum, patibulóque ſuffixum. Ideóque in Tribunum id auſum iratus, damnaſſet, ni militari impetu commiſſum facinus atrox conſtitiſſet. Redeunti ergo Pariſios,*

Etiam tertio.

Impera-

Imperator latus occurrit, eúmque poſtea Conſulem deſignavit: illo tunc quoque ad gaudii cumulum accedente, quod iiſdem diebus Procopii ſuſceperat caput à Valente transſmiſſum.

6. *Alia multa conſerta ſunt prælia per tractus varios Galliarum*; quæ quia non tanta, *ſuperfluum eſt explicare.* Ita Ammianus. In iſtis aliis præliis, ego quidem pono, quæ Theodoſius Theodoſii Magni pater, contra Francos & Saxonas, tunc quoque in tot Imperatorum exceſſibus, erumpentes, geſſit. Sic enim Pacati Panegyricus ejus filio dictus: *Quæ Rhenus, ait, aut Vahalis vidit, aggrediar? Attritam pedeſtribus præliis Bataviam referam? Saxo conſumptus navalibus præliis offeretur.* Hæc ibi. quæ Zoſimus lib. 4. initio ſummatim quoque tangit, dicens: *Transrhenani Barbari, qui quamdiu Julianus ſuperſtes fuit, ſatis habuerant ſi nemo eos moleſtaret; Juliani morte nunciatâ, continuo ſedibus egreſſi* bellum movebant. Sed Valentinianus copiis eductis reſiſtebat, *ſitáque ad Rhenum oppida neceſſario præſidio muniebat: rei bellicæ non omnino rudis.*] Porrò Valentinianum juniorem hoc eodem Chriſti anno 366. XV. Kal. Febr. natum; quod & Socrates habet lib. 4. cap. 26. Procopium verò tyrannum 6. Kal. Junias extinctum, tradunt Idatii faſti. Chronicon tamen Alexandrinum Procopii necem refert ad XII. Kal. Julias; uno ferè menſe ſeriùs.

Theodoſii patris prælia contra Francos & Saxonas.

7. Hoc item anno Chriſti 366. quem Hieronymi Chronicon Valentiniani Imperatoris ſecundum vocat; cùm revera ſit à Febr. 24. tertius; Liberio Papæ mortuo ſuffectus Damaſus; tametſi in ſequentem differant Annales, ob Urbanam Viventii Præfecturam. Potuit enim hoc anno iniiſſe Viventius, & in ſequentem perduraſſe. Sub Viventio igitur ſic iſto Ammianus: *Damaſus & Urſicinus ſupra humanum modum ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrimè conflictabantur; adusque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utriuſque progreſſis. Quæ nec corrigere ſufficiens Viventius nec mollire, vi magnâ coactus ſeceſſit in ſuburbanum. Et in concertatione ſuperaverat Damaſus, parte quæ ei favebat inſtante. Conſtatque in Baſilica Sicinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die 137. reperta cadavera peremptorum; efferatamque diu plebem ægrè poſtea delinitam. Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans Urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere. cùm id adepti, futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas: adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine Urbis deſpectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorumdam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo Numini, veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.* Iſta omnia de Epiſcopis noſtris Ammianus licèt Ethnicus.

Damaſus Papa.

Urſicini ſchiſma.

8. Quibus primùm Romanæ Eccleſiæ majeſtatem, per id tempus ingentem ſignificat. Cui conformis Hieronymus Epiſtolâ primâ ad Pammachium, narrat, Prætextatum Romanorum nobiliſſimum, Viventii hujus in Urbis Præfecturâ ſucceſſorem, deſignatum in morte Conſulem, hominem ſacrilegum, & idolorum cultorem, ſolitum ludentem beato Damaſo dicere, *Facite me Romanæ Urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* De quibus omnibus fuſiùs Annales Baronii. Secundò notat idem Ammianus, Epiſcoporum provincialium, ſeu qui extra Romam provinciis præſidebant, ſobrietatem, modeſtiam, & per *ſupercilia humum ſpectantia*, intimam animi collectionem, cum Deo conjunctionem, rerum humanarum deſpectum. Inter quos Belgicos noſtrates & Gallicanos illum intelligere non dubito, quando Gallias adhuc miles tantopere percurſavit. Prorſus ut S. Servatii, Superioris & aliorum vultus, & agendi modum nobis repræſentet; cujuſvis etiam Religioſi non interiori minùs quàm exteriori compoſitioni, ut minimùm æqualem.

Eccleſiæ Romanæ majeſtas,

Epiſcoporum modeſtia.

CAPUT VII.

Gratianus, à patre Ambianis creatur Imperator. Theodoſius pater in Britannias cōtra Barbaros miſſus, victor Lūdinium ingreditur. Pax Belgii ſub Valentiniano.

Anno Chriſti 367.

1. PRoximo anno Chriſti 367. Lupicino Jovinoque Coſs. tria conſignat Hieronymi Chronicon Manuſcriptum memoranda, & ad Belgium noſtrum attinentia. *Gratianus*, inquit, *Valentiniani Filius Ambianis Imperator factus. Apud Atrebatas lana cœlo pluvia mixta defluxit. Hilarius Epiſcopus Pictavis mortuus.* Quæ eadem, ſaltem ex parte, hoc eodem anno Valentiniani tertio, iiſdémve Coſs. Oroſius, Ado, & Caſſiodorus in Chronico, Socrates & hiſtoria Tripartita referunt, ut nulla ſit de anno dubitatio. Quod moneo; quia Ammianus per hæc tempora defectu Conſulum turbatior eſt. Ac licèt ex his tribus, quæ poſtremo loco narratur Hilarii mors, ante duo reliqua contigerit, nempe Januarii die 13. Hieronymi tamen hic ordinem perſequar.

Annus Chriſti 367.

Socr. l. 4. c. 10. Tripart. l. 7. c. 27.

2. Quod ad Gratiani imperium pertinet, omnium fuſiſſimè narrat Ammianus, lib. 27. cap. 12. Inter hæc Valentiniano magnitudine quaſſato morborum, agitanteque extrema; convivio occultiore Gallorum, qui aderant commilitio Principis, ad Imperium Ruſticus Julianus, tunc Magiſter Militiæ poſcebatur: quaſi afflatu quodam furoris beſtiarum more humani ſanguinis avidus; ut oſtenderat, cùm proconſulari poteſtate regeret Africam. Contra hos nitebantur aliqui ſtudiis altioribus, in favorem Severi Magiſtri tunc peditum, ut apti ad hoc impetrandum. Qui licèt aſper eſſet & formidatus; tolerabilior tamen fuit, & modis omnibus præferendus antedicto. Sed dum hæc cogitantur incaſſum, Imperator remediis multiplicibus recreatus, vixque ſe mortis periculo contemplans extractum; Gratianum filium ſuum, adulto jam proximum, Auguſtum pro tribunali creare conſtituit, & quidem Ambianis, uti mox patebit. Cùm Gratianus ergo veniſſet, progreſſus in campum, tribunal

Valentinianus æger ad mortem.

Sanus Gratianum filium Auguſtum dicit.

aſcendit;

aſcendit. ſpendoréque nobilium circumdatus poteſtatum, dextrâ puerum apprehenſum, productúmque in medium, oratione concionatoriâ deſtinatum Imperatorem exercitui commendabat. nempe diu inter militum liberos verſatum, & quem illi ut commune diligerent pignus. & licèt necdum capacem Martii pulveris, familiæ tamē ſuæ laudibus, majorumque factis præſtantibus concinentem, eoque minore invidia ſurrepturum; humanitate item & ſtudiis diſciplinarum expolitum. Et Milites aſſenſu læto Gratianum declararunt Auguſtum. Hactenus ex Ammiano; Ambianis prope Atrebatas noſtros, declaratum paulo antè ex Hieronymi Chronico audivimus. Cui conſoni Idatii Faſti, Lupicino, inquiunt, & Jovino Coss. levatus eſt Gratianus Auguſtus in Galliis apud Ambianos, in tribunali à patre ſuo Auguſto Valentiniano, die 9. Kalendas Septembris. hoc eſt Auguſti 24. feria 6. Idem fere concinunt omnes alii. Ceterum cùm ſub Ariminenſis Concilii initia, ſeu Maium anni Chriſti 359. natum viderimus Gratianum; eum quo die dictus Auguſtus, annorum dumtaxat octo menſiumque circiter 4. tantùm fuiſſe neceſſum eſt. ut mirum ſit, ab Ammiano dici, adulto jam proximum. Sed nimirum juxta Ovidium, *Cæſaribus virtus contigit ante diem.* Zoſimus libro 4. ſcribit, nondum plenos pubertatis annos ingreſſum.

Et quidem Ambianis in Belgio.

Ovid. l. 1. de arte.

3. Non parva acceſſit hinc Ambiania, Belgicæque noſtræ ſecundæ gloria, ex tanti Imperatoris creatione; maxime cùm militum applauſu Valentinianus pater exultans, coronâ indumentisque ſupremæ fortunæ ornatum filium oſculatus, jamque fulgore conſpicuum, ita teſte Ammiano allocutus eſt, advertentem quæ dicebat: Habes mi Gratiane, amictus, ut ſperavimus omnes, auguſtos, meo commilitonumque noſtrorum arbitrio delatos ominibus fauſtis. Accingere igitur pro rerum urgentium pondere, ut patris & patrui collega: & aſſueſce impavidus penetrare cum agminibus peditum, gelu pervios Iſtrum & Rhenum; armatis tuis proximus ſtare; ſanguinem ſpiritumque conſideratè pro iis impendere quos regis; nihil alienum putare, quod ad Romani Imperii pertinet ſtatus. Hæc pro tempore præcepiſſe ſufficiat, cetera ii onere non deſinam. Nunc reliqui vos eſtis rerum maximi defenſores; quos rogo & obteſtor, ut ad creſcentem Imperatorem fidei veſtræ commiſſum ſervetis affectione fundatâ.] Conſurrectum eſt poſt hæc in laudes majoris Principis & novelli, maximeque pueri: quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultuſque & reliqui corporis jucundiſſimus nitor. & egregia pectoris indoles. quæ Imperatorem impleſſet, cum veterum lectiſſimis comparandum. ſiper fata, proximoſque licuiſſet; & qui virtutem ejus etiam tum inſtabilem adnubilarunt actibus pravis. Inter eos qui Gratiano tunc adjuncti erant, fuit Auſonius Poeta Burdegalenſis, patre medico, majoribus non indoctis. qui cùm Grammaticen Rhetoricamque in patria docuiſſet, *poſt trina decennia*, ut ait, ad palatium vocatus, Gratiano pædagogus ac præceptor datus eſt; mox etiam Comes & Quæſtor, Præfectus item Galliis, & Lybiæ & Latio, Conſul denique primus fuit. Chriſtianâ quidem ille fide imbutus, ſed ut ex ejus poematiis apparet, paulò ſolutior, nec à Venere alienus. Idque ipſum fortaſſe eſt, quod hic ſugillat

Lætante exercitu & probante.

Gratiani præceptor Auſonius poeta.

Ammianus, dum illos, qui ei proximi erant, virtutem ejus adhuc inſtabilem pravis actibus adnubilaſſe ſcribit.

4. Valentinianus interim (pergit Ammianus lib. 27. c. 17) profectus ab Ambianis, Treviroſque feſtinans, nuntio percellitur gravi; qui Britannias indicabat barbaricâ conſpiratione ad ultimam vexatas inopiam: Nectaridiumque Comitem maritimi tractûs occiſum; & Bulchobaudem ducem hoſtilibus inſidiis circumventum. Quibus magno cum horrore compertis, Severum etiamtum Domeſticorum Comitem miſit, correcturum ſeciùs geſta. Quo paulò póſt revocato, Jovinus eadem loca profectus, Proventuidem celeri gradu præmiſit, adminicula petiturus exercitus valıdi. Id enim inſtantes neceſſitates flagitare firmabant. Poſtremò ob multa & metuenda, quæ ſuper eâdem inſulâ rumores aſſidui perferebant, electus Theodoſius illuc properare diſponitur, officiis Martiis feliciſſimè cognitus: aſcitâque animoſâ legionum & cohortium pube, tendebat præeunte fiducia ſpecioſâ. Et quoniam cùm Conſtantis Principis actus componerem, motus adoleſcentis & ſeneſcentis Oceani, tractumque Britanniæ pro captu virium explanavi; ad ea quæ digeſta ſunt ſemel, revolvi ſuperfluum duxi. Eo tempore Picti in duas gentes diviſi, Deucalidonas & Vecturiones, itidemque Attacotti bellicoſa hominum natio, & Scotti per diverſa vagantes multa populabantur.

Britanniæ à Barbaris vexantur.

Theodoſius ad eas mittitur.

5. Gallicanos verò tractus FRANCI & SAXONES iiſdem confines, quò quiſque erumpere potuit, terrâ vel mari, prædis acerbis incendiiſque & captivorum funeribus hominum violabant.] Ii ſunt de quibus anno priore dixi, ab hoc Theodoſio tum utcumque ad Rhenum Vahalimque repreſſi, ut ex Pacati Panegyrico vidimus. Cum Saxonibus potuerunt jungi Friſii. Franci ex interioribus eruperant. Ad hæc igitur prohibenda, orbis extrema dux efficaciſſimus petens, cùm veniſſet ad BONONIÆ littus; quod à ſpatio controverſo terrarum anguſtiis reciproci diſtinguitur maris, attolli horrendis æſtibus aſſueti, ruſuſque ſine ullâ navigantium noxâ in ſpeciem complanari camporum; exinde tranſmeato lentiùs freto defertur Rutupias (hodie Sandwyck) ſtationem ex adverſo tranquillam. Unde cùm conſecuti Batavi veniſſent & Heruli (nempe navalibus aſſueti, eoque etiam contra Saxones ſimileſque pyratas bellaturi) Joviique & Victores, fidentes viribus Numeri ſeu legiones; egreſſus tendenſque ad Lundinium vetus oppidum, quod Auguſtam poſteritas appellavit, diviſis plurifariam globis, adortus eſt vagantes hoſtium vaſtatorias manus, graves onere ſarcinarum: & properè fuſis, qui vinctos homines agebant & pecora, prædam excuſſit, quam tributarii perdidere miſerrimi. Denique reſtitutâ omni prædâ, præter partem exiguam impenſam militibus feſſis, merſam difficultatibus ſuis antehac civitatem, ſed ſubitò quà ſalus ſperari potuit recreatam, in ovantis ſpeciem lætiſſimus introiit. Ubi ad audenda majora proſpero ſucceſſu elatus, tutaque ſcrutando conſilia, futuri morabatur ambiguus; diffuſam variarum gentium plebem, & ferocientem immaniter, nonniſi per dolos occultiores & improviſos excurſus ſuperari poſſe, captivorum confeſſionibus & transfugarum indiciis doctus. Denique edictis propoſitis impunitateque promiſsâ, deſertores ad procinctum

Franci terrâ, mari Saxones Gallias impetunt.

Nota autē Saxones Francis confines.

Theodoſius Bononiâ in Britanniam ſolvit.

Vaſtatoribus prædâ excutit.

Lundinium ovans ingreditur.

vocabat,

vocabat, & multos alios per diverſa libero commeatu diſperſos. Quo monitu ut redicre plerique, incentivo percitus, retentusque anxiis curis. Civilem nomine recturum Britannias pro Præfectus (id eſt Vicarium Britanniarum) ad ſe popoſcerat mitti, virum acrioris ingenii: itidemque Dulcitium, ducem ſcientiâ rei militaris inſignem. Hæc in Britanniis agebantur. Hactenus Ammianus lib. 27.

Pax Belgii toto Valentiniani novennio poſtremo.

6. At in Belgica noſtra majus quippiam effecit Valentinianus, teſte Zoſimo lib. 4. Valente quippe ejus fratre in Perſici belli apparatu Conſtantinopoli occupato, ipſe *rebus Germanicis rectè conſtitutis, arbitrabatur Celticarum rerum ſecuritati in futurum quoque tempus debere ſe proſpicere. Quapropter maxima juvenum multitudine, tum de Barbaris Rheni accolis* (puta Alemannis, Francis, atque Saxonibus) *tum de gentium imperio Romano ſubditarum agricolis* (ergo & Belgis) *collectâ numeriſque militaribus adſcriptâ; ſic eos bellicis in rebus exercuit, ut metu exercitationis & experientiæ militum, totos novem annos* (quibus ſcilicet imperare perrexit) *nemo Transrhenanorum ſubjecta Romanis oppida vexaret.* Ita Zoſimus hic bene notandus, quia novennalem Belgii noſtri à Transrhenanis pacem notat; longè jucundiſſimam; & operum toto eo tempore pacificorum genitricem, de quibus modò; ſi priùs moneo, de bellis, præliis, urbiumque obſidionibus eam maximè capiendam; non de excurſionibus vaſtationibusque levioribus: quas aut nunquam aut rarò intermittere ſoliti Transrhenani.

CAPUT VIII.

Manna Atrebatium. S. Hieronymus in Belgica. S. Hilarii mors.

Eodem anno 367.

Mãna Atrebatium. *Hieron. & Caſſiod. chr. Oroſ. l. 7. c. 32 Miſcella l. 12 c. 8.*

1. CEterùm hic etiam annus eſt; Chriſti 367. quo, Hieronymo ipſo in Chronico, Oroſio, Caſſiodoro, Pauloque Diacono teſtibus omni exceptione majoribus, *Apud Atrebatas* noſtros *vera lana è cœlo nubibúsve pluvia mixta defluxit.* Arebant, per hæc tempora ſcilicet, Atrebatium agri, ſiccitate jam nimiâ ad ſterilitatem uſque damnati: nec erat ultra remedium. Ergo ad divina, ut in extremis fieri amat, converſa civitas Chriſtianis haud infrequens, jejuniis, orationibus, ac eleëmoſynis crebrò inſtanterque repetitis, miſericordiam denique ab irato Numine extorſit. Quóque beneficii nota certior, & memoria diuturnior rudiori adhue populo conſtaret, optimo Deo viſum, non opportunam tantùm pluviam, ſed & lanam iſtam, in pinguioris ſolidiorisque roris ſpeciem, è nubibus pluviæ mixtam demittere; quâ & arva tunc irrigata fœcundiùs, & in poſterum fœcundata conſtantiùs. Manna inde pii Majores vocaverunt, ducti tum rei tum beneficii ſimilitudine, quod olim Iſraëli per Deſertum ſuo Deus indulſit: Religione inſuper, ſuique qui tum fuit Paſtoris monitu perſuaſi, partes non modicas collegerunt, ut ſolidi corporis ac compagis. Quas ad nos uſque id eſt ad annum 1653. completum, tot inter Barbarorum ac temporum eluviones, per annos jam 1286. conſtantiſſimè tranſmiſerunt; ingenti perpetuoque miraculo; quaſi voracis omnium temporis, in tam fugaci evanidâque materia, ceu vaneſcente vapore, victores triumphatoréſque. Tanti ſcilicet habitum eſt divinæ iſtius beneficentiæ pignus, ſterilitatis alexicacon, perſtituræ fœcunditatis arrha certiſſima, tot jam annis perſeverante apud nos glebæ ubertate firmata. Hoc prodigium Valentinianus Imperator dum hoc anno Ambianis, tantâ Atrebatum viciniâ, Gratianum filium dicit Auguſtum, oculis uſurpare potuit. indeque tanta forte celebritas, quòd in tanti Comitatûs ſenſus incurrerit.

S. Hieronymus per hos annos erat in Belgicâ.

2. Quin & Hieronymo ſanctiſſimo doctiſſimoque patri eadem iſta viciniæ cauſa fuiſſe videtur, cur Chronico ſuo impreſſerit. Illum certe per hoſce annos in Belgicâ noſtrâ peregrinatum, imo & diutius immoratum, ex ipſiuſmet ſcriptis haurimus. Ait ecce Epiſtola ad Ruffinum; cùm ex Bonoſi contubernalis olim ſui vitâ ſolitariâ prorſus exultat: *Gratias tibi Domine JESV, quòd in die tuâ habeo, qui pro me te poſſit rogare. Scis ipſe ut ego & ille à tenerâ infantia pariter ad florentem uſque adoleverimus ætatem; ut iidem nos nutricum ſinus, iidem amplexus foverint bajulorum. Et cùm poſt Romana ſtudia ad Rheni ſemibarbaras ripas* (nota Belgicam) *eodem cibo, pari fruerennur hoſpitio; ut ego primus cœperim velle te colere; memento quæſo hunc bellatorem tuum, tirocinii quondam fuiſſe tyronem.* Mox: *mihi concede ut inter ſanctorum caput, poſſim levare calcanea, ut cum ego voluerim, ille perfecerit; mihi ignoſcas, qui implere non potui.* Ex quibus illud etiam apparet, in Belgicâ Hieronymum Mundi calcandi, Chriſtoque arctiùs inhærendi primum impetum cepiſſe, quem & in ſocium Bonoſum transfuderit. Adeo per hæc tempora cœleſti ſanctitatis rore virebat Eccleſia noſtra, è quâ & Conſtantinus ipſe, & Hieronymus Bonoſusque, & tot alii tam pleno pectore biberent.

Ubi ſpiritũ mundi calcãdi hauſit.

3. Ac ne quis ſemibarbaras iſtas Rheni ripas, alias quàm Belgicas intelligat, accipe quæ idem Pater Hieronymus Epiſtola 6. ad Florentium ſcribit: dum inter alios, quos ſibi mitti optat libros, *prolixum* quoque *valde librum de Synodis B. Hilarii* repetit; *quem* (inquit) *manu mea apud Treviros ipſe deſcripſeram.* Hæc enim omnia per hoſce annos ab Hieronymo tum juvene perpetrata, & ætas ejus, & ſecuta non ita diu poſt in Orientem tranſmigratio ſatis edocent. Unde nihil mirum ſi idem Hieronymus de rebus Belgicis Gallicisque ſcribens, tot urbium noſtratium nominatim diſtinctéque meminerit, earum ſcilicet aliquando teſtis αὐτόπτης & oculatus. Porrò librum illum Hilarii de Synodis ad Belgarum Epiſcopos, anno Chriſti 358. ſeneſcente tranſmiſſum ſupra monuimus, id eſt vix novem ante hunc 367. annis: quo factum quoque dixi, ut facilè Hieronymus in ipſum Hilarii libellum autographum, adhuc recentiorem, Treviriſque Urbe Galliarum præcipuâ ſervari ſolitum incurrerit, ex quo & ſuum exſcripſerit.

Treviris Librum Hil. de Synodis ſuâ manu deſcripſit.

4. Credo autem tunc tantò avidiùs exſcripſiſſe, quanto erat Hilarii per hos annos in Galliis fama celebrior, zelus in Arrianos ardentior & efficacior. Ceterum vivo adhuc illo, an mortuo Gallias inierit peragraritve Hieronymus, mihi quidem incertum. paulò ante póſtve id factum ſatis apparet. Mortem Hilarii anno Valentiniani tertio,

S. Hilarii mors, anno Chriſti ineunte 367.

vetuſtiora omnia Manuſcripta Hieronymi Chronica, duobus dumtaxat exceptis, aſſignant: quarto ejuſdem Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 36. Quæ duæ ſententiæ primâ fronte diverſæ, in eumdem Chriſti annum 367. coincidunt. Iniit imperium Valentinianus altero à Biſſexto die, Februarii ſcilicet 26. anno Chriſti item *Biſſextili* 364. ut diſertiſſimè teſtatur Ammianus libro 26. capite 2. Tertius igitur illius annus non ante Februarium exeuntem anni Chriſti 367. expletus eſt. Et Hilarium Idibus Januarii mortuum affirmant omnia Martyrologia, idque Pictavenſis etiam tenet Eccleſia: tertio ſcilicet anno Valentiniani nondum expleto. Verùm quia cum anno illo Chriſti 367. quartus Imperii Valentiniani per menſes totos decem, tertius autem ne per duos quidem integros componitur; non ineptè Gregorius Turonenſis, & eum ſecutus Hermannus Contractus, Hilarii mortem eidem quarto tribuunt, ſumptâ à majore anni parte denominatione. Scio Hieronymi Chronica non euſa modo, ſed & Manuſcripta cum iſto Chriſti anno vulgari ſeu Dionyſiano 367. tertium Valentiniani velut integrum comparare. ſed ſolennis iſte Hieronymi, ut & Euſebii in Chronicis ſuis mos eſt, ut quantumvis Imperator aut Princeps aliquis ſub ipſum anni principium obierit, ſucceſſoris tamen ejus annum primum non ante ſequentem Julianum ſubtexant, manifeſto unius fere totius anni Metachroniſmo. Ita hic annum Valentiniani tertium ne duobus quidem menſibus ſuis ultimis cum iſto Chriſti anno 367. concurrentem, totum tamen Hieronymus cum eo componit; quia primum ejuſdem nonniſi cum anno 365. (licet menſes amplius decem Joviani mortem ſubſequente) pariare cœpit.

Valentiniani anno tertio expirante, quarto mox inituro.

5. Hoc igitur ſenſu, rectè Hieronymus in Chronico ad annum Valentiniani tertium Periochen hanc apponit, *Hilarius Epiſcopus Pictavis moritur.* Nec male tamen etiam Gregorius Turonenſis ſuprà; *Quarto Valentiniani & Valentis anno, ſanctus Hilarius apud Pictavos, plenus ſanctitate & fide, multis undique virtutibus editis, migravit ad cælos. Nam & ipſe legitur mortuos ſuſcitaſſe.* Tribus igitur totis annis, menſibusque fere ſex Hilarii mors S. Martini in Epiſcopum conſecrationem anteceſſit; totidemque Martinus in cellâ ſuâ, Pictavenſi oppido vicinâ, patre ſuo viduatus exegit. Nec dubito quin ei morienti lubens adfuerit, poſtrema ac ſalutaria ab eo documenta hauſturus. Hilarii Scripta Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis enumerat. Et alibi *Eloquentiſſimum*; alibi *Latini ſermonis adverſus Arrianos tubam*; alibi *Latinæ eloquentiæ Rhodanum*, ob vehementiorem credo dicendi ſcribendique fluxum, appellat. cujus *libri inoffenſo decurri pede* poſſint. licet Claudianus Mamertus Vienenſis & alii quoſdam ejus nævos notent. quibus nempe carere, ſolius eſt Scripturæ divinæ. Hilarium igitur valde æſtimavit ac dilexit Hieronymus, quando eum tot laudibus extollit. Unde magis pendeo, ut credã nonniſi eo jam paulò antè mortuo, Hieronymum Gallias peragraſſe; quem nunquam ne hac quidem occaſione viſitaſſe, ut viros illuſtres ſolebat, uſpiam legitur. In Belgio adhuc hodie frequens eſt & grata Hilarii memoria, pluribus ei dicatis templis. Ceterum poſt Conſtantini imperium, primus Eccleſiæ Latinæ Doctor cœlis illatus Hilarius; annis quidem ante Ambroſium totis 30. ante Hieronymum 54. ante Auguſtinum 64. etiam ante omnes Doctores Græcos; ante Athanaſium ipſum ſex totis, menſibus fere 4. ante Baſilium fere 11. ante Gregorium Nazianzenum ſupra 22. ante Epiphanium ſupra 30. ante Chryſoſtomum 40. menſibusque 8. ante Cyrillum Alexandrinum annis 78. menſibus fere 5.

S. Hilarii Elogium.

& Eloquentia.

CAPUT IX.

Moguntiam Rando Alemannus intercipit. Valentiniani cum filio Gratiano in Alemannos expeditio. Auſonii Moſella.

Ab anno Chriſti 367. ad 369.

1. TReviros igitur Valentinianus cum Gratiano filio jam Auguſto, ſeneſcente anno Chriſti 367. tandem advenit; & Imperii ſui ſedem inibi de more tunc, ſi non antè, fixit. Legem unam Valentiniani Codex Theodoſianus exhibet libro 11. tit. 11. *datam pridie Kalendas Octobres, Agrippinæ, Valentiniano & Valente Coſs.* quam Hadr. Valeſius lib. 1 Franc. putat hoc Chriſti anno 367. latam; quia duo hic Auguſti Conſules abſolutè poſiti ſunt, quaſi tum primùm Conſules. Examinet Lector, videatque num ad poſteriores horum fratrum Conſulatus referri non debeat. Ammianus quidem Valentiniani primùm in Gallias adventum hic relegens, per Pariſios & Remos, imò & Treviros, nullam Agrippinæ, nullam de antiquis Francorum fœderibus inſtaurandis, mentionem infert. Satis eum detinebant Alemanni. Tamen moneo, ut Lector reflectere dignetur. Sat certe conſtat, vix ullum ſtabiliorem in urbe ſua Imperatorem Treviros, jam inde à Conſtantis cæde, conſpexiſſe. Vix enim, niſi ſuſceptis aliquot trans Rhenum expeditionibus, (nam Ciſrhenana probè tutatus eſt) pedem inde extuliſſe videtur, ad annum uſque Imperii vitæque noviſſimum, quo in Pannonias ſe conferre, Quadorum irruptione coactus. Quod temporis intervallum paulò ſupra ſeptennium fuit.

Treviros venit Valentinianus, ubi ſedem figit.

2. Anno itaque ſedis ejus primo, Chriſti 368. *Valentiniano* ipſo *ad expeditionem cautè, ut rebatur, profecto* (ait Ammianus lib. 27. cap. 10.) *Alemannus Regalis Rando nomine, diu præſtruens quod cogitabat, Moguntiacum præſidiis vacuam cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepſit. Et quoniam caſu Chriſtiani ritûs invenit celebrari ſolemnitatem,* (an Paſcha? an Pentecoſten?) *impræpeditè cujuſque modi fortunæ virile & muliebre ſecus* (aliàs *ſexûs*) *cum ſupellectile non parvâ, indefenſum abduxit.*) Vides etiam in extremis Galliarum, ipſoque Rheni limite, tot barbarorum incurſibus obnoxio pariter & vaſtato, tantam tamen Chriſtiani populi frequentiam, tantum in feſtorum ſolemnitate zelum & ardorem. Quid in interiore pacatioreque Galliâ? quid in Galliarum Metropoli Treviris totoque Belgio noſtro? *Parvo inde poſt intervallo* (rurſum Ammianus)

Annus Chriſti 368.

Rando Alemannus Moguntiam intercipit.

Vibicabitur

Vithicabius Rex, Vadomarii filius, ſpecie quidem mollicu-lus & morboſus, ſed audax & fortis; cùm ardores in nos ſæpe ſuccrudeſceret bellicos, attentatúsque aliquoties nullo poſſet genere ſuperari vel prodi; tandem *ſtudio ſollicitante noſtrorum, fraude cuiusdam vita miniſtri occubuit;* qui ideo ad Romanum ſolum transfugit. *eáque nece aliquatrum hoſtiles torpuere diſcurſus.*

Valẽtiniani in Alemannos expeditio gravior.

3. *Parabatur poſt hæc lentioribus curis, & per copias multiformes in Alemannos expeditio ſolito gravior; deſtinatiùs id publicâ tutelâ poſcente: quia reparabilis gentis motus timebantur infidi; miliste nihilominus accenſo, cui ob ſuſpectos eorum mores nunc infirmorum & ſupplicum, paulo poſt ultima minitantium, nulla quieſcendi dabantur induciæ. Contractâ igitur mole maximâ catervarum, armis & ſubſidiis rei cibariæ diligenter inſtructâ; accitóque Sebaſtiano Comite cum Illyricis & Italicis numeris, quos regebat; anni tempore jam tepente* (credo verè anni 369.)

Annus Chriſti 369.

Valentinianus cum Gratiano Rhenum tranſgreſſus, (ad Moguntiam haud dubiè) *indiviſis agminibus quadratis, ipſe medius incedebat, Jovino & Severo Magiſtris rei caſtrenſis altrinſecus ordinum latera ſervantibus, ne repentino invaderentur aſſultu. & quoniam aliquot diebus emenſis, nullus potuit qui reſiſteret inveniri; cuncta ſatorum & tectorum, vorax flamma vaſtabat; præter alimenta, quæ colligi dubius rerum eventus adigebat & cuſtodiri. Poſt hæc leviore greſſu Princeps ulterius tendens, cum prope locum veniſſet, cui Solicinio nomen eſt* (hodie *Sultzbach* in *Bergſtraſſ*, ſupra Heydelbergam) *velut quondam obiyce ſtetit, doctus Barbaros longe conſpectos.* quos ad montem quemdam aggreſſus, inſidiis primùm pænè periit circumventus, vix ſuga ad ſuos elapſus. mox acriore impetu diſiecit, multos trucidavit; *diſperſi ceteri ſylvarum ſe latebris amandarunt. Nec pauci è noſtris oppetiere, iique non contemnendi. Milites ad hiberna, Imperatoris Treviros reverterunt.* Hucusque ex Ammiani lib. 27.

Qui quà ille inſidiis pœnè circumventus.

Moſella Idyllium Auſonii.

4. Interfuit eidem expeditioni Auſonius, Gratiani pædagogus; Moguntiaque Treveros cum rediiſſet, Moſellam elegantiſſimum ſuum planeque palmare poëma compoſuit. Unde de ipſo fluvio, verſu 420 & ſeqq. canit:

——— *Nec præmia in undis* (*Urbis,*
Sola, ſed Auguſtæ(Trevirorũ)*veniens quod mœnibus*
Spectavit junctos Natique Patriſq; triumphos,
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum Annalibus Iſtri.
Hæc profligati venit modo laurea belli,
Mox alias aliáſque feret.

Junctos ecce Valentiniani patris Gratianique filii triumphos memorat; & quidem primos, cum ſubdit, *Hæc profligati venit modo laurea belli, Mox alias aliáſque feret.* quaſi dicat hæc quidẽ prima eſt eorum victoria, aliæ mox ſequentur. Addit *hoſtes,* ſcilicet Alemannos, *ſuper* ſeu ultra *Nicrum fluvium* ac *Lupodunum* Nicro adſitum (hodie *Ladenburg.* paulo infra Heidelbergam, ut rectè Freherus) exactos, fuſos inquam fugatosque ab Solicinio, *Sultzbach* pugnæ loco. Nempe Valentinianus contra Alemannos movens, Moguntiæ pontem de more tranſierat, perque hodiernum Darmſtadienſe territorium, ad *Bergſtraſſ* ſeu viam Montanam, aut non procul, pervenerat, donec obvios ad *Sultzbach,* tunc Solicinium, in eadem viâ hoſtes magno prælio ſuperatos, verſus Nicrum, qua *Lupodunum* ſeu *Ladenburg* alluit, funderet; eoque trajecto ad Danubii ſeu Iſtri uſque fontes, parum antiquis Romanorum annalibus cognitos, fugere compelleret. Quæ liquidiſſima expoſitio eſt: præſertim cum Valentinianus in medios & integros Alemannos tunc irruerit; non ut putat Cluverius, verſus Auſtrum extremos, regnumque Vadomarii filiive ejus Vithicabii; quando illum paulo ante fraude cæſum dixerat, pacatosque ea cæde motus, inde oriri ſolitos.

Alemanni ultra Nicrũ exacti fuſiq; ad *Sultzbach.*

Pro Lupoduno *vide Freherũ hic, & Orig. Palat. l. 1. c. 4.*

Auſonii ex Alemannis tranſrhenanis reditus Treviros.

5. Ita jam quoque perſpicimus, quomodo Valentinianus quâ venerat viâ Moguntiam, indeque Treviros, unde diceſſerat, in hiberna redierit; quomodo item ei Gratianóque filio tum comes Auſonius, Bingium Navæ adſitum tranſierit; pérque ſylvas ac deſerta, Dumniſſum, ac Tabernas, Nivomagum denique ad Moſellam, in primis Belgarum oris ſitum, advenerit; antequam Treviros intraret. Ait ecce:

Per Navam fluvium, & Bingium.

Transieram celerem nebuloſo lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
Infletæq; jacent inopes ſuper arva catervæ.

Navam fluvium eſſe *Nahe,* qui ad Bingium Rhenum influit, omnes agnoſcunt. Unde *vicum* iſtum *veterem* eſſe Bingium conſequitur, quùm Moguntiâ Treviros rectâ tendentibus, illic ponte junctus Nava tranſmittendus occurrat. Quando autem Cannenſis ſeu immanis illa Galliarum ad Bingium clades contigerit, obſcurius eſt. Ait *quondam,* non nuper contigiſſe: & tamen cladis adhuc iſtius reliquias & cæſorum oſſa tum ſuperfuiſſe inſinuare videtur. Forte Croci victoriã de Romanis iſtic primâ ſua in Gallias irruptione, moxque ab ipſo Rheni trajectu, ſub Gallieno (ut diximus) ante centum circiter annos reportatam intelligit: aut ſub Probo aliam nobis ignotam. Nam illam ſub Veſpaſiano ab Cereale de Treviris eorúmque duce Tutore trecentos ante annos relatam intelligere, vetat nimia vetuſtas, quæ jam omnia cæſorum oſſa conſumpſiſſet. Bingio autem mœnia tunc addita mirabatur Auſonius; ſeu quia Julianus Cæſar decem antè hunc annis ea reparaverat, ut ibi ex Ammiano monuimus; ſeu Valentinianus ipſe tum de novo repararet, ut paulo pòſt videbo. Sequitur in Auſonio:

Per terras deſertas, & nemora.

6. *Unde iter ingrediens, nemoroſa per avia ſolum,*
Et nulla humani ſpectans veſtigia cultûs,
Prætereo arentem ſitientibus undique terris
Dumniſſum, riguáſque perenni fonte Tabernas.
Arváque Sauromatûm nuper metata colonis
Et tandem primis BELGARUM conſpicor oris NIVOMAGUM. &c.

Per aridam Dumniſſum hodiè *Tunneſſe.*

Per Nivomagum, hodiè *Numagen.*

Eamdem ferè viam, nempe militarem, Peutingeri Tabula Itineraria exhibet: *Moguntiaco Bingium, millia paſſuum XII. Bingio Dumnum,* ſeu Dumniſſum *XVI. Belginum VIII.* ...... fortè Tabernas *X. Noviomagum X. Auguſtam Treverorum VIII.* Ita ibi.

fortè *Tabernas.*

Munſterus quoque in ſuâ Germaniæ Topographiâ, *In regiuncula,* inquit, *Hunſruk, via quædam eſt conſtrata & elevata, quæ à Bachrach, per terram illam aſpe-ram, rectiſſimè tendit in Berncaſtel, & inde Treverim. Quis eam ſtraverit, nemini conſtat.* Imò Romanos ſtraviſſe conſtat ex diverſis eorum Itinerariis, adhuc hodie ſuperſtitibus. *Elevatur ad altitudinem alicubi ſtaturæ, alicubi menſæ, ſupra planitiem terræ.* Iſtam ego viam à *Berncaſtel* uſque ad Moſellæ adſitum oppidum *Kerprick,* vidi triviique anno Chriſti 1629. cùm Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico Petro

Hunſruk, & Berncaſtel.

Aloyſio Caraffæ comes, nunc Eminentiſſimo meritiſſimoque S. R. Eccleſiæ Cardinali, Leodio Moguntiam iter haberem. Verùm nos tunc Kirpriko ſeu Kirkbergâ, non per *Bacharachum*, ſed Stromburgum, perque ingentes ſylvas Bingium pervenimus. Quam etiam viam Marquardus Freherus, in hunc Auſonii Moſellam fusè, ut horum locorum incola, deſcribit, locáque occurrentia aut finitima declarat. ad quem ſe remitti æquus Lector patiatur. Neſcio an *Berncaſtel*, non ſit *Taberna* caſtellum. Opinatur Freherus.

Nivomagũ caſtra inclyta Conſtantini.

7. Sed pergat Auſonius:

Et tandem primis BELGARVM conſpicor oris
NIVOMAGVM, Divi caſtra inclyta CONSTANTINI.
Purior hic campis aër; Phœbuſq́, ſereno
Lumine purpureum reſerat jam ſudus Olympum.
Nec jam conſertis per mutua vincula ramis.
Quæritur excluſum viridi caligine cælum, ſylvis ſcilicet jam emenſis.
Sed liquidum jubar, & rutilam viſentibus æthram.
Libera perſpicui non invidet aura diei.
In ſpeciem cum me patriæ, cultumq́, nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia viſu.
Culmina villarum pendentibus edita ripis,
Et virides Baccho colles, & amœna fluenta
Subter labentis tacito rumore Moſellæ.
Salve amnis laudate agris, laudate colonis:
Dignata Imperio debent cui mœnia BELGÆ.
Amnis odorifero juga vitea conſite Baccho,
Conſite gramineas amnis viridiſſime ripas. &c. lectu digniſſima.

Ejus amœnitas,

& blanditiæ.

Cur Nivomagi ſitum tantopere laudet Auſonius.

NIVOMAGUM hodiè *Numagen* ad dexteram Moſellæ ripam, tribus infra Trevirorum Auguſtam leucis, ſuprà libro 8. cap. 6. deſcripſimus. Lectorem paulùm hic rurſus immorari, & reflectere velim, Cur Auſonius, Bingio Treviros iter habens, & ad biberna cum Valentiniano Gratianoque alumno ſuo, non remiſsè tendens; poſt tot oppida intermedia leviter memorata, ſimulac *primas Belgarum*, nempe Primorum (quorum caput Treviri) *Oras* & *Nivomagum* ibi inventum attigit, Cur, inquam, tam ſubitia tantiſque lætitiis exultet, cur Nivomagum ipſum ab aëre puriore ſerenioréque, à purpureo ſudoque Olympo, à liquido jubare, rutilo æthere, denique à nitentis patriæ ſuæ amantiſſimæ Burdegalæ ſimili vultu cultuque tantopere laudet? niſi ex ſigno Crucis iſtic Conſtantino nuper monſtratæ jucundiſſima memoriâ, & omnimodæ fælicitatis origine? Cur *Conſtantini Caſtra*, & quidem per eminentiam *inclyta*, tam elegãti poëmate vocet, verſu planè aureo depingat, planè gravi ſpondaicóque hexametro Lectori ſuo per otium meditanda ingerat. Prorſus tantæ viſionis primo Imperatori Chriſtiano divinitùs indultæ locum ab omni oblivione vindicare voluit. prope dignata Imperio Belgarum mœnia, loco caſtris tam inclytis aptiſſimo, in ipſo penè Imperii Romani ſolio, ipſo Conſtantini ad veram Chriſti fidem adducti quaſi ſecundo natalique ſolo, planè cœleſti *παλιγγενεσίᾳ*.

Nempe ut Crucis apparitionem ab oblivione vindicaret.

Fluvii minores in Moſellam influentes.

8. Pergit deinde Moſellam amœniſſimè deſcribere laudaréque Auſonius, & poſt enumerata varia piſcium innatantium genera, ad amniculos ipſum influentes ſe vertit: ita tamen; ut nullos infra *Berncaſtel*, ubi primùm redux Moſellam attigerat; nullos item ſupra Suram memoret.

Pronæa,

Namq́, & Pronæa Nemeſaq́, adjuta meatu
Sura, tuas properat non degener ire ſub undas.

Nemeſa. Sura in Lutzemburgẽſi Ducatu.

Eſt Sura totus Luxemburgenſis terræ fluvius, in Moſellam ſe ad *Waſſerbillich* exonerans, vicum ſupra Treviros, tribus Belgarum leucis. In Suram ipſum adhuc in Lutzemburgenſi territorio, influunt Pronea, bodie Prum, ab celebri nominis ejuſdem Monaſterio Prumienſi, & *Nemeſa* hodie *Nymſ*, non procul ab eodem cœnobio, delapſi.

Gelbis, hodie Kyll.

Te rapidus Gelbis, *te marmore clarus* Erubris
Feſtinant famulis quamprimum adlambere lymphis.

Gelbis hodie *Kyll*, ab oppidis Cronemburg, Stakyl, Cerreſtein & Kylburg defluit, & ad vicum *Erank* ſiniſtro Moſellæ lateri, paulò infra Treviros, infunditur. Dextero vero paulò ſuperiùs apud vicum cognominem *Erubris*, hodie *Rover*, clarum marmore; quod tempore, reor, Auſonii circa illum ad Trevirorum palatia erigenda effodiebatur.

Leſura, Drahonus. Salmona.

Prætereo exilem Leſuram, *tenuemq́, Drahonum,*
Nec faſtiditos Salmonæ *uſurpo fluores.*

Leſura bodie *Leſer*, poſtquam Vitelliacum lavit, Moſellæ ſiniſter ad cognominem quoque vicum, paulò ſupra *Berncaſtel* illabitur. *Drahonus* hodie *Draon, Dron*, & *Traen*, paulò infra *Nivomagum* aquas ſuas Moſellæ ad dexteram confundit. Supra utrumque *Salmona* etiamnum *Salm* ad vicum Cruſſer eodem fluvio à ſiniſtris abſorbetur.

Et iis major Saravus.

Naviger undiſonâ dudum me mole Saravus
Tortâ veſte vocat; longum qui diſtulit amnem,
Feſſa ſub Auguſtis ut volveret oſtia muris.

Saravus, aliàs Sacha & Sarra, eſt *Sarb*, qui è Lotharingia defluens, ceteris ingentior, ad Guntaium vicum inter Waſſerbillich & Treviros Moſellæ dexter affunditur. à quo vico, pons Sarræ aut Saravi (corruptè in Tabulâ Peutingeri *Sarnix*) *Cuntzerbrucke* adhuc hodiè dictus.

Aliſontia.

Nec minor hoc, tacitùm qui per ſola pinguia labens,
Stringit frugiferas felix Aliſontia ripas.

De Aliſontia major eſt diſputatio. Nonnulli enim Alſits eſſe volunt qui Lutzemburgum alluit: ſed hic non in Moſellam, verùm in Suram immediatè illabitur. Alii igitur *Elts* malunt, qui infra oppidum *Cochem* apud cognominem vicum Moſellâ hauritur. Sed hîc *Elts* Saravo multo minor eſt, quod tamen negat hic Auſonius; & videndum ſi per *ſola pinguia* labatur.

9. Poſt fluvios vertit ſe ad illuſtres viros Auſonius, Treviris tum degentes, quos non nominat quidem, ſed ſic in genere celebrat.

Viri proceres Trevirorum incolæ.

Salve magne parens frugumq́, virûmq́, Moſella.
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, & lætum fronte ſerenâ
Ingenium natura tuis conceſſit alumnis.
Nec ſola antiquos oſtentat Roma Catones. &c.

Ait inde ſe viros illos majore ſenectutis otio celebraturum; *quum facta virûm Belgarum, patrióſque canam decora inclyta mores.* —— *Memorabo quietos*

Legiſperiti.

Agricolas, legumq́, catos, fandiq́, potentes
Præſidium ſublime reis; quos Curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriumq́, Senatum.

Oratores.

Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quinctiliani.
Quiq́, ſuas rexere urbes, purumq́, tribunal
Sanguine, & innocuas illuſtravere ſecures.

Magiſtratus

Aut Italum populos, Aquilonigenáſque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.

Si Britannos hic non nominaret, exiſtimarem eum loqui de ex-Præfectis Prætorio, qui tum Treviris agitabant; quique ab Imperatore ſecundi ſeu proximi poteſtate erant. Verùm cum Britannos non Præfectus Prætorio, ſed Vicarius tantû immediatè rexerit. Præfectos ſecundos hic capio Vicarios. Deinde verſus ad Probum virum illuſtriſſimum, ita de illo, licèt tacito nomine, canit:

Vicarii.

Quiq; caput rerum Romam. populúmque Patresq;
Tantum non primo (nempè Imperatorio) *rexit ſub nomine, quamvis*
Par fuerit primis. Feſtinat ſolvere tandem
Errorem fortuna ſuum, libatáque ſupplens
Præmia, jam veri faſtigia reddet honoris,
Nobilibus repetenda nepotibus.

Probus Præfectus Prætorio.

10. De Probo autem eum loqui, qui hoc anno Româ Treviros vocatus advenit, ut eſſet Præfectus Prætorio Galliarum, planè credo. ut ex his Ammiani, dum de hoc anno loquitur, verbis apparet: *Per hæc tempora Vulcatio Rufino abſoluto vitâ dum adminiſtrat, ad regendam Præfecturam Prætorianam ab Urbe Probus accitus eſt, claritudine generis & potentiâ & opum amplitudine cognitus orbi Romano; per quem univerſum pæne, patrimonia ſparſa poſſedit. Hunc quaſi gemina quadam (ut poëtæ fingunt) fortuna præpetibus pinnis vehens, nunc beneficum oſtendebat,* &c. Probum quidem hoc Chriſti anno 369. Præfectum Prætorio Galliarum vocat Valentinianus ipſe lege quam Treviris dedit 3. Nonas Maii, Valentiniano Nobiliſſimo puero, & Victore Coss. Codice Juſtiniani, libro 9. Tit. 49. §. 7. & Tit. 38. §. 1. Reperiuntur tamen ejuſdem Valentiniani leges Treviris datæ iiſdem Coss. ad Viventium P. P. Galliarum; ut illa libri 10. Tit. 3. §. 7. 5. data 3. Nonas Novembris Treviris. Et libro 10. tit. 2. §. 4. data Novioduno. Item alia Treviris iiſdem Coss. l. 7. tit. 61 §. 2. & 3. Ut appareat Probum hujus anni priore parte, & præcedentis aliquâ fuiſſe P. P. Galliarum; poſteriore autem, ex quo ſcilicet Valentinianus de partibus Tranſrhenanis Treviros rediit, Viventium ei ſubſtitutum, Probum verò Italiæ Præfectum Prætorio dictum in Illyricum Sirmium miſiſſe, forte ob res ibi preſſiùs urgentes.

Anno iſto Chriſti 369.

CAPUT X.

Valentinianus Rhenum contra barbaros munit. S. Martini ad Epiſcopatum Turonenſem evectio. Theodoſii proſperè geſta in Britanniis.

Anno Chriſti 370.

Annus Chriſti 370.

1. VAlentinianus ex Alemannicâ expeditione Treviros anno præcipitante 369 reverſus, ibi non hyemem dumtaxat inſecutam, ſed & annum totum 370. exegiſſe videtur. in id unum intentus, uti Rhenum omnem contra Tranſrhenanorum importunas irruptiones ſeriò muniret. quod diu antè ab Druſo Germanico ſi non prorſus impletum, ingenti certè conatu cœptum atque tentatum ſupràmonuimus. Ammianum hic hujus ævi Scriptorem audire juverit.

Rhenum munit Valentinianus.

2. *Valentinianus magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem a Rhætiarum exordio* ([illegible] a primis fontibus) *adusque fretalem Oceanum, magnis molibus communiebat: caſtra extollens altius & caſtella, turréſque aſſiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo. nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis poſitis, ſubradens Barbaros fines. Denique cum reputaret munimentum celſum & tutum, quod ipſe à primis fundarat auſpiciis, præterlabente Nicra nomine fluvio, paullatim ſubverti poſſe undarum pulſu immani; meatum ipſum aliorſum vertere cogitavit. Et quæſitis artificibus peritis aquariæ rei, copioſaque militis manu; arduum eſt opus aggreſſus. Per multos enim dies compaginata formæ roboribus, conjectáq; in alveum, fixis refixiſq; aliquoties propè ingentibus ſtylis. fluctibus erectis confundebantur, avulſáq; vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus dum operaretur ſæpe demerſi. tandémque non ſine quorundam diſcrimine, caſtra præſidiaria, inquietudine errantis ingenuiſ amnis exempta, nunc valida ſunt. Ac talibus lætus exſultanſque, pro animis & temporis ſtatu dilapſos conducens, Reip. curam habuit; ut officio Principis congruebat.* Munimentum hoc nihil aliud fuiſſe, quàm hodiernum *Manheim* ad Nicri Rhenique confluxum, tenent Freherus & Gruterus. Dubitat Cluverius. Pergit Ammianus:

Munimentum ad Nicrum,

an Mânheim?

3. *Ratúsque* (Valentinianus) *ad id quod deliberabat implendum, trans Rhenum in monte Piri, qui barbaricus locus eſt* (Heidelbergam iidem putant) *munimentum extruere diſpoſuit raptim. Utq; celeritas effectum negotii faceret tutum; per Syagrium tunc Notarium, poſtea Præfectum & Conſulem* (anno Chriſti 382.) *Aratorem monuit Ducem, ut dum undique altum eſſet ſilentium, id arripere conaretur. Tranſiit cum Notario Dux, ut juſſum eſt, ſtatim; ponentéque per militem quem duxit fundamenta exorſus, Hermogenem ſuſceperat ſucceſſorem. Eodémque punèto quidam Optimates Alemanni venere, obſidum patres; quos lege fœderis manſuraque diutiùs pacis, haud aſpernanda pignora tenebamus. Qui flexu poplitibus ſupplicabant, ne Romana ſecuritatis improvida, quorum fortunam ſempiterna fides cælo contiguam fecit, pravo deciperentur errore; pactiſque calcatis rem adorirentur indignam. Verùm hæc & ſimilia loquentes incaſſum, cùm nec audirentur, nec quietum aliquid vel mite referri ſentirent, filiorum flentes exitium diſceſſerunt. Iiſdémque digreſſis, ex abdito collis propinqui, barbaricus proſiluit globus, Optimatibus danda reſponſa, ut intelligi dabatur opperiens. aggreſſique milites ſeminudos, humum etiamtum geſtantes; expeditis agiliter gladiis obtruncabant. inter quos etiam Duces ambo ſunt cæſi. Nec indicaturus geſta ſuperfuit quiſquam, præter Syagrium. qui deletis omnibus ad Comitatum reverſus, iratâ ſententia Principis ſacramento exutus, abiit ad larem, commeruiſſe ſævo judicatus arbitrio, quod evaſerit ſolus.*

Munimentũ montis Piri. hodie Heidelberga.

Amm. l. 28. c. 2.

Romani ab Alemannis cæſi.

& duo Duces Arator & Hermogenes.

4. Hæc inter per Gallias latrocinantium rabies ſæva ſcatebat in perniciem multorum; obſervans celebres vias, fundenſque indubitanter quiquid inciderat fructûs. Denique præter complures alios, quos abſumpſerunt inſidiæ tales, Conſtantianus Tribunus ſtabuli, impetu eſt clandeſtino exceptus, moxque interfectus; Valentiniani adfinis, Cerealis & Juſtinæ germanus. Hæc iſto anno Ammianus. qui de Syris prope Apamiam ejuſdem generis

Saxones repentini *Amm. l. 28. c. 16.*

graſſatoribus multa ſubtexit, nihil ad Belgium attinentis, niſi quòd, quaſi forte, int ſerit; *Præ cæteris hoſtibus SAXONES timentur, ut repentini.* quia ſcilicet è vicinis locis, quæ tunc obtinebant, per flumina in mare provecti, populis etiam longè diſſitis improviſi ſuperveniebant, & clades inſerebant.

5. Ceterum ex iſtis omnibus quæ hoc anno Chriſti 370. à Valentiniano in Galliis geſta narrat Ammianus, facilè intelligimus, ultra Rhenum expeditionem non ipſum ſuſcepiſſe, ſed tres ipſius Duces dumtaxat, Syagrium, Aratorem, & Hermogenem. ipſum verò Treviris vix ſe moviſſe; munimentis quæ ab Rheni fontibus ad Oceanum uſque ſtruebat, ſedulò incumbentem. Unde & Treviris ab eo latam eam Legem exiſtimo, quam contra rapaces, Clericos Monachoſque ad Damaſum Papam hoc anno dedit in hæc verba: *Imp. Valentinianus Valens, & Gratianus AAA. Eccleſiaſtici, aut ex Eccleſiaſticis, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari* (credo Monachi) *viduarum ac pupillorum domos non adeant: ſed publicis exterminentur judiciis, ſi poſthac eos affines earum vel propinqui putaverint deferendos. Cenſemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub prætextu Religionis adjunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo judicio* (ſeu teſtamento) *poſſint adipiſci.* &c. *Quin etiam, ſi forte poſt admonitionem legis noſtræ, aliquid iiſdem eæ fœminæ, vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiſcus uſurpet.* &c. *Lecta in Eccleſiis Romæ, 3. Kalendas Auguſti, Valentiniano 3. & Valente Coſſ.* Ita Lex. quæ cùm præter morem lecta dicatur in Eccleſiis Romæ, vero ſimile eſt, illam Damaſo quoque Papa conſcio & curante latam, cum experiretur ſe ſolum tam ſordidam Clericorum avaritiam extinguere non poſſe. Nec enim ſanctior Eccleſia hoc ævo erat, quàm Apoſtolorum, è quibus Paulus queritur Clericos quoſdam *quæſtum exiſtimaſſe pietatem. turpis item lucri gratia circumiſſe, atque domos ſubvertiſſe.* Sane Sanctum Hieronymum in nundinatores ejuſmodi ſæpiùs invectum, docent plures ejus Epiſtolæ: *Hi ſunt* inquit ad Heliodorum Epiſtola 3. *qui matronarum opes venantur, obſequiis, ditiores Monachi quàm fuerant ſæculares. poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete diabolo non habuerant. & ſuſpirat Eccleſia divites, quos tenuit mundus antè mendicos.* Non tamen Lex vel Hieronymus ac Sancti Patres prohibent Eccleſiæ legari hæreditates, aut legata. ſed tantùm harpyias illas damnant, quæ non tam Eccleſiæ, quàm ſibi divitias procurant. *Gloria* enim *Epiſcopi*, ait idem Hieronymus ad Nepotianum Epiſtola 3. *Eſt pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis.* Quod ſi in Romanam etiam Eccleſiam hæc tum ſerpebat avaritia, quid de Belgica noſtrâ, & Gallicanis aliiſque præſumendum? Nonne de Belgica noſtrâ maximè, quæ harpyiarum iſtarum mores tanto faciliùs haurire poterat, quanto corruptiſſimæ Principum aulæ Trevirenſi vicinior?

Valentiniani lex contra Clericos rapaces.

Qui etiam tempore Apoſtolorum. *1 Tim. 6. Tit. 1.*

6. Atque hæc fortaſſe cauſa fuerit, cur S. Martinus hoc eodem anno 370. creatus Turonenſis Epiſcopus, *eodem fere tempore quo creatus, neceſſe habuit adire Comitatum*, ut ait in ejus vitâ Severus. Quartus ab Hilarii morte volvebatur annus; nec volebat Gallicanam deſtituere Eccleſiam Deus: aliud ei lumen ſi non doctrina aut eloquentiâ par, certè ſanctitate miraculorumque patratione radiantius ſubſtituere voluit. Martinum quidem Hilarii ipſius alumnum anno Chriſti 370. conſecratum Turonenſem Epiſcopum, tribus maxime convincimur argumentis. Primum, quia Gregorius & ipſe Turonenſis lib. 1. cap. 35. & 36. Martini ordinationem cum Hilarii morte fere conjungit. Deinde lib. 2. cap. 14. Eamdem ordinationem 4. Nonas Julias, ſeu 4. menſis Julii die recoli ſolitam diſertè ſcribit. Quarta verò Julii hoc anno 370. rectè Dominica fuit; quâ tales & olim & hodie conſecrationes fieri ſolitas, docet experientia. Tum denique quia idem Turonenſis, ab ſanno Conſtantis Filii Conſtantini primo, qui eſt Chriſti 337. Lidorium Turoois ordinatum Epiſcopum, annos 33. ſediſſe memorat. Anno Chriſti labenti 337. adde 33. habebis hunc Chriſti annum itidem labentem 370. eoque Martinum Lidorio ſuffectum intelliges. Eſt annus iſte Valentiniani labens ſeptimus non ut Turonenſis uno ampliùs ſupputat, octavus.

S. Martinus Turonenſis Epiſcopus.

Conſecratus anno Chriſti 370.

Lib. 10. c. 31. Lidorii ſucceſſor.

7. De hac Martini Conſecratione, ſic in ejus vitâ Sulpitius: *Sub idem ferè tempus ad Epiſcopatum Turonicæ Eccleſiæ petebatur. Sed cùm erui à Monaſterio ſuo* (quod propè Pictavos conſtruxiſſe ſupra vidimus) *facile non poſſet, Ruricius quidam unus è civibus, uxoris languore ſimulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur obtinuit. Ita diſpoſitis jam in itinere civium turbis, ſub quadam cuſtodia ad civitatem uſque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo, non ſolùm ex illo oppido, ſed etiam ex vicinis urbibus ad ſuffragia ferenda convenerat. Vna omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam Sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum Sacerdotem fuerant evocati, impiè repugnabant, dicentes: ſcilicet contemptibilem eſſe perſonam, indignum eſſe Epiſcopatu hominem vultu deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem. Ita à populo ſententiæ ſanioris hæc illorum irriſa dementia eſt, qui illuſtrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant. Nec verò aliud his facere licuit, quam quod populus Domino volente cogebat. Inter Epiſcopos tamen qui affuerant, præcipuè Defenſor quidam nomine dicitur reſtitiſſe. Vnde animadverſum eſt, graviter illum lectione propheticâ tunc notatum. Nam cùm fortuitu Lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuiſſet; turbatis miniſtris, dum expectatur qui non aderat, unus è circumſtantibus ſumpto Pſalterio, quem primum invenit verſum arripuit. Pſalmus autem hic erat: ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & Defenſorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars diverſa confunditur. Atque ita habitum eſt, divino nutu Pſalmum hunc lectum fuiſſe, ut teſtimonium operis ſui Defenſor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfectâ, & oſtenſus pariter & deſtructus eſt inimicus.* Hucuſque Sulpitius. In Andegavenſium Epiſcoporum Indiculo Defenſor primus nominatur. quem ego quidem hunc eſſe planè puto, ſorte Turonenſis ſedis cupidum, eoque Martini carptorem. Unde apparet communem Scripturæ verſionem Latinam, diverſam tum ab hodiernâ fuiſſe, quæ *ultorem* hodiè non *defenſorem* legit.

S. Martini cõſecratio. *Ex vita ejus apud Sev. cap. 7.*

Cui reſtitit Defenſor,

Epiſcopus Andegavenſis.

8. Hanc Martini conſecrationem fuſiùs è Sulpitio narrare viſum; non tantùm quòd Martinus Galliarum Apoſtolus habetur, & Belgicæ noſtræ

Epiſcoporum electio tũc à Clero & populo.

Eccleſiæ ſpiritualis ex baptiſmo alumnus; ſed etiam ut modum priſcum Epiſcopos Cleri populique ſuffragiis eligendi repræſentem, quem ſicut in aliis Galliarum, ita in Belgii noſtri partibus viguiſſe nihil dubito. Mutare ſuaſit populi ſæpè efferati cæcitas, improbitas, avaritia, partialitas; & ad unum Principem declarantem, Pontificem Romanum approbantem, conſilio tutiore referre. Manet tamen in Belgarum quibuſdam populis priſcus iſte eligendi mos, ut in Leodienſi adhuc hodie videmus, & non ita pridem in Cameracenſi.

Cur mutata.

9. *Jam verò* (pergit Severus) *ſumpto Epiſcopatu, qualem ſe quantúmque præſtiterit, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Idem enim conſtantiſſimè perſeverabat, qui priùs fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu ejus vilitas erat: atque ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat Epiſcopi dignitatem; ut non tamen propoſitum monachi virtutémque deſereret. Aliquandiu ergo adhærente ad Eccleſiam cellulâ uſus eſt. deinde cùm inquietudinem frequentantium ferre non poſſet, duobus ferè extra civitatem milibus Monaſterium ſibi ſtatuit.* Pergit Monaſterium illud deſcribere. quod quia extra inſtitutum exilit, omitto. & ad magis intenta propero. Sic igitur idem in Dialogis Severus lib. 1. cap. 6.

Condit majus Monaſterium, hodie *Marmonſtier.*

10. *Eodem ferè tempore, quo primùm Epiſcopus datus eſt, fuit ei neceſſitas adire Comitatum,* Imperatoris ſcilicet palatium Trevirenſe. *Valentinianus tùm major rerum potiebatur. Is tùm Martinum ea petere cognoviſſet, quæ præſtare nolebat, juſſit eum palatii foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem ac ſuperbum uxor acceſſerat Arriana* (Juſtina) *quæ totum illum à ſancto viro, ne ei debitam reverentiam præſtaret, averterat.*] Probabiliter Martinus contra Arrianos, & ſi non contra Auxentium Hilarii doctoris ſui recenter adverſarium, certè contra Gallos aliquos ſibi maximè vicinos quædam poſtulabat: quos Juſtina Arriana fovebat, & Valentinianus conſcientiæ libertate jam antè indultâ, vexari nolebat. [*Martinus* igitur *ubi ſemel atque iterum ſuperbum Principem fruſtrà adire tentavit, recurrit ad nota præſidia: cilicio obvolvitur, cinere conſpergitur, cibo potuque abſtinet, orationes diebus noctibúſque perpetuas. Septimo vero die adſtitit ei Angelus: jubet eum ad palatium ire ſecurum, regias fores quamlibet clauſas ſponte reſerandas, Imperatoris ſpiritum ſuperbum molliendum. Igitur iſtiuſmodi præſentis Angeli firmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obſiſtit: poſtremò uſque ad Regem nemine prohibente pervenit. Qui cum venientem eminùs videret, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere eſt dignatus aſtanti, donec regiam ſellam ignis operiret; ipſumq́; Regem eâ parte corporis, quâ ſedebat, afflaret incendium. Ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino invitus aſſurgit: multúmque complexus, quem ſpernere antè decreverat, virtutem ſenſiſſe divinam emendatior fatebatur. nec expectatis Martini precibus, priùs omnia præſtitit quàm rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adſcivit. poſtremò abeunti multa munera obtulit; quæ vir beatus, ut ſemper paupertatis ſuæ cuſtos, cŭcta rejecit.*] Hæc Severus de S. Martino. Ad Ammianum redeamus, & cum eo in Britannias.

Valentinianum Imp. adit.

A quo rejectus, miraculo admittitur.

11. *Theodoſius*, inquit, *dux nominis inclyti* (pater Theodoſii poſtea Imperatoris) *ab Auguſtâ profectus, quam veteres appellavere Lundinium, verſis turbatíſque Britannorum fortunis opem maximam tulit: opportuna ubique ad inſidiandum barbaris prævenïens loca, nihilque gregariis imperans, cujus non ipſe primitias alacri capeſſeret mente. Ita fuſis variis gentibus, quas inſolentia nutriens ſecuritatem, adgredi res Romanas inflammabat, in integrum reſtituit civitates & caſtra, quiete temporis longi fundatâ. Interim facinus dirum evenit. Valentinus quidam in Valeriâ Pannoniæ, ſuperbi ſpiritus homo, ob grave crimen actus in Britannias exul, quietis impatiens, ad res conſurgebat novas, in Theodoſium tumore quodam, quem ſolum reſiſtere poſſe nefandis cogitationibus advertebat; exules ſollicitabat & milites, illecebroſas pollicendo mercedes. Jámque propinquante tentatorum effectu,* Theodoſius *ad vindictam compertorum erectus, Valentinum quidem cum paucis arctâ ſocietate junctiſſimis, letali pœna plectendos Dulcitio dediderat duci. Militari verò ſcientiâ, quâ ſuperabat præſentes, futura conſpiciens; de conjuratis quæſtiones agitari prohibuit; ne formidine ſparsâ per multos, reviviſcerent provinciarum turbines compoſiti. Hinc ad corrigenda plura converſus & neceſſaria, periculo penitus dempto, inſtaurabat urbes & præſidiaria caſtra; limitéſque vigiliis tuebatur & prætenturis. Recuperatámque provinciam, quæ in ditionem conceſſerat hoſtium, ita reddiderat ſtatui priſtino; ut eodem referente, & Rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio principis. Ita ad comitatum* (Treviros) *accitus, tripudiantes reliquerat provincias. & favore omnium ad fretum uſque deductus, lenis vento* (Bononiam) *tranſgreſſus, venit ad commilitium Principis: cúmque gaudio ſuſceptus & laudibus, in locum Valentis Jovini ſucceſſit, qui equitum copias tuebatur.*]

Theodoſii in Britânnis geſta. *Amm. l. 28. cap. 27.*

Valentinum tyrannum occidit.

Valentia nova Britânniæ provincia.

12. Anno Chriſti 367. quo Gratianus Ambianis Imperator dictus, in Britanniam diſceſſerat Theodoſius. Ita ſi hoc demum Chriſti anno 370. rediit, omnia iſta quadriennio interfluente patrarerit. De hoc Valentino ſic quoque breviter Hieronymi Chronicon juxta melioris notæ Codices, ad annum Valentiniani ſeptimum, qui in annum Chriſti 370. vere incurrit, licet expeditiore Hieronymi ſupputatione cum anno 371. comparandus ſit. *Valentinianus in Britanniâ, antequam tyrannidem invaderet, oppreſſus.*] Zoſimus verò libro 4. idem refert, immediatè antè illum Valentiniani morbum, quo coactus eſt anno 367. Gratianum filium Auguſtum dicere. Sed vix ullum temporis ille ſervat ordinem. De his canit Claudianus in 4. Honorii Conſulatu v. 24. &c.

Theodoſius in Britannia fuit quadriennio.

———— Hinc proceſſit avus,
Ille Caledoniis poſuit qui caſtra pruinis;
———— debellatórque Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vaſtator & Auſtri.
Quid rigor æternus, cœli quid frigora proſunt,
Ignotúmque fretum? maduerunt SAXONE fuſo
Orcades, incaluit Pictorum ſanguine Thule,
Scotorum cumulos flevit glacialis Hiberne.

Quo etiam Pictos & Saxones ad Orcadas vicit.

Ita de hoc Honorii avo Claudianus.

CAPUT XI.

Saxonum irruptio & cædes. Burgundionum ad Rhenum acceſſus. & qui illi?

Anno Chriſti 370. vel 373.

Quando cædes ea contigerit?

1. SAxonum inde ſecuta in Gallias irruptio, ac fœda clades. quam Ammianus quidem *Auguſtis ter Coſs.* ſeu anno 370. Hieronymus & Caſſiodorus in Chronicis ſuis, triennio ſeriùs, & ad eoſdem *Auguſtos jam quater Conſules* referunt. pro rectius, ex antecedentium conſequentiumque ſerie. Sic enim Hieronymus ad annum Valentiniani, juxta ipſius quidem calculum uno anno tardiorem, nonum; qui eſt Chriſti 373. *Saxones cæſi Deuſone in regione Francorum.* Sic & Caſſiodorus. Et quæ immediatè ſequuntur in Chronico Hieronymi, anno Chriſti 373. magis ſuffragantur quàm 370. eſt autem vox *Deuſo* ſeu *Deuſio*, planè Germanica, a *Deutſch*, ſeu *Deutz*, & *Duyts*. locumque ſignificat ejus nominis, ſeu Duytz ac Tuitium trans Rhenũ è regione Coloniæ Agrippinæ; ſeu *Deuſſeldorp*, aut Duyſburg. quæ loca tunc in terrâ Francorum erant, ut antè docui. Sic enim Ammianus, lib. 28. cap. 29.

Saxones à Nanneno repreſſi.

2. *Erupit ter* (lege quater) *Auguſtis Coſs. Saxonum multitudo: Et Oceani* (quem tunc cum Friſiis ſibi junctis accolebant) *difficultatibus permeatis, Romanum limitem gradu petebat intento, ſæpe noſtrorum funeribus paſta. Cujus eruptionis primam procellam Nannenus ſuſtinuit Comes, regionibus iiſdem adpoſitus, diuturno bellorum labore compertus. Sed tunc ad mortem deſtinatæ plebi congreſſus, cùm milites quoſdam amiſiſſe, & ſe vulneratum imparem fore certaminibus animadverteret crebris, docto Imperatore quid agi deberet, id eſt adeptus, ut peditum Magiſter Severus opitulaturus rebus dubiis adveniret. Qui ducens militem res ſufficientem, cum veniſſet ad loca; diſcriminatis ordinibus, Barbaros ante colluctationem adeo terruit, ut nec controverſas opponerent manus, ſed ſignorum aquilarúmque fulgore præſtricti venialem poſcerent pacem. Diuque variatis conſiliis, cùm id Reip. conducere videretur, pactis inducus, & datis ex conditione propoſitâ juvenibus multis habilibus ad militiam* (an forte & obſidum loco) *diſcedere permiſſi ſunt Saxones; ſine impedimento unde venerant reverſuri.*

tum etiam à Severo.

pactis inducus.

Sed in reditu contra fidem datam delentur.

3. *Quibus omni jam formidine vacuis, reditúmque parantibus, occultè pedites miſſi inſidias in abditâ quadam valle* (circa Deuſonem) *ſtruxerunt; unde prætereuntes adgredi negotio poterant levi. Sed longè ſecus accidit, quam ſperabatur. Sonitu enim adventantium perciti* (Romani) *exiluere quidam intempeſtivè; viſique ſubito dum ſe firmare feſtinant, ululantibus lugubrè barbaris, vertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati extremaque forte vires licèt non integras ſuggerente, confligere cogebantur: multáque cæde perculſi, concidiſſent nullo relicto; ni cataphractorum equitum cuneus, ad inferendum periculum tranſeuntibus barbaris ex alio latere prope divortium itineris pari modo locatus, clamore percitus triſti, agiliter ſubveniſſet. Exin concurſum infeſtiùs, firmatiſque pectoribus, hinc inde incumbentes Romani clauſos hoſtes eductis gladiis obtruncabant. Nec quiſquam eorum genitales reviſere potuit lares, ne uno quidem cædibus concorporalium ſupereſſe permiſſo. Ac licèt juſtus quidam arbiter rerum, factum incuſabit perfidum & deforme; penſato tamen negotio non feret indignè, manum latronum exitialem, tandem copiâ datâ captam.*] Ita ibi Ammianus, qui lib. 30. in. addit: Converſos Valentinianus *jam ad metuendam rabiem Saxonas, ſemper quolibet inexplorato ruentes, delatóſque tunc ad maritimos tractus, quorum ſpoliis penè redierant onuſti, malefido quidem, ſed utili commento peremit, prædâ raptoribus vi fractis excuſſâ.*] De quo ita etiam Oroſius lib. 7. cap. 32. *Valentinianus Saxones, gentem in Oceani litoribus, & paludibus inviis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus, eruptionem magnâ mole meditantem, in ipſis Francorum finibus oppreſſit.* Ita ille cum aliis.

Saxones iſti videntur è Cherſoneſo recentes advenifſe.

4. In ſuperioribus ſæpè monui, Saxones, ſaltem eos, qui è primis ſuis in Cherſoneſo ſedibus egreſſi oras Oceani Belgici maritimas, ſive ſoli, ſive cum Francis itidem maritimis incurſarunt, cum Friſiis Francorum maximè maritimis ſocietatem iniiſſe, & crebrò prædas egiſſe. Idem tamen ſub Valentiniano non auſos teſtatur primum Ammianus, cùm libro 30. in ipſius Valentiniani mortui Elogio, ſcribit, illum a barbaris tranſrhenanis formidatum; *quod & exercitus valido auxiſſet ſupplemento, & utrobique Rhenum celſioribus caſtris munivſſet; ne latére uſquam hoſtis ad Romana ſe proripiens poſſet.* Prorſus ut, quod addit Zoſimus lib. 4. *Ex magnâ iſtâ Barbarorum tranſrhenanorum, & ruſticorum Romanorum multitudine numeris militaribus adſcriptâ, totos novem annos, tranſrhenanorum incurſiones impedierit.* Ita illi. Unde ergo Saxonibus hiſce, tanta ſub eodem Valentiniano audacia? exiſtimo novos iſtos prædatores Saxonas, non eos qui cum Friſiis ſe junxerant extitiſſe; ſed novam quamdã popularium illorũ manum, qui Cherſoneſum adhuc incolebant, aut non procul inde agitabant, certè Romanorum finibus non ita contigui erant. & ceſſantibus ex Valentiniani metu gentilibus ſuis Friſiæ adſcriptis, *Eruptionem* iſtam *magna* novaque *mole*, ut hic ait Oroſius, ſuſcepiſſe. quando Ammianus eos primùm *Oceani difficultates* velut è longiore termino, *permeaſſe, ſpolia è maritimis Romani Imperii tractibus abſtuliſſe*: & denique *Romanum intento gradu petiiſſe limitem, illorum ſæpè funeribus paſtum.* Romanum iſtum limitem ego Rhenanum accipio; ita ſcilicet ut ex aliquâ maris orâ ad interiora ſuperioráque Rheni pedibus acceſſerint, in Belgicam noſtram irrupturi. Sed cum Nanneni primum, tum etiam Severi terrore ſeſe ex pacto reciperent; *Deuſone in regione Francorum*, ita conciſi ſint, ut *ne eorum quidem unus genitales viſeret lares. genitales* ecce *lares* ait Ammianus, unde de novo exierant; non Friſiacos, quos cum Friſiis jam antè Saxonum alia pars aliquot annos incolebat. Quis autem locus iſte *Deuſo* fuerit, multi quærunt, & plures Tuitium ſeu Duitſium è regione Coloniæ accipiunt: Ego ſeu eumdem, ſeu Duyſſeldorpium, ſeu Duyſburgum Lectori propono, nullum eorum in magno ponens diſcrimine, quando & vocem *Deuſo* exprimunt; & in terrâ Francorum ſunt. Valuit ea Saxonum cædes ad aliquod tempus, ut à novâ in Belgicam eruptione abſtinerent. neſcio an non etiam ad generalem illam uſque aliorum Barbarorum, ac præ-

Deuſone in terrâ Francorum cæſi.

ſertim

ſertim Vandalorum eluvionem, evaluerit. ut ibi monebo.

Burgundiones à Valentiniano contra Alemannos advocantur.

5. Sed jam à Saxonibus ad Burgundios ſtilum vertit Ammian.l.28. Poſt hæc ita proſperè conſummata, Valentinianus verſando ſententias multiformes, anaiâ ſolicitudine ſtringebatur, reputans multa & circumſpiciens, quibus commentis Alemannorum & Macriani Regis frangeret faſtus, ſine fine vel modo rem Romanam irrequietis motibus confundentes. Immanis enim oatio jam inde ab incunabulis primis varietate caſuum imminuta, ita ſæpiùs adoleſcit, ut fuiſſe longis ſæculis æſtimetur intacta. Seditque conſilia alia poſt alia Imperatori probanti, BURGUNDIOS in eorum eacitari perniciem, bellicoſos, & turbæ immenſæ viribus affluentes, ideóque metuendos finitimis univerſis. Scribebatque frequenter ad eorum Reges, per taciturnos quoſdam & fidos, ut iiſdem tempore præſtituto ſupervenirent; pollicitus ipſe quoque, tranſito cum agminibus Romanis Rheno, occurrere pavidis, poodus armorum vitantibus ioſperatum. Gratanter, ratione geminâ, principis acceptæ ſunt literæ: prima, quod jam inde temporibus priſcis, ſobolem ſe eſſe Romaoam Burgundii ſciunt: dein quod ſalinarum finiumque cauſa Alemanis ſæpè jurgabaot.

Et magno numero ad Rhenum veniunt.

6. Catervas igitur misêre lectiſſimas. quæ antequam miles (Romanus) congregaretur in uoum, aduſque ripas Rheni progreſſæ, Imperatore ad extruenda munimenta diſtricto, terrori noſtris fuere vel maximo. Igitur paulisper morati, cùm neque Valentinianus, ut ſpoponderat, die prædicto veniſſet, nec promiſſorum aliquid adverterent factum; ad comitatum (Treviros credo) misêre legatos, poſceotes adminicula ſibi dari redituris ad ſua, oe nuda hoſtibus eaponerent terga. Quod ubi negari per ambages ſcirent, & moras necti; exinde diſceſſerunt indignati. Hocque comperto Reges ut ludibrio habiti, ſævientes, captivis omnibus interfectis, genitales repetunt terras. Apud hos generali nomine Rea appellatur Hendinos, & ritu veteri, poteſtate depoſitâ, removetur, ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam oegaverit terra quemadmodū ſolent Ægyptii caſus ejuſmodi adſignare rectoribus. Nam Sacerdos apud Burgundios omnium maximus, vocatur Siniſtus; & eſt perpetuus, obnoaius diſcriminibus nullis, ut Reges. Per hanc occaſionem impendio tempeſtivam, Alemannos gentis antedictæ metu diſperſos, aggreſſus per Rhætias Theodoſius, eâ tempeſtate Magiſter Equitum, pluribus cæſis, quoſcumque cepit ad Italiam juſſu Principis miſit: ubi fertilibus agris acceptis, jam tributarii circumcolunt Padum.] Ita Ammianus.

Fruſtrà.

Eorum Sacerdos Siniſtus.

Theodoſius à Rhætus Alemannos partim cædit, partim abducit.

Burgundiones an ſoboles Romani? Oroſ. l. 7. c. 32.

7. Qui duo hîc notanda tangit. Primùm, *ſobolem Romanam eſſe Burgundios.* Quam in rem ita quoque Oroſius. *Burgundionum quoque novorum hoſtium capit novum nomen, qui plusquam 80. millia armatorum (quot nunquam antea,* addunt in Chronicis ſuis Hieronymus & Caſſiodorus) *ripa Rheni fluminis inſederunt. Hos quondam ſubactâ interiore Germaniâ à Druſo & Tiberio adoptivis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos, aiunt in magnam coaluiſſe gentem. atque etiam nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta, Burgos vulgo vocant: eorúmque eſſe prævalidam & pernicioſam manum, Galliæ hodiéque teſtes ſunt, in quibus præſumptâ poſſeſſione conſiſtunt. Quamvis providentiâ Dei omnes Christiani modo facti, Catholicâ fide noſtriſque Clericis quibus obedirent receptis, blandè, manſuetè, innocentérque vivant, non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed verè cum fratribus Chriſtianis.* Ita ad Ammianum Oroſius: Nos Burgundiones ſuprà libro 7. cap. 4. §. 7. Vandalorum gentem ſeu partem eſſe, è Dione diximus; Bohemiam cum illis aliquamdiu tenuiſſe; ea eâ ad Rhenum gradum feciſſe. de quo plura adhuc infra.

Gens potiùs Vandalica.

8. Alterum quod notat Ammianus, eſt: Burgundios *ſalinarum finiúmque cauſa ſæpe cum Alemannis jurgaſſe.* Erant igitur ſalinæ iſtæ in gentis utriuſque confiniis. extat adhuc hodie fluviolus Sala, qui ſub monte Fogelsberg apud vicum Saltz oritur, & per oppida Salemunſter, Salefeld, & Hanaw fluens, Mœno paulo infra Francofurtum confunditur. Ad hujus igitur fluvioli fontem Salinas iſtas ego quidem fuiſſe puto; nam *Saltz* Germanicè ſalem ſignificare ſat conſtat. Ac proinde cùm Alemannos Macriani ſubditos, certum ſit Rheni ripam Mœnum inter & Lonam amnes accoluiſſe, Burgundiones iſti hoc tempore Macriani regno ad Orientem contermini fuerint: qua modo Hennebergenſis Comitatus & finitima ſternuntur.

Alemannis ob Salinas inimici.

9. Cùm igitur nihil iſta Burgundionum incurſio profeciſſet; *agitavit* id deinceps Valentinianus, (pergit Ammianus) *ut Macrianum Regem, auctum inter mutationes crebras ſucceſſionum, jámque in noſtros adultis viribus exurgentem, vi ſuperſtitem caperet vel interfidus; ut multò antè Vadomarium Julianus.* Quam in rem tacitè juncto navibus Rheoo, contra Mattiacas aquas Severum, qui pedeſtrem curabat exercitum præmiſit. inde adventu plurium copiarum ipſe ſecutus, ut incendiis & rapinis miles abſtineret, impetrare non potuit. Eo igitur ſtrepitu Macriani ſatellites exciti, carpento veloci impoſitum Regem, anguſto aditu circumfractis collibus abdiderunt. Hâc Valentinianus gloriâ defraudatus, ſolâ militis inteioperantiâ; aduſque 50 lapidem terris hoſtilibus inflammatis, rediit Treviros mœſtus. Ubi tanquam leo, ob cervum amiſſum vel capream, morſus vacuos concrepans, dum hoſtium diſiecta frangeret timor, in Macriani locum Bucinobantibus (quæ contra Moguntiacum gens eſt Alemanna, à Buchbant, quaſi fagorum limite dicta) Regem Fraomarium ordinavit. Quem paulò poſtea, quoniam recens excurſus eumdem penitus vaſtaverat pagum, in Britanniam tranſlatum, poſtea poteſtate Tribuni, Alemanorum præfecerat numero, multitudine viribusque eâ tempeſtate florenti. Bitheridum verò & Hortarium nationis ejuſdem primates, item regere milites juſſit. E quibus Hortarius proditus operâ Florentii Moguntiaci Ducis; contra Remp. quædam ad Macrianum ſcripſiſſe, Barbaroſque optimates; veritate tormentis expreſſâ, conflagravit flammâ pœnali.

Macrianum Regem capere tentat Valentinianus.

Amm. l. 29. c. 20.

Fruſtrà. Unde Treviros redit.

Bucinobantes Alemanni.

Hortarius igne crematus.

CAPUT

CAPUT XII.

Valentiniani reliqua, & mors.

Annis Chriſti 374. & 375.

Quadorum motus in Pannonia.

1. INterim Quadorum motus exortus: *Valentinianus enim* (ſubdit Ammianus lib. 29. c. 35. &c.) *ſtudio muniendorum limitum, glorioſo quidem ſed nimio, ab ipſo principatus initio flagrans, trans flumen Hiſtrum, in ipſis Quadorum terris* (quæ nunc Moraviam Hungariæque confinia occupant) *quaſi Romano juri jam vindicatis, ædificari præſidiaria caſtra mandavit. Quod accolæ ferentes indignè, legatione tenus interim & ſuſurris arcebant.* Sed Maximinus tunc Præfectus, Equitium, per Illyricum eò tempore Magiſtrum armorum, increpabat ut deſidem, necdum opere conſummato. Miſſo igitur in locum ejus Marcelliano filio ſuo per Valeriam Duce, opus inchoatum urgebat. Gabinius Quadorum Rex, cùm ne quid novaretur modeſtè poſceret, ad convivium corrogatus, trucidatus eſt. Ita irritati Quadi, & Danubium tranſgreſſi, occupatam circa meſſes agreſtem plebem, majore parte truncant: quidquid ſuperfuit domum cum pecore abducunt. Parumque abfuit, *quin filia caperetur Conſtantii, cibum ſumens in publicâ villâ Piſtrenſi, cum duceretur* (Treviros) *Gratiano* vixdum ſedecenni) *nuptura. Meſſala provinciæ Rector tunc præſens carpento impoſitam, Sirmium vigeſimo-ſexto inde lapide diſparatum, curſu reduxit effuſo.*] Unde diſcimus hyeme anni exeuntis Chriſti 374. Gratiani cum ea nuptias contigiſſe; tuncque Centonem Nuptialem (utinam tam caſtum quàm elegantem) ab Auſonio Gratiani præceptore compoſitum.

Quam vaſtant, & Gratiani ſponſam ferè capiùt.

Probus P. P. Sirmii.

2. Agebat tunc apud Sirmium Probus Prætorio Præfectus. Hic primum territus ac fugam moliens, mox ſuorum conſilio animatus manſit immobilis. muriſque reſtauratis arcuit ob obſidione barbaros. Qui tamen contra Equitium moventes, Pannonicam Mœſiacamque legiones disjunctas delevissent: ni Theodoſius junior tum Dux Mœſiæ, poſtea princeps, ſuccurriſſet. Is Sarmatas expulit, & cum iis pacem fecit.

Amm. l. 30. c. 6.

Illyrici clades Valentiniano nunciatæ.

3. *Eodem* igitur *anno, Gratiano tertium, & Equitio Coss.* (pergit Ammianus anno Chriſti 374.) *Valentiniano poſt vaſtatos aliquos Alemanniæ pagos, munimentum ædificanti prope Baſileam, quod appellant accolæ Robur* (quercum ſcilicet aliquam Deorum alicui de more ſacram, cui nomen *Baſil*) *offertur Præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades. Quibus lectis*, & per Paternianum Notarium ad id nuſſum rurſum confirmatis, eò evolare protinus feſtinabat. Vix tandem per optimates, quia autumnus tunc abibat, aduſque principium veris retentus eſt, dum vicinorum Galliis Regum, maximeque Macriani immanitas reprimeretur. Statimque propè Moguntiacum blandiùs Macrianus accitur, proclivis & ipſe ad accipiendum fœdus. dieque prædicto colloquii, in ulteriore Rheni ripâ, ad quam Imperator amnicis lembis ſcceſſerat, *amicitia mediâ ſacramenti fide firmatur. Hiſque perfectis, diſceſſit turbarum Rex artifex delinitus, futurus nobis deinceps ſocius. & dedit poſtea aduſque vitæ tempus extremum, conſtantiæ in concordiam*

Pax cum Macriano, poſthac fido.

animi facinorum documenta pulchrorum. Periit autem in Franciâ: poſtea quam dum internecivè vaſtando perrumpit avidius, oppetiit, Mallobaudis bellicoſi Regis inſidiis circumventus. Poſt fœdus tamen ſolemni ritu impletum, Treveros Valentinianus ad hiberna diſceſſit.] Amm.

4. Quâ eadem jam initurâ hyeme, nempè 7. Decembris ejuſdem adhuc anni 374. S. Ambroſius Mediolanenſis ſacratus eſt Epiſcopus. Quod Hieronymi Chronicon ſignificat, certiúſque firmat diei Dominicæ character, quæ in 7. Decembris iſtius incurrit. Nam ſimiles conſecrationes diebus Dominicis eo tempore, ut nunc quoque fieri plerumque ſolitas, nimis compertum eſt. Ita Ambroſius poſt Athanaſii exceſſum menſibus 19. poſt Martini Epiſcopi conſecrationem annis 4. menſibus 5. Mediolanenſis Antiſtes effectus eſt. Quod moneo, quia frequens nobis erit in ſequentibus tanti viri mentio. Addit Theodoretus Valentinianum Imperatorem iſti conſecrationi adfuiſſe. quod ſi eſt, illum oportet Treviris Mediolanum menſe Novembri per medias Alpes excurriſſe. Quod an commodè dici poſſit, Lectori excutiendum reliquo. Sed Hieronymum & Ammianum aſſequamur: quorum ille ſic pergit:

S. Ambroſius ſacratur Mediolanenſis Epiſcopus.

5. *Quia ſuperiore anno Sarmatæ* (an Quadi) *Pannonias vaſtaverant, iidem Conſules permanſere.* Unde dictum, *P. C. Gratiani tertium & Equitii.* At Ammianus lib. 30. cap. 17. ita ſubdit: *Pubeſcente jam vere.* (Martio menſe anni Chriſti 375.) *Valentinianus à Treviris motus, per nota itinera gradu celeri contendebat. Advenienti legatio Sarmatarum offertur* ſupplex. *quam in Pannoniam diſtulit. Cúmque exinde Carnuntum Illyriorum oppidum* (hodie *Petronelle* ad Danubium in Auſtriæ Hungariæque confinibus) *introiſſet, deſertum quidem nunc & ſqualens, ſed ductoris exercitûs perquam opportunum, reprimebat barbaricos appetitus.* Simul incitato in Probum Prætorio Præfectum odio, gravius in eum quippiam ſtatuiſſet, ni novis ab eo pecuniarum adinventionibus placatus eſſet. *Carnunti per continuos tres menſes æſtivos, arma paravit & alimenta. Præmiſſóque Merobaude, cum militari peditum manu quam regebat* (Merobaudem toti exercitui præfectum, quod peritiam rei militaris ſupra ceteros habere videretur, ſcribit Zoſimus lib. 4. pag. 66.) *ad vaſtandos cremandóſque Barbaricos pagos, Comite adjuncto Sebaſtiano, Acincum propè caſtra movit.* & ponte navibus confecto tranſiit in Quados; jugulatáque ætate promiſcuâ, & tectis combuſtis rediit cum incolumibus cunctis quos duxerat, *apud Acincum moratus autumno præcipiti.* unde peragratâ fluminis ripâ, Bregitionem pervenit

A N N U S Chriſti 375.

Valentinianus Treviris in Pannoniâ.

Parat omnia Carnũti, per tres mēſes æſtivos.

Danubium trajicit, & Quados vaſtat.

6. Ibique cùm diu moraretur, *Quadorum venêre Legati, pacem cum præteritorum obliteratione ſuppliciter obſecrantes; tyrociniúmque pollicentes. Imperator irâ vehementi perculſus, tamquam ictus è cœlo, vitali via vocéque ſimul obſtructâ, ſuffectus igneo lumine cernebatur. & repente ſubito ſanguine, letali ſudore perfuſus; ne laberetur ſpectantibus exulibus, concurſu miniſtrorum vitæ ſecretioris, ad conclave ductus eſt intimum. ubi vena ejus iterum ſæpiúſque puncta, ne guttam quidem cruoris emiſit, interius nimietate caloris ambuſtis. Et dicere conatus aliqua, animam efflavit, ætatis anno 55. imperii, minus centum dies, ſecundo & decimo.* Ita Ammianus. *Id intemperantiâ cibi ac ſaturitate, quâ artus diffuderat, accidiſſe plures retulere, ait Victor.* Hieronymus in Chronico, *ſubitâ ſanguinis eruptione, quod*

Bregitione moritur apoplexia, Novembris 17.

Grecè

Græcè apoplexis vocatur, Brigitione mortuum refert. *cum in Illyrico menſes novem, paucis diebus minus, commoratus fuiſſet*, addit Zoſimus. Unde diſceſſum ejus Treviris, Martio menſe præcipitante colligimus. Diem mortis quintumdecimum Kalendas Decembres, ſeu Novembris ſeptimumdecimum notant Idatii Faſti, & Socrates lib. 4. cap. 31.

7. Originem vitamque priorem Valentiniani fuſè retexit Ammianus. Imperitare exorſus, ait, Gallias petiit, Alemannicis patentes excurſibus, reniviſcentibus erectiùs, cognito Juliani Principis interitu, quem poſt Conſtantem ſolum omnium formidabant. Ideo autem etiam Valentinianus ab iis timebatur, quòd & exercitus auxit valido ſupplemento, & utrobique Rhenum celſioribus caſtris munivit; ne latère uſquam hoſtis, ad noſtra ſe proripiens poſſet. Inter geſta ejus glorioſa, illud elucere clariùs potuit, ſi Macrianum Regum eâ tempeſtate terribilem, vivum capere potuiſſet, ut induſtriâ magnâ tentarat; poſtquam eum evaſiſſe Burgundios, quos ipſe admoverat Alemannis, mærens didiciſſet & triſtis. Poſtremo hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter Religionum diverſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietavit; neque ut hoc coleretur imperavit aut illud: nec interdictis minacibus ſubjectorum cervicem ad id quod ipſe coluit inclinabat: ſed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.] Hæc & plura Ammianus. Et Zoſimus lib. 4. Ut ſecuritati, inquit, Celticarum nationum in futurum quoque tempus proſpiceret; maximam juvenum multitudinem tùm de Barbaris Rheni accolis, tum de ſubjectarum Imperio Romano gentium agricolis collectam, Numeriſque militaribus adſcriptam, ſic bellicis in rebus exercuit; ut metu exercitationis & experientiæ militum, totos novem annos nemo Tranſrhenanorum ſubjecta Romanis oppida vexaret.] Ita ille ex parte vera.

Valentinianus quare Tranſrhenanis formidatus.

Religionis libertatem unicuique reliquit.

Tranſrhenanorum in Gallias irruptiones novennio cohibuit.

8. Sub hoc etiam Imperatore contigiſſe Treviris exiſtimo, converſionem duorum illorum aulicorum, quam Auguſtinus cum Mediolani ageret anno Chriſti 385. libro Confeſſionum ſuarum octavo, capite ſexto narrat: *Quodam die domum venit ad me & Alypium Pontianus quidam civis noſter, in quantum Afer, præclarè in Palatio* (Valentiniani Junioris Mediolani) *militans, Chriſtianus & fidelis, qui ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſia crebris & diuturnis orationibus. Unde incidit ut diceret; Neſcio quando, ſe & tres alios contubernales ſuos, nimirum apud Treviros, cum Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiſſe deambulatum in hortos muris contiguos. Atque illic ut fortè combinati ſpatiabantur; unum ſecum ſeorſum, & alios duos itidem ſeorſum pariterque digreſſos. Sed illos vagabundos irruiſſe in quamdam caſam, ubi habitabant quidam ſervi tui ſpiritu pauperes, qualium eſt regnum cælorum: & inveniſſe ibi codicem, in quo ſcripta erat vita Antonii: Quam legere cœpit unus eorum, & mirari, & accendi; & inter legendum meditari arripere talem vitam; & relictâ militia ſæculari ſervire tibi. Erat autem ex iis, quos dicunt Agentes in rebus. Tunc ſubitò repletus amore ſancto & ſobrio pudore, iratus ſibi, conjecit oculos in amicum & ait illi; Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris, quò ambimus pervenire? Quid quærimus? cujus rei cauſa militamus? Majórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile pleníumque periculis? & per quod pericula pervenitur ad grandius periculum?* (alludere videtur ad iracundiam crudelitatemque Valentiniani, de qua plura Ammianus libr. 29. cap. 18. & lib. 30. cap. 27.) *& quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc; & turgidus parturitione novæ vitæ reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, ubi tu videbas; & exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit.*

Pulchra duorum aulicorum ad Chriſtũ converſio.

Auguſt. Conf. 8. c. 6.

9. *Námque dum legit, & volvit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando & diſcrevit, decrevítque meliora. Jámque tuus, ait amico ſuo: ego jam abrupi me ab illâ ſpe noſtrâ, & Deo ſervire ſtatui; & hoc ex hac horâ, in hoc loco aggredior: & te ſi piget imitari, noli adverſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui, ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia, & ſequendi te. Tum Pontianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant quærentes eos, devenerunt in eumdem locum; & invenientes admonuerunt ut redirent, quoniam declinaſſet dies. At illi narrato placito & propoſito ſuo, quoque modo in eis talis voluntas orta eſſet, atque firmata; petiverunt ne ſibi moleſti eſſent, ſi adjungi recuſarent. Iſti autem nihilo mutati à priſtinis, fleverunt ſe tamen, ut dicebat, atque illis piè congratulati ſunt, & commendaverunt ſe orationibus eorum; & trahentes cor in terrâ abierunt in palatium. Illi autem affigentes cor cælo, manſerunt in caſâ. & ambo habebant ſponſas: quæ poſteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipſæ virginitatem tibi.*] Hæc Aug. Quibus videmus 1. fuiſſe tum in Trevirorum ſuburbio quoddam eremitarum genus, qui magni Antonii vitam æmulabantur, vix dubium quin & Monachi extiterint. ſecundò Pios in aula Imperatoris & multos fuiſſe Chriſtianos. Denique etiam Virgines Treviris Deo ſacras. Quod moneo, ut ex unâ eâque Principe Belgii noſtri civitate, ceterarum cognitionem hauriamus.

BELGII

BELGII ROMANI

ECCLESIASTICI ET CIVILIS,

LIBER DVODECIMVS

Ab anno Chriſti 375. ad 400.

CAPUT PRIMUM.

Gratiani Imperium. Hunni, Alani & Gothi in Thracias irrumpũt. Romanos præliis impetunt. Richomeres Francus in eos.

Ab anno Chriſti 375. ad 378.

Timor à legionibus Gallicanis, ex morte Valẽtiniani.

Amm. l. 30. c. 32.

POſt conclamata Imperatoris Valentiniani ſuprema (ait Ammianus l. 30.) corpusque curatum ad ſepulturam, ut miſſum Conſtantinopolim inter Divorum reliquias humaretur, ſuſpenſo inſtante procinctu, anceps rei timebatur eventus: cohortibus Gallicanis, quæ non ſemper dicatæ legitimorum Principum Fidei, velut imperiorum arbitræ, auſuræ novum quoddam in tempore ſperabantur,* : hoc tentatores novitatis adjuvante, quòd geſtorum ignarus etiamtum GRATIANUS, agebat tùm apud Treviros, ubi profecturus (in Pannoniam) eum morari diſpoſuerat pater Valentinianus. Cùm negotium in his eſſet anguſtiis, tamquam in eâdem navi futuri periculorum (ſi accidiſſet) participes, omnes eadem formidarent: ſedit ſummatum conſilio, avulſo ponte, quem compaginatæ antè neceſſitas, invadens terras hoſtiles; ut ſuperſtitis Valentiniani mandato, Merobaudes protinus acciretur. Is ipſe ſcilicet, quem Zoſimus libro 4. ſcribit à Valentiniano in Quados moventε, exercitui toti præfectum, licèt Francus eſſet.

* *pro* timebantur.

Gratianus Treviris à patre relictus.

Merobaudes Dux exercitûs, advocatur.

2. Hocque ille, ut erat ſolertis ingenii, quod evenerat ratus, aut fortè doctus ab eo per quem vocabatur; rupturum concordiæ jura Gallicanum militem ſuſpicatus; miſſam ad ſe teſſeram finxit, redeundi cum eo ab obſervandas Rheni ripas: quaſi furore barbarico crudeſcente. Utque erat ſecretè mandatum; Sebaſtianum Principis adhuc ignorantem exceſſum longiùs amandavit; quietum quidem virum & placidum, ſed militari favore ſublatum, & eò maximè tunc cavendum. Reverſo itaque Merobaude, altiore curâ proſpectum, ut expedito conſilio Valentinianus puer, defuncti filius (ex Juſtinâ) tum quadrimus, vocaretur, in imperium cooptandus: centeſimo lapide diſparatus, degensque cum Juſtinâ matre in villâ quam Murocinctam appellant. Hocque concinenti omnium ſententia confirmato, Cerealis avunculus ejus ocyùs miſſus, eumdem puerum lecticâ impoſitum duxit in caſtra. ſextoque die poſt parentis obitum Imperator legitimè declaratus; Auguſtus nuncupatur more ſolemni.] Si ſex iſti dies, extrema comprehendunt, Valentinianus junior Auguſtus dictus eſſet 22. Novembris, quæ hoc anno Chriſti 375. aptè in Dominicam incurrit. Chronicon tamen Alexandrinum elevatum dicit *menſe Dia, 5. Kal. Decembris* (id eſt 27. Novembris) *in Civitate Acinco*. At Idatii Faſti eumdem quidem locum nominant, ſed diem *X. Kal. Decembres*, ſeu 22. Novembris rectiùs aſſignant.

Qui cum Cereali Valentinianũ puerum ad imperiũ promovet.

3 Ammiano conſentiunt Victor & Zoſimus. Nam Victoris quidem Epitome: *Valentinianus*, ait, *adhuc quadriennis, auctore Equitio ac Merobaude propinquo* (an fortè, *propè Acincum?*) *ubi cum matre fuerat allatus, creatus eſt Imperator*. Zoſimus autem lib. 4. *Extincto Valentiniano, videntes legionum Tribuni Merobaudes & Equitius, Valentem atque Gratianum in locis procul remotis degere, quod alter* Valens *eſſet in Oriente, alter* Gratianus *apud Occidentales Gallos à patre relictus fuiſſet: veriti ne Tranſiſtriani Barbari rebus principe deſtitutis irruerent; arceſſitum minorem Valentiniani filium, natum ei de conjuge, quæ Magnentii priùs uxor fuerat* (Juſtinâ) *nec procul inde cum matre degentem, in regiam cum purpurâ producunt. quum vix quintum ætatis annum ageret*. Idem tenet Zonaras. Vides ut omnes hi Valentinianum quatuor ætatis annos compleſſe, & quintum iniiſſe ſignificent. & tamen Idatii Faſti natum ponunt *XV. Kal. Febr. Gratiano & Dagalapho Coss.* id eſt anno Chriſti 366. quod & firmat Socrates & Sozomenus lib. 6. quâ ratione Valentinianus junior 22. Novembris hujus anni 375. annorum omnino fuerit novem, menſium decem, dierum quatuor, id eſt, penè decennis. Sed rectè Henricus Valeſius in hunc Ammiani locum, duos fuiſſe ait Valentinianos juniores, ſenioris filios; quorum unus anno Chriſti 366. natus fuerit; quem etiam Conſulem cum Victore anno Chriſti 369. Faſti Conſulares omnes unanimiter exhibeant. Gratianus autem hoc anno 375. ſeptimum decimum ætatis agebat annum. Pergit Zoſimus eodem libro 4.

Victor & Zoſimus idem dicũt.

Gratiani ætas.

4. *Dividentibus imperium inter ſe Gratiano & Valentiniano minore (prout iis videbatur, qui apud eos res moderabantur, nam ipſi Principes propter ætatem ſui juris non erant) Gratiano quidem Celtica nationes & Hiſpania tota cum inſula Britannia adtribuebantur: Valentinianum vero placuit Italiam & Illyrios & totã Africam poſſidere.*]

Gratiano Gallia, Hiſpania, Britannia datur.

Iſta

Valĕtiniano cum matre, Italia, Illyricum, Africa.

Iſta Zoſimus. Unde & poſtea videbimus, uti Gratianum Treviris, ſic & Valentinianum Mediolani cum Juſtina matre ſub Ambroſio Epiſcopo, per octo ferè annos ſedem Imperii fixiſſe. Ceterum, quid Valentiniani fratris elevatione ſe inſcio factâ, Gratianus ſenſerit: ſic Ammianus: *Et licet cùm hæc agerentur, Gratianum indignè laturum exiſtimarent, abſque ſui permiſſu Principem alium inſtitutum; poſtea metûs ſolicitudine diſcuſſa, vixere ſecuriùs. quòd ille, ut erat benevolus & peritus, conſanguineum pietate nimiâ dilexit & educavit*, per annos ferè octo. Socrates tamen & Sozomenus tam Valentem quàm Gratianum eam elevationem 1. ægrè tuliſſe, mox etiam approbaſſe teſtantur.

Quinam Imperatores iſtos rexerint.

Porrò ut Valentinianum nondum decennem regebant Juſtina mater, Cerealis avunculus, Merobaudes licèt Francus tamen bene fidus, & Equitius; ſic Gratianum needum ſeptendecennem moderabantur Auſonius pædagogus, Macedonius officiorum Magiſter; in bellicis verò *Nannienus virtutis ſobriæ dux* (de quo ſupra) *& Mello ſeu Mallobaudes Domeſticorum Comes Rexque Francorum, vir bellicoſus & fortis*, ut ex Ammiano intelligimus, lib. 3. cap. 27. qui anno abhinc octavo Gratianum ipſum Maximo rebelli prodidiſſe, à quibuſdam non verè exiſtimatur, ut ibi.

Anno Christi 376. Gratiani exordia, & actus.

5. Proximo igitur anno Chriſti 376. Gratianus in Galliis manens, *X. Kalendas Maias Treviris, Valente V. & Valentiniano* quintum annum agente Conſulibus, hæreticos, audaciores patris indulgentiâ factos, edicto vetat *conventus ſive in oppidis ſive in agris extra Eccleſias agere jubétque publicari* (fiſco ſcilicet addici) *loca omnia, in quibus falſo Religionis obtentu altaria locabantur*. Libro 4. de hæret. Cod. Theod. Rurſum eodem Cod. lib. 3. de Epiſcopis & Clericis ita reſcripſit: *Imperatores Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. Artemio, Euridico, Appio, Geraſimo, & ceteris Epiſcopis: Qui mos eſt cauſarum civilium, idem in negociis Eccleſiaſticis obtinendus eſt; ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus levibuſque delictis ad Religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis & à ſuæ diœceſeos Synodis audiantur. Exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariiſque Judicibus, aut illuſtribus poteſtatibus audienda conſtituit. Datum XVI. Kal. Jun. Treviris, Valente V. & Valentiniano AA. Coſs.* ſcilicet graviora & ſanguine expianda crimina Judicibus profanis relicta.

HUNNI hoc anno primùm auditi.

6. HUNNORUM hoc eodem anno primùm nomen auditum, de quibus fusè Ammianus lib. 3. init. & Jornandes de rebus Geticis cap. 24. *Hunnorum gens* (ait Ammianus) *ultra paludes Mæoticas glacialem oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit. Ubi quoniam ab ipſis naſcendi primitiis infantum ferro ſulcantur altiùs genæ, ſeneſcunt imberbes, ſpadonibus ſimiles.*

Eorum mores.

Semicrudâ cujuſvis pecoris carne veſcuntur, quam inter femora ſua & equorum terga ſubſertam, fotu calefaciunt brevi. Ædificiis nullis unquam tecti, quæ ut ſepulcra & parum tuta declinant. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus ſylveſtrium murium; quæ non antè deponunt, quàm diuturnâ carie defluxerint. Galeris incurvis capita tegunt. calcei nullis formulis aptati, vetant incedere greſſibus liberis. quâ cauſſa ad pedeſtres parum accommodati ſunt pugnas. verùm equis propè affixi, & muliebriter inſidentes (cruribus nempe non divaricatis, ſed in unum equi latus junctis) *funguntur muneribus conſuetis. In ipſis quivis perdius & pernox emit ac vendit, ſibúmque ſumit ac potum; & inclinatus cervici anguſtæ jumenti, in altum ſoporem adusque varietatem effunditur ſomniorum. Et deliberatione ſuper rebus propoſitâ ſeriis, hoc habitu omnes in commune conſultant. Nullo rege aguntur, ſed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpunt quidquid inciderit.*

Leves & repentini.

Uſque ad perniciatem ſunt leves & repentini. Nemo apud eos arat: omnes ſine ſedibus fixis, abſque lare vel lege diſpalantur. ſemper fugientium ſimiles. cum carpentis in quibus habitant; ubi conjuges tetra villis veſtimenta contexunt, coëunt cum maritis & pariunt. Nullus apud eos, unde ortus reddere poteſt; alibi conceptus, natúſque procul, & longiùs educatus. Per inducias infidi, inconſtantes, ad omnem auram incidentis ſpei novæ perquàm mobiles, totum furori incitatiſſimo tribuentes.

Nullius religionis.

Nullius Religionis vel ſuperſtitionis reverentiâ diſtricti, auri cupidine immenſâ flagrantes, iraſci faciles. Hoc indomitum hominum genus per rapinas cædeſque finitimorum adusque Alanos pervenit. tempore Ammiani ſcilicet, nec ultrà.

ALANI.

7. His vicini ALANI in immenſum extentas Scythiæ ſolitudines inhabitant, ex montium appellatione cognominati; paulatímque nationes conterminas, crebritate victoriarum attritas, ad gentilitatem ſui vocabuli traxerunt, ut Perſæ. Inter hos Neuri mediterranea incolunt loca; poſt quos Vidini ſunt, & Geloni perquàm feri (Horatio, Virgilio, priſciſque poëtis inclyti) Agathyrſi, Melanchlænæ, & Anthropophagi.

Eorum ſocii etiam Alani dicti.

Parte aliâ propè Amazonum ſedes, Alani ſunt Orienti acclives, diffuſi per populos ac gentes amplas; Aſiaticos vergentes in tractus. Ibi partiti per utramque mundi plagam Alani ſpatiis longis per pagos vagantur immenſos ut Nomades. ævi tamen progreſſu ad unum conceſſêre vocabulum, & ſummatim omnes Alani cognominantur.

Mores.

Nulla quoque ſunt iis (ut nec Hunnis) tuguria; nulla verſandi vomeris cura: ſed carne & copiâ victitant lactis; plauſtris ſuperſidentes & carpentis; quibus velut civitates impoſitas vehunt, mares cum feminis coëunt: & naſcuntur & educantur infantes. & habitacula ſunt hæc illis perpetua, & quocumque ierint genuinum exiſtimant larem. Armenta præ ſe agentes cum gregibus paſcunt: maximéque Equini pecoris eſt eis ſolicitior cura. Omnis igitur ætas & ſexus imbellis circa vehicula ipſa verſatur, muniiſque diſtringitur mollibus. Juventus verò equitandi uſu à primâ pueritiâ coaleſcens, incedere pedibus exiſtimat vile, & omnes militari diſciplinâ prudentes ſunt bellatores. Unde etiam Perſæ, qui ſunt originitùs Scythæ, pugnandi ſunt peritiſſimi.

Pulchritudo.

Proceri autem Alani pænè ſunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flavis; oculorum temperatâ torvitate terribiles, & armorum levitate veloces, Hunniſque per omnia ſuppares: verùm victu mitiores & cultu. Latrocinando & venando adusque Mæotica ſtagna & Cimmerium Boſphorum, itemque Armenias diſcurrentes & Mediam.

Crudelitas.

Illos pericula juvant & bella: ille beatus qui in prælio profuderit animam: ſeneſcentes & fortuitis mortibus mundo digreſſos, ut degeneres & ignavos conviciis atrocibus inſectantur. Nec quicquam eſt, quod elatiùs jactent, quàm homine quolibet occiſo: proque exuviis glorioſis, interfectorum avulſis capitibus detractas pelles, pro phaleris jumentis accommodant bellatoriis.

Sine Deo.

Nec templum apud eos viſitur aut delubrum; ſed gladius barbarico ritu humi figitur nudus; eúmque ut Martem, regionum quas circumeunt præſulem, verecundiùs colunt. Futura

miro præſagiunt modo. nam rectiores virgas feminæ colligentes, eaſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis præſtituto tempore diſcernentes, apertè quid portenditur norunt. Servitus quid ſit ignorabant, omnes generoſo ſemine procreati. Judicéſque etiam nunc eligunt, diuturno bellandi uſu ſpectatos.] Hæc ex Ammiano tametſi paulum breviata, fuſiùs tamen enarrare viſum, quia tam Hunnorum quàm Alanorum frequentior erit in ſequentibus, etiam in Gallicis, mentio.

Hunni Alanos victos ſibi jungunt & alios. *Idem Amm.*

8. Igitur Hunni pervaſis Alanorum regionibus, quos Gruthungis (Gothorum genti) confines Tanaitas conſuetudo nominavit, interfectíſque multis & ſpoliatis; reliquos ſibi concordandi fide pactâ junxerunt; eíſque adjunctis, confidentiùs Ermenrichi (Gothi) latè patentes & uberes pagos perruperunt. quo voluntariâ morte ſublato, Vithimeris quoque ſucceſſor ſuperatus occidit. Cujus parvi filii Viderichi curam Alatheus ſuſcepit & Saphrax: qui abjectâ repugnandi fiduciâ ad amnem Danaſtum pervenerunt, inter Iſtrum Boryſthenémque diffluentem. Hæc ita præter ſpem accidiſſe doctus Athanaricus Tervingorum (Gothorum aliorum) Judex, primo quidem ſtare tentavit, ſed mox in fugam verſus. Unde famâ ſerpente per Gothorum reliquas gentes, quod inuſitatum hominum genus ex abdito oppoſita quæque convelleret, populi pars major quæritabat domicilium ab omni barbarorum notitiâ remotum. Placuit Thraciæ receptaculum, & ceſpitis feraciſſimi, & Iſtro ab peregrino Marte divulſum. Itaque duce Alavino ripas occupavere Danubii. miſſiſque ad Valentem oratoribus, ſuſcipi ſe petebant; & quietè victuros, & auxilia ſi res flagitaſſet daturos. Admitrit Valens, adulatoribus dictitantibus tot tyrocinia nec opinanti offerri, quibus & invictus fieret exercitus; & theſaurus ingens accederet.

Athanaric⁹ Gothorum, Tervingorũ Rex eos fugiens cum ſuis.

A Valente in Thracia recipitur.

Et Fritigernus, Saphrax, & Alatheus, qui Lupicinum ſuperant.

9. Primus cum Alavino ſuſcipitur Fritigernus, quibus & alimenta pro tempore & ſubigendos agros tribuit Imperator. Tranſeunt deinde etiam inopinatò cum alumno ſuo Vitherico Saphrax & Alatheus, cum ſuis Gruthungis. Ita ingens Gothorum ingreſſa multitudo; mox etiam fame laborans; ſimul à Lupicino Maximoque Thraciarum Ducibus male tractata, & in iram verſa, rebellat, omnia vaſtat; Lupicinum prælio vincit fugatque. Amm. Idatius in faſtis *Gothos* quoque ſcribit, *Valente Auguſto quintum, & Valentiniano juniore Aug. Coss.* hoc eodem ſcilicet anno 376. *ab Hunnis victos ac pulſos, juſſu Valentis in Romaniâ ſuſceptos.* Hieronymus tamen in Chronico id anno ſequenti 377. tribuit. Ego puto rem parte utriuſque anni, finientis & inchoantis geſtam. Hieronymi verba ſunt ad annum Chriſti Dionyſianum 377. qui eſt Euſebianus in Chronico Scaligeriano 378. *Gens Hunnorum Gothos vaſtat. qui à Romanis ſine depoſitione armorum ſuſcepti, per avaritiam Maximi Ducis ad rebellandum fame coacti ſunt.* Unde initium mali.

Annus Chriſti 377.

Gratianus in Thracias auxilia cum Richomere ſubmittit.

10. Quare Ammianus libro 31. cap. 19. & ſeqq. *Valens iſtis magno mœrore acceptis, Antiochiâ protinus egreſſurus, Conſtantinopolim Profuturum præmiſit & Trajanum Rectores, ſed imbelles.* Simul à Gratiano nepote *petit Frigeridum Ducem cum Pannonicis & tranſalpinis,* ſeu Gallicis, *auxiliis, laturum ſuppetias his, qui ad ultimum vexabantur exitium. Poſt quem Richomeres Domeſticorum tunc Comes, imperatu ejuſdem Gratiani motus è Galliis, properavit ad Thracias, ductans cohortes aliquas nomine tenus; quia earum pars pleraque deſeruerat, Merobaudis (ut jactarere quidam) ſuaſu; veriti ne deſtituta auxiliis Gallia, vaſtarentur, licenter Rheno perrupto.* Celebris erat iſte Ricomeres Francus quamvis Ethnicus, *Nam ex Comite Domeſticorum, poſtea Magiſter militum adhuc ſub Gratiano factus.* Eoque cæſo in Orientem ad Theodoſium ſe contulit, ubi anno Chriſti 384. Conſul cum Clearcho factus eſt, ut ibi reddam è Libanio. Hic ergo Ricomeres, tunc adhuc Domeſticorum Comes, cum in Thracias adveniſſet; *Frigerido priore Duce articulorum dolore præpedito; vel certè, ut obtrectatores finxere malevoli, morbum cauſante, ne ferventibus præliis intereſſet, univerſos* à Gratiano jam antè ſubmiſſos, *ex communi ſententiâ regens, Profuturo ſociatur & Trajano, tendentibus prope oppidum Salices*; in Scythiâ Romanâ, à ſalictis dictum frequentibus, inter Tomos Ovidii exilio celebres, & Salmuridem ſitum, ut ex Antonini haurimus Itinerario. Secutum inde prælium, cruentum quidem; ſed utrique parti funeſtum, neutrâ victrice. *Unde repetivit Gallias Richomeres; ob majorem præliorum fremitum qui ſperabatur, inde adminicula perducturus. Has Gratiano quater, & Merobaude Coss. agebantur,* anno Chriſti 377. *in autumnum vergente.*

Utriuſque partis clades.

Gothi Hunnos Alanoſque in auxilium advocant.

11. *Gothi cùm obruerentur vigore Romanorum, adacti neceſſitate poſtremâ, Chunorum & Alanorum aliquos ad ſocietatem, ſpe prædarum ingentium, adſcivere.* Ita Romanis, ne opprimerentur, recedentibus barbari juncti, *vaſtabundi per latitudines Thraciæ pandebantur impunè; ab Iſtro ad Rhodopen, rapinis, cædibus ſanguine, incendiis & liberorum corporum corruptelis omnia fœdiſſimè permiſcentes:* miſerrimâ feminarum, virginum, & ingenuorum in ſervitutem raptorum conditione. Inde *quæritabant Frigeridum; docti quod Gratiani monitu reverſus in Thracias, prope Beream vallum metaretur.* Ille igitur ad Illyricum redibat; ſed cùm in reditu Farnobium ducentem Thaifalos vagantem licentiùs offendiſſet, eum oppreſſit occiditque: *reliquos vivos omnes circa Mutinam, Regium, & Parmam, Italica oppida, rura culturos exterminavit. Hanc Taifalorum gentem obſcena vita flagitiis ita accepimus merſam, ut apud eos copulentur maribus puberes, ætatis viriditatem in eorum pollutis uſibus conſumpturi. Porro ſi qui jam adultus aprum exceperit ſolus, vel interemerit urſum immanem, colluvione liberatur inceſti. Hæc autumno vergente in hyemem* geſta per Thracias: gentibus binis immanibus januâ in Romanum imperium patefactâ. Nunc in Gallias.

CAPUT

CAPUT II.

Lentienſes Alemannos prælio vincit Gratianus. Inde in Thracias Valenti auxiliaturus abit.

Anno Chriſti 378. 379.

Annus Chriſti 378. Gratiani de Lētienſibus inſignis victoria. *Ammianus lib. 31. c. 10.*

1. INterim rabies eadem in Lentienſes Alemannos ſerpſit. *Ex hac natione quidam, inter Principis armigeros militans, reverſus in larem; docet acceſſu Valentis patrui, Gratianum Orientem verſus mox ſigna moturum. Quibus avidè Lentienſes acceptis, ipſi quoque hac quaſi vicini cernentes, ut ſunt veloces & rapidi, Rhenum gelu pervium Februario menſe* (anni ſcilicet Chriſti 378.) *tranſeunt.* Sed à Romanis primo repulſi, ut exercitus pleramque partem in Illyricum prægreſſam, & Imperatorem mox ſecuturum viderunt, pagorum omnium incolis in unum collectis, cum 40. vel (ut alii) 70. armatorum millibus irrumpunt. *Quibus Gratianus cum formidine magnâ compertis, revocatis cohortibus quas præmiſerat in Pannonias, convocatisq́; aliis quas in Galliis retinuerat diſpoſitio prudens; Nannieno negotium dedit, virtutis ſobriæ duci: eiq́; Mellobaudem* ſeu Mallobaudem *junxit pari poteſtate collegam, domeſticorum Comitem Regemq́; Francorum, virum bellicoſum & fortem. Nannieno igitur cunctandum cenſente, Mellobaudes pugnandi cupiditate, ut conſueverat, ibat in hoſtem. Ita primùm apud Argentariam* (hodiè *Colmar* in Alſatia ſuperiore) *concurri cœptum.* Vertuntur in terga Lentienſes, itaq́ue cæduntur, *ut ex prædicto numero non pluſquam quinque millia, ut æſtimabatur, evaderent; Rege quoque eorum Priario interfecto, exitialium concitore pugnarum.*] *Gratianus* (ait hic Oroſius lib. 7. cap. 33.) *admodum juvenis, fretus Chriſti potentiâ, longe impari numero ſeſe in hoſtem dedit: & continuò apud Argentariam oppidum Galliarum, formidoloſiſſimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam pluſquam 30. millia Alamannorum, minimo Romanorum detrimento in eo prælio interfecta narrantur.* Idem habent Hieronymi & Caſſiodori Chronica, etſi quædam ad annum ſuperiorem, quædam ad hunc meliùs, ex Ammiano.

Ducibus Nannieno & Mallobaude Francorum Rege.

apud Argentariam in hodiernâ Alſatia.

Lentienſes pacem impetrant.

2. Hoc ſucceſſu Gratianus (rurſum Amm.) latenter Rheno tranſito, malefidam gentem univerſam delere ſtatuit. Quo cognito Lentienſes reliqui, cùm aliquantum in montibus reſtitiſſent, deditionem fecere, & oblatâ (ut præceptum eſt) juventute validâ noſtris tyrociniis permiſcendâ, ad genitales terras innoxii ire permiſſi ſunt. Hanc victoriam opportunam & fructuoſam ſempiterni Numinis nutu, incredibile eſt quanto cum vigore & celeritate alioṙſum properans expedivit. Præclaræ indolis adoleſcens, facundus, & moderatus, & bellicoſus, & clemens, ad æmulationem lectorum progrediens Principum; dum etiam tum lanugo genis inſerperet ſpecioſa. ni vergens in ludibrioſos actus natura, laxantibus proximis (an Auſonio & Macedonio?) ſemet ad vana ſtudia Cæſaris Commodi convertiſſet, licèt hic incruentus. Intra ſepta enim quæ appellant vivaria, ſagittis beſtias conficiens, incidentia multa parvi ducebat & ſeria: eo tempore, quo etiamſi Imperium Marcus regeret Antoninus, ægrè ſine collegis ſimilibus, & magnâ ſobrietate conſiliorum, lenire luctuoſos Reip. poterat caſus.

Gratiani laudes & virtutes.

& vitia.

3. Diſpoſitis igitur, quæ pro temporum captu per Gallias, res nationesq́ue poſcebant; Gratianus exinde digreſſus per caſtra, quibus Felicis Arboris nomen eſt (in Helvetia prope Rhenum, & lacum Podamicum) per Lauriacum, ad opitulandum oppreſſæ parti, porrectis itineribus ire tendebat. doctoq́ue litteris patruo (qui tunc Conſtantinopolim primum 3. Idus Junias, tum Melanthiada proceſſerat) quâ induſtriâ ſuperaverit Alemannos; pedeſtri itinere præmiſſis impedimentis & ſarcinis, ipſe cum expeditiore militum manu permeato Danubio delatus Bononiam, Sirmium introiit. & quatriduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis caſtra deſcendit, febribus intervallatis afflictus. In quo tractu, Alanorum impetu repentino tentatus, amiſit ſequentium paucos. Iiſdemq́ue diebus Valens, comperto Lentienſes ſuperatos, è Melanthiade ſigna commovit, æquiparare facinore quodam egregio properans adoleſcentem filium fratris, cujus virtutibus urebatur. Proinde agmine quadrato incedens, prope ſuburbanum Hadrianopoleos venit: ubi Gratianum impátienter operiens, Richomerem Comitem Domeſticorum ſuſcepit, ab eodem Imperatore præmiſſum, cum litteris ipſum quoque mox venturum indicantibus. Ac Victor quidem Magiſter Equitum, cunctator & cautus eum expectandum cenſebat: ceteri adulabili ſententiâ, nè partæ jam (ut opinabantur) victoriæ conſors fieret Gratianus, properari curſu celeri ſuadebant.

Ipſe Danubio delabitur Lauriacum,

Bononiam, Sirmium.

Valens Hadrianopolim venit. & Richomerem ſuſcepit.

4. *Ergo quinto Idus Auguſtas* (aiunt Ammianus, & Idacii Faſti, & quidem *duodecimo ab Hadrianopoli milliario*, ut hic addit) prælium committitur. quod fusè deſcribit Ammianus. ſtrictiùs autem ſic Oroſius l. 7. c. 33. *Primo ſtatim Gothorum impetu perturbata Romanorum Equitum turma, nuda peditum deſeruere præſidia. Mox legiones peditum undique equitatu hoſtium cinctæ, ac primùm nubibus ſagittarum obrutæ: deinde cùm amentes metu, ſparſim per devia cogerentur, funditus caſæ, gladiis inſequentium contisq́; perierunt. Ipſe Imperator* (Valens) *cum ſagittâ ſaucius, verſusq́; in fugam, ægrè in cujuſdam villulæ caſam deportatus lateret, ab inſequentibus hoſtibus deprehenſus, ſubjecto igne conſumptus eſt. Et quo magis teſtimonium punitionis ejus, & divinæ indignationis terribili poſteris eſſet exemplo* (erat enim Arrianus) *etiam communi caruit ſepultura.* & mox: *Gothi antea per Legatos ſupplices popoſcerant, ut illis Epiſcopi, à quibus Chriſtianæ Fidei Regulam diſcerent, mitterentur. Valens Imperator exitiabili pravitate doctores Ariani dogmatis miſit. Gothi primæ fidei rudimentum, quod accepere, tenuerunt. Itaque juſto Dei judicio ipſi eum vivum incenderunt, qui propter eum etiam mortui, vitio erroris arſuri ſunt.* Hæc verè & acutè Oroſius. Cecidiſſe eo prælio Traianum, Sebaſtianum cum 35. Tribunis, Valerianum item & Equitium illum ſtabuli hunc Palatii curatores; ac Potentium Urſicini filium juvenem: denique duas exercitus tertias, auctor eſt Ammianus: clade Cannenſi non abſimili. *Victor autem Comes* (ait enim Ammianus) *Batavos in ſubſidiis locatas haud procul, ad Imperatoris præſidium raptim cogere properans, cum invenire neminem poſſet* (jam

Prælium Valentis in Gothos exitiale, & quaſi Cannēſe. *Amm. l. 31.*

quo Valens igne conſumptus,

Gothi negligentiâ Valentis Arriani.

Richomeres & Saturninus percuſſo ſe eximunt.

ſcilicet fugerant) *gradiens retrò diſceſſit. pariq, modo Richomeres periculo ſemet exemit & Saturninus.*] Suſpicor Batavos iſtos ab Richomere è Galliis adductos. Ac *Victor* quidem *ipſe Dux equitatûs Romani* (ait Zoſimus) *cum nonnullis equitibus elapſus, cùm in Macedoniam Theſſaliamq, ſe recepiſſet; atque inde ad Myſos & Pannonios excurriſſet, Gratiano ibi locis commoranti, rem omnem nuntiavit.* Cum eò, ſi non antè, Richomeres advenerit.

Victor Dux Equitum elapſus Gratiano cladē nunciat.

5. *Gratianus non admodum mœſto animo* (ait idem Zoſimus) *patrui cadem tulit; quod ſuſpicio quadam inter eos intercederet.*] addo ego, quod Religione differrent. Nam ſtatim Epiſcopos omnes à Valente pulſos reſtitui; Manichæos, Photinianos, Eunomianos, adeoque Arrianos Eccleſiis ejici juſſit, ut fuſiùs Socrates, Theodoretus & Sozomenus narrãt. Inde ad Remp. ordinandam verſus, jam penè ſolus Imperator quando frater Valentinianus impubes adhuc eſſet; primum *de ſequentis anni Conſulibus ordinavit;* & præceptorem ſuum *Auſonium cum Olybrio* Nobiliſſimo Romano, Conſulẽ primum deſignavit. Auſonium Gratianus ad Valentem veniens, in Galliis loco ſuo reliquerat, utpotè jam antè Prætorio Præfectum à ſe creatum, ut tot ejus reſcripta probant. Unum maximè Cod. Juſt. ad Auſonium P P. Galliarum datum Treviris XV. Kal. Octobris, Valente V. (lego VI.) & Valentiniano Coſs. id eſt anno Chriſti 378. niſi ſit annus 376. Quin & ipſe Auſonius in gratiarum actione ad Gratianũ (c. 4.) ab eo ſe Præfecturam illam accepiſſe canit: *Et tui* (inquit) *tantum Præfectura beneficii, liberaliùs diviſa quam juncta* (*diviſa* nempè cum Patre ipſius Auſonii jam grandævo) *quum teneamus duo integrum* (beneficium) *neuter deſideret ſeparatum.* Et paulo infrà, cap. 12. *Agant pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum Præfecto hanc honorificentiam* (Conſulatûs) *detuliſti.* Erat Sirmii Gratianus cum de Auſonio Conſule creando cogitaret: ſic enim ibidem cap. 13. *Tu, Auguſte, diſtrictus maximo bello, aſſultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora pratexitur, comitia Conſulatus mei armatus exerces in urbe Sirmio.*] Inde igitur ad eum ſcribens, ita loquutus eſt; *Cùm de conſulibus in annum creandis ſolus mecum volutarem; ut me noſti, atque ut facere debui, ut velle te ſcivi; conſilium meum ad Deum retuli. Ejus auctoritati obſecutus, te Conſulem deſignavi, & declaravi, & priorem nuncupavi. Palmatam tibi miſi, in quâ Divus Conſtantius parens noſter intextus eſt.*] Hæc omnia Gratiani verba rectè ibi ponderat Auſonius, additque inſuper: *Interrogatus quem priorem decerneres Conſulem* (*quidam enim clariſſimum virum collegam meum, quem præſentem habebat occaſio* (erat ſcilicet Sirmii Olybrius) *libenter prælatum credidiſſent; illico ſubjeciſti: Quid de duobus Conſulibus deſignatis quæritis, quis ordo ſit nuncupationis? anne alium, quàm quem Præfectura conſtituit?*] In eâdem Gratiarum actione, ait ab Gratiano *uno pacatum anno & Danubii limitem & Rheni.* Rheni quidem victis Lentienſibus; Danubii, repreſſis tunc tranſiſtrianis. Addit, *Orientem ordinatum, à contumeliâ belli patrui vindicatum. Ipſum poſſe vocari Germanicum deditione gentilium* (credo Francorum) *Alemannicum, traductione captorum; vincendo & ignoſcendo Sarmaticum.* Laudat deinde illum à pietate, eloquentiâ &c.

Gratianus Epiſcopos à Valente, pulſos reſtituit.

Annus Chriſti 379 cujus Conſules Gratianus deſignat, Auſonium & Olybrium.

Uno anno Rheni Danubiique limitem pacat.

6. Ita anno Chriſti 379. ab U. C. Varroniano 1132. Auſonius Olybrio collegâ Conſul, Kalendis Januariis hoc carmen lætus Treviris occinuit.

Auſonii Conſulis carmen Kalendis Januariis.

Jane veni, novus Anne veni, renovate veni ſol.
Hoſtibus edomitis; quà FRANCIA mixta Suevis,
ſeu Alemannis
Certat ad obſequium, Latiis ut militet armis i. ut
Rom. Imp. militent, nedum bellum inferant.
Quà vaga Sauromates (ſeu Gothus) *ſibi junxerat agmina Chunni,*
Quâque Getes ſocius Iſtrum adſultabat Alanis.
Hoc mihi præpetibus victoriâ nuntiat alis.

7. Ejuſdem anni principio, *Gratianus, tanta gubernationi* Orientali nẽpè & Occidentali, *ſe non ſufficere cernens* (ait Zoſimus lib. 4.) *Thraciâ quidem à Barbaris occupatâ; vicinis autem Myſia Pannoniáque locis ab hærentibus ibidem Barbaris infeſtatis; Rhenanis denique nationibus urbes citra cujuſquam impedimentum adorientibus; imperii conſortem Theodoſium deligit, oriundum ex opido Hiſpanicæ Gallaciæ Caucâ,* (quod idem aſſerit Idatii Hiſpani Chronicon) *hominem bellicoſum, & imperii militaris haud ignarum.*] Idem habet Victor, *Gratianus,* ait, *cùm animadverteret Thraciam Daciámque; tanquam genitales terras poſſidentibus Gothis, Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis; extremum periculum inſtare Romano nomini; accito ab Hiſpaniâ Theodoſio, cunctis faventibus, agenti annum 30. tertium, Imperium committit.*] Factum id Sirmii, & quidem XIV Kal. Februarias teſtantur Idatii faſti, Marcellini Chronicon, & Alexandrinum, ac Socrates. Ac Theodoſius quidem paulò pòſt Gothos repreſſit, & Orientis Imperium inſtauravit; Gratianus verò ſtatim, *ad Occidentales Gallos* (ait Zoſimus) *redit, ut res eorum componeret.* Et ut Auſonius fine Actionis gratiarum, tam ſubitò; *ut ab uſque Thraciâ quàm longum eſt Illyricum, Venetiam, Liguriam, Galliam veterem* (ſeu Togatam) *inſuperabilia Rhætia, Rheni accolas, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ, celeriore tranſcurſu, quàm eſt properatio ſermonis, evolveret: nulla requie otii, ne ſomni quidem aut cibi munere liberali; ut Gallias ſuas inopinatus illuſtraret, ut Conſulem ſuum anticiparet, ut illam ipſam, quæ aures præcedere ſolet, famam faceret tardiorem. Hoc ſenectuti mea* (*ait Auſonius*) *hoc honori à te datum.* & Idyllio 8.

A quibus incipit Chronicon utriuſque Proſperi, Idatii, & Marcellini.

Theodoſiũ in Imperiũ conſortium Gratianus adſciſcit, Sirmii.

Gratianus ad Gallos ſubitò redit.

Jam venit Auguſtus, noſtros ut comat honores,
Officio exornans quos participare cupiſſet.

CAPUT III.

Theodoſius Imperat. Barbaros reprimit, ope Gratiani. qui militibus ingratus ob prælatos barbaros. Priſcilliani hæreſis.

Ab anno Chriſti 378. ad 383.

1. AD Valentis uſque mortẽ, ſuã perduxit Ammianus hiſtoriã, libris 31. quot etiã puto Tacitum integrum habuiſſe. Ea nobis multa de Belgio, multa de Francis, Belgii paulò poſt hæc invaſoribus ſuggeſſit. Tanto igitur importuniùs hìc nos deſerit;

Ammiani hiſtoria hic, anno 378. deſinit.

quanto ad ſeriam iſtam Francorum irruptionem accedimus: modusque ac tempus irruptionis ad inſtitutum maximè pertinet. Cetera nos è Zoſimo, Oroſio, Chronologis exilioribus, Proſpero utroque, Idacio, Marcellino, & ſimilibus aliis quibuſcumque ſuperſtitibus hiſtoricis, ſupplere conabimur.

Theodoſii laus.

2. Theodoſius ad Imperium adſcitus, *vir admodum religioſus fuit* (ait in Chronico ſuo Marcellinus) *Catholica Eccleſia propagator; planéque omnibus ante ſe Principibus Orientalibus præponendus, Alanos, Hunnos, Gothos, Scythas multis magnisq; præliis vicit.* Idem habet Proſper, addens Barbaros ab eo Thraciâ pulſos, nec antè decimum-octavum, aut certe octavum Kalendas Decembres ejus anni, quo primùm cum Gratiano conſulatum inierat (qui eſt Annus Chriſti 380.) Conſtantinopolim intravit; toto ferè poſt ſui inaugurationem biennio. Nam licèt priore anno Gothos Thraciis expuliſſet; quando tamen ſequentis initio Theſſalonicam venit, Conſtantinopolim inire feſtinans, in morbum gravem inciderat. Cujus occaſione, ab iſtius urbis Epiſcopo Aſcholio baptiſmum ſuſceperat.

Annus Chriſti 380.

Theodoſius æger baptizatur.

3. Quo etiam tempore Gratianus ad paternam Imperii ſortem reverſus, Alemannos Gallias de more infeſtantes, bello ſubegerat: ait Sozomenus lib. 7. c. 4. pacem cum Gothis, eò quòd Theodoſius æger eſſet, fieri curaverat teſte Proſperi Chronico. Unde Idacius anno illo 380. ſeu Gratiano quartùm & Theodoſio Conſulibus, nunciatas amborum Auguſtorum victorias notat. Quin & auxiliares Theodoſio copias Gratianum è Galliâ ſubmiſiſſe, tradit Zoſimus libro 4. *Gratianus harum rerum nuncio perturbatus, ſatis magnas copias ablegabat, Baudoni Pratori traditas; cum quo & Arbogaſtem mittebat. Erant autem ambo genere Franci, amiciſſimis in Romanos animis, ab avaritiâ prorſus immunes, in bellicis rebus prudentiâ pariter & robore præſtantes. Poſtquàm hi cum exercitu in Macedoniam Theſſaliamq; perveniſſent, Scythæ in Romano ſolo degentes, mox ab exordio cognitâ horum audaciâ & inſtituto, locis iis relictis in Thraciam recurrebant, priùs à ſe vaſtatam.* credo ad Iſtri limitem repulſi.

Baudo & Arbogaſtes auxiliares à Gratiano miſſi.

Gratianum perdidit Barbarorum amor.

4. Ita Gratianus huc uſque florebat. Verùm cùm Barbaros ipſos amare, & in contubernium ſuum advocare cœpit, Francos præſertim & Alanos; in militum ſuorum Romanorum odium incurrit. Et Francos quidem conſtat jam pridem abs Imperatoribus in palatium ac militiam adſcitos, ut præcedens demonſtrat hiſtoria. Nondum tamen ad Conſulatum paſſim evectos. Primus aut maximè, Gratianus evexit: Merobaudem militiæ ſcientiâ clarum, quarti ſui Conſulatûs collegam, anno Chriſti 377. vix expleto poſt patris exceſſum anno, aſſumpſit; eumdemque ſexto inde anno Chriſti 383. iterum Conſulem, Saturnino collegam dedit. Ne quid de Ricomere, Bautone, aliisque Francis ad eumdem gradum ita deſtinatis, dicam; ut nè poſt ejus interitum quidem eo privati ſint. Nam Ricomeres anno Chriſti 384. Bauto, anni 385. Conſules ex ejus deſignatione perſliterunt. Eoſdem ipſe adhuc vivus, ſicut & Arbogaſtem aliosque magnis copiis præfecit. prorſus ut Romanæ dignitates in Francos tranſire viderentur.

Maxime Alanorum.

5. Graviùs tamen multò Romanos irritavit, nova ac vehemens, in Alanos vixdum cognitos inclinatio. de quibus ita Zoſimus lib. 4. pag. 760. *Nam iis obtemperans, qui principum mores in aulis corrumpere ſolent, Alanos quoſdam transfugas ſuſceptos, & militum numeris adſcriptos, muneribus largis cohoneſtabat, tantique faciebat, ut eis maximi res momenti crederet, nullâ militum ſuorum habitâ ratione. Pariebat hoc illi apud milites odium. quod paulatim ſuccenſum & auctum, milites ad rerum novarum libidinem perpulit, maximè in Britanniis conſtitutos, ut ceteris contumacia & iracundia indulgentiores. Et acuebat eos Dux Maximus, Hiſpanus natione, jam ante Theodoſii principis in Britanniâ commilito. quem dignum Imperio habitum, ſe neglectum, ægerrimè ferebat.* Addit Victoris Epitome: *Dum exercitum negligit; & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, antefert veteri ac Romano militi: adeóque barbarorum comitatu, ac propè amicitiâ capitur, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra ſe militum excitavit.* Atque hæ fuerunt ab hominibus odii in Gratianum cauſæ. Vereor ut & altera longè præcipua è cœlo fuerit. quòd in ejus Palatio cuncta, profana, ſacra, venalia fuerint, Macedonii maximè Officiorum Magiſtri nequitiâ. Quod in Priſcilliani hæreſiarchæ Hiſpani causâ notat hiſtoriæ ſuæ fine Sulpitius Severus. hic propterea transſcribendus, tanto magis, quanto hujus ævi ſtatum, maximè Eccleſiaſticum, etiam in Galliis Belgioque noſtro, præ oculis ponit.

quos ſuis etiam militibus prætulit.

Eorum etiam veſtitu uſus.

In ejus Palatio omnia venalia.

Priſcillianiſtarum ſeu Gnoſticorum hæreſis.

Severus l. 2. fin.

6. *Sequuntur, ait, tempora ætatis noſtræ gravia & periculoſa, quibus non uſitato malo polluta Eccleſiæ & perturbata omnia. Namque tum primum infamis illa Gnoſticorum hæreſis intra Hiſpanias deprehenſa: ſuperſtitio exitiabilis, arcanis occultata ſecretis. Origo iſtius mali oriens ab Ægyptus. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile eſt diſſerere. Primus eam intra Hiſpanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphis ortus. Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & Rhetor Helpidius.*] Teſte Hieronymo, *Gnoſtici* hi *per Marcum Ægyptium, Galliarum primùm circa Rhodanum, deinde Hiſpaniarum nobiles feminas deceperunt; miſcentes fabulis voluptatem, imperitiæ ſuæ nomen nomine ſcientiæ vindicantes.*] Ita Hier. Pergit Severus: Ab his Priſcillianus eſt inſtitutus, familiâ nobilis, prædives opibus, acer ingenio, facundus, multâ lectione eruditus, diſſerendi ac diſputandi promptiſſimus. Felix profectò, ſi non pravo ſtudio corrupiſſet optimum ingenium: prorſus multa in eo animi & corporis bona cerneres. vigilare multum, famem & ſitim ferre poterat; habendi minimè cupidus, utendi parciſſimus. ſed idem vaniſſimus, & plus juſto inflatior profanarum rerum ſcientiâ. Quin & Magicas artes ab adoleſcentiâ eum exercuiſſe creditum eſt.

Hier. in Iſaiam c. 44.

Qualis Priſcilianus.

Multos corrumpit.

7. Is ubi doctrinam exitiabilem adgreſſus eſt, multos nobilium, pluresque populares, auctoritate perſuadendi & arte blandiendi allicuit in ſocietatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxâ fide, & ad omnia curioſo ingenio, catervatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis ſpeciem ore & habitu prætendens, honorem ſui & reverentiam cunctis injecerat. Iamque paulatim perfidiæ iſtius tabes pleraque Hiſpaniæ loca pervaſerat. Quin & nonnulli Epiſcoporum depravati, inter quos Inſtantius & Salvianus, Priſcillianum non ſolùm conſenſione, ſed ſub quadam etiam conjuratione ſuſceperant. Quo Hyginus Epiſcopus Cordubenſis (Oſii ſucceſſor, ut videtur) ex vicino agens comperto, ad Idacium emeritæ ætatis (lego Emeritæ civitatis) ſacerdotem refert. Is

Fortè Inſtantius & Salvianus Epiſcopi, ex ſubjectis Emeritenſi Metropolitano erant.

vero ſine modo, & ultrà quàm oportuit, Inſtantium ſociosque ejus laceſſens, facem quamdam naſcenti incendio ſubdidit: ut exaſperaverit malos potiùs, quàm compreſſerit.

Synodus Cæſarauguſtana.

8. Igitur poſt multa inter eos & digna memoratu certamina, apud Cæſarauguſtam Synodus congregatur, cui tùm etiam Aquitani Epiſcopi interfuere. Verùm hæretici committere ſe judicio non auſi. In abſentes tùm lata ſententia. damnatique Inſtantius & Salvianus Epiſcopi, Helpidius & Priſcillianus laici. Additum etiam, ut ſi quis damnatos in communionem recepiſſet, ſciret in ſe eamdem ſententiam promendam. Atque id Ithacio Soſſubenſi* Epiſcopo negotium datum, ut decretum Epiſcoporum in omnium notitiam deferret: maximeque Hyginum extra communionem faceret, qui cùm primus omnium inſectari palam hæreticos cœpiſſet, poſtea turpiter depravatus, in communionem eos recepiſſet.] Extat adhuc ſaltem ex parte ea Synodus Cæſarauguſtana, ſuo nitori temporique hic à Baronio reſtituta, *Quarta Nonas Octobris* habita; præſente etiam inter alios Delphino Burdigalæ in Aquitaniâ Epiſcopo. Forte habita anno Chriſti 380. quo 4. Nonas Oct. fuit Dominica.

* Oſſonuba civitas eſt in hodierno Agarbiorū regno ad mare.

Hyginus Epiſcopus.

Priſcillianus fit Epiſcopus Abilenſis.

9. Interim Inſtantius & Salvianus (rurſum verba Severi) damnati Judicio Sacerdotum, Priſcillianum etiamtum Laicum, ſed principem malorum omnium, unâ ſecum Cæſarauguſtanâ Synodo notatum, ad confirmandas vires ſuas Epiſcopum in Abilenſi oppido (hodie *Avila*, cujus & Toſtatus fuit Epiſcopus) cōſtituunt; rati nimirum, ſi hominē acrem & callidum Sacerdotali auctoritate armaſſent, tutiores fore ſeſe. Tum verò Idacius atque Ithacius acrius inſtare, arbitrantes poſſe inter initia malum comprimi. Sed parum ſanis conſiliis ſæculares Judices adeunt, ut eorum decretis atque executionibus hæretici urbibus pellerentur. Igitur poſt multa & fœda, Idacio ſupplicante, elicitur à Gratiano tum Imperatore reſcriptum, quo univerſi hæretici excedere non Eccleſiis tantum aut urbibus, ſed extra omnes terras propelli jubebantur. Quo comperto Gnoſtici (ſeu Priſcillianiſtæ) diffiſi rebus ſuis, non auſi judicio certare, ſponte ceſſere qui Epiſcopi videbantur; ceteros metus diſperſit.

Quem cum ſocus Gratianus in exilium pellit.

Priſcillianus cum ſuis Romam abiit.

10. At tum Inſtantius, Salvianus, & Priſcillianus Romam profecti, ut apud Damaſum, Urbis ea tempeſtate Epiſcopum objecta purgarent. Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit. Ubi tum ab imperitis magnificè ſuſcepti, ſparſerunt perfidiæ ſemina. maximéque Eluſanam plebem, ſanè tum bonam & Religioni ſtudentem pravis prædicationibus pervertêre. A Burdigalâ per Delphinum Epiſcopum repulſi, tum in agro Euchrociæ (quæ Helpidii Rhetoris uxor erat) aliquantiſper morati, infecere nonnullos ſuis erroribus. Inde iter cœptum ingreſſi, turpi ſanè pudibundóque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam fœminis; in quis erat Euchrocia, ac filia ejus Procula: de quâ fuit in ſermone hominum, Priſcilliani ſtupro gravidam partum ſibi graminibus abegiſſe. Hi ubi Romam pervenêre, Damaſo ſeſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem ejus admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum, æquè adverſantem ſibi Ambroſium repererunt.

Eo itinere multos corrumpit.

A Damaſo Papâ & S. Ambroſio rejectus.

11. Tum vertêre conſilia: ut quia duobus Epiſcopis, quorum eâ tempeſtate ſumma auctoritas erat, non illuſerant, largiendo & ambiendo, ab Imperatore cupita extorquerent. Ita corrupto Macedonio tum Magiſtro Officiorum, reſcriptum eliciunt; quo calcatis quæ priùs decreta erant, reſtitui Eccleſiis jubebantur. Hoc freti Inſtantius & Priſcillianus, repetivêre Hiſpanias. Nam Salvianus in Urbe obierat. Ac tum ſine ullo certamine, Eccleſias quibus præfuerant, recepêre. Verùm Ithacio ad reſiſtendum non animus, ſed facultas defuit quia hæretici corrupto Volventio Proconſule Hiſpaniæ, vires ſuas confirmaverant. Quin & Ithacius ab his, quaſi perturbator Eccleſiarum, reus poſtulatus; juſſúsque per atrocem executionem deduci, trepidus profugit ad Gallias. Ibi Gregorium Præfectum (an Prætorio Galliarum) adiit. Qui compertis quæ geſta erant, rapi ad ſe turbarum auctores jubet; ac de omnibus ad Imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet. Sed id fruſtrà fuit; quia per libidinem & potentiam paucorum, cuncta ibi venalia erant.

Macedonius in aula corrumpit pecunia.

12. Igitur hæretici ſuis actibus, grandi pecuniâ Macedonio datâ obtinent, ut Imperiali auctoritate, Præfecto Galliarum erepta cognitio, Hiſpaniarum Vicario traderetur. Nam jam Proconſulem habere deſierāt. Miſſique à Magiſtro Macedonio Officiales, qui Ithacium tum Treviris agentem, ad Hiſpanias retraherent. Quos ille callidè fruſtratur; ac poſtea per Pritannium Epiſcopum (credo Trevirenſem; quem Trevirorum Epiſcoporum Indiculi Britannium, alii Brictonium & Brictonem, alii Brotonem appellant) defenſus illuſit. Jam rumor increſſerat, Clementem MAXIMUM intra Britannias ſumpſiſſe Imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Ita tùm Ithacius ſtatuit, licèt rebus dubiis, novi Imperatoris adventum expectare. interim ſibi nihil agendum.

Rumor de Maximiano Imperium captante.

13. Ex quibus vides, quinam Gratiani animum occuparent; nempè Macedonius Officiorum Magiſter, & ſimiles. fortè & Auſonius ipſe ejus præceptor. apud quos etiam ſacra venalia erant: nulla hæreſeon pullulantium pœna, nulla cura. Ut mirum non ſit, ſi Gratianum Deus ſuæ Religionis incurium, etiam ipſe neglexerit. Cæterùm Macedonium iſtum, hominem malum fuiſſe, etiam Paulinus in Ambroſii vitâ teſtatur. cùm illum narrat Ambroſio ad ſe fortè venienti, ædium ſuarum fores occluſiſſe: unde ei dixerit Ambroſius; & tu quidem venies ad Eccleſiam; nec ingredieris, fores clauſas inveniens. quod & mortuo Gratiano factum notabimus. Idem aut ſimile quid refert Sozomenus libro 7. capite 24 finiente.

Macedonius & Auſonius poeta.

quorum ille malus.

CAPUT IV.

Maximus in Gratianum inſurgit. eum & Duces ejus interficit.

Anno Chriſti 383.

Maximus Tyrannus in Gratianum inſurgit.

1. I*ſdem temporibus* (ait Socrates, atque Sozomenus) *quibus Concilium Conſtantinopoli habitum eſt, Maximus ex partibus Britanniæ oriundus, arma contra Imperium Romanum ferre, & Gratiano in bello contra Germanos valde debilitato, inſidias tendere parat.*] Gratiano enim (ait Zoſimus l. 4.) *Alanorum amor odium pariebat apud milites omnes; tum in primis eos, qui degebant in Britannicis Inſulis; ut qui magis temeritati & iracundiæ, quàm ceteri omnes indulgerent. Et Maximus ad hoc omnes ampliùs incitabat, Hiſpanus natione, qui Theodoſii Principis in Britanniâ commilito fuerat. Is permoleſtè ferens, habitum quidem fuiſſe dignum Imperio Theodoſium, ſe verò nullam ad dignitatem perveniſſe: magis etiam milites ad Imperatoris odium irritabat. Illi facilè commoti Maximum Imperatorem appellant, purpurâ & diademate cingunt.*] Erat ille quidem (ait Oroſius l. 7. c. 34.) *vir ſtrenuus & probus, atque Auguſto dignus: niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet: in Britanniâ invitus propemodum ab exercitu creatus.*] Nec aliter Severus Dialog. lib. 2. c. 7. *Maximus vir omni vita meritò prædicandus, ſi ei vel diadema, non legitimè tumultuante milite, impoſitum repudiare, vel armis civilibus abſtinere licuiſſet. Sed magnum Imperium nec ſine periculo renui, nec ſine armis potuit teneri.*] *Quis non* (ait Pacatus in Panegyrico Theodoſii) *ad primum novi ſceleris nuntium riſit? nam res infrà dignitatem iracundia videbatur: cùm pauci homines & inſulani, totius incendium continentis adolerent, & regali habitu exulem ſuum illi exules orbis induerent. dum carnifici purpurato, Theodoſii ſe etiam affinitate & favore jactanti credunt.*] Ex quibus, ut & ex ſuprà allatâ Severi hiſtoriâ ſat apparet, Maximum Imperatorem dictum, aliquandiu in Britanniis hæſiſſe. Unde Proſper Pithœanus *Maximum Imperatorem in Britannia creatum, primò, incurſantes Pictos & Scotos maximè, ſtrenuè ſuperaſſe, & demum in Gallias transfretaſſe* ſcribit; cùm ſuperiore anno, nempe 381. in Britannia à militibus Imperatorem conſtitutum dixiſſet.

Severo tamen hiſtorico, & Oroſio laudatus.

Ad oſtia ad Rheni appellit.

A Gallicano milite benevolè exceptus.

2. *Maximus* priuſquam in Gallias trajiceret, Saxonas & Friſios haud dubiè ſibi adjunxerit, ut qui poſſent ejus trajectum impedire. Illis adjunctis, *confeſtim* (ait Zoſimus) *tranſmiſſo navibus Oceano, ad oſtia Rheni adpellit.* Ergo non Bononiam de more per fretum: niſi forte pars minor exercitus eâ venerit. *Exercitibus autem qui erant in Germaniâ* (cis Rhenum ſcilicet) *ceteriſque ſecundum hanc regionibus, ſummâ cum benevolentiâ renuntiationem ejus approbantibus; Gratianus ad conferendum cum Maximo prælium, ſe comparabat: cùm pro eo non exigua pars exercitus adhuc propugnaret.* Treviris tamen ubi reſidebat, eum primò receſſiſſe, indicat Proſper vulgaris in Chronico; cùm *Pariſiis* ſuperatum notat. Et *conflictum habitum* Pithœanus disertè ſcribit. Unde Zoſimus: *Ubi copiæ propiùs ad ſe invicem acceſſiſſent; quinque non ampliùs dies, inter ſe velitationibus utebantur. Conſpicatus autem Gratianus primò quidem Mauros Equites univerſos diſceſſionem feciſſe, ac Maximum Auguſtum conclamaſſe. deinde ceteros etiam paulatim ad Maximi partes tranſire; deſperatis rebus, ſumptiſque ſecum trecentis Equitibus, pleno curſu cum iis verſus Alpes aufugiebat.* Ita Zoſimus libro 4. Pacatus in Theodoſii Panegyrico ait, *Maximum perfidiâ Ducum, & defectione legionum contra Remp. armatum.* Proſper vulgaris etiam diſtinctiùs ſcribit, *Gratianum arte ſiu, Merobaude* (non Merobaudis, uti mox videbo) *Magiſtro, militum proditione ſuperatum fugiſſe.* Victor item, Maximum tradit *ab infeſtu Gratiano legionibus in Galliâ exceptum, Gratianum fugaſſe.* Denique Hieronymus Epiſtolâ tertiâ, *Gratianus ab exercitu ſuo proditus, & ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hoſti fuit; cruentaque manûs veſtigia parietes tui, Lugdune, teſtantur.* Eadem Ruffinus lib. 2. cap. 14.

Qui Gratiano aſſiſtit, eum ducunt.

Poſt virum Magiſtro, comma ponendum; ante militum.

3. Pariſiis enim fugiens cum trecentis illis Equitibus, Alpes & Italiam verſus, haud dubiè ad fratrem Valentinianum; inter quos ego Wallionem ſeu Ballionem, item Merobaudem ſibi ſemper fidum, & alios Duces, de quibus mox, fuiſſe puto; Lugdunum primò pervenit. Non Singidunum in Myſia; ut ſolus contra omnes malè tradit Zoſimus: qui tamen ſequentia rectè: *Hac Gratiani fugâ non neglectâ, Maximus Magiſtrum Equitum Andragatium, oriundum è Ponto Euxino, qui eſſe peramico in ipſum animo videretur, cum Equis laborum tolerantiſſimis, ad eum perſequendum mittit. Is impetu continuo Gratianum perſequens, cùm Singiduni* (Lugduni) *pontem tranſiturum apprehendiſſet, occidit.* Quo dolo apprehenderit, occideritque Socrates narrat: *In Rheda, quæ lecticæ ſpeciem præferebat, quæque à mulis geſtabatur, Andragathius Maximi Dux occultatus, præcepit, ut ſatellitibus Imperatoris* Gratiani ſugientis, *denuntiaretur, Gratiani conjugem eâ vehi, Imperatorique flumine Rhodanum, qui Lugdunum urbem Galliæ præterfluit, trajicienti obviam procedere. Imperator itaque conjugem eſſe ratus (matrimonium enim non ita pridem* cum Conſtantii filiâ *contraxerat, & ut juvenis miro conjugis amore flagrabat) præ deſiderio ejus videndæ nihil proſpiciens,* addit Sozomenus lib. 7. cap. 13. *inſidias haudquaquam evitavit; ſed in hoſtis manus, tanquam cæcus in foſſam, imprudens incidit. Nam Andragathius è rheda deſiliens, Gratianum interfecit; Merobaude & Saturnino Conſulibus.* Ita Socrates, hoc planè anno Chriſti 383. Sozomenus habet, *primùm comprehendit; nec ita multò pòſt è medio ſuſtulit.* Maximi reor animo priùs explorato.

Gratianus fugiês Lugduni cæditur.

Anno 383. Auguſti 25.

4. Annum iſtum 383. cædis, & eoſdem Conſules deſignat Marcellini Chronicon, die etiam ſignato, *8. Kal. Septembres.* eodem anno 383. refert hiſtoria Tripartita lib. 9. cap. 21. Iiſdem quoque *Conſulibus Merobaude iterum, & Saturnino.* Et ſuper omnes, ipſe Pacatus in Theodoſii Panegyrico; tunc vivens, primò cùm Merobaudem cum Gratiano cæſum, *trabeatum*, ſeu trabeâ purpuraque conſulari opertum dicit. ſecundò, cùm Maximi imperium *luſtrale juſtitium*, ſeu quinquennale, ejus ſæculi more vocat. Conſtat Maximum anno Chriſti 388. quinto Kalendas Auguſti cæſum; ut ibi videbimus: à quo anno & die ſi per annos quinque recedas, invenies Gratianum ſine Auguſti, ſeu 8. Kal. Septembres, ut Marcellinus habet, anno hoc 383. occiſum. Quod & Miſcella libro 12. finiente, Baroniuſque ſequuntur. Id inculco,

propter Proſperum vulgarem, qui cum Caſſiodori Chronico ad ſequentis anni, nempe 384. Conſules refert. Maxime verò propter Severum, qui S. Martinum poſt communionem cum Ithacianis anno Chriſti 384. initam, ſeu *poſt Evodium Conſulem*, nempe in Galliâ, cum Maximo ipſo, primis imperii ipſius Kalendis, de more creatum, ut fuſiùs ibi reddam, *annis ſexdecim ſupervixiſſe*, diſertè ſcribit.

Cum Merobaude Magiſtro militum.

5. Ceterùm, *cum Gratiano*, teſte Pacati Panegyrico, *capti caſique ſunt, Wallio triumphalis*, quem nonnulli Saturninum exiſtimant, neſcio an bene; *& Merobaudes trabeatus. Quorum alter*, Merobaudes, *poſt ampliſſimos Magiſtratus & purpuras Conſulares* (certe hoc anno 383. rectè Conſul eſt iterum) *& contractum intra unam domum quemdam honorum Senatum, vitâ ſeſe abdicare compulſus eſt.* non ergo Gratianum, propter quem occiſus eſt, prodidit; ut in Proſpero vulgari legimus. Sed neque Mellobaudes Merobaudis loco reponendus; ut Hadrianus Valeſius libro 2. Franc. opinatur. Tantum pro genitivo Merobaudis, legendus ablativus *Merobaude Magiſtro militum*, abſolutè poſito *Alteri*

Et Wallione, qui Gratiano etiam fidus.

Wallioni, pergit Pacatus, *manibus ſatellitum Britannorum gula domi fracta; & multa fœminea mortis infamia. Videlicet maluiſſe vir ferri amantiſſimus videretur laqueo perire, quàm gladio. Steterat uterque in acie Gratiani* (nota contra proditionem) *& Gratianus utrumque dilexerat.* Iſta Pacatus publicè ad Theodoſium: à proditione Merobaudis & vulgatâ lectione Proſperi diverſus. Unde Stevartius Antiquæ lectionis tomo primo, ex ejuſdem Proſperi Manuſcripto codice Auguſtano, rectè legit & diſtinguit, *Maximo ad Gallias tranſfretante, Gratianus Pariſiis, Merobaude Magiſtro militum, proditione ſuperatus fugit*; aut inter voces *Magiſtro* & *militum*, comma ponendum, ut vox *militum* cum proditione, non cum *Magiſtro* jungatur. proditionem legionibus, aut militibus quibuſvis indefinitè, non Merobaudi militum Magiſtro, adſcribens, qui Gratianum fugientem nunquam, ne in morte quidem deſeruit. Tantum ecce valet aut Grammatici caſûs unius, aut commatis mutatio.

Merobaudis Elogium.

6. Quantum ex antecedentibus diſpicio, Merobaudes ob peritiam rei militaris, toti exercitui contra Quados à Valentiniano patre Præfectus, ait Zoſimus lib. 4. eo in Pannoniâ defuncto, Valentinianum juniorem ejuſdem filium ad culmen imperiale cum Cereali, illius avunculo, Acinci provexerat, ut ex Ammiani libro 30. finiente. Illique deinceps adhærens, in Italiam Mediolanum uſque cum matre deduxerat; ubi & aliquamdiu hæſerat. In Gallias inde ad Gratianum redierat, ſeu contra Maximum res in Britannia molientem, ſeu quo alio ſimili caſu revocatus; & ut Dux expertus, rurſum exercitui Gallicano Præfectus. donec Pariſios uſque, quaſi jam conflicturus, advenit. Ibi Gratiano ut dixi fugienti, ſocium ſe dederat, in Italiam ad fratrem Valentinianum deducebat, eumdem ibi tantiſper in tuto collocaturus, mox in Gallias exercitu reparato reducturus. Dum eo propoſito Dominum ſuum comitatur, Andragathii fraude cum eo interimitur. Tantum abeſt ut prodiderit. De Balione ſeu Wallione, quod ſupra Pacatum addam, nihil habeo. Fueritne barbarus, neſcio: ita ex nomine videri poſſit: ſed ſi idem ac Saturninus fuerit, Romanus credi poteſt. Cum illis militaribus Palatinos quoque nonnullos morte affectos, non dubito. Unius ſaltem Macedonii Officiorum Magiſtri memoria eſt apud Paulinum in Ambroſii vitâ; *cùm mortuo Gratiano confugientem ad Eccleſiam* (Treviris an Mediolani?), *patentibus januis, aditum reperire non potuiſſe* ſcribit. Unde cæſum pronior eſt ſuſpicio. Auſonium verò Gratiani præceptorem in agrum patrium prope Burdegalam rediiſſe, ex ejus Idyllio 7. conſtat: anno ſaltem Chriſti 388. Maximo jam interempto, ut ex ejus de Aquileia Epigrammate colligi poteſt. Fugiſſe porrò ad Theodoſium pleroſque, innuit Ambroſius Epiſtolâ 27.

Macedonii punitio.

Alii Gratiani Duces, maximè Franci.

7. Merobaude cæſo, quid aliis Gratiani Ducibus, Francis præſertim factum ſit; paucis eruere pro hiſtoria ſequente conabor. Mellobaudes Domeſticorum Comes, ut ſuprà ex Ammiano dictum, *Rex, quoque Francorum bellicoſus & fortis*, Macriani Regis Alemannorum, in Francia peremptor, Lentienſium item cum Nannieno Duce ad Argentariam victor, denique ab anno Chriſti 354. ad hunc ipſum 383. (ut ex Ammiano haurimus), Romanorum militiæ addictus; ultrà quod ſciam, non memoratur. De Richomere, dicam anno proximè ſequenti 384. quo Conſulem reperiemus. Bauto & Arbogaſtes Comites Franci, ſuprà cap. tertio ineunte, è Zoſimi libro 4. deſcribi cœpti: Gratianus, inquit, Barbarorum Thraciam vaſtantium, *nuntio perturbatus, ſatis magnas copias Theodoſio laboranti, Baudone ſeu Bautone & Arbogaſte Ducibus ſubmiſit. Erant autem ambo natione Franci, amiciſſimis in Romanos animis; ab avaritiâ donisque capiendis prorſus immunes, in bellicis rebus prudentiâ pariter ac robore præſtantes.* quorum adventu barbari non parum retuſi. Gratiano ejusque Ducibus occiſis, aliiſque ſibi quomodocumque conſulentibus; uterque videtur è Galliis in Italiam ad Valentinianum (quod & Merobaudes intendebat) perfugiſſe; niſi fortè priùs apud eum quocumque caſu, seu Comites ac Duces agitarent. Anno 385. Conſulatum Bauto cum Arcadio Mediolani iniit, Orationem ad eum Kalendis Januariis habente S. Auguſtino, Rhetoricam ibi tum profitente; ut ipſemet tradit libro contra Petilianum tertio. Inde cunctis notus, & è Curiæ primis; Q. Symmachi literis etiam celebratus, quibus Deorum adhuc cultor agnoſcitur. Nihilominus ab S. Ambroſio Epiſtolâ 27. etiam contra Maximum Auguſtum laudatus, ut anno Chriſti proximo videbimus. Apud quem Maximus ipſe ejus auctoritatem tantam facit, ut *ſub ſpecie pueri, Regnum ſibi vindicare voluiſſe, & barbaros etiam in Gallias immiſiſſe*, conqueratur. Denique ſi Philoſtorgio libro 11. & Nicephoro lib. 13. fides eſt, tantæ potentiæ, ut Magiſter militum in occidente fuerit, & filiam Eudoxiam in matrimonio habuerit, quæ poſtmodum Olybrio Probinoque Coſs. anno Chriſti 395. Arcadio Auguſto nupſerit, eum in poteſtate habuerit, ex illo quinas proles, Flaccillam, Pulcheriam Marciani Imp. conjugem, Arcadiam, Theodoſium minorem Auguſtum, Marinam, utero fœcundiore pepererit; Francicâ barbarâque ſtirpe, cum Auguſtorum ſanguine permixtâ.

Mellobaudes Rex Francorum.

Baudo ſeu Bauto,

Conſul anno 385.

Pater Eudoxiæ Arcadio nuptæ.

8. Arbogaſtes Valentinianum Maximi furore ad Theodoſium anno 387. fugientem comitatus eſt; cum Theodoſio in Maximum movit, ipſum teſte Oroſio lib. 7. cap. 35. *maximis inſtructum*

auxiliis

auxiliis ipſe minimus cepit, & occidit. Unde in Galliam à Theodoſio victore Militiæ Magiſter immiſſus, Victorem Maximi filium Cæſarem interfecit. Valentiniano reſtituto mortem intuliſſe creditus eſt; Eugenium ad Imperium extulit, cum quo tandem & ipſe periit, ut ſequentia docebunt.

De Theodoro Manlio, Poëta Aſtronomo.

9 Ad Gratiani ſi non & Valentiniani tempora. revocanda eſt Theodori Manlii, poëtæ Aſtronomi, & poſthac anno Chriſti 399. Conſulis ordinarii, Præfectura Prætorii Gallicana. Nam de eâ ſic diſertè canit in ejus tum Conſulis Panegyri Claudianus, verſu 46 & ſeqq.

Sic cum clara diu rerum documenta dediſſes,
Non te parte ſui, ſed in omni corpore ſumpſit
Imperium, junctâque dedit tellure regendas
Rectores. Hiſpana tibi Germanáque Tethys
Paruit, & noſtro diducta Britannia mundo,
Diverſóque tuas coluerunt gurgite voces,
Lentus Arar, Rhodanúſque celer, & dives Iberus.
O quoties doluit Rhenus, quâ barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur Judice ripis!
Unum ſit cura viri quodcumque rubeſcit
Occaſu, quodcumque dies devexior ambit,
Tam celer aſſiduos explevit curſus honores.
Una poteſtatum ſpatiis interfuit ætas,
Tótque gradus fati juvenilibus intulit annis.

Scribebat iſta Claudianus anno ut dixi Chriſti 399. Manlio hoc Conſule, additque, *diu* privatam inde vitam duxiſſe, ſtudiis & libris Philoſophicis Aſtronomicisque texendis incumbentem, donec ab Honorio & Stilicone publicis curis *poſt tot annos* redderetur, Italiæ Præfecturâ donatus. In Liguria, privatum egiſſe innuit; & certè Mediolani ab ſeſe Philoſophicis incumbentem repertum teſtatur Auguſtinus ſæpiùs; ac eo præſertim quē illi tum dedicavit de vitâ beata libro; & altero item de ordine. Nec abſona eſt ſuſpicio, Poëtam Manlium Poëtæ quoque Auſonio Gratiani Magiſtro familiarem, Treviros, ad Gallicam Prætorii præfecturam advocatum: tyrannis inde Maximo & Eugenio intercurſantibus, ad diuturnam illam privatæ vitæ quietem redactum, natura præſertim ad Muſas proclivi. unde Claudianus v. 360.

Jam ſecura petit privatum gloria portum,
Ingenii redeunt fructus, aliique labores;
Et vita pars nulla perit: quodcumque recedit
Litibus, incumbit ſtudiis, animúſque viciſſim
Aut curam impendit populis, aut otia Muſis.

Quod nobis etiam hæc ſcribentibus eveniſſe valde lætamur.

CAPUT V.

An hîc Vrſulæ 11000. *Virginum Martyrium? Conſules Anni Chriſti* 384. *S. Servatii in urbem Trajectenſem migratio, & mors.*

Annis Chriſti 383. 384.

Maximus thronum Treviris figit.

1. MAximus Gratiani victor, *thronum Imperii apud Treviros ſtatuit*, ait Gildas ſapiens de Britanniæ excidio. de cæterorum ſcilicet Imperatorum more. Quod & præcedentia docent, & confirmabūt ſequētia: & quidē autumno hujus anni 383. jam labente, ut ex hiſtoriæ ſerie patet. Quo tempore *Victorem filium ſuum conſortem regni* (ſeu Cæſarem) *fecit*. ut in Proſperi Chronico Conſulari legimus. Qualis in Belgio noſtro fuerit ex hac rerum mutatione facies, tam Civilis quàm Eccleſiaſtica, Lectori meditandum relinquo. & Pacatus Theodoſii Panegyrico graphicè depingit. Quâ temporis calamitate, etiam S. Urſulæ, ſociarumque ejus Virginum 11000. martyrium contigiſſe, ego quidem in meâ de primis Tungrorum Epiſcopis Diſputatione, §. 65. Leodii anno Chriſti ineunte 1612. editâ, cum Baronio, Marco Velſero, Miræo, & aliis exiſtimavi; non paucis hujus de Maximo hiſtoriæ circumſtantiis ſat opportunis, & ipſius S. Ambroſii epiſtolâ ad Valentinianum juniorem Auguſtum viceſimâ ſeptimâ inductos; quâ Hunnos à Bautone Franco Valentiniani iſtius Comite, & quaſi Rectore ſibi tunc immiſſos, graviter & quaſi de atroce injuriâ queritur; nec Ambroſius negare audet; excuſare duntaxat & imminuere contentus.

De novo. Virginum Martyrio.

Cur ad hoc tēpus olim retulerit, auctor.

2. Nam primò Maximum in Gallias è Britannia ſolventem *tranſmiſſo navibus Oceano, ad oſtia Rheni appuliſſe*, diſertè tradit Zoſimus libro 4. paginâ Græcolatinâ 760. Francofurti anno Chriſti 1590. operâ Sylburgii curâ. Deinde nihil dubium, quin Maximus ipſe Chriſtianus ac miles ejus, ingentem mulierum ac Virginum, & ſexûs utriuſque turbam, ceu tam ſubitæ periculoſæque expeditionis impedimentum, tantiſper inibi relinquere coactus ſit. Non improbabile item, quin ea multitudo partâ jam victoriâ, ad parentes, propinquos, amicósve, per eadem Rheni oſtia, eodem quo priùs illi venerant itinere, Agrippinam Trevirόtque pertingere conata ſit; quin item circa Agrippinam ad Rheni ſuperiora Moſellamque navigans, in Hunnos iſtos, à Bautone contra Maximum jam victorem, eoque fulguris inſtar omnia pervadentem, mox etiam Italiam invaſurum, immiſſos, incurrere: & ab iiſdem tantæ hoſtium prædæ, tam imbellis & obviæ, cupiditate ardentibus, cùm ſe illis dare, Chriſtum negare, ſimul Virgines mulieréſque eorum ſe libidini proſtituere nollent, viceſimâ primâ Octobris, ab eâ inquam impurâ trucique hircorum eluvie, à tanto barbarorum hoſtilium exercitu, crudeliſſimè juxta & commodè concidi potuerint. Gaufridus certè Aſaphenſis Epiſcopus, non procul ab hac ſententia recedit. qui licèt ſit in aliis pleriſque fabuloſus, tamen ut hiſtoriæ tempus non male notat, ita & alias ejus circumſtantias veras, ex antiquis rerum Britannicarum monumentis, ſi non & ex ipſo Ambroſio, Zoſimo, ac ſimilibus Scriptoribus certis, haurire potuit. & ut ipſe non hauſiſſet, nos ſaltem veriſimiliter haurire conati ſumus; præſertim in re tantopere obſcura, antiqua, tot ſcriptorum opinionibus intricata. Maximus ipſe, cùm iſtam Hunnorum à Bautone immiſſionem, Ambroſio tam acriter exprobrat, tantopere auget; magnum aliquod, & huic noſtro non abſimile malum ſatis innuere videtur.

Ob cōmodas illius circumſtantias.

3. Tamen cùm vetuſtiorem, & tam conſtante traditione nixam Patrum noſtrorum Bebii & Crumbachi ſententiam expendo, illi contradicere non audeo; ne tantæ, tamque venerandæ antiquitatis convulſione reus videar. Maximè ſi non-

Prælata tamen traditio antiquiſſima.

nullam

nullam hic Divinæ bonitatis providentiam, agnoſcamus, quam Chriſtianorum piorum nemo facilè negaverit. ut ſupra monui, libro Operis hujus ſexto, capite octavo deſinente. In tam variis tam variorum Scriptorum ſententiis, quarum nulla difficultatem omnem evitare poteſt, ad antiquiorem me reduci facile patior, donec certius aliquid afferatur. Juvat tantùm plures, nec omnino improbabiles opiniones Lectori veritatis amanti proponere: arbitrium relinquere. Hiſtoriam ipſam hic non texo, quam noſter Crombach prorſus exhauſit. Atque hæc de prima Maximi invaſione, hoc anno 483. patrata, dicta ſufficiant.

Anno Chriſti 384. quos Conſules habuerit.

4. Annus proximè inſecutus, Chriſti vulgaris 384 non minus notanda complectitur. Nempe Conſules ſuos varios; fœlicem S. Servatii mortem; cœptam Tungrorum ruinam; primam Ambroſii ad Maximum à Valentiniano juniore Legationem; Primum item Sancti Martini Treveros ad eumdem Maximum adventum; Priſcilliani denique cauſam coram Maximo Treviris agitari cœptam. Conſules imprimis hujus anni, alii in Oriente & Italia; alii in Occidente & Galliâ extiterunt. Orientales fuere Richomer & Clearchus. ille Francus, hic ut apparet Græcus Romanúsve. De Richomere, ſeu Richimere, vel Ricimere, quædam ſuperiùs attigi. reliqua nunc exequar, ad Belgium maximè ſpectantia.

Richomer vel Ricimer Francus Conſul anno 384.

5. Fuit hic è Francis, ſecundus à Gratiano adhuc vivo, veriſimiliter deſignatus poſt Merobaudem Conſul. ſed à Theodoſio hoc anno 484. cum Clearcho Conſtantinopoli faſcibus ornatus, Gratiani creatoris ſui mortui voluntati & memoriæ iſtud indulgente. Regiæ Francorum quorumdam, neſcio an Saliorum, ſtirpis extitiſſe, innuit Ammianus libro 31. cap. 35. quando Fritigerno Duci obſidem ſpontaneum, *dignitatis eum & natalium ſuorum indicia dediſſe* ſcribit. Gratiano primùm adhæſiſſe videtur Domeſticorum Comes; mox in Thraciam ad Valentis auxilium cum copiis ab eo præmiſſus, cum Profuturo & Trajano Valentis Ducibus, *univerſos ex communi ſententiâ regens, prope oppidum* Scythiæ Romanæ *Salices, ſociatus eſt.* Inde poſt prælium primum ingens ac dubium, *Gallias repetivit; ob majorem præliorum fremitum, qui ſperabatur; inde adminicula perducturus, Gratiano quater & Merobaude primùm Conſulibus, anno 477.* in autumnum vergente. Anno proximo 378. è Galliis reverſus, cum Gratiano Valenti patruo ſuppetias ferente in Thraciam reverſus, & præmiſſus, Valenti ad Hadrianopolim junctus eſt. Ubi prælio illi interfuit, quo Valens ipſe cum exercitu victus, & incenſus eſt, quinto Idus, ſeu 9. die Auguſti, anno 378. Valenti periclitanti Victor Comes cum Batavis ſuccurrere volens, eo nuſquam invento, diſceſſit; parique modo Richomeres periculo ſemet exemit. & Saturninus. Trajanus, Sebaſtianus, Valerianus ſtabuli, Equitius Palatii curatores, Potentius Urſicini Magiſtri quondam armorum filius; cum 35. Tribunis Vacantibus & Numerorum Rectoribus, aliiſque cæſi. prælio Cannenſi haud abſimili. Et Gratianus non interfuit, quia ab æmulo patruo non expectatus. Cui paulo pòſt cum Theodoſium, Januarii die 16. anno 378 Sirmii ſubſtitueret, ei inter alios Duces, Richomerem noſtrum Comitem tradidit, deinceps ab eo retentum, probatum,

Quis ille?

Prælio, quo Valens cæſus interfuit anno 378.

Poſt quod Theodoſio novo Imperatori adhæret.

Antiochiam ad res Orientis ordinandas miſſum, regreſſumque; & tandem Conſtantinopoli Conſulem anni 484. cum Clearcho renuntiatum; Valentiniano juniore credo Gratiani fratris voluntati æquè obſequente. Reliqua Richomeris ſequens pandet hiſtoria. Id unum maxime hic moneo, Richimerem illum Gregorio Turonenſi libro. 2. cap. 9. memoratum, hunc noſtrum Richomerem mihi videri; qui ex Aſcila uxore Theodemerem ſeu Theudemerem Regem Francorum, & quidem ex ſententiâ Vendelini noſtri, Saliorum Taxandrienſium, genuerit, Romanorum gladio cum matre poſthac interfectum, ut infrà ſuo loco. Hactenus de Conſulibus hujus anni Romanis Orientalibus.

Videtur is eſſe, qui Theudemerem Regem Francorum genuit.

Conſules Occidentales anni 384. Maximus Aug. & Evodius.

6. Alii fuerunt in Galliis & Occidente. Nam Maximus jam Auguſtus, primis Imperii ſui Kalendis Januariis, anni nempe hujus 384. Conſulem ſe, Evodio collegâ dixit: de more, quo Imperatores omnes primo regni ſui Januario Conſulatum inire ſoliti. Ita Poſtumus in eâdem Galliâ fecit, ut ſuprà libro 6. cap. 10. §. 13. dictus in Nummis Conſul quartùm. Idem exiſtimo de Tetrico. Idem de Maxentio teſtatur libellus de Præfectis Urbis, à nobis cum Victorio editus, paginâ 238. De Magnentio ſimiliter, pagina 240. Præ ceteris id fusè valideque probat Sirmundus noſter, de Avito, ex Sidonii Panegyrico ei dicto; & ex altero ejuſdem in Majoriani laudem. De Conſtantino item Tyranno æquè Britannico, anno Chriſti 408. & 409. &c. Idem evincit Evodius hîc Maximi collega. Nam Severus in Vita S. Martini eum *Præfectum* Prætorio, *Conſulémque* vocat: & rurſum Dialogo tertio, cap. 15. & ſeq exinde Martinum *ſedecim annos ſupervixiſſe*, juſtiſſimâ ſupputatione dicit. Obiit Martinus anno Chriſti vulgari 400. ut ibi dicam. tolle ſedecim annos videbis reliquos eſſe, 384. finientes, aut ſaltem 385. ineuntes. Quare anno Chriſti 384. Conſul cum Maximo primùm fuit Evodius; primùm inquam, & in Galliis dumtaxat: nam ſecundum quoque Conſulatum publicè & per Imperium anno 386. iniiſſe, cum Honorio puero, pace jam cum Valentiniano & Theodoſio factâ, ibi videbo. Licèt primus Conſulatus victo Maximo ceu Tyranno, faſtis eraſus ſit; ut tunc ſolebat. Atque hi duo anni extremi 384. & 400. Sanctis Servatio & Martino lethales, ſedecim iſtos Severi annos, ita intra ſe concludunt, ut fluctuare nequeant, tam certis characteribus utrimque muniti. Neque enim Treviros Maximus, ante ſeneſcentem annum 383. advenire, ſedem ibi figere, Epiſcopos aliosque adventantes recipere, audire, nec iiſdem ſatisfacere ante labentem annum proximè ſecutum 384. potuit; neque Martinus ante annum 400. mortuus eſt, ut ibi dicam. Nec denique ſedecim iſti anni niſi intra autumnos annorum 384. & 400. expleri. Nunc ad Servatii hoſti mortem vertamur.

Ex Severo in Vita S. Martini.

Qui inde ad mortem S. Martini, 16. annos numerat.

CAPUT VI.

S. Servatii Tungrenſis Epiſcopi ſancta mors.

Eodem anno 384.

Mors S. Servatii 13. Maii anno 384.

1. HOc igitur eodem anno 384. vitâ functus invenitur S. Servatius, Tungrorum longævus Epiſcopus, die *Maii tertia decimâ, feriâ Pentecoſtes ſecundâ.* ſicut in antiquiſſimo Trajectenſis Eccleſiæ Pittacio legiſſe ſe dicit Vendelinus noſter, *Legum Salicarum cap. 7.* In Diſputatione illâ mea de primis Tungrorum Epiſcopis, ante annos 40. Leodii ubi tum in Eccleſiâ Cathedrali conciones ad populum habebam, editâ; capite quarto finiente; mortem hanc uno dumtaxat anteriùs anno, nempè 383. retulit; nempè tanto hoc charactere, in tam antiqua, tam obſcura hiſtoriâ deſtitutus; ex illius tamen ſerie uno non ampliùs anno prævertens, ut vides; licèt omnium ferè primus, vaſtum hoc Chronologiæ mare meo remigio ſulcarem. Rationem opinionis meæ ita reddebam: Quod, Servatium fine vitæ ſuæ, ad Hunnorum tum primùm auditorum vaſtationem, quam divinitus cognoverat, Imperio Romano, ſpeciatimque Galliis, amoliendam, Legationem Romanam ad Apoſtolorum limina ſuſcepiſſe, ex Gregorio Turonenſi aliiſque intelligerem. Cumque eam rabiem, à Mæoticis inde uſque profectam paludibus, non ſtatim ad Gallias gradum facere potuiſſe viderem; aliquot vitæ Servatianæ ultra primam hanc Hunnorum famam, annos ſuperaddendos cenſebam; non utique plures pauciorésve, quàm ut Hunnorum jam imminens furor, Galliam commodè concutere poſſet. Quod ego ſpatium ſeptennio non ampliùs arctiúsve tunc definiebam. Nunc octennio character definit, & ſequor. Quinto igitur ſextóve plus minùs anno ab Hunnorum Alanorumque pervulgato rumore, ſeu anno Chriſti 381. vel 382. Gratiano adhuc ſuperſtite florentéque, cùm de tantâ Imperii ſpeciatimque Galliarum ineluctabili vaſtatione Servatius divinitùs edoctus eſſet, ad iter ſe Romanum accingebat.

Quid egerit Servatius à Synodo Ariminenſi.

2. Abs anno Chriſti 359. ſeu à fine Concilii Ariminenſis, Servatius, cùm ſe Valentis Arrianorumque fraude deceptum videret, idem iniit per annos totos 24. vitæ genus, quod à Sancto Martino circa hos dies initum (poſtquàm cum Ithacianis ſub hoc Maximo, Auguſtæ Trevirorum communionem, de quâ mox iniiſſet) Severus in Dialogis ſuis notat; nempe *ſedecim illum annis inde ſuperſtitem, nullam Synodum adiiſſe*, ab omnibus Epiſcoporum conventibus ſe removiſſe; ut imminutam propterea Dei gratiam aliquâ mercede repararet. In eâdem animi collectione Servatius, cùm perſiſteret, de inſtante Hunnorum excidio divinitus edoctus eſt; eoque ad lumina Apoſtolorum ſeu ſponte, ſeu aliorum, ut volunt hortatu, ſe accinxit. Gregorii Turonenſis iſtud narrantis verba Lectori hic proponere conſilium eſt; ex libro hiſt. Franc. 2. cap. 5.

Divinitus prævidet Galliarum ab Hunnis ruinam.

Ex Gregorio Tur. l. 2. c. 5.

3. Igitur *rumor erat Chunos in Gallias velle prorumpere. Erat autem tunc temporis apud Tungros oppidum Servatius eximiæ ſanctitatis Epiſcopus, qui vigiliis ac jejuniis vacans, crebro lacrymarum imbre perfuſus, Domini miſericordiam precabatur, ne unquam gentem hanc incredulam, ſibique ſemper indignam, in Gallias pervenire permitteret. Sed ſentiens per Spiritum, pro delictis populi, ſibi hoc non fuiſſe conceſſum, conſilium cepit, ut expeteret urbem Romanam; ſcilicet ut adjunctis Apoſtolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter ad Dei miſericordiam flagitabat, mereretur faciliùs obtinere. Accedens ergo ad Beati Apoſtoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis ejus, in multâ abſtinentiâ, maximâ inediâ ſe conſumens, ita ut biduo triduóque ſine ullo cibo potúque maneret, nec eſſet intervallum aliquod, in quo ab oratione ceſſaret. Cúmque ibidem multorum dierum ſpatio in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apoſtolo accepiſſe reſponſum: Quid me, vir ſanctiſſime, inquietas? Ecce enim apud Dominum deliberationem prorſus ſancitum eſt, Chunos in Gallias advenire, eaſque maximâ tempeſtate debere depopulari. Nunc igitur ſume conſilium; accelera velociter, ordina domum tuam, ſepulturam compone, require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi ſunt Chuni in Galliis, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter. Hoc à ſancto Apoſtolo Pontifex reſponſo ſuſcepto, iter accelerat, Galliáſque velociter repetit, veniénſque ad urbem Tungrorum, quæ erant neceſſaria ſepulturæ, ſecum citiùs levat, valéque dicens Clericis ac reliquis civibus urbis denunciat, cùm fletu & lamentatione, quia non viſuri eſſent ultrà faciem illius. At illi cum ejulatu magno & lacrymis eum proſequentes, ſupplicabant humili prece dicentes: Ne derelinquas nos, Pater ſancte, ne obliviſcaris noſtri, Paſtor bone. Sed cùm eum fletibus revocare non poſſent, acceptâ benedictione cum oſculis, redierunt. Hic verò ad Trajectenſem urbem accedens, modicâ pulſatus febre, receſſit à corpore: ablutúſque à fidelibus, juxta ipſum aggerem publicum * eſt ſepultus. Cujus beatum corpus qualiter poſt multorum temporum ſpatia ſit tranſlatum, in libro Miraculorum ſcripſimus.* nempè capite 72. quæ tu ibi lege.

* *id eſt*, viam publicam & militarem.

Quamdiu præfuerit Servatius?

4. Placentius Leodienſium hiſtoricus, & alii, non minùs 176. annos Tungris præfuiſſe Servatium, vixiſſe 373. auctores ſunt, neſcio unde. Ex ſimilibus tamen opinionibus licet Servatianæ Sedis vitæque longævitatem conjicere. Et ego in meâ de primis Tungrorum Epiſcopis Diſputatione cap. 4 n. 45. ita colligebam: In Concilio Arelatenſi primo, quod anno Chriſti 314. habitum ſuprà lib. 8 cap. 9 dixi, ſubſcripſiſſe reperiuntur Agricius Trevirenſis, & Maternus Agrippinenſis: utique ſecundus, Epiſcopi. Si Trevirenſis Agrippinenſiſque Diœceſes hactenus conjunctæ, proprium eo Concilio habuerint Epiſcopum, quidni & ſuum Tungrenſi æquè junctæ, circa eoſdem annos aſſignatum colligamus? Certè Placentius, neſcio an hunc, ad hunc ferè annum, quem vocat ille trecenteſimum quintumdecimum, non ineptè revocat. Cúmque jam illum anno Chriſti 384. ad cœlites abiiſſe viderimus, annos non minùs 70. præfuiſſe conſequitur. Quod ſanè longum intervallum, vulgatæ opinioni cauſam de 373. vitæ, de 176. Sedis annis, facilè præbuerit. More rudibus familiari, qui res ſui inſolentiâ novitateque miras, longe ſupra verum extollunt; quæ deinde ad poſteros falsâ veritatis opinione manantes, fidem apud credulos paulatim obtinent; & in Annales denique, tanquam antiquitatis auctoritate ſubnixæ transfunduntur.

5. Serva

Quid poſt Servatii mortem. ex Hier. ad Heliod. ep. 3.

5. Servatio ad cœlites tranſlato, quæ Tungrorũ ſtatim fuerit fortuna, Scriptorum defectu obſcurum eſt. Tantùm Hyeronymus, tertia ad Heliodorum Epiſtola, in genere monet; *Viginti & amplius annos eſſe* (à prima ſcilicet Hunnorum in Romanum Imperium irruptione) *quòd inter Conſtantinopolim & Alpes Julias, quotidie Romanus ſanguis effundatur.* &c. *Alanos, Hunnos, Wandalos, Marcomannos, cuncta vaſtare, trahere, rapere. quot inquit matronæ, quot Virgines Dei, & ingenua nobiliáque corpora his belluis fuere ludibrio? Capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, & diverſorum officia Clericorum, ſubverſæ Eccleſiæ; ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ. Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago; Romanus orbis ruit.* &c. Tungris noſtris à tranſitu Servatii ſimile quid obtingere potuerit. ab Hunnis iſtis maximè, quos *appropinquantes Gallia*, ait Ambroſius Ep. 27. *in Maximum* Gratiani parricidam *Bauto Valentiniani Comes immiſit: dum Maximus ipſe Romanum militem occupat; dum is miles adverſum ſe utrinque prætendit*; & barbaros iſtos in Germaniam Inferiorem, adeoque Tungros ipſos, perrupto Rheni interim neglecti limite *vaſtare, trahere, rapere* ſinit. Ac licet iſta ſolâ vaſtatione, vaticinii Servationi veritas minimè espleta ſit, ut quæ ad generalem Galliæ ruinam, & ultimum Tungrorum interitum, nonniſi poſt Vandalorum perſecutionem exhauſtum, referatur; quin aperiri ſaltem cœperit; & tam accelerato Servatii ipſius ex Urbe reditui, iam cito ad ſepulturæ ſuæ neceſſaria apparatui reſpunderit, nemo negare poteſt.

Bauto Hunnos in Maximum immittit.

S. Servatii ſucceſſores.

6. Porro Servatii ſucceſſores immediati Epiſcopi, numero facile ad S. Hubertum uſque viceni, Tuogrorum urbe valde afflictâ, Moſæ trajectum ſe tranſtulêre, ibique ſupra trecentos annos reſedêre: ita tamen ut Tungrenſis Epiſcopi nomen titulumque numquam reliquerint. Imò Leodium tranſgreſſi ſecum adhuc extulerint. Sunt qui reſidentiam iſtam Trajectenſem, ſedis Tungrenſis tranſlationem interpretentur & probare conentur. Eam ego de nomine magis quàm de re quæſtionem haud in magno pono diſcrimine; à noſtris Henſchenio & Fullonio, in utramque partem ſatis agitatam Quæri tamen de Trajectenſibus poſſet, cur Trajectenſes Epiſcopi, Leodium migrantes: ſi æquè Trajecti tunc, ac Tungrorum olim, Epiſcopi Tungris Trajectum abeuntes extiterint, ut volunt; cur, inquam, Trajectenſium nomen titulumque à tantò majore, tantò recentiùs relictâ civitate non aſſumpſerint; ſed Tungrenſes ſe, à tam afflicto pœneque extincto urbis cadavere vocare perrexerint; ipſi licèt Trajectum & Epiſcopali dignitate, & natali ſubinde ſolo gloriari ſoliti? an primâ migratio, nominis Tungrenſis jus illis dare potuit retinendi; ſecunda è tanto integriore, tanto potiore, tanto recentiore Urbe, Trajectenſis æquè continuandi non dederit? Ab eorum beneplacito nempe res pendebat. Tungrenſis uſurpatum utrobique titulum Trajectenſi ſemper prætulerunt; tanquam hæreditatem cum nomine retinerent; donec eam Leodienſi civitati ſoli, nulli alteri, ceu teſtamento integram, & ex ſolido aſſe relinquerent; ipſo Pontifice Romano probante, uſucapione perſiſtente. Diœceſis amplitudinem ante novos Belgii Epiſcopatus, octo commendabant Archidiaconatus; Civitatenſis, Kempiniæ, Hasbaniæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Condruſii, Famennæ, & Ardennæ: ſinguli ſingulis, iiſque non parvis Epiſcopatibus æquales. Eo tanto terrarum tractu contentos ſub Romanis populos, ſupra libro primo, capite ſecundo recenſui.

An veri Trajectẽſes Epiſcopi?

Diœceſis Tungrenſis [illegible] amplitudo.

7. Supervixit S. Athanaſio Alexandrino Servatius annos undecim; Hilario Pictavienſi annos omnino 18. Deceſſit ante Ambroſium Mediolanenſem annis tredecim, ante Martinum Turonenſem paulo amplius ſedecim. ante quàm S. Hubertus, Leodium Trajecto ſedem transferret, annis omnino trecentis 25. antequam S. Domitianus, è ſucceſſoribus celebrior unus, Synodo Arvernenſi ſubſcriberet, annis plane 151. ad quem annum à morte Servatii, interfluxiſſe reperiuntur Epiſcopi Tungrenſes, 9. aut decem; Candidus primus, quem volunt aliunde ad honorandas Servatii exuvias adventantem, cùm ſedem vacantem reperiſſet, Trajecti tantiſper manſiſſe, ſimul Epiſcopale munus & diem extremum obiiſſe. Colitur 7. Junii. Eum exceperunt plures alii legitimè quidem electi, ſed quia carent vate ſacro, ſolo fere nomine cogniti. Agricolaus, Urſicinus, Deſignatus, Reſignatus, Sulpitius, Quirillus, Eucherius, Falco; omnes ſanctitate illuſtres. Falco hic etiam ſeu Fulco, habitâ de Diœceſeos finibus ſpeciatimque de Moſomago, cum Sancto Remigio controverſiâ ceteris notior, cùm ſui Epiſcopatûs initio, illud ſibi adſciſceret, aut finium ſuorum nondum ſatis guarus, aut tractûs illius tum incultioris Chriſto adjungendi cupidior; ut in tempore reddam. Ioſecuti deinceps Eucharius & Domitianus; de quo ad annum illum 535. & Synodum Arvernenſem; annis poſt S. Remigii ſacram mortem fere duobus celebratam. Nunc ad Maximum Trevirenſem Auguſtum, regrediamur.

Servatius pluribus ſanctis Epiſcopis coævus.

Candidus Servatii ſucceſſor, & alii.

Falco, ſeu Fulco.

S. Domitianus.

CAPUT VII.

S. Ambroſii bina ad Maximum Imperatorem Treviros Legatio. Eódem S. Martini adventus, & geſta. Priſcilliani reliqua.

Ab anno Chriſti 384. ad 387.

1. SImul ac quietem aliquam Maximus Treviros ingreſſus nanciſci potuit, legatos & ad Theodoſium Conſtantinopolim, & ad juniorem Valentinianum Gratiani perempti fratrem, Mediolanum miſit. ad illum quidem, *virum ætate gravem* (ait Zoſimus libro 4.) ad hunc, Victorem Comitem, ut jam ex Ambroſio videbimus. Legationis poſtulatum erat fœdus & concordia; ut idem Zoſimus, de Theodoſio ſaltem, fuſiùs narrat. Similiter Valentinianus junior, veritus Maximi tam repentinũ incurſum, nè ab eo ſcilicet ipſe imparatus æquè ac frater opprimeretur, Sanctum Ambroſium Mediolanenſem ſuum Epiſcopum; ad eum ultrò miſit, nihil adhuc de Maximi mente ſciens. Ergo Victor Comes & Ambroſius Moguntiaci ſibi invicem occurrerunt. Sic enim hic Ep. 27.

Maximi ad Theodoſiũ & Valentinianum Legatio.

Ambroſii item ad Maximum, à Valentiniano prima.

Ambroſius,

Ambroſius. *Intra Gallias, ait, juxta urbem Moguntiacum Comes Victor occurrit mihi, quem direxiſti* (Maximum alloquitur ſcilicet) *ut pacem rogaret. Valentinianus ergo prius pacem à te rogatus eſt, quàm poſtularet.*] Treviros ingreſſus Ambroſius nonniſi in Conſiſtorio Maximo loqui potuit. quod tametſi Epiſcopali auctoritate & Legatione Imperiali cenſeret indignum, diſſimulavit tamen, *quia tunc ut Inferiori pacem petebat.* ut ibidem ipſe refert. *Ubi primùm veni, dixit Maximus, quod Valentinianus ad ſe, quaſi filius ad patrem venire deberet. Reſpondit Ambroſius, non eſſe æquum, ut aſpero hyemis tempore* (nota hyemem, anni 383. finientis, & ineuntis 384.) *puer cum matre vidua penetraret Alpes. Sine matre autem, tanto itineri dubiis rebus committeretur. De pace ſibi legationem commiſſam, non de adventu ejus promiſſionem: ſpondere verò ſe non poſſe, quod mandatum non erat: Expectemus,* reddit Maximus, *quid Victor reſponſi referat.* Ac *Victor* quidem, *Ambroſio* Treviris adhuc *retento, pervenit Mediolanum, retulitque præſens, cùm rediit, negatum ſibi quod poſtulabat* nempè ut Valentinianus in Gallias veniret. *de pace tantùm conſpirare ſtudia, non de adventu Imperatoris, quem moveri non oporteret.* Ita Ambroſius re infectâ dimiſſus. Cùm redit, *Legati iterum miſſi ad Gallias* (Mediolano ſcilicet) *qui ejus* (Valentiniani) *adventum negarent, apud Valentiam Gallorum, Ambroſium redeuntem repererunt. ſimul utrinſque partis milites, qui cuſtodirent juga montium, revertens ille offendit.* pace ſcilicet nondum pactâ.

Utrimque pro pace.

2. Eotempore *Bauto Comes, Tranſrhenanus genere,* ut loquitur Ambroſius Epiſtola 27. Valentinianum juniorem Gratiani fratrem, Mediolani ejuſque matrem Juſtinam regere videbatur. Ab illo Barbaros ſibi immiſſos Maximus eâdem Epiſtolâ queritur. ſimul in ultionem ait, non deeſſe ſibi ſimiles *quos* in illum æquè *poſſet adducere; cùm tot ei barbarorum millia militarent, & annonas à ſe acciperent.* Illos autem qui contra Maximum Gallias immiſſi eſſent, quique ſi non ingreſſi ſunt, ſaltem *appropinquaverunt,* Tungroſque & Belgium affligendi occaſionem aliis obtulerunt, Hunnos atque Alanos fuiſſe, eadem Ep. 27. diſertè memorat Ambroſius. Maximū verò curaſſe incurſari Rhætias Mediolano finitimas, & quidē per vicinos iis Juthungos forte & Leutienſes, ibidem dicitur. Ita mutuo metu pax coaluit. Quoque citius firmiusque coaleſceret, Bauto ſe non contra Maximum, ſed contra Juthungos Hunnum acciviſſe ſimulavit jactavitque. Hinc poſtea Ambroſius generosè ad Maximum: *Quos immiſit Barbaros Bauto Comes? Et quid mirum ſi hoc Bauto feciſſet, Tranſrhenanus genere? cum tu* (Romanus) *minitereris Imperio Romano Barbarorum auxilia & turmas tranſlimitaneas, quibus commeatus provincialium tributa ſolvebant. Vide autem quid interſit inter tuas minitationes, & Valentiniani Auguſti pueri manſuetudinem. Tu flagitabas, quod Barbarorum ſtipatus agminibus, Italiæ te infunderes: Valentinianus Hunnos atque Alanos appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet invidiæ, ſi Bauto Barbaros cum Barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is adverſum ſe utrimque prætendit, in medio Romani imperii ſinu Juthungi populabantur Rhætias. Et ideo adverſus Juthungum Hunnus accitus eſt. Idem tamen* (Hunnus ſcilicet) *quia de finitimo proterebat Alemanniam* (Juthungi ſunt Alemanni) *& jam vicinia mali urgebat Gallias, coactus eſt triumphos ſuos deſerere, ne tu timeres. Confer utriuſque factum: Tu feciſti incurſari Rhætias; Valentinianus ſuo tibi auro pacem redemit.* (dato ſcilicet Hunnis ut redirent.) *Aſpice illum, quoque, qui tibi ad dexteram aſſiſtit* (fratrem ſcilicet tuum) *quem Valentinianus, cum poſſet ſuum dolorem ulciſci, honoratum ad te redire fecit. Tenebat eum in ſuis terris, atque in ipſo nuncio necis fraternæ: frænavit impetus. nec tibi vicem etſi non paris dignitatis, ejuſdem tamen neceſſitudinis retulit. Ille tibi fratrem tuum viventem remiſit.* Et mox: *Audio te queri, quod ſe ad Theodoſium Imperatorem potius contulerint,* qui ſunt cum Valentiniano Imperatore *Quid igitur futurum ſperabas, cum tu refugientes eos ad pœnam poſceres, captos necares; Theodoſius autem muneribus ditaret, donaret honoribus?* Iſta omnia Ambroſius de iis quæ Gratiani necem proximè exceperunt. quæ Lectori meditandi occaſionem dare poſſunt. Ceterùm ut dixi, pax inter eos mutuo metu fluctuque convenit: prima occaſione diſrumpenda. fuit hæc prima Ambroſii legatio, erit & ſecunda.

Bauto Valentiniani Comes Hunnos Alanóſque Maximo immittit.

Ambroſii cum Maximo diſceptatio.

Hic viciſſim Juthungos Valentiniano.

Cur ad Theodoſiū tot a Gratiano cæſi ſe contulerint.

3. Interim nota, ſicut apud Gratianum ita & apud Valentinianum Francos gratiſſimos plurimum potuiſſe. Nam ut hic Maximus Bautonem iſtum omnia apud illum tunc potuiſſe ſignificat, quando etiam Hunnos in Gallias immittere, moxque in Juthungos auro reflectere potuit; adeo ut Maximus *eum ſibi regnum ſub ſpecie pueri vindicare voluiſſe* etiam Ambroſio exprobrarit: ita ſequenti anno 385. ille ipſe Bauto Conſulatum cum Arcadio Auguſto inivit, cui & Mediolani Kalendis ipſis Januariis Panegyricum recitaſſe ſe teſtatur Auguſtinus contra Petil. lib. 3. cap. 25. Hoc autem anno 384. eumdem Conſulatus apicem Francus alter Ricimer ſeu Richomer, collegâ Clearcho, non minus aſſecutus eſt; velut is tantus honos ſolis in Occidente Francis deberetur. Quis autem Ricimer iſte ſeu Richomer & Richomeres extiterit, & ſuprà videre cœpimus, & magis infrà videbimus. Nunc S. Martini etiam Treviros adventus inſerendus.

Bauto & Franci apud Valentinianum omnia poſſunt.

4. Suprà capite tertio finiente, Ithacium Priſcilliani accuſatorem Treviris adhuc agentem, & Maximum ibidem præſtolantem reliquimus. Quid ibi cum Maximo egerit, ſic Severus lib. 2. hiſt. finiente: Ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingreſſus eſt; ingerit Ithacius preces, plenas in Priſcillianum ac ſocios ejus invidiæ atque criminum. Quibus permotus Imperator datis ad Præfectum Galliarum (Evodium ut apparet) atque ad vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino quos labes illa involverat; deduci ad Synodum Burdegalenſem jubet. Ita deducti Inſtantius & Priſcillianus. quorum Inſtantius juſſus prior cauſam dicere, poſtquam ſe parum expurgabat, indignus eſſe Epiſcopatu pronuntiatus eſt. Priſcillianus verò ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem provocavit. permiſſumque id noſtrorum inconſtantiâ: quia aut ſententiam in refragantem ferre debuerant, aut ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare; non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Ita omnes quos cauſa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accuſatores Idacius & Ithacius Epiſcopi. quorum ſtudium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, ſi non ſtudio vincendi pluſquam oportuit certaſſent Ac mea quidem

Ithacius apud Maximum cōtra Priſcillianū agit

ſententia eſt, mihi tam reos quàm accuſatores diſplicere. Certè Ithacium nihil penſi nihil ſancti habuiſſe definio. Fuit enim audax, loquax, impudens, ſumptuoſus, ventri & gulæ plurimum impertiens.

Ithacii ſtultitia.

5. Hic ſtultitiæ eò uſque proceſſerat, ut omnes etiam ſanctos viros, quibus aut ſtudium inerat lectionis, aut propoſitum erat certare jejuniis, tanquam Priſcilliani ſocios aut diſcipulos in crimen arceſſeret. Auſus etiam miſer eſt, eâ tempeſtate Martino Epiſcopo, viro plane Apoſtolis conferendo, palam objectare hæreſis infamiam. Namque tum Martinus apud Treveros conſtitutus (ut infrà ſuius) non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret: Maximum orare, ut ſanguine infelicium abſtineret. ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati Eccleſiis pellerentur: novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſaculi judicaret. Denique quoaduſque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio eſt. Et mox diſceſſurus egregiâ auctoritate à Maximo elicuit ſponſionem, nihil cruentum in eos conſtituendum.

S. Martinus Treviros venit ad Maximum.

Priſcillianû Maximus damnat.

6. Sed poſtea Imperator per Magnum & Rufum Epiſcopos depravatus, & à mitioribus conſiliis deflexus, cauſam Præfecto Evodio commiſit, viro acri & ſevero. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obſcænis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum; nocentem pronuntiavit, redegitque in cuſtodiam, donec ad Principem referret. Geſtis ad palatium delatis, cenſuit Imperator Priſcillianum ſociosque ejus capitis damnari oportere. Ceterùm Ithacius videns quàm invidioſum ſibi apud Epiſcopos foret, ſi accuſato etiam poſtremis rerum capitalium judiciis adſtitiſſet (etenim iterari judicium neceſſe erat) ſubtrahit ſe cognitioni; fruſtra: calido jam ſcelere perfecto. At tum per Maximum accuſator apponitur Patricius quidam, fiſci patronus. Ita eo inſiſtente Priſcillianus capitis damnatus eſt. unaque cum eo Feliciſſimus & Armenius, qui nuper à Catholicis, Clerici Priſcillianum ſecuti, deſciverant. Latronianus quoque & Euchrocia gladio perempti. Latronianum ſeu Matronianum Hieronymus ait virum fuiſſe eruditum, & Poëtam. Euchrociæ & Pricillianiſtarum mortes, etiam Latinus Pacatus memorat. De virorum moribus loquor? quum recordor ad ſanguinem fœminarum, & in ſexum cui bella parcunt, non parcè ſævitum. Ad pœnam clari vatis matrona rapta. obiiciebatur enim mulieri viduæ (nota) nimia Religio, & diligentiùs culta divinitas. Euchrociam intelligit, Delphidii uxorem. Unde Delphidium Euchrociæ maritum clarum vatem Auſonius alloquens, de profeſſor. Burdegal. carm. 6. canit.

& capite plecti curat cum aliis.

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævi raptus es:
Errore quod non deviantis filiæ
Pœnâque læſus conjugis.

Scilicet jam ante hoc ſupplicium Delphidius obierat.

6. Inſtantius, quem ſuperiùs ab Epiſcopis damnatum diximus (pergit Severus) in Sylinam Inſulam, quæ ultra Britanniam ſita eſt, deportatus. Itum deinde in reliquos ſequentibus judiciis.

Inſtantius relegatus, & alii.

damnatique Aſarinus & Aurelius Diaconus gladio. Tiberianus ademptis bonis in inſulam Sylinam datus. Tertullus, Potamius, & Joannes, tamquam viliores perſonæ & digni miſericordiâ, quia ante quæſtionem ſe ac ſocios prodidiſſent, temporario exilio intra Gallias relegati. Hoc fere modo homines luce indigniſſimi, peſſimo exemplo necati, aut exiliis multati. quod initio jure judiciorum & vi regiâ publicè defenſum, poſtea Ithacius injuriis objectus, ad poſtremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & conſiliis effecerat. Solus tamen omnium Epiſcopatu detruſus Nardacius, licèt minus nocens, ſponte ſe Epiſcopatu abdicaverat. Sapienter id & verecundè: niſi poſtea amiſſum locum repetere tentaſſet.

Priſcillianus à ſuis ut martyr colitur.

7. Ceterùm Priſcilliano occiſo, non ſolum non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore proruperat; ſed confirmata latiùs propagata eſt. Namque ſectatores ejus, qui eum priùs ut ſanctum honoraverant, poſtea ut martyrem colere cœperunt. Quin & jurare per Priſcillianum ſumma Religio putabatur: ac inter noſtros perpetuum diſcordiarum bellum exarſerat, quod jam per quindecim annos perpetuis diſſentionibus agitatum, nullo modo ſopiri poterat.] Scribebat iſta Severus *Stilicone Conſule* (ut lib. 2. poſt initium ipſe notat) ſeu anno Chriſti vulgari 400. ineunte: de quo ſi demas 15. ad 384. finientem, aut ineuntem 385. revolvêris. Quod etiam ratione fulcitur. Nam cùm Ithacius accuſator, Maximi Treviros adventum, diutiùs præſtolatus ſit; nihil dubium, quin quàm primùm licuerit, accuſationem inſtaurarit, nempè fine anni 383. quo Maximum Treviros iniiſſe diximus. Jam rei ex Hiſpaniâ advocati, & ad Synodum Burdegalenſem tum quoque congregatam deducti, Treveros reducti, pluribusque judiciis damnati, facilè unum annum abſumpſerint. Ergo fine anni 384. Priſcillianus cæſus. à quo fine ad initium Conſulatus primi Stiliconis rectè 15. anni interfluunt. Scio Proſperi Chronicon conſulare necem Priſcilliani ad Coſs. anni 385. referre: Sed lector advertat eum, Maximi ad Imperium acceſſum uno ſeriùs anno quàm nos & ceteri ponere. unde ſequitur eum necem Priſcilliani proximo à Maximi adventu anno collocare. quod & nos facimus: ei proinde ex hac parte concordes. Ceterùm hæc judicia & cædes tangit etiam, & improbat Pacatus in Panegyrico Theodoſii.

Scripſit hiſtoriam ſuâ Severus initio Conſulatus primi Stiliconis, ſeu initio anni 400.

Severi concluſio.

8. Et nunc (concludit Severus) cùm maximè diſcordiis Epiſcoporum turbari aut miſceri omnia cernerentur; cunctaque per eos odio aut gratiâ, metu, inconſtantiâ, invidiâ factione, libidine, avaritiâ, arrogantiâ, ſomno, deſidiâ eſſent depravata; poſtremò plures adverſum paucos bene conſulentes, inſanis conſiliis & pertinacibus ſtudiis certabant. Inter hæc plebs Dei & optimus quiſque probro atque ludibrio habebatur.] Ita Sulpitius ſacram ſuam hiſtoriam finiens; & Epiſcoporum temporis illius vitia, hodiernis non minora deflens. Et quia Martinum tunc Treviris fuiſſe, Ithaciumque corripuiſſe monet, jam ad eum vertamur.

CAPUT VIII.

S. Martini Treviros adventus; ibique geſta.

Eodem Anno 384.

Martinus ante Maximum interritus.

1. CUm ad Imperatorem Maximum (ait in Martini vita Severus cap. 23.) ferocis ingenii virum, & bellorum civilium victoriâ elatum, plures ex diverſis partibus Epiſcopi conveniſſent; & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur; ſeque degeneri inconſtantiâ regiæ clientelæ Sacerdotalis dignitas ſubdidiſſet: in ſolo Martino (qui quoque ad novum Imperatorem quædam petiturus advenerat) Apoſtolica auctoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandum Regi fuit; imperavit potiùs quàm rogavit. Et à convivio ejus frequenter rogatus abſtinuit: dicens ſe menſæ ejus participem eſſe non poſſe; qui duos Imperatores, unum regno (fratris ſcilicet tunc cæſi) alterum vitâ expuliſſet. Poſtremò cùm Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe Imperium affirmaret, ſed impoſitam ſibi à militibus divino nutu regni neceſſitatem armis defendiſſe: etiam non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuiſſet, nullumque ex adverſariis niſi in acie occubuiſſe: tandem victus vel ratione vel precibus, ad convivium venit. mirum in modum gaudente Rege, quod id impetraſſet. Convivæ autem aderant veluti ad diem feſtum evocati ſummi atque illuſtres viri; Præfectus idemque Conſul, Evodius quò nihil unquam juſtius fuit. Conſul, inquam hujus anni 384. & quidem in Galliis tantum cum Maximo; nondum in Italiâ. ut ſuprà dixi cap. 5. §. 6. Præter Evodium Conſulem ac Præfectum; aderant quoque cõvivio, Comites duo ſummâ poteſtate præditi, frater Regis & patruus. Medius inter eos Martini presbyter accubuerat. Ipſe autem ſellulâ juxta Regem poſitâ conſederat. Ad medium fere convivium (ut moris eſt) pateram Regi miniſter obtulit. Ille ſancto admodum Epiſcopo potiùs dari jubet; expectans atque ambiens ut ab illius dexterâ poculum ſumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram Presbytero ſuo tradidit; nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet. nec integrum ſibi fore, ſi aut Regem ipſum, aut eos qui à Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator omneſque qui tunc aderant, ita admirati ſunt, ut hoc ipſum eis in quo contempti fuerant, placeret; celeberrimumque per omne palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prandio, quod in infimorum Judicum conviviis, Epiſcoporum nemo feciſſet. Eidemque Maximo longe ante (nota longè antè) prædixit futurum, ut ſi ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori inferens; ſciret ſe primo quidem impetu futurum eſſe victorem, ſed parvò pòſt tempore periturum. Quod quidem ita vidimus. Nam primo adventu ejus Valentinianus in fugam verſus eſt. deinde poſt annum ferè, reſumptis viribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit. de quo infrà nos ſuo loco.

Ad ejus cõvivium venit.

Quomodò ibi ſe geſſerit.

2. Nunc quid eodem tempore Regina Maximi uxor fecerit, addendum ex eodem Severo Dial. 2. cap. 7. Maximus, inquit, Martinum ſæpiùs evocatum receptumque intra palatium venerabiliter honorabat: totus illi cum eo ſermo de præſentibus, de futuris, de fidelium gloriâ, de æternitate Sanctorum. Cùm interim diebus ac noctibus de ore Martini Regina pendebat, Evangelico illo non inferior exemplo; pedes ſancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla unquam fœmina contigiſſet; iſtius aſſiduitatem, imo potius ſervitutem, non poterat evadere: non illa opes regni, non Imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat; divelli à Martini pedibus ſolo ſtrata non poterat. Poſtremo à viro ſuo popoſcit; deinde Martinum uterque compellunt; ut ei remotis omnibus miniſtris, præberet ſola convivium. Nec potuit vir beatus obſtinatiùs reluctari. Componitur caſtis Reginæ manibus apparatus; ſellulam ipſa conſternit, menſam admovet, aquam manibus ſubminiſtrat; cibum quem ipſa coxerat apponit. Ipſa, illo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſervientis: miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finitâ cœnulâ, fragmenta panis aſſumptæ micaſque collegit; ſatis fideliter, illas reliquias Imperialibus epulis anteponens. Beata mulier tantæ pietatis affectu, quæ non tantùm expetiit audire Salomonem, ſed & meruit ei ſervire. Nulla quidem unquam fœmina alia propiùs adſtitit Martino; ſed tunc captus in palatio, Imperatoris precibus ambiebatur, Reginæ fide cogebatur, temporis neceſſitate conſtringebatur; ut clauſos carcere liberaret, exiliis datos reſtitueret, bona adempta redhiberet. Veruntamen qui occaſione hujus exempli malè uti poſſent, videant quia Martino ſemel tantùm in vitâ ſuâ, jam ſeptuagenario, non vidua libera, non virgo laſciviens; ſed ſub viro vivens, ipſo viro pariter ſupplicante, Regina ſervivit & miniſtravit. hæc edenti adſtitit, non cum epulante diſcubuit; nec auſa eſt participare convivio, ſed deferebat obſequium. Diſce igitur diſciplinam. ſerviat tibi matrona, non imperet; & ſerviat non recumbat.] Iſta & plura divinè Sulpitius Severus, quem hic lege.

Mirum Imperatricis erga S. Martinum obſequium.

Cur Martinus Imperatrici tantum detulerit.

3. Interim hinc S. Martini ætatem mecum intellige. Gerebantur hæc exordio Maximi Imperatoris ut vides; ac proinde primordiis 384. ut etiam ex ſequentibus eluceſcet. Erat tunc Martinus (ut notat Severus) *ſeptuagenarius*. De annis 383. completis tolle 69. item completos, reſiduum habebis annum Chriſti 314. atque ita anno Chriſti 315. Natus fuerit Martinus; & anno 332. quo filii Veteranorum militiæ juſſi ſunt adſcribi poſt exactum ætatis annum ſextumdecimum, (ut habetur Cod. Theod. lib. 2. de filiis militum, & Gellius lib. 10. cap. 28.) annum egerit ætatis decimumſeptimum, aptiſſimè. Hujus verò anni Chriſti 384. parte priore, ſexageſimum nonum complebat; poſteriore ſeptuageſimum inibat: ut & ante mortem, octogeſimum agebat. Unde & rectè *ſeptuagenarius* ab Severo dicitur: pauculis fortè menſibus, anticipato ætatis ejus anno ſeptuageſimo; quò pleniore numero uti poſſet.

S. Martini tunc ætas.

4. Neque verò ſolis Maximi primordiis Treviros Martinus excurrit. ſecundo quoque ejus

Annus Chriſti 385. Secundus Maximi Treviros acceſſus

anno, id eſt ea hyeme quæ annum Chriſti 384. concluſit, 385. aperuit, rurſum adveniſſe, ex eodem Severo intelligimus, dialogo 3. cap. 15. Maximus, inquit, Imperator aliàs ſanè bonus, depravatus conſiliis Sacerdotum, poſt Priſcilliani necem, Ithacium Epiſcopum Priſcilliani accuſatorem ceteroſque illius ſocios, quos nominari non eſt neceſſe, vi regiâ tuebatur: ne quis ei crimini daret, operâ illius cujuſcumque modi hominem fuiſſe damnatum. Interea Martinus multis gravibusque laborantium cauſis ad Comitatum ire compulſus, procellam ipſam totius tempeſtatis incurrit. Congregati apud Treviros Epiſcopi (credo maximè Gallicani, & Belgæ noſtri vicini) tenebantur; qui quotidie communicantes Ithacio, communem ſibi cauſam fecerant. His ubi nuntiatum eſt inopinantibus, adeſſe Martinum; totis animis labefactati muſſitare & trepidare cœperunt: Et jam pridiè Imperator ex eorum ſententia decreverat, Tribunos ſummâ poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui hæreticos (Priſcillianiſtas) inquirerent; deprehenſis vitam & bona adimerent. (nempe non multo poſt Priſcilliani necem.) Nec dubium erat, quin ſanctorum etiam maximam turbam, tempeſtas iſta depopulatura eſſet; parvo diſcrimine inter hominum genera: Etenim tum ſolis oculis judicabatur, cùm quis pallore potiùs aut veſte, quàm fide hæreticus æſtimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino Epiſcopi ſentiebant. ſed malè conſciis illa vel moleſtiſſima erat cura, ne ſe ab eorum communione adveniens abſtineret: non defuturis, qui tanti viri conſtantiam præmiſſâ auctoritate ſequerentur.

Epiſcopi Ithaciani Treviris Martino contrarii.

Et quâ causâ.

5. Ineunt cum Imperatore conſilium, ut miſſis obviam Magiſterii officialibus, urbem illam (Treviros) propiùs vetaretur accedere; niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium adfore fateretur. Quos ille callidè fruſtratus, profitetur ſe cum pace Chriſti eſſe venturum. Poſtremò ingreſſus nocturno tempore, adiit Eccleſiam tantùm orationis gratiâ. Poſtridie palatium petiit. Præter multas, quas evolvere longum eſt, has principales petitiones habebat; pro Narſete Comite, & Leucadio Præſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant; pertinacioribus ſtudiis, quæ non eſt temporis explicare, iram victoris emeriti. Illa præcipua cura, ne Tribuni cum jure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. pia enim erat ſolicitudo Martino, ut non ſolùm Chriſtianos, qui ſub illâ erant occaſione vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die atque altero ſuſpendit hominem callidus Imperator ſive ut rei pondus imponeret, ſive quia nimis ſibi implacabilis erat; ſeu quia, ut plerique tum arbitrabantur, avaritia repugnabat. ſiquidem in bona eorum inhiaverat. Fertur enim ille vir multis bonisque actibus præditus, adverſus avaritiam parum conſuluiſſe: niſi fortaſſe regni neceſſitate (quippe exhauſto ſuperioribus principibus Reip. ærario) pænè ſemper in expeditione atque procinctu bellorum civilium conſtitutus, excuſabitur quibuſlibet occaſionibus ſubſidia Imperio paraviſſe.

Quid Martinus eo adventu intenderit.

Maximus aliàs non malus. ſed avarus.

6. Interea Epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, prædamnatos ſe conquerentes: actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi Theogniſti pertinaciam, qui eos ſolus palàm latâ ſententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas: non oportuiſſe hominem recipi mœnibus. illum jam non defenſorem hæreticorum eſſe, ſed vindicem. nihil actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius ultionem. Poſtremò proſtrati, cum fletu & lamentatione poteſtatem regiam implorant, ut utatur adverſus unum hominem vi ſuâ. Nec multùm aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum hæreticorum ſorte miſcere. Sed ille (Maximus) licèt Epiſcopis nimio favore eſſet obnoxius; non erat neſcius Martinum fide, ſanctitate, & virtute cunctis præſtare mortalibus. aliâ longè viâ ſanctum vincere parat. Ac primò ſecretò accerſitum, blandè appellat; hæreticos jure damnatos more judiciorum publicorum potiùs, quàm inſectationibus Sacerdotum: non eſſe cauſam, quâ Ithacii ceterorumque partis communionem putaret eſſe damnandam. Theognoſtum odio potiùs quàm causâ feciſſe diſſidium; eumdemque tamen ſolum eſſe, qui ſe à communione interim ſepararit: à reliquis nihil novatum. quin etiam ante paucos dies habita Synodus, Ithacium pronuntiaverat culpâ non teneri. Quibus cùm Martinus parum moveretur, Rex irâ accenditur, ac ſe de conſpectu ejus abripuit. Et mox percuſſores his, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum jam noctis tempore eſt, Palatium irrumpit: ſpondet ſi parceretur, ſe communicaturum; dummodo ut & Tribuni, jam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi, retraherentur. Nec mora interceſſit: Maximus indulget omnia.

De Martino queruntur Ithaciani apud Imperatorem.

7. Poſtridie Felicis Epiſcopi (Trevirenſis) ordinatio parabatur; ſanctiſſimi ſanè viri, & planè digni, qui meliore tempore Sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus iniit; ſatiùs æſtimans ad horam cedere, quàm his non conſulere, quorum cervicibus gladius imminebat. Verumtamen ſummâ vi Epiſcopis nitentibus, ut communionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Poſtero die ſe inde proripiens, cùm revertens in viâ mœſtus ingemiſceret, ſe vel ad horam noxiæ communioni fuiſſe permixtum; haud longè à vico cui nomen eſt Andethanna (non Epternach, celebri Lutzenburgenſis Ducatûs Monaſterio Benedictinorum, ut nonnulli interpretantur, tribus leucis Trevirorum Auguſtâ diſſito; ſed vico Auduvem qui in viâ militari, etiamnum ſuperſtite, quæ Treviris per Lutzêburgum, Arlunû, Ivodium, Remos ducit; quâque ſat coſtat Martinû rediſſe, ut qui vidêre memorât) quâ vaſtas ſolitudines ſylvarum ſecreta patiuntur, progreſſis paululum comitibus, ille ſubſedit; cauſam doloris ac facti accuſante ac defendente invicem cogitatione pervolvens. Adſtitit ei repente Angelus: Meritò, inquit, Martine, compungeris; ſed aliter exire nequiſti. repara virtutem, reſume conſtantiam, ne jam non periculum gloriæ. ſed ſalutis incurreris. Itaque ab illo tempore ſatis cavit, cum illa Ithacianæ partis communione miſceri. Ceterùm cùm quoſdam ex energumenis tardiùs quàm ſolebat, & gratiâ minore curaret; ſubinde nobis cum lacrymis fatebatur, ſe propter communionis illius malum, cui ſe vel puncto temporis, neceſſitate non ſpiritu miſcuiſſet, detrimentum ſentire virtutis. Sedecim poſtea vixit annos; nullam Synodum adiit, ab omnibus Epiſcoporum conventibus

Cum quibus ſuadente Maximo tandem communicat, in conſecratione Felicis Epiſcopi Trevirenſis.

Sed mox ſe pœnitet.

In reditu ab Angelo monetur.

& pœnitentiam agit totâ vitâ reliquâ.

ſe

ſe removit. Sed planè, ut experti ſumus, imminutam ad tempus gratiam multiplici mercede reparavit.

8. Iſta omnia Sulpitius; anoos à Maximi primo in Treviros ingreſſu, & quindecim ſioienre hiſtoria ſuâ, & ſedecim in hoc Dialogo tertio cap. 15. ad unum eumdemque ſcriptionis ſuæ Conſulatum, nempe Sriliconis primum, qui certo eſt annus Chriſti quadringenteſimus; verè ſupputans. Quindecim quidem, anno iſto 400. ineunte, cum hiſtoriam ſcriberet; ſexdecim autem expirante, nempe paulo poſt Martini mortem, undecimâ Novembris ejuſdem anni obitam. Quod inculco; ut qui Martini exceſſum Attico Cæſarioque Conſulibus, ſeu anno Chriſti 397. cum Turonenſi tam conſtanter aſſigunt, videant, an illos Severi quindecim & ſedecun annos, ita liquidè aptare poſſint. Niſi forte quindecim aut ſedecim, proprios intra tredecim communes annos reperire ſe putent.

Alia Martini geſta Treviris. 9. Multa quidem & alia Martinus Treviris mira, ſive hoc ſive priore itinere geſſit, quæ Severus in ejus vitâ narrat; ut cùm Paralyticam populo præſente ſanavit; dæmoniacum Tetradii Proconſularis viri ſervum, impoſitâ manu dæmonio exemit; quo facto & Tetradium hucusque gentilem ad Chriſtum convertit, & ſibi ſemper deditum habuit: cùm ex alio item in domo cujuſdam patrisfamilias, digitorum ſuorum in os ejus immiſſione, dæmonem fluxu ventus ejecit: & ab dæmoniaco extorſit; famam de motu atque impetu barbarorum tunc excitatam, licèt berbari oihil minus quàm irruptionem cogitarent, ab ſedecim dæmonibus falsò diſſeminatam, ut horum ſaltem metu ipſe Martinus oppido fugaretur. Denique cum Treviris rediens, vaccam dæmone agitante bacchantem, ove placidiorem reddidit: quando & inter medias flammas poſitus non ſenſit incendium. Quæ omnia fuſiùs apud Severum legere potes, Dialogo 1. cap. 9. & in Epiſtolâ ad Euſebium.

CAPUT IX.

Secunda Ambroſii ad Maximum Legatio Trevirenſis.

Cur ſecundam legatione obierit Ambroſius. 1. AN priore Martini Treviros adventu, eodem quoque primùm Ambroſius pacem Valentiniano petiturus advenerit, non definio. tempora certè conveniunt: ac veriſimiliter tunc ſancta inter utrumque coaluerit amicitia. Cùm autem Treviros non jam pacem, quæ pacta jam ante fuerat; ſed Gratiani corpus poſtulaturus redit; omnino jam Martinus poſt communionem cum Ithacianis ad ſua redierat: quantum perſpicio. Nondum tamen finem acceperat Priſcillianiſtarum perſecutio; ut jam videbimus. unde colligere poſſumus, Ambroſium paulò poſt, & circa hunc Chriſti annum 385. Treviros ſecundâ legatione rediiſſe. de quâ ſic ipſe Epiſtolâ 27. ad Valentinianum;

Ejus Epiſtola 27. ad Valentinianum. 2. *Cùm perveniſſem Treviros* (ſecundâ ut paulò ante dixeras *legatione*) *poſtridie proceſſi ad Palatium. Egreſſus eſt ad me vir Gallicanus, præpoſitus cubiculi, Eunuchus regius. Popoſci adeundi copiam. Quæſivit num reſcriptum haberem clementiæ tuæ. Reſpondi, habere. Retulit non poſſe me niſi in conſiſtorio videri. Dixi non eſſe hunc morem Sacerdotalem; certè eſſe aliqua, de quibus ſecretò deberem cum ſuo Principe confabulari. Quid plura? conſuluit eum: ſed eadem referenda credidit; ut liqueret etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen, alienum id quidem à noſtro munere, ſed me recepto officio non defuturum: gratam mihi eſſe humilitatem; in tuo præſertim, & quod verum eſt, fraternæ pietatis negotio. Ut ſedit in Conſiſtorio, ingreſſus ſum. Aſſurrexit, ut oſculum daret. Ego inter Conſiſtoriales ſteti. Hortari cœperunt alii ut aſcenderem. vocare ille.* Ambroſii generoſum cum Maximo colloquium. *Reſpondi ego: Quid oſcularis eum, quem non agnoveris? Si enim me agnoviſſes, non hoc loco videres. Commotus es, inquit, Epiſcope. Non, inquam, injuriâ; ſed verecundiâ, quod alieno conſiſto loco. Et primâ, inquit, legatione ingreſſus es Conſiſtorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit; vocantis non ingredientis vitium eſt. Cur, inquit, ingreſſus es? Quia, inquam, tunc ut inferioris pacem petebam: nunc ut æqualis. Cujus, inquit, beneficio æqualis? Reſpondi, Omnipotentis Dei, qui Valentiniano regnum quod dederat reſervavit. Ad poſtremum erupit, dicens: Quoniam me luſiſti: & ille Bauto, qui ſibi regnum ſub ſpecie pueri vindicare voluit. qui etiam Barbaros mihi immiſit* (Hunnos ſcilicet & Alanos) *quaſi ego non habeam quos poſſim adducere; cum mihi tot millia Barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quod ſi ego tunc quando veniſti, non eſſem retentus; quis mihi obſtitiſſet, & virtuti meæ?*

3. *Ad hæc ego leniter: Non opus eſt, inquam, ut commovearis; cum cauſa nulla ſit commotionis. ſed patienter audias, quæ referantur iſtis. Propterea & ego veni, quia primâ legatione dum mihi credis, per me deceptum te eſſe aſſerebas. Glorioſum mihi eſt hoc, pro ſalute pupilli Imperatoris. Quos enim Epiſcopi magis quàm pupillos debemus tueri? Tamen non exprobrabo beneficium meũ Valentiniano. Ut verum eloquar: Ubi ergo tuis legationibus obſtiti quo minùs influeres in Italiam? quibus rupibus, quâ acie, quibus Numeris? An verò corpore meo clauſi tibi Alpes? Utinam hoc meum eſſet! objectionem non timerem, non vererer criminationes tuas. Quibus promiſſis luſi te, ut paci acquieſceres? Nonne intra Gallias, juxta urbem Moguntiacum, Comes Victor occurrit mihi, quem direxiſti, ut pacem rogaret? In quo ergo te fefellit Valentinianum, qui priùs pacem à te rogatus eſt, quàm poſtulares? In quo fefellit Bauto, qui devotionem Imperatori exhibuit ſuo? an quia principem ſuum non prodidit? In quo egote circumſcripſi? Qui ubi primum veni, cùm diceres, quòd Valentinianus ad te, quaſi filius ad patrem venire deberet, reſponderim, non eſſe æquum, ut aſpero hyemis tempore, puer cum matre viduâ penetraret Alpes*, &c. ut hujus capitis initio. & infrà de fine hujus legationis ſubdit. Victori Comiti ad Moguntiam occurrit.

4. *Valentinianus tibi fratrem tuum, illum qui tibi ad dexteram aſſiſtit, viventem remiſit; Tu illi fratrem* ſuum *vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi adverſum ſe auxilia non negavit? Sed vereris, ne, exuviarum reditu, renovetur militibus dolor: hoc enim allegas. Quem viventem deſeruerunt, eum defendent peremptum? Quid eum mortuum times, quem occidiſti, cùm poſſes reſervare? Hoſtem, inquis, meum peremi. Non ille tuus hoſtis; ſed tu illius. Ille jam non ſentit defenſionem: tuam cauſam conſidera. Si quis adverſum te hodie Imperium in his partibus uſurpandum putet, quæro, utrum te hoſtem illius dicas, an illum tibi? Ni fallor, uſurpator bellum infert, Imperator jus ſuum tuetur. Ergo quem non debueras occidere,* Petit Gratiani corpus reddi.

ejus reliquias negas? Habeat Valentinianus Imperator vel fratris exuvias. pacis tuæ obſides. & quo modo allegabas, quod eum non mandaveras occidi, quem prohibes ſepeliri? Poteris igitur credi, quòd ei non invideris vitam, cui etiam ſepulturam invides? & mox:

5. Ita tum diſceſſi, ut ſe tractaturum diceret. Poſtea cùm videret me abſtinere ab Epiſcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos devios licet à fide ad necem petebant (vides adhuc cruentam Ithacianorum accuſationem?) commotus eis (an, ab eis?) juſſit me ſine morâ regredi. Ego vero libenter, etſi me plerique inſidias evaſurum non crederent, ingreſſus ſum iter; hoc ſolo dolore percitus, quod Hyginum Epiſcopum (Cordubenſem ex Severo ſuprà) ſenem in exilium duci comperi: cui nihil jam niſi extremus ſupereſſet ſpiritus. Cum de eo convenirem comites ejus, ne ſine veſte, ſine plumatio paterentur extrudi ſenem, extruſus ipſe ſum. Vale Imperator, & eſto tutior adverſum hominem pacis involucro bellum tegentem. Vale.] Hactenus Ambroſius epiſtola 27. quæ hoc anno 385. aut non ſeriùs 386. geſta puto ex dictis. & ab hoc tempore non deſtitit Maximus ad invadendam Italiam ſe parare: ab Ambroſio ſimul & Martino, ſecum aut cum Ithacianis ſuis non communicantibus, irritatus; quorum alterum extruſerat: ab altero ſe proripiente velùti ſpretus fuerat. Ipſa Ambroſii verba fuſiùs hic protuli; quia jucundum eſt, tanti Præſulis, Imperatori publicè loquentis magnanimitatem, quaſi coràm audire & intueri. Utinam tales nobis ſupereſſent Epiſcopi.

Ambroſius à Maximo extruditur.

CAPUT X.

Maximus in Italiam tranſit Valentinianum fugat. ab Theodoſio debellatur & cæditur.

Anno Chriſti 387. & 388.

1. QUamdiu Maximus S. Martini vaticinium ſecutus, Treviris manſit: tranquillâ pace potitus eſt. Ubi Italiam appetiit; primò quidem victor fuit, deinde poſt annum ferè (ait Severus) miſerè periit. Cumque periiſſe conſtet anno Chriſti 388. ſexto Kalendas Septembris: planè prioris anni 387. æſtate è Galliis in Italiam moverit. eam expeditionem fuſiùs è Zoſimo haurimus lib. 4.

Sever. vita S. Mart. c. 23.

2. Maximus (ait) exiſtimans non ex dignitate ſibi res ſuccedere, ſi ſolis imperaret iis nationibus, quæ Gratiano prius parebant; de Valentiniano regno dejiciendo cogitabat, toto quidem illo ſi poſſet; ſin ſua ſpe fruſtraretur, parte ſaltem illius aliquâ conquirendâ, quantam ſane occupare poſſet. Hac opinione victus [fœdus abrumpere, addit Pacatus pag. 268. jus feciale violare, bellum edicere non timens: aut ut Proſper Pithœi, indignum ducens contra Eccleſiæ ſtatum agi, &c. Nempè quod Juſtinæ Arrianæ hæreſim foveret.] ad tranſcendas Alpes & adeundam Italiam ſe parabat. Cùm autem videret, per arctam viam & aſperrimos inviosq; montes iter neceſſariò faciendum eſſe; quos deinde lacus & paludes excipiunt, per quas viatoribus ſaltem tardiùs tranſeuntibus, non tantis copiis exitus patet: quid agendum eſſet, ad melius conſilium differebat. Valentiniano autem Legatos Aquileiâ (quo ſe Mediolano contulerat ſcilicet) mittente, ätq; pace firmiore ſibi caveri petente; poſtulatis Maximus adſentiebatur, eam rem ſe quoque libentiſſimè accipere ſimulans. Itaque Dominum Valentinianus hanc ob cauſam ablegat, natione quidem Syrum, ſed nota melioris familiarem. Quippe regiæ poteſtatisq; particeps, fide pariter & uſu rerum præſtare ceteris videbatur; & quidquid alioqui Princeps alio nemine conſcio facere volebat; huic imprimis credendum ſtatuerat.

Maximus in Valentinianũ movere parat.

Pacem cum eo ſimulatè renovat.

3. Igitur profectus ad Maximum Dominus (credo Treviros) capitibus Legationis omnibus expoſitis, omni obſervantiâ comitatéque exceptus eſt. Nam & dignabatur eum honore Maximus eximio; & tantâ munerum mole ſatiabat, ut Imperatorem Valentinianum nullum huic parem habiturum amicum Dominus exiſtimaret. Ac potuit uſque adeò Dominum decipere Maximus, ut etiam partem exercitûs ſui cum eo mitteret, quæ Imperatori auxilio contra Barbaros eſſet, Pannoniis imminentes. contra quos, opinor, Valentinianus Aquileiam conceſſerat. Poſteaquàm hæc conſecutus Dominus abiiſſet, ſeq; copiâ & magnitudine munerum, conceſſorumq; ſibi ſociorum ſatellitiis jactaret; viam ducentem ab Alpibus imprudens Maximo faciliorem reddebat. Quod Maximus futurum proſpiciens, eòque nomine cuncta moliens, universis copiis ſubſequebatur: tacitè præmiſſis in itinere cuſtodibus; qui omnem curam adhibebant, ne curſu quis prætergreſſus, Maximi tranſitum in Italiam Domnini comitibus renuntiaret. Quæ ſanè cuſtodia perfacilis erat; quando latere non poterant, qui parte Alpium arctiſſimâ proficiſcebantur. Comperto igitur Domninum cum ſuis Alpes quà ſunt anguſtiſſimæ, penetraſſe; atque iis præterea locis, quæ poſt Alpes erant paluſtria, militumq; copias impedire poterant, hoſtile ſe nullum agmen adverſum inventurum ſperaret; omni cum celeritate Italiam, nemine præpediente, ingreſſus, Aquileiam copias ducit. Sic (ait Pacatus pag. 268) qui ſub nomine pacis ludere, & primi ſceleris pœnas lucrari quieſcendo potuiſſet, ſecundum tertiumq; vexillum latrocinij civilis ſuſtulit: & ſuperatis Alpibus Cottiis, Juliæ quoque clauſtra laxavit. Agebat eum (credo) præcipitem, vindicandæ jam proximo ultione Reſp. & extinctus aperto Dominus (Gratianus) parricidio, pœnas ab eo debitas expetebat.]

Domninum Legatũ cum comiter excipit, ut decipiat.

Quem ſedeuntem, cum exercitu ſuo occultè ſequitur.

Et Italiam ſubitò occupat.

4. Ita Valentinianus tam repentino caſu præter ſpem omnem ferè oppreſſus eſt: adeò ut ipſius familiares metus inceſſeret; ne vivus in Maximi poteſtatem redactus, cæderetur. Quare navem ingreſſus, Theſſalonicam profectus eſt, ſociâ navigationis Juſtinâ matre, quæ Magnentium prius maritum habuerat, ut diximus: & illo ſublato, propter eximiam formæ venuſtatem, Valentiniano Principi juncta matrimonio fuerat. Hæc Gallam quoque filiam ſecum adducebat. Cùm Theſſalonicam adpuliſſent, Theodoſium orabant, ut tantam in Valentiniani domum Maximi petulantiam vindicaret. Simul Juſtina Gallam filiam ſuam eximiâ pulchritudine coram ſtatuens, genibus Theodoſii advoluta ſupplicabat, ne Gratiani qui largitus eſſet Imperium mortem inultam ſineret. Ita auxilium Theodoſius indulſit, & Gallam præterea ſibi conjugem (mortuâ jam priore Placidia) conjunxit. Bautonis hic nulla mentio; ſicut neque toto Theodoſii in Maximum bello. argumento probabili tunc morte abſumptum.

Valentinianus fugit ad Theodoſium.

5. Interea Maximus Italiæ partem illam, quæ Alpium deſcenſum excipit, pervadit & vaſtat; Placentiam, Rhegium, Mutinam, Claternam, Bononiam exagitat, cives earum in captivitatem rapit: quos Ambroſius cum ſuis Mediolanenſibus ab eo

Plures urbes capit.

divinâ

divinâ providentiâ intactus redemit; vaſis & ſacris conflatis, ut ipſe lib. Off. 2. c. 28. teſtatur, & teſte Poſſidio laudavit Auguſtinus. Ceterum cum Italiâ ſecurè ſe potiri videt Maximus; omni acerbitate remotâ, omnes ſibi, Romanosque præſertim conciliare aggreſſus eſt, cujuſcumque demum illi Religionis eſſent. Nam & Gentilibus ablata per Grattianum ſacrificia, ſublatamque è Capitolio Victoriæ aram reſtituit: quin & incenſam tum fortè Judæorum ſynagogam reparaſſe videtur; quoniam Ambroſius ep. 29. ante ipſos expeditionis dies, edictum pro ea Romam miſiſſe ſcribit: acrem denique ſe Fidei Catholicæ defenſorem exhibuit; ut ex ejus datâ ad Siricium Papam epiſtola patet.

Romanorum gratiã ambit.

6. Proximo anno 388. *Theodoſius juſtis neceſſariisq; cauſis* (ait Oroſius lib. 7. cap. 35.) *ad bellum civile permotus: cùm è duobus Auguſtis fratribus* Gratiano ſcilicet & Valentiniano) *& ultionem unius interfecti ſanguis exigeret, & reſtitutionem miſeria alterius exulantis oraret: poſuit in Deo ſpem ſuam: ſeque adverſus Maximum tyrannum ſolâ fide major (nam longè minor erat univerſâ apparatus bellici comparatione) proripuit.* Ita Oroſius. At Pacatus in Panegyrico, p. 269. alia comparatione Theodoſium Maximo longe præfert: *An* (inquit) *ſuſtinere te coràm, ille quondam domûs tua negligentiſſimus vernula, menſularúmque ſervilium ſtatarius lixa, potuiſſet? Non ſtatim totum ſubiſſet hominem præterita ſui itaque reputatio? Non ipſe ſibi objeciſſet, te eſſe triumphalis viri filium, ſe patris incertum? te heredem nobiliſſimæ familiæ, ſe clientem? te omni retro tempore Romani exercitûs Ducem, libertatis patronum; ſe orbis extorrem patriaq; fugitivum? Jam verò te Principem in medio Rep. ſinu, omnium ſuffragio militum, conſenſu provinciarum, ipſo denique ambitu Imperatoris optatum; ſe in ultimo terrarum receſſu, legionibus neſcius, adverſis provinciarum ſtudiis, malis denique auſpiciis, in illud tyrannici nominis adſpiraſſe furtum? Poſtremo tecum fidem, ſecum perfidiam; tecum fas, ſecum nefas; tecum jus, ſecum injuriam; tecum clementiam, pudicitiam, Religionem; ſecum impietatem, libidinem, crudelitatem, & omnium ſcelerum poſtremorumq; veterum ſtare collegium?* Hæc Pacatus, quibus Maximi qualitatem depingit. & ſubdit:

Annus Christi 388 Theodoſius Imp. in Maximum movet.

Maximi cũ Theodoſio cõparatio.

7. *Tunc copias ſuas Theodoſius trifariam dividit, ut & hoſtis audaciam multiplicato terrore percelleret, & fugam circumfuſus ambiret. Populos item Barbarorum,* Scythicasque nationes, *ultroneam operam voventes adſciſcit, ut & limiti* (Iſtriano) *manus ſuſpecta decederet, & miles auxiliator accederet. Gothus ille, & Hunnus & Alanus reſpondebat ad nomen; abique quos minax Caucaſus, & rigens Taurus, & ingentium corporum durator Iſter effuderat.* & mox: *Primus ad Siſciam & Savum conflictus ita publicos proditores affecit, ut volverentur impia in ſanguine ſuo turba, continuiſque funeribus cuncta latè operirentur. Alterâ pugna deloctaq; in prælium cohortes Marcellinus frater tyranni rapiens, alteram victoriam* obtulit. *Nullus finis cadendi inſequendique; niſi ſubſtraxiſſet aliquando victoribus mors hoſtem, & nox diem.* Reliquis venia clementer indulta. Hæc ad urbem Petavionem geſta videtur Ambroſius innuere Epiſtola 29. dum poſt Siſciam, Petavionem etiam victoriâ illuſtrem nominat. & ab Oriente iter unum eò, alterum Siſciam ducit. *Hemonam* (hodie *Laubach*) inde movit Theodoſius: *quam tyrannus Alpibus objacentem tanquam belli limen attriverat.* Fugit Maximus Aquileiam, *quam Theodoſii exercitus ſpatio lucis unius Illyrico continuavit.* Hæc ex Pacato maximè: junctis ex Ambroſii Epiſtola 29. paucis.

Tranſiſtrianos ſibi adjũgit Theodoſius.

Nempe Gothos, Hunnos, Alanos

Duobus prælis vincit.

8. *Ita Theodoſius* (pergit Oroſius) *nemine ſentiente, ut non dicam repugnante, vacuatas tranſmiſit Alpes; atque Aquileiam improviſus adveniens, hoſtem illum magnum Maximum, trucem, & ab immaniſſimis quoque Germanorum* (Francorum ſcilicet & Saxonum, ut Ambroſius Epiſtola 29. ad Theodoſium) *gentibus, tributa ac ſtipendia ſolo terrore nominis ſui exigentem, ſine dolo & controverſia clauſit, & cepit.*] Nam ut Zoſimus lib. 4. *Cùm pars quædam exercitûs impetu celerrimo ad Aquileiæ muros acceſſiſſet, aditúmque vi ſibi per portas aperuiſſet* (*quippe cuſtodibus numero perpaucis reſiſtere non valentibus*) *Maximus à propriis militibus* (*quibus pecuniam diſtribuere exorſus erat*) *Imperatorio ſolio deturbatur, habitu Auguſto ſpoliatur, & ad Theodoſium deducitur. Is paucis ad eum quæ contra Remp. deliquiſſet, velut exprobrationis loco, recenſitis, hominem carnifici tradit, meritam pœnam luiturum.* Ita Zoſimus. Pacatus tamen ait, Theodoſium, auditâ Maximi confeſſione (quâ fatebatur ſe, cùm primùm rebellaret, favoris illius ideò obtendiſſe prætextum, quòd aliter militum ſocietatem allicere non potuiſſet) mollitum, cœpiſſe de ejus morte dubitare: verùm milites Maximum ab ejus oculis rapuiſſe. Capite damnatum Proſper addit. & quidem juxta Idacii Chronicon & Faſtos, *tertio de Aquileia milliario, quinto Kal. Auguſti*, ut autem Socrates & Paulus Diaconus *ſexto Kal. Septembris*, toto menſe tardiùs. Andragathius ejus Comes, qui fretum Ionium ingẽti claſſe perſcrutabatur (rurſum Zoſimus) auditâ Maximi nece, malorum ſibi imminentium non ignarus, ſibi ipſe ſupplicium intulit, præcipitato in mare corpore, cui ſe quàm hoſtibus tradere mallet. Ita & Oroſius.

Alpes Julias & Aquileiã occupat ſubitò.

Maximus captus ad Theodoſiũ adductus.

Capite damnatur.

Andragathius ſe in mare præcipitat.

9. De his omnibus pulcrè ad ipſum Theodoſium Ambroſius, Deum ei ſic loquentem inducens: *Ego tibi ſubjeci nationes Barbaras. Ego tibi inimicum tuum in poteſtatem tuam captivum deduxi. Ego perturbavi hoſtis tui conſilia, ut ſe ipſe nudaret. Ego ipſum uſurpatorẽ Imperii ita vinxi, ac mentem ejus ligavi, ut cùm haberet adhuc fugiendi copiam* (nempe in Gallias) *tamen cum omnibus ſuis tanquam metuens ne quid ſibi periret, ipſe ſe clauderet* Aquileiæ. *Ego Comitem ejus* (Andragathium) *atque exercitum ex alterâ parte natura* (in mari ſcilicet) *quos ante diſperſeram, ne ad belli ſocietatem coirent, ad ſupplementum tibi victoriæ congregavi. Ego, cùm periculum ſummum eſſet, ne Alpes infida Barbarorum tuorum penetrarent conſilia, intra ipſum Alpium vallum victoriam tibi contuli, ut ſine damno vinceres.* Et mox. *Ille igitur ſtatim à FRANCIS & à SAXONUM gente in Siciliâ, Siſcia, Petavione, ubique denique terrarum victus eſt.* Ita Ambroſius.

Dei in Theodoſiũ beneficia.

10. Sed unde Franci ac Saxones in Siciliâ & quidem Maximi victoris? Unde illi Theodoſio, Orientis non Occidentis Imperatori auxiliares? Scilicet non Theodoſio, ſed Maximo navali militiâ merebant, & ſub ejus Comite Andragathio in Siciliam, atque, ut Zoſimus, ad fretum Ionium vela fecerant; impedituri ne quis è Græciâ in Italiam impunè trajiceret. Ubi Maximi mors innotuit, gentes infidæ, victori ſe ſociaverint. Unde Ambroſius ait, *illos primùm à capite ſuo diſperſos, tum ad*

Unde Franci & Saxones contra Maximum.

ſupplementum victoria Theodoſio congregatos. Sanè non dubito, quin Maximus Treviris & in Galliis adhuc agens, vicinos ſibi Saxonas, & Saxonibus jampridem adjunctos Friſios, ântea Francos, utroſque maritimos, & pyraticâ exercitatos, ut toties ſupra vidimus; mari in Italiam Siciliamque tranſmiſerit: aut cùm jam Italiâ potiretur advocarit; ſub Andragatio in Siciliam, in Ionium & Adriaticum mare miſerit; quo magis Italiam ſibi adeoque Illyricum adſereret. Sed Deus ex auxiliaribus hoſtes effecerit. In iis Arbogaſtem non militaſſe ſat conſtat, Gratiano Valentinianoque hactenus fidum; quique, teſte Oroſio, libro. 7. cap. 35. *Maximum tantis licet copiis inſtructum, ipſe minuente cepit.* Credo igitur illum populares ſuos, (Francos) Maximi morte perterritos, cum totâ claſſe ad victores adduxiſſe. Unde ei quoque gratia & auctoritas non parùm accreverit; & in Gallias jam militum Magiſter, ad reliqua belli patranda miſſus à Theodoſio fuerit, ceu Valentiniani adhuc ferè pueri tutor. Ubi quid interim contigerit, jam videndum.

Arbogaſtes pro Theodoſio.

CAPUT XI.

Quid in Galliis, bello pendente actum.

Anno Chriſti 388.

1. EXtat apud Gregorium Turonenſem libro 2. cap 9. inſigne Sulpitii Alexandri perveteris hiſtorici fragmentum, planè huc ſpectans. Sic enim primò Turonenſis: *Nam tùm dicit* (Sulpitius ſcilicet Alexander) *Maximum intra Aquileiam, amiſſa omni ſpe Imperii, quaſi amentem reſidere* (Julio vel Auguſto hujus anni 388. menſibus) *adjungit: Eo tempore Genobaldo, Marcomere, & Sunnone ducibus Franci* (captatâ ſcilicet de more belli civilis occaſione) *in Germaniam* (Ciſrhenanam, & Inferiorem ſeu ſecundam) *prorupêre. ac pluribus mortalium* (Belgarum maximè, Maximo tunc penè perdito parentium) *limite irrupto cæſis, fertiles maximè pagos depopulati, Agrippinenſi etiam Coloniæ metum incuſſere. Quod ubi Treviros perlatum eſt, Nannius & Quintinus militia Magiſtri, quibus infantiam filii & defenſionem Galliarum Maximus commiſerat, collecto exercitu, apud Agrippinam convenêre. Sed onuſti prædâ hoſtes, provinciarum opima depopulati, Rhenum tranſiere; pluribus ſuorum in Romano ſolo relictis, ad repetendam populationem paratis. Cum quibus congreſſus Romanis accommodus fuit; multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis.*] Carbonaria ſylva is hodie Belgii tractus eſt, qui Hannonia dicitur, olim vera Nerviorum ſedes. ita dicta à carbonibus, qui ex fagis inibi frequentibus, tunc (ut & hodie) fieri, & ad vicinos deferri ſolebant. Eo nomine mediæ præſertim ætatis Scriptores utuntur: ut apud Meyerum Molanumque ex veteribus ſchedis ſua concinnantes videre eſt; in vita S. Foliani præſertim, qui circa annum Chriſti 660. in Carbonaria ſylva, loco Ampolinis, quod hodie Rhodium (*le Raulx*) dicitur, martyrium paſſus eſt. Porro ſuperſtes etiamnum via militaria eſt, quæ ab Agrippinenſi Colonia per Juliacum, Moſæ-Trajectum, & Tungros, Bavacum uſque Carbonariæ ſeu Nerviorum tunc caput rectiſſima ducit. Hanc Francos iſtos populatores tenuiſſe, penè certum mihi eſt; ac proinde quidquid utrimque adjacet, ut territoria Juliacenſe, Leodienſe, Haſbanienſe, Namurcenſe, Gallobrabantenſe, & Hannonienſe, ideſt ut Sulpitius ait, *fertiles maximè pagos* (Galliçè *pays*) *depopulatos eſſe*, forte & Bavacum ipſum tunc florentiſſimum occupaſſe vaſtaſſeque. prorſus ut non procul Bavaco Romanis ea de Francis victoria obtigerit. Ex qua depopulatione ceteræ Francorum priores poſterioréſve, quales extiterint, intelligere licet. Sed pergit Sulpitius Alexander:

Franci ducibus Genobaldo, Marcomere, & Sunone Gallos vaſtant.

Partem eorum Romani in Carbonariâ cædunt.

Quæ hodiè Hannonia, dicitur.

2. *Cúmque conſultaretur de ſucceſſu, an in Franciam* (trans Rhenum ſcilicet) *tranſire deberent, Nannius abnuit; quia non imparatos* (Francos) *& in locis ſuis indubiè fortiores futuros ſciebat. Quod cum Quintino & reliquis viris militaribus diſplicuiſſet; Nannio Moguntiacum reverſo, Quintinus cum exercitu circa Nivïſium caſtellum* (hodie *Nuys*) *Rhenum tranſgreſſus, ſecundis à fluvio caſtris, caſas habitatoribus vacuas, atque ingentes vicos deſtitutos offendit. Franci enim ſimulato metu, ſe in remotiores ſaltus receperant, concidibus per extrema ſylvarum procuratis. Itaque univerſis domibus exuſtis, in quas ſæviro ſtoliditas ignava, victoria conſummationem reponebat; noctem ſollicitam milites ſub armorum onere duxerunt. Ac primo diluculo, Quintino prælii duce, ingreſſi ſaltus, in medium ferè diem implicantes ſe erroribus viarum, toto pervagati ſunt. Tandem cùm ingentibus ſeptis omnia à ſolido clauſa invenïſſent; in paluſtres campos, qui ſylvis jungebantur, prorumpere molientibus, hoſtium rari apparuere. qui conjunctis arborum truncis vel concidibus ſuperſtantes, velut è faſtigiis turrium, ſagittas tormentorum ritu effudêre, illitas herbarum veneno; ut ſummæ cutis, neque letalibus inflicta locis vulnera haud dubiæ mortes ſequerentur. Dehinc majori multitudine hoſtium circumfuſus exercitus, in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, avidè effuſus eſt. Ac primi Equites voraginibus immerſi, permixtis hominum jumentorúmque corporibus. ruinâ invicem ſuorum oppreſſi ſunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcaverant, implicati limo, ægrè explicantes greſſum, rurſus ſe, qui paulo antè vix emerſerant, ſylvis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus cæſa legiones: Heraclio Jovinianorum Tribuno, ac penè omnibus qui militibus præerant, extinctis. paucis effugium tutum nox & latibula ſylvarum præſtitere.*] *Hæc in tertio hiſtoriarum libro narravit* Sulpitius Alexander. planè ad annum Chriſti 388. ante Maximi cædem.

Quintinus Romanorum Dux côtra Francos Rhenû tranſit.

3. Poſtquàm autem ille extinctus eſt; Theodoſius animo in Galliæ reſtitutionem verſo, Arbogaſtem Francum Gratiano ſibique hactenus fidiſſimum, Militiæ Magiſtrum in Gallias contra Victorem Maximi filium Cæſarem, adhuc ibi ſuperſtitem, eodem anno Chriſti 388. præcipitante, mittit. Unde Gregorius Turonenſis eumdem Sulpitium Alexandrum libro ſuo quarto, de interſectione ejuſdem Victoris, filii Maximi tyranni narraſſe ſubdit. licèt verba ejus non referat. Nos è Zoſimi libro quarto ſupplemus: *Theodoſius victor, audito Maximum, cùm primùm Alpes tranſiret, filium Victorem dignitate Cæſaris ornatum, apud Tranſalpinas gentes reliquiſſe; confeſtim Arbogaſtem ducem mittit. qui & imperio dejecit adoleſcentulum & interfecit.*] Idacius in Chronico & faſtis: *eodem* (ait)

tempore,

tempore, vel ipſo anno, poſt paucos dies, in Galliis per Arbogaſtem Comitem Theodoſii, filius Maximi, nomine Victor extinctus eſt.] *Eodem* quoque *anno* id factum ſuffragatur Proſperi Chronicon Conſulare. *Victorem* autem *hunc intra infantiæ annos à Maximo patre Auguſtum factum* ſcribit Sextus Aurelius Victor, additque Proſper; ſimulac Maximus Gratianum ſuperavit. Treviris autem relictum à Patre Victorem, innuit ſuprà Sulpitius Alexander, ſub Nannio Quintinoque ducibus: unde ibidem ab Arbogaſte cæſum non dubito. Ita Galliæ Valentiniano recuperatæ. Omnibus venia data, nullius bona publicata, nullius dignitas imminuta: cuncti domibus ac liberis, & quod dulcius, innocentiæ reſtituti, ait Pacatus p. 282. Imò, teſte Ambroſio Ep. 29. finiente, *Theodoſius Maximi filias revocavit, nutriendas apud affinem dedit, matri ejus de ærario ſuo ſumptum miſit.* Ut appareat eum in Victoris nece, nihil crudelitati aut vindictæ dediſſe, ſed Imperii tantùm ſecuritati conſuluiſſe.

CAPUT XI.

Valentiniani reſtituti prima in Gallia res duce Arbogaſte geſta. Aliquot reducti in Begicam Epiſcopi. Galliæ urbes tum præcipuæ.

Anno Chriſti 389.

Theodoſius Valentinianum Imperio reſtituit.

1. AD tantas virtutes acceſſit ingens animi liberalitas. Quippe Mediolano Romã menſe Junio anni ſequentis 389. invectus, Valentiniano nihil non indulſit. Nam & triumphi ſui (de quo Sozomenus lib. 7. cap. 14. Pacatus, & Prudentius) comitem habere voluit; eique non tantùm Italiam, quæque priùs habuerat; ſed & Gallias, Hiſpanias, Britannias omnes, quas ipſe nunquam, ſed ſoli frater paterque tenuerant, ultrò reſtituit. Imò & illum ab Arrianâ matre hæreſi infectum, Catholicæ Fidei reddidit, ut Baronius hic ex Ambroſio & Suidâ. *Juſtina autem mater* (addit Proſper Pithœi) *ne regnum cum filio reciperet, morte præventa eſt.* Idem habet Sozomenus. Solus Zoſimus, cetera conſentiens, in hoc uno diſſentit: *Theodoſius*, inquit, *univerſum Imperium Valentiniano tradidit, quantum quidem ipſius olim pater habuerat. Quod ſane viſum eſt ex officio bene meritis debere fieri. Ex iis verò qui Maximo militaverant, quidquid ſelectum erat, inter ſuos retulit. ac Valentiniano permiſit, ut res Italicas, Celticas, & alias imperii ſui diſponeret. Cui quidem & mater aderat: quæ quicquid ob ætatis imbecillitatem ipſius prudentiæ deerat, quantùm à muliere præſtari poterat, ſupplebat.*] Suppleverit (ſi hoc verum) initio; ſed mox mortua, Arbogaſti directionẽ eam reliquerit. *Arbogaſtes Francus* (ait Suidas) *robore corporis & aſperitate animi flammæ ſimilis, proximus à Bautone fuit. In hoc fuit conſtans & exquiſita modeſtia, & odium irreconciliabile avaritiæ: unde divitiis gregario militi nihil præſtabat. Quapropter Cæſari Theodoſio utilis videbatur; ut qui ad Valentiniani mores viriles & juſtos, ſuam quoque gravitatem adjungere, & Regiam ut ſtat recta & immota columna ſuſtentare poſſet, ne quid in aula damni aut peccati admitteretur.*] Sed quàm falſus ſit Theodoſius, ſequentia dicent. Fluxæ penè omnes fidei fuêre Barbari.

Cujus mater Juſtina mortua. Soz. l. 7. c. 14. Zoſ. l. 4.

Arbogaſtes Francus Valentiniani Comes & Rector.

Ejus è Suidâ deſcriptio.

2. Gallias igitur cùm reſtituiſſet Arbogaſtes, novos fidosque ſibi homines rebus ſuffecit; & primùm Magiſtros militum mutavit. Sic enim rurſum Sulpitius Alexander in 4. libro ſuo, cum de Victoris interfectione narraſſet; teſte Gregorio Turonenſi: *Eo tempore Carietto* (filius opinor Cariettonis ſenioris, de quo in Juliano, & Valentiniano ſeniore) *& Syrus in locum Nannem ſubrogati, in Germaniâ* Ciſrhenanâ ſcilicet & Belgicâ, *cum exercitu oppoſito Francis diverſabantur. Et poſt pauca, cùm Franci de Germania* Belgicâ *prædas* (iteratò) *tuliſſent, adjecit,* Sulpitius idem: *Nihil Arbogaſtes diſſerre volens, commonet Cæſarem* Valentinianum; *pœnas debitas à Francis exigendas, niſi univerſa, quæ ſuperiore anno cæſis legionibus diripuerant, confeſtim reſtituerent, auctoréſque belli traderent; in quos violatæ pacis* (credo cum Maximo & fortè Theodoſio Valentinianóque pactæ) *perfidia puniretur.* & deinceps ait: *Poſt dies pauculos, Marcomere & Sunnone Francorum Regalibus tranſacto curſim colloquio, impetratiſq; ex more obſidibus, ad hyemandum Treviros conceſſit.*] Hæc acta anno Chriſti 389. docent legiones Quintini, ſuperiore (ut hic dicitur) anno cæſæ. Ita pax cum Francis Valentiniano ſtetit. qui poſt triumphum Romæ Junio menſe ejuſdem anni 389. cum Theodoſio ductum, nunquam ab eo, quamdiu in Italiâ fuit (fuit autem ad annum uſque Chriſti 391.) diſceſſiſſe videtur.

Novos fidosque ſibi duces ſubſtituit. l. 2. c. 9.

Cum Marcomere & Sunone Francis pacem facit.

Treviris hyemat.

3. Quin & Eccleſiarum Belgicarum res nonnullæ cum hac Galliarum reſtitutione reparatæ videntur. Teſtantur quippe vetuſtiſſima Atrebatenſium noſtratium monumenta, Siricium Papam hoc tempore Romæ ſedentem, DIOGENEM quemdam Græcum hominem Atrebatibus ſubmiſiſſe; qui eorum à Remenſi Metropolitano conſecratus Epiſcopus, non paucos in horreum Domini animarum manipulos intulerit. Hic non primus quidem eſt Atrebatium Epiſcopus, quando ſedis iſtius æquè ac Belgicarum reliquarum originem jam inde à Conſtantino advocavimus: ſed primus eſt, cujus inter priores & innominatos Epiſcopos, nomen ad nos devenerit. Etſi novæ iſtius miſſionis non referatur occaſio. Diviſos his annis Galliarum inter ſe Epiſcopos, ob cruentam Ithacianorum accuſationem ſuprà ex Severo vidimus. ſed & *frequentes eorum* tunc extitiſſe *diſſenſiones*, teſtatur Epiſt. 29. Ambroſius. Denique Concilium Taurinenſe anno 397. habitum, canone 6. memorat quoſdam Gallos Antiſtites *qui Febei* (indubiè Trevirenſi Ithaciano Epiſcopo) *communicabant*; quaſi ſcilicet alii non communicarent. Suſpicari licet ergo, Atrebates novum Romà Paſtorem tunc petiiſſe, cui non cum Ithacianis, ſed cum ſolo Romano Pontifice communicatio eſſet. Et miſſus fuerit Græcus presbyter, cui nulla Ithacianorum cognitio, nulla in eos ineſſet inclinatio.

Epiſcopi aliquot Gallis & Belgio redditi.

Diogenes Atrebatibus.

4. Sed & Severinus Colonienſis Epiſcopus circa hæc eadem tempora Tungros afflictos, & Francorum jam dictâ excurſione, Paſtore orbos (Servatius ſcilicet recenter obierat) quin & Arrianâ (ut volunt) hæreſi laborantes, viſitare inſtituit;

S. Severinus Colonienſis Epiſcopus Tungros viſitat.

ad ſuam provinciam attinentes. Ac quibuſdam igibi pro tempore correctis & conſtitutis, Sanctum Evergiſlum adoleſcentem ibidem oatum bonis moribus inclytum, Coloniam ſecum abduxit. ac Diaconum poſtea ſuum inſtituit. dequo plura in ipſius Evergiſli vitâ, apud Surium 24. Oct.

Morinis Victricius Rhotomagēſis Epiſcopus prædicat.

Morini quoque de novo circa hæc tempora à S. Victricio Rhotomagenſi Epiſcopo exculti; ſorte & novo Epiſcopo cum Atrebatibus aucti: ut & Nervicani tractus incolæ. quos aliqui cum Nerviis noſtris confundunt; optarem vere. Alii Ebruicanos, & Normannorum hodiernorum partem exiſtimant. Quidquid eſt, extat eâ de re pulcherrima Paulini Nolani ad eumdem Victricium Epiſtola 26. de qua nos alibi.

Ex Paulini Nolani epiſtolâ.

Quæ tum in Galliis præcipuæ Civitates.

5. Ceterùm quænam florerent in Galliis hoc tempore civitates, ex Auſonii de claris urbibus Poëmate haurimos. Id enim ſtatim à Maximi nece contextum, Auſonius in Aquileia docet.

Non erat iſte locus (aie) merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis urbes.
Itala ad Illyricos objecta colonia montes;
Mœnibus & portu celeberrima. ſed magis illud
Eminet, extremo quod te ſub tempore legit,
Solveret exacto cui juſta piacula luſtro (ideſt, imperii ſui quinquennio)
Maximus, armigeri quondam ſub nomine lixa.
Felix, quæ tanti ſpectatrix læta triumphi,
Puniſti Auſonio Rutupinum Marte latronem.

Rutupinus, ſeu Britannus latro eſt Maximus. Cùm *meritum* Aquileiæ *recens* canit, qoid niſi hoc tempus innuit? Eo igitut poëmate Romam urbium omnium primam dicit; Conſtantinopolim & Carthaginem velut inter ſe certantes ſecundo ſimul loco ponit; ut & Anthiochiam pariter Alexandriamque tertio. Quarto ſolam Trevirorum ita celebrat:

Trevirorū Auguſta.

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,
Trevericæque urbis ſolium: quæ proxima Rheno
Pacis ut in media gremio ſecura quieſcit.
Imperii vires, quod alit, quod veſtit, & armat.

Cicero Verr. 2. Siciliam, ait, maximos exercitus *veſtiviſſe, aluiſſe, armaſſe.* eoque videtur hîc alludere Auſonius.

Lata per extentum tenduntur mœnia collem;
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella,
Longinqua omnimoda vectans commercia terræ.

Trevirorū laus. Imperii Gallicani ſolium.

Ecce ut Treviros laudat, à pace, ab annonâ Imperii, veſtiario, & armamentario; à magnitudine, à Moſellæ commoditate. Et plura adhuc in Moſellâ, Idylliόve octavo dicit. Quodque caput eſt, *ſolium* Imperatoris adhuc appellat; prorſus ut hoc etiam tempore Valentinianus, quamprimum in Gallias venit, Patris ac fratris exemplo ſedem ibi fixerit. Arelatum quidem nondum in hunc titulum ſucceſſiſſe, ex eodem Auſonio diſcimus.

Arelatum.

Pande duplex Arelate tuos blanda hoſpita portus,
Gallula Roma Arelas: quā Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam.
Per quam Romani commercia ſuſcipis orbis;
Nec cohibes, populoſq; alios & mœnia ditas;
Gallia quem fruitur, gremioq; Aquitania lato.

Nulla hîc adhuc de ſolii Imperialis Arelatum tranſlatione mentio. Totam eam dignitatem unis Treviris ſuprà indulſit. Poſt Emeritam Luſitaniæ tum caput, poſt Athenas, Capuam & Syracuſas; Gallicas tres inſuper urbes extollit, Toloſam, Narbonem, & Burdegalam. unde Galliarum circa hunc annum Chriſti 390. ſtatum colligere potes. Agrippinæ, Moguntiæ, Remorum, aliarùmve Belgicarum nulla ibi mentio. Evidenti argumento nondum tantas extitiſſe: aut tunc afflictas.

Toloſa, Narbo, Burdegala.

CAPUT XII.

Valentiniani Iunioris cædes. Eugenius Tyrannus. Arbogaſtis in Francos expeditio: utriuſq; interitus.

Ab Anno Chriſti 391. ad 395.

Anno Chriſti 391.

1. THeodoſius Imperatot in Italia moratus eſt ultra 5. Idus Maii, Tatiano Symmachoque Coss. ut ex ejus reſcripto Concordiæ dato liqnet lib. 5. de Apoſt. Cod. Theod. Is eſt annus Chriſti 391. Unde Socrates: *Theodoſius cùm cetera omnia præclarè diſpenſaſſet, Urbis gubernationem Valentiniano reliquit. Inde cum filio (Honorio) Conſtantinopolim iter capit, eoq; adventat iiſdem Tatiano Symmachóque Coss. quarto Idus Novembris.*] Idem iiſdem Coss. notat Marcellini Chronicon Indictione 4. eodem ſcilicet anno Chriſti 391.

Socrat. l. 5. c. 18. fin.

Anno Chriſti 392. Valentinianus cæditur.

2. *Igitur* anno Chriſti 392. *Valentinianus junior regno reſtitutus*, ait Oroſius lib. 7. cap 35. *in Galliam tranſiit.* quam jam tertio à Maximi interitu anno, ita regebat Arbogaſtes, ut ſocium vel Cæſarem ægrè paſſurus videretur. Neque verò ultra annum, Valentinianum pati potuit: uti mox. *Ibi*, pergit Oroſius, *cùm tranquillâ Rep. in pace ageret*, Romani gentiles Legationem ſecundam ad eum misêre, quâ Aram Victoriæ, & ſumptus cæremoniarum reddi poſtulabant. Nihil extorquere potuerunt. licèt Ambroſius, qui iſtud ipſum primùm in Italiâ diſſuaſerat, tunc in Galliâ non adeſſet. ut ipſemet bis teſtatur, ſemel epiſtola 15. Sixtinâ, iterum in funere Valentiniani. Unde hujus fidem vides, fuſiùs ideò ab eodem Ambroſio laudatam. Cùm ergo Valentinianus *ſic ageret*, pergit Oroſius, *apud Viennam, dolo Arbogaſtis Comitis ſui, ut ferunt, ſtrangulatus, atque ut voluntariam ſibi conſciviſſe mortem putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt.*] Annum cædis hujus, 392. & diem, ita ceteris characteribus affecit Epiphanius, ut dubium omne ſuſtulerit. Sic enim ille: *Arcadio ſecundùm & Rufino Coss.* (qui eſt annus iſte 392.) *mortuus eſt Valentinianus junior, Valentiniani Magni filius. qui ſubinde, ut ferunt, præfocatus in Palatio repertus eſt, Idibus Maij, pridiè Pentecoſtes, die Sabbathi. Ipſo verò die Pentecoſtes elatus eſt. Erat tùm apud Ægyptios menſis Pachon dies 21. juxta Græcos Artemiſii menſis 23. ſecundum Romanos 17. Kalendas Junias.*] Qui omnes characteres annum illum 392. certò determinant, & Cyclum Solis IX. Literam Dominicalem D C. Cyclum Lunæ XIII. Solus dies Artemiſii XXIII. mendoſus veriſimiliter; quando neque Lunari menſi, neque Solari convenit. Reponit igitur Petavius diem XVI. cùm Latinis, quorum menſibus Syromacedonici tunc æquabantur.

Epiph. de pond. & menſ.

Ex variis Epiphanii characteribus.

3. Sed

Ex Sulpitio Alexandro,

3. Sed hujus mortis circumſtantias fuſiùs ex Sulpitio Alexandro & Zoſimo audire juvat. Ita igitur ille: *Dum diverſa in Oriente per Thracias geruntur, in Galliâ ſtatus publicus perturbatur. Clauſo apud Viennam Palatii ædibus Principe Valentiniano, & penè infra privati modum redacto; militaris rei cura Francis ſatellitibus tradita, civilia quoque officia tranſgreſſa in conjurationem Arbogaſtis. nullúſque ex omnibus ſacramentis militia obſtrictis reperiebatur, qui familiari Principis ſermoni aut juſſis obſequi auderet.*] Tantam ſibi Francus ille Arbogaſtes auctoritatem, juventute Principis abuſus, aſſumpſerat.

& Zoſimo libro 4.

4. Zoſimus autem: *Arbogaſtes*, inquit, *oriundus è gente Francorum, quem ſecundum à Baudone Duce locum Gratianus Imperator obtinere juſſerat, illo rebus humanis exempto, fretus induſtriâ ſuâ, citra Principis auctoritatem, imperium militare ſibi vindicaverat. Viſus autem ſubditis ſibi militibus idoneus, ob fortitudinem rei que bellica ſcientiam & pecunia contemptum, magnam ad potentiam pervenit. Adeóque tantus erat, ut etiam adverſus Principem liberior eſſet, & quacumque non recte, neque uti par erat, fieri putabat, prohiberet. Ea Valentinianus permoleſte ferens, reluctabatur quidem ſæpius, ſed nihil proficiebat. Nam Arbogaſtes omnium militum benevolentiâ munitus erat.* fortè, quia militum pars major Franci erant, aut corrupti. *Tandem Valentinianus haud ferens amplius, ut huic ſubjectus eſſet; cùm Auguſto in ſolio ſedens, accedentem videret Arbogaſtem; acerbius hominem tomis adſpiciens, literas porrigit, quibus ipſi Imperium abrogabat. Iis ille perlectis, Nec imperium, inquit, mihi dediſti, nec auferre poteris. Quibus prolatis, diſcerptóque libello & in terram abjecto diſcedebat. Ex eo tempore, non clanculum ſuſpiciones alebantur, ſed omnibus eorum inimicitia patebant.*

5. *Ac Valentinianus quidem crebris ad Imperatorem Theodoſium litteris utebatur; hominis adverſus Imperatoris majeſtatem adrogantiam commemorans: ſimul petebat, ut opem ſibi ferret, jurans ni quamprimùm hoc faceret, ad ipſum ſe convolaturum. Arbogaſti verò conſideranti, quid agendum eſſet, hujuſmodi conſilium animo inſedit. Verſabatur in aulâ quidam, cui nomen Eugenius, tantû eruditione doctrina, ut & oratoriam profiteretur, & ſcholam aperiret. Hunc Richomeres,* anni 384. cum Clearcho Conſul & Francus, *ut hominem pertlegantem & urbanum complectens, Arbogaſti commendat, & ab coperit, ut inter familiares & amicos illum habeat: quippe non futurum inutilem, ſi quando negotium aliquod emergat, quod officium amicitia veri poſtulet. Igitur ubi Richomeres ad Imperatorem Theodoſium profectus fuiſſet, aſſidua conſuetudo amiciſſimum Arbogaſti Eugenium reddidit. adeóque nihil erat rei ſeria, quod illi non crederet. In hoc igitur tempore, cum ei ad animum hic Eugenius accidiſſet, qui propter eximiam doctrinam & vita gravitatem, ad bonum Imperium futurus eſſet aptiſſimus; cum eo qua ſecum ipſe deliberaſſet, communicat. Sed cùm illum offendi per ea, qua proponerentur, videret; hominem demulcere pergebat, & hortari, ne rejiceret qua à fortunâ donarentur. Poſtquam ergo perſuaſit, præſtare ratus eſt, priùs è medio Valentinianum tollere, atque ita rerum ſummam Eugenio tradere.*

Eugenius à Richomere Arbogaſti commendatus.

Arbogaſtes eum ad Imperium incitat.

Valentinianum interficit.

6. *Igitur Principem, qui apud oppidum Celticum* (id eſt Gallicum) *Viennam commorabatur, & propter muros ejus ludicra cum quibuſdam militibus exercebat, nihil tale cogitantem adortus, letaliter vulneras & interficit.*] Necatum quoque Valentinianum habet Hieronymus Ep. 3. *Adoleſcens Valentinianus,* ait, *ac penè puer, haud procul ab Urbe* (Lugduno) *fraterna mortis conſciâ necatus eſt: & cadaver exanime ſuſpendio infamatum.*] Valentinianum forte non publicè, ſed privatim interfecerit Arbogaſtes; eumque mox ſuſpenſum, vitam ſibi laqueo eripuiſſe jactaverit. Unde Ruffinus lib. 2. cap. 3. cauſam cur vitam laqueo finierit latuiſſe ſcribit, ac ne quidem conſtare, laqueum ſibi ipſe an alii injecerint. Dubitat & Sozomenus. Caſſiodorus in Chronico, *vita tadio apud Viennam laqueo periiſſe* planè dicit. Sed veriſſimè Oroſius libro. 7. cap. 35 dolo Arbogaſtis laqueo ſuſpenſum notat, ut voluntariam ſibi mortem conſciviſſe putaretur. Socrates libro 5. cap. 24. Eugenium & Arbogaſtam, Eunuchos Imperatoris cubicularios ſollicitaſſe, eoſque promiſſis majoris honoris inductos, Imperatorem dormientem oppreſſiſſe & ſtrangulaſſe teſtatur. Sane longe abeſt Ambroſius ut Valentinianum ſibi manus iotuliſſe credat; imò eum, *cùm in Tranſalpinis partibus poſitus, audiſſet ad Italia fines Barbaros appropinquaſſe, ſcribit, ſolicitum ne alieno hoſte regnum ſuum attentaretur, venire properaſſe, cupientem dimittere Gallicana otia, & pericula Italica ſuſcipere. imò ſe ab eo ſæpè appellatum* addit, *ut ſacris baptiſmi myſteriis initiaretur: ac denique reſcripſiſſe, ut ſine morâ pergeret, eò quòd illum vadem fides ſua habere apud Comitem ſuum vellet: non arbitraretur Ambroſius cauſam itineris ejus Synodum Gallorum eſſe Epiſcoporum, propter quorum frequentes diſſenſiones, crebrò ſe ille excuſaverat ſed ut ipſe Valentinianus baptizaretur in ipſo egreſſu.* credo, è Galliis. Verùm cùm Ambroſius Alpium juga ſuperaret, nuntium de Imperatoris morte accepit: ut fuſiùs ipſe in funere Valentiniani. Ita vix ultra annum unum egerit in Gallia Valentinianus; neſcio an & Viennenſem exceſſerit. Belgicam certè aut Treviros iniſſe non videtur. pæne infra privati modum ab ſuo Comite redactus.

7. Quod autem Ambroſius ait, Synodum tunc Gallicanorum Epiſcoporum cogitatam fuiſſe, *ob frequentes eorum diſſenſiones*; quid velit, paulu antè dixi. Statim à Maximi nece, legimus in Proſperi vulgati Chronico, *Timaſio & Promoto Coſs.* id eſt, anno Chriſti 389. *Ithacius & Urſatius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cujus accuſatores fuerant, Eccleſia communione privantur.*] Multi alii Epiſcopi iis communicaverant, ipſeque inter alios Felix Trevirorum, de quo nos ex Severo ſuprà. Iſtæ igitur inde natæ diſſenſiones. Sanè in Synodo Taurinenſi, poſthac anno Chriſti 397. habitâ. Canone 6. decretum eſt, ut ſi qui Galliarum Epiſcopi, *qui Felici communicabant*, ab ejus communione ſe vellent ſequeſtrare, in conſortium pacis ſuſciperentur. Parte aliâ Proſper Pithœanus, ad annum Theodoſii undecimum, qui ibi eſſe debet Chriſti 391. *Ingens*, ait, *inter noſtros contentio oborta: quod ſcilicet Epiſcopi, qui ab hæreticis depulſi fuerant, nollent his ab Imperatore dejectis, alios quam ſe ſubſtitui Sacerdotes.*] *inter noſtros*, ait, quos? eſt hic Proſper Gallus Aquitanus, eoque de Gallis loqui videri poteſt. Quinam tamen Epiſcopi in Galliis, ab hæreticis aliquando pulſi, nondum hoc tempore, ſub tot Catholicis Imperatoribus reſtituti eſſe poterant? Nam Valentinianus, Gratianus, & Maximus Catholici fuere. Fortè ex partium animoſitate odium accreverat. Hæc in tranſitu, occaſione dicti Ambroſii.

Gallicanorum Epiſcoporum diſſenſiones.

8. Jam

Eugenium Imperatorem renunciat Arbogaſtes.

8. Jam Zoſimum à nece Valentiniani pergentem audiamus *Cùm omnes, ait, facinus admiſſum* (ab Arbogaſte ſcilicet, Valentiniani interfectore) *ferrent ſeu diſſimularent, ob viri dignitatem & fortitudinem bellicam; ſimul quod hominem pecuniæ contemptorem magnâ milites benevolentiâ proſequerentur:* Arbogaſtes *Eugenium Imperatorem renuntiat; omnibus de hoc viro, propter ejus inſignes dotes, ſpem bonam concipere juſſis.* Ita Zoſimus magnificè de utroque. Longè deſpectiùs Claudianus tunc florens. Nam de tertio Conſ. Honorii v. 66. & 67. canit, *Barbarus Heſperias exul poſſederat oras* (Arbogaſtes) *Sceptráque dejecto dederat Romana clienti*, nempe Eugenio. Idem in 4. Honorii Conſulatu, v. 75. *Hunc ſibi Germanus famulum delegerat exul.* Arbogaſtem ecce bis vocat *exulem*, ſemel *barbarum*, iterùm *Germanum*, ſeu Francum: credo quòd à Francis expulſus, Romanis ſe junxiſſet. Eugenium verò jam *clientem*, jam *famulum* appellat, nempe Arbogaſti ſubjectum. Eumdem erga Chriſti Religionem non ſincerè affectum, & ſiderum extorumque inſpectionibus deditum, tradit Sozomenus lib. 7. cap. 22. Ipſeque in Ambroſii vitâ Paulinus, ait illum Flaviano Profecto & Arbogaſtæ Aram Victoriæ, & ceremoniarum ſumptus reſtitui, petentibus concesſiſſe. Pergit Zoſimus:

Theodoſius in Eugeniũ movere parat.

9. *Univerſis hiſce Theodoſio renuntiatis, uxor ejus Galla fratrem deplorans Regiam totam conturbabat. Simul ipſe Princeps magno mœrore curáque conficiebatur, qui Imperii conſortem ætate florentem, affinitatiſque vinculo junctum amiſiſſet; & in homines à ſe alienos, alioquin invictos, cùm ob Arbogaſtis miſtam audaciæ fortitudinem, tum ob inſignes Eugenii junctas cum doctrinâ virtutes incidiſſet. Aleam tamen de rerum ſummâ jacere decrevit, omnis generis apparatum ad bellum gerendum inſtituens. Et turmas quidem Equeſtres Richomeri committere cogitabat: ejus viri fortitudinem pluribus jam bellis expertus. Quum autem Richomeres hujus conſultationis tempore morbo extinctus eſſet, ad alios duces deligendos ſe vertebat.*] Fuit iſte Richomer vel Richimer Theudemeri Francorum poſtea Regis pater; ut circa annũ Chriſti 415. dicam. & Theudemer hoc tempore juvenis erat, annorum præter propter viginti.

Richomer ejus Dux moritur.

Legati ab Eugenio ad Theodoſiũ.

10. *Interim adeſſe miſſam ab Eugenio legationem nuntiatur; quæ de Theodoſio Principe quæreret, utrum Eugenium in imperio pateretur, an renuntiationem illius improbaret? Eâ legatione Rufinus Athenienſis fungebatur; nec litteras Arbogaſtis ſecum ferebat, nec ullam aliam ejus mentionem faciebat.* Addit Rufinus inter legatos etiam fuiſſe Sacerdotes (Epiſcopos) qui Arbogaſtẽ culpâ purgarent, inſontemque eum penitùs monſtrarent. *Theodoſius legatos muneribus & verbis humanioribus deceptos domum remiſit: ſtatimque adparatui bellico totus intendit. Romanis exercitibus Timaſium, & ſecundum hunc Stelichonem præfecit. Erat Stilico Serenæ Principis Theodoſii fratris filiæ maritus. Fœderatos autem Barbaros Gaini & Saulo* (Gothis) *parere juſſit.* Iſta Zoſimus. Ceterùm apparatus iſte bellicus totum ſequentem etiam annum 393. tenuit.

Annus Chriſti 393.

Arbogaſtes in Francorum ſubregulos movet.

11. Iſtâ autem hyeme, quæ annum 392. clauſit, ſequentem 393 aperuit, *Arbogaſtes* (ait Sulp. Alexander) *Sunnonem & Marcomerem ſubregulos Francorum, gentilibus odiis inſectans, Agrippinam rigente maximè hyeme petiit: ratus tutò omnes Franciæ receſſus penetrandos urendóſque, cùm decuſſis foliis nudæ atque arentes ſylvæ inſidiantes occulere non poſſent. Collecto ergo exercitu tranſgreſſus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, pagum etiam quem Chamavi incolunt, depopulatus eſt; nullo unquam occurſante: niſi quòd pauci ex Ampſivariis & Chattis, Marcomere duce, in ulterioribus collium jugis apparuere.*] Ita ille. Bructeri igitur, poſtea Boructuari, ripam Rheni dexteram ſeu Barbaricam à fluvio circiter Lonâ aut ſaltem *Sigen* (unde olim Sicambri dicti) adusque *Duisburgum* Cliviæ caput inſidebant: quà modo *Bergen* ducatus. Iis ad Septentrionem & ad Rhenum adhærebant Chamavi, Rurâ fluvio ferè disjuncti, uſque ad Lupiam & forte ultrà. quà modo Marchiæ Comitatus porrigitur, in quo Urbes Chamavis adhuc cognomines, *Caemen, Ham, & Hammkel.* Ultra Chamavos, montium ſunt ea juga, quæ Chamavos ab Chattis, (hodie Haſſis) Ampſivariiſque fluvii *Ems* ſeu *Amiſiæ* accolis diſterminant. ut alibi fuſiùs. Atque ex hoc Sulpitii loco clarè intelligimus Marcomerem Ampſivariorum Chattorúmve in Francia *Regem* aut ducem fuiſſe. Cumque diſertè notet, bellum hoc etiam contra Sunnonem ſuſceptum eſſe; relinquitur, ut Sunno citerioribus & Rheno proximis Francis, puta Bructeris & Chamavis, æquè præfuerit; neſcio an etiam Hattuariis.

12. Atque hoc eſt bellum de quo in Ambroſii vitâ Paulinus: *Per idem tempus*, inquit, *Arbogaſtes Comes adverſus gentem ſuam, hoc eſt Francorum, bellum paravit. atque pugnando non parvam multitudinem manu fudit; cum reſiduis verò pacem firmavit. Sed cùm in convivio à Regibus gentis ſuæ* (*Sunnone* ſcilicet, Marcomere, Genobaldo, & aliis) *interrogaretur, utrum ſciret Ambroſium; & reſpondiſſet noſſe ſe virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari ſolitum; audivit: Ideo vincis omnes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli, Sta, & ſtat.* Ita Paulinus, plane ad Ambroſium, qui in funebri oratione Valentiniani, eâ Arbogaſtis familiaritate fiſus, ſcribit, *magna ſe cura & ſedulitate inter eum & Comitem ejus concordiam gratiámque refuſurum fuiſſe, ſi adfuiſſet.* Ceterùm Arbogaſtis illud cum Francorum Regibus convivium anno 393. contigit indubiè, pace tum factâ, & Eugenio ipſo vel præſente vel vicino firmata. Sic enim Sulpitius Alexander: *Dehinc Eugenius Tyrannus ſuſcepto expeditionali procinctu, Rheni limitem petit; ut cum Alamannorum & Francorum Regibus vetuſtis fœderibus ex more initis, immenſum ea tempeſtate exercitum gentibus feris oſtentaret.*] Scilicet Eugenius & Arbogaſtes in Italiam Illyricumque moturi pacem cum Tranſrhenanis ſtabiliebant, ne quem à tergo hoſtem relinquerent.

De quo in Ambroſii vitâ Paulinus.

CAPUT

CAPUT XIV.

Theodoſii cum Eugenio & Arbogaſte conflictus.

Anno Chriſti 394.

Arbogaſtis copiæ innumeræ ex Barbaris & aliis.

1. QVod ad bellicum Tyrannorum apparatum attinet, ita Oroſius tum vivens: libro 7. cap. 35. *Arbogaſtes lecto homine cui titulum Imperatoris imponeret. ipſe acturus imperium; vir barbarus animo, conſilio, manu, audacia, potentiáque nimius; contraxit unde que innumeras invictáſque copias, vel Romanorum præſidiis vel auxiliis barbarorum: alibi poteſtate, alibi cognatione* (Francorum) *ſubnixus. Iſte præcipuum in utroque* (nempe in potentia Dei & fragilitate hominis) *documentum eſt: qui & tunc, cum Theodoſio paruit, tantis inſtructum præſidiis Maximum ipſe minimus cepit: & nunc, cùm adverſus eundem Theodoſium collectis Gallorum Francorúmque viribus exundavit, nixus etiam præcipuo cultu idolorum, magna tamen facilitate ſuccubuit.* Hæc omnia Oroſius, quæ ex parte expreſſit Marcellinus in Chronico. Quibus intelligimus eum non pacem tantùm cum gentilibus Francis feciſſe, ſed & eos ſibi auxiliares eo bello magnis copiis habuiſſe: ſicut & ante illum habuerant Magnentius Maximuſque tyranni.

In Italiam movet Eugenius.

2. Ita paratus Eugenius cum Arbogaſte, anno proximo 393. (ut reor) movit in Italiam: jamque *ad civitatem Mediolanenſem feſtinatò veniebat* (ait in Ambroſii vitâ Paulinus) cùm Ambroſius inde Bononiam, mox Faventiam, tum Florentiam fugit: ubi ad Theodoſii adventum, ſeu annum inſequentem 394. hæſit. Cur autem fugerit, rationem fusè reddit epiſtola decima-quinta Sixtinæ editionis; quam apud ipſum, & Baronium anno Chriſti 392. §. 19. & 23. videre potes. Præcipua cauſa erat Ara Victoriæ, ſacrificiorumque gentilium reſtitutio, de quâ paulò antè. Unde & Ruffinus l. 2. c. 33. *Pagani*, ait, *qui errores ſuos novis ſemper erroribus animant, innovare ſacrificia, Romam funeſtis victimis cruentare, inſpicere exta pecudum, & ex fibrarum præſcientiâ ſecuram Eugenio victoriam nuntiare. ſuperſtitioſiùs hæc agente, & cum omni animoſitate Flaviano tunc Præfecto; cujus aſſertionibus* (*magna enim erat ejus in ſapientiâ prærogativa*) *Eugenium victorem fore pro certo præſumpſerant.*] Erat aut certè fuerat Chriſtianus Eugenius, ut ex ea Ambroſii epiſt. 15. videmus. Sed ut Gentiles ſibi adjungeret, aut ad idola verſus erat, aut diſſimulabat, Arbogaſte præſertim Comite & Flaviano Præfecto petentibus atque conſulentibus.

3. *Eugenius è Mediolanenſi civitate egreſſus* (pergit Paulinus) *contra Theodoſium Imperatorem* profectus eſt. *Promiſeráque, Arbogaſtes tunc Comes & Flavianus Præfectus egredientes, cùm victores reverterentur, ſtabulum ſe eſſe facturos in Baſilicâ Eccleſiæ Mediolanenſis, atque Clericos ſub armis probaturos. Cauſa commotionis erat, quia dona Imperatoris, qui ſe ſacrilegio commiſcuerat, ab Eccleſiâ reſpuebantur, nec orandi illi cum Eccleſia ſocietas tribuebatur.*] Iſta Paulinus, quibus ſimilia in Belgio Galliſque contigiſſe prona cōjectura eſt.

Alpes Julias occupat.

Illi igitur ſic egreſſi, *arcta Alpium latera* (ait Oroſius) *atque inevitabiles tranſitus præmiſſis callidè inſidiis occupârunt: ut etiamſi numero ac viribus impares forent, ſolâ tamen belli diſpoſitione victores eſſent.*] Juliæ erant iſtæ Alpes, circa Aquileiam ſcilicet, ubi poſtea pugnatum. & in ipſis jugis, teſte tam Auguſtino l. 5. de Civit. Dei, c. 26. quàm Theodoreto l. 5. c. 24. *Jovis Fulminei, Herculiſque, ſtatuas* locaverunt, quibus ſcilicet confidebant.

4. Contrà Theodoſius crucis ſigno de more confiſus, cùm Honorium quoque filium Cæſarem Conſtantinopoli declaraſſet, eumque ibidem cum fratre Arcadio reliquiſſet; cum ingenti Barbarorum tranſiſtrianorum, quibus Gainem & Saulum Præfectos fuiſſe diximus, *Sitas in medio nationes* (ait Zoſimus) *omnes percurrit; & Alpium aditu præter omnem ſpem potitus, ad hoſtes acceſſit, inopinato adventu Eugenio territo.* Ac primùm legiones Barbaras duce Gaine & ceteris in hoſtes immiſit; quarum eo die pars major interiit. adeo ut Oroſius dicat, *decem millia Gothorum interiiſſe, quos Arbogaſtes deleſſe funditus fertur. & quos utique perdidiſſe lucrum, & vinci vincere fuit.*] *Sed fiebat hoc* (addit Ruffinus) *non ut Theodoſius vinceretur, ſed ne per barbaros vincere videretur.*] *Noctis interventu ſe recollegerunt exercitus*, ait Zoſimus; & Eugenius munera ſuis epulaſque dabat, ut victor. — Quibus Theodoſius præter ſpem potitur. — Sed decem millia ſuorum primo prælio perdit.

5. *At verò Theodoſius* (ſubdit rurſum Oroſius) *in ſummis Alpibus conſiſtens, expers cibi ac ſomni, ſciens quod deſtitutus ſuis, neſciens quod clauſus alienis, dominum Chriſtum ſolus ſolum, qui poſſet omnia, corpore humi fuſus, mente cœlo fixus orabat. Dehinc poſtquam inſomnem noctem precum continuatione tranſegit; ſigno crucis ſe muniens ſignum prælio victóriaque dedit. Prima ſalutis viâ extitit Arbetio hoſtilium partium Comes: qui cùm ignarum Imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidiis, converſus ad reverentiam præſentis Auguſti, non ſolùm periculo liberavit, verùm etiam inſtruxit auxilio.* — Secundo vincit.

At ubi ad contigua immiſcendæ pugnæ ſpatia perventum eſt; continuò magnus ille & ineffabilis turbo ventorum (à Deo procuratus) *in ora hoſtium ruit. Ferebantur per aërem ſpicula miſſa noſtrorum, atque ultra menſuram humani jactûs manu in aëre portata, nuſquam propemodum cadere, priuſquàm impingerent, ſinebantur. Porrò autem turbo continuus ora pectoráque hoſtium nunc illiſis graviter ſcutis everberabat, nunc impreſſis pertinaciter obſtructa claudebat, nunc avulſis violenter deſtituta nudabat. nunc oppoſita jugiter in terga trudebat. Tela etiam quæ ipſi vehementer intorſerant, excepta venti impetu ſupinata ac retrorſum coacta, ipſos infeliciter configebant. Proſpexit ſibi humana conſcientia pavor; nam continuò ſeſe, parvâ ſuorum manu fuſâ, victori Theodoſio hoſtilis proſtravit exercitus. Eugenius captus atque interfectus eſt. Arbogaſtes ſuâ ſe manu percuſſit.*] Oroſ. Theodoretus ait Eugenium à ſuis captum & ad Theodoſium adductum; necari juſſum. Capite plexum ait Zoſimus. *Arbogaſtes*, teſte Socrate lib. 5. cap. 24 *tantæ cladis auctor, biduo poſt prælium fugiens, ubi nullam vitæ ſpem ſibi reliquam intellexerat, proprio enſe ſe ipſe peremit.*] eadem canit Claudianus tunc florens: — Magno ventorum turbine. — Quem deſcribit Claudianus in tertio Honorii Conſulatu.

——— Nec profuit hoſti
Munitis hæſiſſe locis, ſpes irrita vallo
Concidit, & ſcopulis patuerunt clauſtra revulſis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies; revolutáque tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris

Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.
Alpinæ rubuere nives, & frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis; turbâque cadentum
Staret, ni rapidus juviſſet flumina ſanguis.
At ferus inventor ſcelerum (Arbogaſtes) *trajecerat altum*
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Enſis, & ultrices in ſe converterat iras.

In quarto autem Honorii Conſulatu, v. 92. ita caſum tam Andragatii, quàm Arbogaſtis comparat:

Amborum periere duces: hic ſponte carinâ
Decidit in fluctus, illum ſuus abſtulit enſis.
Hunc Alpes, hunc Pontus habet.

Ita & hic (addit Oroſius) *duorum ſanguine bellum civile reſtinctum eſt. & clementi bonitate ſopitum, ubi nec pugna gravem cædem, nec victoria cruentam exegit ultionem.*] Eamdem clementiam canit Claudianus in quarto Honorii Conſulatu, v. 111. & ſeqq. Ceterum bellum hoc *octavo Idus Septembris Arcadio tertium & Honorio ſecundùm Auguſtis Coss.* id eſt anno Chriſti 394. geſtum, teſtatur Socrates lib. 5 cap. 24. & Sozomenus lib. 7. cap. 24.

Victoriæ dies ſexta Septembris. anno 394.

6 Theodoſius victor Aquileiæ primùm aliquamdiu hæſit, ubi & illum inviſit Ambroſius. unde *Mediolanum revertens, uno die præceſſit Imperatorem* (ait in ejus vita Paulinus) *Nec diu Theodoſius, ſuſceptis filiis in Eccleſiâ & traditis Sacerdoti* Ambroſio, *in hac luce fuit.*] Id eſt, Theodoſius filios ſuos Arcadium & Honorium Conſtantinopoli Mediolanum accivit; cùm advenissent, in Eccleſia ſuſcepit, & Ambroſio traditos commendavit. Socrates tamen, Sozomenus, & ipſe Claudianus in Honorii Conſulatu 3. v. 110. ad 143. & Conſulatu 6. v. 90. ſolius Honorii advocati meminerunt; additque Claudianus in eodem 6 Conſulatu v. 93. ab Serenâ Stiliconis uxore fideliter adductum. patrique Theodoſio traditum. qui eum Stiliconi commendavit. Verba commendantis utcumque refert idem Claudianus in tertio Conſulatu à v. 144. ad 162. quæ ibi 16. lege. Breviter Zoſimus lib. 4. fin. *Theodoſius Honorium filium Imperatorem appellat, Stilicone legionum in iis locis duce creato, & eodem filii ſui tutore relicto.* & infrà ſubdit, *cum Italis. Hiſpanis, Celtis, & univerſa Africa,* id eſt toti Occidenti *præfectum.*

Theodoſius victor Honorium filium Mediolani ſuſcipit.

Et Occidentis Imperio, Stilicone tutore, præficit.

7. His geſtis Theodoſius fato functus Mediolani, 17. Kalendas Februarii, ſeu Januarii 16. Olybrio Probinoque fratribus Coss. ſeu anno Chriſti 595. ineunte. quatuor omnino menſibus, diebus novem à victoriâ de Eugenio partâ. cùm annos imperaſſet 16. dies duos. annum ageret ætatis 50. ut Victor, Proſper, Marcellinus, & alii. licèt Socrates annos 60. vixiſſe dicat. Laudes ejus vide apud Ambroſium in ejus funere, & apud Claudianum in 3. 4. & 6. Honorii Conſulatu.

CAPUT XV.

Stiliconis in Francos expeditio. Marcommer & Sunno Francorum Reguli puniti.

Ab anno Chriſti 395 ad 400.

1. ABs anno Chriſti 395. ad 406. pauca nobis de Francis aut Belgis hiſtoriæ ſuggerunt. & ni Claudianus Poëta utcumque suppleret, ſilentio decennium iſtud tranſmittere cogeremur. Quod licet, ex ipſo eruemus. Nam totum iſtud intervallum, & paulò amplius, Stiliconis cujus Claudianus cliens eſt, quodammodo regnum exiitit.

2. Fuit *Comes Stilico* (ait Oroſius lib. 7 cap. 38.) *Vandalorum imbellis, avaræ, perfidæ, & doloſæ gentis genere editus.* Pater ejus ſub Valente militavit, & ut Claudianus *rutilantes crinibus alas duxit.* Ipſe à puero militiæ addictus; cùm primùm adolevit, legatus ad Perſas miſſus, pacem cum eis compoſuit: Mox anno Chriſti circiter 384. exercitui ab Imperatore Theodoſio Perfectus eſt, ut in ejus morte è Zoſimo demonſtrabo. Inde ob raras virtutes Serenæ Theodoſii ex fratre nepti jam adultæ datus maritus, Eucherium filium ex ea ſuſtulit, & quidem Romæ, ut Claudianus; eo opinor tempore quo Theodoſius ibidem jam Maximi triumphator agebat, circa annum Chriſti 389. aut paulò poſt. Inde Conſtantinopolim cum eodem Theodoſio redux. rurſus reſumptæ in Eugenium expeditionis Comes fuit; quo victo Mediolanum cum victore venit, à quo moriente, Honorii ab Serenâ Conſtantinopoli eò deducti tutor datus tandem eſt; ſub quo ille habenas capeſſivit Imperii, cùm vixdum decennis eſſet alumnus. Claudianus in Ruffinum lib. 2. v. 5. etiam Arcadio rectorem datum canit: *Tibi credita fratrum Utraque majeſtas, geminæque exercitus aulæ.* Unde Ruffini, qui Arcadium hucuſque texerat, in eum livor.

Quis fuerit Stilico.

3. Ac principio quidem tantæ rerum moli non impar viſus. Unde rectè Claudianus lib. 1, de ejus laudibus, v. 148. & ſequentibus.

Initio regiminis non malus.

Nil tibi Barbaria motus, nil turbida rupto
Ordine tentavit novitas. tantòque remoto
Principe, mutatas orbis non ſenſit habenas.

Ne exercitus quidem tam diſſonis licet conflatus gentibus, aut ab Theodoſio adductus, aut ob hoſte victo receptus, vel minimùm movit: in quo tamen (ut idem Claudianus v. 160.) *Rhodani procera cohors*, id eſt Gallicus miles; vel *miles alumnus Oceani*, hoc eſt Francus & Saxo, & tot alii Barbari inerant.

Nullus à milite aut hoſte motus.

4. Unde Claudianus idem in quartum Honorii Conſulatum, Theodoſium paulo antè mortuum alloquens, canit

—— —— Jam natus adæquat
Te meritis, & quod magis eſt optabile, vincit,
Subnixus Stilichone tuo. quem fratribus ipſe
Diſcedens clypeum defenſor emque dediſti.
Pro nobis nihil ille pati, nullùmque recuſat
Diſcrimen tentare ſui.

Et quia necdum Galliarum res Theodoſius planè

compo-

compoſuerat, quatuor dumtaxat menſibus ab tyranni morte ſuperſtes; primas eò curas vertit Stilico. & pacem cum Tranſrhenanis facere inſtituit. Nam mox Claudianus Honorium Auguſtum, etſi tum adhuc puerum, ita adloquitur: v 440.

Barbaros omnes ad Rhenum componit.

Hunc tamen (Stiliconem) *imprimis populos lenire feroces,*
Et Rhenum pacare jubes, ô Honori Auguſte, *volat ille citatis*

Alemannos ſeu Suevos.

Vectus equis, nullâque latus ſtipante catervâ.
Aſpera nubiferas quâ Rhætia porrigit Alpes,
Pergit; & hoſtiles (tanta eſt fiducia) ripas

Francos.

Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos Reges humili cervice videres.
Ante ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pavidóque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo: juratur Honorius abſens.
Imploratque tuum ſupplex Alemania nomen.

Saxonas.

Baſternæ venêre truces. venit accola ſylvæ
Bructerus Hercyniæ, latiſque paludibus exit
Cimbrus (id eſt Saxo) *& ingentes Albim liquere Cheruſci*
Accipit ille preces varias: tardéque rogatus
Annuit; & magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Druſos;
Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus empta.
Quis victum meminit ſolâ formidine Rhenum?
Quod longis aliis bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stiliconis iter.

Scilicet jam pacem iſtam Theodoſius tot laureis inclytus meruerat, & Barbaros ſolo tot victoriarum nomine territos ab infelicibus armis avocarat, & ſolâ Stiliconis præſentiâ pax firmanda reſtabat.

5. Quare rurſum Claudianus
——— *Non claſſica Francis*
Intulimus, jacuere tamen. non Marte Suevos ideſt Alemannos
Contudimus, quem jura damnis. quis credere poſſit?
Ante tubam nobis audax Germania ſervit.
Cedant Druſe tui, cedant Trajane labores,
Veſtra manus dubio quidquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilico: totidémque diebus

Rhenum à fontibus ad mare paucis diebus pacat.

Edomuit Rhenum, quot vos potuiſtis in annis.
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite; ſolus
Impiger à primo deſcendens fluminis ortu,
Ad bifidos tractus (id eſt ad divortium Rheni) *& juncta paludibus ora* (quales adhuc ſunt in Hollandiâ, ubi in Oceanum Rhenus influit.)
Fulmineum perſtrinxit iter. Ducis impetus undas
Vincebat celeres. & pax à fonte profecta
Cùm Rheni creſcebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigeri flaventes vertice Reges, (Marcomeres, Sunno, Genobaudus &c.
Qui nec principibus donis, precibúsque vocati
Paruerant, juſſi properant, ſegniúsque verentur
Offendiſſe morâ. tranſvectis litoribus amnem,
Occurſant ubicumque velis. Nec fama fefellit
Juſtitia: vidêre pium, videre fidelem;
Quem veniens timuit, rediens Germania amavit.
Illi terribiles, quibus otia (pacem) *vendere ſemper*
Mos erat, & fœdâ requiem mercede paciſci;
Natis obſidibus pacem tam ſupplice vultu
Captivóque rogant, quam ſi poſt terga revincti
Tarpeias preſſis ſubeant cervicibus arces.
Omne quod Oceanum fontémque interjacet Iſtri,
Unius incurſu tremuit: ſine cæde ſubactus
Servitio Boreas, exarmatíque Triones.
Tempore tam parvo tot prælia ſanguine nullo
Perficis: & Lunâ nuper naſcente profectus,
Antè redis, quàm plena fuit: Rhenúmque minacem
Cornibus infractis, adeo miteſcere cogis.
Ut Salius jam rura colat, flexóſque Sicambri
In falcem curvent gladios; geminâſque viator
Cùm videat ripas (Rheni) *quæ ſit Romana requirat.*
Ut jam trans fluvium, non indignante Cayce, ſeu Caucho,
Paſcat BELGA *pecus; mediúmque ingreſſa per Albim* (alii legunt, *per alveum.*)
Gallica Francorum montes armenta pererrent.
Ut procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſylvæ
Venari tutò liceat; lucóſque vetuſtâ
Religione truces, & robora Numinis inſtar (robura hic ſunt quercus Gallis & Francis ſacræ.)
Barbarici, noſtra feriant impunè bipennes.

6. Hæc omnia Claudianus, poeticè ſat ſcio: pacem tamen certam tunc compoſitam verè depingens. Neque verò pax facta dumtaxat; etiam auxilium poſthac Romanis præbuere Barbari iſti, militiæ eorum ceu auxiliares adſcripti. ſubdit enim:

Ultrò quin etiam devotâ mente tuentur (Romanos ſcilicet) — Barbari trāſrhenani Romanis auxiliares.
Victoriꝗ, favent. quoties ſociare catervas,
Oravit, jungiꝗ, tuis Alemania ſignis?
Nec doluit contempta tamen, ſpretóque receſſit
Auxilio laudata fides.

Quin & Reges iis à Stilicone tunc, poſtmodúmve datos receptoſque; imò etiam, cum delinquerent, non tam armis quàm legibus judicioque tanquam cives punitos, canit:

——— *Provincia miſſos*
Expellet citius, fallax quàm Francia Reges
Quos dederis. acies non jam pulſare rebelles, — Francorum Reges.
Sed vinclis punire libet: ſub judice noſtro
Regia Romanus diſquirit crimina carcer.
MARCOMER SUNNOQUE *docent: quorum alter Etruſcum* — Marcomer & Sonno.
Pertulit exilium; cùm ſe conſideret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.
Res avidi concire novas, odióque furentes
Pacis, & ingenio ſcelerumꝗ, cupidine fratres.

7. Qui *Marcomer Sunnóque* fuerint, quàm in pacis fractionem præcipites, ſuprà etiam ex Sulpitio Alexandro vidimus. & veriſimiliter nunc iterum civili bello Eugeniano limitem irruperint, prædas de more egerint. Unde Stilicone urgente, à ſuis inviſi & proditi fuerint. Ita alter eorum Stiliconi ſeu traditus ſeu captus, exul in Etruriam miſſus fuerit: alter ejus ultionem ſpirans, ſuorum mucrone jacuerit. Is perfidorum Regum finis fuit, inter annos Chriſti 395. & 400. Dedit ergo novos Francis Reges Stilico, quorum nomina temporis injuriâ perierunt. *Theudemer quidem Richimeris*, ut ait Turonenſis lib. 2. cap. 9. ſeu *Richomeris* (de quo plura ſuperiùs) *filius, ex Aſcilâ matre* genitus; alio tempore Saliis in Taxandria impoſitus videtur fuiſſe, ex Nummo ejus aureo reperto, ut tradit Vendelinus de Lege Salica cap. 12. & 13. Neque verò Franci, qui Marcomeri Sonnoniſque adhæſerant, Theudemeron adhuc juvenem, aut ſimilem quempiam ab illorum ſtirpe diverſum, admiſiſſent.

Qui fuerint.

8. Ceterùm iſta omnia eo triennio geſta neceſſe eſt, quod inter Januarium ineuntis anni Chriſti 395. quo Theodoſius morte abſumptus, & hunc quartum Honorii Conſulatum, ſeu annum Chriſti item ineuntem 398. interfluxit. ut per ſe patet. Et ego quo minùs errem, annum triennii iſtius medium, nempè 396. aut ſequentem 387. eligo, ſtatuoque circa illum ſaltem, Marcommerem Sunnonemque fratres, novitatum avidos, & pacem non ferentes, infauſto exitu periiſſe. Ac Marcomerem quidem captum, & in vincula conjectum, cauſâque cognitâ, in Etruriam exilio projectum: Sononem verò fratrem vindicias minitantem, ſuorum conſpiratione peremptum. Ita fratres iſti Francorum adhuc Transrhenanorum Reges, paulò ante Maximi tyranni cædem creati, poſt annos regni præter propter denos, perierint: viginti ferè annis ante quàm Marcommiri filius Pharamundus Francorum cis Rhenum à Romanis admiſſorum primus Rex, bonâ Romanorum eorumdem veniâ coronaretur, ut circa annum Chriſti 427. fuſiùs ediſſeram. Sunt qui putent, eum pro patre obſidem Romanis datum; neſcio unde. Porrò cum Marcommere & Sonnone, à Sulpitio Alexandro vetere bonoque hiſtorico, apud Gregorium Turonenſem libro 2. hiſt. Franc. cap. 9. primus nominatur Genobaldus, ejuſdem ſortis Rex. qui tamen quis fuerit, quid eo factum ſit, hucuſque non invenio.

Marcômer & Sonno pacẽ peroſi, puniuntur.

9. Quietæ igitur inde res in Francia & Franciæ vicinâ Belgicâ. Nam Claudianus paulò pòſt, v. 316.

Sentoq; iterum vernante reſumpſit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires.

& lib. 2. de laud. Stiliconis ejuſdem, v. 186.

Grates Gallus agit, quod milite tutus inermi,
Et metuens hoſtile nihil, nova culmina totis
Ædificet ripis (Rheni) *& ſævum gentibus amnem*
Tibridis in morem domibus prævelet amœnis.

Rhenus totus pacatus.

Hanc pacem adhuc anno Chriſti 400. ſtetiſſe, cum has Stiliconi iſtius anni Conſuli Panegyres canebat Claudianus, ſat conſtat. Nam inter ceteras Provincias Galliam quoque ibi inducit. ſic de Stilicone, Conſulatum faſtidiente aut differente querentem: lib. 2. v. 240. *Tum flava repexo.*

Item Gallia.

Gallia crine ferox, evinctáque torque decoro,
Binaq; geſa tenens; animoſo pectore fatur:
Qui mihi Germanos ſolus Francóſque ſubegit,
Cur nondum legitur faſtis? cur pagina tantum
Neſcit adhuc nomen, quod jam numerare decebat?
Uſque adeóne levis pacati gloria Rheni?

Similiter Britanniam inducit verſ. ſequenti.

&Britannia.

Inde Caledonio velata Britannia monſtro,
Ferro picta genas, cujus veſtigia verrit
Cærulus, Oceanique æſtum mentitur amictus,
Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilico, totam cum Scotus Hibernam
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne bella timerem,
Scottica, ne Pictum tremerem, ne litore toto
Proſpicerem dubiis venturum SAXONA ventis.

Saxonem ergo non minus quàm Francum Stilico pacaverat, & Britanniæ nihilo minùs quàm Galliæ pacem dederat. Unde ſubdit ibidem Claud v. 285.

—— Nullus Boreæ metus, omnis & Auſtri
Ora ſilet, cecidit Maurus (ſub Gildone, anno Chriſti 297.) *Germania ceſſit,*
Et Janum pax alta ligat.

& initio Panegyris tertiæ:

Aſpice Roma virum, &c. venerare curule, Stiliconis.
Qua tibi reſtituit faſces, &c.
Hic eſt felix bellator ubique
Defenſor Lybiæ, Rheni pacator & Iſtri.

Tum ſubdit, ſi Stilico triumphum ut meretur, duceret:

Certarent utroque pares à ſanguine laurus;
Hæc Alemannorum ſpoliis, Auſtralibus illa
Ditior exuviis. illinc flavente Sicambri
Cæſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.
Inde catenato gemeret Germania Rheno.

10. Hac pace diuturniore, adeò floruit Gallia, ut Romæ fame laboranti ſuccurrerit. Sic enim eodem libro 3. verſ. 91. Claudianus:

Gallia frumentum Romam mittit.

——— Quis Gallica rura,
Quis meminit Latio Senonum ſerviſſe ligones?
Aut quibus exemplis fecundâ Tybris ab Arcto
Vexit Lingonico ſudatas vomere meſſes?
Auxilium non illa ſeges modo præbuit urbi,
Sed fuit indicio, quantum tibi Roma liceret.
Admonuit Domina gentes, inſtarq; tropæi
Retulit ignotum gelidis vectigal ab oris.

& clariùs lib. 1. in Eutropium v. 400.

Quæ ſuſcepta fames, quantum diſcriminis Urbi;
Ni tua vel ſoceri nunquam non provida virtus
Auſtralem Arctois penſaſſet frugibus annum?
Invecta Rhodani Tiberina per oſtia claſſes
Cynphiisq; ferax Araris ſucceſſit ariſtis.
TEUTONICUS vomer, Pyrenæique juvenci
Sudavere mihi.

Anno Chriſti 397. quo Gildo rebellavit.

Per *Teutonicum vomerem,* indubiè Germaniam Gallicam ſeu Romanam intelligit, & Belgicam; quæ etiam iſto anno Chriſti 397. quo Gildo rebellis frumentum ex Africa Romam mitti ſolitum ſibi retinuerat, annonam Urbi per mare invexerit. Inter auxiliares autem, contra Gildonem à Romanis anno 398. miſſos, Claudianus de bello Gildonico, NERVIUM recenſet. Iſta omnia è Claudiano fuſiùs. ut intelligas pacatam ſtetiſſe Galliam à morte Theodoſii ſeu ab Januario anni Chriſti 395. uſque ad annum 400. quo Stilico Conſul primùm fuit. & quo ineunte Sulpitius Severus hiſtoriam ſuam terminaſſe ſe ſcribit.

11. Profuit ea pax Eccleſiæ Belgicæ, & in eâ Diogenes Atrebatenſis non parum promoverit in ſua prædicatione præſertim, cùm tunc ubique fides creverit. Unde Proſper Pithœanus ad annum Honorii à morte patris quartum, qui eſt etiam Chriſti 498. *Toto orbe Romano,* ait, *antiquæ ſuperſtitionis templa deſtructa.* & Idatii Faſti, *Manlio Cos.* (anno Chriſti 399.) *templa gentilium demolita ſunt, Joviano & Gaudentio comitibus.* Si hoc in toto orbe Romano factum, igitur & in Belgio.

12. Ceterùm unum id hic maximè notari velim, quando in ſequentium cognitionem non parum inducit; uſque ad annum Chriſti 407. quo ineunte Vandalica primùm cœpit in Gallias irruptio, Romanorum Imperium in Galliis & Belgio noſtro, ad Oceanum uſque & Rheni oſtia porrectum duraſſe. Nam ut priora non repetam, nihilque de Valentiniano patre dicam, *qui Rhenum omnem adusque feralem Oceanum magnis molibus & caſtris communivit, qua Galliarum extenditur longitudo;* ex Ammiano lib. 28. nihil de Maximo, quem è Britanniâ in Gallias per oſtia Rheni irrupiſſe ſcribit Zoſimus: Claudianus jam citatus Stiliconem *ad bifidos Rheni*

tractus

tractus, & ora ſeu oſtia, omnia pacaſſe memorat: ita ut *Salius jam rura colat*; quem tamen ſub Juliano Taxandriam ſeu Kempiniam hodiernam occupaſſe vidimus. Nempe aut jam ad priſcas ſedes redierat, aut quod potiùs reor, Romanis ibi ſubdiùs agitabat. Nec Saxo ea Rheni oſtia, ſaltem citeriora, adhuc occuparat; quando ex eodem Claudiano adhuc *trans flumen non indignante Cayco*, ſeu Caucho, & Saxone, *Paſcit Belga pecus*. Sed & idem Poëta l. 1. in Eutropium verſ. 380. Romam ad Honorium abeuntem cum Mediolani reperiſſe ſcribit, ineunte anno 399. quo Eutropius Conſul fuit cum Manlio,

——— Tunc forte decorus (ait)
Cum Stilicone gener (id eſt Honorius) *pacem implorantibus ultrò.*
Germanis reſpõſa dabat, legesq; Caycis (i. Saxonibus)
Arduus, & flavis ſignabat jura Suevis.
*His tribuit Reges, his obſide * fœdera ſancit*
Indicto: bellorum alios transſcribit in uſus,
Militet ut noſtris detonſa Sicambria ſignis.

* An Pharamundo?

& verſ. 391.

Tunc ſic orſa loqui (Roma ſcilicet Honorio.)
Quantum te principe poſſim,
Non longinqua docent: domito quod SAXONE Tethys
Mitior, aut fracto ſecura Britannia Picto.
Ante pedes humili FRANCO, triſtiq; Suevo, Alemãno
Perfruor, & noſtrum video, Germanice, Rhenum.

Rurſum in Palladii & Serenæ Epithalamio, v. 90.

——— Qua SAXONA frenet
Vel Scottum regio, quantum cinxere cohortes
Oceanum, quantum pacatur milite Rhenus.

Denique l. 3. de Stiliconis laudibus, verſ. 304. cùm agit de beluis, quæ ad Stiliconem pro Amphitheatro undique adducebantur velut in pace, eas etiam ab extrema Germaniâ advocat:

——— Tu Gallica cingu
Luſtra, Leontodame, Germanorumq; paludes
Eruis, & ſi quis defenſus arundine Rheni
Vaſtus aper nimio dentes curvaverat ævo.

Ex quibus omnibus Saxonas & Francos nihil tum ad aut cis Rheni oſtia poſſediſſe, imò omnes eas gentes altâ præterea quiete egiſſe, aut etiam Romanis fideliter militaſſe, certò docemur. *Quæ ſecuta ſint, ſequens liber edifferet.*

CAPUT XVI.

Sanctorum Ambroſii, Martini, & Severini mors. Poſtremi Imperatores Treviros negligunt.

Paulò antè & poſt Annum 400.

S. Ambroſii mors. charactere certo.

1. SÆculum iſtud quadringenteſimum, duorum perilluſtrium Patrum funera clauſerunt; Ambroſii Mediolanenſis, & Martini Turonenſis. Proximum quingenteſimum S Severinus Colonienſis inchoavit. Ambroſii exceſſum in quartam Aprilis diem incidiſſe, notant omnia Martyrologia. Addit vitæ illius ſcriptor Paulinus, ei coævus atque domeſticus, Sabbathi Paſchalis horâ undecimâ antelucanâ exceſſiſſe; ſequente Dominicâ ſepultum. Qui certiſſimus anni Chriſti vulgaris 397. character eſt: Cyclo Lunæ octavodecimo, Solis quartodecimo, litera Dominicali D. & Marcellini confirmant quædam Chronica, neſcio an genuina. Præfuit Eccleſiæ annos omnino 22. menſes fere 4. nempe à 7. Decembris anni Chriſti 374. ad hanc diem quartam Aprilis 397. Quod ideo noto, quia bis Treviros in Belgium venit.

& S Martini etiam pluribus.

2. Æquâ fere ratione & certitudine S Martini hic additur tranſitus. Ait Gregorius & ipſe Turonenſis Epiſcopus, Martini ſucceſſor mediatus; ex antiquis haud dubiè Eccleſiæ ſuæ archiviis: cum libro hiſt. Franc. primo, cap. ult. *tranſiiſſe ſcribit, mediâ nocte, qua Dominica habebatur.* Mortuum autem Novembris undecimâ, tradunt omnia Martyrologia, tum verò Gallorum omnium conſtantiſſima traditio; qui ab ejus exceſſu particularem Epocham diu tenuerunt de quâ nos ſæpiùs infrà. Ergo litera Dominicali G. ac proinde anno Chriſti vulgari quadringenteſimo, ſæculari; qui literâ iſtâ inſignis eſt. Accedit Severi Sulpitii auctoritas; qui ab anno Chriſti 384. ſeneſcente, quo Martinum Treviris poſtremò fuiſſe diximus, & conſtat ex Maximi tyranni primordiis; ad Martini mortem *ſedecim annos* exertè numerat in Dialogis ſuis; *quindecim* autem ab eodem anno 384. ineunte, quo Stiliconem primum iniiſſe Conſulatum conſtat, & quouſque ſuam perducit ac finit hiſtoriam, anno Chriſti naſcente quadringenteſimo, primo Conſulatu Stiliconis illuſtri.

A die Dominico.

A ſedecim annis Severi ante mortem.

Ab Evodio primum Conſule.

3. Idem alio quoque charactere confirmat; cùm eodem iſto Chriſti 384. anno Evodium menſæ cum Martino accumbentem Prætorio Præfectum & Conſulem vocat. in Galliâ ſolâ ſcilicet, nondum Romæ aut in Italiâ; in quâ, biennio pòſt, pace cum Valentiniano juniore factâ, Conſul ex pacto, anno Chriſti 486. agnitus, & publicis etiam Faſtis cùm Honorio poſtea Imperatore, tunc adhuc puero, adſcriptus eſt. quod ei primo iſto Conſulatu non contigit. Solebant tunc Tyranni, partem aliquam Imperii quomodocumque adepti, primis ejuſdem Kalendis Januariis, Conſules ſe cum fido quopiam collegâ renunciare, quibus acta publica de more notarentur, ſimul novam poteſtatem notiorem ſacratioremque redderent. ut ſuperiùs oſtendi. Ab hoc ergo ejus Conſulatu Gallicano, Severus & ipſe Gallus, ad eum annum quo Stilico primùm Conſul fuit, *ineuntem* quidem, *annos quindecim*, præcipitantem verò *ſexdecim*, calculo juſtiſſimo ſupputat, Æræ Chriſti vulgaris ſeu Dionyſianæ quadringenteſimo, Veræ autem ut credimus, & libro hujus operis ſecundo ſtabilivimus, quadringenteſimo quarto. Quod ſubinde inculcamus, ne Lector ex oblivione ſe confundat. Adde denique, Annos ab hoc Martini exceſſu deinceps in Galliâ vulgo numerari ſolitos; quos nemo, quàm ab hoc anno liquidiùs advocare poſſit. ut docebunt ſequentia fuſiùs

Inter Martini Treviros adventum, & annum 392. non ſunt anni 16.

4. Qui ergo Martini mortem Cæſario Atticoque Coss. ſeu anno Chriſti 397 affigunt, videant an ſedecim iſtos Severi annos reperire poſſint. Abs anno Chriſti 384. quo Martinus Maximo Auguſto & Evodio Conſulibus convivatus eſt, ineunte quidem, ad undecimam Novembris, quâ Martinus obiit, anni nonniſi tredecim, menſes decem, dies undecim interfluunt; ab eodem autem anno 384. exeunte anni nonniſi duodecim, menſes decem,

dies 11. Ubi aonos Severi ſexdecim exeuntes, ubi quindecim ineuntes reperient? An in re tam clarâ, Gregorium Turonenſem Martino ducentis annis poſteriorem, Severo Martini amico præferent? an Novembris diem Dominicam à Gregorio diſertè nominatam, feriæ quartæ in undecimam Novembris anno 397. incurrenti poſtponent? An dies mortis idem eſt, qui ſepulturæ, toto triduo dilatæ? Quanto liquidius & ſimplicius, verba Scriptorum ut ſonant accipere, non in alia gratis commutare?

Ambroſius Martini funeri intereſſe non potuit.

5. Quod aiunt quidem B. Ambroſium tunc adhuc ſuperſtitem Martini funeri in viſu adſtitiſſe, ipſa ſolâ Chronologiâ redarguuntur, quando ille ante Martinum pluſquam toto triennio deceſſerat. Cùm verò idem de S. Severino Epiſcopo Colonienſi dicitur, rectè ſtare poteſt. Illum ſcilicet, cùm de more loca ſancta poſt Matutinum unà cum ſuis ea die dominicâ circuiret, vocem canentium in ſublimi, eâ quâ beatus vir trâſierat horâ percepiſſe. Nam S. Martino totum triennium ſuperfuiſſe probabilior opinio eſt, cum Burdegalam forte ſe contuliſſet, ubi & deceſſit. ut in ejus vitâ & apud Gregorium Turonenſem legitur, libro primo de S. Martini miraculis, capite quarto; poſtquàm annos pluſquam 50. Colonienſi præfuiſſet Eccleſiæ. Cui S. Evergiſlus ejuſdem diſcipulus ſucceſſit; Evergiſlo Solinus Solino Simoneus. At Simoneo S. Domitianum nonnulli ſubſtituunt; qui in duobus Synodi Arvernenſis, anno Chriſti 535. habitæ exemplaribus, Foſſatenſi & Tiliano apud Sirmundum noſtrum, ſubſcripſiſſe legitur, *Domitianus Epiſcopus de Coloniâ*: licèt in altero Manuſcripto Pithœano, & omnibus jam antè cuſis, dicatur *Epiſcopus Eccleſiæ Tungrorum.* quod iterum in Aurelianenſi quinta Synodo, annis poſt Arvernenſem quatuordecim habita, diſertè legitur: & verius exiſtimo. Maximè cùm diuturna jam & conſtans Hui in Diœceſi Tungrenſi ad Moſam, vigeat ejus memoria, miraculis confirmata; vix ulla ſit in Colonienſi.

Benè S. Severinus.

Imperatorũ è Galliis abſentia, cauſa ruinæ.

6. Poſtremò antequam caput hoc & Librum finio, Lectorem mecum notare velim, Romanos Occidentis Imperatores, hucuſque ſaltem à Poſtumo Tyranno, ad Eugenium Rhetorem Treviris ſedem plerumque fixiſſe. Iſto inde fructu non parvo, quòd Barbari Tranſrhenani, licèt inquietiſſimi, diuturnum ſtabilémve in Galliis pedem figere nequiverint. Unde queritur in Majoriani Panegyrico Sidonius, verſu 354.

Ex quo Theudoſius communia jura fugato
Reddidit auctoris fratri (nempe Gratiani Valentiniano) *cui guttura fregit,*
Poſt in ſe vertenda manus (Arbogaſtes) *mea Gallia rerum*
Ignoratur adhuc Dominis, ignaráque ſervit.

Honorius primus Conſtantinopoli natus, Treviros non vidit, Mediolani ferè ſemper, Ravennæ, Romæ, aut alibi in Italiâ hærens: Stilicone credo ita volente: Honoriumque cum ad Imperium aſſumptus eſt, vix decennem, procul à Barbaris, & Rhenano Imperii limite pupillum abducente: quos ille in ſua commoda vertere moliebatur; ne quem ejus molitionis exploratorem vicinum haberet, & adverſarium. Nec eo contentus, Metropoleos Gallicanæ dignitatem Arelatum, alióve transferre conatus eſt: ſpecie quidem nimiæ ab Urbe Româ ſejunctionis, nimiæ Barbarorum viciniæ; reverâ ut ambitioni ſuæ morem ex occulto gereret.

7. Magiſtratus certè Gallicos, juriſque tribunalia quædam Arelatum transferre voluiſſe, docet Honorii Auguſti, de novâ dignitate Arelati erigendâ, ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum Conſtitutio, data anno Chriſti 418. ut ibi videbimus. In eâ enim ſic legimus: *Siquidem hoc rationabili plane, probatóque conſilio, jam & vir illuſtris Præfectus Petronius obſervari debere præceperat. Quod interpolatum, vel incuriâ temporum, vel deſidiâ Tyrannorum, reparari decernimus.* Petronius iſte, Galliarum indubiè Prætorio Præfectus, intra annos Chriſti 388. aut 395. & 406. fuerit; nempè ut hîc dicitur *ante Tyrannos* poſtremos. & conatus fuerit Metropolitanam Galliæ dignitatem, ſaltem diviſam, Arelatum transferre. Ita ſcilicet, ut hæc urbs tribus Aquitaniis, & quatuor Viennenſibus, id eſt, ſeptem Provinciis particularibus præeſſet: reliquæ Lugdunenſes & Belgicæ, jura Treviris haurire pergerent. Nam tantam rem ſine Stilicone, moliri auſum Petronium, quis credat? & hoc quidem minimè tunc factum; Stiliconis tamen mentem ſatis detegit; quâ Magiſtratus ſæpè perſpicaces, ſuorum cum Barbaris conſiliorum, ex tantâ Trevirorum viciniâ, conſcios eſſe nolebat. Quod proximum erat, ſaltem evicit; ut Honorius Italiâ nunquã excederet.

8. Hinc Rege terræ puero, Galliis item abſente, rerumque ignaro, pueri ad hæc Regis tutore barbaro & ambitione tranſverſo; quid mirum, ſi Gallici Magiſtratus, vera Stiliconis mancipia, in omnem ſe deſidiam nequitiamque projecerint? Hinc prima in Gallias eluvionis Origo. abſente longiùs Imperatore; vix de remotis cogitante; tutore ipſo ſecretiùs impellente. Unde Rutilius Itinerario ſuo ſecundo:

Viſceribus nudis Galliarum, *armatum condidit hoſtem*
Illatæ cladis liberiore dolo. (Stilico,
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat;
Et captiva priùs, quàm caperetur erat.

Tantum officit Reip. benè conſtitutæ, peregrinos barbatoſque Duces, quibus nullus inſitus naturalis amor, imò venalis ſemper eſt fides, tantâ auctoritate præficere.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER DECIMUS-TERTIUS.

Ab anno Chriſti 400. aut 407. ad 410. ſeu Alarici, qui Romam cepit, interitum.

PRÆFATIO.

BELGIUM noſtrum Julius Cæſar anno ante veram Chriſti Nativitatem 46. ante Dionyſianam, vulgarem, & hodiernam Chriſti Æram 50. cum totâ Galliâ ſub jugum planè miſit. Ab eo tempore ad expletum Æræ communis annum 406. qui eſt U. C. 1159. ad quem jam pervenimus, & cujus ultimo die Vandali ceteriſque Barbari in Gallias irruperunt; anni intercurſant integri 456. quibus BELGICAM noſtram conſtanter obtinuêre Romani: multis in eâ rebus adverſis irruentes aſſiduè Tranſrhenanos, præclarè geſtis, Provinciaque conſtanter retentâ. Quare Romam ceu matrem diligebant Belgæ noſtri, Gallique omnes; ejus Imperium, quod ipſi licet olim victi, eodem tamen quo victores jure tunc obtiuere ſe videbant; colebant atque tuebantur. Sed neque tantam tot populorum compagem, quæ tot annorum fortuna diſciplinaque (ut ait Tacitus hiſt. 4.) coaluerat, ſine ſubditorum exitio convelli poſſe ſentiebant: ſimul conſideratis utriuſque fortunæ documentis, obſequium cum ſecuritate, quàm contumaciam rebellionémve cum pernicie malebant. Verùm ut nihil ſub cœlo perpetuum, ad finem jam ſuum Roma pervenerat; & ſingularis ea ſtructura, etiam Numinum aſſenſione, ut Ammiani verbis ex libro 16. utar, mirabilis, documento mortalibus eſſe debebat, non ejus dumtaxat cives, ſed & ipſam quoque civitatem, mortis neceſſitati ſubjacere.

A proximo igitur anno Chriſti 407. U. C. Varroniano 1160. mille ducentis annis jam ab ejus conditu vertentibus; in pejus ruere, ac retro ſublapſa referri cœpit. immiſsâ in eam à cœlo totius fere Septentrionis eluvie barbaricâ, quæ & peccata puniret, & fatalem debitumque peccatis interitum inveheret: ſimul mortalibus occineret, *Quod excelſus dominetur in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Neque tamen tantus Imperii, ut ita loquar, Coloſſus unico ictu momentóve in partes diſſilire potuit. Octoginta annorum ſpatio ſola Belgica noſtra nutavit ac tremuit; donec membro uno poſt alterum ſucciſo, totum truncatum eſt corpus. Variæ (ultra fatalem quam dixi) mali cauſæ, ac veluti lenti morbi; Rectorum negligentia, deſidia, mutuus livor, ambitio, impietas, Atheiſmus; Barbarorum ipſorum, id eſt hoſtium, tanquam ambitionis & æmulationis auxiliarium ſocietas & advocatio; inditus ad irrumpendum rebellandumque impetus. Hæc & ſimilia velut in ſcena repreſentabunt Libri ſequentes: non tamen abſque caligine nebulaque; quam tanta vetuſtas ac Scriptorum defectus inducit. Gentes ante omnia varias, tanti diluvii invectrices videamus. ac primò Saxones, quando libris prioribus multa jam de illis dicere cœpimus.

CAPUT PRIMUM.

De SAXONIBUS, & eorum ſociis Anglis, VVarnis, Iutis. Herulis item & Thoringis.

1. AB anno Chriſti 400. 402. 404. Gothi Alarico, Rhadagaiſoque Ducibus, Italiam incurſare lacerareque cœperunt: tenere tunc non potuerunt, à Stilicone, credo nondum planè tranſverſo, repulſi. Vandalis tamen ut in Gallias irrumperent, pontem ſuo exemplo ſtraviſſe, ſimul ut gradu certiore firmioreque procederent, documento fuiſſe videntur. De Gothorum igitur primâ illâ in Italiam irruptione, pauca dicam; ut quæ non ita ad inſtitutum noſtrum Belgicum. Vandalicæ maximè inſiſtam, Belgio Galliiſque noſtris primùm peculiari prorſus ac propriæ.

2. Belgicam noſtram, quæ in Septentriones maximè vergit, SAXONES Friſiis (ut dicere cœpi) juncti, & ipſi Boreales, maximè incurſarunt, vaſtarunt, lacerarunt. Illorum primus ex antiquis, ut aliquoties ſuprà monui, mentionem facit Ptolemæus libro 2. cap. 11. Nam poſt Friſios, Cauchos, & conſines ad Albim uſque productos: *Deinde,* ait, *ſuper cervicem Cimbricæ peninſulæ SAXONES.* & mox. *Poſt SAXONAS, à Chaluſo amne, ad Suevum uſque flumen, Farodeni,* &c. ex hiſce proximiſque verbis, Saxones olim eum terræ tractum, qui modò Holſatia vocatur, & Ditmarſia, incoluiſſe patet: maximè cùm Chaluſum paſſim hodie *Travam* exiſtiment; qui paulo infra Lubecam ſinum Codanicum influit. Stephanus: *Saxones gens, Cim-*

Ubi primum habitarunt Saxones.

An iidem qui Tacito Foſi.

bricam incolens peninſulam. Eamdem Holſatiam *Foſis* quibuſdam tribuit Tacitus libro de Germaniâ: *Tacti*, inquit, *ruinâ Cheruſcorum & FOSI, contermina gens; adverſarum rerum ex æquo ſocii; cum in ſecundis minores fuiſſent. Eumdem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent.* Quos Stephanus & Ptolemæus Saxonas, Foſos ecce vocat ſolus Tacitus; nomine prorſus aliis auctoribus incognito; tametſi vix 60. annis ante Ptolemæum ſcripſerit. Supereſt hodie in Oceano, à regione Cimbricæ iſtius Cherſoneſi, parva Inſula *Foſtelandt* dicta, neſcio an reliquum nominis *Foſi* veſtigium; quaſi Foſorum regio. An forte pro FOSI legendum FOLI, ſeu FALI? Scimus enim Saxonum eam partem, quæ ſe in mediterranea infudit, Occidentaliorem quidem Weſtfalos, Orientaliorem Ooſtfalos etiam hodie nuncupari. Et eſt ea plurium gentium terminatio, ut *Eyſali*, *Thaifali*, *Victofali*, &c.

An *Foli*, ſeu *Fali* legendum?

In Auſtraliores terras migrant.

Maximè ad littus Oceani; inde Saxonicum.

3. Utcumque ſit, Saxones ab Holſatia nativo quidem ſed Borealiore ſolo paulatim in meridiem, ut ceteræ Septentrionis gentes, infuſi ſunt. Et pars quidem una mediterranea (ut dixi) puta Cheruſcos & citra Viſurgim pleraque pulſis forte Francorum nonnullis, aut ſibi adjunctis occupavit: qui non ita ad inſtitutum noſtrum. Alia ſecus Oceanum in Cauchos ſenſim ac Friſios ſe intulit; donec bonam hodierni Belgii noſtri partem puta Friſiam, Hollandiam, Zelandiam & confinia, Francis inde pulſis obtineret. Nam ſub Diocletiani primordia, jam Belgicæ Armoricæque tractum cum Francis maximè Friſiis, infeſtabant, ut ibi ex Eutropio & Victore memoravi. Sub Juliano *Saxones*, ait Zoſimus lib. 3. p. 44. *Barbarorum omnium eas regiones incolentium, & animis, & corporum viribus, & laborum in prœliis tolerantiâ fortiſſimi habiti, gentis ſuæ partem* Κυάδυς (forte Γυάρνυς ſeu Ούαρνυς *Guarnos* aut *Warnos*, aut ut Cluverius *Cauchos*) *in Romanorum etiam terras immittere auſi ſunt.* Ac licèt finitimi Franci eos tranſitu prohiberent, navibus tamen Warni Caucive Rheno prætervecti parentem Francorum imperio regionem, in Bataviam appulerunt; eaque Salios Francorum partem ejecerunt, vi Saxonum eodem è ſuis ſedibus jam ante depulſos. Sed à Juliano, Saliis defenſis reſtitutiſque cohibiti, eo mortuo iidem *Saxones Scotique & Picti Britannos ærumnis vexavere continuis*, ait Ammianus. non terra modò Francos adhuc Tranſrhenanos; aut Gallo-Romanos; ſed & mari Britanniam infeſtantes. omnibus jam ceu repentini formidandi, ut idem Ammianus. vel ut Oroſius *virtute atque agilitate terribiles*. Sub Valentiniano ſeniore maximè in Gallias cùm ex inviis paludibus ſuis erupiſſent (ait idem Ammianus & Oroſius) Deuſone in Francorum finibus oppreſſi. Non ita tamen, quin mox revaleſcentes Romanorum fines incurſare pertraxerint, donec iterum à Stilicone compreſſi tantiſper quieſcere viſi. ſed mox ab eodem cum ceteris Barbaris exciti, Belgium noſtrum maximè littorale, nullo non genere calamitatis afflixerunt. ut jam narrabimus. quod libris ſuperioribus narravimus.

Salios Batavia expellũt. mox & ipſi pulſi.

Britannos vexant.

Saxonum ſocii varii. primùm JUTÆ.

4. Saxonibus hiſce maritimis varii fuiſſe ſocii; videntur: Jutæ, Angli, Varni, Heruli; neſcio an non & alii: Socii, inquam, (vix credo, ſubditi clientéſve) quia terris moribuſque conjuncti. Angli certè poſteriorum ſcriptorum nonnullis Anglo-ſaxones appellati. Ac primùm quidem Jutæ qui fuerint, dubitare non ſinit, ea Cimbricæ Cherſoneſi pars, quæ maximè Borealis Codani ſinus fauces attingit, *Jutland* adhuc ætate noſtrâ paſſim dicta; Latinè *Jutia*: eorum crebra in Beda mentio, etſi literarum priorum vitioſa tranſpoſitione Vitæ pro Jutæ in quibuſdam exemplaribus appellentur.

5. Anglos Ptolemæus etſi parum aptè deſcribere videatur, Longobardis tamen (quos Marchiam Brandenburgenſem tum incoluiſſe ſat conſtat) Septemtrionaliores rectè facit. Supereſt etiamnum hodie nomen eorum in Cimbricâ Cherſoneſo, *Anglen* & *Angleſen*, inter oppida Sleſwik, & Flensborg. An prima iis fuerit ea ſedes, an, potiùs quod aliqui malunt, Mekelburgenſis Ducatus; nihil admodum intereſt. Beda quidem libro 1. cap. 15. priori opinioni favens, Anglos ſuos *de illa patria* fuiſſe ſcribit, *quæ Angulus dicitur; & ab eo tempore uſque manere deſerta inter provincias Jutarum & Saxonum perhibetur.* Similiter Ethelwerdus Saxo: *Anglia vetus*, ait, *ſita eſt inter Saxones & Giotos* (Anglicâ ſcilicet pronuntiatione, pro Gotos) *habens oppidum capitale quod ſermone Saxonico Sleſwick dicitur, ſecundùm vero Danos, Haithby.* Copioſam eam gentem fuiſſe neceſſum eſt, quando vaſtum illud ac illuſtre regnum, quod ex eorum ſolo nomine *Anglia* dicitur, condere potuerunt. Quia tamen cum Saxonibus ad Rheni uſque oſtia provecti, ſub Saxonum quoque nomine latuerunt; iis inferior minuſque potens extiterit; niſi forte Saxonum nomen generalius, Jutas, Anglos, Varnos æquè comprehenderit; aut eæ gentes unâ ſocietate conjunctæ, Saxonum ſibi nomen impoſuerint. quod ego vehementer ſuſpicor; & de Francis nimis compertum eſt. Sic enim Angli plurium iſtarum nationum rectè potentiſſimi eſſe potuerint. ANGLI.

6. Atque hi maximè populi, Saxonum nomine comprehenſi, cum Friſiis mox juncti; in hac irruptione Vandalicâ, maritimam Belgii noſtri oram, pervaſerunt. puta Bataviam, Hollandiam hodiernam Ciſrhenanam. Zeelandiam & adhærentem fortè Toxandrorum partem Rienſem, ſeu Antuerpienſem; tum etiam contiguam Flandriæ hodiernæ oram, Menapiis & Suevis ab Auguſto tranſlatis infeſſam. Quin & ulterius in Occaſum excurrerunt, per tractum etiam Aremoricæ, Lugdunenſiſque ſecundæ; quæ hodie Normandia appellatur. Unde enim potiùs deducas Saxonas Bajocaſſinos, quorum Gregorius Turonenſis meminit libro 5. hiſt. Franc. cap. 26? Rurſum cum Suevos Menapiis inter Flandriæ Zeelandiæque confinia permixtos, pertranſirent iidem Saxones, eos quoque ſecum ceu maritimos & pyraticæ ſi non aſſuetos, certè idoneos ſecum rapuerunt; & in littus iſtud Belgicæ & Aremoricæ, quod ab iis Saxonicum inde dictum, immiſerunt. Unde enim alias Suevi in Notitia Imperii Bajocis & Conſtantiæ Lugdunenſis ſecundæ, & Cænomanis Lugdunenſis tertiæ? Niſi forte illi ex Romanis militibus extiterint, qui præſidio regionibus iſtis impoſiti fuerant.

7. Warni, ſeu Varni, Guarni, Varini & Werini ad ſinum Codanum in ducatu Mekelburgenſi porrecti fuerunt, quâ modo flumen cognomine *Warne Roſtochium* adluens, & oppidum *Waren*, lacui quem Muritium vocant, adpoſitum. Tacitus in Germaniâ: *Deuringi deinde & Cariones, & Angli,* WARNI.

& Varini

& Varini, & Eudoſes, & Suardones, & Nuithones fluminibus aut ſylvis muniuntur. Pergit deinde de Dea Hertha, id eſt Terra ab iis cultâ, narrare: ac denique concludit: *Et hæc quidem pars Suevorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur*, nempe ad mare Balticum à Romanis ſemotiſſimum. Anglis ecce Varinos Tacitus immediatè ſubjungit; imo ejuſdem ſuperſtitionis ſocietate vinctos ſcribit; cujus cauſa in *Inſulam Oceani* convenerint. Plinius lib. 4. cap. 14. *Vindili*, alias *Vandali, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones.* Ptolemæus: *Inter Saxonas ac Suevos Teutonoari ac Viruni.* forte Varini. quorum etiam opidum *Virunnem* nominat, hodie ut dixi, *VVaren.*

8. *Warnos* porrò cum Saxonibus ad oſtia Rheni penetraſſe, docet Procopius, cùm libro 4. Gothicorum græco (nam in Latinâ verſione primâ non hebetur) circa annum Chriſti 550. ita ſcribit: *Varni ultra Danubium amnem habitant, pertinéntque ad Oceanum uſque Septentrionalem & Rhenum flumen; quod eos & Francos ab invicem dirimit. Brittia autem Inſula in hoc Oceano ſita eſt, ad Galliæ poſtrema, quà in Oceanum vergunt. Hanc Inſulam tres numeroſiſſimæ incolunt nationes, Angili, Friſones, & qui idem cum Inſula nomen habent Brittones.*] Ita ille, miſerè quidem ut Brittiam pro Britannia, ita Britanniam pro Hibernia ſumens; nonnihil tamen veri continens.

9. Audierat ſcilicet Varnos cum Anglis & Saxonibus ab ſinu Codano profectos, Friſiam Bataviamque cum iiſdem occupaſſe. Inde Saxonas & Anglos in Britanniam Inſulam tranſmiſiſſe; ac cum Brittonibus ejuſdem Inſulæ cognominibus incoluiſſe; Varnos autem in Friſiâ Bataviâque relictos novum per ſe regnum conſtituiſſe, ſolo à Francis Rheno diremptum: quod demum Angli Britanniæ jam incolæ bello adpetiverint, eò quòd Reginæ ſuæ virginis conjugium Rex illorum Radigerus Hermegiſicli filius, Francæ mulieris nuptiis poſthabuiſſet. Sed cùm Anglos Varni Regis connubium quaſi jure ambiſſe refert, priſcam gentium earum inter ſe connexionem emigrationemque ſatis innuit. Quod & firmant antiquiſſimæ *Leges Angliorum & VVerinorum*; ſimul ad nos ex tanto temporis intervallo tranſmiſſæ. Stetit Warnorum iſtud in Hollandiâ Friſiaque regnum ab anno Chriſti circiter 449. (quo Saxones & Angli in Britanniam undatim & effusè trajicere cœperunt) ad 595. uſque; quo demum à Childeberto Auſtraſiæ Burgundiæque Rege ita victi ac trucidati ſunt, ut pauci ex eis remanſerint, quemadmodum in Fredegarii Appendice, cap. 15. legimus. Sub Chlodovæo primo Francorum Rege florebat maxime Warnorum regnum; quando ad eorum Regem paulo ante annum Chriſti 507. ſcribebat Theodoricus Oſtrogothorum in Italiâ Rex; ut Chlodovæi in Alaricum Viſigotum expeditionem tum paratam averterent, in Francos à tergo cum Herulorum & Thoringorum Regibus irruentes: quod ut tanto fortiùs perſuaderet, reducit in mentem, Enricum Wiſigotorum Regem Alarici patrem, ab Warnis olim imminentia bella ſæpiùs avertiſſe. Neſcio an Warnorum in Hollandicis finitimiſque regionibus veſtigia ſint, Wanesſelt propè Zutphaniam; Barnefelt in Veluvia; Voorn inſulæ binæ in Hollandiæ Zelandiæque confinibus; Werne ſuper Lupiam, & ſimilia.

10. Atque ego quidem Saxonicas haſce, Saxonúmve ſocias gentes, Warnos, Anglos, & Jutas; alio quoque communi vocabulo Cimbros dictos ſuſpicor, ut qui Cimbricam Cherſoneſum incolerent, aut non procul abeſſent. Ac veriſimiliter cùm veteres illi Cimbri ac Teutones Gallias Italiamque ſub C. Mario pervaderent; Jutas, Anglos, Warnos iſtos intra ſe accenſebãt, ſecũque trahebãt. Forte ex iis nonnullos: certè Saxonas intelligit Claudianus, cùm in 4. Honorii Conſulatu, de Rhenano Stiliconis itinere ita canit verſu 452. circa annum Chriſti 398. CIMBRI

——— Latíſque paludibus exit

Cimbrus, & ingentes Albim liquêre Cheruſci.

per Cimbrum hîc Saxonas cum Anglis Warniſque maritimas Friſiæ paludes tum occupantes intelligit; per Cheruſcum alteram Saxonum partem, quæ in mediterraneis circa Viſurgim agitabat.

11. Nec procul ab iſtis Friſiorum locis inclinante jam Imperio abfuiſſe videntur *Heruli*. Primùm enim Ammianus lib. 16. & l. 27 initio Erulos ſemper cum Batavis jungit cum Warnis etiam Caſſiodorus; quando ad eorum æquè ac Warnorum Regem contra Chlodovæum Francum ſcripſiſſe Theodoricum Italiæ Regem ſcribit lib. 3. Epiſt. 3. Et maritimos facit etiam Idacius, cum in Chronico annis 456. & 459. refert, eos *loca Hiſpanica in Bardulis, Cantabriis, & Lucenſi litore populatos, navibus Bœticam pertendentes.* Cui conſonans Sidonius de Eurici Wiſigoti aulâ ita canit: HERULI

Hic glaucis Herulus genis vagatur,

Imos Oceani colens receſſus,

Algoſo prope concolor profundo.

Prorſus ut, Saxonibus ſaltem in Britanniam tranſgreſſis, circa Viſurgis oſtia egiſſe videantur: ita Warnis à Septentrione, Thoringis à meridie contigui, ut cum iis Francos in Wiſigothum Alaricum irruentes commodè à tergo laceſſere divertereque potuerint; aut per mare certe navibus, in Belgicæ Armoricæve litoribus impetere. Alioqui ſat memini Herulos antiquitus ab Oceano Occidentali remotiores, ſinum Codanum cis Viſtulæ oſtia incoluiſſe, Rugiis Gothiſque conterminos, è Vandalorum gente; ut infra dicam. Rurſum Mamertini Panegyricus, Maximiano Imperatori circa annum Chriſti 393. Treviris dictus, Herulos Chabionibus item Vandalis conjungit: *Cùm omnes, ſit, barbaræ nationes excidium univerſæ Galliæ minarentur; neque ſolùm Burgundiones & Alemanni, ſed etiam Chaibones Eruliqúe viribus primi Barbarorum, locis ultimi, præcipiti impetu in has* (Belgicas) *provincias irruiſſent.* & paulo poſt ait eoſdem *Chaibonas Erulóſque internecione cæſos.* Sed id temporibus ut dixi Diocletiani, cujus collega Maximianus extitit: poſterioribus, & cadente jam imperio, in Occidentem migraverant, & Oceani Germanici oras, circa Albis & Amiſiæ oſtia inſidebant, Warnis tum à Borea finitimi.

12. De Thoringis aliquid addam? Hos enim nonnulli Vandalici potius generis exiſtimant. THORINGI

Neque Hieronymus, neque ullus (quod ſciam) alius in hâc Vandalorũ irruptione cõmemorat. Reudingot, aut ut alia habet lectio, Reudignos memorat in Germaniâ Tacitus, Chabionibus, Anglis, & Varinis conterminos, eodem Herthæ Deæ cultu devinctos, eoque in Inſulam Oceani convenire ſolitos. Unde non procul à mari Albique flumine ſejun-

ctos fuiſſe neceſſum eſt. Sed Reudingorum nulli præter Tacitum meminerunt. in Duringos ergo ſeu Thuringos non ineptè eos vertit Cluverius: lib. 3. de Germ. cap. 27. cùm facilis ſit literarum T. in D. & contrà mutatio, quando ambæ ſunt linguæ literæ. Sane Thoringos quoque Anglis aliquando Varinisque fuiſſe confines, docent nos antiquæ illæ *Anglorum Werinorúmque leges, id eſt* (ut in margine additur) *Thuringorum.* Ac licèt priſcas & ipſi ſedes poſtea reliquerint; non tamen cum Anglis Warnisque ad Oceanum Friſicum, ſed in Germaniæ mediterranea tranſmigrarunt, ubi nomen adhuc hodie ſervant, ad Oneſtrudem Salamque fluvios, in ſiniſtram quoque Albis ripam ſeſe infundentes, ad Viſurgim uſque porrecti. Quem terræ tractum Francis ab Oriente conterminum, jam inde ab Auguſti Cæſaris ævo & eorum permiſſu tenuiſſe, non veretur aſſerere Procopius lib. 1. Gothicorum. Quod ſi forte non ſtat, ſaltem poſtea Francorum genti, magna ſtrage eripuerint. Unde Theodoricus Chlodovæi Magni natu major filius Auſtraſiæ Rex, bellum Thuringis illis circa annum Chriſti 529. illaturus, ita Francos ſuos hortatur, apud Gregorium Turon. libro 3. cap. 7. *Indignamini quæſo tam meam injuriam, quàm interitum parentum veſtrorum. ac recolite Thoringos quondam ſuper parentes veſtros violenter adveniſſe, ac multa illis intuliſſe mala. Qui datis obſidibus pacem cum his inire voluerunt: ſed illi obſides ipſos diverſis mortibus peremerunt. & irruentes ſuper parentes noſtros, per nervum femoris ad arbores appendentes, puellas ampliùs ducentas crudeli nece interfecerunt: ita ut ligatis brachiis ſuper equorum cervicibus, ipſiquè acerrimo moti ſtimulo per diverſa petentes, diverſas in partes fœminas diviſerunt. Aliis verò ſuper orbitas viarum extenſis, ſudibùsque in terram confixis, plauſtra deſuper onerata tranſire fecerunt; confractisque oſſibus, canibus avibùsque eas in cibaria dederunt.* Ita ibi. Quæ quo tempore facta, non ſatis eruo. Circa Vandalicam certe in Gallias irruptionem aliquid

Lib. 7. c. 40. ſimile contigiſſe, videri poteſt. Quippe apud Oroſiū legimus, *Gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum* (in quibus Thuringi) *multaquè cum his alia gentes Francos proterunt, Rhenum invadunt.* Inter eos qui tunc Gallias irruperunt, *Thoringos* non accenſet Hieronymus; credo innuens eos, licèt tunc etiam ſedibus ſuis motos, terram tamen Francorum ſibi tum acquiſitam non multum exceſſiſſe, partis tuendis ac ſtabiliendis intentos: maximè cùm Burgundiones, & ipſi tunc cum ceteris in Gallias illati, priſcas ſuas ad Mœnum ſedes Chattis Francisque vicinas, primo occupanti relinquerent: quarum Thuringi partem ſuam fecerint: partem item Francorum aliqui, Francones poſtmodum appellati. Quo factum ut Procopius primo Gothic. ac Jornandes Thuringos inter Burgundiones, ac Suevos Hermunduros collocent.

CAPUT II.

De VANDALIS in genere; eorumq́, variis in ſpecie gentibus, maximè Burgundionibus.

1. VAndalos antiquiſſimâ ſui origine ſinum Codanum ſeu mare Balticum incoluiſſe, quâ modo Ducatus Meclenburgenſis, Pomerania, Caſſubia, Marchionatus Brandeburgicus univerſus, & finitima ſternuntur, ſatis compertum eſt. Tacitus de Germanis: *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoria & Annalium genus eſt) Tuiſtonem* (Theutſh) *Deum terrâ editū & filium MANNUM* (man eſt homo) *originem gentis conditoresquè. MANNO tres filios aſſignant; è quorum nominibus proximi Oceano INGÆVONES: medii, HERMIONES; ceteri ISTÆVONES vocentur. Quidam autem, licentiâ vetuſtatis, plures Deos, pluresq́, gentis appellationes Marſos, Gambrivios, SUEVOS, VANDALIOS affirmant, eáque vera & antiqua nomina.* Sub INGÆVONIBUS *Oceano proximis* comprehendi Vandalos, ſatis quoque Plinius innuit: *Germanorum genera quinque: VINDELI, ſeu Vandali; quorum pars Burgundiones Varini, Carini, Guttones. Alterum genus INGÆVONES, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno ISTÆVONES, quorum pars Sicambri. Mediterranei HERMIONES quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cheruſci. Quinta pars PEUCINI, qui & Baſtarnæ, ſupradictis contermini Dacis.* Ecce ut Plinius Vandalos à ſinu Codano numerare, tum Oceano vicinos Cimbros & Cauchos; inde Rheno adſitos Sicambros; ac deniquè mediterraneos, Suevos, Cheruſcos, Chattos &c. quibus ſubdit item mediterraneos Peucinos ſeu Baſtarnas, hodie circa Viſtulam Polonos. nam Viſtula ab Oriente Germaniam terminabat. Hinc apud Jornandem Gotic. cap. 22. Dexippus refert, Vandalos ob Oceano (nempe Codano) ad Romanum limitem via anni ſpatio perveniſſe, præ nimiâ terrarum immenſitate.

Vandali primum ubi ſiti.

Pl. l. 4. c. 14. Plinius locus [illegible] auct.

2. Magnam, ut vides, ſingulis his quinque generibus, Germaniæ partem indulget, eoque varias ſub iis gentes accenſet. ſub Vandalis quidem, de quibus modò agimus, Burgundiones, Varinos, Carinos, & Guttones ſeu Gothos. Varinis ſeu Warnis ſuperiore capite ſedem aſſignavimus ad Warnæ fluvium oppidumque celebre Roſtochium. Burgundiones & Guttonas ad ſiniſtram Viſtulæ ripam collocat rectè Cluverius. Carinos paulo magis introrſum. Sed plures omnino fuere Vandalorum gentes, nempe Guttones inter & Varinos interſitæ: Lemovii, quos & Herulos Cluverus exiſtimat, Rugii, Suardones, Eudoſes, Nuitones, Sidini, Lungobardi, Thuringi, & Caviones; quos omnes in ſua Germania Tacitus hiſce locis affigit. Ex his obſcuriores remanſère Lemovii, Carini, Suardones, Eudoſes: nullâ propriis ſuis nominibus expeditione celebrati. Celebrantur quàm maximè mixti Chabionibus Thuringi, Saxonibus Warini ſeu Warni, inque proximi Herulorum

Burgundionibus præſertim.

nonnulli;

nonnulli; nam alios Rugiis ac Sciris ſub Feletheo, Feba, & Odoaero immixtos, circa Dannubium tranſmigraſſe infrà memorabo: tum Burgundiones, Longobardi, & omnium denique decantatiſſimi Guttones ſeu Gothi, ſed propriis à ſe ſolis, non cum aliis, expeditionibus.

In Auſtraliores & ipſi terras migrant.

3. Hi omnes tametſi oomioibus tam variis, genetali tamen Vandalico, prope ſinum Codanum maréve Balticum diutiùs incoluere, Germanorum omnium in Septentrionem ſere porrectiores. Proceſſu temporis apriciores in Meridiem regiones, ut ceteris Borealibus accidit, appetierunt, occupaqueruntque: puta Semnonum, Buriorum, Marcomannorum ſeu Bohemorum, Quadorum & finitimorum, ad Iſtrum ſeu Dannubium uſque, ſubinde & ultra, io ipſo Romanorum ſolo.

Longâ temporum duratione.

4. Migrationis iſtius tempus definire perdifficile eſt, in tantâ vetuſtatis caligine, tantâ Scriptorum inopiâ. Nec verò uno facta tempore; variis oecaſionibus ac forte paulatim invaluerint. Marcum Aurelium Imperatorem, circa annum Chriſti vulgarem 174. Pannonias ſervitio liberaſſe, Marcomannis, Sarmatis, VANDALIS, ac Quadis extinctis; unde mox etiam Romæ cum Commodo filio Cæſare triumpharit; teſtes ſunt Julius Capitolinus in ejus vitâ, & Eutropius libro 8. hiſtoriæ. Jam tum igitur VANDALI non procul à Marcomannis Quadisque agitabant. Quod & Dio lib. 72. pag. 817. confirmat; cùm ſcribit, Commodum Imperatorem patre Marco jam mortuo (anno Chriſti 180. vulgari, Martii 17.) pacem cum Marcomannis eâ lege feciſſe, *ne vel Jazygas, vel Buros, vel VANDALOS* (nempe confines ſuos an ſibi permixtos) *bello peterent*. Rurſum idem Dio vix 30. poſt Marcum annis. ſcilicet circa anoum Chriſti vulgarem 211. hiſtoriam ſuam texere aggreſſus, initio libri 55. *Albim ex VANDALICIS montibus profluere* ſcribit. Albim autem fluvium ex ipſis Buhemiæ verſus ſolem æſtivum montibus, & in Sileſiæ confinio naſci ſatis conſtat. Bohemiam igitur jam iſto Chriſti anno 211. inſidebant Vandali, & montibus in coronæ ſere morem Bohemiam eingentibus, à ſe nomen indiderant. Unde apte Krantzius in ſuæ Saxoniæ præfatione, *Bohemi*, ait, *Vandali ſunt, remanente vetere nomine in provinciâ*.

Primùm ſub Marco Aurelio Imp.

In Marcomannos & Quados. ex Capitolino & Eutropio.

In Bohemiâ ex Dione, qui ejus môtes Vandalicos appellat.

5. Quin & AURELIANUM Imperatorem circa annum Chriſti 274. VANDALIS, à ſe victis pacem dediſſe teſtatur in ejus vita Vopiſcus, ejus autem ſucceſſorem PROBUM bellis ſuis ad Rhenum poſt Francos Ducum ſuorum operâ ſuperatos, cum BURGUNDORUM VANDILORUMQUE copiis dimicaſſe addit Zoſimus libro 1. fin. Eosque victos in Britanniam tranſtuliſſe, Reip. poſtmodum utiles. Rhenanum igitur tunc Imperii limitem, ſicut & Franci, infeſtabant Vandali, Quadis ſen Moravis, Marcomannisque ſeu Bohemis permixti, aut etiam eorum ſaltem ex parte domini. licèt ſcriptorum nonnulli eos terræ tractus antiquis Marcomannorum Quadorumque nominibus, potiùs quàm novo Vandalorum aut æquè exprimant. Tabula tamen Peutingeriana, ante annum Chriſti 400. compoſita, utrumque nomen ſimul & eodem loco exhibet; ita ſcilicet ut ſupra Dannubium & Regina caſtra (hodie Ratiſbonam) notet, ſuperiùs quidem MARCOMANNOS Rotundo ſeu Romano (ut jam vocamus) ſed pau o minore charactere; inferius autem ſed proxime VANDULOS majore & capitali ſupponat, ſubinnuens Vandalos tunc ea inſediſſe loca, quæ prius occupabant Marcomanni: hodiernam nempe Bohemiam, & confinia.

Burgundiones Vandalorum pars ad Mœnum.

6 Quare Jornandes eoſdem Vandalos iis ad Iſtrum ſedibus, cùm ab Oriente quidem Gothis tunc quoque tranſgreſſis, ab Occidente Marcomannis, à Septentrione Hermunduris, à Meridie Iſtro confines facit, Getic. cap. 22. Vandalorum tantùm partem intelligat neceſſe eſt. Nam Marcomannos quoque iis tunc adjunctos, nimis evincunt jam dicta. Quinimo Vandalorum partem BURGUNDIONES, Hermundurorum quoque & Chattorum agrum ad Alemannorum uſque confinia, ab occaſu tum occupaſſe, multa probant. Proquo, advertendum, Burgundionum arma vix ante Probi Imperium, & annum Chriſti ferè 280. moveri cœpta. Zoſimus lib 1. fin. *Probus*, ait, *Rhenum verſus cum copiis movit*. Mox: *Alterum contra Francos prælium pugnavit. Quibus operâ Ducum ſtrenuè victis, ipſe cum BVRGVNDORVM VANDILORVMQVE copiis dimicavit*. quas ſcilicet cis Rhenum attraxerat; earum partem cecidit, partem cepit *captos in Britanniam miſit. qui ſedes ibi nacti*, quas in Cantabrigia fuiſſe docet Camdenus ibidem; ubi modò Vandelsburg, *cum deinde ſeditionem aliquis moliretur, utiles Imperatori fuerunt*. ut fuſiùs ſuprà libro hujus operis 7. cap. 1. §. 4. quæ ibi legere potes. Vides hic Burgundiones ad Rhenum & quidem cum *Vandalis*; nec procul à Francis, bella contra Romanos in limite Galliæ Rhenano, anno Chriſti ferè 280. geſſiſſe. Illi igitur jam antè cum Vandalis à propriis è ſui origine ſedibus, Viſtulæ nimirum oſtiis, in Bohemiam primùm, mox citeriùs in Franconiam ad Mœnum immigrarant: Alemannis jam confines.

Ex Jornâde & Panegyrico.

7. Quare in Mamertini Panegyrico (qui Maximiano Imperatori circa annum Chriſti 293. dictus eſt, vix annis inde tredecim) ſic legimus: *Gothi BVRGVNDIOS penitus excindunt; rurſum pro victis armantur Alemanni. Itémque Tervingi, pars alia Gothorum, adjunctâ manu Thaifalorum, adverſum Vandalos Gipedésque concurrunt*. Et mox: *Burgundiones agros Alemannorum occupavere, ſed ſuâ quoque clade quaſitos. Alemanni terras amiſere, ſed repetunt*. Nimirum eo tempore Gothi potentiores, è Dacia ſeu Tranſſylvaniâ Valachiaque hodiernâ, quam ante occupaverant, erumpentes; non confines modò ſibi circa Moraviam Vandalos, ſed & in Occaſum penitiores, quâ Burgundiones Vandalorum pars Alemannos attingebant, excindere conabantur. & Burgundis quidem contra Gothos Alemanni primùm auxiliares erant; mox hoſte illo repulſo, in ſe invicem, ut inter barbaros ſolet, armabantur. Ita BURGUNDIONES cum ceteris Vandalis è ſinu Codano verſus Iſtrum tranſmigraverant quidem: ſed illic velut ab iis ſegregati, extra Bohemiam, corpore quodam è ſe ſolis facto, Mœni fluvii ſuperioribus circumpoſita, ſibi ſubdiderant, & jam confinibus Alemannis inhiabant.

Burgundiones à Vandalis ſejuncti.

8. Enimvero poſt annos ab hoc Panegyrico dicto, non multo plus 60. ſub Juliano Cæſare anno Chriſti 359. Ammianus lib. 18. cap. 2. aut 4. disertè nutat: *ad regionem cui Capellatii vel Palas nomen eſt terminales lapides Alemannorum & Burgundorum confinia diſtinxiſſe*. ut ſuprà monui, libro 10. cap. 11. §. 6. Idem Ammianus lib. 28. ſcribit, *Burgundios*

à Valen-

à Valentiniano ſeniore, anno Chriſti 373. *bellicoſos, & turma immenſa viribus affluentes, eòque metuendos, in Alemannorum excitatos perniciem, aduſque ripas Rheni progreſſos*, &c. uti ſuprà lib. 11. cap. 11. §. 5. & 6. Ita ad Rheni ripas uſque jam, è Bohemia tum Vandalicâ, pervenerant Burgundiones; Romaniſque Imperatoribus obſequi incipiebant. quod pro Vandalorum in Gallias irruptione diligenter advertendum; maximè, cùm ſub Vandalorum generali nomine non illi ſoli, ſed & aliæ eorumdem gentes & jam antè latuerint, & deinceps latere perrexerint. Nec omittendum hic, quod Hieronymus tertiâ ad Heliodorum Epiſtolâ ſuggerit; *Viginti & eo ampliùs anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctáſque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, VANDALI, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt*, &c. Ecce ut VANDALOS Marcomānis jungit. ſive iis tunc immixtos, ſive vicinos, ſive fœderatos, ſive dominantes. Unde quùm Paulinus vitæ Sancti Ambroſii ſcriptor, Marcomannorum Reginam *Fritigil*, Chriſtianam ab Ambroſio fidem ſuſcepiſſe, & ſe cum populo ſuo Romanis tradidiſſe ſcribit anno Chriſti circiter 396. Vandalorum inimicam fuiſſe ſuſpicor, à quibus ſcilicet infeſtaretur, & parte ſuâ in Marcomannis reliquâ, pacatè frui non ſineretur. Niſi & populus ejus Vandalorum pars aliqua fuerit: quod omnino eſſe potuit; Vandalis tunc in Bohemiâ Marcomanniſque permiſtis.

9. Ita ergo pleræque Vandalorum gentes ſub communi eorum nomine, ad annos plures latuerunt: uſque ad annum hunc Chriſti 406. quo in Gallias irruperunt. Nam Vandalis tunc majore ſui parte migrantibus; Rugi Herulíque in Bohemiâ, & circumiſtrianis remanſiſſe, novumque ſuo peculiari nomine regnum condidiſſe videntur. ut in tempore reddam. Omni autem eo tempore, quo Bohemiam & finitima communi Vandalorum voce tenuere; cum vicinis, ac Gothis maximè Iſtri inferiora adcolentibus, tametſi & ipſis olim Vandalis, ferè perpetuò luctati ſunt; ut fuſiùs narrat Jornandes, in hæc ferè verba. *Hic ergo Wandalis commorantibus, bellum indixit Geberich Rex Gothorum, ad litus amnis Mariſia* (hodie Mar in Moravia) *ubi tunc diu certatum eſt ex æquali. Sed mox Rex VVandalorum VViſimar magnâ cum gentis ſuæ parte proſternitur. Gebericho igitur victore ad ſua remeante, reliqui Vandali perpauci, Pannoniam ſibi à Conſtantino Principe petiere.* (ante annum Chriſti 337.) *ubi per 40. annos Imperatoribus, ut incolæ famularunt. Unde etiam poſt longum tempus ab Stilicone invitati Gallias occupavere.* Ita ille. Verùm partem duntaxat Wandalorum eam fuiſſe, cui præerat in Quadis Wiſimar, certum eſt. majorem partem in Bohemia & circum vicinis hæſiſſe, Charta Peutingeriana ſupra allata præter alios ſatis probat. ne quid de Burgundionibus Vandalorum gente ſæpius in Romanorum opem contra confines Alemannos etiam poſt Conſtantinum advocatis repetam. Ex Pannonicis hiſce Vandalis ortum Stiliconem ego quidem nullus dubito. Vandalum certè extitiſſe autor diſertus eſt Oroſius lib. 7. cap. 38. ut ſuprà.

Vandali etiā in Pannoniā e quā ſecum Pannonios abducunt.

10. Sed enim Vandalos, qui in Gallias Stiliconis impulſu perruperunt, non Pannonicos modò, ſed & Marcomannicos Bohemicóſve extitiſſe, ſatis compertum eſt. Illos quidem, quia Stiliconis impulſoris populares fuere, ſimul quia Pannonios quorum erant inquilini, ſecum traxere, autore Hieronymo, uti mox: Hos autem quia longè potentiores, & illius auctoritatis, quâ tot ſecum barbaros abducere, & è Galliis, etiam in Hiſpanias Africamque rapere potuerint. Burgundiones certe, Vandalorum horum partem non modicam, cum illis Rhenum trajeciſſe, & ſedem in Gallia fixiſſe nemo neſcit. Quin & Vandalorum Regem Godigiſclum, qui in Galliis à Francis interemptus eſt anno Chriſti fere 410. Bohemicorum horum extitiſſe vel hinc conſtat quòd Pannonici Imperatoribus ſubditi Regem habere non potuerint, non ampliùs certe quàm reliqui verè Pannonii, niſi forte Ducem migrantes elegerint. Ita tunc Vandalorum maxima parte vacuata Bohemia, ſolis indigenis & Rugiis, Herulis, Scyriſque relicta fuit ſeu Rugii iſti Herulique (qui itidem Vandali) jam antehac illam pariter incoluerint, ſeu tum primùm in vacuas ſedes immigrarint. quas deinceps per annos ſupra 80. ad annum Chriſti 488. firmiter obtinuiſſe videntur: donec ab Odoacro Italiæ Rege penitus extincti, Bohemiam Longobardis poſſidendam reliqu&rc. Heruli tamen (ut in loco reddam) circa Singidunum ad Iſtrum diu poſtea regnarunt: ſive iidem hi fuerint ſive alii.

Eorum Rex Godegiſclus

Rugii, Heruli, Sciri in Bohemiā

11. Hanc porro in Gallias expeditionem Stiliconis impulſu ſuſceptam, Vandali communi Vandalorum nomine peregerunt. Nec ulla è tot peculiaribus eorum gentibus, ab iis ſejuncta memoratur, præter Burgundiones, qui jam diu antè proprium Reip. corpus circa Franconiæ hodiernæ ſuperiora. ſeu orientaliora, per ſe, ut dixi, conſtituerant. prorſus ut à Vandalis diverſa gens pleriſque videri potuerit. Ita ſane ſcriptores hujus ævi non pauci loquuntur. Vandali ſemel *Silingi* nominantur in Bœtica, quam & occuparint. ut infrà. qui an Sidini fuerint, judicet lector. Magni tunc Vandalos hoſce Bohemicos nominis, auctoritatis ac potentiæ fuiſſe oportet; qui gentes nullo ſibi ſanguine conjunctas, imò & variis à ſe bellis irritatas, ſecum in tam longinquam expeditionem trahere potuerint. eaſque non viciniæ modò diuturnioris ratione illectas, cujuſmodi Gipedes erant ac Sarmatæ, quos migrationis hujuſce ſocios Hieronymus adjungit: ſed etiam ALANOS longe ferociſſimos, & natali verſus Tanaim ſolo disjunctiſſimos, linguâ, moribus, ac vitâ maxime contrarios; annis vixdum 30. primùm in Pannoniam cum Hunnis invectos, non in procinctus tantùm, ſed & unius, paulò poſt ſub Genſerico, regni ſocietatem adſciverint. Sane in tantâ nationum inundantium colluvie, primi Vandali ſemper & conſtantiſſimè nominantur: ſicut omnis iſta irruptio ſeu Perſecutio, Vandalica ſimpliciter appellatur.

12. Ceterùm Vandalis iſtis in Gallias primùm, tum Hiſpanias, ac demum in Africam irrumpentibus, duæ præterea nationes aliæ, longe ab iis origine diſparatæ junguntur; Suevi ſcilicet & Alani. Suevi, quemadmodum Gregorius Turonenſis lib. 2 hiſt. Franc. cap. 2. aliique notant, etiam Alemanni dicebantur; nempe quòd ex Suevis iſtis Menapicis & Flandricis non eſſent; ſed ex primis originis ſuæ ſedibus ad Rheni ſuperiora ſiti (de quibus ego ſupra libro Operis hujus ſexto, capite ſeptimo) ipſo Vandalorum motu exciti, ſocios ſe illis

prædæ

prædæ ſpe junxiſſent. Certe ad Hiſpanias uſque, illis adhæſerunt; Sedem ibi, novumque regnum fixerunt, diuque tenuerunt: ut è ſequentibus eluceſcet.

13. Nec alia cauſa Alanos cum iiſdem rapuit. Sed majore multitudine comitati ſunt; etiam in Africam cum illis penetrarunt: tantâ gloriâ viribuſque, ut Vandalorum Reges ipſi, Alanorum quoque ſe dicerent ſicut ex eorum Africanis apud Victorem apparet Edictis. Non pauci tamen ex ipſis in Galliâ remanſere, credo tot tantarumque evagationum errorumque pertæſi. Certe Alanos poſtmodum ſub Eocharico Rege contra Aremoricos rebelles, ab Aetio accitos; tradit vita S. Germani Antiſſiodorenſis ante annum Chriſti 435. Eorum item nonnullis *quibus Sambida præerat, deſerta Valentinæ urbis rura tradita eſſe partienda*, Proſper Pithœanus monet; paulò ante annum Chriſti 440. Denique eoſdem eorúmve partem Aurelianæ ad Ligerim civitati, ſub Sangibano, præſidio ab Aetio contra Attilam impoſitos, refert Jornandes, ad annum Chriſti 351.

14. De Francis hîc nihil dico, quia ſat multa ſuperiùs dixi; & infrà dicam. Tantum hic moneo, cùm Alemannos inter & Saxonas ad Rhenum habitarent, & tota ſui latitudine in Belgium noſtrum irrumperent, primùm Germaniam Inferiorem ſeu Secundam Ciſrhenanam tenuiſſe, non tam armis, quàm incolarum ipſorum confœderatione & commixtione; quos Procopius Græcus ſcriptor, Arborichos vocat, ut credo corruptè pro Armoricis, quorum nomen tunc per totum littus noſtrum, Belgicum & Aremoricum porrigebatur; jam hinc Saxonicum à Saxonibus illud aſſiduè incurſantibus dictum. Nec multum in mediterranea penetrarunt; ab incolis ipſis Francorum per hoſce dies ſocietate roboratis impediti repreſſique. ut ſeries ipſa docebit hiſtoriæ. Nihil hic de Gothis addo, plus ſatis notis.

CAPUT III.

Stilico Alaricum Rhadagaiſumq; Gothorum Reges in Italia ſuperat.

Ab anno Chriſti 400. ad 406.

Rufinus & Stilico Imperii tutores. *Oroſ. l. 7. c. 37.*

1. DEcedens Theodoſius Imperator filiorũ ſuorum Arcadii Honoriique curam, & utriuſque Imperii aulæ diſciplinam, Orientalis Rufino, Occidentalis Stiliconi commiſit. Quid autem uterque egerit, quid agere conatus ſit, exitus docuit: cùm Rufinus ſibi, Stilico filio ſuo affectans regale faſtigium, ut rebus repentè turbatis neceſſitas Reip. ſcelus ambitûs tegeret, gentes Barbaras ille immiſit, hic fovit.

Stilico barbaros immittit.

Comes quidem Stilico (ait Oroſius) *Vandalorum imbellis, avara, perfida & doloſa gentis genere editus, parvipendens quod ſub Imperatore imperabat, Eucherium filium ſuum, ſicut à pleriſque traditur, jam inde Chriſtianorum perſecutionem à puero privatóque meditantem, in imperio quoqua modo ſubſtituere moliebatur. Quamobrem Alaricum cunctamque Gothorum gentem pia pace optimâ & quibuſcumque ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter orantem, occulto fœdere fovens; publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendámque Remp reſervavit. Præterea gentes alias copiis viribúſque intolerabiles, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipſóque ſimul motu impulſorum Burgundionum ultro in arma ſolicitavit.* Ita Oroſius. Ac de Vandalis quidem aliiſque paulo infrà, nunc de Gothis & Alarico.

Alaricus Gothorum Rex, quis fuerit.

2. Erat Alaricus bonæ partis Gothorum, qui jampridem Iſtro trajecto in imperio agebant, & vagabantur, Rex: adhuc hoc tempore juvenis, ſi Claudiano fides de bello Getico ad Pollentiam, verſu 500. *Sed quoniam calida rapuit te flamma juventa* &c. Militaverat autem ſub Theodoſio, quo tempore ille tyrannidem Eugenianam opprimebat, eos dumtaxat habens barbaros quos Theodoſius ei tradiderat. Nam Theodoſius (ut fuſiùs Jorn. Got. cap. 29.) Athanarico Gothorum Rege amico Conſtantinopoli, anno Chriſti 382. defuncto, omnes ejus Gothos milites in unum corpus redegerat, & *fœderatos* appellaverat, è quibus contra Eugenium pluſquam 20. milia ſecum duxerat. Theodoſio rebus humanis exempto, Gothi, filiorum ejus faſtidio, veriti ne longâ pace ſolverentur, ordinant ſuper ſe Regem Alaricum; cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas, Balthorumque ex genere origo mirifica; qui dudum ob audaciam virtutis, *Balth*, id eſt, audax, nomen inter ſuos acceperat. Ita creatus Rex, ſuis ſuaſit, ſuo potius labore regna quærere, quàm alienis per otium ſubjacere. Jorn.

3. Primùm igitur in Thraciam ex Italiâ redux, permoleſtè ferebat militaribus ſe Romanorum copiis non præfici. ait Zoſimus lib. 5. Inde à Rufino occultè captatus: eoque cæſo etiam à Stilicone; multa Græciæ, multa Illyrico, plura Italiæ damna intulit. Unde Oroſius ſuprà: *Taceo de Alarico Rege cum Gothis ſuis ſæpè victo, ſæpe concluſo, ſemperque dimiſſo. Taceo de ipſorum inter ſe Barbarorum crebris dilacerationibus; cùm ſe invicem Gothorum cunei duo, deinde Alani atque Hunni variis cædibus populabantur.* Oroſ. Et cauſabatur Stilico, Alaricum eò ſe fovere, ut eo ſocio cunctas Illyrici nationes Honorii imperio ex Theodoſii voluntate adjungeret. ut Zoſimus l. 5. Sed Alaricus ſeu tantam Stiliconis fluctuationem pertæſus; ſeu ipſum quoque arte ſuâ impetiturus, ex Epiro, ubi hactenus hæſerat; *ſumpto exercitu* (pergit Jornandes de rebus Get. capite 29.) *per Pannonias, Stilicone & Aureliano Coss.* (quod & Chronicon Caſſiodori monet. id eſt annu Chriſti 400.) *per Sirmium dextro latere, quaſi viris vacuam intravit Italiam. Et nullo penitus obſiſtente*, notuque jam tramite, quem bis contra Maximum Eugeniumque inierat, ut Claud. de bello Get. v. 284. *ad pontem applicuit Candidiani, qui tertio milliario Ravennæ aberat.* Ibi *ad Honorium legationem mittit*, ſi permitteret ut Gothi pacati in Italiâ reſiderent, ſic cum Romanis ſe victuros, ut una gens utraque credi poſſet. ſi non, bellando quis quem valeret expelleret. Honorius inito conſilio, Gallias Alarico offert. Quibus ille gratanter acceptis, eoque ſe conferens, Pollentiam tandem civitatem, in Alpibus Cottiis locatam (hodie *Polenza*, in Pedemontio, Albam inter & Fuſſanum ad Sturam flumen ſitam, pervenit. ubi eum Stilico cum copiis aſſecutus. Hactenus ex Jornande; tametſi tempora confundente. quando melior non ſuppetit.

Annus Chriſti 400. Alaricus in Italiam venit.

In quem Stilico militē cogit.

4. Quippe Stilico (ut jam ex Claudiano intelligimus) jam in Alaricum quomodocumque commotus, moris ex compoſito tractis, in Gallias per Alpes etiam hyeme (ut Claud. 321. 322. 349.) penetrat, & auxilia raptim cogit. de quibus (quia ad rem) ita canit Claudianus v. 410.

Ex Rhætia & Britāniâ.

Accurrit vicina manus, quam Rhætia nuper
Vindelicis auctam ſpoliis defenſa probavit. an fortè contra Alaricum ipſum illac tranſeuntem?
Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci; ferróque notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.
Agmina quin etiam flavis objecta SICAMBRIS, ſeu Francis

Legionibus item Rhenanis.

Quæque domant Chattos, immanſuetósque Cheruſcos,
Huc omnes vertêre minas; tutúmque remotis
Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.
Ullanè poſteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
Principibus (ex urbe Trevirenſi vicinâ ſcilicet) *totâ poterat cum mole teneri,*
Jam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis:
Ut nec præſidiis nudato limite (Rhenano) *tentet*
Expoſitum calcare ſolum; nec tranſeat amnem,
Incuſtoditam metuens attingere ripam.
Celſior ô cunctis, unique æquande Camillo, es Stilico:
Veſtris namque armis Alarici fracta quievit
Ac Brenni rabies: confuſis rebus uterque
Divinam tribuiſtis opem. ſed tardior ille Camillus
Jam capta vindex patria, tu ſoſpite victor.

Annus Chriſti 402. Clades Pollentina Romanis juxta Claudianū proſpera.

5. Ita armatus Stilico tantum Italiæ Romæque reddidit animi, quantum Gothis ademit. Sed hæc omnia non parvo tempore geſta. Nam cladem Pollentinam Proſper & Caſſiodorus in ſuis Chronicis ad annum Chriſti 402. referunt: quaſi innuentes, toto Chriſti anno 401. Alaricum per Italiam impunè volitaſſe; donec exercitum Stilico coëgiſſet. Belli exitum Romanis fauſtum canit Claudianus de bello Getico, verſu 603.

Altiùs haud unquam toto deſcendimus enſe
In jugulum Scythiæ: tantâ nec clade ſuperbum
Contudimus Tanaim, vel cornua fregimus Iſtri.

Et verſ. 634.

——— *Unóque die Romana rependit*
Quidquid ter denis acies amiſimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia ſeclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum
Barbariæ. Ita Claudianus.

Juxta Jornandem & Caſſiodorū ſiniſtra.

At contrà Jornandes ſupra: *Stiliconem, ait, ex improviſo Gothi cernentes, primo perterriti ſunt: ſed mox recollectis animis, & ut ſolebant hortatibus excitati, omnem pœne exercitum Stiliconis in fugam converſum, uſque ad internecionem dejiciunt.* Sic & Caſſiodorus in Chronico. *Arcadio Honorióque quintùm Coss. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gothi acti victum fugaverunt.*] Ita vides hos ſcriptores Claudiano contrarios. nimirum Gothos Gothis faventes.

Juxta Proſperum & Oroſium dubia.

Conciliat utrumque Proſperi vulgare Chronicon & Oroſius. dum Cadmeam utrinque victoriam ponunt. Illud quidem ſic: *Arcadio & Honorio quintùm Coss. adverſus Gothos vehementer utriuſque partis clade Pollentiæ pugnatum eſt.* Oroſius: *Taceo de infelicibus illis apud Pollentiam geſtis, quum Barbaro & pagano Duci, hoc eſt Sauli, ſumma belli commiſſa eſt. cujus improbitate reverendiſſimi dies & ſanctum Paſcha violatum eſt. cedentique hoſti propter Religionem, ut pugnaret extortum eſt: cùm quidem oſtendente in brevi judicio Dei, & quid favor ejus poſſet, & quid ultio exigeret; pugnantes vicimus, victores victi ſumus.*] Pacem utrimque pactam, & Alaricum Italiâ cedere juſſum, canit idem Claudianus in ſexto Honorii Conſulatu, verſ. 130. Sed cùm Veronam adveniſſet, ibique pacta reſcindere vellet; rurſum pugnaſſe, rurſumque victum eſſe, Barbaris inter ſe Stiliconis arte commiſſis; ut verſu 210. & ſeqq. idem tradit Poëta; ſubdens etiam in Rhætos Galloſque tentaſſe iter; ſed vigilantiâ Stiliconis undique repulſum; donec defluente ſenſim exercitu, & ipſe planè fugeret.

Circa feſtū Paſchæ.

Tandem prælio altero victus Alaricus fugit.

Paſcha anni 402. circa initium Aprilis.

6. Porro cùm Pollentinam cladem tradat Oroſius circa feſtum Paſcæ contigiſſe, ſciendum eſt, Paſcha anni Chriſti 402. (quo hæc geſta narrant unanimiter Proſper atq; Caſſiodorus in Chronicis) ex Centenario quidem Laterculo nuper à nobis ad Victorium edito, in tertium Kalendas Apriles, ſeu 30. Martii diem incurriſſe: ex Alexandrinarum autem Victoriique noſtri rationibus, octiduo ſeriùs, in 8. Idus Aprilis, littera Dominicali E. Interim Urbis Romæ mœnia hujus eruptionis Gothicæ metu reſtaurata canit idem Claudianus in eodem Honorii Conſulatu ſexto, verſu 531. probatque vetus Inſcriptio. Ita Alaricus iſto Chriſti anno 402. Italia pulſus, in eam ante annum Chriſti 408. minimè reverſus eſt, per ſex pœnè annos in ſua Epiro latens, viresque reſtaurans: ſemper à Stilicone occultè animatus adiutusque.

Latet Alaricus in Epiro, toto ſexennio.

7. Ceterùm Gothos hoc tempore non Alarico dumtaxat, ſed & Rhadagaiſo Ducibus Italiam ingreſſos habet Caſſiodori Chronicon. Quod ſi eſt, planè video dum Alaricus in Epirum redit & agit; Rhadagaiſum trans Iſtrum ſe contuliſſe, immanem Gothorum aliorumque Barbarorum turbam de integro collegiſſe, ac rurſus in Italiam adduxiſſe, anno Chriſti 405. & 406. An Stiliconis inſtinctu, ſuſpicio eſſe poſſet. Cur enim ille Rhadagaiſum minus quàm Alaricum foviſſet? De hoc ita vulgare Proſperi Chronicon: *Stilicone ſecundum & Anthemio Coss.* (anno Chriſti 405) *Radagaiſus in Tuſciâ multis Gothorum millibus caſis, ducente exercitum Stilicone, ſuperatus & captus eſt.*] At Marcellinus anno ſequenti, nempe 406. *Indictione 4.* (inquit) *Arcadio ſextùm & Probo Coss. Radagaiſus paganus & Scytha, cum ducentis millibus ſuorum, totam Italiam inundavit. Huldin & Sarus Hunnorum Gothorúmque Reges, Radagaiſum continuo devicerunt, ipſius capite amputato, captivos ejus ſingulis aureis diſtrahentes.*] Ita illi, diverſis quidem annis. ſed prior barbari in Italiam ingreſſum, cædem poſterior deſignantes. Potiorem tamen procellæ vim in annum 406. incubuiſſe, ſatis docet Honorii reſcriptum lib. 16. de Tyron. Cod. Theod. quo ſervos quoque armari jubet; & lib. 17. quo etiam Ingenuis armandis ſolidos ternos addicit, *13. Kal. Maii, Ravenna, Arcadio A. 6. & Probo Coss.*

Pro illo ſurgit Rhadagaiſus.

Anno Chriſti 405. & 406.

Cum ducētis hominum millibus.

8. Utrumque annum deſignat quoque Pithœanum Proſperi Tyronis Chronicon, annis Honorii (quos ab tranſacto mortis Theodoſii patris anno advocat) 10. & 11. *Sæva,* inquit, *Barbarici motûs tempeſtas incubuit. Siquidem Radagaiſus Rex Gothorum Italiæ limitem vaſtaturus tranſgreditur. Ex hoc ariani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum*

Proſperi Pithœani ſententia.

nationum

nationum, ad quas ſe contulere, præſidio erigi cœpere.] Et ſequenti anno *Honorii* 11. qui erat illi Chriſti 406: *Multis*, ſubdit, *antè vaſtatis urbibus, Radagaiſus occubuit. Cujus in tres partes per diverſos principes diviſus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Inſigni triumpho exercitum tertiæ partis hoſtium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico uſque ad internecionem delevit.* Ita Proſper Pithœanus; Proſperum alterum Marcellinumque aptè concilians. De eodem Rhadagaiſo ſic Oroſius lib. 7. cap. 37.

9 *Rhadagaiſus omnium antiquorum præſentiúmque hoſtium longe immaniſſimus, repentino impetu totam inundavit Italiam. Nam fuiſſe in populo ejus pluſquam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic ſuprà hanc incredibilem indomitámque virtutem, paganus & Scytha erat; & ut mos eſt Barbaris hujuſmodi gentibus, omnem Romani generis ſanguinem Diis ſuis propinare conſueverat. Hinc ingens paganorum Romæ gaudium, urbem perituram clamantium, ut priſca ſacra repeterentur.* &c. *Conceduntur adverſus hoſtem immaniſſimum, aliorum hoſtium cum copiis ſuis inclinati ad auxilium animi. Adjunt Uldin & Sarus Hunnorum & Gothorum duces præſidio Romanorum. ſed non ſinit Deus rem potentia ſua, virtutem hominum & maxime hoſtium videri. Conterritum divinitus Rhadagaiſum in Fæſulanos montes cogit: ejúsque (ſecundum eos qui parciſſimè referunt) ducenta millia hominum inopum conſilii & cibi, in arido & aſpero montis jugo, undique in timore concludit; agminâque, quibus dudum anguſta videbatur Italia, latendi ſpe in unum ac parvum verticem trudit. Quid multis morer? Non diſpoſita in bellum acies fuit, non cædes acta, non ſanguis effuſus eſt: edentibus, bibentibus, ludentibusque noſtris, tanti illi támque immanes hoſtes, eſurientes & ſitientes, languentéſque confecti ſunt. Radagaiſus ſolus ſpem fugæ ſumens, clam ſuos deſeruit, in noſtros incidit: à quibus captus, ac pauliſper retentus, deinde interfectus eſt. Tanta verò multitudo captivorum Gothorum fuiſſe fertur, ut viliſſimarum pecudum modo, ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur: ſed illicò cuncti qui emebantur, moriebantur.*] Hactenus ex Oroſio. Tangit & Auguſtinus, lib. 5. de Civit. cap. 23. Florentiæ quoque, cui tunc Radagaiſus imminebat, ſalutem prædixit per viſum Ambroſius tunc mortuus, ut in ejus vitâ Paulinus. quod ſequenti die fieri cœptum adveniente Stilicone.

Qui fame in montibus Fæſulanis confecti.

10. Hic ſæpè mirari ſubjit, cur Stilico, qui Barbarorum iſturum irruptionem ceu viam ſibi filióve ad Imperium exiſtimabat ſternebatque; eas tamen jam ſecundò tam inopinatè aut reprimit aut extinguit. Nimirum tam diram ſuam Imperii cupidinem quam occultam volebat, non facile in tanta Italiæ luce, tantâ Romæ viciniâ, diſſimulare potuiſſet; ſi aut exercitum non coëgiſſet, aut coactum in hoſtes Urbi jam imminentes non immiſiſſet. Sed neque tantus exercitus facilè corrumpi, ac ne coerceri quidem potuit; & caſus Deúſve victoriam Romanis ultro ingerebat, terrore ſubito famêque immiſſis; quibus non reſpondere, quid aliud fuiſſet quam ambitionem proditionemque ſuam prodere. Ergo cùm tales in Italiam irruptiones non ſatis tutas furiali Stiliconis libidini latebras darent; alias ille longiùs ab ea Romaque Tranſrhenanorum barbarorum eluvies producere inſtituit.

Cur Stilico proditor, tam ſtrenuè egit.

CAPUT IV.

Vandalos ac ſocios in Gallias immittit Stilico.

Anno Chriſti 407.

1. CÆſo igitur Radagaiſo, ejuſque copiis quà fame extinctis, quà fugâ diſtractis; ad eam quâ ortus erat gentem, nempe Vandalos, iiſque junctos Alanos, Suevos, ipſoque ſimul motu impulſos Burgundiones (per quorum ſcilicet medios fines, obvium reliquis è Bohemia erat iter) & alios Rheno vicinos ſe vertit; quos *ultro in arma ſollicitans* (ait Oroſius) *deterſo ſemel Romani nominis metu, ſuſcitavit eas interim ripas Rheni quatere, & pulſare Gallias voluit. ſperans miſer ſub hâc neceſſitatis circumſtantiâ, quia & extorquere Imperium genero poſſet in filium: & gentes Barbaræ tam facilè comprimi quam commoveri valerent.* Marcellini Chronicon Jornandeſque de regn. ſucc. cap. 95. iiſdem pene verbis, *Stilico Comes ſpreto Honorio, regnúmque ejus inhians, Alanorum, Suevorum, Wandalorúmque gentes donis pecuniiſque illectas contra regnum Honorii excitavit; Eucherium filium ſuum paganum, & adverſum Chriſtianos inſidias molientem, cupiens Cæſarem ordinare.*] Nec dubito, quin jam antè Vandalos iſtos alioſque æquè pecuniis ſolicitaſſet; ſed cùm Radagaiſi irruptio vana fuiſſet; jam maxime inſtigarit, veritus ne propoſito tandem excideret. Et vagabantur indubiè per Rhetianum Danubianumque Imperii limitem, militum illorum, qui ſub Radagaiſo meruerant, plures cunei profugi, qui popularibus viciniſve ſuis jam à Stilicone accenſis faces ſubdere non deſiſterent.

2. Sanè ab Radagaiſi clade, ad Vandalorum in Gallias introitum, aut certe motum, non multo plures quàm ſeni menſes interceſſiſſe videntur. Niſi forte antequam Radagaiſi caſus innoteſceret, Vandali jam Alanique moveri, & irruptionem in Gallias moliri cœperint, quo concuſſum undequaque Imperium faciliùs & uno velut tempore corrueret. Sic cæſus ineunte, ut videtur, æſtate anni 406. Radagaiſus; & Vandali ultimo ejuſdem anni die Rhenum tranſgreſſi, ut jam docebo; plane primos Wandalorum Alanorumque, circa Bohemiam Hungariamque incolentium motus, eâdem æſtate cœpiſſe neceſſum eſt. ut ultimo anni die Rhenum tranſmittere poſſent. Adeo Barbarus ille Stilico in generum Honorium Imperiumque tranſverſus agebatur; & ut Hieronymus, *Romanis contra Romanos opibus armabat inimicos.* Quamquam & illud valde mirum, tot barbaros, moribus, ingenio, voluntate inter ſe tantopere diſtinctos, in tantam, tamque conſtantem conſpirationem coaleſcere potuiſſe. Sed nimirum non tam Stiliconis opes & auctoritas, quàm ſecreta quædam divinæ providentiæ Juſtitiæque, debitas plenâ jam & exundante vitiorum tam diuturni Imperii menſurâ, pœnas exigentis virtus, Barbarorum iſtorum animos ad vindictam agitabat. Ut hominum ſic & urbium, Imperiorum, rerumque omnium quædam ætas eſt, ſenectus, & mors. Omnia orta occidunt. nihil ſub

Ab Rhadagaiſi cæde ad Vãdalos irrumpẽtes, vix ſeni mẽſes.

Ex divinâ Juſtitiâ.

Sole

Sole perpetuum. Unde rectè Proſper Pithœanus: *Diverſarum gentium rabies Gallias dilacerare exorſa; immiſſu quàm maxime Stiliconis, indignè ferentis filio ſuo regnum negatum. Quàm maximè*, inquit, quia ſcilicet aliæ quoque cauſæ ſuberant.

Rutilii ſententia.

3. Ceterùm de Stiliconis proditione, ſic præter jam citatos Rutilius lib. 2. Itiner.

Quo magis eſt facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit Imperii.
Romano generi dum nititur eſſe ſuperſtes,
Crudelis ſummis miſcuit ima furor.
Dúmque timet quidquid ſe fecerat ipſe timeri,
Immiſit Latiæ barbara tela neci.
Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem,
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius quàm caperetur, erat.
Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

Ubi præ ceteris notanda verba, *Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem*; Gallias enim ceu Imperii viſcera, in quas barbaros immiſit, milite maximè nudavit; quo eas illorum vaſtationibus *liberiore dolo* exponeret. dolum iſtum cauſa ſpecioſiore tegens, Velle ſe exercitu ita aucto, & ſimul Alarici auxilio, Illyricum ab Arcadii Imperio Orientali ad Honorii Occidentale jure ſolito revocare. quo prætextu non paucis primâ fronte impoſuit.

Vandali pridiè Kal. Januarias Anni Chriſti 407. Gallias ingreſſi.

4. A Stilicone igitur ſuſcitati *Vandali* populares ejus *& Alani Gallias trajecto Rheno pridie Kalendas Januarias ingreſſi ſunt*, ait Proſperi Chronicon, *Arcadio ſextum Probóque Coſs.* hoc eſt ultimo die anni Chriſti vulgaris 406. quem diem licèt taceant, Conſules tamen eoſdem nominant Caſſiodori Chronicon & Zoſimus lib. 6. Ita de tempore ſat certum. ſicut & de Vandalis & Alanis, inter varias gentes erumpentibus. de quibus ſatis ſuprà capite 2. Oroſius lib. 7. cap. 38. & 40. & Zoſimus lib. 6. Suevos iis permiſtos docent; ſicut & Marcellini Chronicon Ind. 6. At Hieronymus undecimâ ad Ageruchiam datâ annis proximis Epiſtolâ, multas alias Vandalis & Alanis addit gentes: nempè *Quadas, Sarmatas, Gepedes; Herulos, Saxones; Burgundios, Alemannos; & denique hoſtes Pannonios.* Ac ego quidem ſub Vandalis Herulos Quadosque comprehendo, quando & Herulos Vandalicam gentem, & Quadorum ſolum Vandalis inſeſſum ſuprà oſtendi; Gipedas autem Sarmatasque iis ceu finitimos adjunctos exiſtimo. Verùm Herulos biſariam ſectos ſupra monere cœpi. Nam pars in Occidentem & Oceanum, Albis & Amiſiæ oſtia ferè cum Saxonibus inſedit: pars ab Hieronymo memorata in Meridiem ad Iſtrum cum ceteris Vandalis immigravit; cum iiſdem jam in Gallias irrupit, nulla tamen ſui diſtinctiore famâ. Alanos ſimiliter à Vandalis in ſocietatem adſcitos teſtatur, præter Oroſium, Zoſimum, alioſque, Procopius lib. 1. Vandalicorum, quem hic audire juvat: *Gothicæ gentes*, inquit, *multæ quidem & aliæ priùs fuere, quam nunc. Omnium autem maximæ ac pariſſimæ Gothi, & Vandali, & Viſigothi, & Gepedes; jamdudum & Sarmatæ & Melanchlæni appellati. Sunt & qui Geticas gentes has vocent. Qui omnes nominibus quidem inter ſe differunt, cetero conveniunt. Nam & albi ſunt omnes corpore, & flavicomi; proceri quoque & aſpectu probo. Legibus item iiſdem utuntur; ſimul Arriana omnes opinionis; linguâ unâ, Gothicâ appellatâ, utentes. Et ut mihi ſanè videtur, ex unâ omnes gente ſati, nominaque poſtea ab ducibus varia ſortiti. Is autem populus loca ſupra Iſtrum jampridem incoluere. Deinde Gipedes loca circa Singidunum & Sirmium tenuerunt: intra verò & extra Iſtrum, meo uſque tempore nunc habitant.* Getæ & Gothi hoc quidem tempore, confundebantur; quia eamdem regionem incolebant. alioquin Getæ Thracica gens, Gothi Germanica erant.

5. Sed pergit Procopius: *Vandili interea circa Mæotidem conſidentes* (puto, olim; aut fallitur Procopius) *ubi fame preſſi ſunt, in Germanos, qui nunc FRANCI dicuntur, irruunt; ſimúlque Rhenum fluvium trajecerunt; in ſocietatem Alanos, Gothicum & ipſos genus, adſciſcentes.* Ait ecce primùm fame preſſos emigraſſe, nullâ Stiliconis ſolicitantis mentione. Utrumque concurriſſe nihil prohibet. At Jornandes Getic. cap. 22. *Wandali* (inquit) *& Alani, quos ſuprà diximus, permiſſu Romanorum Principum utrâque Pannoniâ reſedere: nec ibi ſibi, metu Gothorum ſi reverterentur*, nempè ex Italiâ, quo cum Radagaiſo tranſierant *arbitrantes tutum fore; ad Gallias tranſiere.* Ita ille. Unde Stiliconem pecuniis eos ſuſcitantem, tanto lubentiùs audierint. Accedit & quod notat Mariana noſter, *Omnibus Septentrionis accolis certum eſt, ab inſito corporibus ardore, quem regionis frigus accendit, cibique ac potus indulgentiâ, ad procreandam ſobolem fœcunditatis plurimum ineſſe. Unde auctâ multitudine (quo tempore, præſertim ante ſuſceptam Chriſti Religionem, deſultoria Veneris licentiâ nondum ad unas nuptias conſtricta erat) ſoli ſterilitas, nivibus & pruinâ rigentis, vitæ ſuſtentandæ neceſſitate, ſæpè coëgit innumera hominum examina in mitiores fertilioréſque agros commigrare.*] Verùm cum Pannonias & vicina trans Iſtrum loca Vandali hoc tempore incolerent; fames illa ad ſuperiora tempora, quibus Germaniæ Borealiora adhuc inſidebant, referenda eſt. Nunc eos ſola Stiliconis popularis auctoritas, aut potiùs pecunia, ad novas easque fœcundas ſedes in Gallias exciverit.

In Francos irruunt Vandali ex Procopio & Oroſio. quia per illorum medios fines tranſire cogebantur in Gallias.

6. Ait ſecundò Procopius, *Vandalos tunc in Germanos, qui nunc Franci dicuntur irruiſſe.* quod & notat Oroſius: *Ante biennium* (inquit, imò triennium) *Romanæ irruptionis, excitæ per Stiliconem gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum iis aliæ, FRANCOS præterunt, Rhenum tranſeunt, Gallias invadunt.* Non ita tamen proteriviſſe, quin mox in Vandalos quoque ipſos Galliam jam vaſtantes, & ipſi viciſſim irruerint, pænéque protriverint, quæ ſequentur ediſſerent. Ait denique, ab Vandalis *Alanos, Gothicum quoque genus, in ſocietatem adſcitos*: non eos utique qui priſcis Scythiæ ſedibus adhuc inſiſterent; ſed qui jam Illyricum Pannoniasque jam inde à Gratiani Theodoſiique imperio cum Vandalis ipſis ſeu inſiderent ſeu vaſtarent. Cui plane conformis Hieronymus ſuprà, *hoſtes quoque Pannonios*, ceu Vandalis Alaniſque jam inquilinis per occaſionem adjunctos, *Gallias vaſtaſſe* ſcribit. Sic & Gipedes Singiduno Sirmioque, ubi tum incolebant, ab iiſdem tranſmigrantibus Vandalis ceu vicini, concitati; ſic & Sarmatæ, Quadique in ejuſdem expeditionis ſocietatem abrepti ſunt. Ita, quamvis eos non immediatè ſollicitaſſet Stiliconis ambitio, vicinia tamen & inde coalita longo jam uſu familiaritas ſola concitaſſet, prædæ ſpes acuiſſet.

Hieronymus varias gentes alias addit.

Vandalis adjuncti Pannonii.

& Gepides, &c.

Suevi ſeu Alemanni.

7. Suevos, qui & Alemanni, ut dictum ſuprà, Oroſius, Jornandes Marcellinus, ac Zoſimus non

minus

minus quàm Wandalos Alanoſque ab Stilicone donis ac pecuniis illectos uno conſenſu teſtantur. Burgundionas Vandalicam gentem, tum Suevis Alemannisque ad Mœni fluvii ſuperiora conterminos, *ipſo Vandalorum motu ſimul impulſos*, Oroſius cap. 38. diſertè ſcribit. cùm iis ſcilicet neceſſitas incumberet aut arma ſociandi, aut extrema omnia, ceu debilioribus, expectandi. Socii quàm victimæ eſſe maluêre; prudentiore quàm Franci conſilio. Qui cur & ipſi in tantæ eluvionis partem haud venerint, nondum diſpicio; niſi forte ab Stilicone neglecti, nulliſque donis illecti, barbarorum aliorum colluvioni, neſcio quo livore, commiſceri noluerint. Eorum certe Hieronymus non meminit. imò in Conſtantini tyranni contra Vandalos fœdera tranſiſſe, mox docebo. Sed ut ſemel impetitus ab altero canis, à ceteris quoque impeti ſolet; ita Franci à Barbaris hiſce perculſi; à Thoringis quoque finitimis afflicti ſunt. ut ſuprà monui.

Burgundiones.

Franci.

Saxones.

8. Reliqui ſunt ab Hieronymo recenſiti SAXONES, ut locis, ita conſpiratione à Vandalis ſeparati. Ad Oceanum quippè tunc in Friſiis, quos ſibi junxerant, agitabant; ut ſuprà ſæpè dictum. An æquè à Stilicone commoti, ſuſpicio potius eſſe poteſt quàm certior affirmatio. Rhenum quidem cum Vandalis Suevisque tranſire commodè non potuiſſe, ſitus eorum, & inter eos ac Vandalos irruentes, interjecta Francia, licèt *non tam lata quàm valida*, potius evincat. Ergo circa Rheni inferiora de more irrumpentes, Batavos, Taxandros, Menapioſque mari adſitos, neſcio an Morinos, quoque & confines, licèt interiores, vaſtaverint, & ſui adeo juris primùm fecerint. Quin ego quidem Saxonas paulo ante Vandalos Alanosque Gallias irrupiſſe vehementer ſuſpicor, gemino præſertim argumento. Nam & Proſperum Pithœanum video ſcribentem, *Saxonum incurſione devaſtatam Galliarum partem*, (nempe Borealiorem & ad Oceanum Rhenumque inferiorem porrectam) *Vandali atque Alani vaſtavêre*. quaſi ſcilicet Saxonibus, in eâ primâ vaſtatione Vandali ſucceſſerint. Et rurſus in Oroſio, Olympiodoro, Zoſimoque lego, Tyrannos duos Marcum Gratianumque ſupra 4. menſes in Britanniâ electos perduraſſe, antequam tertius æquè Tyrannus Conſtantinus crearetur; quem tamen anno proximo etiam penitiùs in Gallias penetraſſe videbimus. Adde quod Zoſimo quidem teſte, Tyranni iſti in Britannia non aliunde creati, quàm quod Britanniarum incolæ veriti ne qui Gallias vaſtabant Barbari, in inſulam quoque ſuam inveherentur. Quod non tam de Vandalis aliiſque, rei maritimæ ignaris, quàm de Saxonibus Pyratarum maximis accipi poteſt. Saxones igitur hactenus Tranſrhenani, tunc primùm ſtabiles cis Rhenum ſedes fixerint anno Chriſti fere 406. ineunte, Bataviâ, Zeelandiâ, Flandriâ viciniâ, & confinibus introrſum occupatis. Unde litus illud dictum poſthac SAXONICUM.

Etiam ante Vandalos irrupiſſe videntur.

Britannis quoque timendi. quia rei nauticæ periti.

9. Porro protritis jam Francis, notat Proſper vulgarus in Chronico, Vandalos Alanosque *pridie Kalendas Januarias* ſeu Decembris ultimo die, Rhenum tranſgreſſos, credo circa Moguntiacum de more, & quia Salvianus eos *in Germaniam primam nationo barbaram, ditione Romanam effuſos* ſcribit. Ac Tranſrhenanas quidem gentes hieme, Rheno videlicet glacie pervio, in Gallias irrupiſſe, ſæpiùs notat Ammianus aliique. Idem hic de Vandalis ſociisque ſuſpicari proclive eſt; nullam conficiendi pontis artem, ſupra tam latum, profundum, rapidumque flumen habentibus; & ſi habuiſſent, debito temporis ſpatio in tam ſubitâ irruptione deſtitutis. Niſi forte navibus tranſmiſerint; ut de Attila poſtea canit Sidonius,

Hieme in Gallias trajicere ſoliti Tranſrhenani.

—— *Cecidit cito ſecta bipenni*

Hercynia in lintres, & Rhenum texuit alno.

Sed glacies ex die trajectionis magis arridet.

10. Ex tot autem Vandalorum ſociis. Alani maxime, Burgundiones, & Suevi celebrantur. Nam & Reges hic eorum, & mox nova in Galliis Hiſpaniiſque regna memorantur: Alanorum quidem Reſpendial, Goar, aliique; Burgundionum Gundicarius; Suevorum Ermengarius; Vandalorum denique Procopio quidem Gogidiſcus, Renato Profuturo Frigerido apud Turonenſem Godegiſilus aut Godigiſclus; Sigeberto Neotericiſque Modegiſilus. Rurſum eorumdem regna Alanorum quidem modò trans Ligerim in Armoricis, modò ad Rhodanum circa Valentiam; Burgundionum autem in Germania ſuperiore primùm, tùm in Sabaudia, indeque etiam circa Araris Rhodanique confluentes; Suevorum in Hiſpaniæ Luſitania, maximeque Gallæcia: Vandalorum denique, ſimul & Alanorum reliquorum in Bætica, mox & conſtantiùs in Africâ. Ceteri ſub iis confuſi. Nam Saxonas & Erulos ab omnibus hiſce ſejunctos jam dixi; & Francorum nondum mentio.

Quinam tunc Alanorum, Vandalorum, Burgundionum, Suevorum Reges.

Quæ cis Rhenum regna.

11. Denique Barbarorum iſtorum mores atque Religionem fusè deſcribit Salvianus aureis illis de Gubernatione Dei libris, maximè quarto: *Omnes*, inquit, *Barbari aut Pagani ſunt aut heretici. Pagani ſunt hi; Gens Saxonum fera, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Hunnorum impudica. Sed numquid tam criminoſa eſt Hunnorum impudicitia quam noſtra? Numquid tam accuſabilis Francorũ perfidia, quam noſtra? aut tam reprehenſibilis impietas Alemanni, quam ebrietas Chriſtiani? aut tam damnabilis rapacitas Alani, quàm rapacitas Chriſtiani? Si fallat Hunnus vel Gepida, qui culpam penitus falſitatis ignorat? Si pejeret Francus, quid novi faceret, qui perjurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non criminis?* Rurſum l. 7. *Alemannorum gens impudica eſt, ſed minus perfida* quàm Gothi ſcilicet. *Franci mendaces, ſed hoſpitales. Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate mirandi. Omnes denique gentes habent ſicut peculiaria mala, ita quedam bona.* Hæc & plura de Barbaris paganis Salvianus. De hæreticis autem ſic: *Omnes autem heretici aut Vandali ſunt, aut Gothi. Sed ipſa quondam hereſes Barbarorum de Romani magiſterii pravitate fluxerunt. Ac proinde etiam hoc noſtrum eſt crimen, quod populi Barbarorum heretici eſſe cœperunt.* & paulò antè, eodem tamen libro 5. Arrianos fuiſſe ſignificat, cùm ait: *Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi ſumus, quod minorem Patre Filium dicant. Illi nos injurioſos Patri exiſtimant, quia æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt: ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Ideirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etſi non rectè credere, affectu tamen piæ opinionis errare.* & libro. 7. *Gothi & Wandali, in diſcrimine poſiti opem à Deo poſtulant, & proſperitates ſuas munus divinitatis appellant.* Ita de Wandalis & Gothis hæreticis Salvianus. Qui etiam pag. 248 Wandalos *gentem ignaviſſimam*, ſicut & Oroſius *imbellem, avaram, perfidam & doloſam*, lib 7. c. 38. nominat.

Barbarorũ iſtorũ omnium mores & Religio.

Quidam infideles.

Quidam heretici. ut Vandali & Gothi Arriani.

Ex Burgundiones.

12. De Burgundionibus nihil Salvianus. credo, quòd cùm libros hoſce ſcriberet, circa annum Chriſti 442. vix ulli ſupereſſent. paulò antè, nempe anno 435. ab Hunnis, jubente Aetio, cum Rege ſuo Gundicario pænè extincti. ut infrà ſuo loco Hos ego tamen, ſaltem ex parte, aut temporis proceſſu, Arrianos quoque fuiſſe video. ut patet in quibuſdam eorum Regibus, maximè Gundobaldo, tempore Aviti Viennenſis Epiſcopi. Sed Gundobaldi filium Sigiſmundum, ſicut & ex fratre neptem Chlothildem Chlodovei Magni uxorem, Catholicos ſcimus. Oroſius tamen anno Chriſti 417. hiſtoriam ſuam abſolvens, *Burgundiones*, ait, *providentiâ Dei omnes Chriſtiani modò facti, Catholicâ fide, noſtriſque Clericis quibus obedirent receptis, blandè, manſuete, innocentérque vivunt.*

Qui Oroſio Catholici.

CAPUT V.

Prima Belgicæ vaſtatio. Primò Germaniæ Superioris; tum Belgicæ Secundæ ſeu Remenſis.

SECTIO PRIMA.

Anno Chriſti 407.

Vaſtatio hæc Vandalica valde obſcura & intricata.

1. IN hac vaſtatione, ſi unquam, res incidiſſe mirandas ac ſcitu digniſſimas, nemo non perſpicit. Vix ullus tamen è Scriptoribus antiquis ſupereſt, qui eas nonniſi generatim, tenuiter ac confusè attingat. Adeò res tantæ, tam deſtinato Dei conſilio patratæ, densâ caligine obvolvuntur: temporum tamen fortè magis quàm Scriptorum inopiâ; quando Sulpitium Severum Alexandrum, & Renatum Profuturum Frigeridum hujus ævi celebres hiſtoricos memorat Gregorius Turonenſis, eorum exſcriptor; ſicut & è Græcis Olympiodorum Photius in Bibliotheca. Colligam hinc inde quæ potero; ac veluti divulſi corporis membra in aliquam hiſtoriæ compagem effingere conabor. Quo magis conatum hunc veniâ dignabitur Lector, ſi fortè veritatem in tantâ tamque remotâ caligine non ſatis pervideo, aut obſcuriùs evolvo. Quóque diſtinctiùs procedam, huic anno Chriſti 407. & ſequentibus aliquot, ſingula capita liberaliùs indulgebo; hoc magis quo Belgica hæc noſtra totius etiam Romani Imperii caſum extremum involvunt.

Ordo aliquis è Salviano.

2. Primùm omnium expendenda diligenter Salviani verba, l. 7. pag. 248. ut pauca, ita fœcunda; & hiſtoriæ ſeriem ceu quoddam breviarium deſignantia. Ea quatuor membris comprehenduntur. *Ac primùm* (ait) gens Wandalorum *à ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam, nomine barbaram, ditione Romanam* Secundo, *poſt cujus primum exitium, arſit regio Belgarum.* Tertio, *deinde opes Aquitanorum luxuriantium.* Quarto, *& poſt hoc, corpus omnium Galliarum. ſed paulatim id ipſum tamen; ut dum pars clade atteritur, pars exemplo emendaretur.* Hunc ego ordinem ſequar. & quia *paulatim* ea facta, tàm diſcretè notat; ego quoque in plures annos extendam. & primum quidem membrum ac fere ſecundum hoc anno 407 exequar, & ſi forte aliquâ parte ſequentis. Tertium poſteriore quidem ſed præcipua parte anni 408. & potiore 409. Quartum & ultimum ultimo trimeſtri ejuſdem 409. totóque 410. & aliquot menſibus 411.

Germania Prima ſeu Superior Cisrhenana, primò vaſtata.

3. Germaniæ primæ civitates quatuor ſuprà ſæpiùs expreſſi, Moguntiam, Vangionas ſeu Borbetomagum, Nemetas ſeu Spiram, & Argentoratum ſeu Straſburgum; omnes citeriori ſeu Gallicæ Rheni ripæ adſitas. Vandali igitur Rhenum ultimo die anni Chriſti 406. tranſgreſſi, juxta Proſperi Chronicon; provinciam præſidus à Stilicone *nudatam* (ut canit Rutilius) ingredi ſe ſatis docti; nullo ab occurſuro hoſte ſaltem potentiore, metu, Moguntiam videntur primùm, ceu primò obviam & Provinciæ caput aggreſſi. Ab Hieronymo certè ad Ageruchiam ſcribente antè ceteras omnes nominatur: *Magontiacum*, inquit, *nobilis quondam civitas, capta atque ſubverſa eſt. & in Eccleſia multa hominum millia trucidata.* Idem dicit Salvianus lib. 6. *Maguntiacenſium civitas exciſa & deleta eſt.* Vi ſcilicet aut fere inopinatò capta: & cùm in Templum velut aſylum incolæ fere omnes refugiſſent; nihilominus à Barbaris ſeu Paganis, ſeu nihilo mitioribus hæreticis, ad plura millia miſerè trucidati: primùm Sacerdotes & Clerici; tum populi omnis ordo, ſexus, ætas. cum viris uxores; cum parentibus filii, adoleſcentes, pueri, virgines ac puellæ. quorum, neſcio an non Martyrum, ſanguine, iſta tot millium capax Eccleſia redundavit. quando non in Eccleſiis, ſed in Eccleſia unica & ut credo principe & Epiſcopali, cæſos notat Hieronymus. Unde colligere licet, Chriſtianorum quanta fuerit in Belgicâ per hæc tempora multitudo. *Subverſam* urbem addit Hieronymus, aut etiam ut Salvianus *exciſam atque deletam*: credo ut in primo furore, & ceteris ad terrorem aut exemplum. In ea ceu Metropoli qui Romanorum erant Præfecti, aut eamdem fortunam ſubierint; aut fugâ prius ſibi conſuluerint. Nec plura de Moguntiaco.

& in eâ Moguntiacum.

Vangiones ſeu Wormatia.

4. Poſt quod pergit Hieronymus: *Vangiones longâ obſidione deleti.* Ea civitas Moguntiæ ad meridiem Rhenumque proxima, tunc Borbetomagus, nunc Wormatia dicitur: & ipſa tunc Epiſcopali ſede fulgens. quæ quia munitior an vigilantior, barbarorum furorem ſiſtere, diutiusque ſuſtinere potuit. Nihilominus & ipſa poſt longam obſidionem, cum nemo ſuccurreret, occupata, perrumpentium furori cedere coacta, & æquè deleta eſt. Reliqui Nemetes Spirenſéſve, nec non Argentoratenſes nunc Strasburgenſes, quantum quidem Hieronymus exprimit, non eamdem ſortem experti; *ſed tranſlati tamen in Germaniam*, id eſt, ni fallor ſupplices facti, deditique tranſrhenanis barbaris. ne & ipſi delerentur. Quanquam Salvianus deletos innuere videri poſſit; cùm generatim ſcribit, Germaniæ primæ fuiſſe hoc *primum* quoque *exitium*; ſed hoc ſenſu, ut duæ præcipuæ civitates deletæ, duæ reliquæ in jus poteſtatemque barbarorum tranſgreſſæ. Ceterum cùm exitium hoc *primum* vocat; ſatis innuit *ſecundum* paulo pòſt ſucceſſiſſe; ſeu peculiare, ſeu cùm ceteris commune, quando corpus omnium Galliarum ſimul arſit. Nec verò abſurdè Barbari Germaniæ primæ munitas urbes partim exſcindebant; partim deditione accipiebant; quando ſic facilior ſociorum, ſi qui è Tranſrhenanis

Spirenſes & Argentoratenſes.

ſequi

ſequi vellent, futura eſſet acceſſio: aut etiam Vandalorum ipſorum, ſi ſorte Galliis decedere cogerentur, ad propria remigratio. Ceterum Vandalos in Germania non exilem feciſſe moram, arguit *longa illa Vangionum obſidio*, & reliquarum civitatum certè non momentanea vaſtatio. Quo Nemetes tamen Argentoratenſeſque faciliùs citiùsque in deditionem reciperent, fecit inopinatus ac ſubitus Conſtantini Tyranni è Britannis in Gallias trajectus. à quo ne præverterentur, ipſi prævertere ſtatuerunt. De quo mox agam, ſi Salvianum eorum iter progreſſúmque pertexentem prius audiverimus.

Tum ardet regio Belgarum, nempe propriè dictorum.

5. *Poſt primum hoc Germaniæ Superioris exitium* (ſubdit Salvianus) *arſit regio Belgarum*. Prima an Secunda non exprimit. Indefinitè loquens, de Prima etiam intelligi poſſet, & quidem maximè; quando per illam intermedius ad Secundam, ac fere neceſſarius eſt tranſitus. Sed Hieronymus harum regionum ſat diuturnus inquilinus, eoque probè gnarus, nullam hic Belgicæ Primæ, ac ne Auguſtæ quidem Trevirorum ejus Metropolis, infert mentionem; cujus tamen aliàs tam gratè memor eſt. Evidenti ni fallor argumento, Belgas Primos ac Treviros hâc vice intactos, adhuc ad annum abhinc ſecundum Chriſti 409. (quo Vandalorum ſecundam hanc irruptionem tangit Hieronymus) integros perſtitiſſe. Cur enim aliarum civitatum, minùs illuſtrium, ruinam tam deſtinatè deſcriberet; Trevirorum tanto nobiliorum, tantâ etiam occaſione adeoque neceſſitate oblatâ, ne tangeret quidem? Accedit Euſebiæ cujuſdam Epitaphium Græcum Treviris hodiéque ſuperſtes: quo, depoſita dicitur *menſis Panemi ſeu Julii die 12. Conſulatu Honorii octavo, & Conſtantini* (haud dubiè hujus Tyranni noſtri) *primo*. ut ad ejus anni initium dicemus. Quomodo ergo Trevirorum civitas hoc anno 407. aut everſa, aut in Vandalorum poteſtatem redacta eſſe potuit? Quin & gemina ratio idem ſuadet. Nam Primò, quantumvis Stilico barbaros in Gallias immiſſurus, eas milite nudaſſet, ut canit Rutilius: quis tamen credat, è tot tamque validis militaribuſque Galliarum provinciis, in tam præſenti periculo, nullam ſaltem poſt aliquot hujus anni menſes, vires ſuas exeruiſſe, & Barbaris tantiſper oppoſuiſſe? Agebant Treviris ſummâ tum urbe Galliarum, & inſtructiſſimo Imperii, juxta Auſonium armamentario, Romanorum Duces, Limenius Prætorio Præfectus, vir ex nomine Romanus; & Chariobaudes Militum in Galliâ Magiſter, ex nomine itidem Francus: ut infrà è Zoſimo audiemus. Adeóne torpuiſſent hi, ut dum hoſtis tamdiu Germaniâ Superiore diſtinetur ac lenteſcit, neque copias ullas colligerent, neque illas Moſellæ, barbarorum itineri quaſi naturaliter objecti, ripis ſaltem prætexerent; ne civitatibus quidem ei adſitis adeóque munitis præſidiarias imponerent? Zoſimus certe lib. 5. p. 102. Ducum horum fugam memorans, non Vandalorum eos ſed *perduellis Conſtantini*, qui poſt hæc advenit, *manus effugiſſe* diſertè ſcribit. Vandalos igitur illi, donec auxilium adveniret, ad Moſellam, & ſaltem Treviris Galliarum arce, ſuſtinuerint.

Nondum tamen Auguſta Trevirorum.

In quâ adhuc erant Magiſtratus Romani.

Legiones ad Rhenum nullæ.

6. Occurrit & ſecunda ratio. Dum in Superiore Germaniâ diutiùs hærent Barbari, Romanæ legiones in Galliis quidem, ubi vel nullæ vel exiguæ erant, minimè motæ videntur. Vicinæ Britannicæ, quæ tres jam antè eſſe ſolebant, ſe moverunt. teſtibus omni exceptione majoribus, Olympiodoro, Sozomeno, Zoſimo, aliiſque. & maturè quidem moverunt, ob has Barbarorum, maximè Saxonum navibus valentium irruptiones, & repentinos incurſus. Proſus ut eos è Germaniâ Superiore ſeu Primâ, in Belgicam ſecundam, omiſsâ Primâ tranſilire coëgerint. De quo, antequàm fuſiùs ago; illarum prius motum, Tyrannorumque creationem exequi cogor. Sic ergo Olympiodori apud Photium Eclogæ:

Solæ Britannicæ ſe movent.

7. *Ante Honorii Conſulatum ſeptimum* (id eſt ante annum Chriſti 407. nempè fine anni 406.) *in ſeditionem verſus Britannicus exercitus, Marcum quemdam Imperatorem crearat. Quo ab ipſis ſublato, Gratianus ſuffectus eſt. Hic ubi jam menſes quatuor, illis jam faſtidio ductis, præfuiſſet, interficitur. Tum Conſtantinus Auguſti nomine ſalutatur.* Hæc Olympiodorus. Idem Zoſimus ex ipſo Olympiodoro narrat paulò fuſiùs: *Arcadio ſextùm & Probo Coſs. Vandali, Suevi Alaniq́ permixti, ſuperatis hiſce locis, nationes tranſalpinas vaſtarunt. editáque ingenti cæde* (nondum alibi quàm in Germania ſuperiore, ut ſeries docet hiſtoriæ) *Britannicis* etiam *exercitibus formidabiles extiterunt. Illos certe eò perpulerunt, ut veriti ne progrederentur ulterius, ad tyrannos eligendos ſeſe converterent, Marcum quemdam & Gratianum, & ſecundum hos Conſtantinum.* [addit Olympiodorus, *militari tumultu ad imperium adactum.*] Nec aliter Oroſius lib 7. c. 40. *Vandalis, Alanis, Suevis, multiſq́ aliis per Gallias bacchantibus, apud Britannias Gratianus municeps ejuſdem Inſulæ, tyrannus creatur & occiditur. Hujus loco Conſtantinus ex infimâ militiâ, propter ſolam ſpem nominis, ſine merito virtutis eligitur.* Præter hos Sozomenus ex ipſo item Olympiodoro, *Milites*, ait, *in Britanniâ motâ ſeditione Marcum quemdam, tyrannum Imperatorem creatunt. Poſtea verò occiſo Marco, Gratianum elegerunt. Qui cùm haud ultra quatuor menſes imperaſſet, & ipſe ab illis occiſus. & Conſtantinus conſtitutus Imperator eſt; quòd putarent eum ex nominis ſui præſagio Imperium conſtanter obtenturum.* Denique Proſper vulgaris in Chronico: ad annum hunc Chriſti 407. *Honorio ſeptimùm*, inquit, *& Theodoſio ſecundum Coſs. Conſtantinus ex infima militia, ob ſolam ſpeciem nominis, in Britannia tyrannus exoritur: & ad Gallias tranſit.* Ita illi, concordes fere omnes, ſi unum dumtaxat excutias.

& novos Imperatores creant.

Maximè Conſtantinum.

8 Ait ecce Zoſimus, exercitûs Britannici ſeditionẽ, *Arcadio ſextum & Probo Coſs.* ſeu anno Chriſti 406. factam Marcumque ſaltem Imperatorem factum; ſi non & Gratianum; *quòd Vandali nationes tranſalpinas vaſtarent, editáque ingenti cæde Britannicis etiam exercitibus formidabiles extiterent, veriti ne progrederentur ulterius.* Proſper autem vulgaris in Chronico, *Vandalos* diſertè notat *ultimo illius anni die 406. Rhenum tranſgreſſos.* Quomodo ultima die anni Rhenum tranſgreſſi, Gallias eodem anno adeo vaſtare potuerunt, ut Britannicis exercitibus metum tantum, tyrannorumque creationem extorquere potuerint, ante alios proximè creatos Conſules? An in unum eumdemque poſtremum anni diem, & Germaniæ primæ vaſtatio, & tantæ vaſtationis in Britanniis evulgatio, & denique tyranni ſaltem unius aut alterius electio incurrere potuit? Proſperi mihi quidem potior quàm Zoſimi confuſioris fides. juvat tamen eos conciliare. Scribit Proſper Pithœanus in Chronico ſuo, etſi paulò

 ſeriùs,

Saxones primi è Barbaris Galliarum extima vaſtant, & Britannarum.

ſetiùs, *Saxonum incurſione devaſtatam Galliarum partem, Vandalos item Alanóſque vaſtaviſſe.* Friſiam, & vicina tum incolebant iſti Saxones, ut ſuprà viſum. Quid vetat, quo minus Saxones hi in Belgicæ noſtræ extima Borealioraque, Germaniam præſertim ſecundam ſeu Inferiorem, autumno anni 406. vaſtationem tantam intulerint, ut metum Britannis paulò ante Vandalos incuſſerint, & ad Tyrannos eligendos adegerint? hoc magis, quo maritimi erant, pyraticam aſſiduè exercebant, in mari exercitatiſſimi, *repentino* ut ait Ammianus, *impetu terribiles*; Vandali nauticæ proſus ignari certè inexperti, quique claſſem non haberent, mediterranei, mari procul agentes: Eoque parum idonei qui Britannis ad mare timorem incuterent. Hos igitur Saxonas ceu Barbaros, cum Vandalis item barbaris Zoſimus confuderit, & anno ſeneſcente Chriſti 406. Belgicam vaſtaſſe alicubi legerit; vaſtationem utriuſque gentis unam fecerit, tyrannos in Britanniis inde creatos ſcripſerit; licèt Vandali ab alterâ parte, Rhenano nimirum limite, poſtrema prius anni die in Germaniam primam irruperint indeque ſimul vaſtarint.

Vandali nauticæ rei ignari.

Saxones Vandalis fœderati.

9. Quanquam etiam vix dubito, quin & Saxonas Stilico non minus quàm Vandalos eodem ferè tempore excitarit, ac Gallus immiſerit; eos quidem Vandalis hic ceteriſque barbaris permiſcet Hieronymus; ac Gallias vaſtaſſe ſcribit. erant illi & viciniâ & impetu repentino paratiores; eoque Vandalos prævertere ac primi Gallias incurrere potuerint; fœdere tamen cum Vandalis priùs inito, ut manus ſibi invicem eâdem prædandi libidine porrigerent; quòd & hi fecerunt, irruptionis ſi non initio, certè progreſſu. *Saxonum* quidem priùs quàm Vandalorum *incurſione devaſtatam Galliarum partem* diſertè ſcribit, tametſi paulò ſeriùs, Proſper Pithœanus, author benè fidus. Neque tamen adhuc obſtat, quin Vandali eodem cum Saxonibus tempore, tametſi non loco, initium irruptioni dederint; ideſt, non in Galliis, ſed in Germaniâ adhuc ipſa tranſrhenanâ. Nam eas, cùm ſedibus ſuis circa Bohemiam per Stiliconem exciti Gallias peterent, *Francos* in tranſitu *protriviſſe*, locuples teſtis eſt Oroſius l.7.c.40 ut & Procopius l.1. Vandilico, cum ait Vandilos, in Germanos qui nũc Franci dicebãtur irruiſſe, tum Rhenum fluvium trajeciſſe ſcribit. Quam in rem etiam ipſe Zoſimus aptiſſimè Vandalos Suevis Alaniſque permixtos, eo Chriſti anno 406. non Gallicanas, ſed *tranſalpinas* nationes vaſtaſſe dicit. nomine *tranſalpinarum* Francos finitimaſque gentes trans Rhenum aliquas non ineptè ſignificans. quibus vaſtatis ac protritis, Vandalicum ſocius Saxonibus fœderati, metum quoque Britannicis exercitibus intulerint. & ad tyrannos creandos, Gallis etiam juvandis, impulerint. ac denique victores Rhenum ultimo anni iſtius 406. die trangreſſi ſint, & in Germaniam primam effuſi. Ita Proſper Pithœi aptè cum Zoſimo conciliabitur, & alterum alter explicabit.

Saxonum etiam metu Britanni Tyrannos crearunt.

10. Dum ergo tam Vandali, quàm Saxones fœderati, claſſe pollentes, Rheno cis & ultrà confinia vaſtarent; Britannicos exercitus, veritos ne hi in Inſulam quoque trajicerent; illi Gallias ferè inermes occuparent; ad tyrannorum creationem adegerunt. Ita Marcus primò quidam circa autumnum ineuntẽ anni 406. Imperator ab iis dictus. Quo mox ſublato, Gratianus circa Novembrem ſuffectus eſt, *Britannia* (quod notat Oroſius) *municeps. Hic ubi quatuor jam menſes imperaſſet.* puta ad anni 407. ferè Martium (aut ſi fortè paulò ſeriùs) *ſuiſque faſtidium*, addit Olympiodorus, *genuiſſet*; credo quòd in Gallias, Moguntiâ licet jam ſubverſâ Vangionibuſque longâ obſidione laborantibus, ſi nondum deletis, trajicere differret; æquè *interfectus eſt. Hujus loco* (iterum Oroſius) *Conſtantinus ex infima militiâ, propter ſolam ſpem nominis*, Conſtantini ſcilicet Magni, æquè olim in Britannia Imperatoris creati, *ſine merito virtutis eligitur. continuo ut invaſit Imperium* (nota *continuò*) *in Gallias tranſiit.* Tranſire invitis Saxonibus mari Britannico ferè potientibus, commodè vix potuit. Cum iis ergo fœdus priùs inierit, pacemque novia pretio redemerit; ne milite commeatuque tranſvehendo prohiberetur: ſimul ut hoſtium numerum minueret. *Trajecit* ergo *Bononiam, maritimam urbem, primam in Galliæ finibus* (nempe in Morinis adhuc Romanis) *poſitam.* ait Olympiodorus, & ex eo Zoſimus atque Sozomenus. *Ibi moratus ad dies aliquot, Galliam ſibi omnem Aquitanúmque militem adjunxit* (nimirum de Honorio remotiore lentioreque, multo magis de Stilicone proditore, eique adhærentibus Limenio Chariobaudeque Galliarũ Ducibus, deſperantem) ſimul in Barbaros Stiliconiſq; Præfectos ſe parabat.

Cõſtantinus ob ſolum nomen dictus Imperator.

Trajicit Bononiam.

11. Id ibi Vandali ſociique nondum Germaniâ primâ digreſſi acceperunt, illum antequam viribus augeretur, occupare opprimereque inſtituunt. Ergo Spirâ Straſburgoque in deditionem libenter acceptis, caſtriſque ſubitò motis, Germaniam ſecundam, Belgicam primam, Treviros, Mediomatricos, Leucoſque Moſellæ omnes adſitos, tametſi Germaniæ primæ prætenſos ac primò obvios, ceu minus modò urgentes tantiſper omittunt; in Belgicam ſecundam improviſo tranſiliunt, in Remis Ambianis, Atrebatibus, Moriniſque, Bononiâ ipsâ non procul, ſubitò comparent, Conſtantinum ut putabant imparatum, oppreſſuri. Sed eorum ille adventum aut ſuſpicans, aut jam edoctus, Bononiâ ſe civitate, caſtrenſique vallo foſſis undequaque cincto validè muniverat: ſimul commeatu Britanniis advecto abundabat. Ergo arte viſque impervium rati, quo eum tandem munimentis extraherent; in Belgicæ ſecundæ inferiora ſeu mediterranea populanda effunduntur. Hanc ſanè tunc vaſtatam credere nos jubent Salvianus atque Hieronymus: ille cùm libro de providentia ſexto ſcribit, *Poſt primum Germaniæ Superioris exitium, regionem arſiſſe Belgarum*: Hic cùm ad Agerunchiam ſcribit, plures Belgicæ Secundæ (nullas primæ) civitates hâc populatione afflictas, recenſet: *Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebata, extremique hominum Morini, Tornacus, tranſlati in Germaniam.* id eſt, in Germanorum Tranſrhenanorum manus poteſtatemque redacti. Non enim *ſubverſi* dicit Hieronymus. imò nec plura addit. Quodque magis miror, poſt Belgicarum civitatum harum vaſtationem, iterùm in Germaniam Primam egreſſus, poſt Morinos ac Tornacum, *Nemetes & Argentoratum in Germaniam* æquè *tranſlatos* ſcribit. Nempe tranſrhena iſta memorabat. Nec ego diuturnam hanc fuiſſe populationem exiſtimo: nullam item ſubverſionem. quando paratus mox Conſtantinus in eos exercitum ſuum vindicaturus moverit. Hieronymi tamen verba breviter priùs expendamus.

In eum Vandali, è Germaniâ Primâ, ſubitò movent.

In Belgicam Secundam.

Cujus populos omnes vaſtat.

Quos Hieronymus nominat.

12. Ut

Et juris facti Germanici dicit.

12. Ut ex Occidente in ortum recedam, *extremos hominum Morinos* Hieronymus hîc Belgis ceteris annumerat *in Germaniam tranſlatos.* ſeu qui Germanorum Tranſrhenanorum jugum ſubierint. Unde intelligimus, Conſtantium tyrannum, ſimul-ac è Britannia Bononiam ingreſſus eſt, Taruanam Morinorum caput vicinasque alias civitates non ſtatim præſidiis, certè non ſufficientibus, inſediſſe, nempe nihildum à Vandalis, procul adhuc in Germaniâ Primâ poſitis, veritus. At illi improviſo ſupervenientes, vacuas illas aut tenui milite inſeſſas facilè perruperint. Suſpicarer à Saxonibus, ceu vicinioribus potius occupatas. præſertim cùm eos inter Barbaros Gallias invadentes Hieronymus accenſeat; & Proſper Pithœanus etiam ante Vandalos Gallias vaſtaſſe ſcribat. Verùm cur Bononiam maritimam Saxones maritimi non æquè ac Taruanam, ceterasq; ſe mediterraneas civitates pervaſiſſent? Et diſertè ſcribit Salvianus, *poſt Germania prima excitium*, quod intulerunt Vandali, *Belgarum arſiſſe regionem.* utique ab iiſdem Vandalis, quorum iter ibi progreſſumque pertexit. Erant tum præpotentes divitesque Belgicæ civitates ferè omnes, ſede etiam Epiſcopali illuſtres, & plane quæ diram populatorum iſtorum libidinem acuerent. & eas tamen Hyeronymus nonniſi *in Germaniam tranſlatas*: ex aliis omnibus nonniſi duas Moguntiam Nemetesque ſubverſas deletáſve ſcribit. ſatis innuens integras manſiſſe reliquas, tametſi populatas: ſeque auro & commeatu Barbaris oblato redemiſſe. Quod de hac vaſtatione prima plane credo: everſiones vaſtationi ſecundæ adſcribere malo, ut ibi oſtendam.

Interim copias auget Conſtantinus.

13. Ergo dum Belgicam ita populantur Barbari, & in jus poteſtatemque ſuam transferunt; vires interim ſuas colligere non omittebat Conſtantinus. Is antequam è Britanniis ſolveret, ait Olympiodorus, & ex eo Zoſimus, *Juſtinianum & Nevigaſten Celticis militibus præfecerat.* Per *Celtas*, Germanos & maximè Francos intelligo, qui in Britanniis Romanorum legionum auxilia erant. & in Galliis plura per occaſionem additurus erat. Ita Nevigaſten (Francicum planè nomen, ut Arbogaſtes, Hildegaſtes) impoſuit; Britanno-Romanis Juſtinianum, Latinum nomen. Ad has tantas copias Britanniis eductas, cum Bononiæ moraretur, *Gallum* inſuper *omnem Aquitanúmque militem* (aiunt ſupradicti Auctores) adjunxerat. Quid enim Galliarum miles tunc exilis, à Stilicone Ducibusque illius ferè deſertus, Barbaris circumfuſus, adeo viribus impar, aliud ageret, quàm ut vires cum novo, cùm præſente Imperatore, tametſi tyranno conjungeret? Honorio tam procul agente, & cum Alarico Gothorum Rege, cum domeſtico proditore Stilicone, plus ſatis occupato.

Etiam ex Aquitaniæ, totiusque Galliæ milite.

SECTIO SECUNDA.

Conſtantini de Vandalis victoria: Treviros ingreſſus.

Eodem Anno.

14. Auctus itaque tanto exercitu, jamque paratus Conſtantinus, Galliarum caput Auguſtam Trevirorum, vel per medios Barbaros penetrare decrevit. viamque militarem etiamnum ſuperſtitem, quæ Bononiâ, Taruanâ, Atrebato, Cameraco, Bavaco mediisque Nerviis Treviros ducit, audacior inivit. Nec ſibi defuere Barbari, pugnæ jampridem avidi. Nam, ut Zoſimus lib. 6. *acti in Conſtantinum prælio illati ſunt.* haud dubiè à viæ iſtius militaris capite non procul, ac primis Nerviorum finibus. Certe adhuc hodie prope Caſtro-Cameraceſium ingentia caſtrorum valla cernuntur, cum incolarum traditione, prælium ibi à Vandalis jam olim commiſſum. & caſtra iſta ſi non Vandalorum certe Romanorum & Conſtantini eſſe potuerunt. *Ac victoriâ quidem* (pergit Zoſimus) *Romani* Conſtantiniani *potiti ſunt, majore barbarorum parte* (nota) *jugulatâ. Sed quod fugientes inſecuti non eſſent (omnes enim ad internecionem uſque cecidiſſent) facultatem eis conceſſerunt, ut reſarcitâ quam acceperant clade, & collectâ Barbarorum* novorum *multitudine, rurſus hoſti pares evaderent.* In Aquitaniam fugiſſe Barbaros, ex Oroſio Salvianoque diſcimus. Nam hic *poſt regionem Belgarum, opes Aquitanorum arſiſſe*, tertio capite recenſet, ut ſuprà monui. Ille verò *directo impetu Pyrenæum uſque perveniſſe* tradit; in Hiſpaniam haud dubiè ingreſſuros, ſi poſſent: ſed *Pyrenæi montis obice* (ſubdit) *ad tempus repulſi, per circumjacentes provincias* (tres Aquitanias maximè) *refunduntur.* Deo nimirum qui illas quoque punire volebat (ut notat Salvianus) ita diſponente. de quo nos anno ſequenti.

Vincuntur Vandali.

& in Aquitaniam fugiunt.

15. Enimverò victoriâ contentus Conſtantinus, nullâ fugientium aut occiſorum tantâ, aut ſaltem dilatâ curâ; Auguſtam Trevirorum Imperii Occidentalis ſolium, Galliarum armamentarium, occupare feſtinabat. jura inde de more daturus; & verò Honorii Stiliconiſve Duces, tantâ ejus victoriâ attonitos oppreſſurus. Nec eum ſua fefellit opinio. Quippe ut Zoſimus lib 5. pag. 102. *Limenius apud tranſalpinas gentes Prætorio Præfectus, & Chariobaudes militum ibidem Magiſter*, victoria adventu tam repentino perculſi, ſimul à milite ſuo deſerti, ſeu illum ipſi deſerentes, tempeſtivè *perduellis manus effugerunt. & Ticinum in Italiam ad Imperatorem* Honorium *acceſſerunt.* Nota *perduellis* nempe Conſtantini *manum effugiſſe.* non Barbarorum, quos ſcilicet hucusque ſeu qualicumque vi, ſeu potius clandeſtino mutuoque cum illis commercio ſuſtinuerant. Unde quàm recta ſit hiſtoriæ à nobis hic contexta ſeries, videre potes.

Conſtantinus victor Treviros progreditur.

Unde Magiſtratus in Italiam ad Honorium fugiunt.

16. Ita Conſtantinus nullo jam hoſte, Treviros cum exercitu, velut triumphabundus, ingreſſus eſt. *Omni Galliâ* (addit Olympiodorus) *ad Alpes uſque potitus.* Ac primùm, quo *tutiùs imperium poſſideret* (ait Zoſimus lib. 6. pag. 112. cap. 2. & 3t.) *præſidiarios in hiſce locis collocavit; ne barbari liberum in Gallias aditum haberent. Rhenum quoque præſidio munivit idoneo: quod a Juliani temporibus neglectum fuerat.* Imò quod Stilico malignè nudaverat; quando Valentinianum diu poſt Julianum probè muniviſſe ſuprà vidimus. Sed Stiliconis malitiam hîc ut alibi mendacio tegere, Julianum ſemper laudare conatur Zoſimus, Vitiniano in Chriſtianos odio. Ceterùm cùm Rheno præſidia Conſtantinum tam diligenter impoſuiſſe tradit; Treviris eum aut non procul tunc egiſſe, ſatis (opinor) inſinuat. & ratio dictat: ubi enim magis quàm Imperatoriâ in urbe imperium firmari, unde commodiùs præſidia ad Rhenum deduci poterant? Treviris quoque factum haud dubito, quod Olympiodorus & ex eo Zoſimus, immediatè ſubjungunt:

Ipſe triumphans ingreditur.

& Rhenum præſidiis munit.

Conſtan-

Ex Conſtantem filium ex Monacho Cæſarem facit.

Conſtantino filii duo erant; Conſtans & Julianus. illum Cæſarem dixit, Julianum deinde eo ipſo tempore Nobiliſſimum nominavit; ſicut jam antè Valentinianum Juniorem pater. *Conſtantem* verò *ex Monacho Cæſarem factum*, ſcribunt ac deflent Oroſius & Jornandes. Si quæris, unde Conſtans militis filius, ſi non & ipſe miles, Monachum & quidem in Britanniâ, induerit? facilè aſſequêris, ſi duo ſibi tunc juncta perpenderis: Ad Denam fluvium, qui Cambriam in Britanniâ (hodie Walliam) ad Boream ſimul & Orientem terminat; ſibi tum duo vicina inerant, primo Bangor Monaſterium, binis ac pluribus Monachorum millibus inclytum, teſte Bedâ, Camdeno, & aliis: ſecundò Legio Romana viceſima Victrix, paulò infra ſtativa habere ſolita. in eâ tum merebant (quantum video) pater & filius, Conſtantinus & Conſtans. Obvia erat ex tantâ viciniâ militibus iſtis occaſio Monaſterium iſtud adeundi: obvia item eum mũdi tædium ſubreperet, vitam Monachorum angelicam, militari certe pacatiorem, exoptandi & amplectendi. Hoc Conſtanti iſti contigiſſe puto. Cumque ibi tunc etiam Monachus (omnium teſtimonio) ageret Pelagius poſtmodum hæreſiarcha, illi Conſtans ceu ſeniori Magiſtróve celebri adhæſerit: veriſimiliter-ſecum inde, patre jam ad Imperium provecto, in Gallias abduxerit. Deinceps enim in iis, & Romæ in Italiá noteſcere cœpit Pelagius, & circa Arelatum maximè ubi Conſtantius tyrannus ſedem mox fixit, hæreſin ſuam ſpargere cœpit; quæ & poſtea Maſſilienſibus Semi pelagianis adhæſit. Sed de hoc pluribus infrà. Conſtantis igitur ea Monacho Cæſaris, ut & fratris ejus Juliani filiorum ſuorum, munimento jam inſiſtens Conſtantinus, animum ad res conſtituendas appulit.

Pelagio hæreſiarchæ Britanno jam adhærentem.

17. Tres erant Rheno vicinæ, eæque prævalidæ in Barbarico gentes, Saxones maritimi ad Oceanum; Alemanni ad ſuperiora Rheni, in medio Franci. Cum Saxonibus iisque junctis Herulis, jam antè (ut dixi) fœdus inierat. Alemanni cum Vandalis Gallias irruperant (ut diſertè Hieronymus, & alii omnes, ſub nomine *Suevorum*, quod notat Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 2.) ſedeſque ſuas Tranſrhenanas vacuas ferè, & primò occupantibus inſidendas reliquerant. Soli FRANCI omnium validiſſimi maximè devinciendi reſtabant; eò faciliùs, quo jam paulò antè à Vandalis ſociiſque tranſeuntibus protriti; ac Duces ex iis populares Nivogaſteu & Edobinchum, cum copiis itẽ gentilibus, in Conſtantini exercitu jam habebant. Cùm his igitur præ ceteris ictum fœdus, aut arctiùs renovatum: ne dum in Auſtraliora Galliæ neceſſariò tendit, tam potentem hoſtem à latere tergóve relinqueret; & potiùs auxiliarem ſibi contra novos aduerſarios adſciſceret. Reliqui enim erant intra Galliæ viſcera Vandali, Alani, Suevi ſeu Alemanni; quos in Aquitaniam refugiſſe diximus; cum quibus pactas anno proximo inducias ibi dicam. Burgundiones, quantum perſpicio, in Germaniâ Primâ ſeu Superiore jam ſubactâ, remanſiſſe videntur. tum quia ſequentibus annis ibi reperiemus; tum quia Germania iſta Ciſrhenana Tranſrhenanæ eorum ſedi, quam Franconiam hodiernam ad Mœnum fuiſſe ſuprà docui, confinis erat, ac ſolo Rheno diviſa. ex quâ proinde commodiſſimè commeatum haurire poterant, & ciſrhenanam à ſe deſtructam frequentare. Cum his igitur fœdus Conſtantinus inierit, ita ut Tranſrhenanos alios arcerent primum cum Romanis; eoque novis illius ad Rhenum præſidiis opem ferrent; interiora ceu novi coloni excolerent. Ita ille novè parta qualicumque interim pace, novo ſemper Imperio utili, ſtabilivit, quietem aliquam hyeme ſecutâ nactus. Nec enim neſciebat Honorium nihil non contra ſe moliturum, ſeu novis copiis ex Italia ſubmittendis, ſeu barbaris in ſe de novo concitandis. & Burgundiones interim ſtabiliebantur. Atque hæc hoc anno in Galliâ.

Cum Francis Conſtantinus fœdus init.

Et cum Burgundionib⁹, in Germaniâ primâ adhuc agentibus.

18. Jam quid interim in Italiâ gereretur, videamus; quando neutrum ſine altero ſatis intelligi poteſt. Romæ plerumque hujus anni primordiis egit Honorius. viaque jam annum ætatis viceſimum tertium attigerat, tantæ tetum moli adhuc impar. Treviros, apud quos, ceu Tranſrhenanis oppoſitos, plerumque deceſſores Auguſti ſedem fixerant, plane contempſerat, ac ne pedem quidem unquam in Belgicam (quod ſciam) intulerat; ſeu genio ita ferente, ſeu potiùs Stiliconis artibus, qui Principis à Galliis abſentiam conſiliis ſuis opportuniorem exiſtimabat. Quare nihil mirum ſi talis Imperator ita Rectoris ſui dolo deceptus, remotiores has Vandalorum vaſtationes parum in animum admiſerit. Ipſe autem rector Stilico, gloriâ ex victo Radagaiſo ingens, nihil minus quàm Imperium ſibi filióve Eucherio proponebat, Honorio genero hactenus puero callidis artibus illudebat. Quem in finem, ut Barbaros in Gallias milite à ſe nudatas immiſerat, & jam impunè populari ſinebat; ſic Alaricum Gothorum Regem præterea in Italiam revocare, & Romani Imperii caput inducere moliebatur. Alaricum nos ſuprà docuimus, ad Pollentiam anno Chriſti 402. prælio ſuperatum, in Epirum refugiſſe; in eâque ad annum uſque hunc, fereque ſequentem, cum Gothis ſuis reliquis quieviſſe. Ibi ſcilicet eum *Stilico pro pace optimâ* (ait Oroſius lib. 7. cap. 38.) *& quibuſcumque ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter orantem, occulto quidem fœdere fovebat: publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendámque Remp. reſervabat.* Hoc tandem anno Chriſti 407. videns Gallias ab Vandalis ſuis probè quati; ratus hoc tempus eſſe quo *ſub hac neceſſitatis circumſtantiâ* (pergit Oroſius) *extorquere Imperium genero* Honorio *poſſet in filium Eucherium*; conſilium tandem exequi ſtatuit: ſed ſemper tectè. quod etiam tectiùs aperit ei peramicus Zoſimus: *Cum videret Stilico eos, qui Arcadianum*, ſeu Orientale *adminiſtrabant Imperium, animis erga ſe infeſtis eſſe; cunctas in Illyrico nationes*, Arcadio tum ſubditas, *Honorii regno* ex patris teſtamẽto, *cogitabat rejungere, in eámque rem Alaricum ſibi ſocium adſciſcere. qua de re cum illo pactum erat.* Moram ei conſilio Radagaiſus intercurſans attulerat; ſed eo jam victo, Vandaliſque conſilio ſuo cooperantibus, Alaricum ex Epiro advocat; Honorium generum perdere certus: tametſi Illyrici recuperandi prætextum ſemper inferret. Nec tardavit Alaricus, Epiro paulò pòſt egreſſus, & per Illyricum Italiam petens. Etſi non ante ſequentem annum inverit.

Honorium interim Stilico in Italia detinet, & ludificat.

Alaricum in Italiam revocat.

19. *Ita parato Stiliconi* (pergit Zoſimus) *impedimenta duo contigit accidere: famam ſcilicet hinc inde de Alarici morte ſparſam; & literas Honorii Principis Româ Ravennam allatas: quibus perſcriptum erat, Conſtantinum perduellem ex inſulâ Britanniâ transvectum*

Stiliconis cõſilia Alarici mortui rumore, & Cõſtantini in Gallias adventu turbata.

ad

Unde Romam redit conſultaturus.

ad tranſalpinas gentes acceſsiſſe, Principiſque munis in oppidis uſurpare. Ac de Alarici quidem morte rumor incertus viſus; donec quidam advenissent, & ipſam rem nunciaſſent; nempe ſalvum eſſe. Quæ verò de Conſtantini in Imperatorem renunciatione perhibebantur, apud omnes fidem merebantur. Quapropter Illyricanâ expeditione præpeditus Stilico, Romam proficiſcebatur, volens cum aliis de rebus agendis conſultare. Ita exacto autumno cœpit hyems, quâ Baſſus ac Philippus Conſules deſignati ſunt, initio ſcilicet anni ſequentis. Iſta Zoſimus, annum Chriſti 407. rumore novi in Gallia Imperatoris Romæ vulgato concludens.

Corollaria certa ex narratis deducta.

Unde patet Conſtantinum in Galliarum oppidis, maximeque Auguſtæ Trevirorum, Principis munus, non antè ſeneſcentem hunc annum 407. uſurpaſſe. quando tum primùm rumor iſte, qui diu celari non potuit, Romam implevit. Patet item Stiliconem ante anni ſequentis exordia, Sarum in Gallias adverſus novam Conſtantini tyrannidem, mittere non potuiſſe, qui ante poſtremos hujus anni dies illum in Galliis imperare certò non ſcivit. Patet denique Conſtantinum hoc eodem anno 407. Belgicâ non exceſſiſſe, nedum Arelatum iniſſe: quando rumor iſte novi Principis nonniſi è remotioribus Galliarum locis Romam tam ſerò potuit attingere. quod & clariùs anno ſequente patebit.

CAPUT VI.

Conſtantinus Tyrannus Sarum Stiliconis Ducem vincit. Arelatum init. Hiſpanias ſibi adjungit. Stiliconis cædes. Romæ prima obſidio.

SECTIO PRIMA.

Annus Chriſti 408.

Alaricus ex Epiro Hemonam venit.

1. ANno igitur Chriſti 408. Baſſo Philippoque Coſs. Honorii Imperatoris à Theodoſii patris morte ſeu ab Januarii hujus die 16. tertiodecimo ineunte, ætatis ejus 24. Ad Stiliconem, ait Zoſimus libro 5. nuncium quidam pertulit, Alaricum relictis Epiris, anguſtiiſque ſuperatis, quæ de Pannoniâ tranſitum ad Venetos impediunt, apud Emonem ſeu Hemonam tentoria fixiſſe: oppidum Pannoniam inter Noricoſque ſitum. hodie *Laubach* dicitur, ad Nauportum fluvium qui infrà Davo famæ majoris amne hauritur. Hemonâ igitur

Petit à Stilicone pecuniam, pro morâ in Epiro. & pro hoc reditu.

Alaricus Legatos ad Stiliconem mittit (adhuc *apud Ravennam agitantem*) *tum ejus mora, quam in Epiro feciſſet, nomine* (*hanc enim ſibi contigiſſe dicebat à Stilicone perſuaſo*) *tum propter hunc in Noricum & mox in Italiam adventum. Hac legatione acceptâ Stilico, legatis Alarici Ravennæ relictis, Romam proficiſcitur: cum Imperatore Senatúque ſuper ea re* (& ut reor Conſtantino tyranno) *deliberaturus. Ibi complurium ſententia tendebat, ut bello res decerneretur. Solus Stilico cum paucis, metu ſibi adſentientibus, pacem cum Alarico ſuadebat. Quoniam, aiebat, Alaricus ob Principis commodum in Epiro tam diu commoratus eſt, ut conjunctâ mecum operâ, Illyricos ab Orientis Imperio ad Honorii regnum averteret. hócque reipsâ jam ſucceſſurum fuiſſe, ſi Honorii literæ non impediviſſent: quas & oſtendebat. Senatus itaque perſuaſit, quatuor librarum millia nomine pacis Alaricho ſolvenda. quantumvis clamaret Lampadius genere dignitateque præſtans, Non eſt iſta pax, ſed pactio ſervitutis. In hunc modum Stilico confectâ cum Alarico pace, ad expeditionem* Illyricanam *ſemet accingere* videbatur; *ut quæ ſecum decreviſſet, exequeretur. Domi interim manebat* (ut paulò infrà idem Zoſimus) *nec aliud quicquam eorum, quæ deliberata fuerant, reapſe perficiebat.* Evidentiſſimo argumento, Illyricanam expeditionem non aliorſum evulgatam, quàm ut Alarici auxilio, & Vandalorum in Gallias immiſſione, generum Honorium opprimeret, Imperium ipſe pro filio invaderet, niſi præventus fuiſſet. Et Alarici quidem auxilia parata erant: Vandalorum irruptionem tametſi jam factam Conſtantinus tyrannus interturbabat.

Quam illi Stilico procurat.

2. Unde nihil dubito, quin in iſta Senatûs conſultatione Stilico, bellum quoque contra Conſtantinum gerendum propoſuerit, & facilè perſuaſerit. Nam paulò antè è Zoſimo audivimus, Senatorum plurium ſententiam fuiſſe, ut bello res etiam adverſus Alaricum Italiæ imminentem decerneretur. quantò potiùs periculo minore contra Conſtantinum? Neque verò Stilico pacem cum Conſtantino, æquè ſibi ac cum Alarico conducibilem faciléinve intelligebat. quando Conſtantinus jam Vandalorum victoriâ ferocior, etiam Imperatoris in Galliis nomen uſurparet; adeoque Honorium ipſum brevi aggreſſurus videretur; quanto magis Stiliconem nullo jure eò adſpirantem, & nonniſi novâ tyrannide perventurum? Ex Senatûs ergo conſenſu, Stilico vixdum appetente vere, bellum Conſtantino movit. Sic enim Zoſimus: *Sarum* Gothum genere, *Ducem Stilico* (nota Stilico adhuc vigens) *contra eum cum exercitu ablegavit. Is* ſuperatis Alpibus, *Juſtiniano Conſtantini Duci cum copiis ſuis obviam profectus, tam ipſum, quàm majorem exercitûs partem interfecit. Et ingenti prædâ potitus; quòd Conſtantinum intellexiſſet ſe recepiſſe Valentiam* (Rhodano adſitam; unde ille Treviris jam ac Belgicâ egreſſus Auſtraliora Galliarum, forte & Alpes petebat) *urbem ad ſui defenſionem ſatis idoneam; hanc ipſam obſidere inſtituit. Alter copiarum Conſtantini Dux Nevigaſtes cum Saro de pace collocutus, amicè quidem ab eo exceptus eſt: ſed ultrò citroque præſtitis ſacramentis, confeſtim interfectus, juriſjurandi religione ab Saro violatâ.*

Conſtantinum tyrannum Stilico per Sarum in Galliâ vincit.

Sarus Conſtantinum Valentiæ obſidet.

3. *At ubi Ducem Conſtantinus ſuffeciſſet Edobinchum natione Francum; atque jam è Britanniâ cum ſuis,* ſeu ut Beda, cum juventutis Britannicæ flore, *Gerontius* alter Dux *adventaret; Sarus horum Ducum in re militari tum experientiam tum fortitudinem veritus, Valentiâ diſceſſit, quam ſeptem diebus obſederat. Cùmque jam dicti Conſtantini Duces maximis in eum viribus procurriſſent, multo labore ſalvus evaſit: univerſam prædam Bacaudis, qui ad Alpes illi occurrerant largitus, ut ab eis adeundæ Italiæ facultatem impetraret. Cùmque Sarus hoc modo incolumis perveniſſet in Italiam; Conſtantinus collectis univerſis copiis, Alpes idoneo præſidio muniri decrevit. Eæ tres omnino ſunt, Cottia, Pennina, Maritima.* Ita Zoſimus. Nam Honorii exercitum Ticini tum quoque fuiſſe, ſequentia docebunt Cum Saro quoque (ſi non antè) in Italiam è Galliis profugiſſe *Limenium, apud tranſalpinas gentes*

Edobinchus Francus, & Gerontius Britannus Sarum Valentiâ abigunt.

qui in Italiam fugit.

Ad Honorii exercitum Ticini tendentem.

Prætorio

Prætorio Præfectum, & Chariobaudem iiſdem locis Militiæ Magiſtrum exiſtimo. Nam paulò pòſt eos quoque Ticini, cum cetero exercitu, in Zoſimo reperiemus; & ceu proditores Stiliconis emiſſarios, à concitato milite *jugulatos* videbimus.

Conſtãtinus Arelati ſolium figit.

4. Ita Conſtantinus & Vandalorum & Ducum Stiliconis Honoriive victor, Sedem Imperii ſui non Treviris, ut alii hactenus Galliarum Imperatores, ſed Arelati figere inſtituit. Nempe rebus ſuis inde aptiùs, ut è vicinio, intenturus; primùm adverſus Honorii Italiæque contra ſe molitiones nunquam ceſſaturas; tum contra Vandalos eorumque ſocios in Aquitaniam tranſgreſſos ac degentes; denique ut è proximo in Hiſpanias quoque ſibi adjungendas, & ad integram Prætorii Gallicani diœceſin reducendas incumberet. Quod prudens conſilium probavit eventus, ut ſequentes anni docebunt. Arelatum porrò ſupremos ſaltem principeſque Galliarum Magiſtratus ſecum neceſſario traxit; rebus commodiùs uno loco expediendis. Inferiores ac ſecundarios Treviris tantiſper fortè reliquerit; ne tantam Urbem priſco repente ſplendore nudaret. Verùm ut maximè reliquiſſet, diu tamen ibi non ſtetiſſent; quando mox poſt biennium Urbs ipſa planè nudata, & tribus continuatis excidiis everſa eſt, ut ibi. Priore anno jam vergente vidimus è Zoſimo, *Limenium apud Tranſalpinas gentes Prætorio Præfectum & Chariobaudem militum ibidem Magiſtrum, Treviris Galliiſque relictis in Italiam effugiſſe.* Limenii igitur loco, Apollinarem Sidonii Arvernorum Præſulis avum, & ipſum Arvernum, Prætorio Præfectum dixit; quo Gallorum animos, credo, tanti viri famâ ſibi arctiùs adſtringeret; Chariobaudi item Gerontium fortem virum Militiæ Magiſtrum ſubrogavit; ſaltem donec eum in Hiſpaniam cum Conſtante filio mitteret, ibique ſedem figere mandaret. Tum enim Edobinchum natione Francum, & ipſum cum Gerontio Sari victorem, probabiliter ſuffecerit, & ſecum Arelati retinuerit. Quod præcipuâ ſaltem ſui parte ex Zoſimo, Sidonio, & Sirmundi in eum notis certò diſcimus. Sed Apollinari alioqui digniſſimo, diu honor iſte non ſtetit; poſt annum unum alterumve mirâ Conſtantini inconſtantiâ abrogatus, ſuffecto ei Decimio Ruſtico, ut nos infrà.

Ubi novum Prætorio Præfectum & Magiſtrũ militum creat.

Sidon. ep. 12. libri 5 & 9. lib. 5.

Cum Vãdalis in Aquitania degẽtibus, fœdus init.

5. Arelati igitur pacatè jam degens Conſtantinus, cum Vandalis ſociiſque antè omnia fœdus ſibi ineundum de conſilio ſuorum exiſtimavit: Intra viſcera quippe Galliarum hærebant, capitique illius imminebant; nec abſque eorum bonâ pace Hiſpanias aggredi, ſuaſque facere commodè poterat. In Aquitaniam quippe illi Viennenſi provinciæ contiguam jam antè victi refugerant, ceu & milite vacuam, quem in Belgis cum Conſtantino ipſo agere ſciebant ac ſenſerant; & Belgicâ procul abjunctam, in quâ plus ſatis occupandum Conſtantinum ab Honorii Præfectis aut ei addictis exiſtimabant: Hiſpaniæ ad hæc vicinam, in quâ ſi ultrà premerentur, paratum refugium viderent, ut anno ſequenti: illam denique ut opulentiſſimam & adhuc intactam interim prædaturi. Unde Salvianus poſt Belgarum regionem, *Aquitanorum opes arſiſſe* ſcribit. Et Oroſius Vandalos *Gallias invaſiſſe* primùm, tum *directo impetu Pyrenæum uſque perveniſſe* notat; *cujus obice* (ſubdit) *ad tempus repulſi per circumjacentes provincias refunduntur.* Et circumjacentes iſtas provincias tangit Hieronymus ad Ageruchiam, *Aquitanias, Novempopulaniam, Lugdunenſem, & Narbonenſem. quas foris gladius, intus vaſtaret fames.* Sed Lugdunenſem Vandali Narbonenſemque ſeu Viennenſem leviùs perſtrinxêre, ſtatim ab Conſtantino Arelati ſedem figente expulſi; Aquitanias haud paulò acriùs exederunt. Salvianus quidem ſcribit. *Deum Aquitanos* (Lugdunenſem Narbonenſemque non nominat) *eâ colluvione punire voluiſſe; quia ut divitiis primi erant, ſic vitiis: apud quos,* inquit, *nulla civitas non quaſi lupanar fuit.*

6. Sed ea vitia Conſtantinus nihil moratus, *fœdus cum illis* ceu ſibi utile, ſi non & neceſſarium, *init, licèt incertum; & quo* (ut Oroſius l. 7. c. 40.) *ſæpè illuſus, detrimẽto magis Reip. fuit.* Cùm dicit *magis*, ſatis innuit ſaltem nonnihil etiam profuiſſe. certè Honorius ætate adhuc animoque tùm per ſe parum validus, & ab Alarico Stiliconeque tantum non oppreſſus, non is erat qui Gallias contra tantam Barbarorum eluviem defendere potuiſſet. Fœdus ergo tyranni cum Vandalis iſtud Reip. tantiſper non obfuit. Illius autem conditiones has ego ſuſpicor: Ut in Aquitaniâ ipſâ, maritimâ præſertim, tantiſper ſecurè quieſcerent, eamque cum habitatoribus colerent dividerentve; eam præſertim quæ Oceano adjacet; & quam etiam Wiſigothi poſtmodùm poſſidendam acceperunt. certo tamen tempore, & exili quopiam tributo. Nam hoc ipſum pœnè fœdus duodecim poſthàc annis, cum Wiſigothis in Aquitaniam æquè tranſlatis panxiſſe Honorium videbimus. Atque ex his intelligimus, quàm aptè ſequenti anno ſcribat ad Ageruchiam Hieronymus, *Aquitania Novemque populorum, præter paucas urbes populata eſſe cuncta; Toloſam tamen conſque non ruiſſe.* Nam licèt Sancti Exuperii Toloſani Epiſcopi meritis acceptum id referat; nihil obſtat tamen, quin & huic Vandalorum cum Conſtantino fœderi, etiam ſubinde incerto, adſcribere poſſimus, communi & uſitato naturæ ſenſu. Sic igitur res Conſtantinus compoſuit; quod ad Vandalos quidem attinebat, non ineptè; quod ad ſe verò, fortè etiam neceſſariò. Neque enim ignorabat Stiliconem, ob Sarum à ſe victum, ardere vindictæ deſiderio; nihilque quo ſe opprimeret omiſſurum. Sed eo jam ſtatu Stilico non erat; uti alios opprimere poſſet: ſe ipſe à ſui oppreſſione ſervare non potuit. quod jam videndum.

Etſi incertũ, non tamen prorſus inutile.

Conſilium Honorii de necando Stilicone.

7. Dum *Stilico ad Illyricanam expeditionem ſe accingit*, aut accingere ſe fingit; *Imperatori Honorio* (ait Oroſius lib. 7. cap. 38.) *exercituique Romano hæc tantorum ejus ſcelerum ſcena patefacta eſt.* unde in ejus cædem *juſtiſſimè commotus uterque.* Ea cædes quomodo peracta ſit, ſolus exequitur Zoſimus l. 5. *Imperator* primùm *Româ ſe Ravennam velle proficiſci dixit, exercitûs inſpiciundi conciliandique cauſa. præſertim poſteaquam talis ac tantus hoſtis Alaricus in Italiam tranſire diſponeret.* addo ego, poſteaquam etiam Sarum Conſtantinus è Galliis in Italiam repuliſſet. *Et Imperatorem inſuper ipſum Serena volebat in urbe tutiore habitare: ut ſi pace proculcatâ Romam Alaricus invaderet; non etiam Principem in poteſtatem ſuam redigeret, cujus ſalute ſcilicet ſuam etiam contineri non neſciebat. Stilicom* male ſibi conſcio, *parum Principis iſtud iter probabatur; eòque multa ejus impediendi causâ excogitabat. Principe non cedente, ſed in itinere perſiſtente; Sarus natione barbarus, & Ravennæ agminis barbari Tribunus* (jam igitur è Galliis redux) *juſſu Stiliconis, ante urbem tumultum excitabat: non quod reapſe*

ſtatum

ſtatum Reip. conturbare vellet, ſed ut Imperatori metum incuteret, & eum ab itinere ſuſcepto revocaret. Cùm ne ſic quidem Princeps à ſententia moveretur; Juſtinianus Advocatorū Romæ clariſſimus Stiliconis aſſeſſor, facile quid illud Imperatoris iter ſibi vellet aſſecutus; & prævidens degentes Ticini milites Stiliconi perinfeſtos, quàm primùm ad eos Princeps adveniſſet, hominem in extremum periculum facilè præcipitaturos; veritus ne & ipſe cum *Stilicone peſſum iret, ab eo diſcedebat.*

[Arcadii Imp. mors Kalendis Maii.]

8. Interim ac *paulò antea rumor de Imperatoris Arcadii morte* (Kalendis Maiis Conſtantinopoli obitâ) *Romam perfertur; ac poſt Honorii Ravennam abitum confirmatur. Venit Princeps Bononiam Æmyliæ civitatem, milliaribus 70. Ravennâ diſſitam. Huc Stiliconem ille Ravennæ tum agitantem acceſſit; monens milites, quòd in itinere ſeditiones inter ſe cogitaſſent caſtigari oportere.* credo ut eos ab Stilicone tãto magis averteret, ſimul eorum Stiliconisq́; ſenſum exploraret. Id verò Stilico in Principem retorquere conatus eſt. *Nam cùm Stilico* (pergit Zoſimus) *ſeditioſos milites illos convocaſſet, dixit Imperatorem non ſolum ut caſtigarentur edixiſſe, ſed & ut decimus illorum quiſque morte multaretur præcepiſſe. Quo dicto, tantam eis trepidationem incuſſit, ut omnes profuſis lacrymis Ducem ad commiſerationem, & ut Principis clementiam polliceretur, impellerent. Hoc ejus promiſſum Princeps cùm minimè reddidiſſet irritum, ad deliberandum de rebus publicis ſe convertebat.*

[Unde Stilico Conſtantinopolim trãſire vult.]

9. *Nam & Stilico*, omiſsâ ſcilicet jam Illyricanâ expeditione, *tranſire cupiebat in Orientem; ac Theodoſii Arcadii filii, juvenis adhuc & tutelæ indigi* (utpote octennis dumtaxat) *res conſtituere: & ipſe Princeps Honorius illud idem iter ſuſcipere, ac quæcumque ad junioris hujus* nepotis *ſecuritatem pertinerent, diſponere cogitabat. Id rurſum Stiliconi diſplicebat; quóque Principem ab hoc conſilio deterreret; varias in medium produxit rationes: primùm ſumtuum in itinere faciundorum molem; tum Conſtantini rebellionem, quæ Italiæ atque ipſius Romæ curam deponere nullâ ei ratione permitteret: quando jam perduellis ille Conſtantinus univerſam Galliam percurriſſet, & Arelati degeret. Saro jam ante ab eo repulſo. Ad iſta* (*quæ tamen ad Principis præſentiam providentiámque requirendam omnino ſufficiant*) *Alarici quoque, tantis cum barbarorum copiis adventum accedere; barbari ſanè hominis & infidi: qui ſi reperiat Italiam ope deſtitutam, prorſus eam invaſurus ſit. Id verò conſilium eſſe optimum, & imprimis utile Reip. ut in* Conſtantinum *perduellem Alaricus expeditionem ſuſcipiat*; parte barbarorum quos ſecum habebat abductâ; Romanis *legionibus adjunctis eorúmque Ducibus, qui cum eo in hujuſce belli ſocietatem veniant. Orientem ipſe Stilico, jubente Principe, déque rebus peragendis litteras tradente, adeat.* Ita copias omnes Romanorum Stilico in ſua ſolius & Alarici poteſtate erat habiturus; ac proinde quidquid vellet patraturus. Quod facilè quidem ſenſit Honorius: ſed ſentire ſe diſſimulavit, ut Stiliconem per Ticinenſem exercitum opprimeret. Zoſimum rurſus audiamus: *Princeps, omnia rectè ab Stilicone dicta judicavit*, (certe probare ſe finxit) *& datis ad Orientis Imperatorem* Theodoſium nepotem, *& Alaricum literis, Bononiâ diſceſſit.* haud dubie Ticinum verſus; quæ in Stiliconem ſtatuerat cum milite ibi degente patraturus. facilè, quò ea Stiliconis conſilia vergerent, odoratus; Olympio præſertim conſultore optimo ſubnixus.

[Stiliconis fluctuatio & torpor.]

10. *Interim Stilico* (rurſum verba Zoſimi) *domi* (Ravennæ credo) *manebat: non iter illud Orientale ſuſcipiens, nec aliud quippiam eorum quæ deliberata fuiſſent, reapſe perficiens. Quin ne militum quidem partem, qui Ticini commorabantur*, è Galliâ nempe cum Saro reverſi, & ad quos Honorium tendere videbat, *Ravennam aliúmve quemdam in locum transducebat: ne Principis adeundi copiam in ejus tranſitu nacti, eum ad aliquid in Stiliconem ipſum inibendum impellerent. Ac Stilico quidem nullius indigni vel adverſus Imperatorem vel milites conſilii ſibi conſcius, hæc agebat.* Ita Zoſimus, Æthiopem fruſtrà dealbare laborans, paganum paganus, dignum patellâ operculum. Stiliconem omnes hujus ævi Scriptores ſacri profanique, etiam Sanctus Hieronymus manifeſtarium proditorem faciunt; unus Zoſimus purgare nititur. Alaricum barbarum hominem & infidum dicit hic ipſe Stilico; & eum tamen ad terendam terrendámque Remp. tandiu ſervavit; imò & in Italiam advocavit; & nullius ſibi mali conſcius eſt? Vandalos alioſque barbaros in Gallias id eſt Imperii viſcera immiſit, milite nudavit: & innocens eſt? Jam cùm videt *barbaras gentes non tam facilè comprimi quàm commoveri poſſe*; ſimul Conſtantinum perduellem conſiliis ſuis tranſverſum intercurſare, & quod ipſemet devorarat Imperium ſibi præripere; Alaricum infidum, ſed ſibi adjunctum, in eum non in Vandalos immitti vult; hoſce populares & emiſſarios ſalvos, Conſtantium rivalem palmæque ſuæ præreptorem protritum, & cum eo Remp. ſtirpitus exciſam volens. Sed vigilavit divina Nemeſis, nec perditum hominem impunem ſivit. Jamque ille conſilii inops torpebat, non in Illyricum, non in Orientem ſe movens; domi ad omnia enervis: à Deo projectus; qui ut rectè Velleius, *quorum fortunam perdere vult, conſilia corrumpit.*

SECTIO SECUNDA.

Stilico cæditur. Romam Alaricus obſidere incepit.

Eodem Anno 408.

[Olympius Honorio fidus.]

11. Erat Honorius naturâ mollior, & in iram etiam juſtam adeóque neceſſariam lentior. Impulſorem immiſit ei bonus Genius. *Olympius erat quidam* (ait Zoſimus l. 5.) *Ponto Euxino oriundus: ſplendidâ quadam in prætorio militiâ donatus. qui ſub ſpecie Chriſtianæ Religionis, magnam intra ſe malitiam tegeret.* (imò qui magna virtute polleret, vel ipſo Auguſtino teſte, quem ſi tibi, mi Zoſime, præferimus, indignari non debes) *atque hominem ſe frugi ſimulans*, imo verè exhibens, *cum Principe colloqui frequenter ſoleret.* Hic *multa contra Stiliconem Principis animo ſuggerebat: Nempe quod iter illud in Orientem ideò ille ſibi mandari curaſſet, ut juniori Theodoſio morte per inſidias ſtructâ, regnum Eucherio filio ſuo traderet. atque hæc, oblato ſibi ſpatio & opportunitate, dum iter facerent, effundebat* iterabatque ſæpiùs. *Cùm jam Ticini eſſent, Olympius milites adverſâ valetudine laborantes inviſebat* (*nam & illud ei tecta* (imò rectæ) *modeſtiæ caput erat*) *& ſimilia quædam inter illos verba ſpargebat.* de Stiliconis nempè conſiliis & ambitioſâ proditione. eos indubiè ad proditoris necem incitans. *Ubi dies dumtaxat quartus ex quo Ticinum Imperator advenerat, præteriiſſet; convocatis ad Prætorium militibus, ſe conſpiciendum princeps exhibebat; & ad bellum adverſus Conſtantinum perduellem eos* (licèt paulò ante victos)

[Stiliconis conſilia detegit.]

incitabat. De Stilicone verbum nullum ingerebat Sed Olympius militibus innuere videbatur, & eos illorum quaſi monere, de quibus ſecretò cum illis ſermonem habuiſſet. Tum verò illi quodammodo in furorem acti, LIMENIVM *apud tranſalpinas gentes Prætorio Præfectum, & Chariobaudem militum iiſdem in locis Magiſtrum* ſubitò *jugulant. Nam hi forte perduelles* (Conſtantini ſcilicet, non ita Vandalorum) *manus effugerant, & apud Ticinum ad Imperatorem acceſſerant:* cùm Saro, ſi non antè, reverſi, ut priùs monui. *Secundum hos jugulantur Vincentius & Salvius: equitum alter Magiſter, alter Scholæ domeſticorum Præfectus.* Nimirum Olympius præcipuos conſiliorum Stiliconis participes, Galliæ amiſſæ, ac malorum inde manantium reos, morte plectendos, ſicque gradum ad Stiliconis necem ſenſim faciendum exiſtimabat. exceſſit tamen, ut fit, ſeditionis in tantâ turbâ rabies; nec ut moveri, ita facilè comprimi potuit.

Ticini Limenium, Chariobaudem, & alios Magiſtratus cædi curat

12. Cùm enim *auctâ* (pergit Zoſimus) *ſeditione, Princeps ad Prætorium ſeceſſiſſet, ac Magiſtratus quidam clabi fuga potuiſſent*; per urbem univerſam ſparſi milites, magiſtratus quoſcumque poterant occidebant: iis extractos ædibus, in quas confugerant ſimul urbanas opes diripiebant. Jamque malum eò ſerpebat, ut medicinam ei facere non liceret. Honorius ipſe, licèt tunicula ſibi duntaxat injectâ, abſque chlamyde & diademate, media urbe ſe offerens, vix magno labore militum furorem compeſcere potuit. Interfecti igitur & illi Magiſtratus, quicumque poſt fugam capti ſunt; Nemorius ordinum Palatinorum Magiſter; Petronius fiſci Præfectus, rerumque privatarum ſeu Patrimonii Principis Comes. Salvius Quæſtor, qui ne Principis quidem pedes amplectens ſervari potuit. Tenuit ad veſperam uſque ſeditio. adeò ut & Imperator ipſe, ne quid in ſe committeretur, veritus, ſeceſſerit. Longinianum interim Præfectum Prætorio Italiæ repertum necant. Periit tanta quoque interveniентium multitudo, quantam numero complecti non facilè fuerit. His Stilico Bononiæ, ubi tum erat, intellectis, non parum perturbatus, ſeditionis ſaltem authores ſuppliciis afficere cogitabat. Poſtquam Principem ſalvum intellexit; non ultrà ad exercitum caſtigandum procedendum, ſed Ravennam abeundum exiſtimavit. Nam & militum multitudinem ad animum revocabat; ſimul Principis erga ſe voluntatem non videbat eſſe conſtantem: denique Barbaros ſuos in militem Romanum immittere, neque pium, neque tutum exiſtimabat. Anxius ſcilicet, & ex conſcientiâ ſemper hæſitans, & conſilii ſpem inter ac metum incertus, quamvis qui eò adhærebant fœderati barbari, manendum ſaltem alicubi tutò, ſuadere pergerent, donec Princeps animi de Stilicone ſui ſenſum magis perſpicuè declaraſſet.] Inter hæc contigit Sari ipſius à Stilicone defectio, ſeu ultronea, ſeu ab Olympio Honoriòve redempta.

Militū atrox ſeditio; qua multi cæſi.

Stilico Bononiâ Ravennam abit.

Ab eo Sarus deficit.

13. *Sarus cum* (ſubdit Zoſimus) *qui & robore corporis, & dignitate ceteris præſtabat* Stiliconis *fœderatis; operâ militancium ſub imperio ſuo Barbarorum necatis per quietem omnibus Hunnis, qui Stiliconis aſſidui ſatellites erant; omnibusq. ſequentibus illum potitus impedimentis, ad tentorium ejus pergebat. in quo degens rerum futurarum eventa ſpeculabatur. Ita Stilico barbaris etiam quos ſecum habebat inter ſe diſſidentibus Ravennam perrexit. Interim Olympius occupato iu Principis animum imperio, ad milites Ravennæ degentes* (an non & ad Sarum?) *literas Imperatorias miſit; qua Stiliconem apprehendi, & in libera tantiſper cuſtodia detineri jubebant. ea re cognita Stilico, vicinam quamdam Chriſtianorum Eccleſiam intempeſta nocte ingreſſus eſt. Quod conſpicati qui ei adhærebant barbari, aliiq. familiares cum ſervis ſuis armati, quid futurum eſſet expectabant.* illum haud dubiè defenſuri. *Ubi dies illuxit*, qui contra Stiliconem acceperant ab Olympio literas *milites* (quos inter Sarus probabiliter, certò Heraclianus erat) *Eccleſiam* ad illum capiendum *ingreſſi ſunt. & Epiſcopo* Ravennenſi *præſente*, & ſcilicet profugum tradere nolente, *ſacramentis ei fidem dabant, non imperatum ſibi a Principe, ut eum necarent, ſed tantùm ut cuſtodirent.* Quod verum erat. *Ita egreſſus ex Eccleſia Stilico ſub cuſtodiâ militum eſſe cœpit. Et ecce alteræ redduntur ab eo, qui priores attulerat, literæ* (ita ſcilicet providè mandarat Olympius) *quibus Stiliconi gravium in Remp. delictorum reo pœna capitis irrogabatur. Eucherio Stiliconis filio inter hæc Romam elapſo. Ita ad mortem ducebatur Stilico. Et barbari quidem, ſervi, & familiares ejus, quotquot ipſi aderant, ceterique non modicâ multitudine, eum illum eripere citato impetu ſtatuerant; ſed eos Stilico ipſe, nulla non comminatione formidineque propoſitâ cohibuit. ſicque cervicem gladio ipſemet quodammodo ſuppoſuit; cæſus ad X. Kal. Sept.* ſeu Auguſti 23 feriâ primâ) *Baſſo Philippóque Coſs. cùm annos tres ac 20. Præcutam in exercitu geſſiſſet.* Ita Sozimus. qui eum more ſuo laudare pergit. Rectiùs Oroſius: *Occiſus,* ait, *eſt Stilico, qui ut unum puerum purpuram indueret, totius generis humani ſanguinem dedit.* In eamdemque ſentẽtiam Proſper Pithœi: *Multum Remp. Stiliconis morte conſultum eſt; qui ſaluti Imperatoris tendebat inſidias; indignè ferens filio ſuo regnum negatum.* Par de eo Rutilii poetæ licèt Ethnici judicium ac verſus, ſuprà attulimus. Marcellinus in Chronico: *Stilico Comes, ſpreto Honorio regnum inhians, ſimul Eucherium filium ſuum paganum, & adverſus Chriſtianos inſidias molientem, cupiens Cæſarem ordinare; cum eodem Eucherio dolo ſuo detecto, occiſus eſt.* Nec aliter Paulus Diaconus ceterique ferè omnes Solus Olympiodorus cum Zoſimo facit, cùm ſcribit: *Stilico ſanguinariâ immanique Olympii operâ (qui per Stiliconem Imperatori familiaris factus fuerat) ferro mortem excepit. Et mox filius ejus Eucherius.*

Stilico in Eccleſiam quamdam nocte fugit.

Unde abducitur,

& cæditur 23 Auguſti, die Dominico.

& cuſtodes ejus Hunnos occidit.

14. Stilicone extincto (rurſum Zoſimus) univerſæ res aulicæ arbitratu Olympii adminiſtrabantur. qui inde Magiſtri officiorum ſibi munus aſſumpſit. Stiliconis familiares undique perquiſivit, ſontes punivit. Honorius autem Imperator Thermantiam ejus filiam, uxorem ſuam ſolio auguſto dejectam, matri ſuæ Serenæ reddidit. Stiliconis filium Eucherium undique veſtigari jugularique juſſit. ſed eum ubi fugâ Romam in quamdam Eccleſiam delatum repererunt, ob loci reverentiam miſſum interim faciebant. donec paulò poſt cùm Romam Alaricus advolavit, captus, Romamque reductus, occiſus eſt. eodem mox auctore Zoſimo pag. 105. Quæ tamen tamen Reſcriptis Honorii hoc anno, menſibus Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, partim Mediolani, partim Ravennæ datis, apud Baronium elucent. Ceterùm Imperator ut noxios punivit, ita bene de ſe meritos extulit: Eunuchos duos Arſacium & Terentium, qui Thermantiā matri reddiderant, Eucheriū

Eucherius Stiliconis filius etiam Romæ cæſus.

occide-

occiderant; hunc quidem Cubiculi Præpoſitum fecit; illi proximum ab eo locum conceſſit. Itidem interfecto Bathanario militum in magnâ Lybiâ Magiſtro, quocum nupta Stiliconis ſoror fuerat; eam provinciam Heracliano tradidit, qui manu ſuâ Stiliconem interſecerat. Sed diſtributi per oppida milites credo Romani, ubi Stiliconis necem audierunt, in barbarorum uxores liberosque graſſari, & facultates diripere cœperunt. Quod cùm audiſſent occiſorum propinqui, commoti graviter, deque locis omnibus coëuntes, Alarico ſe omnes adjungebant, ad hominum circiter triginta millia.

Alaricus pacem petens rejicitur.

15. Alaricus autem ne per hos quidem irritatus bellum ſuſcipiebat; ſed induciarum cum Stilicone memor, miſſis legatis ad poſcendam modicam pecuniam, pacem fieri, & obſides ſibi dari, Aëtium Gaudentii & Jaſonem Jovii filios petebat, ſe quoque nonnullos è ſuis nobili genere natos obſides daturum. atque his conditionibus pacem culturum, & è Norico in Pannoniam copias abducturum. Ea poſtulata rejecit Honorius. nec tamen legiones, quas ei objiceret collegit; nec Sarum fortem virum, ſolumque qui cum ſuis barbaris non paucis, & ſumma belli peritia terrorem hoſti poſſet incutere, exercitui præfecit: ſed eos potiùs, qui ſui contemptum in hoſtium animis excitare poſſent impoſuit, Turpilionem equitatui, peditatui Varanem. Ergo Alaricus (tum ob promiſſum illi negatum, tum ob Stiliconis cædem ait Olympiodorus) Honorii apparatu deriſo, Romanam expeditionem cœpit. eoque Ataulfum conjugis ſuæ fratrem rei gerendæ ſocium ex Pannoniâ ſuperiore acceſſit, qui Hunnorum Gothorumque copias haud aſpernandas habebat. Verùm illius adventu non expectato, ulteriùs (in Italiam) progreſſus, Aquileiam, Concordiam, Altinum, & Cremonam curſu præterit. Ubi cum Padum, nullo hoſte occurrente trajeciſſet, Occubariam Bononiæ caſtellum; tum Æmyliâ totâ peragratâ, Ariminum Flaminiæ urbem acceſſit. Inde in Picenum, ac Romam denique continuato curſu pervenit, obſeditque. Hic Senatus & Honorii ſoror Placidia, Serenam Stiliconis uxorem ſuſpectantes, tametſi non verè, quaſi Alaricum advocaſſet, perimunt (cum paulò antè filium ejus Eucherium Eunuchi duo ſupradicti, Alaricum inopinò advenientem fugientes, Romam abductum interemiſſent, alioquin in Alarici manus perventurum) rati Serenâ ſublatâ, ſicque ejus proditione detectâ, Alaricum abſceſſurum.

Romam cum exercitu venit.

Et obſidere incipit.

16. Ne ſic quidem Alaricus abſceſſit. quin omnes Romæ portas undique concluſit: & occupato Tiberi flumine, commeatûs è Portu ſubvectionem prohibebat. Et ſtabant quidem primò Romani, ſpe propinqui ab Honorio Ravennaque auxilii. Sed nullo adveniente fames primùm, tum peſtis orta. Quâ denique adacti ſunt, ut habito cum Alarico colloquio paciſcerentur, ab Urbe ſolvi quinquies mille libras auri, & præter has tricies mille libras argenti: quater mille tunicas ſericas, ter mille pelles coccineas, & piperis pondus ad ter mille libras. Quæ ſumma, ærario pecuniis tum exhauſto, ex Senatorum patrimoniis, & idolorum mundo conflato confecta eſt. Simul legatio Roma ad Honorium ſubmiſſa, quæ cum eo de pace futura tractaret: Alaricum non pecunias modò, ſed & obſides accipere velle ſignificaret: quo facto non pacem ille dumtaxat, ſed & belli ſocietatem iniret, cum Romanis contra quemvis eorum hoſtem in aciem proditurus. Cùm conditiones Princeps probaſſet, pecunia barbaris numerata eſt; obſidibus ſupradictis nondum datis. Ita Alaricus tridui foro Romanis permiſſo, ſubvehendæque è portu annonæ copiâ factâ, Roma denique diſceſſit; & quibuſdam circa Tuſciam locis caſtra metatus eſt. Ibi mancipia, quæ Romæ erant fere omnia aufugientia, ei ſe quotidie adjungebant; ad hominum fere 40. millia.] Atque omnia iſta è Zoſimo breviata, hoc anno in Italia geſta, à Maio menſe ad anni hujus 408. finem. ut patet ex ſequentis anni Conſulibus ibi immediatè ſubjonctis. De hac prima Romæ obſidione agit Hieronymus ad Ageruchiam: *Quis hoc credet? quæ digno ſermone hiſtoriæ comprehendent! Romam in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare.* Quod non vitio Principum qui vel Religioſiſſimi ſunt; ſed ſcelere ſemibarbari accidit proditoris. nempe Stiliconis. Quod & ad Principiam repetit.

Romani pecuniâ ſe redimunt.

De qua re quid Hieronymus.

RES GALLICÆ.

17. Nunc quid interim in Galliis geſſerit Conſtantinus videamus. Conſtitutis ille jam Arelati rebus, & fœdere cum Vandalis ſociiſque in Aquitania degentibus icto; nullo à Stilicone, nullo ab Italia metu; *Miſit* (ait Oroſius) *in Hiſpaniam milites. Quos cùm Provincia illa libenter accepiſſent; duo fratres nobiles, Juvenes & locupletes, Didymus & Verenianus non aſſumpſere, ut adverſus quidem Tyrannum, tyrannidem. ſed Imperatori juſto* (Honorio) *adverſus tyrannum & Barbaros* (credo Vandalos Pyrenæis è Gallia montibus imminentes) *tueri ſeſe patriámque ſuam moliti ſunt. Quod ipſo rei ordine patuit. Nam tyrannidem nemo, niſi celeriter maturatam, ſecretò invadit, & publicè armat. Cujus ſumma eſt, aſſumpto diademate ac purpurâ videri antequam ſciri. Hi verò plurimo tempore ſervulos tantum ſuos ex propriis prædiis colligentes, ac vernaculis alentes ſumptibus, nec diſſimulato propoſito, abſque cujuſquam inquietudine, ad Pyrenæi clauſtra* (contra Vandalos ſervanda) *tendebant. Adverſus hos Conſtantinus Conſtantem filium ſuum* (*natu maximum*, addit Zoſimus) *prôh dolor! ex Monacho Cæſarem factum* (nam Monachus etiam in Britannia jam antè, ut dixi, ſponte fuerat) *in Hiſpanias mittit cum Barbaris quibuſdam; qui quondam* (nota quondam) *in fœdus* (ab Honorio) *recepti, atque in militiam allecti, HONORIACI vocabantur.* Ita Oroſius.

Conſtantinus Tyrannus Hiſpaniam affectat.

Lib. 7. c. 40.

Et in eam Cõſtantem filiũ mittit.

18. *Nam & iſtic* (addit Zoſimus) *univerſis potiri nationibus cupiebat Conſtantinus: tum ut dilataret Imperii limites; tum ut etiam Honorii propinquorum potentiam iis locis exſcinderet. Metuebat enim, ne quando coactis militum in eâ regione copiis, ipſi quidem monte Pyrene ſuperato inde ſe adoriretur; Imperator autem Honorius ex Italia miſſis exercitibus undique ſibi circumdato tyrannidem abrogaret. Itaque Conſtans in Hiſpaniam tranſibat: cùm Ducem ſeu Militia Magiſtrum Gerontium* (non ut mendosè Terentium) *& Apollinarem Prætorio Præfectum* (ut ſuprà monui) *ſecum haberet: ac palatinis etiam ordinibus Magiſtratus tam civiles quàm militares dediſſet. Atque his ductoribus copias in eos movet, qui generis affinitate Theodoſium* (Honorii patrem) *contingentes, Hiſpanas res conturbabant.*] Erant ii *Didymus & Verenianus*, (addit cum Oroſio Sozomenus libro 9. cap. 11) *cognati Honorii. qui quidem, cùm antea inter ſe diſſiderent, poſtquam periclitari cœpere, in mutuam redivere concordiam.*

Ducibus Gerontio & Apollinari.

Reſiſtunt Honorii cognati.

19. *Et primum* (ruſum Zoſimus) *per Luſitanos exercitu ſuſcepto adverſus Conſtantem bello, cùm ab illo ſe vinci viderent, unà cum ſervorum & agricolarum multitudine* (vernas ſupra vocavit Oroſius ipſe Hiſpanus, ex eorum prædiis collectos) *hoſtem aggreſſi, parum abfuit, quin eum in graviſſimum periculum conjicerent.*] *Multos certe ex illis, qui à tyranno ad ipſos comprehendendos miſſi erant, trucidarunt* (addit Sozomenus.) *Poſtea verò cum hoſtes copiis auxiliaribus aucti eſſent; capti, & unà cum uxoribus ſuis in cuſtodiam dati ſunt. Theodoſiolus autem & Lagodius eorum fratres, qui in aliis* (Hiſpaniarum) *provinciis morabantur, ex patriâ diffugiunt ac ſalvantur. Theodoſiolus in Italiam ad Honorium, Lagodius ad Theodoſium in Orientem venit. Atque Conſtans quidem his rebus geſtis, ad patrem* Arelatum *reverſus eſt.* Sozom.] *adducto ſecum* (iterum Zoſimus) *Vereniano & Didymio; relictóque iſtic Duce Gerontio, qui cum Gallicis militibus* (quos Honoriacos Barbaros paulò antè nominavit Oroſius) *iter illud quod è Celtis* (ſeu Galliis per Pyrenen) *in Hiſpaniam ducit, cuſtodiret. quanquam exercitus Hiſpanici hanc ſibi cuſtodiam pro more credi, nec regionis tutelam extraneis committi, petiiſſent. Ceterùm Verenianus, & Didymius ad Conſtantinum Arelatum perducti, mox interfecti ſunt.*] ante finem anni 408. ut patet ex Zoſimi libro 5. pag. 107. & 108.

Qui tamen necantur & capiuntur.

20. Nec diſſentit Renatus Profuturus Frigeridus, apud Gregorium Turonenſem libro 2. cap 9. niſi quod dicat, *Accitum de Hiſpaniis à Conſtantino patre Conſtantem filium; quò de ſummâ rerum conſultarent præſentes: Conſtantémque inſtrumento aulæ & conjuge ſuâ Cæſaraugustæ dimiſſis, Gerontio verò Hiſpaniis omnibus creditis, ad patrem continuato itinere decurriſſe. Eos ita in unum veniſſe. donec interjectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Conſtantinus gulæ & ventri deditus, redire ad Hiſpanias filium moneret.* quod ſecundo abhinc anno Chriſti 410. primùm factum videbimus. Cum *de rerum ſummâ conſultaſſe* dicit. ſatis innuit eos in tanta ſua proſperitate; Honorii è contrà in Italia Romanorumque ab Alarico adverſis caſibus ac fere ruinâ; ſi non de Italiâ quoque ſibi adjungendâ, certe de Honorii conſenſu & novâ cum illo pace ineundâ, cogitaſſe. quod & mox factum. Ita cum nullus ab Italiâ, nullus à Vandalis in Aquitaniâ metus incumberet, quid mirum, ſi *ventri illos & crapulæ deditos* notet idem Frigeridus hoc anno & ſequenti? quid mirum, ſi illæſam & hoc anno Toloſam ſcribat Hieronymus? Vandalis ceteriſque in Galliâ Barbaris, tanta Conſtantini felicitate, tantâ tamque vicinâ potentiâ perterritis, eoque fœderum beneficio quieſcere gaudentibus; certe nihil movere auſis. quos Conſtantinus ipſe potiùs in tanta fortuna opprimere poterat, ac, ſi ſapuiſſet, omnino debebat. Sed aliò conſilia ſua vindex vertebat Deus.

Conſtans ad patrem redit Arelatum.

CAPUT VII.

Conſtantinus tyrannus ab Honorio Imperator admittitur. fit Conſul. Alaricus Romam obſidet. Attalum Imperatorem dici curat.

SECTIO PRIMA.

Annus Chriſti 409.

Annus U.C. 1162. Chriſti 409.

1. MEdiocre *jam malorum Laxamentum Romanis erat; quo tempore Honorius* (ait Zoſimus l. 5.) *Ravennæ Conſulatum inibat octavum, Theodoſius in Oriente tertium*, anno ſcilicet Chriſti ineunte 409. *Secundum hæc Conſtantinus ille perduellis, Eunuchos ad Honorium mittebat; condonari ſibi petens quòd Imperium ſibi tradi paſſus eſſet. Non enim id ſe ſponte ſuâ rapuiſſe, ſed à militibus vi coactum. Honorius animadvertens non facile ſe, quamdiu militantes Alarico barbari non procul abeſſent, de bellis aliis cogitare poſſe: prætereaq; propinquorum Vereniani ac Didymii rationem habens, quos adhuc à perduelle teneri credebat in vinculis (erant autem ante legationem hanc jugulati) poſtulato non ſolum aſſenſit. ſed & Imperatoriam veſtem ei miſit, atque ita Eunuchos dimiſit.* Zoſimus. Similia Photianæ Olympiodori Eclogæ: *Conſtantinus ad Imperium tyrannicè ſublatus, legatos ad Honorium miſit, excuſantes invitum illum & a militibus coactum Imperium ſuſcepiſſe. Veniam igitur Imperiiq; ſocietatem poſtulare. Imperator propter impendentes moleſtias ſuſcipit in ſocietatem.*

Conſtantinus ab Honorio Imperii conſortium obtinet.

2. Nec tantùm Imperatoriâ veſte ab Honorio donatus eſt, ſed Conſulatum etiam, ſaltem in Galliis, inire permiſſus. Id vetus Inſcriptio Græca perſuadet, quæ etiamnum Treviris in S. Paulini Baſilicâ ſic legitur: Ἐνθάδε κεῖται Εὐσεβία ἐν εἰρήνῃ, οὖσα Ἱεροκωμῖτις ἀπὸ Κώμης Ἀδδάνων. ζήσασα μικρὸν πρὸς ἐτῶν ΙΕ. ὑπατίᾳ Ὀνωρίου τὸ Η. καὶ Κωνσταντίνου τὸ Α μηνὶ Πανέμου ΙΒ ἡμέρᾳ. Κι. Β. ἐν εἰρήνῃ. Id eſt: *Hic jacet Euſebia Hierocomitis* ſeu municeps, *ex vico Addanâ* (in Ciciliâ.) *Quæ vixit annos paulò minus XV. Conſulatu Honorii octavo & Conſtantini primo. Menſis Panemi* ſeu Julii *duodecima. Jaceat firmiter in pace.* Ex hoc Epitaphio certò videmus, *primò*, Conſtantinum tyrannorum, imò & Imperatorum aliorum more, ſimulatque Imperium ſibi ſtabilitum vidit, primis Kalendis Januariis, Conſulem locis quibus imperabat ſe dixiſſe: Collegâ veriſimiliter aliquo è ſuis, puta Conſtante filio. ſi fortè quod tunc ab Honorio ſperabat Imperii conſortium non impetraret. Sed cùm hanc Legationem anni hujus exordio peractam Zoſimus tam exertè notet; animi ſui propoſitum tantiſper ſuſpendiſſe puto, dum ſucceſſum intelligeret. Qui cùm pro libito eveniſſet, & conſulatûs dignitatem cum Imperatoriâ veſte accepiſſet; Collegam ſe Honorio jam volenti in toto Galliarum Prætorio, quod occupabat, conſtituit. Unde *rurſum* certò intelligimus, pacem hujus anni exordio à Conſtantino perduelli

Et Conſulatû in Galliis.

Ex Inſcriptione Græcâ Trevirenſi.

cum

Treviri tum adhuc integri.

cum Honorio tot bellis intricato factam, ad anni uſque Chriſtiani 411. ver perduraſſe. quo bellum ei illatum ibi videbimus. *Tertiò* denique intelligimus Treviros hoc anno Chriſti vulgati 409. & quidem adhuc Julii die 12. in Romanorum ditione ſub hoc Conſtantino perſtitiſſe: eoque nondum à Vandalis direptos, nedum everſos poſſeſſóſve. quod pro quadruplicis eorum everſionis tempore & ordine benè notandum, & quaſi pro fundamento ſtatuendum. Sed de Conſtantini rebus Zoſimum pergentem rurſum audiamus; cùm res Italicas, à quibus iſtæ pendent, pertexuerimus.

RES ITALICÆ.

Pacem Honorii cum Alarico impedit Olympius.

3. *Nondum pace cum Alarico confirmatâ, quòd Imperator nec obſides dediſſet, nec poſtulatis omnibus ſatisfeciſſet; ab Senatu legati Ravennam* ad Honorium *mittebantur, Cecilianus, Attalus* mox Pſeudo Auguſtus Imperator, *& Maximianus. qui deploratis rebus Romæ adverſis; & eorum qui perierant multitudine tragicum in morem amplificata, nihil his rebus perfecerunt; Olympio cuncta perturbante, & quæ recta viderentur impediente. Itaque Legati nihil eorum quorum causâ venerant impetrarunt.* Sed ne ſine honore dimiſſi averterentur, *Theodoro Præfecturâ urbanâ dejecto, Cæciliano eam tradidit* Honorius aut potiùs ſub Honorii umbra Olympius; *& Attalum fiſco præeſſe juſſit*, Heliocrate ea cura liberato, quod hic in eorum qui Stiliconi adhæſerant bona non ſatis inquireret, aliòve applicaret. unde & Ravennam abreptus pœnas omnino luiſſet, niſi quamdam in Chriſtianorum Eccleſiam profugiſſet. Honorius interim, qui Alarico nec obſides dare, nec poſtulata concedere voluerat (credo pace cum Conſtantino primum firmata audacior) Romanis alia ratione ſuccurrere inſtituit. *Nam quinque Dalmaticos militum numeros, de ſuis excitos ſedibus, ad Urbis cuſtodiam* contra Alarici molitiones *arceſſivit. In his erant hominum ſex millia, verum exercitûs Romani robur. Eorum Dux erat Valens, ad quodvis periculum promptiſſimus. qui ideo indignum ratus, ea per itinera proficiſci, quæ ab hoſte non obſervabantur; in Alaricum ipſum qui tranſitum ejus expectabat,* temerè incurrit. *ſicque ab eo cum univerſis copiis irruente interceptus, ſuos omnes milites in hoſtium manus culpâ ſuâ conjecit. Vix centum fugâ dilapſi ſunt; quorum in numero ipſe Dux, ut & Attalus ab Honorio tum primùm forte ad Senatum rediens, in urbem incolumis evaſit. Ita caſis his, & Honorio nihilominus pacem adhuc cum Alaricho differente, nec pactis ſatisfaciente; Romanis extra Urbem prodire non jam liberum erat.*

Auxilia Honorii cæſa.

4. Tertiam igitur pacis cauſa legationem ad Principem Senatus mittit, cujus ipſe Romanus Pontifex Innocentius legationi pondus additurus Princeps erat. Aderant iiſdem & Barbari quidam ab Alarico pacem item expetente ſubmiſſi, ut eos ab hoſtibus (Gothis) infeſta habentibus itinera, tutarentur. Cùm Ravennam hi ad Imperatorem progrederentur, Ataulfus ab Alarico, ut ſupra dixi, arceſſitus, tranſiit Alpes, quæ à Pannoniâ Venetiam verſus ſe porrigunt. Quâ re compertâ Imperator ſimul intelligens non magnas eum vires adducere, omnes equitum peditumque copias ex oppidis cum Ducibus ſuis excitas illi occurrere juſſit. Simul Olympio Officiorum Magiſtro Hunnos ad Ravennam numero trecentos dedit; omnes Ataulfum, ne Alarico ſe jungeret, impediturus. Hi cum Ataulphi exercitu congreſſi, mille centum (aut ut Sigonius legit) mille quingentos Gothos interfecerunt, & ſeptemdecim duntaxat amiſſis Ravennam incolumes pervenerunt. Nihilominus Ataulfus ipſe ſeu tunc ſeu paulò pòſt Alarico ſe conjunxit, tametſi nihil de eo Zoſimus memoret, hic mutilus. Unde occaſionem natam exiſtimo, quâ Eunuchi aulici (narratore jam Zoſimo) Olympium apud Honorium inſimularunt, velut eorum caſuum auctorem, qui Reip. adverſi acciderant. & tantum potuere, ut ei Magiſtratus abrogaretur; veritusque ne quid ſibi gravius accideret, fugâ ſe in Dalmatiam conferret. Imperator Attalum paulò antè Fiſco Præfectum, Urbis Præfectum dicit, ac Romam mittit: ſimul nimiò ſollicitus opere, ne quid rerum ad fiſcum pertinentium occuleretur; Demetrium ablegat, qui Attali munus obiret, & fiſcalia bona perſcrutaretur. Multa quoque tum in creandis Magiſtratibus, tum aliis rebus innovat: animi videlicet pendens, ſemperque ſuſpicax ac diffidens. Et ejectis iis qui prius cum poteſtate fuerant, aliis imperia tradit.

Athaulphus Alarico ſe jungit.

Olympius exauctoratur. & fugit.

Militum Ravennæ ſeditio,

5. Inter hæc milites Ravennæ ſeditione motâ (ſive hâc ſive aliâ occaſione) portum ejus occupant. & confuſo clamore ſublato, ut Imperator ad ipſos prodiret, poſtulabant. At illo metu ſeditionis occultato, progreſſus in medium Jovius, qui jam & Prætorio Præfectus, & Patricii dignitate decoratus erat; ignorare ſe ſeditionis cauſam ſimulans (licèt hujus auctor ipſe ferretur, ſocium nactus ad eam Allobichum, qui Equitibus domeſticis præerant) cauſam à militibus poſcebat, cur ad hoc facinus prorupiſſent? Illi omnino Turpilionem ac Vigilantium Duces, unâ cum Terentio ſacri cubiculi Præpoſito, & ordine ſecundùm hunc proximo Arſacio, ſibi tradi depoſcunt. Nempè qui Principem tam malè regerent. Princeps militum rebellionem veritus, Duces iſtos perpetuo mulctat exilio, Turpilionem ſcilicet atque Vigilantium. qui in navim conjecti, ab iis qui avehebant necati ſunt. hoc enim Jovius eis imperaverat, nè ſorte reverſi, cognitis iſtis adverſum ſe ſtructis inſidiis, Principem ad ſumendum de ſe ſupplicium concitarent. Terentius in Orientem relegatur; Arſacius Mediolani ſe continere jubetur. Hinc Imperator in Terentii locum Euſebium Cubiculi Præpoſitum ſufficit; Turpilionis in milites imperium Valenti tradit: & poſt Vigilantium Allobichum Præfecturâ donat. Ita ſeditionem militarem quodam modo ſedare viſus. Iſta omnia Zoſimus. nullâ prorſus legationis, Innocentio Papâ principe Româ ſubmiſſæ, memoriâ. Sozomenus ſolus libro 9. cap. 7. ejus occaſione, revocatum litteris Imperatoris Alaricum, Ariminum adveniſſe memorat, ut de pace tractaret. Idque per Jovium Italiæ Hipparchum effeciſſe. quod jam Zoſimus in multis hians, ita proſequitur:

Ob quam Honorius Magiſtratus mutat.

Valentem & Allobichum Duces creat.

Jovium Præfectum Prætorio.

6. Jovius Prætorio Præfectus, cum omnem apud Imperatorem potentiam in ſe unum (cæſis fuſiſve ceteris) tranſtuliſſet; legatos ad Alaricum mittere decrevit; qui eum hortarentur, ut ad ipſam uſque Ravennam accederet; pace ſcilicet illic componendâ. Alaricus Principis ac Jovii litteris adſenſus, & Ariminum profectus eſt, quæ Ravenna 30. milliaribus abeſt. Eodem Jovius quoque celeriter ſe contulit: & quòd in Epiris publicus Alarici hoſpes atque amicus factus fuiſſet, de fœdere pangendo tractabat. Alarici poſtulata hæc erant: Ut in annos ſingulos auri certa ſumma

Alarici poſtulata prima pro pace, dariora.

 daretur,

daretur, & annonæ menſura quædam ſibi erogaretur. Ut item ipſe cum ſuis utramque Venetiam, Noricos, & Dalmatiam incoleret. Hæc poſtulata Jovius Alarico præſente perſcripta, ad Imperatorem mittit: datis ad eumdem ſeorſim quoque literis, quibus eum hortabatur, Alaricum copiis utriſque Ducem præficere; ut hoc modo delinitus, de conditionum rigore nonnihil remitteret; ac tolerabilibus moderatisque legibus pacem faceret. Imperator his acceptis litteris, Jovii temeritatem damnabat; & miſſis viciſſim ad eum litteris ſignificabat auri quidem & annonæ modum ut ipſe ſtatueret æquum eſſe, qui & Prætorio Præfectus eſſet, & publicorum tributorum copiam facultatemque perſpectam haberet. At dignitatem aut Ducis officium nunquam ſe vel Alaricho vel ejus gentilibus conceſſurum. Hanc Epiſtolam Jovius acceptam, non ſeorſum aperuit, ſed audiente Alarico legit. Imprudenter, addit Sozomenus. Nam Alaricus cetera quidem moderatè tulit; verùm ubi negatum ſibi gentique ſuæ Ducis Imperium vidit, ira percitus mox Barbaros ſuos Romam contendere juſſit: quaſi confeſtim injuriam ſibi gentique ſuæ factam ulturus.

Ideoque rejecta.

7. Jovius autem inexpectato litterarum Imperatoriarum caſu, ad inopiam conſilii redactus, Ravennam rediit. Cúmque ſe omni culpa liberare vellet, Honorium ſacramentis obſtringit, quibus ſanctè polliceretur, nunquam ſe pacem cum Alarico facturum, ſed bellum perpetuò geſturum. Simul ipſe Principis tacto capite, jusjurandum præſtat; & à ceteris quotquot erant in poteſtate conſimile quiddam exigit. Imperator ergo bellum jam in Alaricum geſturus, decem Hunnorum millia in ſocietatem arceſſebat. & ut eis adventantibus alimenta parata eſſent, frumentum, oves ac boves Dalmaticos adferri juſſit. Miſit & quoſdam exploraturos, quo pacto Romam Alaricus iter ſuum inſtitueret. Copias quoque ſuas undique cogebat.

Secunda & moderatiora Alarici poſtulata.

8. Quibus cognitis Alaricus, ſuſceptæ contra Romam expeditionis jam pœnitens; Epiſcopos urbium ablegabat, qui ſimul & legatione fungerentur, & auctores Honorio eſſent, Ne culpâ ſuâ ſineret eam Urbem quæ jam à pluribus quàm mille annis, magnæ orbis parti imperaſſet, Barbaris vaſtandam tradi; nec tantas ædificiorum moles hoſtili flamma deleri: ſed potiùs moderatis admodum conditionibus pacem componeret. Nec enim opus jam eſſe ſibi dignitate poteſtatis; nec jam hoc tempore poſtulatas prius provincias (puta utramque Venetiam) ad figendum domicilium ſeſe petere: ſed ambos tantùm Noricos, ad extremas ſive ſuperiores Iſtri partes ſitos, & qui continuis barbarorum vexentur incurſionibus, tenueque fiſco tributum inferant. Præter hæc, frumenti tantum in ſingulos annos adjiceret, quantum ipſe Princeps ſatis eſſe putaret. auri ſummam aliquam penderet. Atque hoc modo, ſeſe inter ac Romanos amicitiam bellique ſocietatem conſtituendam, contra quemvis qui arma ſumeret, & ad gerendum in Remp. bellum ſe pararet. Atque hæc leniter Alaricus ac modeſtè propoſuit; adeo ut omnes ſimul hominis moderationem mirarentur.

Ea quoque rejecta, ob ſcrupulum ridiculum.

9. Jovius autem & alii regiæ potentiæ participes, hæc poſtulata negabant impleri poſſe: propterea quod omnes quotquot Magiſtratus gererent, juraſſent, nullam ſe cum Alarico pacem facturos. Quippe ſi Deo præſtitum eſſet Juramentum, fortaſſe negligi poſſe; benignitati divinæ condonationem facinoris impii permittendo. Nunc quoniam per caput Imperatoris juraſſet, non jam eis fas eſſe contra tam grave jusjurandum delinquere. Ea tum illorum mens erat ac Religio, qui Dei cura deſtituti Remp. adminiſtrabant. *Hic incipit Zoſimi liber 6.* Alaricus ergo propoſitis tam æquis poſtulatis indignè ludibrio habitus, univerſis cum copiis Romam contendebat; conſtanter in Urbis obſidione perſtiturus. Hucusque Zoſimus; ex Olympiodoro fuſiùs. ſed cui addat adhuc ex eodem Sozomenus, *Alaricum legatione per Epiſcopos quoſdam factâ, hujus rei petitionibus fruſtratum, eóque Romam reverſum eſſe.* Atque iſte fuit legationum omnium exitus ac finis; etiam illius, cujus princeps extitit Romanus Pontifex Innocentius. Qui cùm tantam Alarici iram, tam acrem in Urbem expeditionem videret, quid mirum ſi apud Honorium Ravennæ manſerit, rei eventum expectaturus interim; ſimul Principem, ne Romæ in tantis deeſſet anguſtiis, importunè opportunè impulſurus. Id quidem velle videtur Oroſius cùm ait: *Beatus Innocentius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, tanquam juſtus Lot ſubtractus à Sodomis, occultâ providentiâ Dei apud Ravennam tunc poſitus eſt ſeu remanſit, ut peccatoris populi non videret excidium.* Ceterùm & lectorem hic moneo, Alarico Romam hac vice profecto, veniſſe ad Honorium à Conſtantino Galliarum tyranno legationem ſecundam; quam hujus capitis exordio è Zoſimo retuli. qui ideo illam hic interſerit. nos primæ conjunximus.

Unde Romam iterũ obſidere pergit.

10. *Alaricus ergo nec impetratâ pace, nec obſidibus acceptis* (rurſum Zoſimus l.6.) *Romã rurſus invadebat: minatus eam ſe per vim expugnaturum, niſi Cives Romani conjunctis ſecum viribus, adverſus Honorium Auguſtum expeditionem ſuſciperent. Romanis ad hoc poſtulatum cunctantibus, Urbem obſidebat. Et ad Portum,* ad Tiberis os dexterum, *profectus, aliquot diebus in ejus oppugnatione conſumptis, tandem eo potitus eſt. Ubi cum omnem Urbis annonam reconditam inveniſſet; eam ſe minatus eſt, in exercitum ſuum expenſurum, ni celeriter Romani poſtulatis ſuis ſatisfeciſſent. Senatus univerſus ſuper ea re habitus, quid potiſſimum agendum eſſet ſeriò deliberavit. & tandem omnibus quæ imperabat Alaricus, aſſenſus eſt. Nec enim ullum mortis erat effugium, poſteaquam Urbi nulla à Portu annona ſuppeditabatur.* Sed nec ullum ab Honorio præſidium, vacillante ſemper & imparato. *Itaque ſuſceptis Alarici legatis, ad Urbem illum arceſſunt: ac ut juſſi fuerant, ATTALUM Præfectum Urbis* paulò antè ab Honorio conſtitutum, *ſublimem in Auguſto ſolio collocant, purpurâ coronáque cinctum.* Id ſcilicet agebat Alaricus, ut Jovii Honoriique in pace negandâ contumaciam vindicaret, ſui repulſam ac contemptum novâ iſtâ electione elueret; Honorio tanto ægriùs faceret; quod ille negaverat, ab novo Imperatore, ex Senatus ſententiâ legitimè dicto obtineret; ac denique ſub alieni & obnoxii nominis umbrâ, ipſe verè deinceps imperaret.

Et invadit, Portu ejus expugnato.

Quare Senatus ejus poſtulatis obſequitur.

Attalum P.V. Auguſtum dicit.

11. Attalus igitur ita creatus Imperator, licèt in eo *mimum rideret* Alaricus (ſic enim loquitur Oroſius lib. 7. cap. 42.) *& ludum ſpectaret Imperii.* ſe totum tamen formando vertit imperio. Nam ut Zoſimus, *continuo Lampadium Prætorio præfectum dicit, Martianum Urbi præficit; Copiarum Duces* ·*larium*

Qui novos Magiſtratus creat.

ipſum

Alaricum copiarum Ducem, ſeu Magiſtrum militum.

ipſum, id tantopere jampridem expetentem, *& Valentem qui Dalmaticis antea legionibus præfuerat, conſtituit.* Soaomenus tamen qui & ipſe ſua hæc ex Olympiodoro depromit ut Zoſimus, Alaricum ſcribit ab Attalo *exercitus utriúsque Ducem conſtitutum; Ataulphum verò ſororis ejus maritum, Præfectum equitum, quos Domeſticos appellant. Alii item alii* (rurſum Zoſimus) *ab Attalo Magiſtratus commutabantur. Hinc regio cum ſatellitio pergit ad Palatium, cum omina multa parum fauſta ſe offerrent. Poſtridiè ejus diei, Senatum ingreſſus, orationem inſignis arrogantia plenam* (*prolixam ac ſplendidè elaboratam,* (ut Zoſimus) *habuit, quâ ſe Romanis* [*patria omnia ſervaturum, Ægyptum inſuper, Orientis Imperium,* Soaom.] *& univerſum orbem terrarum acquiſiturum, & his alia potiora, magnificè jactitabat: propter quæ Numen ei non abs re ſuccenſurum erat, hominémque non multo poſt everſurum.* Nam ut Soaomenus, *ne integro quidem anno Imperator vocandus erat.* Quæ omnia hujus anni exitu facta duo evincunt; *primò* novus Tertulli in annum ſequentem Conſulatus; *ſecundò* Proſperi vulgaris Chronicon, quod ait: *Honorio octavùm & Theodoſio tertiùm Coss. Attalus Romæ Imperator factus.* nempe paulò antè primas ſequentis anni Kalendas, quibus Tertullus ab eo tum Conſul dictus initurus erat. Atque hæc iſto Chriſti anno 409. in Italiâ geſta: quorum priorem partem tranſactam Honorius Conſtantino pacem tum petenti, ut ſuprà è Zoſimo retuli, per Jovium ſeu Jovinum renuntianda mandavit, poſteriorum adhuc ignarus; quæ tamen ego prioribus jungenda putavi.

Vana ejus in Senatu jactantia.

SECTIO SECUNDA.

Res Galliarum.

Res Gallicæ

Conſtantinus cum ſuis Arelati gulæ deditus.

12. In GALLIIS autem Conſtantinus pacato jam Honorio, & acceptâ ab eo purpurâ Conſulatúque, legitimus Imperator videbatur: agebatque ſecurus Arelati, cum filio majore Conſtante item tyranno Cæſare; nuper ab Hiſpaniâ regreſſo; & cum juniore Juliano, Nobiliſſimo: *gulæ ac ventri deditus*, ait apud Turonenſem Profuturus Frigeridus, *nullo ab Italiâ* plna ſatis à Gothis afflictâ *metu.* donec *interjectis diebus plurimis, redire ad Hiſpanias filium monet.* Cùm ergo (addit Zoſimus l. 6.) *rurſum in Hiſpaniam Conſtans à patre mitteretur, Juſtum ſibi Ducem adjungebat. Quo quidem offenſus Gerontius* (*vir nequam & improbus*, ait Oroſius lib. 7. cap. 42. cui Hiſpanias à Conſtante primùm inde redeunte credidas, antè diximus) *conciliatis ſibi locorum iſtorum militibus, Barbaros apud Celtas*, ſeu Vandalos cum ſociis adhuc in Gallia ſub fœdere degentes, *adverſus Conſtantinum excitat. quibus ubi Conſtantinus reſiſtere non poſſet, quòd major copiarum ipſius pars eſſet in Hiſpaniâ*, Gerontio nimirum à Conſtante Cæſare relicta; *tranſrhenani Barbari* Galliæ viſceribus jam antè immiſſi, & certis fœderibus utcumque pacati, *cuncta pro libitu* rurſus *invaſerunt.* Zoſimus. addo ego cum Oroſio & Sozomeno, & Pyrænei clauſtris patefactis in Hiſpanias inrumpunt.] Atque poſtremum hoc eſt & generale Galliarum incendium, quo denique *corpus omnium Galliarum* ſimul *arſiſſe*, notat Salvianus lib. 7. cùm ait: *Vandalorum gens ignaviſſima, primum à ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam ditione Romanam.* ſecundò, *Poſt cujus primum* (nota *primum*) *exitium, arſit regio Belgarum. tum* tertiò *opes Aquitanorum luxuriantium. & poſt hæc* quartò *corpus omnium Galliarum. ut dum pars clade caditur, pars exemplo emendaretur.* Ita ille. Quartum igitur hoc & generale Galliarum omnium incendium, à Gerontio Conſtantini Duce rebelli excitatum. Rebellionem ſcilicet ille à Conſtantino Imperatore ſuo, ob Juſtum ducem ſibi ſuffectum, moliebatur; eoque Stiliconis artibus ad invadendum imperium inſiſtebat. Primùm enim militum ſuorum Hiſpanicorum ſibi gratiam ac fidem obſtrinxit, ſine quibus ſtare non poterat; conceſsâ eis prædandi licentiâ, ut ex Oroſio jam audiemus: Tum verò quo pluribus munimentis inſiſteret, Vandalos in Gallus adverſus Conſtantinum excitavit; & ut cuncta pro libitu, fœderibus etiam ruptis, invaderent, autor extitit. Nec majore ſtimulo ad gentem hactenus *vi* metuque compreſſam, ſed prædandi avidiſſimam, opus fuit. Galliarum omnium corpus, tanto acriore jam prædandi libidine quò diutiùs ceſſaverant, nullo non genere calamitatis afflixerunt, ſimul in Hiſpanias tandem irruperunt.

Ejus Dux Gerontius rebellat.

& Vandalos in eum excitat.

Qui inde totum Galliarum corpus incendunt.

13. Utrumque docet Oroſius: *Interfectis illis fratribus*, Didymo ſcilicet ac Vereniano, Honorii propinquis, *qui tutari privato præſidio Pyrenæi Alpes moliebantur, barbaris illis, qui quondam in fœdus recepti, atque in militiam allecti, Honoriaci vocabantur*; quuſque ſecum in Hiſpaniam Conſtans Cæſar induxerat, & ad patrem inde rediens, Gerontio dimiſerat, ut anno priore dictum; *quaſi in pretium victoriæ, primùm prædandi in Palentinis campis licentia data. dehinc Pyrenæi montis clauſtrorúmque eis cura commiſſa eſt: remotâ Ruſticanorum fideli & utili cuſtodia.* [ſeu ut Zoſimus lib. 6. pag. 113. init. remotis exercitibus Hiſpanicis, qui cuſtodiam hanc ſibi pro more credi, nec regionis tutelam extraneis committi petebant.] *Igitur Honoriaci imbuti prædâ, & illecti abundantiâ, quò magis ſcelus impunitum foret, atque ipſis ſceleris plus liceret, proditâ Pyrenæi cuſtodiâ, clauſtriſque patefactis, cunctas gentes quæ per Gallias vagabantur, Hiſpaniarum provinciis immittunt, iiſdémque ipſi adjunguntur; & magnos aliquandiu cruentóſque diſcurſus, graves rerum atque hominum vaſtationes agunt.* Iſta omnia Oroſius Hiſpanus aptiſſimè; ſi cum Zoſimo componitur, & Gerontio dum rebellionem molitur, impulſore, eâ factâ narrare, intelligitur. Nec aliter Soaomenus: *Collapſâ Conſtantini potentiâ* (Gerontio nimirum cum militibus rebellante) *recolligentes ſeſe Vandali, Suevi, Alani, gentes barbaræ, Pyrenæi aditum properè occupant, cum fertilem & opulentiſſimam regionem eſſe audiſſent; & quia negligentes erant illi Honoriaci, quos in præſidio Conſtans ibi reliquerat. Simul præſidia multa,* * *multáſque urbes tum Hiſpanorum, tum Gallorum capiunt; & cum his etiam Conſtantini tyranni Præfectos.* Ita Sozomenus.

Mox etiam Pyrenæo ſuperato, Hiſpanias intrant & vaſtant.

Nec Gallos tamē omittunt.

* *Nota* multas urbes Gallorum tunc captas.

14. His tribus tantis Scriptoribus accedunt alii duo, omni exceptione majores; qui & irruptionis hujus tempus inſuper notant. Idatius primùm in Faſtis ac Chronico: *In Faſtis, Honorio octavùm & Theodoſio tertiùm Coss.* (id eſt, hoc ipſo Chriſti anno 409.) *Barbari Hiſpanias ingreſſi.* In Chronico; *Alani, Wandali, & Suevi Hiſpanias ingreſſi Æra* CCCCXLVII. *Alii quarto Kalendas, alii tertio Idus Octobris memorant die, tertiâ feria, Honorio octavum & Theodoſio Arcadii filio tertiùm Coss.* Planè ad hunc annum Chriſti 409. quo litera Dominicalis erat C. ac proinde tam dies quartus Kalendas Octobris, quàm quartus Idus ejuſdem, feria tertia. Unde in Idatii Chronico pro

Tempus certum irruptionis Hiſpanicæ.

Ex Æra Hiſpanicâ & Feriâ

tertio Idus, planè legendum IV. facili, ut vides, lapſu, maximè cùm non alio quàm hoc Chriſti anno 409. Vandalorum in Hiſpanias irruptionem aſſignare nos cogant tres hi certiſſimi characteres; Honorii octavus & Theodoſii tertius Conſulatus; Æra Hiſpanica 447. & Feria tertia ad quartum Kalendas ſaltem, ſi non & Idus Octobris, affixa, ex Idacio Hiſpano, hujus ævi Scriptore. Simul Lectorem moneo, *primum* non omnes tunc Vandalos Alanoſque, ſed ex parte tantùm in Hiſpaniam tranſgreſſos. Nam majorem partem adhuc biennio ſequenti in Galliis hæſiſſe, clarè quæ ſequuntur edocebunt. *Secundò* moneo, antè hujus anni autumnum cœpiſſe Vandalorum in Galliâ motum, quando jam motis illis, Pyrenæi clauſtra pateſacta ex Scriptoribus iſtis intelligimus. Moneo *tertiò*, rectè propterea ſcriptum ab Oroſio lib. 7. cap. 40. *Conſtantinum Tyrannum in Galliis à Barbaris incertis fœderibus illuſum, detrimento magno Reip. fuiſſe.* Quæ enim major illuſio, quod gravius detrimentum, quàm talis tantaque Galliarum, Hiſpaniarumque vaſtatio, quæ & Aremoricorum Britannorumque à Romanis in Belgio noſtro defectionem ſecum traxit, ut jam dicam.

Ex Hieronymo tunc ſcribente.

15. Secundus accedens omni exceptione major teſtis eſt Hieronymus, qui quæ ad Ageruchiam ſcripſit, hoc planè tẽpore ſcripſit, nempe paulò antè quàm Hiſpanias irrũperent Vandali, certe antequam eos irrupiſſe certò reſciret. en ejus verba: *Aquitaniæ, Novemq; populorum, Lugdunenſis, & Narbonenſis Provincia populata ſunt cuncta, præter paucas Vrbes; quas & ipſas foris gladius, intus vaſtat fames. Non poſſum abſque lacrymis Toloſæ facere mentionem; quæ ut hucuſque non rueret, ſancti Epiſcopi Exuperii merita præſtiterunt. Ipſæ Hiſpaniæ jam jamq; perituræ quotidie contremiſcunt, recordantes irruptionis Cimbricæ; & quidquid alii ſemel paſſi ſunt, illæ ſemper timore patiuntur. Cetera taceo: ne videar de Dei deſperare clementiâ.* Hiſpanias ecce *contremiſcere*, nondum pati dicit; ſeu quia verè nondum irruperant Vandali, ſeu quod irrupiſſe nondum audiſſet: ſed jam jam irrupturi viderentur, eoque paulò ante, aut circa hujus anni autumnum iſta ſcripſiſſe neceſſe eſt. Rurſus tamen, quòd nec ante hunc Chriſti annum 409. iſta ſcripſerit, ultra hanc proximè impendentem Vandalorum in Hiſpanias irruptionem, probat etiam quod ſubdit: *Quis hoc credat? quæ digno ſermone hiſtoria comprehendent? Romam in gremio ſuo non pro gloriâ, ſed pro ſalute pugnare? Imo ne pugnare quidem; ſed auro & cunctâ ſupellectile vitam redimere? Quod non vitio Principum, qui vel religioſiſſimi ſunt, ſed ſcelere ſemi barbari accidit proditoris.* Nam exitu primùm anni prioris Romam ab Alarici invaſione *cunctâ ſuâ ſupellectile*, adeóque omnium Idolorum mundo conflato redemptam, ibi è Zoſimo vidimus. Sed nec ante Auguſti diem 23. cæſum iſto anno ſemi-barbarum Stiliconem conſtat: quem tamen hic mortuum Hieronymus indicat, cùm *ſemibarbarum proditorem* vocat, quod de vivo non facilè dixiſſet. Igitur paulò antè vel circa hujus anni 409. autumnum ſcribebat iſta Hieronymus: Vandalis in Hiſpanias mox irrupturis, ſi non irrumpentibus. Quare cùm addit, *fracto Danubii limite, per annos jam viginti, in mediis Romani Imperii regionibus pugnari*; aut non præciſum, ſed rotundum numerum accipit; aut potiùs à Valentis dumtaxat interitu, ſeu anno Chriſti 379. feneſcente ſupputat. cùm, ut ait operis ſui fine Ammianus, *digreſſi è Thraciâ Gothi, Hunni, & Alani, per Arctoas provincias, adusque radices Alpium Juliarum, quas Venetas appellabat antiquitas*, effundi cœperunt. Atque hæc de ſcriptionis tempore.

Toloſa paulò poſt capta, anno fere 413. ex Rutilio.

Et irruptionem Hiſpanicam jam timente.

Romæ item obſidionẽ, ac Stiliconis cædem narrante.

16. Ceterùm benè notandum, quod etiam antè Vandalorum hanc irruptionem ſaltem auditam; priore aliquâ hujus anni 409. parte, à Vandalis iiſdem Galliam Auſtralem populatam ſignificat. Nam non Aquitaniæ modò, Novemque populorum, jam antè biennium ab iis vaſtatarum, antequam in fœdus à Conſtantino reciperentur, ut ibi dixi; ſed & *Narbonenſis ſeu Viennenſis provincia* hactenus ferè intacta, *populata cuncta* dicit: ac proinde agrum Arelatenſem in iſtius provinciæ medio ſitum, Conſtantinique tyranni ſedem non excipit. Quod ante hunc annum Chriſti 409. fieri vix potuiſſe, ſeries docet hiſtoriæ: quando Conſtantinus hucusque validior, barbaros à ſe juſto prælio victos certis fœderibus ad quietem adegerit; & hoc primùm anno (ut notant Zoſimus, Sozomenus, Proſperque Pithœanus ex parte) *concitatis adverſum ſe à Gerontio tranſrhenanis, apud Celtas ſeu Gallos barbaris reſiſtere non potuerit; quod major copiarum ejus pars eſſet in Hiſpania*, eâque ab illo Gerontii fraude jam aversâ. Ad priorem igitur aliquam hujus anni 409. partem, ſaltem Narbonenſis ſeu Viennenſis provinciæ populationem refert hic Hieronymus; & conſequenter etiam Arelatii. quò enim potiùs, quàm ad hoc novum Galliæ Prætorium arma verterent rebelles jam de novo, fortioreſque Barbari? ita tamen ut (quod addit Hieronymus) nonniſi *foris gladio, intus* aliqua *fame* aut ſimili incommodo urbem iſtam cum aliis Narbonenſis provinciæ vexaverint.

Et Narbonenſis provinciæ vaſtationem tangente.

Arelatum quoque & confinia tunc vaſtata.

17. Quod ſi ipſum Gallicani tum Imperii ſolium impetierunt, quid de aliis infirmioribus Urbibus provinciiſve præſumendum? Sanè hoc ipſum poſterius eſt ac generale, ſaltem oriens ac naſcens, exitium, quo *Galliarum omnium corpus arſiſſe* ſcribit Salvianus, & ſignificat hic Hieronymus. quod quale quantumque fuerit, tametſi pauci ſuperſtites hiſtorici ſigillatim explicent; vel hinc tamen intelligi poteſt, quòd Sozomenus, & Idatius notent, tunc Pyrenæum & Hiſpanias ab illis irruptas; Zoſimus autem ſuperaddat, *Tranſrhenanos Barbaros* (ſeu Vandalos Galliæ jam antè à tranſrhenanis immiſſos intelligat, ſeu trans Rhenum adhuc degentes, quales erant Franci & Saxones; ſeu utroſque comprehendat) adeo pro libitu cuncta invaſiſſe, uti tum incolas Britanniæ, tum quaſdam Celticas Gallicáſve nationes adegerint, ut à Romano Imperio deficerent, & Romanorum legibus non ampliùs obedientes, arbitratu ſuo viverent. Quod hoc anno ſaltem inchoatum ſatis innuit idem Zoſimus: quamvis anno maximè ſequenti firmatum ſit, ut nos ibi fuſiùs. Nunc Conſtantinus cùm ſe viribus & armis imparem videret, quò novos hoſce motus primo ſui ortu ſuffocaret, ad nova quantumvis hoſtibus compendioſiora fœdera, quæ tangit Oroſius, ſibique damnoſiora, pro tempore non imprudenter, ſe convertit; quibus illos aliquandiu ſuſtinuit.

Totũ Galliæ corpus ardet à Vandalis.

18. Tres illi præ ceteris componendi placandique occurrebant. in Italiâ Honorius; in Hiſpaniâ Gerontius; in Gallia Vandali ceterique Barbari. De Honorio clarè & aptè ſuggerit Zoſimus: cùm circa autumni primordia ſic refert; *Eo tempore,*

Conſtantinus tot hoſtibus oppreſſus pacem primò cũ Honorio confirmat.

quo

quo ſcilicet Alaricus Romam iterum obſeſſurus abibat, *venit ad Honorium Legatus à Conſtantino, qui apud Celtas tyrannidem invaſerat. Jovius vir eruditione doctrina ceteriſque virtutibus excellens. qui pacem prius* (hujus ſcilicet anni exordio) *conſtitutam, ratam haberi; prætereáque veniam ob interfectos Honorii propinquos Didymium & Verenianum poſtularet. Sic enim hoc factum purgabat; Non eos Conſtantini voluntate necatos eſſe. Conſpicatus autem perturbatum Honorium; rectè facturum aiebat, ſi curis Italicis occupatus, nonnihil remitteret. Cúmque poteſtas ei facta foret ad Conſtantinum redeundi, & caſus Italiam prementes nunciandi; non multò pòſt venturum ſe cum omnibus Celticis, Hiſpanicis, Britannicíſque copiis; atque rebus Italicis & urbanis opem laturum pollicebatur. Ac Jovius quidem hiſce conditionibus abeundi copiam nactus eſt.* Ita Zoſimus ad rem noſtram & ad hoc tempus aptiſſimè. Primùm, ait Jovium *eo tempere* veniſſe, quo Alaricus jam poſtulatis ſuis toties ab Honorio rejectis commotior, Romam iteratâ obſidione preſſurus abibat; quod circa ineuntem hujus anni autumnum contigiſſe, ex antecedentibus & conſequentibus, ſeries ipſa plus ſatis docet hiſtoriæ. Et id omnino tempus eſt, quo Vandalos *quarto Kalendas, aut quarto Idus Octobres Hiſpanias ingreſſos*, tradit Idatius. Videbat nempe Conſtantinus (quod notat Oroſius) *interfectis illis fratribus*, Didymio & Vereniano, *qui tutari privato præſidio Pyrenas Alpes moliebantur, proditam Pyrenæi cuſtodiam; clauſtriſque* per ſubſtitutos Honoriacos *patefactis, gentes quæ per Gallias vagabantur, Hiſpaniis immiſſas*: Honorium quoque non id ipſum modò viſurum; ſed & ea occaſione cædem propinquorum ſuorum, quam hactenus ignorabat, auditurum; ac proinde novâ irâ ſuccenſum, pacta haud dubiè reſciſſurum; ſtatim ergo ab eâ irruptione illum de integro ſibi conciliandum duxit.

Per Jovinū Legatum. Quis ille?

Rurſus ut hoc ipſum tanto faciliùs obtineret; tantâ doctrinâ tantâque virtute Jovium legatum miſit. Ac me quidem vehemens hic inceſſit ſuſpicio, ne pro Jovio, Jovinus hic legendum ſit; ſitque Jovinus ille, quem ſecundo abhinc anno, Conſtantino iſto jam ruente, purpuram in Galliis apud Moguntiacum, & Imperium aſſumpſiſſe videbimus: Jovini ſenioris fortè filium, celebrioris, & eruditione juxtà ac virtutibus commendati. quales erant in Galliis iſto ævo non pauci. Quod ſi eſt, ut eſſe magna probabilitas eſt; plane tangimus, Conſtantinum ne ſubortis hiſce motibus Honorii amicitiâ excideret; talem virum præ ceteris elegiſſe, qui res ab eâ parte componeret, & ſecuritatem ab Italiâ reportaret, ut fecit. Sic igitur Honorium tantiſper placavit.

Tum cum Gerontio.

19. Gerontium verò ab Hiſpania minitantem tanto magis placare ſtuduerit, quo improbiorem, jamque rebellem, & omnium horum malorum fontem, majora etiam moliri non ignorabat. Ergo illi quidquid ſomniaret, indulſit. Juſtum Ducem in Gallia retinuit, illi non ſubmiſit; Hiſpanicæ militiæ Præfecturam confirmavit: ut cum primo gradu in priſtinam quoque ſocietatem concordiamque rediret, exoravit.

Denique rurſum cum Vandalis.

Cum Vandalis denique fœdera quantumvis incerta, quantumvis dura & importuna, tamen neceſſaria, quavis conditione reſarſit: ad omnem eorum illuſionem planè duratus. Hoc ut ita aſſeram, non tantum ipſa ratio, tyrannique mores ac conſilia plura ſimilia perſuadent: ſed & ſcriptores hujus ævi pœnè omnes evincunt; qui Conſtantini hujus novam in Italiam anno ſequenti expeditionem, novam item Filii Conſtantis tunc Auguſti in Hiſpaniam, concordes aſſerunt. Quod quomodo fieret, ſi bellum in Hiſpaniâ à tergo, in Galliis in gremio, & non pacem Conſtantinus habuiſſet? Rebellionem autem hanc in annum iſtum ſequentem referre vetat, hoc anno certiſſimè facta Barbarorum in Hiſpaniam, & tot conſignata characteribus irruptio, quam tamen ſaltem inchoatam neque Sozomenus, neque Zoſimus, neque alii ab hac rebellione divellunt. Pacem igitur novaque fœdera hoc anno ſeneſcente, aut ſequentis initio cum Vandalis pepigerit Conſtantinus.

Saxones Galliarum extima & Borealiora vaſtant.

20. Quod ut tanto clariùs oſtendamus, Proſperi Pithœani pauca ſed gravida verba nobis ſunt expendenda. quæ licèt ille ſequente primùm anno, Chriſti 410. referat; ad hunc tamen etiam pro rerum geſtarum ſaltem exordio referenda, quæ jam dicemus, evincent. Ait ecce: *Saxonum incurſione devaſtatam Galliarum partem, Vandali atque Alani vaſtavere.* ſeu potiùs *pervaſtavere. Quod reliquum fuerat Conſtantinus Tyrannus obſidebat. Hiſpaniæ partem maximam Suevi occupavere.* Saxonas per hæc tempora maritimam omnem eam regionem, quæ ab Cimbricâ Cherſoneſo ſeu Holſatia (ubi eorum prima ſedes) ad Rheni, Moſæ, & Scaldis oſtia Oceano prætenditur, id eſt Oldemburgum, Friſiam omnem hodiernam, ac Hollandiam, Zelandiam Flandriæque maritima & Borealiora poſſediſſe, ſuperiùs oſtendi. Iſti igitur ſi *Galliarum partem ſuâ incurſione vaſtarint*; ſibi confinem haud dubiè maximè vaſtarint. quæ autem Galliarum pars illis quam Belgica confinior? imò quænam ſine illâ, & niſi per illam vaſtari potuit? hoc autem anno 409. vaſtatam, planè docet Proſper, cùm priùs à Saxonibus tum à Vandalis & Alanis pervaſtatam ſcribit. nam ſi ſequenti anno Vandali vaſtavere, & jam illa prius à Saxonibus vaſtata ſit, hoc prorſus anno vaſtatam eſſe neceſſum eſt. Neque eam vaſtationem Conſtantinus cohibere potuit, *quòd*, teſte Zoſimo, *major copiarum ipſius pars eſſet in Hiſpaniâ*, ab Gerontio rebelli jam vindicatâ: ſimul, quod Vandali eorumque ſocii, in Galliis hucuſque Conſtantino fœderati, ejuſdem Gerontii impulſu, vires tyranni diſtraherent. Pacem igitur aut inducias cum illis aliquas inire coactus eſt.

Pacis inter Conſtantinum & Vandalos conditiones probabiles.

21. Pacis autem aut induciarum conditiones has, à me quidem, Hiſtoriæ ſeries extorquet. Arelatum imprimis, ubi regiam ſuam fixerat, ſecurum ſibi præſtare curaverit. ac proinde Viennenſem Narbonenſemve Provinciam, in qua Arelatum, totam ſibi intactamque; ſimul è Lugdunenſibus primam, ac Quintam Maximam Sequanorum, ceu finitimas ſervaverit. quò ab ortu quidem à tranſrhenanis auxilia accire, & ab Occaſu in Hiſpaniam ſaltem Tarraconenſem apertum ac liberum iter habere poſſet. An Aquitaniæ quoque Primæ, & Senoniæ, ceu Narbonenſi Lugdunenſique primæ confinium; ſaltem partes aliquas incolumes ſibi præſtiterit, uti vero ſimile eſt, ita non definio, Lectori cogitandum relinquo. Neque enim ſcire fas eſt omnia. Aquitaniam certè ſecundam, Novemque populaniam ſaltem maritimas, Barbaros ſibi reſervaſſe non dubito, quo & ipſis liberum in Hiſpanias iter eſſet. & Hiſpanias quidem quæ Oceano tam Septentrionali quàm Occiduo protenduntur,

iiſdem

iiſdem Barbaris velut prædæ relictas, vehemens ex ſequentibus ſuſpicio eſt. In ulteriore verò & Borealiore Galliâ, velut ab ſe remotiore Conſtantinus plura Vandalis, & Alanis indulſerit: Belgicam maximè totam, ceu remotiſſimam, à Saxonibus jam vaſtatam, & à Francis nunquam non impeti ſolitam. Quâ in re id præterea commodi ſperabat; quòd ſic inter ſe Barbari eidem prædæ inhiantes, committendi; id eſt, in Saxonas Franci, in utroſque Vandalique ſociique inferēdi viderentur. ut planè contigiſſe, hic & ſequens præſertim annus edocebit. Atque hac ratione & Conſtantini in Italiam anni ſequentis expeditionem, quæ ſine aliquo cum Barbaris Gallicanis pacto ſuſcipi non potuit; & unà Vandalorum in Galliis, Suevorum in Hiſpaniis graſſationem (quam hinc biennalem diſertè definit Oroſius, & explicat Idacius, neeque hujus ævi ſcriptor Hiſpanus) non ſalvabimus modò, ſed & aptiſſimè componemus. ſimul verba illa Proſperi Pithœani penitiùs aſſequemur: *Quod reliquum fuerat, Conſtantinus tyrannus obſidebat.* Quod enim aptiùs Conſtantino, quàm quod hîc à nobis deſignatur, ex Galliis Hiſpaniiſque *Reliquum*?

Quibus Barbari inter ſe committi poterant.

22. Icto igitur novo hoc cum Conſtantino fœdere Vandali ſociique, qui jam iterato hoc generali Galliarum incendio, Viennenſem Narbonenſem & Aquitaniam vaſtaverant; Lugdunenſem quoque & Belgicam populabundi inierunt, ſi antè non inierint. Nam quin plures ſimul provincias diviſis tantis copiis inierint, vix dubito. Ac de Lugdunenſi quidem, quia ad inſtitutum non pertinet, nihil dico. nec ſi pertineret, occurrit aliquid quod dicerem. De Belgica pauca ſuperſunt, quæ hîc profero. Jam ante biennium, primâ eorum irruptione, vidimus, Ambianos, Atrebatas, Morinos, Tornacum tranſlatione in jus redactos Germanicum. Iterata hac incurſione, Atrebates noſtri an aliquid paſſi ſint non definio. Baldricus in Epiſcoporum Civitatis illius Chronico, circa annum Chriſti 1090. conſcripto, *ex antiquorum*, inquit, *traditione refertur, quod quidam DIOGENES natione Græcus, tempore Vandalicæ perſecutionis* (aut paulò antè) *quæ crudeliter in Galliis graſſata eſt, à Romano Pontifice in Galliam gratiâ prædicationis ſit directus; & à quodam illius temporis Remorum Archiepiſcopo* (S. Nicaſio, an ſucceſſore Barucho?) *conſecratus. Hic primùm Atrebati prædicavit. Fuerúntque inter illius prædicationem, & B. Vedaſti ordinationem anni 74.* Infrà probabo Vedaſtum anno Chriſti 502. miſſum Atrebatibus à S. Remigio Pontificem. De 502. ſolidis deme 74. reliquus erit annus Chriſti 428. ad quem prædicationem ſedemque ſuam propagarit Diogenes, annis circiter 20. Non deſunt tamen qui Diogenem à Vandalis interemptum exiſtiment; hoc igitur anno vel ſequente. à quo ad Vedaſtum ordinatum anni intercurſant, non 74. modò ſed 91. vel 92. Nec ſane valde mihi ſtare videtur ſcriptum iſtud, quod Diogenem primum Atrebati prædicaſſe aſſerit. quando jam diu antè ſub Conſtantino Magno Epiſcopos præcipuis Belgii noſtri civitatibus impoſitos ſuprà docui.

Vandali Belgicam rurſus populantur.

Cæſo tunc Diogene Atrebatum Epiſcopo.

23. De Morinis & Tornacenſibus. præter ea quæ ante biennium ex Hieronymo reddidi, nihil habeo. De Nerviis & Nerviorum Metropoli Bavaco tametſi nihil magis occurrat; hac tamen vaſtatione, ſi non antè ſubverſum, mihi quidem valde veroſimile fit. Nam deinceps nulla ejus in hiſtoriis memoria. ſuccedentibus ejus loco Cameraco & Fanomartis. Cameraci certè, ſicut & Tornaci, quaſi adhuc ſtantium, poſt 30 ab hinc annos in Chlogionis percuptione poſtremâ, mentionem audiemus. ſicut & Fani Martis in Imperii Notitiâ, & in S. Gaugerici vitâ, alibíve.

Bavaco itē tunc everſo.

24. De *Remorum urbe præpotente* ut ait Hieronymus, Durocortoro, ſupereſt quædam ſatis fuſa in Flodoardo ex antiquiſſimis eorum archivis lacinia, quam hîc reddo. *Erat per hæc tempora* (inquit) *Remenſium Antiſtes S. Nicaſius. qui angelicâ præmonitione inſtructus, futuram longe antè internecionem hanc præſciverat. perniciosamque proſperitatis redarguendo ſecuritatem, imminentem divini verberis ultionem prædixerat. Sed nimirum verbi Dei ſementem ſpinæ divitiarum ſuffocabant. Ecce igitur ejuſdem proſperitatis temporibus, animoſitas gentium diriſſimarum commota, Dei iram in diverſas vindicatura provincias, Wandalorum multitudo properanter accelerat. Quæ ſubverſis multarum munitionibus Urbium, gladióque interemptis utriuſque ſexus progenitoribus cum filiis, unicam eam dignitatis ac lucri gloriam æſtimabat, humanum haurire funderéque ſanguinem. Beatiſſimus ergo Præſul Nicaſius, certum jam populi ſui caſum præſtolatus, ad triumphum martyrii illum provocare cœpit: ut quos incauta proſperitas ad offenſionis impulerat foveam, adverſitatis devota tolerantia non judicium damnationis, ſed gratiam purgationis efficeret.*

Remenſis civitas quid à Vandalis paſſa ſit.

Multarum urbium verſio.

25. *Interea caſtra metantur agmina Wandalorum circa urbem Remorum; univerſaque regione depopulatâ in Chriſtianos velut Deorum ſuorum inimicos toto impetu ferebantur.* [Erant quidem Vandali Chriſtiani, ſed Ariani. ſocii verò eorum pæne omnes, majore longe numero, Alani, Gepedes, Sarmatæ, Quadi, Suevi, &c. infideles, ut diximus.] *Fugere potuit Antiſtes; nullatenùs valuit; ne fugiendo magis obeſſet exemplo, quam vivendo prodeſſet officio. Fatigatis igitur præliatoribus* (Remorum ſcilicet præſidiariis) *impugnatione continuâ, excubiis & inediâ; furentibus circumquaque hoſtibus, ac fortiter urbem bello concutientibus; nimio terrore perculſa civitas ad ſanctiſſimum Nicaſium in orationibus proſtratum advolat; percontatúrque, ſervituti ne gentium ſe traderet, an ad mortem uſque pro urbis ſalute dimicaret? Nicaſius de civitatis excidio divinitus edoctus, nihil aliud eis ſolatii præbere potuit, quàm ut animæ magis quàm corporis ſalicitudine tenerentur; & inevitabili corporum interitu, ſpem ſalutis æternæ præſumerent. Aderat germana Epiſcopi ſoror Eutropia, Chriſti Virgo ſacratiſſima: quæ & ipſa pro viribus plebem Dei ad coronam martyrii piis exhortationibus animabat.*

Quatitur urbs Remorum.

26. *Die tandem irruptionis judicio Dei decreta, dum furibundum Paganorum impetum irruere intelligit Nicaſius; Spiritûs ſancti virtute roboratus, ſorore comitante, cum hymnis & canticis ſpiritualibus, ad aſtium Baſilicæ Sanctæ genitricis Dei Mariæ (quam ab eadem in hujus urbis arce fundatam memoravimus) traditur occurriſſe. Dumque divinæ deditus pſalmodiæ, verſum Dominœ Davidicum piâ voce decantat, Adhæſit pavimento anima mea; mox ſecante gladio cervicem, caſi verbum pietatis ab ore non defecit; ipſo capite dum in terram caderet, ſententiam proſecuta: Vivifica me ſecundum verbum tuum. Sancta verò Eutropia, videns impietatem circa ſe quaſi mitigatam; & pulcritudinem ſuam eos Paganorum cantentionibus reſervatam; ſuper eundem Sacerdotis interfectorem inſiliens, & ad martyrii ſui bellum provocans; ſacrilegi faciem alapâ percuſſit primum; cum*

Et irrumpitur.

S. Nicaſius martyrio afficitur.

etiam

etiam fortiore divini Numinis virtute incitata, etiam oculos ei evulſos dicitur in terram effudiſſe. Quæ mox inſanientium ferro jugulata, ſacro fuſo ſanguine, palmam victoriæ cum germano Pontifice ceteriſque triumphatoribus ſanctis meruit adipiſci. Fuere ſiquidem nonnulli, tam ex Clero, quàm ex laicali cœtu, hujus etiam victoriæ participes. Inter quos Florentius Diaconus, & B. Jocundus referuntur: quorum capita Remis poſt altare S. genitricis Dei Mariæ tumulata ſervantur.

& ſoror ejus Eutropia. aliique pluſculi.

Barbari terrore divino territi fugiunt.

27. *Barbaros igitur de conſtantia Virginis, & profani ſpeculatoris ſubitanea multatione ſtupefactos, expletâ cæde, ſancto inundante cruore, terribilis omnes horror invaſit: quaſi cæleſtes acies dimicantes tanti ſceleris vindices adſpicerent: ipsâ quoque horrendùm reboante Baſilicâ. Relictis ergo paſſim ſpoliis, territa Vandalorum turma, dum divinam metuunt ultionem, irrevocabiliter per diverſa fugientes, invaſam trepidi deſerunt civitatem. Quâ diu ſic manente ſolitariâ, Chriſtianis qui ad munitiones montium fugerant, incurſiones paganorum trepidantibus; Paganis verò cæleſtes quos ibi pertulerant horrores pertimeſcentibus, ſub divinâ dumtaxat angelicâque cuſtodia, Sanctorum inibi ſervabantur Martyrum corpora: ita ut in noctibus à longè cæleſtia cernerentur lumina, & ſuaviſſimi ſoni à nonnullis audirentur carmina. Unde & cæleſtis victoriæ revelatione confortati concives, cum precum vocis ad Urbem regredientes, inæſtimabilem ſuavitatis odorem ad Sanctorum funera hauriunt: Deum magnificant, ſacra pignora congruis circa civitatem locis veneranter recondunt. Beatiſſimi verò Nicaſii, & ſororis ejus, in cœmeterio Sancti Agricolæ collocant; templo quondam à Jovino Chriſtianiſſimo militiæ Magiſtro fundato, magnificéque decorato: ubi poſtea ingentibus coruſcavere miraculis.*] Hæc Flodoardus; verbis tamen à me ſubinde ſuccisis inflexiſve. Celebris eſt etiamnum in Eccleſiæ faſtis Martyrum horum natalis dies 14. Decembris. qui ſi verus eſt, in expirantem hunc annum laniena hæc incurrerit; aptè & ad præcedentia. & ut ſequentis anni principio Belgæ noſtri Remp. ſuam primò ſtatuere, & cum Francis coire poſſint, quod jam narratum eo; ſi de Lauduno clavato, quod nonnulli etiam Lugdunum appellant, quædam addidero.

Baſilicâ deſertâ; ſed cæleſti cantu reſonante.

Unde cives qui fugerãt redeunt.

Cæſos Martyres recondunt.

Laudunum ſtrenuè ſe defendit.

28. Sic enim in Sanctæ Salabergæ Vitâ legimus: *Lugdunum*, ſeu Laudunum urbs *in cacumine ſaxi ſita, munitionem robuſtam obtinet; ut frangi nequeat à Barbaris. Nam cum eam Wandali, Alani, Hunni, ceteraque Germaniæ & Scythiæ gentes fruſtra vallaſſent, nullâ aggerum arte imminente, nullis fundibulariorum jaculis, non armorum ſpiculis jacientibus, nec arietum impulſionibus obtinere valuerunt. ſed caſſo labore fruſtrati inertes receſſerunt.* &c. Nimirum ut cum Remis plures ſubverſæ urbes, ita & cum Lauduno nonnullæ generoſè defenſæ. alioqui quomodo Armorici noſtri aliæque Gallorum provinciæ ſe à Barbaris hiſce liberaſſent? quomodo propriam Remp. ejectis Romanis Magiſtratibus, ſuo arbitratu conſtituiſſent? ut ex Zoſimo Procopioque ſequens annus edocebit. Nam hic plura non ſuggerit.

Ut & aliæ urbes.

CAPUT VIII.

Attali in Africam, & Ravennam contra Honorium vanæ expeditiones. Roma ab Alarico tandem capta, incenſa, ſpoliata. Galliarum altera eaq; generalis à Vandalis ſociiſq;, item à Saxonibus atque Francis vaſtatio. Trevirorum bina vel terna everſio. Armoricorum & Belgarum à Romanis defectio, cum Francis cõjunctio.

SECTIO PRIMA.

Annus Chriſti 410.

Annus Chriſti 410. quàm funeſtus.

1. ANnum jam aggredior Chriſti 410. Urbis conditæ Varronianum 1163. variis caſibus plenum; bellis civilibus, externis, mixtis cruentum; urbium excellentiſſimarum, Romæ, Trevirorum Auguſtæ, aliarum, expugnationibus atrocem; Italiæ vaſtatione, Hiſpaniarum expilatione, Galliarum laceratione, Britanniarum defectione litigioſum. Quo (ut Hieronymus) *clariſſimum terrarum lumen extinctum; imò Romani imperii* (addo ego & Gallicani) *truncatum caput; & ut veriùs dicam, in una Urbe totus orbis interiit. Quis crederet, ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipſa populis ſuis & mater fieret & ſepulcrum? Quid ſalvum eſt, ſi Roma perit?* Annum hunc Conſules aperiunt, in Oriente quidem *Varanes*; in Occidente, ſaltem Romæ, Tertullus; ſed ut à Tyranno ſpurius, eoque pace redditâ expunctus. Unde rectè Oroſius: *Attali umbratilis Conſul Tertullus, auſus eſt in Curiâ dicere, Loquar vobis P. C. Conſul & Pontifex. quorum alterum* (conſulatum) *teneo, alterum ſpero. ſperans ab eo qui non habebat ſpem: & maledictus utique quia ſpem ſuam poſuerat in homine.* Zoſimus autem, *Cives*, ait, *Romani magnâ lætitiâ fruebantur; qui & alios Magiſtratus Reip. rectè gerendæ peritos* (ſub novo Imperatore Attalo) *nacti fuiſſent, & inſignem ex Tertulli Conſulis honore voluptatem caperent. Solam illorum familiam, qui Anicii dicuntur, mordebant ea quæ publicè univerſis conducere videbantur. quod ſoli omnium* (prope dixerim) *divitias poſſidentes, felicitatem publicam permoleſtè ferrent.* Ita ille in Chriſtianos ſemper acerbus, juxta & ridiculus. Quæ enim eo Conſule felicitas, quo Roma capta, ſuccenſa, expilata? Quod Aniciorum peccatum, ſi dolebant, intruſum loco legitimi Auguſti Tyrannum?

Varanes & Tertulus Coss.

Honorius Ravennæ agit. Alaricus Italiam percurſat.

2. Ceterùm cùm tot hoc anno fuerint in Occidente Tyranni, videndum quinam quibus provinciis imperitaverint. Ravennæ ſe, annum jam à Stiliconis cæde ſecundum, tutabatur Honorius; Alaricum circum circa cum copiis ſuis curſitantem non abs re

timens

Quinam Provincias alias tenerent.

timens: & quæ poterat in Italiâ defendens. Illyricum partim Theodoſii, partim patrui Honorii adhuc erat: Dalmatia maximè; Pannonia (ſi non Hunnis inſeſſa) Noricum utrumque, Rhætia. Africa item univerſa, ſub Heracliano; càob illatam Stiliconi cædem ab Imperatore donato. ſed ancipitis fidei viro; planèque quo fortuna vergeret inclinaturo: nonniſi tamen poſt triennium rebelli.

Conſtantinus Galliæ tyrannus.

Gallias earumque Prætorium hucusque fere Conſtantinus à Britannia tyrannus obtinuerat, ut ſupra vidimus. poſteriore prioris anni parte, Vandali ſociique hactenus in Aquitaniâ fœderibus illigati, pacem ruperant, vaſtationes interruptas reſumere cœperant; ſubinde & novis fœderibus intermittebant: Hiſpanias ac Pyrenæum autumno ineunte perruperant: Ipſas Hiſpanias, occultis cum Gerontio Conſtantini inibi Duce rebellionem moliente, ſi nondum apertè rebellante, conſiliis ac conſpiratione prædabantur & cædebant. Britannias Honorius ipſe ultrò ut ſibi providerent hortabatur; illas nimirum à Conſtantino populari tyranno ſic averſurus, ſibi poſtea facilè rejuncturus. Romam ipſam cum potiore, & credo ſuburbicariâ Italiæ parte, novus tyrannus obtinebat Attalus; reliquam Alarici creatoris ſui armis occupare ſatagebat. Ita mira rerum erat in Occidente facies, mira turbatio. quam ut enucleatiùs ediſſeram, primùm Italica ſigillatim, mox Gallica, Britannica, Hiſpanica pertexam.

ITALICA hujus anni. ſub Attalo novo tyranno.

3. Novus igitur iſte Romæ Tyrannus Attalus, Alarici juſſu viribusque creatus, quo Tyrannidis ſuæ fines produceret, ad invadendam Africam, unde Urbi ſuppetebat annona, oculos ante omnia animumque convertit. Simul Ravennam ipſe cum Alarico expeditionem ſumpſit; infeliciter utrobique & vanè. Quoad Africanam expeditionem, *Attalo rectè conſulebat Alarichus* (Zoſimi verba

Zoſ. l. 6.

ſunt) ut mediocres copias in Africam & Carthaginem mitteret, quarum operâ Heracliano abrogaret imperium, ne per illum quoque partes Honorii ſectantem, aliquod impedimentum rebus inſtitutis accideret. Sed Attalus inanibus vatum promiſſis imbutus, planè ſibi perſuadebat, citra pugnam Carthagine ſe Africaque potiturum. Quare ſano Alarici conſilio neglecto; non Drumam, qui cum ſuis Barbarorum copiis Heraclianum imperio dejicere facillimè potuiſſet; ſed Conſtantinum quemdam (Conſtantem vocat Sozomenus) in Africam

Sozom. l. 9. c. 8.

deſtinat, nullis idoneis cum eo copiis ablegatis. Ratus ſcilicet illum, ſimulac in Africa tanquam à ſe legatus viſus eſſet, militem ſibi Africanum omnem adjuncturum. Eo magis, quo (ut Sozomenus

Qui Africam tentat. fruſtra.

addit) Joannes, quem ſtipatoribus ſuis Attalus præfecerat, monebat, oportere Conſtantem in Africam mittendum, quaſi ab Honorio miſſum, Reſcripto ſeu edicto Heraclianū præfecturâ deponere. Sic enim res forte ſucceſſiſſet: quando Africanis res Attali nondum innotuerant.

Attalus Ravennam in Honorium movet.

4. Cùm itaque Conſtans ex vatum ſententiâ Carthaginem abnavigaſſet, & adhuc (addit Zoſimus) res Africanæ penderent, expeditionem Attalus ipſe adverſus Honorium Imperatorem Ravennæ degentem ſuſcipit. Simulatque igitur Ariminum illum, unà cum Romanorum ac Barbarorum (Alarico militantium) exercitu perveniſſe audivit Honorius; metu perturbatus Legatos ad eum mittit, maximis ſub ſe fungentes dignitatibus; nempe, ut Olympiodorus, Jovianum ſeu Jovium Prætorio Præfectum atque Patricium, Valentem utriuſque militiæ Ducem, Potamium Quæſtorem, & Julianum Notariorum Primicerium. Hi Attalo ſignificant ab Honorio ſe miſſos, ut cum illo de Imperii ſocietate tractent. ſive ut Zoſimus, ut ambobus

quem placare conatur Honorius, fruſtra.

commune ſit Imperium. Iſtud quippe fuit Honorii aulicorumque ejus perpetuum fere conſilium, ut Tyrannis quibus tunc impar eſſet, Imperii ſocietatem tantiſper indulgeret, donec viribus tempore reſumptis, ſecuros jam illos opprimere poſſet. Verùm Attalus ſuâ jam ſorte & Alarici copiis inflatior, Honorii undique imperiti ſocietatem planè rejecit; concedere ſe tamen dixit (rurſum Olympiodorus) ut Inſulam malorum expers Honorius inhabitet, vel alium certè quem velit locum: ſed privatus (addit Sozomenus) omnique Imperatorio cultu depoſito. [Reſpondet ad hæc lætabundus Jovianus (pergit Olympiodorus) indicatque exutum jam ab Attalo unâ regni parte Honorium Imperatorem. [ac ne nomen quidem Imperatoris (addit Zoſimus) ei concedendum; ſed in Inſulam relegandum, & corporis inſuper aliquâ parte, mutilandum.] Quare Jovium Attalus increpando, nullum ferre morem dixit, ut ſpoliari dicendus ſit Imperator qui ſponte ſe Imperio abdicaret. Verùm Jovianus, ſeu Jovius ſæpenumero legatione obita, neque quicquam proficiens, manſit tandem apud Attalum, illiusque Patricius eſt appellatus. Ita Olympiodorus, rectiùs utique quàm Zoſimus, qui Jovium hunc Prætorio præfectum ab Attalo dicit; ſibi contrarius; quando anno ſuperiore Lampadium ea dignitate affectum dixit. niſi forte malè vertat Interpres. Jam ad Zoſimum pergentem redeamus.

Sed auxilia ex Oriente recipit.

5. Perculit ac terruit univerſos adrogantior hæc Attali oratio. prorſus ut princeps Honorius adcapeſſendam fugam ſe pararet; eòque nomine non exiguam navium multitudinem in portum Ravennatem congregaret. [ſi forte neceſſitas, addit Sozomenus, Conſtantinopolim eum ad fratris Arcadii filium Theodoſium abnavigare cogeret.] Cùm ecce ex improviſo ſex militum legiones, quæ quidem adhuc ſuperſtite Stilicone, jam olim expectabantur, ſed modò primùm ex Oriente ad belli ſocietatem veniebant, appellunt. In his erant hominum 40. millia. Ita Zoſimus. Rectiùs meo quidem ſenſu Sozomenus, ſub ſex ſignis quatuor circiter millia militum ex Oriente noctu Ravennam appuliſſe ſcribit. quibus Honorius mœnium excubias commiſerit, quod indigenarum militum proclivitatem ad proditionem metueret. Pergit deinceps Sozomeno conformis Zoſimus: Quapropter velut excitatus è gravi ſopore Honorius, iis mœnium Ravennatium cuſtodiam credebat, qui ex Oriente venerant. atque interim Ravennæ manendum ſta-

Quibus Ravennam munit.

tuebat; donec certiora de rebus Africanis accepiſſet. Quod ſi ſuperior evaderet Heraclianus, rebus iſtic in tuto collocatis; univerſis cum copiis Attalo & Alarico bellum facere cogitabat: ſin miſſi ab ſe in Africam ſuperarentur, in Orientem ad Theodoſium cum iis abire navibus quas haberet; & occidentalium nationum imperio cedere. Hic erat rerum Honorii ſtatus. Ravennæ interim (ut hæc ex Olympiodoro interſeramus) Jovio jam, ut paulò antè dixi, ab Honorio ad Attalum tranſgreſſo; delabitur ad Euſebium ſacri cubiculi Præpoſitum poteſtas Prætoriana. qui pòſt non diu, Allovichi

haud

(haud dubiè corrivalis) violentiâ, ac decreto publico, in oculis Imperatoris fuſtibus eſt occiſus. Allovicbo ibidem paulò poſt æquè ſublato, ut infra dicam. Adeo Honorii res domi foriſque turbatæ erant ac diſſutæ.

6. Ceterùm novus iſte militum Orientalium Ravennam appulſus, Attali Alaricique rebus frigidam affudiſſe videtur. quando novam illi legationem ad Honorium pro novâ pace decreverunt. Sic enim Zoſim.l.6. Jovius, ille ad Attalum ab Honorio transfuga, & jam Attali Patricius, ut paulò antè monui; nomine legationis ad Honorium miſſus eſt. Sed ille de novâ proditione jam cogitabat, ab Honorio quorumdam operâ corruptus. Itaque ad Senatum (illum ſcilicet qui Attalum ſequebatur non qui Romæ erat) indecora quædam verba prolocutus, legationem obire recuſat. Unde commotus ad iram Attalus, per alios indicat quid eſſet agendum. addens ſi eorum, qui in Africam profecti fuerant, conatus in irritum cecidiſſet, non oportere Barbaros ad gerendum contra Heraclianum bellum ablegare; & verè jam Conſtantino ſeu Conſtante, quem in Africam miſerat, interfecto, ſpes ipſius ab eâ parte fluctuabant. Alios igitur in Africam cum pecuniis mittit, ut rebus eorum locorum opem ferrent. Quo Alaricus cognito, graviter id quod fieret ferens, de rebus Attali deſperare cœpit. qui ſtoliditate quadam animi, nullaque ratione res inutiles moliretur, quaſi pecuniis ſcilicet Africa magis quàm milite juvari poſſet. Itaque licèt hactenus Ravennæ & ibidem Honorii obſidionem tantiſper urgere cogitaret, donec eam cepiſſet; jam tamen inde diſcedendum cenſebat. Nam hoc uti faceret, Jovius hortabatur. qui cùm intellexiſſet miſſi ab Attalo Ducis Conſtantini irritas in Africâ molitiones fuiſſe, prorſus ad juvandam Honorii cauſam ſe vertebat. & Attalum maledictis apud Alaricum inceſſere non deſinebat: monens ſtudioſè hoc Attalum agere, ut imperio potitus Alarico primùm, tum omnibus ei generis propinquitate junctis, inſidias ſtrueret. Cùm autem Alaricus adhuc ſacramentis Attalo præſtitis inſiſtere vellet, Valens quidem Equitum Honorii Magiſter occiditur apud Ravennam, proditionis inſimulatus. Ita in Honorii comitatu, cædes cædibus jungebantur. Quare Alaricus (illius metu ſolutus) cunctas urbes Æmyliæ cum copiis adibat, & alias quidem in ditionem ſuam nullo labore redigebat: Bononiam tamen obſeſſam, & hoſtem compluribus diebus ſuſtinentem capere non potuit. Quare ad Ligures Mediolanum verſus pertexit; ut & illos Attalum Imperatorem agnoſcere cogeret.

Unde Attalus & Alaricus conſilia mutant.

Mira rerum confuſio.

7. Hoorius litteris ad civitates Britannicas ſcriptis, quibus eos hortabatur, ut ſibi caverent: (de quibus infrà fuſiùs) itidemque militibus ſuis munera largitus, ex ea pecuniâ quam miſerat Heraclianus; in omni degebat otio; militum benevolentiam ondique ſibi concilians.

Honorii res paulo meliores.

8. Interim Heraclianus victor, omnes in Africa portus occupatos ſuo præſidio tenebat. neque jam frumentum, oleum, vel ullus alius comeatus in Portum Romanum advehebatur. Unde fames in Urbe gravior quàm priùs extitit: Dardanariis eâ ſpe, quidquid habebant ſupprimentibus, ut omnium pecunias ad ſe transferrent, id conſequentes pretium, quod ipſimet arbitratu ſuo ſtatuiſſent. Quare ad eas anguſtias Urbs redacta eſt, ut à ſperantibus hominum quoque corpora deguſtatum iri, vox hujuſmodi Circenſibus ludis emitteretur, PRETIUM PONE CARNI HUMANÆ. Zoſimus.] Addit Sozomenus famem in tantum invaluiſſe, ut & caſtaneis pro frumento uterentur, & nonnullos etiam carnes humanas guſtaſſe ſuſpicarentur. Romani igitur hac de re Legatos mittunt ad Attalum. Qui cùm huic rei nullum videret remedium, Romam reverſus eſt, quaſi cum Senatu ſuper hac re conſulturus. Sozom.] Senatu convocato (iterum Zoſimus) & conſultatione propoſitâ, univerſis propemodum (& maxime Alarico, ait Sozomenus) ea ſententia probabatur; ut & Barbari (ſaltem quingenti. Sozom.) cum Romanis militibus contra Heraclianum in Africam mitterentur; eorumque præfectura Drumæ traderetur; ei nimirum viro, qui documenta jam plurima fidei benevolentiæque in Remp. edidiſſet. Solus Attalus cum paucis (cum Senatu, Sozomenus) judicio plurium non aſſentiebatur: qui neminem Barbarorum cum Romano exercitu (in Africam. Sozom.) ablegari vellet.

Ingens Romæ fames.

Sozom. l. 9. c. 9.

Attali anxietas & irreſolutio.

9. Hinc jam Alaricus ad everſionem Attali ſpectabat. cùm eum multò antè Jovius continuis criminationibus ad hoc paratiorem reddidiſſet. Zoſimus.] [Primùm itaque cum Honorio promiſſis acceptis de Attali imperio diſſolvendo paciſcitur, Sozom.] ac reapſe conſilium exequens, extra urbem Ariminum, in quâ tunc commorabatur (omnibus congregatis, Sozom.) productum Attalum diademate ſpoliat, exuitque purpura. Atque his ad Honorium Principem miſſis, Attalum in omnium oculis ad privatam vitæ conditionem redigit: apud ſe tamen unà cum Ampelio filio retentum, donec pace cum Honorio conſtitutâ, vitæ ſecuritatem eis impetraſſet. Zoſimus.] addit Sozomenus: Cum Attalo ſua etiam cingula deponunt ipſius Duces. cunctiſque delictorum veniam impartitur Honorius; ut in eo honore, eaque dignitate unuſquiſque permaneret, quam antea ſortitus eſſet. Zoſimus.] Sigonius atque Baronius Honorii edictum hic referunt, datum Ravennæ pridiè Idus Febr. Varane Conſule. Ego edictum iſtud ante abdicatum Attalum datum puto, ut Attali Duces ad ſe revocaret Hoorius. Aut ſi iſtud ipſum eſt, vitium in diem irrepſiſſe non dubito. quando Attalum ea præcedentibus & ſerie hiſtoriæ vix antè æſtatem abdicare potuiſſe mihi quidem certum eſt. Sozomenus certè notat *ne integro quidem anno Imperatorem vocatum Attalum.* innuens anno ſaltem non minus medio imperaſſe. Cumque anni prioris ſere exitu creatum viderimus, non antè Maium Juniúmve abdicarit. quo ferè tempore, aut paulò antè Conſtantinus in Galliâ Tyrannus Conſtantem filium, teſte Zoſimo, pro Cæſare dixit Auguſtum. Quod hic in tranſitu noto; pro rebus Gallicanis mox retexendis. Addit denique Sozomenus, Attali abdicationem tam Paganis quàm Arrianis gravem extitiſſe; Paganis, quòd ex illius propoſito ac educatione ſperarent eum Paganorum ritus inſtauraturum; Arrianis, quòd ab Sigeſaro Gothorum Epiſcopo Arriano baptizatus eſſet, eoque Gothis ipſis & Alarico cariſſimus.

Quem ideo Alaricus abrogat.

Ne integro quidem anno Imperio potitum.

10. *Nec multo poſt* (pergit idem Sozom.) *venit Alaricus ad Alpes (qui locus eſt ſtadiis plus minus 60. Ravennâ diſtans) veluti*, addit Zoſimus, *firmam certamque cum Honorio pacem tandem aliquando com-*

Rurſus de pace agit Alaricus.

poſiturus.] *Dúmque cum Imperatore de pace communicat, aliud quoddam fortuna reperit pacis impedimentum, ad ea quæ Reip. eſſent eventura, viam quamdam ſternens.* Olympiod.] *Sarus erat genere Gothus (de quo ſuprà ſæpiùs) paucorum hominum Præfectus ; vix enim ducentos aut ſummum trecentos ductabat ;* (*omnes tamen ſtrenuos ac fideles.* Sozom.) *cæterageneroſus vir, armiſque invictus.* Olymp.] *Hic in Piceno commorabatur* (ait Zoſimus) *nec Imperatoris Honorii* (Soaomenus) *nec Alarici ſeſe partibus adjungens. Alarico tamen ob priorem quamdam ſimultatem ſuſpectus, conſiderabat ſibi nequaquam utilia fore, Gothos inter ac Romanos percuſſa fœdera.* Sozom.] *In eum quoque Ataulſus* Alarici ſororius, rurſum Zoſi. *infeſtò erat ob ſimilem quamdam alienationem animo. Is forte ad ea loca, in quibus Sarus erat, cum copiis univerſis acceſſit. Quod Sarus cùm animadverteret, non ſatis ad committendam pugnam inſtructum ſe ratus, quis homines ſecum trecentos dumtaxat haberet ; ad Honorium profugere ſtatuit ; & cum eo belli adverſus Alaricum gerendi ſocietatem coire.* Hic plane deſinit etiam Photii teſtimonio Zoſimus, ſeu temporum injuriâ mutilus; ſeu potiùs ne ultrà pergeret, morte aliôve impedimento retentus. poſtrema certè hiſtoriæ illius non admodum digeſta, mihi quidem videntur. Supplet utcumque Sozomenus: *Sarus igitur repente cum ſuis irruens, nonnullos ex Barbaris,* Alarico opinor militantibus, *interficit.* ſive antequam Honorio ſe jungeret, cum ſibi tantò ſtratagemate devincturus ; ſive poſt coitionem, quò fidem *operámque ſuam probaret. Romanos* quidem *eum ſibi ſocium adjunxiſſe,* disertè apud Photium teſtatur Olympiodorus.

Quam Sarus rumpit. *Zoſim. l. 9. c. 9.*

SECTIO SECUNDA.

Romā obſidet Alaricus, iam tertiò, & capit.

11. *Hinc igitur* (iterum Sozomenus) *& metu ſimul & irâ percitus Alaricus,* [*renuntiatâ ſibi perpetuum Sari* (an Honorii potiùs, an utriuſque ?) *amicitiâ, addit* Olympiodorus] *eadem viâ reverſus, & Romam obſidione cingit,* tertiâ jam & ultimâ efficacique obſidione. Nam ut ſuprà vidimus, Romam primùm obſedit anno Chriſti præcipitante 408. ſtatim à Stiliconis cæde. quam obſidionem Romano auro, ex idolorum mundo conflato, redemiſſe, teſtis eſt Zoſimus. Rurſum eamdem ſequenti anno 409. itidem ſeneſcente, cum neque prævias pacis conditiones, neque obſides promiſſos ab Honorio reciperet, ſecunda obſidione cinxit; nec eam, niſi Attalo novo Imperatore in opprobrium Honorii creato, ſolvit. Hoc demum anno, paulò ante Auguſtum, ob Sari in ſuos inopinatam irruptionem, & ad Honorium Romanoſque tranſgreſſionem, tertiò demum obſedit ; & ut mox dicam proditione cepit. Quod moneo, ne quis cum Baronio quærat operoſiùs. *Unde Egnatio innotuerit, biennio perduraſſe Urbis obſidionem?* Quis enim non videt eum ex ternis hiſce partialibus obſidionibus, totalem unam biennalem intelligere? Eo magis, quo duæ priores obſidiones, nonniſi pro pace Gothos inter atque Romanos ineunda, ſolutæ ſint. Quam pacem cùm nunquam præſtaret Honorius ; Romæ quoque obſidionem, animo quidem continuaſſe, videri poteſt Alaricus. Et Procopius quidem unde hauſiſſe ſe ſcribit Egnatius, obſidionis hujuſce Romanæ tēpus non *biennale* præcisè, ſed *diuturnum* dūtaxat appellat. biennale tamen fere fuiſſe declarat hiſtoria: ſi ternas, ut dixi, & biantes obſidiones in unā jungas. Sin de tertia hac & ultima ſeparatim cum Baronio capias, fateor via ultra menſē perduraſſe.

12. Sed jam nos Procopii de hac tertia Urbis obſidione textum Græcum, ab Interprete omiſſum, hic reddamus. *Modum enarrabo, quo Vrbe potitus eſt Alaricus. Conſumpto in obſidione diuturno tempore ;* nempe ut dixi, fere biennali, *licet interruptos cum neque vi, neque arte ullâ Vrbem capere poſſet ; hanc in animum fraudem induxit. Deligens trecentos ex iis quos in exercitu habebat adoleſcentes, eóſque nondum pubeſcentes, ſed infra pubertatem juvenes ac ſtrenuos: quos præclarè feciſſe, & ſuprà ætatem virtute ſe extuliſſe noverat ; ſecretò illis inſinuavit, eos ſe Patriciis quibuſdam Romanis, ceu ſervos ac mancipia dare velle, quales ſe eſſe ipſi verbo tenus fingerent. præcipit verò, ſimulac in eorum familiam adſciti eſſent, omnem humanitatem atque modeſtiam præ ſe ferrent ; omnia promptiſſimè exequerentur, quæ ipſis in bonis ac poſſeſſionibus crederentur. Tum non ita multò pòſt, ſexta ſcilicet inde die, circa meridiem, Patritiis illis omnibus ſomno ſe de more tradentibus, eóque poſt cibum ſopitis ac devinctis ; ad portam ſe ipſi Salariam quàm celerime conferrent ; cuſtodes incautos ac nihil tale expectantes ex improviſo conficerent, portáſque confeſtim aperirent. Hiſce mandatis adoleſcentibus ita datis, Alaricus Legatos ad Senatores mittit ; ſignificans, Se illorum erga Imperatorem ſuum benevolentiam demirari ; eorum fide virtutéque ſe commotum nullas ipſis turbas ultrà moliturum. velle ſe potiùs ipſorum unumquemque famulis quiquſdam domeſticis donare velle, quò ſui apud tam præclaros homines aliquod relinqueret monumentum. Illis ergo ſubmiſſis, ſuis edicit ut ſarcinas colligant, & ad diſceſſum ſe comparent.*

Quomodo Romam tandem cœperit Alaricus.

13. *Romani lætiores, nec ullâ jam inſidiarum ſuſpicione, præſertim juvenibus iſtis tam promptè tam fideliter obſequentibus ; magna ſecuritate remiſſionéque vivunt. Maximè poſtquam Gothorum aliqui jam caſtris exceſſiſſent, idémque mox alii facturi viderentur. Stato die omnem Alaricus exercitum velut ad irruptionem inſtruit, juxta Salariam portam paratum continet ; ubi ab obſidionis exordio caſtra ſua metatus erat. Simul Juvenes deſtinato temporis puncto locóque ſe ſiſtentes, cuſtodes ex improviſo adoriuntur & occidunt, portas aperiunt, Alaricum cum exercitu in Vrbem immittunt. Gothi ingreſſi in ædes portæ viciniās flāmas immittunt, in quibus & illa Saluſtii hiſtorici domus conflagravit ; ex quâ multa incendio ſemiuſta ad me pervenerunt. Cúmque Urbem deprædati eſſent, longiùs abſceſſerunt. Tunc ut aiunt, Honorio Ravennæ commorāti Eunuchus quidam curandis avibus præpoſitus, Romam perditam nunciavit. Atqui, exclamat Honorius, mets illa jam nunc primùm manibus evolat. Vnam è gallinis ſuis nomine Romam, nunciari perditam exiſtimans. Adeo ſtupidum illum fuiſſe ferunt. Sunt tamen qui dicant non hoc modo captam ; ſed Probam illuſtrem opulentiſſimámque Matronam, Civium fame ſe mutuo devorantium miſertam ; cùm & nulla auxilii ſpes eſſet, & portus omnes Alaricus ac fluvios intercluſiſſet ; ſervis ſuis mandaſſe, ut portas aperirent.* Iſta omnia Procopius ex antiquis haud dubiè Scriptoribus ejus adhuc ævo ſuperſtitibus. nullâ non probabilitate. quando & Sozomenus *proditione captam* Romam disertè ſcribit. Ac licèt nocte captam ſignificare videatur Hieronymus, non adeò tamen diſcrepat Procopius, cùm Patriciis ſomno poſt cibum obrutis, id contigiſſe vel meridie ſcribit.

Alius modus quo Roma capta.

14. De his ita breviter Oroſius : *Adeſt Alaricus, trepidam Vrbem obſidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto prius* (quod & habet Sozomenus) *ut ſi qui*

Oroſ. l. 7. c. 39
Oroſii alia narratio.

in ſan-

in ſancta loca, præcipuéque in SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos imprimis inviolatos ſecuróſque eſſe ſinerent. tum deinde in quantum poſſent, prædæ inhiantes à ſanguine temperarent. Innocentius Vrbis Epiſcopus, tanquam juſtus Lot ſubtractus à Sodomis, occultà providentiâ Dei apud Ravennam cum Honorio poſitus, peccatoris populi non vidit excidium. Et infrà: *Tertia die* (aut ut Marcellini Chronicon, *ſexta*) *Barbari quàm ingreſſi Vrbem fuerant, ſponte diſcedunt; facto quidem aliquantarum ædium incendio; ſed ne tanto quidem, quantum 700. conditionis ſuæ anno* (juxto Livium ſcilicet, alioqui juxta Varronem 704.) *caſus effecerat.*]

Capta Roma Auguſti 24.

Captæ Urbis diem, rectè ut ex præcedentis hiſtoriæ contextu liquet, deſignat Paulus Diaconus, *nonum Kalendas Septembres*, id eſt Auguſti 24. qui tunc in feriam 4. incurrit biennio toto, & uno inſuper die à Stiliconis interitu. poſt quem uno alteróve menſe Romam prima obſidione cingere cœpit Alaricus. Annum verò varii variè adſcribunt; Oroſius anno V. C. 1164. pro 1163. & quidem Varroniano omnium maximo. Vocant, ut rectè Proſper vulgaris, Marcellinus & Caſſiodorus, *ſolo Conſule.* nam Tertullus expunctus eſt. Malè igitur Idatius, & eum ſequutus Iſidorus, ad æram Hiſpanicam 447. id eſt annum priorem, Chriſti 409. referunt. *In ea Vrbis irruptione*, velut Oroſius, Idacius, Olympiodorus, Marcellinus, aliique notant, *Placidia Theodoſii Principis filia, Arcadii & Honorii Imperatorum ſoror*, non tamen uterina, *ab Ataulpho Alarici propinquo capta eſt, atque in uxorem* (poſthac) *aſſumpta.*

& cum eâ Placidia Honorii ſoror.

15. Juverit hîc quædam in Urbis captivitate memorabilia, ex Olympiodori tum viventis apud Photium eclogis audire. Primùm ait, *in hac Vrbis obſidione mutuâ carne paſtos obſeſſos.* pag. 69. fin. Secũdò, *Alaricum incredibilem in Vrbe argenti vim avertiſſe.* pag. 68. fin. Tertiò notat pag. 64. *Romanæ Vrbis mœnia, ex Ammonii Geometræ dimenſione, quo tempore Gothi illam priore incurſione infeſtarunt, viginti & unius milliarii ſpatium in circuitu habere compertum fuiſſe.* Quartò, *è magnis Romanæ Vrbis domibus omnia intra ſe unamquamque habuiſſe, quæcumque mediocris etiam Vrbs habere potuit; Hippodromum, fora, Delubra, fontes varia balnea. Hunc & Scriptor ſic exclamat. Eſt urbs una domus, mille oppida continet una urbs. Sed & lavacra publica ingenti prorſus fuêre magnitudine. è quibus quæ Antoniniana dicuntur Thermæ, ad commodiorem lavantium uſum, mille ſexcenta habuerunt ſedilia, è marmore polito fabricata; Diocletianeæ duplo fere plura.* Quintò, *Multas Romæ familias annuos reditus è bonis accepiſſe quadraginta circiter auri centenarios, abſque frumento & vino, aliiſque ejus generis, quæ tertiam æquabant auri partem ſi venderentur. Alteras verò poſt has, decem aut quindecim centenarios in cenſu habuiſſe. Probum Alypii filium, in præturâ, quam Joannis Tyranni temporibus geſſit, auri centenarios duodecim expendiſſe. Symmachum verò Oratorem, mediocri Cenſu Senatorem, ante captam Urbem filio Symmacho præturam gerente, centenarios impendiſſe viginti. Maximum deinde, ex opulentis ac beatis unum in filii præturam 40. centenarios impendiſſe. Septem autem diebus ſolemnes ludos Prætores celebrabant.* Iſta omnia Olympiodorus. Sed jam ad Gothos.

Quid de Româ captâ Olympiodorus.

Illius admiranda.

Thermæ Antoninianæ, & Diocletianeæ.

Diſcedit ultrò Româ Alaricus, in Siciliam.

16. Româ illi *fœdiſſimè deprædatâ*, ut Proſper Pithœi, *tertiâ quam ingreſſi fuerant die* juxta Oroſium, id eſt 27. Auguſti: aut juxta Marcellinum *ſextâ*, ſeu 30. ejuſdem Auguſti, *ſponte diſcedunt. Egreſſi autem* (ſubdit Jornandes) *per Campaniam & Lucaniam ſimili clade peractâ, Brutios acceſſerunt. Vbi diu* (nota diu) *reſidentes, ad Siciliam, & exinde ad Africæ terras ire deliberant.* In *Africam*, nimirum *patriam quietam Alaricus Rex cum opibus totius Italiæ, quas in prædâ diripuerat, tranſire diſponebat*; inibi & ipſe quieturus, poſtquam Heraclianum Præfectum ultus fuiſſet. Sed *quia non eſt liberum quodcumque homo ſine Dei nutu diſponit; fretum illud* Siciliæ *horribile aliquantas illius naves ſubmerſit, plurimas conturbavit. Quâ adverſitate repulſus Alaricus, dum ſecum quid ageret deliberat, ſubito* apud Conſentiam *immaturâ morte præventus, rebus exceſſit humanis. Quem nimiâ ſui dilectione lugentes, Barento amne juxta Conſentinam civitatem, de alveo ſuo derivato,* (*nam hic fluvius à pede montis juxta urbem dilapſus, fluit undâ ſalutiferâ*) *hujus ergo in medio alveo, collecto captivorum agmine, ſepulturæ locum effodiunt. In cujus foveæ gremio Alaricum cum multis opibus obruunt: rurſuſque aquas in ſuum alveum reducentes; ne à quoquam quandóque locus cognoſceretur; foſſores omnes interemerunt. Regnúmque Ataulfo ejus conſanguineo, & formâ & mente conſpicuo, tradunt. nam erat, quamvis non adeo proceritate ſtaturæ formatus, quantum pulchritudine corporis vultúque decorus.* Ita Jornandes, & ex eo Paulus Diaconus. Mortem Alarici, aut hujus anni exitu, aut ſequentis exordio contigiſſe neceſſum eſt. quatuor circiter à capta Roma menſibus. Neque enim Jornandis illa verba, quibus *diu in Brutiis reſediſſe* dicit, minus intervallum exigunt. Sed neque ſic tamen diu Romæ direptione lætari potuit. Idatius quidem Romæ captivitatem & Alarici mortem eodem anno comprehendit. Atque hæc in Italiâ hoc anno geſta, ſane cruenta.

De reb. Get. c. 30.

& Conſentiæ moritur.

Succedit Athaulphus

SECTIO TERTIA.

Res huius anni 410. Gallicanæ.

17. Cruentiora Galliis obveniſſe quis dubitet? Capite ſic lancinato, quid de membris æſtimandum? Sed & eòdem nos ducit Salvianus ipſe; cùm libro ſeptimo de Provid. Dei, talem huic Vandalicæ Galliarum vaſtationi præſcribit ordinem. ut primùm Vandali è ſolo patrio in *Germaniam primam* ſeu Superiorem, *effuſi ſint*. Secundò *Poſt ejus primum exilium, arſerit regio Belgarum*; maximè Secundorum. Tertiò deinde, *opes Aquitanorum.* Quartò denique *corpus omnium Galliarum.* De tribus primis, tribus item capitibus anniſque proximis jam diximus. Reſtat quartum hìc evolvendum, ſi tamen evolvi poteſt. Sane non parvus mihi dolor eſt, tanta divinæ Juſtitiæ documenta tantâ caligine, tanto Scriptorum defectu negligentiâve, tegi obruique. Colligam fragmenta quæ potero, & in ortus ſuos redigere conabor. Quo magis à benigno Lectore veniam ſpero, ſi forte veritatem undequaque non attingo. Fragmenta præcipua en iſta.

Totum corpus Galliarum ardet. ex Salviano.

Res iſtæ perobſcuræ, ex fragmentis colligendæ.

18. Primùm ex Proſperi Pithœani Chronico: ad annum Honorii Imperatoris à morte Theodoſii patris ſextumdecimum; qui cum hoc Chriſti quadringenteſimo decimo vulgari ſeu Dionyſiano concurrit. *XVI. Hâc tempeſtate præ valetudine Romanorum, vires funditùs attenuata Britannia. Saxonum incurſione devaſtatam Galliarum partem Vandali atque Alani vaſtavere. Quod reliquum fuerat, Con-*

Primum fragmentũ, ex Proſpero Pithœano.

ſtantinus Tyrannus abſidebat. Hiſpaniæ partem maximam Suevi occupavere. Ipſa denique Orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdiſſimè patuit. Ita ille; Britannica & Hiſpanica cum Gallicis non ineptè miſcens, ut à ſe mutuo pendentia. Quod & nos facere cogimur, ut Belgica noſtra iis immixta pleniùs aſſequamur.

Secundò, ex Zoſimo.

19. Par nobis, ſi non major è Zoſimo lux lib. 6. eodem hoc anno Romæ captæ. *Honorius literas ad civitates Britannicas ſcribit; quibus eos ut ſibi caverent providerentve hortatur.* & hoc quantum diſpicio, primis hujus anni menſibus. Et paulò antè adhuc clariora protulerat: *Cùm rurſus in Hiſpaniam Conſtans à patre* Conſtantino *mitteretur, Juſtum ſibi Ducem adjungebat. Quâ quidem offenſus Gerontius,* Hiſpaniis præfectus, *conciliatu ſibi locorum iſtorum* Hiſpanicorum *militibus, Barbaros apud Celtas* ſeu Gallos, quos ibi fœderibus continebat Conſtantinus, *adverſus Conſtantinum excitat. Quibus cùm Conſtantinus reſiſtere non poſſet; quòd major copiarum ipſius pars eſſet in Hiſpaniâ; Transrhenani Barbari cuncta pro libitu invadentes, eò incolas inſulæ Britãnia, tum quaſdam Celticas nationes redegerunt, ut ab Imperio Romano deficerent, & Romanorum legibus non ampliùs obedientes ſuo arbitratu viverent.* Idem notat Procopius priore belli Vandalici libro; cùm ſcribit *Conſtantinum* Tyrannum *bello tandem ſuperatum, cum liberis interiiſſe; nec Britanniam tamen Romanos conſervaſſe; quòd ab eo tempore ſub Tyrannis Regibúſve permanſerit.* planè docens cum Zoſimo Britanniam ſub hoc Tyranno defeciſſe. De quo nos infrà longè plura.

Gerontius excitat Vandalos in Conſtantinum.

& ex Procopio.

20. Tantùm hic moneo, Barbaros tum apud Celtas adeo cuncta vaſtaſſe, ut Britanni & Celtarum nonnulli prorſus à Romanis defecerint; hoc ipſo anno Chriſti 410. Ideóque benè expendendam ſuperiorem Proſperi Pithœani Periochen; *Hac tempeſtate, præ valetudine Romanorum, vires funditùs attenuata Britannia.* Benè item ponderandas *Honorij ad civitates Britanniæ literas, ut ſibi providerent.* Quæ enim tenuior unquam Romanorum, quàm hujus anni 410. valetudo? quo & Italia ab Alarico vaſtata, Roma ipſa capta, fœdiſſimè populata; Honorius Ravennæ clauſus, adeoque exhauſtus; ut Occidentis Imperio cedere, & ad fratris filium Conſtantinopolim fugere cogitaret? Galliarum facilè tertia pars Borealior, Vandalorum, Saxonum, Francorum vaſtationibus derelicta; Auſtralior ab ipſo Conſtantino exeſa; Hiſpaniæ Suevis ſociiſque perviæ. Qua viâ in Britanniam Romanorum auxilia penetrarent? Et quæ auxilia? cùm ipſi ab Honorio literis exigerent; nulla reciperent, niſi ut ſibi providerent; nullâ prorſus ab ullo alio auxilii ſpe. Solos quidem ab Honorio reſcribente Britannos, ut ſibi providerent, juſſos dicit Zoſimus, nullâ Belgarum additâ mentione. Sed par utrobique calamitas, par quoque reſponſum recepiſſe convincit. Inde Diogenem Atrebatium Epiſcopum, ut jam dixi, ab Vandalis cæſum, ejus Eccleſiæ monumenta teſtantur. Inde Fortunatus in S. Medardi Vitâ Auguſtam Veromanduorum, hodie Sancto-Quintinum, ab iiſdem Vandalis & Alanis everſam ſcribit. Bavacum quoque tunc, ſi non antè deſtructum; ſat conſtat. Nullâ ejus inde mentione, ſolis ejus ruinis ingentibus id abunde teſtantibus. Sed Vitâ S. Salabergæ, Laudunum ab his oppugnatum capi nequiviſſe tradit. Et ſimilia multa, quæ ævum extinxit: licèt ad Belgicam noſtram Secundam attineant.

Romani his annis valde debiles.

Vandali iterum Belgicam ſecundam vaſtât.

21. Sed & ad Primam quoque Vandalos eoſdem, adeoque ad ipſum Rhenum prædando perveniſſe, mox è Profuturo Frigerido audiemus; cùm ſub Romæ ab Alarico captæ tempus, Reſpendialem Alanorum Regem de Rheno agmen ſuorum convertiſſe ſcribit; ut Vandalis Francorum bello laborantibus opem ferret, de quo etiam paulò infrà. Interim in Belgicam quoque primam invectos, civitatibus Leucorum, Verodunorum, & Trevirorum non magis quàm Belgicæ Secundæ pepercisse, credo. Etſi ævum omnia aboleverit. Id quidem Salvianus libro 6. exigit, cùm poſteriore hac eruptione, *totum corpus Galliarum arſiſſe* disertè, & ſine ulla exceptione notat. Et clariùs adhuc Sozomenus libro 9. cap. 12. cùm *& Hiſpaniarum & Galliarum multa præſidia, multas urbes captas, & cum iis Conſtantini Tyranni Præfectos* æquè aſſerit. Ubi magis in Gallia tunc, quàm Auguſtæ Trevirorum jam olim, aut ab heſterno fere die Arelati, Tyranni Præfecti? Trevirim quidem *Gallorum ſummam excellentiſſimámque civitatem*, ut Salvianus appellat, prioris adhuc anni Julio integram ſtetiſſe, ex Euſebiæ Epitaphio aliiſque adjunctis monuimus. & ſequenti tamen anno Chriſti 411. ex Frigeridi teſtimonio, *à Francis direptam incenſámque*, & quidem *ſecundâ irruptione* audiemus. Hoc igitur anno 410. *primum eam ex tribus continuatis excidiis* paſſam eſſe, neceſſe eſt. & à quibus niſi à Vandalis tandem huc populando regreſſis? Sane Barbaros plura huc trahebant; obvia & ingens prædæ ſpes; magna ſui in poſterum rerumque ſuum ſecuritas, diruto ſemel Galliarum armamentario, Præfectis cæſis (nam primum hoc excidium *primam* quoque *captivitatem* vocat Salvianus) denique ex Gallicanæ Metropoleos interitu manaturus ſui terror, certiorque victoria.

& Primam.

In quâ Tyranni Præfectos capiunt.

Trevirorũ Primum ex quatuor excidium.

22. Et invitabat ipſa incolarum negligentia, quidam fatalis ſtupor. Sic enim de Treviris Salvianus: *An credimus forte, quod captivus anima populus ille non fuerit, qui lætus tunc in ſuorum captivitatibus fuit? captivus corde & ſenſu non erat, qui inter ſuorum ſupplicia ridebat! qui jugulari ſe in ſuorum jugulis non intelligebat? qui mori ſe in ſuorum mortibus non putabat? Fragor, ut ita dixerim, extra muros præliorum, & intra muros ludicrorum confundebatur: vox morientium, vóxque bacchantium: ac vix diſcerni forſitan poterat plebis ejulatio quæ cadebat in bello, & ſonus populi qui clamabat in Circo. & cùm hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat; niſi ut cùm eum Deus perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſe exigeret ut periret? Nec loquor de longè poſitis, & quaſi in alio orbe ſubmotis; cùm ſciam etiam in ſolo patrio* (ſeu Trevirico, ſeu Agrippinenſi, certe Belgico, ut ſequentia dicent) *atque in civitatibus Gallicanis, omnes fermè præcelſiores viros calamitatibus ſuis factos eſſe pejores. Vidi ſiquidem ego ipſe Treviros* (nempe in ſolo patrio) *domi nobiles, dignitate ſublimes, licèt jam ſpoliatos, minùs tamen everſos rebus fuiſſe, quàm moribus. Quamvis enim depopulatis jam atque nudatis aliquid ſupererat de ſubſtantiâ, nihil tamen de diſciplinâ. Adeo graviores in ſemet hoſtes externis hoſtibus erant. ut licet jam à Barbaris everſi eſſent, à ſe tamen magis everterentur.*

ex magnâ civium negligentiâ.

23. Lugubre eſt referre quæ vidimus: *Senes honoratos, decrepitos Chriſtianos, imminente admodum jam excidio civitatis, gulæ ac laſciviæ ſervientes. Quid primùm accuſandum eſt? quòd honorati, an quòd ſenes,*

etiam imminête jam excidio.

an quòd

an quòd Chriſtiani, an quòd petulantes? Quis enim hoc fieri poſſe credat, vel in ſecuritate à ſenibus, vel in diſcrimine à pueris, vel unquam à Chriſtianis? Jacebant in conviviis, obliti honoris, obliti ætatis, obliti profeſſionis, obliti nominis ſui; Principes Civitatis, cibo conferti, vinolentiâ diſſoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furioſi: nihil minus quam ſenſûs ſui: imò quia propè jugiter tales, nihil magis quam ſenſûs ſui. Sed cùm hæc ita eſſent, plus multo eſt, quod dicturus ſum. finem perditionis hujus, nec civitatum excidia fecerunt. Denique expugnata eſt quater urbs Gallorum Treveri opulentiſſima. Promptum eſt de quo dicam: Sufficere utique debuerat emendationi prima captivitas, ut inſtauratio peccatorum non inſtauraſſet excidium. ſed aſſiduitas illic calamitatum, augmentum criminum fuit. Hæc Salvianus de primâ hac Trevirorum captivitate, quam ter poſtmodum everſam mox addit. Notans etiam aptè, *Ter continuatis*, nota continuatis, *everſionibus exciſam*. ut primam à tribus aliis parvo tempore disjunctam oporteat.

Urbs ſpoliata, & ex parte incêſa.

24. Hoc autem primo turbine correpta Trevirorum Auguſta, licèt non penitùs interierit, inclinare tamen & præceps ire cœperit. Nihil quippe dubium, tot Barbaros, prædæ tantæ inhiantes, raptim ingreſſos per compita curſitaſſe, obvios plures jugulaſſe, ædes ditiorum irrupiſſe, ſupellectile pacis longæ ſpoliaſſe; omnia metus & deſperationis oppleviſſe. Incenſam tamen urbem, ſaltem totam non puto: Barbaris hac irruptione primâ, prædæ magis quàm ſanguini imminentibus; nullâ præſertim Trevirorum luxu diffluentium reſiſtentiâ. Et videbimus eam duabus adhuc, iiſque continuatis everſionibus ſufficere potuiſſe; nec niſi *poſt tria excidia* (quod addit Salvianus) *quarto perire meruiſſe*.

Divodurum Mediomatricum tunc evaſiſſe videtur.

25. An Divodurum Mediomatricum, vicina civitas, pari ſtrage affecta ſit, dubito. Sub Francorum certè Regno mox orto, non ut Trevirorum neglecta jacuit; imò regiam eis ſedem præbuit, contemptis Treviris. proximâ primùm Attilæ, annis poſt hunc fere 41. interiiſſe videtur: cùm ſola S. Stephani Baſilica Cathedralis cœlitùs conſervata. Sed & hic Zoſimi verbis aliquid dandum; cùm diſertè ſcribit, *Ut Britannos ſumptis armis, pro ſalute ſuâ periclitatos, civitates ſuas ſaltem aliquas, à Barbaris imminentibus liberaſſe; ſic & totum Armoricum, ceteráſque Gallorum provincias Britannos imitatas, conſimili ſe modo liberaſſe.* In iis ergo Divodurum relinquamus. Tungrorum tamen Advatucam, parem cum Treviris fortunam expertos, fidem facit primo Servatii noſtri de proximo ejus interitu vaticinium: tum verò diuturnior inde Moſæ-Trajectum tranſlata Epiſcopalis habitatio, & jacens adhuc urbis triſte cadaver; denique, quod eaſus deinceps ac rara ſit illius in Imperii Notitiâ mentio.

Non item Advatuca Tungrorum.

26. In Germaniam quoque Primam ſeu Superiorem penetraſſe ſecundam hanc Vandalorum vaſtationem, ea Salviano intelligimus; qui poſt primum ejus excidium, alterum quoque agnoſcit. quod extra hoc tempus non facilè reperias. Et *Reſpendial Alanorum Rex, de Rheno agmen ſuorum convertiſſe*, à Frigerido apud Turonenſem dicitur; quo ſe ſcilicet tranſtulerat, forte & Burgundionibus ibi tùm agitantibus conjunxerat. Utcumque ſit, ſecundo certe exitio illam afflixiſſe vult Salvianus libro 7. Ita igitur, ſi quid in illâ primum reliquerat exitium, poſterius hoc more locuſtarum eraſerit. Videndum item an quæ libro ſexto, de alia prope poſitâ ejuſdem magnificentiæ civitate, ad Moguntiam & ſecundam ejus ruinam non referat. Ego infrà ad Coloniam Agrippinam referam.

Germania Prima ſeu Superior iterum à Vandalis vaſtata.

Tur. l. 2. c. 9.

27. Et hæc quidem omnia in Belgicâ noſtrâ late ſumptâ contigerunt. Similia & in Lugdunenſi ſeu Celticâ contigiſſe, pluſcula teſtantur reliqua. Ut quod Camuzati Promptuarium Trecenſe ſuggerit; S. Balſemium à Vandalis, ad vicum *Arceias* propè Trecas, nec Catalauno procul, capite truncatum: quòd Deſiderium Epiſcopum ſuum Lingones cum Vincentio Archidiacono ſuo, multiſque civibus jugulatum; Antidium Veſuntiones interemptum, Civitates item ipſas everſas diuturnâ traditione confirmant. Quæ omnia & plura lector à nobis non exigat; nec inertiæ noſtræ adſcribat, quod extremæ plane neceſſitatis facit auctorum defectus. Sed & nos Belgica præſertim hîc ſcribimus.

Ut & Lugdunenſis Gallia, ſeu Celtica.

28 Uno hoc Salviani teſtimonio generali contenti ſumus, ex libro ſexto: *Dixi de urbibus præclariſſimis. Quid reliqua in diverſis Galliarum partibus Civitates? Nunquid non ſimilibus habitatorum ſuorum vitiis conciderunt? Nam ita cunctos crimina ſua præceſſerant, ut nec metuerent periculum ſuum. Prænoſcebatur captivitas; nec formidabatur: ablatus quippe erat à peccatoribus timor, ne poſſet eſſe cautela. Itaque Barbaris pœnè in conſpectu omnium ſitis, nullus metus erat hominum, non cuſtodia civitatum. Tanta animorum, vel tanta potiùs peccatorum cæcitas fuit: ut cùm abſque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret, ne periret. Totum incuria & ſegnities; totum negligentia & gula; totum ebrietas & ſomnolentia poſſidebant. ſecundùm illud, quod de talibus dictum eſt: Quia ſopor Domini irruerat ſuper eos. Sopor quippe infunditur, ut perditio ſubſequatur. Cùm enim, ut ſcriptum eſt, completis iniquitatibus ſuis peccator quis meretur ut pereat, providentia ab eo tollitur ne periturus evadat. Nec in ſummo quidem diſcrimine ceſſarunt unquam vitia civium, uſque ad excidia civitatum.* Iſta omnia divinè Salvianus. Quæ tamen non adeo generatim capienda moneo, ut tot inter inertes torpenteſque Gallos, nulli ſe è tanto excitaverint lethargo. Id enim contra Zoſimum Procopiumque directè impingeret, qui ſaltem Armoricos (malè Arboricbos) à Romanis ſub Conſtantino tyranno generosè defeciſſe; eorum Præſides ignavos, ebrioſos, vino ſomnoque marcentes ejeciſſe, propriam quandam Remp. arbitratu ſuo conſtituiſſe narrant. Torpuerint illi ante ſecundam hanc Vandalorum vaſtationem. Poſtquàm Belgarum nonnulli ſuam utramque Metropolim, Remorum Durocortorum, ac Trevirorum Auguſtam everſas viderunt; exarſere tandem ſcilicet, & hauſerunt è neceſſitate conſilium. quod jam narrare aggredior.

Vitiis omnes ſuis perditæ.

SECTIO QUARTA.

Armoricorum cum Francis in Romanos conſpiratio. Quinam iſti Armorici? à quibus & Francis caſtigati ſunt Vandali.

29. Antequam ultra progrediar, expendenda prima illa ſuperiùs allata Proſperi Pithœani Periochè; ad annum, ut dixi, Honorii à morte patris, ſextumdecimum, qui eſt hic Chriſti 410. *Hàc tem-*

Magna virium Romanarum debilitas.

peſtate, præ valetudine Romanorum vires funditùs attenuata Britannia. Jungenda Zoſimi verba, initio libri ſexti poſita, initio item hujus anni 410. referenda: *Honorius literas ad civitates Britannicas miſit, quibus hortabatur, ut ſibi ipſi providerent.* Quæ enim tenuior unquam, quàm Romanorum hoc anno valetudo? quo & Italia ab Alarico vaſtata, Roma ipſa capta, expilata, ex parte incenſa: Honorio Imperatore Ravennæ clauſo, adeóque exhauſto, ut Occidentis Imperio cedere, ac Conſtantinopolim ad fratris filium Theodoſium juniorem, effugere cogitaret? Galliarum facilè tertia pars Borealior, Saxonum, Francorum, Vandalorum repetitis expilationibus exeſa, à Conſtantino Tyranno jam labante derelicta; Auſtralior etiam ab ipſomet exhauſta; Hiſpaniæ Suevis ſociiſque jam perviæ, vaſtationibus obnoxiæ, primo occupanti expoſitæ. Quânam viâ Romanorum auxilia etiam tenuia in Britanniam penetrarent? à quo Imperatore ſubmitti poſſent? Honorio remotiſſimo, Conſtantino ruente, neutro vel ſibi ſoli ſufficiente? Illo etiam quaſi ex deſperatione ſuadente, *ut ſibi ipſi conſulerent.* Deſperatione igitur in neceſſitatem verſâ, *ſumptis armis*, quod jam ſuggerit Zoſimus libro 6. *& pro ſalute ſuâ periclitati, civitates ſuas à Barbaris imminentibus liberarunt*; uti mox fuſiùs. Nunc in Honorii literis tantiſper hæreamus.

Cum Britãnis etiam Belgæ ad Honorium pro auxilio ſcribunt.

30. Solos quidem ad Honorium ſcripſiſſe Britannos; *& ab eo reſponſum, ut ſibi providerent, accepiſſe*, ſcribit Zoſimus, nullâ tum Celtarum Belgarúmve mentione. Sed cùm par & eadem gentem utramque premeret calamitas; par utriuſque ad Honorium ſcribendi neceſſitas fuit. & ut Belgæ noſtri nihil ſcripſiſſent; idem ab Honorio reſponſum, ut ſibi conſulerent, non accepiſſent; in idem tamen veniebant ſibi ipſis providendi decretum. Ait ecce clarè Zoſimus utroſque æquali ſententiâ cõprehendens: *Transrhenani Barbari cuncta pro libitu invadentes, eò tum incolas Inſulæ Britanniæ, tum quaſdam Celticas*, ſeu Gallicas, *nationes redegerunt; ut ab Imperio Romano deficerent: & Romanorum Legibus non amplius obedientes arbitratu ſuo viverent. Itaque Britanni ſumptis armis, & pro ſalute ſuâ periclitati, civitates ſuas à Barbaris imminentibus liberarunt.* Itidem (ſive ſimiliter, quod bene notandum) *totus ille tractus Armorichus, cæteræq;* (iterum nota *cætera*) *Gallorum provinciæ, Britannos imitatæ: conſimili ſe modo liberarunt: ejectis Romanis Præſidibus, & propriâ quadam Rep. ex arbitratu ſuo conſtitutâ. Hæc Britanniæ, Celticarumq; gentium rebellio, quo tempore Conſtantinus iſte regnum uſurpabat, accidit. cùm ipſius in imperando ſecordiâ moti Barbari, haſce graſſationes inſtituiſſent.* Plura hic validè afferit Zoſimus. *Primò*, Britannos defeciſſe. *Secundò*, Ex Britannorum imitatione etiam Gallos. *Tertiò*, Nõ novos ſibi Imperatores Regésve creaſſe; ſed *Remp. ſuo arbitratu*: Remp. inquam, utique liberam, Regumq́ue jugo ſolutam, *conſtituiſſe*, ejectis Romanorum magiſtratibus. *Quartò*, Defectionem hanc, pari occaſione cœptam, pari conſilio modóque velut ex condicto terminatam. Denique diſertiſſimè tempus ſignans, *ſub Conſtantino factam*, cùm *ipſius ſecordiâ moti Barbari graſſarentur*, & Galli Britannique nullum viderent ab eo vel Honorio præſidium. Sequenti planè anno 411. Conſtantinum cum liberis certò interiiſſe videbimus. Non potuit igitur ſeriùs quàm hoc anno 410. iſta fieri rebellio. quamvis Conſtantini deinceps interitu, ſicut & Romæ hoc anno captivitate, firmari augeríque potuerit. Nunc igitur illius expẽdendæ tempus.

Belgæ à Romanis deficiunt.

Planè anno Christi 410.

Quis tractus Armoricus Zoſimo & Procopio.

31. Primùm tria hic hominum, & quidem Romanis ſubditorum genera, iteratæ hujus vaſtationis barbaricæ occaſione, à Romanis ſeu Conſtantino tyranno defeciſſe, notat Zoſimus: *Britannos, Armorichos, & ceteras Gallorum provincias.* De Britannis pluſcula jam diximus, & plura inferius afferemus. De ARMORICHIS major eſt difficultas, eâ præſertim animi notione, quâ Zoſimus atque Procopius accipere videntur. Gallos eos facere, nullum dubium: quando & Romanorum ſubditos, & cum *ceteris Gallorum provinciis* (nota ceteris) *ab iis defeciſſe*; ſicut & Procopius, *cum ceterâ Galliâ Romanis benevolè paruiſſe*, ſcribunt. & antiqua quidem Armoricorum acceptio, Britonum Gallicorum ac Normannorum hodiernorum, ſeu ſecundæ tertiæque fere Lugdunenſis tractum omnem ſignificat, nullius contradictione: Cæſare, aliiſque priſcis auctoribus ita ſciſcentibus. Sed latiùs hic accipit Zoſimus, cum τὸν Ἀρμόριχον ἅπαντα, *totum tractum Armorichum* appellat: & verò maximè Procopius; qui Armorichos, priſcis iſtis Britanniæ Gallicæ Normanniæque finibus minimè contentus, ad Rhenum extendit: & Francis adhuc trans Rhenum incolentibus confines ac contiguos exertè facit, uti mox oſtendam. Et ſanè verbi vis id admittit. Armoricus quippe idem quod maritimus eſt: ita ſcilicet, ut *Ar* idem ſit quod *ad* vel ſupra; *Mor* aut *Moer*, mare. teſte Joanne Lelando, & ceteris Britannicæ linguæ antiquioris non ignaris. Quod etiam hodiernum Germanorum Flandrorumq́ue vocabulum *Moer* confirmat; quo ingentes marium inſtar lacus ac paludes denotari conſuevit. Unde Divæus Heuteruſq́ue Flandri, & Cambdenus Britannus *Morinos* à lacubus domeſticis argutè derivant. Et qui *Armorici*, iidem quoque *Armorini*, imò & ſimpliciter *Morini Moricique* dici poſſunt.

Primùm Normanniæ & Britanniæ hodiernæ.

Jam etiam Belgicæ præſertim maritimæ. & Francis vicinæ.

32. Hoc quidem generaliore latioreq́ue ſenſu Cæſar quoque teſtis oculatus, & qui primus Armoricorum mentionem intulit, ſcribit: *Univerſas eas Galliæ civitates, quæ Oceanum attingunt, Gallorum conſuetudine Armoricas appellatas.* Sic & Hirtius: *Poſitas in ultimis finibus Galliæ civitates, Oceano conjunctas, Armoricas dictas* docet. prorſus ut in Belgio noſtro Bononienſes quoque & Flandri noſtri hodierni olim Morini atque Menapii, Zelandi, Hollandi, rectè *Armorici* dici potuerint, quando & *in ultimis Galliæ finibus, & ad Oceanum æquè poſiti* ſunt. Ideóque probabiliter Cæſar eos memorat cum Armoricis civitatibus aliis in ſe conſpiraſſe. Enimvero ut prioribus ſæculis *Armorici* pro Normannis Britonibuſq́ue Gallicis hodiernis habiti fuerint; poſterioribus tamen hiſce, quæ tractamus, latiùs extenſos, docet *Notitia Imperij* vix 30. poſt hunc annis edita: *Extenditur* (inquit) *tractus Armoricani ac Nervicani* (Bituricani legunt quidam) *limitis, per provincias quinque: per Aquitaniam primam, per Secundam, per Senoniam, nec non Secundam Lugdunenſem, & Tertiam.* Quin & Aquitaniam, *Aremoricam* quoque dictam, etiam Plinius diſertè ſcribit. & ut taceret, voces ipſæ ſatis proderent. quando ut à mari *Armorica*, ſic ab aquis *Aquitania* dicitur. Ac licèt Oceano Secunda maximè Tertiáque Aquitania adjaceant; Primam tamen Aquitaniam *Armoricam* quoque dici, jam ex *Notitiâ* audivimus, quia ſcilicet & ipſa ab aquis dicta. Imò & *Senonia* quantumvis extra Aquitaniam

quia ipſe quoque Cæſar ita extendere videtur. *Cæſar l. 7.*

Lib. 6.

Lib. 9.

& ipſa vox maritimæ ſiniſtima denotat, Ex Notitia Imperii.

Plin. l. 4. c. 17.

adeóque etiam Senoniam & Aquitaniã Primam.

niam projecta, quantumvis à mari remota, quia tamen vicina, Armoricis accenſetur. Si igitur Senonia & Aquitania prima, mari tam procul abjunctæ, *Armorici* notione, ſolo viciniæ nomine, à Latinis hoc ævo comprehenduntur; quanto juſtiùs à Græcis Zoſimo Procopióque, Belgica Germaniaque Secundæ, & Oceano & ultimis Galliæ finibus continuo tractu adſitæ, Armoricæ dici poſſunt?

Multò magis Belgicam.

Germanos quidem Secundos, ſive Inferiores, in quibus Agrippinenſes ſunt ac Tungri, à Procopio Armorichos omnino dici, qui mox à nobis locus ejus afferetur, evincit. Quare ea Zoſimi quoque Græci Scriptoris mente, quando nihil aliud ſuppeteret; per τὸν Ἀρμόριχον ἅπαντα, ſeu *totum Armoricum*, Belgicam quoque, ſaltem maritimam, à Normandiâ ad uſque Scaldis oſtia, ſicut exinde Germaniam Inferiorem aduſque Rhenum mari ſe infundentem, intelligere ſolidè poſſumus. & alioqui, quomodo Franci à Rheno, in Normanniam Britanniamque, ſaltu pluſquàm Britonico tranſilirent, Belgis ſibi nondum adſcitis? Denique quando dubium adhuc reſtaret, omni nos eo Zoſimus exolvit, cùm ſubdit ἑτέρας Γαλατῶν ἐπαρχίας, *ceteras Gallias provincias*, maritimas ſcilicet vicinas, & Arelato remotiores, à Romanis hoc tempore *defeciſſe, armisq́, ſumptis civitates ſuas à Barbaris vaſtantibus*, Saxonibus, Francis, ſed Vandalis Alaniſque maximè *liberaſſe*. Quin & *Romanos Præſides*, à Conſtantino tyranno ſcilicet impoſitos, ejeciſſe; *propriâ quadam Rep. arbitrio ſuo conſtitutâ.*

Præſertim à mari non remotam.

Armorici Belgici arma ſumũt in Romanos, & Vandalos.

33. Ex his igitur omnibus, Primùm Armorichi iſti Galli, non antiquâ tantùm acceptione, ſed etiam recentiore & generaliore ad Belgicam uſque protenſi, ceu jam Rheno Franciſque etiam tranſrhenanis finitimi, à Vandalis oppreſſi, à Romanis ruentibus derelicti; per ſe ipſi ſoli, ſicut & in Inſulâ vicinâ Britanni, arma ſumunt, Romanos Magiſtratus ſtertentes ejiciunt, propriam ſibi novamque Remp. erigunt; & aliquo ſaltem tempore ſe ſuaſque urbes, contra Barbaros imminentes ſtrenuè defendunt; nonnullas etiam ab iis jam occupatas, ſibi revindicant. Sed animadverſâ ſenſim ac temporis ſucceſſu, virium ſuarum adverſus Tyrannum ſimul ac Barbaros imparitate; placuit quod neceſſitas exigebat, auxiliares adſciſcere. Verſis igitur in vicinos oculis animiſque, nulli ſe FRANCIS potiores aut aptiores obtulere. nempe vicinæ jam antiquiſſimæ, ſedis firmæ, minimeque vagæ, ad hæc diuturnâ plurium ac Primatum ejus gentis familiaritate, auxilio, & longâ jam in diverſorum Imperatorum comitatu experientiâ. Sed & recenti in Vandalos (à quibus Galliam irrupturis tantùm non protriti fuerant) ira & ultionis cupidine ardebant. ac denique ſocietatem ipſi ultrò offerebant, ut viribus in commune collatis, communem quoque & valentiorem hoſtem non repellerent modò, ſed & priores obruerent. Quod etſi Zoſimus exertè non exprimat, ſatis tamen innuit; cùm Armoricos ceteraſque Gallorum Provincias, arma ſumpſiſſe, novam Remp. conſtituiſſe, & à Romanis juxta ac Barbaris ſe liberaſſe ſcribit; quod ſine aliorum auxilio via potuere. Idem quoque Frigeridum ſaltem ex parte affirmare, mox ex ejus verbis audiemus. Procopius autem planiſſimè luculentiſſimeque ſic aſſerit: pag. 266. fin.

& cum Frãcis vicinis ſuis ſociantur.

34. *FRANCI quondam Germani vocitabantur. Quemadmodum autem Gallias invaſerint, explicabo.* Et paulò pòſt, pag. 267. init. *In Galliis pleraque flumena ſunt: ſed Rhodanus imprimis & Rhenus ibi fluunt, ita tamen ut contrariâ ab invicem via labantur: Rhodanus in mare Tyrrhenum, Rhenus in Oceanum immittitur: ubi* (nempe ad ejus oſtia) *paludes non paucæ, quas primitùs*, ſive antequam in Galliam immigrarent, *Germani incolebant; barbara tum gens, nec magni momenti viris qui nunc FRANCI vocantur. Poſt eos, in Orientem Solem Thoringi, barbari quoque degebant; Cæſaris Auguſti nutu ſedes iſtas tenere permiſſi. Ab his Burgundiones, in Notum ventum vergentes ſubhabitabant. Suevi deinceps & Alemanni, gentes validæ, liberi omnes jamdiu ſuperiora colebant loca. Porrò Germanis*, trans Rhenum inferiorem adhuc agentibus ſcilicet, *finitimi accolæ erant Armorichi.* ſic enim omnino legendum, non Arborichi, qui omnino nulli. *qui cum cetera Galliâ* (ergo Galli & ipſi, ſolo Rheno ab Francis ſeparati) *Romanis jampridem parebant: adeóque Romanorum tunc milites erant. Hos Germani cùm obſequentes ſibi facere vellent; ut qui finitimi eſſent, & quam antea habebant politiam ſeu Remp. immutaſſent* (nempe, ut Zoſimus, à Romanis deficientes; & Rep. novâ ſuo arbitratu conſtitutâ) *eorum agros aſſiduè populabantur, & copiis univerſis invadebant. Armorichi verò, cùm & virtutem, & in Romanos benevolentiam præ ſe ferrent, viros eo in bello fortes ſe præſtiterunt. Cùmque vim eis inferre FRANCI non poſſent; ſocietatem & connubia mutua precabantur. quæ Armorichi non inviti mox admiſere.* Nota mox. nam periculum & à Conſtantino & à Vandalis jam victoribus, imo & à Francis ipſis imminebat. *Erant enim utrique Chriſtianæ fidei ſectatores. Sic igitur unum hi coëundo in populum, in magnam evaſere potentiam.*

Qui etiam ultro ſocietatem offerebant.

35. *Romanorum interea milites alii, qui in Galliarum extremis erant cuſtodiæ cauſa conſtituti, cum neque Romam redire jam poſſent* (quomodo enim graſſantes in Gallia Italiaque Barbaros, Romam uſque mox capiendam, aut Ravennam; ubi clauſus agebat Honorius; aut Arelatum, ubi Conſtantinus, penetraſſent?) *nec ad hoſtes ut Arrianos* (quales erant Vandali) *concedere; ſeſe cum ſignis ad hoſtem* (puta rebelles Armorichos, junctoſque cum eis Francos) *contulere; & locum inſuper, quem pro Romanis ſervabant* (puto Coloniam Agrippinam) *Armorichis Germaniſque prodidere. Ac patrios mores continenter ſervatos, ſuos tranſmiſere ad poſteros. adeo quidem, ut vel ad hanc ætatem noſtram eodem tenore vel etiam cultu priſtinos ſervare ritus non dedignentur. Deſcripto namque ex numero ad id ferme tempus hi demonſtrantur; quo taxati antiquitùs militabant. quandoquidem & ſuis productis nunc ſignis in aciem prodeunt, patriis utuntur perpetuo legibus, Romanùmque habitum ut in ceteris aliis, ita & ſoccis nunc ſervant.* Hæc Procopius, mirè perſpicueque ad hujus temporis hiſtoriam.

Illis etiam milites Romani junguntur.

& Coloniã Agrippinã tradunt

Cujus etiam cives fiunt.

36. His quippe multa nos docet certò. *Primùm* FRANCOS Germanos antiquitùs appellatos, eas paludes incoluiſſe, quæ Rheno jam Oceanum inituro vicinæ ſunt: quod & nos ſuprà oſtendimus. *Secundò* Arborichos Galliæ populos fuiſſe; quando aſſerit *cum CETERA GALLIA jampridem Romanis paruiſſe. Tertiò* finitimos inſuper Francis, trans Rhenum adhuc incolentibus, extitiſſe; nempe ſolo Rheno divulſos. eoque aſſiduis eorum ad Galliæ poſſeſſionem jampridem anhelantium incurſionibus infeſtatos. *Quartò*, hoc bello, quod contra Francos extremum, & paulò antè ſocietatem initam, geſſere, fortes ſe viros præſtitiſſe, nec vim iis

Armorici hi, Galliæ fuere populi.

ſolo Rheno a Francis divisi.

Mendoſè dicuntur Arborichi, b. pro m.

à Francis inferri potuiſſe; plane ad Zoſimi ſenſum, dum *Armorichos* ſcribit, *civitates ſuas à Barbaris imminentibus ſtrenuè liberaſſe.* Quibus omnibus quis non videt pro Arborichis Armorichos in Procopio legendum; levi unius literulæ mendo, B. pro M. quæ utraque labialis eſt? & ut ejuſdem ad loquendum inſtrumēti, facile commutatur. Quis item non videt Armorichos iſtos latiore illâ notioreque ab Zoſimo Procopioque Scriptoribus Græcis uſurpari, quam & Hirtius Cæſarque ſuggerunt, pro maritimis omnibus Galliarum populis, ad earum extrema Oceanumque porrectis? cujuſmodi ſunt Germaniæ & Belgicæ Secundarum noſtrates incolæ; quibus etiam Gallorum alii nulli, Francis adhuc trans Rheni inferiora degentibus, confiniores eſſe potuerunt.

37. Porro locum illum, quem pro Romanis in Galliarum extremis milites alii ſervabant, quem Francis Armorichisque dediderunt; licèt Procopius non exprimat, ſtatim tamen Coloniam Agrippinam intellectu tangimus, *ejuſdem prope magnificentiæ* civitatem, Germaniæ Inferioris caput, in Galliarum extremis, eoque tanto curatiùs Romanis inleſſam. Conjecturam firmat vehementer Salvianus: *Igitur hoc in illâ*, Trevirenſi ſcilicet urbe. *Quid in aliâ non longè, ſed propè, ejuſdem magnificentiæ civitate? Nonne eadem & rerum ruina pariter & morum? Nam præter cetera, cùm duobus illic præcipuis & generalibus malis, avaritiâ & ebrietate, omnia concidiſſent; ad hoc poſtremè rabidâ vini aviditate perventum eſt, ut Principes urbis ipſius ne tunc quidem de conviviis ſurgerent, cùm jam hoſtis urbem intraret.* ſecuri ſcilicet de Francorum, hactenus quidem hoſtium, ſed nunc fœderatorum nova ſocietate: *Adeò etiam Deus ipſis evidenter, ut credo, manifeſtare voluit, cur perirent; cùm per quam rem ad perditionem ultimam venerant, eam ipſam agerent cùm perirent. Vidi ego illic res lacrymabiles; nihil ſcilicet inter pueros differre & ſenes. una erat ſcurrilitas, una levitas: ſimul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta omnes pariter agebant. Ebriabantur, enecabantur, laſciviebant in conviviis vetuli & honorati, ad vivendum prope jam imbecilles, ad vinum prævalidiſſimi. infirmi ad ambulandum, robuſti ad bibendum. ad greſſum nutabundi, ad ſaltandum expediti. & quid plura? In hoc per cuncta illa quæ diximus devoluti ſunt, ut compleretur in illis dictum illud ſermonis ſacri, Vinum & mulieres apoſtatare faciunt à Deo. Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, inſaniunt; Chriſtum negare cœperunt. Et miramur poſt omnia iſta, ſi rerum ſuarum ruinam paſſi ſunt, qui tanto antè mentibus corruerunt? Nemo itaque Urbem illam in excidio tantùm periiſſe credat. ubi enim talia acta ſunt, prius jam perierant quàm perirent. Dixi de urbibus præclariſſimis.*

Colonia Agrippina tunc valde corrupta, ideoque punita.

Videtur Salvianus Colonienſis, vel Trevirenſis fuiſſe.

38. Ita Salvianus, ut ego quidem puto, de Coloniâ. Nam ſuprà, pag. 197. cùm dixiſſet Moguntiam ac Trevirim exciſas, Agrippinam non niſi *hoſtibus plenam* ſubjungit. Et Epiſtola 1. ad amicos ita habet: *Adoleſcens, quem ad vos miſi, Agrippina cum ſuis captus eſt. quondam inter ſuos non parvi nominis; & de quo amplius dicerem, ni propinquus meus eſſet. Matrem is Agrippinæ viduam reliquit, probam, honeſtam, verè viduam, fide nobilem. Hæc, ut audio, tanta illic egeſtati eſt, ut ei nec reſidendi nec abeundi facultas ſuppetat, quia nihil eſt quod vel ad victum, vel ad fugam opituletur. Solum eſt, quod mercenario opere victum quæritans, uxoribus Barbarorum* (Francorum) *locatitias manus ſubdit. Ita licèt per Dei miſericordiam vinculis captivitatis exempta ſit; cùm jam non ſerviat conditione, ſervit paupertate:* Agrippina igitur, Salviano quoque innuente (qui ſe hìc ſi non ortu, certe domicilio Agrippinenſem ſignificat) hoſtibus Romani Imperii Francis ultrò tradita. tametſi tanta mutatio ſine aliquo tumultu fieri vix potuerit. unde dicit, ebriabantur, *enecabantur*. quod pauci ſcilicet necati ſint. Nam cùm addit: *dum bibunt, mœchantur, inſaniunt*, non ſubdit, everſi, vel ſub jugum miſſi ſunt; ſed tantùm, *Chriſtum negare cœperunt*. nempe quia Francos, ut plurimum infideles & Chriſti hoſtes, admiſerunt. quod quia excidii cujuſdam ſaltem ſpiritalis genus eſt, *excidio periiſſe* ſcribit. Sunt tamen qui propterea hæc omnia ad Moguntiam referant, quia verè exciſa eſt. Sunt qui & ad Tungros vere itidem everſos. Lector judicet. ego Agrippinam exiſtimo, ut caput Ripuariæ Belgicæ, quam Francos tunc cum incolis ex pacto incolere cœpiſſe, & poſtea à Romanis impetraſſe, infra ſub Pharamundi initia demonſtrare conabor.

& Francis hactenùs hoſtibus dedita.

& hoc innuit Salvianum Colonienſem fuiſſe.

39. Ceterùm, utcumque res habeat; iſto Procopii teſtimonio, id ſaltem conſtat, Armorichos noſtros & Belgas fœdera connubiaque cum FRANCIS junxiſſe (*cùm eſſent utrique*, addit Procopius, *Chriſtianæ fidei ſectatores*; re quidem omnes Armorichi ſeu Belgæ: Franci ex parte, omnes autem etiam quadam proclivitate) arma ſimul in hoſtem vertiſſe, novamque Remp. ejectis Romanis Magiſtratibus, arbitrio ſuo ſtatuiſſe. Similia legere licet in Taciti hiſt. 4. pag. 415. 416. cum ſub Veſpaſiani initia, ea ipſa Colonia Batavo ſe Civili, Transrhenanis & Gallis rebellibus dedidit. His igitur auxiliaribus ac ſociis, in Vandalos omnia vaſtantes audacter illati, non modo progreſſum eorum ſtiterunt ac fregerunt, ſed & juſto prælio ad internecionem pœnè deleverunt. Sic enim ex Frigerido apud Gregorium Turonenſem libro 2. haurimus: *Renatus Profuturus Frigeridus cùm Romam refert à Gothis captam atque ſubverſam* (igitur hoc anno Chriſti 410.) *ait: Interea Reſpendial Rex Alanorum*, (ſic enim legendum, non Alamannorum; ex ejus collegâ Goare, quem Alanum disertè vocat Olympiodorus) *Goare ad Romanos* (credo Conſtantino tyranno adhuc deditos) *tranſgreſſo, de Rheno agmen ſuorum convertit: Vandalis Francorum bello laborantibus, Godigiſilo Rege abſumpto, acie viginti ferme millibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis; ni Alanorum vis* (nota Alanorum, & non Alemannorum) *in tempore ſubveniſſet.* Ita Frigeridus, plura etiam quàm Procopius docens: nempe victoriam tantam de Vandalis ea iſtâ Francorum Armoricorumque ſeu Belgarum ſocietate reportatam.

Ita Armoricis juncti Franci, Vandalos magnâ cæde afficiunt.

Hos tamen Alani ſervant.

40. Nam licèt ſocietatis non æquè expreſſam ac victoriæ faciat hîc mentionem (fecerat haud dubiè in ſuperioribus jam perditis) tamen illam paucis hiſce verbis ſatis innuit. Quomodo enim Franci, adhuc trans Rhenum agitantes, Vandalos, qui tum cis Rhenum, ſicut & in totum Galliarum corpus, ſæviebant, viginti millium hominum, ipſiusque adeo Regis cæde afficere potuiſſent; niſi prius à Belgis ipſis adſciti, & in auxilium contra communem hoſtem aſſumpti? Nam hucuſque ultra Rhenum incoluiſſe, & proximè ſub Stilicone quamdiu pœnè vixit, quieviſſe, clarè ſuprà vidimus imò & *eos à Vandalis ſociiſque, priuſquā Rhenum tranſirent protritos*,

Franci ab Armoricis adjuti.

ex Oroſio

Oroſ. l. 7. c. 40.

ex Oroſio audivimus. Protritis igitur ita Francis, unde tantæ tamque ſubitæ vires, ut ſui victores tam repentè ſuperare, & internecione pœnè delere potuerint? Unde, inquam, niſi à Belgis & Armorichis noſtris, qui teſte Zoſimo, ſumptis armis, & quovis adito pro ſalute ſua diſcrimine, civitates ſuas à Barbaris imminentibus liberarunt. Liberarunt, inquam, ſed non antè ſocietatem cum Francis reciprocè pactam; quando ſoli priùs luxu, ebrietate, ignaviâ, incuria diffluerent, & rem ipſam agerent, quâ perirent. Sed hoc accuratiùs inquirendum.

SECTIO QVINTA.

Quinam fuerint iſti Franci cum Armoricis contra Vandalos juncti.

Franci Ciſrhenani & Tranſrhenani.

41. Si verè conſtaret Salios à Juliani Apoſtatæ Imperio in Taxandriâ conſtanter hucusque manſiſſe, Lector hic à me monendus eſſet, duplicis quaſi generis Francos hoc tempore non procul à Rheno agitaſſe; Ciſrhenanos iſtos Salios, quos à loco Taxandricos appello; & Tranſrhenanos de quibus ſæpiùs ſuprà, & expreſſè libro 6. cap. 13. Quorum maximè Boreales Friſii, jampridem ſocietatem cum Saxonibus inierant. His ad ortum, verſus Rhenum tamen, Salios primis ſuis ſedibus adhæſiſſe diximus. ac licèt Saliorum iſtorum pars aliqua in Taxandris jam *olim fixiſſet habitacula prælicenter*, ut ex Ammiano vidimus; vix dubium tamen quin reliqua eaque fortè major pars, ibi remanſerint. Etſi cum Friſiis Saxonibus & ipſi quoquo modò jungi potuerint. Saltem Francorum reliquos Rheno prætextos, Hattuarios, Chamavos, Bructeros, & qui iis in ortum Boreamque contigui & interiores erant Chattos, Ampſivarios, ceterosque, ſat conſtat adhuc poſtremo Stiliconis ad eos excurſu locis ſuis nondum motos. Ex duobus igitur iſtis Francis, quæſtio eſſe poteſt, utri cum Armoricis ſe junxerint, Tranſrhenani, an Ciſrhenani Taxandrici? Tranſrhenanis Reges per hæc tempora ſub Theodoſio plures fuiſſe, è Claudiano, Sulpitio Alexandro, aliisque paulò antè vidimus.

Friſii juncti cum Saxonibus, & Saliorum aliqui.

Theudemer Rex Francorum Ciſrhenanorũ.

42. Ciſrhenanis & Saliis Taxandricis iſtis diebus, & jam proximè ſecutis, impoſitum celebrem quemdam, Theudemerem Richimeris filium Gregorius Turonenſis libro 2. cap. 9. inſinuat, & alii aſſerere non verentur. De quo quia in ſequentibus & cum Armoricis iſtis mentio eſt; paulò fuſiùs hic agere conſilium, & tempus eſt. Suprà libro 12. c. 13. §. 9. diximus è Zoſimo, Theodoſium Auguſtum, anno Chriſti ferè 393 arma in Eugenium parantem, Richomerem ſibi fidum & probatum, turmis Equeſtribus impoſuiſſe; ſed hunc ante belli finem extinctum. Si Richimer hic Theudemeris iſtius pater eſt, ut Gregorius Turonenſis inſinuat, facilè inde illius ætatem eruemus. Mortui ibidem annorum tunc præter propter fuiſſe viginti. etſi non negem quindecim tantum eſſe potuiſſe. Mater ejus Aſcila tum vidua, commodè ſupponi poteſt filio totis annis viginti ſenior. Eugenio igitur & Arbogaſte cæſis, Theodoſius victor, navatæ à Richomere patre maritoque operæ non immemor, paulò ante mortẽ, ſub exitum anni Chriſti 494, Theudemerem & Aſcilam, in Taxandros Salios, ex quibus illos quidam ortos volunt, haud dubiè commendatos remiſerit. & uſque ad Vandalorum in Gallias irruptionem benignè pro merito paternéque foverit.

Ejus ætas.

43. Hoc demum anno Chriſti 410. iteratâ iſtâ Vandalorum in totum Galliarum corpus eruptione, Theudemer annorum jam paulò ſuprà minúsve triginta vel 40. haud dubiè patriſſans Romanisque fidus, in vaſtatores Vandalos invectus primò fuerit; mox ab Armoricis aliisque Francis abreptus, à Romanis unà cum ipſis defecerit; & veriſimiliter Armoricis, in libertatem ſe aſſerentibus, Ducem aut ex Ducibus unum ſe præbuerit; Saliorum Toxandricorum Regem ceu rebus deſperatis, ſe cum matre dixerit, Nummum illum aureum à Paullo Petavio publicatum adhuc Vendelini noſtri teſtimonio exſtantem, Tungrisque cuſum, cum aliis ejuſdem ſortis, in Belgio noſtro audacter, quaſi ſui jam juris Rex cudi curaverit: quod illi poſt quinquennium in crimen læſæ Majeſtatis evaluerit; eoque à Caſtino victore cum Aſcilâ matre capite plexus fuerit; ut ibi fuſiùs dicam. Ita certè & ætatis illius ratio, & hiſtoriæ Romanæ ſeries probabiliter perſuadet; & dum aliud certius offeratur de hac tam obſcurâ intricataque vaſtatione, tutò teneri poteſt. Cetera poſt quinquennium ſub Caſtino videbimus.

Videtur Armoricis junctus fuiſſe.

Vendel Legis Salicæ c. 12. & 13.

44. Non nego tamen, quin & Franci Tranſrhenani Armoricorum iſtorum auxiliatores eſſe, & jam in Galliarum extrema, nempe cis Rhenum in Riparia circa Coloniam Agrippinam advocari, in ſocietatem denique mutuaque connubia (quod ipſi jampridem juxta Procopium optabant orabantque) admitti potuerint. imò potiùs advocati admiſſique fuerint. Nam à Vandalis, paulo antequam hi Rhenum tranſirent, protriti; longè majori vindictæ cupidine, quàm Ciſrhenani flagrabant; & Salii Toxandrici, ſi à Juliani Apoſtatæ imperio perſtiterant, ſocietate iſtâ, mutuisque connubiis tam diu carere via potuerint. Plane credo Chattos, & Chamavos, Angrivarios, fòrte etiam Hattuarios tunc advocatos; quando Chattos Regum ſuorum Marcomiri Sunnonisque nuperæ cædes, ſuper inſitam violentiam diramque prædandi libidinem, vecordes agebant; & eorum filius nepoſque Faramũdus tanto acrior, vindictã ad ſe maximè ſpectare credebat. Nec dubito, quin Conſtantinus quoque Tyrannus, tantâ Barbarorum eluvione ſe obrutum videns, eoſdem ad eamdem ultionem acuerit; quin item vicini Armorici ab Honorio deſerti ad id ſe conſilium adigi crediderint. Ita omnes ſimul in Vandalos primùm, tanquam magis urgentes, uno velut humero illaſi fuerint: ut dixi: illisque ſuperatis, & Godegiſilo Rege cum viginti Vandalorum millibus interempto, vires in Conſtantium Romanosque ipſos deinde verterint; & per occaſionem Franci jampridem conceptum in Trevirorum Auguſtam odium, binâ trinâve ejus everſione ſatiaverint, ac ne reſurgere unquam poſſet, poſtremùm effecerint. ut in ſequentibus reddam. Id mecum attentiùs expendere dignetur Lector. Gratam iſtam latentis hiſtoriæ facem pervidebit. Francos certè hoſce Tranſrhenanos in Ripariam, ſeu ut poſteri vocarunt Ripuariam, annis poſt hunc 409. ſeptem octóve, ab Honorio ipſo ac Romanis admiſſos, ibi cùm de Pharamundi primi eorum Regis inauguratione ſermo erit, clarè videbimus. Ripuariæ porro caput Coloniam Agrippinam facit

Einardus, in Sanctorum Petri ac Marcellini tranſlatione: Salviano conformis, qui *Agrippinam Francis plenam*, hoc planè tempore ſatis docet.

Saxones ad maris Belgici oram.

45. Interim velut in anteceſſum moneo, Francis his cum novâ Armoricorum Rep. ad Rheni inferiora ſic conjunctis; non potuiſſe SAXONIBUS eorumque ſociis Friſiis, æquè cis Rhenum hoc tempore irrumpentibus, aliud Belgicæ noſtræ ſolum relinqui, quàm maritimum; Batavorum ſcilicet, Toxandrorum, & Menapiorum: quod hodie Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæque Borealis pars eſt: illinc Oceano ſcilicet, hinc Armoricis Belgiſve eorum latera prementibus. Unde factum, ut quod ſub Romanis hucusque *Littus Armoricum* dicebatur, *Saxonicum* deinceps appellari cœperit; adeo ut Notitia Imperii annis poſt hunc vix 28. edita, extremum Romanorum ad hoc mare præſidium, *Marcis in littore Saxonico* agnoſcat; hodie *Mardyck* prope Dunkerkam. Idem confirmat Sidonius Apollinaris in Aviti ſoceri ſui Panegyrico, anno poſt hunc ſexto ſupra quadrageſimum edito, cùm ita canit verſu 170.

Quin & Aremoricus pyratam Saxona tractus
Sperabat, ſeu timebat; *cuipelle ſalum ſulcare Britannum*
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

id eſt, lembis vimineis, boum pellibus ſeu corio circumſutis; cùm nondum potiores è ligno ſolido compactoque ſuppeterent.

SECTIO SEXTA.

Initium Gunderici Regis Vandalorum. Francorum item cis Rhenum. Trevirorum ſecunda ruina.

Gundericus quando patri Godegiſilo ſucceſſit.

46. Juncti igitur noſtratibus Franci, tantam Vandalorum, adeoque Regis ipſorum Godegiſili, ſtragem ediderunt. quantum diſpicio, Treviris haud procul. idque ſub ipſius Romæ à Gothis captæ direptæque tempus; id eſt ſub menſem Auguſtum anni hujus Chriſti 410. Quod & ex Iſidoro & Procopio confirmare licet: Procopius enim l. 1. Vandilicorum ſub initium, Godigiſilo mortuo Gontharim filium legitimum ſucceſſiſſe ſcribit. quem Gundericum in Chronico Vandalorum appellat Iſidorus; illudque ita concludit: *ſunt à primo anno Gunderici Regis, quo in Hiſpaniam ingreſſus eſt* (imo quo patri in Gallia à Vandala cæſo ſucceſſit) *uſque ad Gilimeri caſum & Wandalorum interitum, anni 123. & menſes 7.* Sat conſtat Gilimeris captivitatem in Aprilem anni Chriſti 534. incurriſſe. De annis ergo 533. & menſibus fere 4. aufer annos 123. *menſes 7.* habes reliquos 410. & menſem fere Septembrem. Aptiſſimè ad Frigeridum, qui ſub captam à Gothis Romam, *Godegiſilum Vandalorum Regem abſumptum* memorat atque ita Gunderici filii ſucceſſionem inſinuat. Nam Romam 24. Auguſti captam, anno hoc Chriſti 410. ſæpè ſuprà diximus. Ad annos igitur 410. adde 123. habes 533. adde rurſum menſes 7. quos ultra annos 123. excurrere ſciſcit Iſidorus; eosque à 24. Auguſti anni Chriſti 410. advoca, in 24. Martii diem, anni 534. relabetis; dierum vix 7. ad menſem uſque Aprilem defectu. Neque verò Godegiſili mortem, Gunderici que filii ſucceſſionem, ipſo Romæ captæ die definit Frigeridus; ſed ſub ipſum Romæ captæ tempus; quod aliquâ ſurſum deorſumve latitudinē admittit.

Anno circiter hoc 410.

47. Unde vides, annum Gunderici Regis primum, à quo 123. Regni Vandalici annos, & menſes 7. colligit Iſidorus, non ab ejus in Hiſpanias ingreſſu, ut ipſe ſciſcit; ſed à Godegiſili patris ejus cæde, ſeu ab anno Chriſti præcipitante 410. neceſſario repetendos. quando ſexdecim regni illius anni, niſi hinc advocentur, integri reperiri nequeunt. Nam Gundericum vergente quoque Chriſti anno 426. extinctum, Idacius, & ex eo Iſidorus ipſe, ſatis docent. Ingreſſum autem ejus in Hiſpanias non antè exeuntem Chriſti annum 411. contigiſſe, nos infrà ex Jornande, Proſpero, aliisque probabimus. Porro Godegiſilus quatuor fere annos Vandalis imperavit. quot antea & alibi, nemo dicit.

Trevirorum ſecundum è quatuor excidium.

48. Ita ergo Vandalorum viginti millibus cum Rege ferro peremptis; nihil dubium, quin victores Belgæ noſtri cum Francis mox ad recuperandam Gallorum urbem ſummam & excellentiſſimam Trevirorum Auguſtam; quam paulò antè captam ac direptam Vandali ceu receptaculum in omnes caſus retinebant; arma victricia converterint; ac Vandalis eam Reſpendialis ope tutantibus vi tandem extorſerint. Qua in expugnatione facile conjectu eſt, victores reſiſtentiâ exacerbatos, ac Francos præſertim inveterato in Urbem iſtam odio, omne genus iræ & calamitatis effudiſſe. hocque ſecundum ejus, ex quatuor illis à Salviano memoratis, excidium eſſe; primo fere conjunctum, eoque, ut Salvianus ait, *continuatum*. Primum à Vandalis prioribus hujus anni menſibus illatum erat, alterum hoc poſterioribus: menſium præter propter octo interfluxu. Quod eò magis aſſero, quo circa anni ſequentis autumnum ſecundam Francorum in eamdem Urbem irruptionem direptionemque videbimus. Simul moneo, Romam iſtam Gallicanam, longè majore quàm Italicam illam orbis caput, genere calamitatis involutam: tum quia eodem hoc anno bis irrupta, non ſemel ut illa: tum quia non idem clementiæ à Vandalis Alaniſque, qui à Gothis modus.

Francorum cis Rhenum primordia, & incrementa.

49. Atque hæc ſunt FRANCORUM cis Rhenum in Belgio noſtro, Germania inquam Inferiore Secundáve primordia: non vi ut hactenus tentata, ſed gratâ prudentique ſocietate ſtabilita. nec unquam poſthac, niſi ſeptennii ſub Ægidio Romanorum Præfecto poſt annos fere 50. intervallo interrupta. Acceſſit magna eorum ex caſibus diverſis mox intercurſantibus confirmatio. Primùm ex Romæ ipſius à Gothis captivitate; ex Conſtantini tyranni cum liberis interitu: ex continuâ bellorum ſucceſſione, quæ Honorium quantumvis reſurgentem eò tandem adegerunt, ut totam fere Germaniam inferiorem, ac maximè caput ejus Coloniam Agrippinam, Francis & noſtratibus Belgis plane concederet. Nec plura in Galliis hoc anno a Barbaris geſta reperio. Ex narratis autem pervidimus, Vandalos, Alanos ceteroſque Barbaros, etſi priore anno in Hiſpanias ex parte infuſos, nondum tamen omnes Galliis exceſſiſſe. imò minorem partem, forte & Suevos ſolos Pyrenæum tranſgreſſos; & abundante multitudine potiſſimum ſui robur in Belgas exeruiſſe. Francos autem Belgis junctos, partim ultionis ardore, partim metu ne toties appetitâ prenſataque provinciâ à novis advenis excluderentur, acriter in eos invectos, victoriam tandem cum noſtratibus retuliſſe.

Magna Dei in Gallos ira & punitio.

50. Unde colligat Lector, quantum hoc anno Gallia paſſa ſit incendium; Barbaris circa Boreales ſeu Belgicas Galliæ partes debacchantibus; quod reliquum autem erat Conſtantino tyranno in Italicam ſuam & Hiſpanicam filii ſui Conſtantis expeditionem excedente; uti mox oſtendam. Adeo Nemeſis ſeu Juſtitia Dei vindicativa, exundante jam iniquitatum Gallicarum menſurâ, in juſtam punitionem exarſerat; quam nec ſanctiſſimi viri, in quibus Servatius noſter, ſuis precibus lacrymiſque mitigare potuerint. Neque verò Vandalica iſta Galliarum vaſtatio hoc anno terminata; in annum etiam ſequentem totum prorupit; neſcio an non etiam in ulterioris initium; quo Gothis in Galliam ex Italia ſub Athaulpho Rege venientibus, Gundericus cum ſuis Hiſpaniâ ſe recluſit, ut ibi reddam. Hinc quæ Vandalorum geſta hucusque retuli, non ita huic anno 410. affigi velim, quin eorum quædam ut priore anno inchoari fortè & patrari, ita propagari potuerint. Sed quia tam obſcura, tam intricata in annos ſuos digerere non valemus, in hunc omnia congeſſimus.

SECTIO SEPTIMA.

Conſtantini in Galliis geſta.
Hoc anno 410.

Conſtantinus Barbarorū quoſdam ſibi adjungit. maximè Alanos.

51. Nunc à Barbarorum geſtis, ad Conſtantini tyranni vertamur, *quem reliqua* Proſper Pithœanus *obſediſſe* ſcribit; dico ego & excediſſe. Antè omnia revocandum in memoriam, priore illum anno ineunte, ab Honorio purpurâ & Imperii ſocietate donatum; non ita multò pòſt, fidem per Jovium Honorio dediſſe, *venturum ſe cum Gallicis Hiſpaniciſque copiis, rebúſque Italicis & urbanis opem laturum.* teſte Zoſimo l. 6. Id quo minus eodem Chriſti anno 409. exequeretur, Barbarorum aliorum quidem in Gallia cœpta rebellio, aliorum in Hiſpanias ingreſſus, Gerontius item rebellionem æquè moliens ac fovens, impedimento fuere. Neque enim tot uno tempore bellis intendere, nedum ſufficere poterat. Igitur initâ cum Honorio & ipſo fatiſcente ſocietate, iteratiſque cum barbaris ut anno priore dixi fœderibus, licèt ſemper incertis; Barbarorum etiam Dynaſtas quoſdam ſibi quacumque ratione adjungere inſtituit. Et adjunxiſſe, argumenta pluſcula ſubſunt. Frigeridus apud Turonenſem, paulò antè allatus, Goarem partis Alanorum Regem, hoc ipſo quo Romam captam ſcribit anno, *ad Romanos* (credo Conſtantinum hunc; quia enim alius in Galliâ tunc imperabat?) *tranſgreſſum* teſtatur. Quod & confirmat Olympiodorus, cùm anno ſequente 411. JOVINUM Goaris hujus Alani maximè operâ, Conſtantino jam ruenti, in Tyrannide apud Moguntiam ſuffectum tradit. additque Guntiarium Burgundionum Præfectum in eadem Germaniâ ſuperiore pro ejuſdem JOVINI electione pariter adlaboraſſe. quaſi à Conſtantino ſecorde & labante non tam deficeret, quàm ad valentiorem alium, ſemper tamen Romanum tranſiret. Duos igitur iſtos, & eorum copias Conſtantinus ſibi primus adjunxerat. Vandalos quibus Borealiora Galliæ reliquerat, cum Francis commiſſos videbat. Nullus ei reliquus erat in Galliâ, ſaltem tantus metus.

In expeditionem Italicam ſe vertit.

52. Securior itaque jam & alacrior, ſeriò ſe totum in expeditionem Italicam vertit; ſeu ea fide Honorio datâ, ſaltem in ſpeciem; ſeu potiùs occulto cum Allovichô Præfecto Prætorio Honorii fœdere, ut eum jam ruentem everteret. Alteram quoque in Hiſpanias filio mandavit: quâ Gerontium rebellem, debacchanteſque inibi Barbaros comprimeret, & ad officium quieteḿque redigeret. In quarum apparatus, cùm immani ſumptu opus haberet, cogitare poteſt Lector quantopere ſibi reliquam Auſtralem Galliam & opibus & juventute ad delectum exhauſerit, quantopere excederit. Delectu habito, antequam in Italiam ipſe moveret, quo ſibi filioq́ue plus auctoritatis acquireret, *diademate* (ait Zoſimus) *Conſtantem filium cinxit, próque Cæſare dixit Auguſtum: abrogatóque Apollinari imperio, alterum ejus loco Præfectum Prætorio creavit:* nempe Ruſticum Decimium Agrœcium, ut ſequentia docebunt. Nec plura de Conſtantino tyranniſque ſequentibus Zoſimus hic deſinens.

Conſtagtem filium è Cæſare Auguſtum dicit.

53. Supplet Sozomenus ita pergens: *Conſtantinum igitur, cùm ſibi hactenus ex animi ſententiâ rem gerere videretur, Conſtantem filium ex Cæſare facit Auguſtum. & mox ipſe Italiam invadere cogitavit. Cùm itaque Cottias Alpes ſuperaſſet, Liberonam Liguriæ civitatem venit.* hodie *Livorno*, Eporediam inter ac Vercellas dextrorſum, in Montis-ferrati Ducatu *Et cùm jam Eridanum* ſeu Padum fluvium, quâ fere Seſſiam excipit, *tranſiturus eſſet, per eamdem viam* ſubitò *reverſus eſt, quod Allobichi mortem intellexiſſet: qui quidem Dux erat Honorii, eo nomine ſuſpectus, quod Conſtantino faveret: univerſique Occidentalis Imperii* ſeu Prætorii *Præfecturam ſibi commiſſam tunc habebat. Cùm autem pro conſuetudine Principum, ex proceſſu quopiam tum reverteretur Imperator, ſtatim equo deſcendens, publicè gratias Deo nuncupatis precibus egit, quod eſſet inſidiatore manifeſto liberatus. Conſtantinus autem fugiens, Arelatum ſe recepit. quò & Conſtans filius ejus, eodem tempore ex Hiſpaniâ profugiens, redierat.* Ita Sozomenus ex Olympiodoro; cujus apud Photium hæc supereſt huc quidem pertinens Ecloga: *Allovichum pòſt paulò quod Euſebium Præpoſitum ſuſtuliſſet Imperatoris ſententiâ pœnas dedit, atque in ejus conſpectu* (dum ex proceſſu reverteretur ſcilicet) *occiditur. Conſtantinus tyrannus cognitâ Allovichi morte, Ravennam accedens ut cum Honorio fœdus iniret, metu perculſus revertit.*

Allovichi morte, redit Arelatum,

quaſi fugiēs

Ubi & Conſtantem filium etiam profugum reperit

54. Arelatum itaque cùm rediiſſet, Conſtantem filium ibidem ex Hiſpaniâ profugum reperit, ſi Sozomenum, & Olympiodorum omnium fontem, audimus. At Profuturus Frigeridus apud Turonenſem, Conſtantem *in Hiſpanias agmina* dumtaxat *præmiſiſſe, & adhuc cum patre reſediſſe* ſcribit. neſcio quam benè. Olympiodorus certè hujus ævi ſcriptor *patrem filiúmque victos & fugâ dilapſos* aſſerit. ſubditque: Gerontius *eorum belli Dux*, quem oppreſſum ibat Conſtans, *cum Barbaris pace lubens initâ, filium ſuum Maximum, qui inter Domeſticos numerabatur:* (*unum è clientibus ſuis*, ait Frigeridus; *familiarem ſuum, quem ad tyrannidem accommodatum judicabat*, Sozom.) *Cæſarem renuntiat. & imperiali habitu*, rurſum Sozomenus, *indutum Tarracone morari permittit.*] imò ut Frigeridus, *comitatu gentium Barbarum accinctum in Conſtantem parari* jubet. *Ipſe verò* (pergit Sozomenus) *adverſus Conſtantinum, exercitum eduxit; ut in tranſitu Conſtantem filium Viennæ commorantem conficeret.*

Gerontio in Hiſpania rebellante.

Ideóque Conſtantinus à Tranſrhenanis opem quærit.

55. *Nam Conſtantinus cùm id quod de Maximo actum eſſet, intellexiſſet; Edobinchum,* ſeu ut Frigeridus *Edobeccum natione Francum* ut diximus, *Ducem ſuum ad ulteriores Rheni partes præmittit: ut Francos & Alemannos in auxilium accerſeret.* Nota *ad ulteriores Rheni partes,* & in us adhuc *Francos*; quia nempe nondum cis Rhenum Franci omnes immigrarant; ut aliqui putant. Sed pergit Sozomenus: *Conſtanti autem filio pater Vienna ac ceterarum ibi,* ad Rhodanum credo, *civitatum cuſtodiam committit.* Sozom.] addit Frigeridus; *Edobecco ad Germanas gentes præmiſſo. Conſtans & Præfectus jam Decimius Ruſticus, ex officiorum Magiſtro,* Apollinari paulò antè abdicato ſuffectus, *petunt Gallias,* nempe Lugdunenſes, & quæ Conſtantino reliquæ erant; *cum Francis & Alemannis* (quos Edobeccus colligebat) *omniq; militum manu,* quæ tyranoi adhuc Imperium agnoſcebat, *ad Conſtantinum jam jamq; redituri.*] & Edobeccus quidem non ante ſequentem annum copias ſuas è Francis & Alemannis conficere, atque ad Conſtantinum jam obſeſſum adducere potuit. Conſtans & Præfectus Decimus Ruſticus an aliquas reduxerint, neſcio: *Gerontius* certè *Comes*, ait Oroſius l. 7. c. 42. *vir nequam & improbus*, addo ego, & expeditus, *in Conſtantem apud Viennam ſe vertit*; & tandem confecit. Quod tamen ad ſequentem annum refert Marcellinus: ubi nos etiam plura. nam ſi hoc anno patratum eſt, expirante prorſus anno patratum.

Gerontius Conſtãtem Viennæ captum capite plectit.

56. Tragediam iſtam ridebant haud dubiè Armorichi Belgæque noſtri Francis juncti, tanto lubentiùs, quanto novam ſuam Remp ita ſtabiliri firmarique ſentiebant; nullo jam à vicino & elumbi tyranno, quem deſeruerant, metu; nullo item à remotiore Imperatore Honorio, à quo ſcilicet literas, ut *ſibi conſulerent* acceperant; & quem inſuper à Romæ captivitate ruentem, tot domeſticorum inſidiis ac proditionibus impetitum & fractum, miſericordiâ magis & luctu quàm riſu proſequebantur; cum interim tempeſtivè ſibi ipſi providiſſent.

Unde Reſp. Belgarum & Armorichorum firmat.

BRITANNICA hujus anni 410.

Idem fit in Britannus.

57. Idem faciebant Britanni, qui pari modo Conſtantinum collabentem Barbariſque reſiſtere non valentem deſeruerant; primi *literas ab Honorio, ut ſibi caverent* ineunte hoc anno *acceperant*; *ſumptis armis, & pro ſalute ſua periclitati, civitates ſuas à Barbaris imminentibus*, Saxonibus præſertim, Pictis, & Scotis, *liberabant; ejectis Romanis ſeu Conſtantini* Tyranni *Præſidibus, & propriâ quadam Rep. arbitrio ſuo conſtitutâ*; ait diſertè Zoſimus, l. 6. Qui ne de tempore dubium nobis ullum relinqueret, iterum inculcat: *Hæc Britanniæ Gallicarumq; gentium rebellio, quo tempore Conſtantinus iſte regnum uſurpabat, accidit: cùm ipſius in imperando ſocordia moti Barbari haſce graſſationes inſtituiſſent.* Fruſtra igitur defectionis hujus tempus aliud quæremus. præſertim cum Zoſimum confirmet Procopius lib. 1. Vand. init. *Britannia Inſula à Romanis defecerat; militeſq; ibi conſiſtentes Conſtantinum ſibi Regem, virum non ignobilem elegerant: qui claſſem congregans, & exercitum, in Galliam & Hiſpaniam eas ſubjugaturus direxit.* Et mox: *Conſtantinus autem bello tandem victus, una cum filiis ſuis interiit. Nec tamen ideò Britanniam Romani conſervare potuerunt ultrà; ſed ab eo tempore ſub Regibus* propriis *manſit.* Honorio ſemper invalido, aut tenuiter exurgente. Et quamvis addat hoc eodem anno 410. Proſper Pithœanus: *Hâc tempeſtate præ valetudine Romanorum, vires funditus attenuata Britannia*; quod unde factum, ſuprà dixi; ſuror tamen, & durum telum neceſſitas arma miniſtravit: adeo ut animo viribuſque reſumptis, civitates ipſi ſuas à Barbaris, teſte Zoſimo, ſtrenuè liberarint, propriamque Remp. conſtituerint. Quam & ad Vortigernum uſque, novum invaſorem ac tyrannum tenuerunt; ſeu ad Joannem uſque novum Romanorum tyrannum, qui Honorio anno Chriſti 423. menſe Auguſto, fatis abſumpto, purpuram hauſit, & Imperium biennio tenuit. ut nos ibi. Fuit id temporis intervallum annorum præter propter quindecim. licet interim Romanorum opem aliquoties advocarint, & obtinuerint; quâ ſimulac hoſtes ſuperaverant, ſemper ſibi relicti ſunt.

HISPANICA hujus anni 410.
ex Idacii Hiſpani Chronico.

58. Hiſpanica hujus anni ſuggerit Idacius: *Barbari qui in Hiſpanias ingreſſi fuerant, cæde deprædantur hoſtili.* Gerontio haud dubiè diſſimulante, aut etiam procurante; quo Conſtantinum cum filiis tutiùs opprimeret. *Peſtilentia ſuas partes non ſegnius operatur. XVI. Debacchantibus antè ibi Barbaris, & ſæviente nihilo minus peſtilentiæ malo, opes & conditam in urbibus ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit, & miles exhaurit.* (quod & in Gallia factum notavimus.) *fames dira graſſatur, adeo ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ. matres quoque necatis vel coctis per ſe natorum ſuorum ſint paſtæ corporibus. Beſtiæ occiſorum gladio, fame, peſtilentia, cadaveribus aſſuetæ, quoſque hominum fortiores interimunt; eorumque carnibus paſtæ, paſſim in humani generis efferantur interitum. & ita quatuor plagis, ferri, famis, peſtilentiæ, beſtiarum, ubique in toto Orbe* (igitur & in Gallia) *ſævientibus, prædicta à Domino per Prophetas ſuos adnuntiationes implentur.* Oroſius quoque Hiſpanus & Idacio ſenior, Barbari, ait, in Hiſpania *actis aliquandiu magnis cruentiſque diſcurſibus, graves rerum atque hominum vaſtationes* inferunt. & cap. ſeq. 41. *Nihil quidem novum. hoc enim Hiſpania nunc per biennium, quo hoſtilis gladius ſævit, ſuſtinuere à Barbaris, quod per 200. quondam annos paſſa fuerunt à Romanis: quod etiam ſub Imperatore Gallieno per annos propè 12. Germanis evertentibus exceperunt.* & fine capitis: *& quia ineffabilia ſunt judicia Dei; breviter expreſſerim, correptionem judicii Dei, quoquo pacto accidat, juſtè ſuſtinere qui ſciunt; juſtè ſuſtinere qui neſciunt.* Illum lege. Atque hîc Capitis hujus finis eſto. quod quia longius erat, in ſectiones plures diviſi; ut annum Chriſti 410. totum eo comprehenderem. Simul, reflectere dignetur Lector, quis Eccleſiæ Belgicæ Gallicæque ſtatus, in tantâ rerum turbatione eſſe potuerit; de quo tamen plura nos infrà.

Lib. 7. c. 40.

BELGII ROMANI

ECCLESIASTICI ET CIVILIS,

LIBER DECIMVS-QVARTVS.

Ab anno Chriſti 411. ad 417. ſeu ad Pharamundum, primum cis Rhenum Francorum Regem.

CAPUT PRIMUM.

Conſtantini Tyranni interitus, cui Iovinus ſuccedit.

Annus Chriſti 411.

Annus Chriſti 411. quo Conſtantini Tyrãnis deſiit.

ANno Chriſti vulgari 411. quartum Conſulatum occepit ſolus in Oriente Theodoſius Imperator, Occidentis Imperio nimiâ bellorum eluvie pœne obruto. quo etiam anno Conſtantini perduellis tyrannidem fine miſerando terminatam, teſtantur Proſperi utriuſque, Idatii, & Marcellini Chronica. ex quibus, ut & Oroſio, Olympiodoro, Sozomeno, aliisque rei ſeriem texemus.

Oroſ. l. 7. c. 42. Paul. Diac. l. 14. init. Conſtantius Comes ab Honorio contra illum miſſus.

2. Oroſium primùm, & ex eo Paulum Diaconum audiamus: *Honorius Imperator videns tot oppoſitis tyrannis, nihil adverſum Barbaros agi poſſe; ipſos prius Tyrannos delere jubet. Conſtantio Comiti hujus belli cura commiſſa.*] Oroſ. Commodè ſub prioris anni finem, vel hujus exordium, Alaricus Gothorum Rex Romæ deprædator, ad fretum Siculum fato ceſſerat, ut ſuprà dictum; Ataulpho ſucceſſore. Ac licèt hic Romam regreſſus, ſi quid remanſerat, *more locuſtarum eraſerit*, ut Jornandes: Honorius tamen minore jam ab eo, qui Placidiæ ſororis tum captivæ amore captus erat, mètu; forte & occulto fœdere; animum in Tyrannos obfirmavit. Conſtantium ergo virum ſtrenuum ac bellicoſum, cùm Ulphilâ Gotho equitum Præfecto, item valido, in Gallias contra Conſtantinum primò miſit. *Senſit tunc demùm Reſp.* (pergit Oroſius) *& quam utilitatem in Romano tandem Duce receperit, & quam tatenùs perniciem per longa tempora Barbaris Comitibus ſubjecta tolerarit. Igitur Conſtantius Comes in Galliam cum exercitu profectus eſt.*] Oroſ.

Quis fuerit ille Conſtantius.

3. De hoc Conſtantio Comite, ita Græcæ Olympiodori apud Photium Eclogæ: Κωνστάντιος γένος ἀπὸ Παναίσου πόλεως τῆς Καδίας. *Conſtantii genus è Panaſo urbe Cadia.* Noſter P. Labe in ſuis ad Olympiodorum doctis Notis, meliùs, *Lege* (inquit) *meo periculo* ἀπὸ Ναΐσου πόλεως τῆς Δακίας: *è Naiſſo urbe Dacia.* quam Ammianus lib. 2. *copioſum vocat*

è Naiſſo urbe Dacia.

oppidum, aliquoties obſeſſum, nunquam exciſum; Stephanus autem *patriam Conſtantini Magni*, aſſerit. Unde Conſtantio huic major honor, major gloriæ & ſtrenuitatis cupido: quam ad mortem uſque exercuit. Cur autem illum Honorius in Gallias primùm miſerit, evidens ratio eſt; quòd Conſtantinus Tyrannus, jam & à Barbaris, & ab Gerontio Duce ſuo fermè oppreſſus, primi invaſoris præda videretur. Nam ineunte hoc anno Chriſti 411. menſe Februario Martióve Gerontius Tarracone in Gallias cùm moviſſet (ut anno priore dicere cœperam) Conſtantem Conſtantini tyranni filium, Viennam ad Rhodanum urbem præſidio inſidentem, adeo preſſit, ut eum tandem interficeret, juxta Oroſium; juxta Marcellini Chronicon autem hoc eodem *anno Chriſti 411. capite plecteret.* Et ultra profectus, pergit Olympiodorus, *Conſtantinum quoque patrem* Arelati agentem *perſequebatur. Arelatum* quippe, ſcribit Sozomenus libro 9. cap 13. *caſtra movit, & civitatem oppugnavit*, pluribus menſibus. *Non multò autem pòſt, exercitus quoque Honorii adverſus Tyrannum adventavit; cui præerat Conſtantius, Imperatoris Valentiniani poſtea pater.* Sozom.

Cur primùm in Gallias miſſus.

Gerontius Arelatum obſidet.

4 Commodiſſimè igitur & Honorius Conſtantinum jam labantem antè ceteros Tyrannos aggrediendum cenſuit; & commodiùs Conſtantium fortem virum ſubmiſit, qui illum jam tune à Gerontio tantùm non oppreſſum conficeret. Conſentit Olympiodorus, ex quo ſua deprompſit Sozomenus: *Dum hæc geruntur*, à Gerontio ſcilicet; *Conſtantius & Ulphilas ab Honorio in Conſtantinum miſſi. Cùmque Arelatum perveniſſent, ubi Conſtantinus cum Juliano filio agebat, obſidebant. Gerontius enim*, rurſum Sozomenus, *illis accedentibus, fugam ſtatim capeſſivit, cum paucis jam militibus, quòd reliquorum plurimi Conſtantio ſe junxiſſent.* Quem Maio fere labente Arelatum adveniſſe, infra patebit: proindeque Gerontium ineunte hoc anno, Gallias ingreſſum neceſſe eſt. Sed pergat Sozomenus libro 9. cap. 14.

Quem inde fugat Conſtantius, & Arelatum obſidione pergit.

5. *Conſtantinus autem circumſidente adhuc Honorii exercitu, obſidionem tamen ſuſtinebat; quod illi nuntiatum eſſet, Edobinchum cum maximis ſuppetiis adventurum. Quæ quidem res & Honorii quoque Duces terrebat; ita ut in Italiam reverti, & illic bellum experiri vellent. Atqui hoc ubi ſtatuiſſent, quia appropinquare jam nunciabatur Ebodichus, ſeu Edobinchus Rhodanum fluvium trajiciunt.* ad cujus ſcilicet dexteram ripam

Cui auxiliaturus venit Ebodichus vel Edobincus.

è Rheno veniebat Ebodichus. *Et Conſtantius quidem ſecum pedites retinens, adventantem expectat hoſtem: Ulphilas autem Conſtantii Præfectus cum equitibus haud procul iſtinc in inſidiis latitat. Poſtquam igitur hoſtes* (Duce Ebodicho) *cum exercitu Ulphilam prætergreſſi, pedem jam cum Conſtantii militibus collaturi eſſent; Ulphilas dato ſigno repentè prorumpens, hoſtes à tergo invadit. Et factâ ſtatim ordinum perturbatione, alii diffugiunt, alii occiduntur, plurimi poſitis armis veniam precantur & obtinent. Ebodichus autem Equo conſcenſo, fugit in agrum quemdam ad Ecdicium, qui plurimum fuerat ab ipſo conſecutus olim, quémque Ebodichus ſibi ab accepta beneficia amicum arbitrabatur. Atqui Ecdicius Ebodichi caput amputatum, Honorii ducibus attulit, ſpe magnorum munerum atque dignitatum. Et Conſtantius caput accipi juſſit, ac gratias Ecdicio Reip. nomine agi, qui Ulphilæ officia functus eſſet: Sed cùm in exercitu remanere vellet, eum excedere juſſit; nequaquam vel ſibi, vel exercitui fauſtam fore ratus hoſpitis tam ingrati præſentiam. Atque is quidem hominis amici ac hoſpitis in calamitatem delapſi impiiſſimam cædem auſus, in vanum hiam abſceſſit. Poſt victoriam rurſus ad civitatem* (Arelatum) *trajicit Honorii exercitus:* obſidionemque continuat. Sozom.

Sed à Conſtantio victus, occiditur.

6. Frigeridus apud Tur. l. 1. c. 9. *Vixdum quartus obſidionis Conſtantini menſis agebatur, cum repentè ex ulteriore Galliâ nuntii veniunt, JOVINUM aſſumpſiſſe ornatus Regios; & cum Burgundionibus, Alemannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obſidentibus. Ita acceleratis moris, reſeratâ urbe Conſtantinus deditur.*] Frig.] Modum deditionis explicat Sozomenus: lib. 9. cap 15. *Certior factus Conſtantinus Edobichum eſſe ſublatum, ipſe ſibi purpuram & Imperii inſignia detrahit, & ad Eccleſiam confugiens Sacerdos ordinatur,* (indubiè ab Heroë Arelati tunc Epiſcopo ſanctiſſimo, B. Martini diſcipulo.) *Tum jurejurando de ſalute illi prius dato, qui intra mœnia erant portas aperiunt, ac veniam conſequuntur omnes. Itaque ex eo tempere Provincia iſta* (Viennenſis tota, forte & Lugdunenſis) *rurſus ad Honorii Imperium reducta eſt, ac Ducibus ab illo conſtitutis paruit. Conſtantinus autem unà cum Juliano filio* (ſecundo, quem Nobiliſſimum appellaverat) *in Italiam ad Honorium tranſmiſſus eſt.*] Sozom. Addit Olympiodorus: *Ille vero minimè ipſis ignoſcens, ob interfectos à Conſtantino cognatos ſuos* (Verenianum ac Didymum) [*miſſis obviam percuſſoribus ſuprà Mincium flumen,* addit Frigeridus] *ad 32. à Ravennâ milliaria, contra jurisjurandi fidem, interfici eos jubet,* ac capite truncari. Olympiodorus, junctis Sozomeno & Frigerido. Addunt Faſti Conſulares Idatii: *Theodoſio Auguſto IV. Conſ. Conſtantini Tyranni in conta caput adlatum eſt* Ravennam, *XIV. Kalendas Octobres*, id eſt 18. Septembris, feria 2. ea quo die cetera colligi poſſunt. nempe expugnatum Arelatum circa finem Auguſti, labente jam quarto obſidionis menſe, juxta Frigeridum: quæ proinde Maio labente cœperit; ac conſequenter non ſeriùs Martio circiter priore. ſi non & anno, Gerontius ex Hiſpaniis in Gallias moverit.

JOVINUS novus in Gallia tyrannus.

Conſtantini tyranni exitus miſerabilis.

7. Is fuit Conſtantini perduellis exitus, ſanè miſerabilis. Qui ex infimâ militiâ ad Imperium ſolâ nominis prærogativa aſſumptus, ad quintum annum (non ut Idatii Chronicon, *triennium*, niſi fortè ab acceptâ ab Honorio purpurâ ſupputet) in Britanniâ, Galliâ, Hiſpaniaque tenuit; neſcio quo fortunæ velut in Imperii ruinam incumbentis ludibrio, donec tandem eâdem reflante, eo caſu proſtratus eſt qui ne Imperii quidem honore compenſari poſſit. Cúmque iners eſſet, ac vecors, ſæpè à barbaris incertis fœderibus illuſus (ut benè Oroſius) detrimento magis Reip. fuit *& inconſtantiam* in illo execrabantur duo ejus ſucceſſivè Præfecti Prætorio, Apollinaris & Ruſticus; ut ſcribit Sidonius libro 5. Epiſtolâ 9. Quâ in re quàm Magno illi Conſtantino diſpar fuerit, Lector videre poteſt, & nos ſuprà in ejus ingreſſu monuimus.

Illius elogium.

8. Sed Hydris eo tempore Gallia laborabat Unb Tyranni capite abſciſſo, duo alia renaſcebantur. Erat *Jovinus vir Galliarum nobiliſſimus*, ait Oroſius: multis dignitatum muneribus illuſtris. Neſcio an non Jovini illius filius, de quo multa Flodoardus & Ammianus. Ille quidem Jovinum quemdam Chriſtianiſſimum Romanæ militiæ Magiſtrum appellat; qui & Templum S. Agricolæ Remis, longè antè Sancti Nicaſii martyrium anno antè hunc 2. obitum, fundarit magnificentiſſiméque decoraverit; in cujus etiam propylæo hi verſus adſcripti fuerint.

Quis fuerit JOVINUS, novus Tyrannus,

ex Flodoardo Remēſi, Lib. 1. hiſt. c. 6.

Felix militia ſumpſit devota Jovinus
Cingula, virtutum culmen provectus in altum;
Bisque datus meritis equitum peditúmque Magiſter
Extulit æternum ſæclorum in ſæcula nomen.
Sed pietata gravi tanta hæc præconia vicit,
Inſignéſque triumphos Religione dicavit;
Ut quem vita dabat, rebus ſuperaret honorem,
Et vitam factis poſſet ſperare perennem.

Videtur Flodoardus hauſiſſe (ſaltem ex parte) ea teſtamento S. Remigii; ubi ſic legitur, pag. 89. *Eccleſiæ Joviniana, tituli B. Agricolæ, ubi ipſe vir Chriſtianiſſimus Jovinus, & S. Martyr Nicaſius, cum pluribus ſocietatis ſuæ Chriſti martyribus requieſcunt; ubi etiam quinque Confeſſores, proximi anteceſſores Domini Nicaſii, cum ſanctiſſimâ Virgine & Martyre Eutropiâ conditi ſunt, ſolidos tres dari jubeo.*

9. Ammianus autem à lib. 21. ad 27. per plures Chriſti annos nempe à 361. ad 367. id eſt annis antè hunc nondum 50. *Jovinum* quemdam Magiſtrum Equitum per Illyricum vocat. Rurſum lib. 25. *Jovino* armorum Magiſtro per Gallias Malarichum à Joviano Imperatore anno Chriſti 363. ſuffectum ſcribit. Item lib. 26. dicitur *Jovinus* anno 364. dudum promotus à Juliano Cæſare per Gallias Magiſter armorum. Libro autem 27. ineunte, *Jovinus Equitum Magiſter* in Galliâ vocatur. & mox Conſul deſignatur, quem tamen honorem nonniſi anno Chriſti 367. inivit. Eodemque libro poſt medium dicitur cum Severo *Caſtrenſis rei Magiſter*, ubi & Sebaſtiani Comitis fit mentio. Ex quibus omnibus, apparet quàm verè Oroſius novum hunc Tyrannum *Jovinum Galliarum nobiliſſimum* appellet, ſi ſenioris iſtius filius fuit: ut vehemens ſuſpicio eſt: etſi non parum patri diſſimilis.

ex Ammiano.

10. Hic igitur Jovinus, Conſtantini Tyranni res Edobicho cæſo jam ruere videns, animum & ipſe ad imperium nobilitate ſuâ fretus adjecit. ſeu ut Proſper Pithœi, *Tyrannidem* poſt Conſtantinum invaſit. Ac primùm Barbaris pleriſque, ut Alanis, Burgundionibus, Francorum nonnullis, Rheno adhuc ulterioribus, & Alemannis, neſcio an & Vandalis ſub novo Rege Gunderico, ſibi inter ſe invicem conciliatis, Goaris maximè Alani, quem anno ſuperiore ad Romanos tranſgreſſum diximus, & Gundicarii Burgundionum Regis operâ, purpuram aſſumpſit. Sic enim Olympiodori Eclogæ: *Jovinus apud*

Tyrānidem poſt Conſtantinum invadit.

Alanorum & Burgundionum ope.

Moguntia-

Apud Moguntiam.

Moguntiacum Germaniæ ſuperioris Vrbem (quam Vandali quinto antè anno ſubverterant) *ſtudio Goaris Alani, & Guntiarii Burgundionum Præfecti, tyrannus creatus eſt.* Idem paulò ſuprà ex Renato Profuturo Frigerido retulimus.

Ope item quorundam Gallo-Romanorum.

11. Quin & omnes penè Romanos Galliæ primates, præter unum Dardanum ſtrenuum virum, Jovino adhæſiſſe, teſtatur Proſperi Pithœani Chronicon. Scilicet tam Jovinus & iſti Germani Primi ſeu Moguntiacenſes, quàm Barbari, cum à Conſtantini partibus ſtetiſſent, ab Honorio ejuſque Ducibus ſibi metuentes, tutius novum Imperium tentare, quàm vitam infeſto victori credere arbitrabantur. Et quia jam in exitu æſtas erat, ſuis ſinguli rebus maximè firmandis, reliquâ hujus anni parte intendiſſe videntur; præſertim cùm Franci illi, qui cum Germanis noſtris Inferioribus ſocietatem inierant, Vandalorum victoriâ ferociores, ſe moverent, & Treviris iterum inhiarent, uti mox. Non enim dubito quin Jovinus, cùm jam ad Moguntiam imperium capeſſiviſſet, mox Treviros illuſtrem priſcorum Principum domicilium ſe tranſtulerit, urbem eam jam bis direptam quantum poſſet reparaturus, & ex eâ viciſſim novo principatui ſuo dignitatis incrementum hauſturus. Quod & mox dicenda confirmabunt.

Plerique Joviniani apud Arvernos cæſi, & quare.

12. Nè Conſtantius quidem Conſtantini victor in novum Tyrannum hoc anno jam adulto moviſſe legitur; & ipſe firmandis Galliarum Auſtralioribus ſatis occupatus. Tantùm in Arvernos adverſus paucas Conſtantinianæ factionis reliquias ad Jovinum jam tranſlatas excurrit. De quo ſic apud Turonenſem Frigeridus: *Hiſdem diebus Præfectus Tyrannorum* (credo Præfectus Prætorio) *Ruſticus Agroëtius, ex primicerio Notariorum Jovini, multique nobiles apud Arvernos capti à Ducibus Honorianis, & crudeliter interempti ſunt.*] Nimirum Arverni iſti (inter quos erat & Ecdicius, ut Turonenſis) ab Conſtantino & Edobincho ſteterant: & cum eo victi, Conſtantium Comitem victorem, qui Ecdicium ad ſe non admiſerat, veriti, ad novum Tyrannum Jovinum, æquè animos ſignaque verterant: eoque ab Honorianis ſubitò oppreſſi.

CAPUT II.

Tertium Trevirorum exitium. Gerontii miſera cædes. Vandali Alanique Hiſpaniâ ſe includunt.

Eodem Anno 411.

Trevirorū excidium in genere tertium ſed à Francis ſecundum.

1. SUbdit ſtatim Frigeridus maximè ad inſtitutū noſtrum: *Trevirorum civitas à Francis direpta incenſaque eſt, ſecundâ irruptione.*] Hæc quidem tertia eſt Trevirorum vaſtatio, aut ut loquitur Salvianus, everſio. *Secundam* tamen Frigeridus appellat *irruptionem*, nempe reſpectu Francorum, qui eamdem urbem priore primùm anno victis Vandalis irruperant, ut ſuprà dixi. Prima igitur Trevirorum everſio à Vandalis initio anni 410. illata: Secunda eodem anno ſeneſcente à Francis Vandalorum victoribus; Tertia iſta ab iiſdem Francis ſecundò eam irrumpentibus; hoc item anno 411. vergente repetita: Frigore enim contigiſſe jam videbo. Ita aptè dixerit Salvianus lib. 6. *Extiſam ter continuatis everſionibus ſummam Vrbem Gallorum: continuatis*, inquam, quia intra biennium repetitis. Cumque hujus poſtremæ ſeu tertiæ annus iſte Chriſti 411. conſtet; alias priores duas, ſi cum hac continuatæ ſunt, ut ait Salvianus, uno alteróve antè anno peractas neceſſe eſt.

2. Ac priorum quidem duarum everſionum cauſas ſuprà, quantum in tanta caligine pervidere potui, referre conatus ſum. Tertiæ hujus mentio major diſtinctiorque ſupereſſet, ſi in Imperatoris nomen error non irrepſiſſet. Sic enim Aimoinus haud dubiè ex veteribus ſcriptis: *Trevirorum urbem Franci, factione Lucii Conſularis, eodem tempore pervaſerunt. Qui videlicet Lucius indignatione commotus, eò quòd cognoviſſet ab Avito* (lego *Jovino*) *Galliarum Auguſto uxorem ſuam ſtupro maculatam; atque cavillanda ſibi audiſſet eum dicentem, quod calidas quidem haberet thermas, ſed ipſe frigidè lavaretur, iſta perpetravit.* Ita Aimoinus; ex geſtis credo Francorum Epitomatis, cap. 7. ubi ſic legimus: *Treverorum civitas factione unius ex Senatoribus, nomine Lucii, à Francis capta & incenſa eſt. Cùm Avitus Imperator eſſet luxuria deditus, & ille Lucius haberet mulierem pulcherrimam cunctorum; fingens ſe Avitus ob infirmitatem corporis lecto deprimi, juſſit* (miſit) *ad omnes Senatrices, ut eum requirerent*, ſeu inviſerent. *Cùmque uxor veniſſet Lucii, ut ab Avito oppreſſa fuit. In craſtino ſurgens de ſtratu Avitus, dixit ad Lucium, Pulcras thermas habes, ſed frigidè lavas. Hoc indignante Lucio, ſuâ factione direpta eſt civitas, & incenſa à Francis.*

Aim. l. 1. c. 5. Ortum ex Jovini adulterio.

3. Hæc illi, planè ad hæc tempora. Nam pro Avito Jovinum legendum multa evincunt. Primum ipſimet, qui hæc narrant, bini auctores. nam Epitome quidem, hæc immediatè poſt factam Jovini (malè Jovinianum vocat) mentionem, & antè primos Francorum Reges *Theudemerem*, *Chlodionem* atque *Meroveum* immediatè ſubdit: poſt quos iterum Aviti Imperatoris aptiùs meminit; nam Avitum nonniſi anno 455. Imperium iniiſſe ſat conſtat, Chlodionem autem Regem anno Chriſti 428. fuiſſe & Theudemerem etiam antè, ſuprà monui, & magis infrà probabo. Similiter Aimoinus eamdem de Lucio hiſtoriam, inter Arbogaſtis mortem, quæ anno Chriſti 393. contigit, & Faramundi Regis initium, pluſquam 40. antè Avitum annis, interſerit. Aut igitur ambo quid dicant neſciunt, aut pro Jovino, memoriæ confuſione, Avitum poſuerint. Et uterque ſanè Gallus fuit. è gente ſalaci: Ad hæc ſub Avito, ſeu anno Chriſti 455. Trevirorum civitas jampridem quadruplici everſione proſtrata, fereque nulla erat; ut mox è Salviano quem circa annum Chriſti 442. toto ante Attilæ irruptionem novennio, ante Aviti autē imperium, annis minimùm 13. hæc ſcripſiſſe monſtrabo. Et ſi quid tum in eâ ſuperfuiſſet, id quatuor dūtaxat antè Aviti imperium annis Attilæ irruptio penitus eraſiſſet. Denique nullus Aviti tempore Lucius Senator Conſularisve legitur; his autem Jovini annis maximè: quando anno Chriſti 413. Lucius V.C. Conſul, in Idatii, Marcellini, Caſſiodori, & Alexandrino Chronico, ſive Siculis Faſtis exertè reperitur; licèt unicum Proſperi Chronicon levi adjectione *Lucianum* vocet. Et Senatorem aptiùs Epitoma nominat, quàm Conſularem Aimoinus. niſi Conſularē, qui paulò pòſt velut in hujus geſti præmium

Unde pro Jovino malè legitur Avito.

ex variis cauſis.

Conſul fuit, intelligat; aut qui Conſulares jam honores haberet; aut denique potiùs, quòd Lucius iſte tum Belgicæ Primæ, ac proinde Trevirorum Conſularis legatus eſſet. nam Conſulares ſingulos ſingulis tum Belgicis præfuiſſe, ex Imperii Romani Notitiâ, paulò pòſt hæc tempora ſcriptâ, diſcimus. Utcumque ſit. *Senatorem* liquidiùs appellat Epitome, unde reliqui ſumpſere. Quare *Jovini*, non *Avii* ſalacitas (*facilitatem* certe ei exprobratam, tradit Sidonius libro 5. Epiſtolâ 9.) tertiam hanc à Barbaris, ſecundam à Francis Trevirorum everſionem intulerit. quâ illatâ Lucius ad Conſtantium Comitem, Honoriúmque transfugerit, unde & Conſulatum paulò pòſt meruerit. Jovinus autem bellum contra Francos periculoſum immaturumque ratus, in Conſtantium potiùs, acriorem ac periculoſiorem inimicum arma verterit; eòque Auſtrum verſus in Sequanos Lugdunenſeſque exercitum ſuum abduxerit.

Salviani de tertio Trevirorum excidio teſtimonium, *Lib.6.p.215.*

4. Sed de hac tertia nobiliſſimæ urbis everſione, Salvianum teſtem oculatum, & fortè civem audire libet: *Exciſa eſt ter continuatis everſionibus ſumma urbs Galliarum: omniſq; civitas buſtum fuit, malis & poſt excidia creſcentibus. Nam quos hoſtis in excidio non occiderat, poſt excidium calamitas obruebat: cùm id quod in excidio evaſerat morti, poſt excidium non ſupereſſet calamitati. Alios enim impreſſa altius vulnera longis mortibus necabant; alios ambuſtos hoſtium flammis etiam poſt flammas pœna torquebat. Alii interibant fame, alii nuditate, alii tabeſcentes, alii rigentes* (nempe anno jam in hyemem vergente) *ac ſic in unum exitum mortis, per diverſa moriendi genera corruebant. & quid plura? excidio unius urbis, affligebantur quoque aliæ civitates. Jacebant ſiquidem paſſim* (*quod ipſe vidi atque ſuſtinui*) (nota) *utriuſque ſexus cadavera nuda, lacera, Urbis oculos inceſtantia, avibus caniburq; laniata. Lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum. Mors de morte exhalabatur; ac ſic etiam qui excidiis ſupradictæ Urbis non interfuerant, mala alieni excidii perferebant.* & poſt pauca: *Urbs exhauſta eſt ac perdita; plebs captiva & interempta, quæ aut periit aut luget. De quâ etiam ſi quid ſupereſt, totum calamitatis eſt; quæ cuncta aut mœſtitudine eſt anxia, aut lacrymis exhauſta, aut orbitate proſtrata: in quâ neſcias pene cujus ſit ſors pejor ac durior, interfectorum an viventium. Tanta enim ſunt miſeria ſuperſtitum, ut infelicitatem vicerit mortuorum. Quæ urbis pars ubi non cruor fuſus, ubi non ſtrata corpora, ubi non conciſorum membra lacerata? Ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infeliciſſima plebis ſuper tumulos defunctorum ſuorum; Nigra eſt incendio civitas.* (nota, aptè ad Frigeridum, dicentem, eam direptam & *incenſam.*) lugent *cuncta. & eam tamen tria excidia non correxerunt.*] Hæc & plura ille. quibus intelligas fuiſſe hanc ceterarum priorum graviſſimam everſionem. quæ autumno adultiore, ac fere hyeme, contigerit: quando teſte hîc Salviano, multi *rigentes* mortui.

Res Hiſpanicæ. Ubi Gerontii funeſtus interitus.

5. In Hiſpaniâ Gerontium interim finis non minus quàm Conſtantini miſerandus innotuit. Is, ut dixi, adventante Conſtantio, territus. præſertim cum militem ſuum ad eum defluere videret, profugus in Hiſpaniam ſe retulerat. In quâ qui remanſerant milites, *illum ob fugam contemptu dignum rati* (ait Sozomenus, l. 9. c. 13.) *interficere ſtatuerunt.* ſeu, ut ſcribit Olympiodorus, *deprehenſus, quod impotentiùs exercitui præfuiſſet, ſuorum inſidiis petitus eſt.*] *& concurſu facto domum ejus circumvallant. Ille vero cum Alano uno neceſſario ſuo* [*famulum* vocat Olympiodorus) *pauciſq; ſervis, ejaculatis deſuper ſagittis, ultra trecentos milites interficit. Sagittis tandem deficientibus, ſervi aufugiunt, & clàm ſe de domo illâ demittentes evadunt. At Gerontius, quamvis & eodem ipſe modo ſalvari potuit, tamen Nonnychia uxoris amore detentus, noluit. Itaque cum milites ignem domui manu immiſiſſent; nullâ deinceps ſalutis ſpe, Alano familiari ſuo volenti caput amputat; & deinde uxori quoque propria, lamentanti & ſeipſam cum lacrymis in gladium ingerenti, ac potius quam in alterius poteſtatem perveniat, unà cum marito perire cupienti, & munus hoc ultimum ab eo flagitanti. Atque hoc quidem mulier ſatu viriliter, & ut illius religione dignum erat* (*erat enim Chriſtiana*) *mortua eſt, memoriâ ſui ſempiternâ. Gerontius autem cùm ſe percuſſiſſet, nec letale tamen vulnus inflixiſſet, evaginato gladiolo, quem femori alligatum habebat, ſibi ipſe cor transfixit.* Hucuſque Sozomenus. Ita Gallia Hiſpaniaque binis iſtis perduellibus liberata eſt. aliis tamen ſemper, ut dixi, ſuccreſcentibus.

Illiuſque uxoris Chriſtianæ.

Cur Vandali, Suevi, Alani Hiſpaniâ ſe incluſerint.

6. Eodem anno ſeneſcente, Vandali, Suevi, & Alanorum plerique Galliâ relictâ Hiſpaniis ſe recluſere. Et variæ ejus conſilii cauſæ ſuberant: primùm ingens à Francis clades priore anno illata; Conſtantini Gerontiique cum quo fœdus inierant interitus; Conſtantii bellicoſiſſimi Comitis Honorioque fidiſſimi in Gallias adventus, tantâ victoriâ formidabilis: denique & ſuper omnia, ſi Jornandi quidem fides, certus jam de Gothorum ex Italiâ in Gallias migratione rumor. Placidiam Honorii ſororem, licèt non uterinam, jam inde ab Romæ captâ captivam Athaulphus Gothorum Rex Alarici ſucceſſor habebat. *quam tamen ob generis nobilitatem formamque pulcritudinem, & integritatem caſtitatis attendens, in Foroliviu Æmyliæ civitate* (prope Ravennam, ubi agebat Honorius) *ſuo matrimonio copulavit* (aut potius copulari petiit, ut infrà patebit) *ut gentes hac ſocietate compertâ, quaſi adunatâ Gothis Rep. efficaciùs terrerentur. Honoriúmque Auguſtum* (qui ſcilicet matrimonii iſtius ſpem certam faciebat) *quamvis opibus exhauſtum, tamen jam quaſi cognatum, grato animo derelinquens, in Gallias tendit. ubi cùm advenisset;* aut potius cùm adventaret, nam ſequenti tamen anno Gallias introiſſe clarè ſcribit uterque Proſper; *Wandali & Alani, mox à Galliis, quas antè non multum temporis* (antè annos ſcilicet 5.) *occupaſſent, fugientes, Hiſpaniâ ſe recluſere: adhuc memores, ex relatione majorum ſuorum, quid dudum Geberich rex Gothorum genti ſuæ præſtitiſſet incommodi, vel quomodo eos virtute ſuâ patrio ſolo expuliſſet. Tali ergo caſu Galliæ Ataulfo patuère venienti*] Iſta Jornandes. Quæ hoc anno geſta, primùm indicat Oroſius, cùm ſcribit, *Hiſpaniam cædes vaſtationéſque tunc paſſam per biennium à Barbaris, quod per ducentos quondam annos paſſa fuerat à Romanis.* Certum eſt Wandalorum ceterorumque Barbarorum vaſtationes Hiſpanicas, ab Octobri anni Chriſti 409. quo Pyreneum perruperunt, initium ſumpſiſſe. à quo biennium illud inchoatum, in hujus anni Chriſti 411. exitum deſinit. Ergo Wandali hoc tempore Galliis relictis Hiſpaniâ ſe recluſere.

ex Jornande. *de Get.c.31.*

De Gothorum in Gallias adventu rumor.

Ex Oroſio Hiſpano. *Lib.7.c.40.* *init.*

Ex Idacio, qui ſedes cuique proprias aſſignat.

7. Quod & Idacii confirmat Chronicon, juncto coſcriptore ejus Iſidoro. Ille ad annum Honorii à morte patris 17. qui eſt hic Chriſti 411. *Subverſis* (inquit) *memoratâ plagarum graſſatione Hiſpaniarum*

provinciis,

provinciis, Barbari ad pacem ineundam Domino miſerante converſi, ſorte ad inhabitandum ſibi provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Vandali (nota) *occupant & Suevi, ſitam in extremitate Oceani maris occiduâ. Alani Luſitaniam & Carthaginienſem provincias; & Wandali cognomine Silingi Bæticam ſortiuntur. Hiſpani per civitates & caſtella reſidui à plagis, Barbarorum per provincias dominantium ſe ſubjiciunt ſervituti.* Hæc Idacius, ſubiiciens Conſtantini tyranni extinctionem hoc anno factam. Iſidorus autem in Chronico ſuo Vandalico, poſt eadem fere exſcripta ſubdit: *In Hiſpanias Gundericus primus Rex Wandalorum ſucceſſit, regnans in Gallæciæ partibus annis 16.* Conſtat ex Idatii Chronico Gundericum mortuum labente anno à morte Honorii Imperatoris quarto & eo quidem qui Genſerici in Africam ingreſſum immediatè præceſſit, nempe Chriſti 426. finiente. de 426. finiente tolle 16. reliquus erit annus Chriſti 410. cujus Septembri Gundericum patri Godegiſilo in Galliis cæſo ſucceſſiſſe ſupra vidimus. Neque tamen tunc in Hiſpanias ingreſſus eſt Gundericus; ſed hoc primùm anno 411. ut jam ex hiſtoriæ ſerie deduximus. Ab illius igitur regni initio, non ab ingreſſu in Hiſpanias advocandi 16. iſti anni. alioqui quindecim tantùm regnaſſet. Iſidorus totum regnum ejus tam in Galliâ quàm Hiſpania comprehendit: ſed annum ejus primum in Gallia, ſuo plurium in Gallæcia Hiſpaniáve numero comprehendit: & ejus in Hiſpanias ingreſſum hoc anno non negat.

8. Alanorum porro, qui cum Vandalis & Gunderico Hiſpanias ingreſſi ſunt, Regem puto fuiſſe Reſpendialem. illum qui priore anno Vandalos ipſumque Gondericum Francicâ internecione eripuerat. Quo etiam nomine, Principem inter Barbaros locum obtinuiſſe ſuſpicor, eoque fertiliſſimas maximasque Provincias Carthaginienſem & Luſitaniam ſuas feciſſe. Senè Idatius in Chronico ad annum Honorii à morte patris 24. qui eſt Chriſti 418. *Alanos Wandalis & Suevis potentatos* ſcribit. In Galliis igitur Alani pauciores remanſerint, Goare ut reor principe, jam Romanis addicto. quibus quid deinde factum in tempore memorabo. Vandalorum in Galliis nulla ulterior mentio; unde Armorichorum tum Belgicorum quàm Lugdunenſium liberior firmiorque Reſpublica. Alanorum deinceps nonnullorum, Burgundionum, Alemannorum, & maximè Gothorum Francorumque frequentior erit ſermo.

In Galliis tamen remanent Alani nonnulli.

9. Sed de Barbaris in Hiſpaniâ hoc anno pacari cœptis Oroſium audiamus: *Poſt hoc* (biennium ſcilicet ab eorum ingreſſu) *Barbari gladios ſuos execrati, ad aratra converſi ſunt: reſiduóſque Romanos* (ſeu Hiſpanos qui Romanis hactenus paruerant) *ut ſocios modò & amicos fovent. ut inveniantur jam inter eos quidam Romani, qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quàm inter Romanos tributariam ſollicitudinem ſuſtinere.* Simile quid habet Salvianus libro 5. pag. 165. & præſertim pag. 157. *Quærunt apud Barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt.* Mox: *Malunt in Barbaris pati cultum diſſimilem, quàm in Romanis injuſtitiam ſævientem. Itaque paſſim ad Barbaros migrant; & migraſſe non pœnitet.*

Oroſ. l. 7. c. 41.

Hiſpani cũ Barbaris conciliantur.

CAPUT III.

Gothi duce Ataulſo in Gallias veniunt. Iovini & Sebaſtiani interitus. Sedes Burgundionibus, & Alanis in Gallia conceſſa.

Annus Chriſti 412. & 413.

1. ANno Chriſti 412. Honorio nonùm & Theodoſio V. Auguſtis Coss. Cõſtantius Comes, Arelati & Tyranni expugnator, pacatâ jam Vienneuſi Narbonenſique provincia, forte & confinibus aliis, quando Arvernos Aquitaniæ Primæ gentem eum recepiſſe ſuperiore anno vidimus; quo ſe verteret, diu fluctuaſſe videtur. Quippe Belgicam & Galliarum Septemtrionalia à Vandalis Hiſpaniam petentibus derelicta, Jovinus occupaſſe videtur novus Tyrannus, omnibus præſertim Gallorum primoribus, uno excepto Dardano (ut ait Proſper Pithœanus) ad ſe tranſlatis; ad hæc Alanorum, Burgundionum, Alemannorum, & quorumdam Francorum validiſſimis cinctus viribus, non ita facilè opprimendus erat. præſertim ſi pacem aut inducias cum Francis Germanorum Inferiorum jam fœderatis Armoricisque ulteriora in Boream tenentibus pepigerit, ut ſuſpicio vehemens eſſe poteſt.

Annus Chriſti 412. Conſtãtius victor quid egerit.

Jovinus validior, nec facilè opprimendus.

2. In Hiſpaniâ Gerontius quidem aut jam occubuerat, aut ſane ruebat: ſed Maximus in Tyrannidem ab eo evectus, reliquus adhuc erat. quem tamen jam deſtitutum, aut per ſuos in Hiſpaniam miſſos, aut per Gerontii milites perricidas, in privatum ordinem redigi curaverat. Sic enim Proſper vulgaris in Chronico: *Honorio IX & Theodoſio V. Coss. Maximo in Hiſpaniâ, regno ablato, vita conceſſa eſt, eò quòd modeſtia humilitáſque hominis, affectati imperii invidiam non merebatur.* Sed Olympiodorus, eum *Gerontii nece intellectâ, ad fœderatos confugiſſe Barbaros* narrat: ſicque Conſtantium Comitem metum ex hac parte ſulviſſe ſignificat. Cui conformis Oroſius, & Hiſpanos, & hoc tempore ſcribens; *Maximus,* inquit, *exutus purpurâ, deſtitutusque à militibus Gallicanis* (Honoriacis credo, ut ſupra, aut certe Gerontianis) *qui in Africam trajecti, deinde in Italiam revocati ſunt; nunc* (id eſt anno Chriſti 417. quo hæc ſcripſit Oroſius) *inter Barbaros in Hiſpania egens exulat.* Ita illi.] Quibus quidem etſi Conſtantius Hiſpaniam Tarraconenſem recepiſſe videatur; reliquæ tamen eorum locorum Provinciæ, Cathaginienſis, Luſitania, Bætica, & Gallæcia à Barbaris iiſque numeroſis & bellicoſis gentibus magnam partem occupabantur; à quibus, ut incertæ ſemper fidei, non minus in fœdere quam bello timor perpetuus immineret.

Maximus Hiſpaniæ poſt Gerontium Tyrannus.

Ad Barbaros fugit.

Lib. 7. c. 42.

Qui Romanis ſemper metuendi.

3. Sed maximus à Gothis metus: qui ſuo ab Italia diſceſſu, quantum ab eâ belli abſtulerant, tantum in Gallias transferebant. Ac licèt Honorio ſeu volente ſeu diſſimulante, migrare inſtituiſſent; nunquam tamen ſine periculo intra Imperii viſcera tolerari poterãt; fluxæ & ipſi fidei, victoriis

Maximus à Gothis metus, in Galliam ex Italiâ venientibus.

inflati juxta ac feroces, ſuisque ſemper emolumentis intenti. Quare prudenter intutum ſibi Conſtantius Comes exiſtimabat, ullo implicari bello; donec quò tandem tam periculoſæ migrationis vergeret moles, intueretur. Poſtquam Gothi advenerunt, primùm quidem quia ab Honorio miſſi credebantur, *vicinæ gentes perterritæ*, (ait Jornandes) *in ſuis ſe finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infeſtaſſent, tam Franci quàm Burgundiones. Nam Wandali & Alani metu eorum fugientes, Hiſpaniâ ſe recluſerant*, ut ſuprà dictum. & Burgundiones quidem Jovino Tyranno adhærebant, ſicut & Francorum nonnulli maximè tranſrhenani. nihil ideo ſine ſuo Imperatore moturi. Francorum alii cum Belgis jam cis Rhenum conjuncti, licèt & Vandalorum cæde, & Trevirorum excidio repetito ferociores, quò tamen evaſura eſſet illa Gothorum eluvies adhuc inſcii; tantiſper ſe continebant, tutam quietem interim cœco bello præferentes. Ita Gothi Gallias nullo adverſante ingreſſi.

Status Galliarum.

4. Qui quid primo ingreſſu fecerint, nullibi comperio; adeo omnia ævum abolult. De diverſis pacis conditionibus ac maximè de certâ eis in Galliis aſſignandâ ſede, crebrò diſputatum, ut aliàs in Italia, non dubito. Sed minimè conventum, quæ ſequuntur, evincunt. Aderat adhuc illis *Attalus, inane imperii ſimulacrum*, ut rectè Oroſius; qui nullas pacis cum Honorio conditiones ſibi tutas ratus, diſcordiæ ſemina nunquam interſerere deſinebat. Unde Olympiodorus: *Jovino*, ait, *ut ſe adjungeret Adaulphus*, Gothorum Rex, *auctor fuit Attalus. Et verò hic cum copiis ad illum ſe confert. Jovinus tamen Adaulphi adventu offenſus, obſcurè ac veluti per ænigmata, Attalum accuſat, quod adventum ſuaſiſſet.*] Nec erat ejuſmodi ſocii, novo Tyranno parum adhuc firmato, ſecura tanta támque intima potentia. Diſſimulavit nihilominus, & admiſit; ratus admiſſum minore ſibi fore detrimento, quàm ſi rejiceret, & rejiciendo ad hoſtes tranſeundi occaſionem daret.

Cum Gothis venit Attalus tyrânus ab Honorio alienus.

Oroſ. l. 7. c. 42.

Nec Jovino gratus.

5. Adaulphus autem ſocietatem iſtam tanti feciſſe videtur, ut etiam aliis eam gentilibus ſuis invideret. Nam ut idem Olympiodorus, *cùm Sarus* (æquè Gothus) *ad Jovinum item ex Italia ubi hactenus & ipſe egerat, venturus eſſet; Adaulphus re cognitâ, collectis militum decem millibus* (nota potentiam) *occurrit Saro, viros octodecim aut viginti apud ſe habenti. quem geſta heroica & ſtupore digna edentem, ſentis adhibitis, vivum ægrè capere potuerunt: tandémque occidunt. Deſciverat autem ab Honorio Sarus, audito Belleridem domeſticum ſuum interfectum; nullam tamen cædis rationem duxiſſe Imperatorem, nec in percuſſorem inquirendo vindicaſſe.* Olymp.] Neque tamen rem magnam Adaulphus ita Jovino junctus, hoc quidem anno patraſſe videtur; ſive ſemper ab Honorio diſſuaſus; ſive in Honorium ipſe proclivior oblatâ maximè Placidiæ ducendæ, figendæque ſedis ſpe certiore. Placidiam contrà Conſtantius Comes ſibi ipſe deſtinabat uxorem; eoque pax convenire non poterat, duobus procis æquè potentibus Andromedæ inhiantibus. Eam ego cauſam exiſtimo, cur neque Adaulphus neque Conſtantius in ſe invicem hoc anno moverint. Inde Gothis, qui nihil annonæ repoſitum haberent, Gallias populandi, & rapto vivendi neceſſitas impoſita: quod Pithœi quoque Proſper notat: *Rurſum alia prædatio Galliarum; Gothis, qui Alarico Duce Romam ceperant, Alpes tranſgredientibus.* Hoc enim anno tranſgreſſos, diſertè Proſper alter dicit. *Honorio 9. & Theodoſio 5. Coss. Gothi Rege Ataulfo Gallias ingreſſi.* quod & Caſſiodorus æquè refert. An verò ea Galliarum nova deprædatio, in Gallias Honorio, an Jovino parentes incubuerit, conjectura eſt. In utraſque incubuiſſe exiſtimo: In Jovini quidem, qui ſociis annonam non ſatis ſuppeditare aut poſſet aut vellet; in Honorii, quod pax minimè coaleſceret. Nec periculo ſe ſuoſque Conſtantius exponebat; novo jam in Africâ Tyranno Heracliano contra Honorium exoriente. Adeo Romano Imperio tunc inclinanti, malo uno deſinente, ſubnaſcens aliud incumbebat.

Nec Adaulpho ſeu Athaulpo Gotho.

qui Sarum item Gothum cædi curat.

Nec tamen rem magnam hoc anno gerit.

Placidiæ ſponſæ inhiát Athaulphus & Conſtantius.

Gallias populatur Adaulphus.

6. Sequente igitur anno, Chriſti 413. Lucius ſolus in Faſtis hodiernis Conſul ponitur, in præmium navatæ contra Jovinum, ut dixi, operæ. *Hujus collega* (ait Proſperi Chronicon conſulare) *in conſulatu fuit Heraclianus: qui novarum in Africâ rerum reus, & honorem amiſit & vitam.*] Stiliconem Heraclianus ſuâ manû peremerat, ut ſuprà dictum; eoque Africæ præfecturam meruerat. Quin & Proſpero Pithœano teſte, *ſtrenuum in Romanæ Urbis reparationem exhibuerat miniſterium. Nunc nova quadam molitus interemptus.* De quo omnium fuſiſſimè Oroſius l. 7. c. 42. *Heraclianus*, ait, *Africæ Comes miſſus, cùm Attalus umbram* Romæ primùm *geſtaret Imperii, Africam ſtrenuè adverſum Iudices ab eo miſſos tutatus, Conſulatum aſſecutus eſt. Quo elatus ſupercilio, Sabinum domeſticum ſuum, virum ingenio callidum, induſtriáque ſolertem, & ſapientem nominandum, ſi animi vires tranquillis ſtudiis accommodaviſſet, generum allegit. Cum quo quorumdam periculorum ſuſpiciones dum patitur, fecit. Atque aliquamdiu Africanâ annonâ extra ordinem retentâ; ipſe tandem cum immensâ, certè temporibus noſtris, & ſatis incredibili claſſe navium, Romam contendit. Nam habuiſſe tunc ter mille & ſeptingentas naves dicitur; quem numerum ne apud Xerxem quidem, nec Alexandrum Magnum, vel quemquam alium Regum fuiſſe, hiſtoriæ ferunt. Is ſimul ut cum agmine militum ad Urbem pergens, litore egreſſus eſt; occurſu Comitis Marini territus* [aut ut Idatii Chronicon, *Utriculis in Italiâ conflictu ſuperatus, caſis in eo loco 50. millibus armatorum*] *& in fugam verſus, arreptâ navi, ſolus Carthaginem redit. Atque ibi continuò militari manu interfectus eſt* [*in æde Memoriæ*, addit idem Idatius, *miſſis per Honorium percuſſoribus.*] *Sabinus gener ejus Conſtantinopolim fugit: unde poſt aliquantum temporis retractus, exilióque damnatus.* Ita Oroſius.] Tanto bello in Italiâ durante, non potuit Conſtantius Arelato movere; & copias ſuas, auxiliis haud dubiè Marino ſubmiſſis, imminutas, periculo exponere.

ANNUS Chriſti 413. Heraclianus in Africâ Tyrannus.

De quo fuſe Oroſius. In Italiam ingenti claſſe venit.

Æ qua repulſus in Africam, ibi interficitur.

7. At Jovinus Athaulfuſque, tanti belli occaſione bene uſi, rebus ſuis minimè defuerint. Pace igitur cum Francis Armoricisque, ne quid à tergo relinquerent periculi, factâ; è Belgica Germaniaque Superiore in Lugdunenſem Viennenſemque, Valentiam uſque, (ut jam videbimus) trangreſſi; Conſtantium obtrituri videbantur. Sed Heracliani fugâ & cæde auditâ, Honorii felicitatem admirati, criſtas mihi quidem demiſiſſe videntur. Et accidit nova Jovini ab Athaulſo diſſenſio, ut rebus adverſis fieri amat. Sebaſtianum fratrem Jovinus, quo pluribus munimentis inſiſteret, & haud dubiè Ataulfo parum fidens, Imperatorem dicit. Unde Olympiodorus: *Jovinus fratrem ſuum Sebaſtianum,*

Jovinus Athaulfusque Valentiam adveniunt.

Ubi inter ſe diſſentiunt quia Jovinus fratrem ſuum, Auguſtum dicit.

invito Adaulpho Imperatorem creans, in ejus odium incurrit.] Simul, ut notat Proſper Pithœi, *induſtriâ viri ſtrenui, qui ſolus Tyranno* (Jovino) *non ceſſit, Dardani, Ataulfus qui poſt Alaricum Gothis imperitabat, à ſocietate Iovini avertitur.*] *Adaulphus itaque*, ab Jovino averſus, pergit Olympiodorus, *per internuncios capita ſe Tyrannorum miſſurum pacémque initurum, Honorio pollicetur. Hi internuncij domum ſen in* Gallias *abi vedierunt, & jusjurandum præſtitum*; (pactâ jam pace ſcilicet, de quâ paulò infrà) *Sebaſtiani mox caput Imperatori mittitur.* Ita Olymp.] Unde Oroſius: *Sebaſtianus Iovini frater, hoc ſolum ut tyrannus moreretur elegit.* ſtatim nimirum ab electione cæſus. cui in eadem cæde ſocium jungunt Proſper Pithœi Salluſtium, credo Jovini præfectum. Jovinus inopinâ fratris Salluſtiique cæde territus, Valentiam fugâ ſe confert, ibi ſe contra Athaulfi inſidias defenſurus. Inſequitur impigrè Athaulfus, Valentiam obſidet, & perfringit; Jovinum ſe dedentem capit. Sic enim Proſper Pithœi: *Valentia nobiliſſima Galliarum civitas à Gothis effringitur, ad quam fugiens ſe Iovinus contulerat.*] Et Olympiodorus: *Iovinus etiam ipſe ab Adaulfo obſeſſus ſe dedidit: miſſúsque ad Imperatorem eſt. Sed eum Dardanus Præfectus ſua manu percutiens, interimit. Utriuſque caput* (ipſius ſcilicet ac Sebaſtiani fratris) *extra Ravennam palis infixum: ubi & Conſtantini ac Iuliani antea reſectum; Maximi item & Eugenij, qui ſub Theodoſio Magno Tyrannidem affectantes, eumdem ſunt exitum ſortiti.* Olympiod.]

Cujus caput ad Honorium mittit Adaulphus.

& mox etiã Jovinum cædi curat.

8. Atque is fuit Tyrannorum iſtorum omnium in Galliis exitus. De quibus tale Sidonii legimus judicium ad Aquilinum amicum: *Avi noſtri Apollinaris & Ruſticus, quos laudabili familiaritate conjunxerat literarum, dignitatum, periculorum, conſcientiarum ſimilitudo, in Conſtantino* (tyranno) *inconſtantiam, in Iovino facilitatem, in Gerontio perfidiam, ſingula in ſingulis, omnia in Dardano crimina ſimul execrabantur.*] Ita ille. Ad Dardanum tamen ſcribunt Hieronymus & Auguſtinus, ac laudant. Ille quippe Epiſtolâ 129. *Chriſtianorum nobiliſſimum, & nobilium Chriſtianiſſimum* appellat; Auguſtinus *illuſtriorem in ſæculi dignitate*, Ep. 57. Scilicet, vir iſte præclaras utrique quæſtiones proponebat, & quibus animi ſtudiis teneretur, oſtendebat. Rurſum Hieronymus duplicem ejus Præfecturam memorat: plures etiam dignitates Vetus Inſcriptio, prope Siſteronem in Provincia, ad Petram ſciſſam, quam vocant: *Cl. Poſtumus Dardanus V. Inl. & Patricia dignitatis, Exconſulari Provinciæ Viennenſis, Exmagiſtro Scrinij lib. Exquæſtore, Expræfecto Præt. Galliarum: Et Nevia Galla clar. & Inl. Femina, Materfamilias ejus; loco, cui nomen Theopoli eſt, Viarum uſum, cæſis utrimque montium lateribus, præſtiterunt; muros & portas dederunt. Quod in agro proprio conſtitutum, tuitioni omnium voluerunt eſſe commune. Adnitente etiam Viro Inl. Com. ac fratre memorati viri Cl. Lepido, Exconſulari Germaniæ Primæ, Exmagiſtro memoriæ, Excomite rerum privatarum; ut erga omnium ſalutem eorum ſtudium & devotionis publicæ titulus poſſet oſtendi.* Si Inſcriptioni tali tempus ineſſet, multa doceret. Porrò *Iovinum & Sebaſtianum* à Ducibus Honorianis oppreſſos, & Narbone interfectos, ſcribit Idatius in Chronico. neſcio an verè; quando ab Ataulpho cæſos, jam antè viderimus, & quidem priuſquam ille Narbonam intraret, ut jam dictum eo.

De Tyrãnis iſtis Sidonii judicium. Epiſt. 9. l. 5.

Item ſde Dardano.

9. Tyrannis cæſis, reliqui erant in Galliis pacandi Franci, & cum iis rebelles Armorici: tum Burgundiones, Alani, Alemanni, ac denique Gothi ipſi. Et Armoricos quidem, qui non tam ab Honorio, quàm Conſtantino defecerant, ſaltem Occidentaliores, facilè rediſſe puto. Cum Francis ac Germanis Inferioribus eorum fœderatis, & victoria Vandalorum inflatis, non tam citò conveniri potuit, ut infrà dicam. Cum Gothis, jam ante Tyrannorum cædem, in certa puncta pax convenerat, ac juramentum etiam præſtitum fuerat; nempe ut *in Aquitania traderetur* (quod hoc tempore, anno certè ſequenti, etiam narrat Proſper Pithœi) & certa annonæ quantitas præberetur; quibus repræſentatis Ataulphus Placidiam redderet. *Poſtulatum* itaque (pergit Olympiodorus) *eſt ab Adaulpho, ſtudio maxime Conſtantii, ejus qui illam poſtea uxorem duxit*, & jam maximè deperibat, *Placidiam ut redderet. Sed quod Adaulpho promiſſa, præſertim de curandâ annonâ, perfecta non fuiſſent, neque ipſam reddidit, & pacem bello commutaturus videbatur.* Placidiam enim ſuper omnia volebat uxorem. *Adaulphus ergo, cùm Placidia repeteretur, frumentum viciſſim ipſe promiſſum petijt. Cujus conferendi etſi qui promiſerant copiam nullam haberent, nihilo tamen ſecius conſentiunt, ſi Placidiam reciperent, accepturum. Ad quæ ſimili fere & ipſe Barbarus ſimulatione utebatur. Maſſiliam interea Valentiâ quam effregerat, & ubi Iovinum ceperat, profectus, dolo eam intercipere tentavit. Sed à Bonifacio nobiliſſimo viro, Africæ poſthac Præfecto, vulneratus, & vix ſalvo capite fugiens, in ſua ſe tentoria recepit: urbem omiſit. quæ lætitia plena, laudibus ac bonis omnibus Bonifacium proſecuta eſt. Nihilo minus Adaulphus idem de Placidiæ nuptiis ſatagens, Conſtantio ſemper eam poſtulanti graviores prætexit poſtulationes; ut ſi compos illarum non fieret, illa juſtè retenta videretur.* Iſta omnia Olympiodorus; clarè docens, ſolam Placidiam, cum hinc ab Ataulpho, hinc à Conſtantio conjux ambiretur, pacis haud initæ cauſam extitiſſe. Quid eâ tandem factum, ſequens annus aperiet.

Cũ Gothis & Athaulpho pax tractatur.

Non perficitur.

Maſſiliam tẽtat Adaulphus. fruſtra.

10. Interim Adaulphus Maſſiliâ repulſus, Maritimæ tamen urbis obtinendæ deſiderium non reliquit: eóque ultra progreſſus Narbonam ſe confert, & eam occupat. Sic enim hoc anno Chriſti 413. Idatii Chronicon, immediatè poſt Jovini, ante Heracliani cædem: *Gothi Narbonam ingreſſi vindemiæ tempore.* Auguſto vel Septembri credo menſe. Unde ſi Jovinus & Sebaſtianus ab Ataulpho Narbone cæſi eſſent ut idem ſcribit Idacius eo primùm menſe cæſi forent. ſed jam antè id factũ narravit Olympiodorus, Idatio hic haud dubiè diſtinctior. An Narbonem Athaulphus feliciore quàm Maſſiliam ſtratagemate, aut apertâ vi, an Conſtantii permiſſu diſſimulatione ejus tenuerit, nemo dicit. Ego vi aut ſtratagemate cepiſſe exiſtimo, quando Romanis nondum tunc reconciliatus erat; & vi quoque indidem à Conſtantio poſt ſeſquiannum ejectus eſt. & bellum illum anno ſequenti continuaſſe videbimus, aliquot etiam urbibus in Aquitania captis; quam etiam ſibi, ſi pacis oblatæ conditiones impleſſet, ultro oblatam innuerat fuiſſet; ut ex Proſpero Pithœano ſuprà audivimus. Quin & hoc eum anno nonnulla provinciæ Narbonenſis oppida cepiſſe, quò faciliorem ſibi ſuiſque commeatum pararet, vix dubito. Et probat Rutilii Itinerarium, cùm canit Victorinum popularem & amicum ſuum in Tuſcia circa Piſas ſe reperiſſe, coactum

Sed Narbonem occupat, vindemiæ tempore.

& ibi moratur.

patriâ

patriâ urbe Tolosâ captâ, eò ſe conferre, & lares externos excolere. Quod plane in hos annos cadit.

CAPUT IV.

Burgundionibus & Alanis ſedes in Galliâ dantur.

Eodem Anno 413.

Conſtantius gentibus in Gallia ſedes aſſignare incipit.

1. NArbone igitur ſecurè degens Adaulphus, cùm pacem non admitteret; Placidam non redderet, quam & ibidem anno ſequenti duxit; Conſtantium interim cogitationes aliò vertere, pacemque cum reliquis in Galliâ barbaris, & ſocietatem, ſedibus in ea conceſſis, inire coëgit. Ac primùm, cum Burgundionibus, qui Jovinum ad Moguntiacum in Germaniâ Superiore cum Alanis ad Imperium extulerant foverantque pacem factâ, Proſper ac Caſſiodorus disertè tradunt: *Luciano Coſ.* inquiunt, *Burgundiones partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt.* & narrat id Proſper ante Jovini Sebaſtianique cædem, ut neſciam an ſuperſtites adhuc ipſos (ut Gothi) deſeruerint Burgundiones, à Conſtantio Honoriòve jam tùm prenſati. Utcumque ſit, Tyrannis ſemel deletis, fixum utrique fuit, Barbaris omnibus, bello deinceps omiſſo, facere ſatis, & quas incolerent ſedes certis conditionibus indulgere: ſive ut Oroſius finiens, alicubi *comprimere, coangustare*, & Imperio quomodocumque *addicere.* Ac veriſimiliter in Hiſpaniis, anni tam prioris exitu quàm hujus exordio, ex certâ eorum ſcientia conſenſuque, Vandali, Alani, Suevi certas ſibi ad habitandum regiones diviſerant, ut ſuprà ex Oroſio Idatioque viſum. Sic igitur & in Galliis attributa Burgundionibus aliiſque ſedes pacem perſuaſit ac firmavit.

Burgundionibus Germaniam Superiorē.

2. Quænam autem illa fuerit, facilè ſtatuerem, ſi cum vulgo ſentirem eam ad Ararim Rhodanumque fuiſſe, quæ nomen etiamnum ab iis ſortita retinet, *Burgundiam.* Sed ab eâ me non parvæ rationes abducunt. Primùm enim Proſper ſedem eam *Rheno propinquantem*, & clariùs Caſſiodorus *Rheno conjunctam*, vocant. cujuſmodi Germania prima potiùs, quàm Æduorum Sequanorumque regio, dici poteſt. quæ Arari Rhodanoque magis, aut æquè certè conjuncta. Rurſum S. Germani Autiſſiodorenſis vita libro 2. c. 2. *Severum Trevirenſem Epiſcopum* teſtatur *gentibus Germaniæ Primæ verbum vitæ prædicaſſe*, circa annum Chriſti 435. annis dumtaxat poſt hunc 23. Gentes autem ibi nullas quàm Burgundiones aptiùs invenies. Ad hæc Sidonius Aviti Panegyrico, v. 234. *Belgam*, ait, *Burgundio quem trux Preſſerat abſolvit*, Aetius, circa eumdem annum Chriſti 235. Sanè faciliùs è Germaniâ Primâ ſeu Superiore, quàm ex Æduis Sequaniſve Belgas quis impetat. Præterea eodem tempore aut paulò pòſt, Gundicarium Burgundionum Regem cum ſuo populo Hunni obtriverunt; faciliùs item in Rheni limite, quàm mediis Galliæ viſceribus. & quis credat Romanos intra Galliæ interiora Barbaros admiſiſſe, quibus ad Belgicæ Borealiora ſimul & Orientalia iter ſibi ſi non præcluderent, certè difficilius, incautius, perículoſiusque redderent? In Germania prima vix ullum ſibi obicem ingerebant. Denique *Burgundionum* ex eâ internecione *reliquiis data* demum *eſt Sabaudia*, teſte Pithœi Proſpero; unde gradum in Sequanos, Æduos Seguſianoſque fecere, quibus & Burgundiæ nomen indidere. Non eam ergo nunc rum primùm inibant, ſed Germaniam primam *Rheno conjunctam eatenus* obtinuerant. Nimirum ea nunc illis terræ ſaltem ex magna parte confirmata poſſeſſio, quam jam per ſe terere coleréque cœperant: ubi JOVINUM Rex eorum Gundicarius ad Imperium extulerat apud Moguntiacum ex Olympiodoro ſuprà. Et erat ea ipſa regio, quæ ſexennio ante ab iiſdem ceteriſque Barbaris lacerata fuerat; cujus populi Vangiones longâ obſidione deleti, Nemetes & Argentinenſes ſub jugum miſſi. prævalidæ genti ideo relicti, ut Tranſrhenanos arcerent, ſi non ut cuſtodirentur: quod de Ubiis ait Tacitus.

Quod variis rationibus probatur.

3. Nam certè Ammianus ſcribit Burgundiones jam inde temporibus priſcis ſciviſſe, ſobolem ſe eſſe Romanam. Quod explicans Oroſius, eos ait quondam ſubactâ interiore Germaniâ à Druſo & Tiberio adoptivis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos in magnam inde coaluiſſe gentem: atque ita etiam nomen ex opere præſumpſiſſe; quia crebra per limitem habitacula conſtituta, Burgos vulgo vocant. eorumque eſſe prævalidam & perniciosam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumptâ poſſeſſione conſiſtunt. Quamvis providentia Dei omnes Chriſtiani modò facti, Catholicâ fide, noſtriſque clericis quibus obedirent receptis, blandè, manſuetè, innocenterque vivant; non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed verè cum fratribus Chriſtianis. Iſta omnia Oroſius, quarto ab hinc anno ſcribens. nempe Chriſti 417. id eſt annis ante Sabaudiam Burgundionum reliquiis aſſignatam, pluſquam viginti. Ut mirari deſinamus, eos ab Romanis tam facilè cis Rhenum admiſſos, quos & ſobolem ſuam meminiſſent, & in Chriſtum proclives. planè ut iis etiam optanda fuerit ea ſedis indulgentia, non minore quàm ab indigenis ipſis fructu. ſi non & majore, quando barbaros alios arcere poterant, quod indigenæ nequibant. Dubium tamen hic ingerunt, eorum ſubſecuti Reges, plerumque Arriani. & Burgundiones non manſuetos ſed truces paulò antè ab Sidonio dictos audivimus. Sed nimirum potuerunt prioribus habitationis ſuæ annis, quibus hæc ſcribebat Oroſius, vixiſſe religioſius atque manſuetiùs: donec eos de integro efferaret armorum iterata reſumptio. Et varia eſt in una gente variorum indoles. Illos quidem Catholica quoque fide per hæc tempora imbutos, teſtis etiam eſt Græcus ſcriptor Socrates.

An Burgundiones tum Chriſtiani. Oroſ. l. 7. c. 32.

4. Burgundionibus in Germaniâ primâ ſeu Superiore ita pacatè fixis; puto reliquos ejuſdem gentis, ſi qui trans Rhenum adhuc ad Mœni fluenta remanſerant, aut popularibus ſuis ultrò cis Rhenum in Gallias acceſſiſſe; aut Francis certè potentioribus adhuc tranſrhenanis, ipſis tunc ad Boream conterminis, ſeu vi ſeu novo fœdere conjunctos. Abhinc quippe priſca iſta Burgundionum ad Mœnum ſedes, Franconia à novis incolis Francis ſeu Franconibus dici cœpta. Et nomen in hunc uſque diem tenaciſſimè perſeverat. Et quinam vacuas eas ſedes commodiùs occupaſſent, quàm vicina ad Septemtrionem Franconum pars? præſertim cùm qui ad meridiem Burgundios attingebant Suevi ſeu

Tranſrhenani Burgundiones Cisrhenanis accedunt.

& ſuas ad Mœnum ſedes Francis relinquunt. Unde Franconia.

Alemanni,

Alemanni, æquè in Gallias ac Burgundiones, imò & cum Vandalis in Hiſpanias hoc tempore penetrarint, ſuis trans Rhenum ſedibus non minus derelictis?

Alanis item ſedes aſſignatæ.

5. Sed quid Alanis factum; quorum Princeps Goar JOVINO quoque cum Gundicerio Burgundionum Rege apud Moguntiacum purpuram curavit? Jam ſuprà monere cœpi, inter Burgundiones ibidem eum ſuorum parte hæſiſſe, aliis ultra cum Vandalis in Aquitaniam Hiſpaniamque pergentibus. hæſiſſe autem ſuſpicor donec poſt annos fere viginti Burgundiones per Aëtium ferè deleti, eorumque reliquiæ in Sabaudiam tranſlatæ, ut infrà. Eodem enim prope tempore qui hoc de Burgundionibus narrat Proſper Pithœanus, addit & de Alanis: Deſerta Valentinæ urbis rura, Alanis quibus Sambida præerat, traduntur partienda. *Sambidam* iſtum Alanorum iſtorum Principem ego quidem Goaris ſucceſſorem, ſi non & filium exiſtimo: Et Alanos iſtos ut ſub Goare Germaniam primum cum Burgundionibus incoluerant, ita ſub Sambida Valentiam ad Rhodanum, Sabaudia Burgundionumque reliquiis haud procul, tanquam priſco viciniæ jure tranſlatos. imò & in unam deinceps eum Burgundis gentem nomenque fortè coaluiſſe, quando nulla hic in poſterum Alanorum, multa perpetuaque Burgundionum mentio; & Regnum percelebre.

Primo ad Valentiam & in Sabaudia.

Deinde in Armoricis Occidentalioribus.

6. Video tamen Alanos alios eodem fere tempore, ſub alio Rege *Eocharich* in rebelles Armoricos ab Aëtio immiſſos, circa annum Chriſti 435. ut in vitâ Sancti Germani Antiſſiodorenſis legimus. & quos Proſper Pithœanus ſcribit Armoricorum iſtorum terras vi & ex Aëtii voluntate occupaſſe, ut ibi reddam. Rurſum annis inde fere ſexdecim, Attila in Gallias irrumpente, Alani ſub *Sangibano* item Alanorum Præfecto (an forte Sambidâno, quaſi Sambidâ) Aureliam ad Ligerim præſidio occupare reperiuntur. ut ibi reddam. Qui omnes Alani, ſive diverſorum Regum fuerint, ſive ſub diverſis quidem Præfectis, ſed uno ſupremo Rege, ut magnâ multitudine in Galliis remanſerunt, ita & diverſa loca, diverſo tempore inſidere potuerunt. Omnibus tamen hoc tempore certarum ſedium aſſignatione factum ſatis.

Neſcio an & Aureliæ.

7. Alemannos quoque, & ipſos Jovini auxiliares, veroſimile eſt, in aliquam Helvetiorum partem admiſſos. ubi poſterioribus annis ſæpè reperiemus. Ita Oroſium aptè explicamus, cùm eum notantem audimus, compreſſas, coanguſtatas, addictas, exinanitasque immaniſſimas gentes; minimo ſanguine, nullo certamine, ac pœne ſine cæde.] ut ſic diverſis regionibus collocatæ, & pacem Romani Imperii cultu juvarēt, & arma dilectu, ait Panegyr. p. 193. velut alter pag. 212. Ut eum conjugibus ac liberis ceteroque examine neceſſitudinum ad loca deſerta tranſirent, & quæ ipſi nuper deprædando vaſtaverunt, culta redderent ſerviendo. quemquam ut Tac. 3. hiſt. non tam ſervitutis, quàm ſocietatis nomine ſe jactarent. Neque verò ſocietate Romanorum, etiam validiorum, attriti ſunt. viros tamen armaque Imperio miniſtrare debebant. Sed ipſi potiùs armis illis viriſque Romanos attriverunt.

Oroſ. l. 7 c. ult.

8. Reliqui erant FRANCI noſtri, perfidiæ labe per hoc ævi, & terno Trevirorum excidio infames. Vix dubito, quin & ipſis pacem Conſtantius atque Honorius obtulerint. Sed tot ſucceſſibus inflati, cùm potiorem ſui quàm reliquorum rationem haberi vellent, æquas pacis conditiones non admitterent, Germanorum certe Inferiorum ſeu Armoricorum noſtratium ſocietati renuntiare nollent; arma Romanorum in ſe provocarunt, & Caſtino Duce anno proximo ſenſerunt. Nam iſto quidem præcipitante, Conſtantius Galliæ jam fere pacatæ gloriâ ingens, è Galliis in Italiam Ravennamque ab Honorio revocatus eſt; laborum tantorum præmia, ſuſcepto Conſulatûs ac Patriciatûs honore, relaturus. ejusque loco in Gallias Caſtinus militiæ magiſter miſſus.

CAPUT V.

Athaulfi cum Placidiâ nuptiæ Narbone. Caſtini in Francos expeditio, quà Theudemer Françorum Rex cæſus.

Annus Chriſti 414. & 415.

Annus Chriſti 414. Conſtātius Comes primum Conſul.

1. ANno Chriſti 414. *Conſtantius Comes*, ait Olympiodorus, *olim deſignatus, Conſul aliquando Ravennæ creatur*: (haud dubiè in rerum tam bene apud Gallos geſtarum præmium) *cum quo Conſtantinopolitanum Conſulatum Conſtans gerit. Auri vis juſta & ſufficiens ad Conſulatûs expenſas in Heracliani bonis reperta*: &c. *cujus facultates omnes unâ poſtulatione ab Honorio Conſtantius accepit. Erat Conſtantius ipſe, cum prodiret, ſubtriſti vultu ac tetrico, ingentibus oculis, ſublatâque cervice, & plano capite; inclinans ſe omnino in equi, quo vehebatur, collum. Et ſic huc illuc torquens oculos, ut digna Imperio forma omnibus appareret. In cœnis tamen atque ſympoſiis jucundus adeo civiliſque, ut & cum mimis interdùm ad menſam ludentibus contenderit.* Hæc Olympiodorus; de Conſtantii Conſulatu. quem etiam hoc anno Patritii dignitate ſublimatum, Proſperi Idatiique Chronica disertè oſtendunt, cùm Patricium illum anno proximè ſequenti nominant. Nec enim ſatis penſari poterat tanto viri virtus ac induſtria.

Qui Heracliani bona, unà petitione acceperat.

Athaulfus Narbone Placidiam Honorii ſororem ſibi jungit.

2. In Galliis Ataulfus apud Narbonam (ait anno Chriſti 414. Idatius in Chronico) Placidiam ducit uxorem. fuſiùs Olympiodorus: *Adaulfo, ſtudio ac conſilio Candidiani, nuptiæ tandem cum Placidiâ conveniunt. Ianuario menſe* (igitur exordio hujus anni) *nuptiis dictus dies, Narbone Galliæ urbe* (quam Septembri proximè elapſo obtinuerat) *in domo Ingenii cujuſdam primarii ejus Urbis viri. Hic digniore loco reſidente Placidia, in atrio Romano more adornato, habituque regio, adſedit & Adaulphus lanâ indutus, omnique alio amictu Romano. Inter alia nuptiarum dona, donatur Adaulphus etiam 50. formoſis pueris, ſericâ veſte indutis, ſingulis utrâque manu binos ingentes diſcos ferentibus, quorum alter auro plenus, alter lapillis pretii ineſtimabilis, quæ ex Romanæ Urbis deprædatione Gothi abſtulerant. Hinc verſus canuntur Epithalamii; Attalo præcinente, dein Ruſtatio atque Phœbadio. Nuptiis ſinis datus, ingenti Barbarorum ſimul, & qui cum iis erant Romanorum luſu gaudióque. Olymp.*] Cui conformis

Nuptiarum ſolemnia.

Oroſius l. 7. c. 40. *In Romanâ irruptione Placidia Theodoſii Principis filia, Arcady & Honorii Imperatorum ſoror, ab Ataulpho Alarici propinquo capta eſt, atque in uxorem aſſumpta. quaſi eam divino judicio velut ſpeciale pignus obſidem Roma tradiderit. Ita juncta Barbari Regis potentiſſimi conjugio, multo Reip. commodo fuit.* Deinceps enim ut idem Oroſius cap. 43. *Ataulphus abſtinere à bello, & paci inhiare nitebatur, præcipuè Placidia uxoris ſuæ, fœmina ſanè ingenio acerrima, & Religione ſatis probata, ad omnia bonarum ordinationum opera, perſuaſu & conſilio temperatus.* præſertim poſtquam filium ex ea anno proximo ſuſcepit: cui & Theodoſio nomen dedit; quod Olympiodorus diſertè notat: & nos ex eo infrà.

Athaulphus inde in pacē pronus.

Conſtantius Comes zelotypus, pacem turbat.

3. Sed Conſtantius Placidiæ jam conjugatæ amore & Zelotypia væcors, pacis conſilia nulla admittebat. prorſus ut bellum reſumere cogèretur Ataulphus. Quod ut majore Gallorum favore adgrederetur, ante omnia purpuram Attalo reſtituit. Sic enim hoc anno Proſper vulgaris: *Conſtantio V. C. Coſ. Attalus Gothorum conſilio & præſidio tyrannidem reſumit in Galliâ.*] Et Paulinus Burdegalenſis in Euchariſtico ſuo, ait ab Attalo ſe tunc privatæ largitionis Comitem creatum; unde & in magno capitis fuerit diſcrimine. Hunc autem Paulinum auctorem Euchariſtici putat Sirmundus in Sidonii Epiſtolam 11. lib. 8. Auſonii ex filio Heſperio nepotem: idque ex ejus verſibus ſe deprehendiſſe ſcribit. Quoque geſtum tunc etiam bellum ab Ataulfo ſciamus, addit Burdegalam urbem ſibi natalem, Regis Ataulfi præcepto direptam & incenſam; tametſi Gothi in eam amicè & in pace recepti fuiſſent. unde cùm ipſe bonis omnibus ſpoliatus exceſſiſſet Vaſatas vicinam Urbem, majorum & ipſam ſuorum patriam; obſidione quoque inibi vallatum ſe queritur, ut fuſiùs iſto ejus Carmine videre potes. Quæ omnia hoc anno contigiſſe, evincit facta ibi Regis Ataulphi mentio, quem nonniſi hoc Chriſti anno 414. Aquitaniam invadere potuiſſe, ſatis docet ſeries hiſtoriæ. Nec tamen quippiam in eum moviſſe legitur Conſtantius; novo Conſulatûs ut reor, ac Patriciatûs honore in Italiâ detentus; & maximè quod immanis hoc anno fames Galliam preſſerit, ut exertè Proſper Pithœi, ordinarium nempe belli veſtigium.

Unde Analo Tyrannidem reddit Athaulfus,

& Burdegalam incendi jubet.

Vaſatenſem urbem obſidet.

4. Conſtantii tamen loco Honorius Caſtinum Domeſticorum hactenus Comitem, in Gallias novum Militiæ Magiſtrum ſubmiſit. Nam illum eodem tempore, quo Patriciatum Codicillis Imperialibus ſortitus eſt Conſtantius, nempe ſuperioris anni fine, ſuſceptâ in Francos, qui reliqui in armis erant, expeditione in Gallias miſſum, docet nos ex Frigerido Turonenſis; qui ſi plura ejus loca exſcripſiſſet, plura quoque de hoc aliiſque in Belgicâ bellis ſuppeterent: Nunc paucas, quæ ex ingenti ſuperſunt naufragio, tabulas colligam. Sic igitur ille: *Cùm autem Aſterius Codicillis Imperialibus Patriciatum ſortitus fuiſſet, hæc adjungit* (Frigeridus:) *Eodem tempore Caſtinus Domeſticorum Comes, expeditione in Francos ſuſceptâ, ad Gallias mittitur.* Idem ferè ſuggerit poſterior ſeu Fredegariana Turonenſis Epitome, cap. 8. Verùm quis ille *Aſterius* Patriciatum ſortitus? Eſt ejus nominis per hos annos unus apud Idatium, ſed Hiſpaniarum dumtaxat Comes. Planè Conſtantius hîc pro Aſterius exiguâ litterarum mutatione ſubſtituendus eſt: in quem ſcilicet dignitates omnes pro meritis conferebat Honorius, non in Aſterium iſtum ignotiorem. Et ſane anno proximè, ut dixi, ſequenti, Patricius à Proſpero vulgari Idatioque nominatur Conſtantius; idemque convincit ſeries hiſtoriæ. Conſtantio igitur auctore, qui ut Gallias pacaret, nihil non tentabat, poſt ſeriam ut apparet deliberationem, cùm æquam pacem Franci non admitterent, Caſtinus vir utique militaris & impiger, ad Gallias contra eos expeditur: quem tamen nonniſi fame maturis jam frugibus remittente, in aciem prodiiſſe exiſtimo.

Caſtinus novus militiæ Magiſter in Francos mittitur.

Ex Profuturo Frigerido, apud Greg. Turon. l. 2. cap. 9.

5. Cùm Treviros igitur, priſcam ac ordinariam hactenus in Belgia Imperii ſedem & armamentarium, adveniſſet, triplicique everſione ferè à triennio proſtratos reperiſſet; animum ad eos erigendos, dum frumentum matureſcit, appulerit. Cumque erigendi modos à variis exquireret; *Pauci nobiles* (ait Salvianus iſta videns) *qui excidio ſuperfuerant, quaſi pro ſummo deletæ Vrbis remedio, Circenſes ludos ab Imperatoribus poſtulabant.*] *Ludicris operam* libenter *dediſſe* Conſtantium teſtatur Olympiodorus. Quo forte moti Trevirenſes hi, Circenſes petierint: ad quos ſcilicet non Conſtantium modò Conſulem atque Patricium, ſed & Romanos ingenti ſtudio confluere ſolitos ex illo quoque Perſii intelligimus, *Duas populus res anxius optat, Panem & Circenſes.* Circenſes ergo in novi populi confluxum petebant Treviri; ceu urbis & Metropolitanæ dignitatis nondum perditæ ſingulare remedium. ridiculè juxta, inaniter, ac perditè. Unde petitionem iſtam non ut ludicram Salvianus accipit, cùm in eam ſic acerbiùs invehitur: *Vellem mihi hoc loco, ad exequendum rerum indignitatem, parem negotio eloquentiam dari: ſcilicet ut tantum virtutis eſſet in querimoniâ, quantum doloris in causâ. Quis enim exiſtimare poſſit, quid primum in his, de quibus diximus, accuſandum ſit: Irreligioſitas, an ſtultitia, an luxuria, an amentia. totum quippe in illis eſt. Quid enim aut irreligioſius, quàm petere aliquid in injuriam Dei? aut quid ſtultius, quàm quid petas, non conſiderare? aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res deſiderare luxuriæ? aut quid amentius, quàm in malis eſſe, & malorum intelligentiam non habere? Quanquam in iis omnibus nulla res minus culpanda eſt, quam amentia: quia voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo magis hi de quibus loquimur accuſandi ſunt, quia ſani inſaniebant.*

Caſtinus Treviros inſtaurare nititur.

Lib. 6 p. 216. & ſeqq.

& quidem per Ludos Circenſes.

Quod valde improbat Salvianus.

6. *Circenſes ergo, Treveri, deſideratis; & hoc vaſtati, hoc expugnati, poſt cladem, poſt ſanguinem, poſt ſupplicia, poſt captivitatem, poſt tot everſæ urbis excidia. Quid lacrymabilius hac ſtultitia? quid luctuoſius hac amentiâ? Fateor, miſerrimos eſſe vos credidi, cùm excidia paſſi eſtis, ſed miſeriores vos video, cùm & ſpectacula poſtulatis. Putabam enim vos in excidiis rem tantum atque ſubſtantiam, neſciebam etiam ſenſum atque intelligentiam perdidiſſe. Theatra igitur quæritis, Circum à principibus poſtulatis. Quæſo cui ſtatui, cui populo, cui civitati? Vrbi exuſtæ ac perditæ, plebi captivæ & interemptæ, quæ aut periit, aut luget? &c. Ludicra ergo publica Treveri petis: ubi quæſo exercenda? an ſuper buſta & cineres, ſuper oſſa & ſanguinem peremptorum? Quæ enim Vrbis pars his malis omnibus vacat, ubi non cruor fuſus, non ſtrata corpora, ubi non concifforum membra lacerata? Vbique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Iacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos defunctorum ſuorum; & tu Circenſes rogas? Nigra eſt incendio civitas & tu vultum feſtivitatis uſurpas?*

& amentiam appellat.

Cùm ludicra iſta nonniſi inter oſſa cæſorū exerceri poſſent.

Unde Treviri, quia tribus excidus non emendati, quarto perire meriti.

uſurpas. Lugent cuncta, tu latus es. Inſuper etiam illecebris flagitioſiſſimis Deum provocas, & ſuperſtitionibus peſſimis iram divinitatis irritas. Non miror planè, non miror tibi eveniſſe mala, quæ conſecuta ſunt. Nam quia tertia excidia non correxerunt, quarto perire meruiſti.

Treviri moribus magis everſi, quã rebus.

7. Et paulò antè, p. 210. & ſeqq. *Scio in patrio ſolo* (nota) *atque in civitatibus Gallicanis, omnes fermè præcelſiores viros, calamitatibus ſuis factos fuiſſe pejores. Vidi ſiquidem ego ipſe Treveros domi nobiles, dignitate ſublimes, licèt jam ſpoliatos atque vaſtatos, minus tamen everſos rebus quàm moribus: ut licet jam à Barbaris everſi eſſent, à ſe tamen magis everterentur. Lugubre eſt referre quæ vidimus: ſenes honoratos, decrepitos Chriſtianos, imminente admodum jam excidio civitatis, gulæ ac laſciviæ ſervientes. Quid primum accuſandum eſt? quòd honorati, an quòd ſenes, an quòd Chriſtiani, an quòd periclitantes? Quis enim hoc fieri poſſe credat, vel in ſecuritate à ſenibus, vel in diſcrimine à pueris, vel unquam à Chriſtianis? Iacebant in conviviis obliti honoris, obliti ætatis, obliti profeſſionis, obliti nominis ſui. Principes civitatis cibo conferti, vinolentiâ diſſoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furioſi: nihil minus quàm ſenſus ſui: imò quia propè jugiter tales, nihil magis quàm ſenſus ſui. Sed cùm ita eſſent, plus multo eſt quod dicturus ſum: finem huic perditioni nec civitatum excidia fecerunt. &c.* quæ ille fuſiùs; & nos cum illo paulò infrà.

Annus Chriſti 415. Caſtinus Francos bello impetit.

8. Igitur civitatem hanc ita everſam, ita corruptam, ſed Galliarum nuper principatu florentem, Caſtinus utcumque reſtaurare aggreſſus, bellum ſimul extremo hoc anno in Francos apparavit: & ſequentis demum anni 415. vere ſuſcepiſſe credo. In quo quid præſtiterit, nulli produnt. Nam quod Geſta Francorum Epitomata capite 8. referunt, Caſtinum *Francos protriviſſe, Rhenum tranſiſſe*, ex Oroſii flexis aliorſum verbis rapiunt; & inſcitiam præterea ſuam produnt, cùm ſubdunt: *Gallias pervagatur, uſque ad Pirenæos montes pervenit.* Quid enim ad Francos Pirenæi montes? Sed neque protritos ab eo Francos admittit pax iis mox data; neque quarta Trevirorum everſio ab iiſdem hoc tempore facta. Magnis quidem viribus, magno ardore illatum à Caſtino bellum ſat pervideo: quando Honorio vires abundè ſuggerebant Italia jam & Africa liberrimæ, Illyricum item & Galliæ magna ex parte ſublevatæ. Ardorem & iram acuebant ipſi Franci, qui omnium Barbarorum ſoli vires ſuas cum Romanis experiri, & capita committere pergerent. Parte aliâ Franci quoque initâ cum Belgis Inferioribus ſocietate, & partâ de Vandalorum gente tantâ victoriâ, nihil de ferociâ remittebant.

Nihil de ferocia ſuâ remittẽtes.

Simul indignum cenſebat gens pertinax, quæ ſupra centum annos tot irruptionibus ſedes ſibi in Galliâ quæſiviſſet, prædam tanto ſanguine prenſatam unius Caſtini bello laxare, quam neque Vandali, neque tyranni Coſtantinus Jovinusque extorquere potuiſſent. Ad hæc Burgundiones aliique non tantis viribus homines, quietas cis Rhenum in Germania prima ſedes bonâ Romanorum voluntate retinebant; Germaniam Inferiorem & Secundam, tanto ab Italia remotiorem, & Imperii extremam; tanto Franci ipſi valentiores ſibi non aſſererent? Magnis prorſus animis geſtum utrinquè bellum neceſſe eſt; magnis utrinquè cladibus.

Theodemer eorum Rex Ciſrhenapus à Caſtino cæditur cum matre Aſcilâ.

9. Et à Caſtino Romaniſque primùm illatam Francorum Regi Theudemeri necem hoc bello perſpicio. Necis quidem teſtis eſt ipſe quoque Gregorius Turonenſis: *In Conſularibus*, inquit, *legimus, Theodemerem Regem Francorum, filium Richimeris quondam, & Aſcilam matrem ejus gladio interfectos.* Necis autem illius ad hoc bellum tempúſve referendæ, fidem primò faciunt. Geſta illa Francorum à Fredegario Epitomata, cap. 8. ubi ita legimus: *Caſtinus Domeſticorum Comes expeditionem accepit contra Francos, eóſque proterit.* quæ ſequuntur ex Oroſio male aſſuta ſunt. Rectiùs capite 9. ſequenti: *Franci electum à ſe Regem crinitum ſuper ſe creant, nomine Theudemerem, filium Richemeris; qui in hoc prælio* (Caſtini ſcilicet) *quod ſuprà memini, à Romanis interfectus eſt.* Sane hoc pariter cædis ejus tempus, Richimeris Patris illius ætas & mors aſſerit. Suprà quippe Richomerem in ipſo Theodoſiani belli contra Tyrannum Eugenium apparatu, circa annum Chriſti 392. vel 393. morte abreptum è Zoſimo retulimus. hoc eſt annis ab hoc tẽpore, non multo ſupra viginti. Ut ergo Theudemer in patris morte annorum viginti fuiſſet, (juniorem tamen facere poſſumus) quadrageſimum hoc prælio ætatis annum non adeo ſuperaret: quo & Aſcilam matrem adhuc vigentem commodè videre potuerit annorum vixdum 60.

10. Theudemerem neſcio an Ivo Carnotenſis in ſua de Francorum Regibus Epitome, ſub nomine *Didionis* intelligat. Mihi quidem ſatis compertum, nomina *Didio* & *Thiedo* diverſa non eſſe; ab eadem ſcilicet radice *Diet* & *Thiet* ſeu *Theut* (quo divinum quidpiam Germanicè ſignificari ſuprà diximus) deducta. Unde & formata *Dietmer*, ſeu *Dietmarus*, & *Theutmer* ſeu *Theudemer*, longiora vocabula. Eadem plane ratione, quâ *Theudo* & *Thiodes* apud Jornandem & Iſidorum, eadem ſunt; ac nominum longiorum *Theodoric Theudemirique* fontes. Poſteriores quippe ſyllabæ *Ric* & *Mer*, voces ſunt nomini *Diet* ſeu *Thiet*, *Thied*, & *Theudo* additæ. Ita *Bernardus* & *Berno*, *Conradus* & *Cono* nihil differunt. *Didio* igitur & *Thiedo* ſeu Theudo; & quæ ab iis effinguntur Dietmer, Diedmer, Thietmer, aut Theudmer, voces eædem ſunt. Verùm Ivo hîc Didionem ſuum non Richimeris, ut Gregorius, ſed Faramundi filium facit. an bene, viderit Lector. Ego non facile aſſentior, Gregorium potiorem ſecutus; nec ignarus Faramundum tam Gregorio Turonenſi, quàm poſteriori ejus Epitomæ innominatum, poſteriorem quoque Theodemere Regem fuiſſe.

Quis ille Theodemer.

Non eſt Faramundi filius, quia eo anterior.

11. Sunt & qui Theodemerem ac Faramundum unum eumdemque exiſtiment; multò adhuc pejus; quando Theudemerem Richimeris filium facit Gregorius; Marcomiri verò Faramundum ferè omnes: aut ut pauciores alii, Sunnonis; nemo certe Richimeris. & Faramundi Regnum ad Chlogionis uſque ſucceſſionem æquè multi propagant; cum Theodemer Caſtini prælio ſuperſtes haud fuerit, ab eo cum Aſcilâ matre gladio peremptus, ſive in ipſo pugnæ ardore, ſive poſtquam captus eſt, velut jure in rebellionis pœnam capite plexus. Nam illum non minus quàm Richimerem patrem ſub Romanis ſtipendia meruiſſe, illis ideo fide obſtrictum; longoque jam à patre uſu Galliarum fortaſſis ac Palatii Imperialis incolam, non dubito. quando teſte Ammiano lib. 15. floruit hoc tempore Francorum in Palatio multitudo. Talis igitur Theudemeris exitus fuit. quem primum Francorum cis Rhenum, & ſaltem Saliorum Regem

Neque ipſemet Faramundus.

nonnulli

nonnulli putant; & aliquo ſenſu non malè. ut qui ſi non Armoricis Belgiſque noſtratibus junctus, ſaltem Saliis juxta Tungros à Juliano quondam admiſſis impoſitus, Francici ibidem regni fundamenta primus jeciſſe videatur: idem ſentiente Vendelino noſtro in lege Salicâ. Quæ tamen cùm ad culmen non perduxerit, inopinata cæde ſucciſus; neque dum ab Honorio Auguſto Regis inſignia cum ceteris Barbaris adeptus; ſimul non trans ſed cis Rhenum in Romano ſolo natus; Francorum Ciſrhenanorum primus Rex neque à Romanis, neque à Tranſrhenanis ipſis agnitus eſt. tametſi Gregorius Turonenſis poſt illatam Regum crinitorum mentionem, ſtatim Theudemeris ante alios omnes Reges meminerit. quod & ejus Epitome ſecunda facit. Maluêre Franci poſteri primi Regis titulo Pharamundum honorare, quòd & ipſe tranſrhenanus cum popularibus ſuis Chattis cis Rhenum admiſſus, tùm ab Imperatore Honorio pace factâ probatus ſit; & conſtanter ad mortem cis Rhenum ſceptra tenuerit. ut ſuo loco fuſiùs. Fixum hic interim maneat, Theudemerem qualemcumque Francorum in Romano ſolo Regem neque ab Honorio, neque à Francis adhuc tranſrhenanis agnitum; à Caſtino Duce Romano cum Aſcilâ matre, hoc ferè Chriſti anno 415. gladio percuſſum; præſertim ſi à Tranſrhenanis odio populari deſertus fuerit.

Neque primus Francorum cis Rhenum Rex.

CAPUT VI.

Trevirorum quartum & poſtremum excidium. Athaulphus in Hiſpaniam abit; ubi moritur.

Eodem Anno 415.

1. THeudemeris interitu, & relatâ de Francis victoriâ læti Belgæ noſtri, præſertim Primi, à Romanis nondum avulſi, nedum rebelles; ac præ ceteris Treviri, in Metropoleos ſuæ reſtaurationem tantò acriùs incumbere perrexerint. Et probabiliter Caſtinus debellatum ratus, copiarum ſuarum partem Conſtantio Comiti contra Adaulphum remiſerit. de quo mox. Ex adverſo Armorici noſtri, & iis juncti Franci, veriti ne Caſtinus victoriâ inflatior, gradum ad ſe faceret; maturè ſibi providendum cenſuêre. Totis ergo viribus undequaque collectis; Caſtini Romanorumque incuriâ, proſperitatis ordinariâ comite, bene uſi; in eamdem Trevirorum Auguſtam, necdum vallo præſidioque ſat munitam, ceu feralem hoſtium ſuorum ſedem, & exitiale armamentarium, iras impetumque vertunt. Nec retinebant Agrippinenſes, pari metu, ſimul inſito inter vicinas & ferè æquas urbes odio. ut in ſimili, Lugdunenſes inter atque Viennenſes notat Tacitus hiſtoriarum primo. Junguntur igitur, & urgent. Nec ceſſant, donec expugnent, & evertant. Nam quia ter priùs exciſa, ter quoque ſurrexerat; quarto hoc demum excidio ita ſubruere inſtituêrunt, ut caput deinceps attollere non poſſet. quod & incendio, & ædificiorū tabidâ ferè extirpatione aſſecuti ſunt. Proſus ut è quatuor iſtis Trevirorum excidiis, à Salviano memoratis, vehemens mihi ſuſpicio ſit, tria poſteriora non tam à Vandalis aliiſve barbaris; quàm à Francis, & qui iis tunc juncti erant, Armoricis, & Ripariis Agrippinenſibus illata fuiſſe. Quæ etiam cauſa fuerit, cur totum memoria pænè extincta ſit; Francis, cùm poſteà rerum in Galliâ potiti ſunt; id maximè, tantæ immanitatis pudore tædioque, procurantibus.

Caſtinus partem copiarum ſuarum Conſtantio Comiti remittit.

Unde Franci Trevirum tertio evertunt.

Fortè & cū illis Armorici & Colonienſes.

2. Vellem Auctorem mihi ſuppetere, qui minuta quæque hujus excidii perſequeretur: ad verbum hic exſcribere non pigeret, dignum tantæ civitati Epitaphium. Unus ſupereſt Salvianus, cujus ecce non tam hiſtorica quàm expoſtulatoria & deploratoria verba: *Denique expugnata eſt quater urbs Gallorum Trever opulentiſſima. Promptum eſt de quo dicam: Sufficere utique debuerat emendationi prima captivitas: ut inſtauratio peccatorum non inſtauraſſet excidium. Sed quid plura? Incredibile eſt quod loquor. aſſiduitas illic calamitatum, augmentum criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monſtrum, ut fabulæ ferunt, quod multiplicabat occiſio *: ita etiam in Gallorum excellentiſſimâ Urbe ipſis, quibus coercebantur, ſcelera plaga creſcebant. ut putares pœnam ipſorum criminum, quaſi matrem eſſe vitiorum. Et quid plura? Ad hoc quotidie malorum pullulantium multiplici ratione perventum eſt, ut faciliùs eſſet Urbem illam ſine habitatore, quàm ullum pænè habitatorem eſſe ſine crimine.* Hæc Salvianus. ſatis innuens, ante quartum hoc & poſtremum excidium, adhuc inſolentiores fuiſſe Treviros: & ſucceſſu quopiam ſecundiore (qualem Theodemeri cladem diximus) priorum calamitatum oblitos, pendentem adhuc iram Dei, non modò non placare curaſſe, ſed & inſuper acuiſſe.

Salvianus de quarto hoc excidio verba. *Lib. 6.*

* nempe Hydra.

3. Ceterùm poſtremum hoc excidium in hunc annum retuli, Primo Salviani verbis, quæ jam antè exſcripſi, perſuaſus; quæ tertiam & priorem hâc everſionem non multo ab hac quartâ tempore disjunctam ſuggerunt; dum mala præterita ut ſatis recentia memorant. & paucos nobiles, qui penultimo ſuperfuerant excidio, Circenſes ab Imperatoribus poſtulaſſe teſtantur: nempe ab Honorio & ejus magno Duce, mox etiam Imperii conſorte, Conſtantio, quem Circenſibus maximè delectatum & poſt annos totos quinque extinctum teſtatur Olympiodorus & alii. Sed & hoc idem quartæ iſti everſioni tempus fortiùs adſtruit nova Honorii Conſtitutio: quâ vix toto abhinc triennio, nempe anno Chriſti 418. Imperii Gallicani ſolium Arelatum transferri juſſit: nullo utique potiore fundamento, quàm quòd Auguſta Trevirorum jam eſſet, ut ait idem Salvianus, *quadruplici everſione proſtrata;* nec facile reſtauranda: aut ut paulò infrà; *quæ tribus excidiis non correcta, quarto perire meruiſſet.* Cur enim etiam pace mox cum Francis Barbariſque aliis factâ tranſtuliſſet, ſi non major aliqua Urbis inſtaurandæ deſperatio, quàm ex tertiâ ejus everſione, ſuccreviſſet? Sic igitur hoc anno demum Chriſti 415. planè periit Urbs Gallorum nobiliſſima, velut altera in orbe Gallicano Roma; totius etiam Imperii Auſonio tum viventi ſcribentique, ordine ſexta. tantæ molis opus, ut nonniſi quartò obrui potuerit excidio. Quorum primum intulere Vandali cum ſociis anno Chriſti naſcente 410. Secundum Franci eodem expirante; tertium, continuâ malorum ſerie, ut notat Salvianus, iidem adhuc

Ludos Circenſes à Conſtantio petunt Treviri.

Treviris everſis Arelatum fit caput Galliarum.

Franci

Franci anno proximè ſequente 411. Qui & Quartum denique iſtud, quaſi decumanum atque decretorium, hoc anno 415. poſt tertium quarto, poſt primum ſexto, vix remiſsâ rabie conſummarunt. Cujus tamen rabiei gentem iſtam tunc fallacem atque lubricam ita puduit atque pœnituit; ut in civitatis poſſeſſionem victria paulò pòſt inducta, ejus memoriam æterno obruere ſilentio conata ſit. & verò, abſque Salviano uno eſſet, penitus obruerat. Qui & ipſe tamen illam in tot excidiis nominare non auſus eſt: iram credo victorum, patriique ſoli poſſeſſorum non inſulsè veritus.

Nec Franci victores Treviros reparare voluerunt.

4. Eſt quidem in Notitia Imperii annis poſt hunc ferè 20. ſcriptâ, quarumdam in ea civitate dignitatum, quorumdam opificiorum mentio; ſed exilis & incerta; nec quia reſtaurata eſſet civitas; ſed quòd ab Aetio contra Francos in Ripuariam per ea tempora repulſos certaturo, paucula quædam belli inſtrumenta inducta fuiſſent. Arelati certe hærebat tunc ſua capitalis Galliarum dignitas, nunquam Treviros inde relata. Sed neque Urbem Franci poſthac victores unquam reparare voluerunt: ſede potiùs Regni ſui novi, quod à ſitu Auſtraſiam, ſeu Regnú Orientale vocitarunt, in vicinam Mediomatricum civitatem, cùm primùm licuit, tranſlatâ. Hinc tam pauca tantæ ſub Romanis Treviricæ Majeſtatis ad nos pervenere monimenta.

Metas prætulerunt.

Manſit tamen & etiamnum viget Archiepiſcopalis dignitas; non modica item Amphitheatri rudera. & ſtabat adhuc anno Chriſti 1612. menſe Junio Triumphalis Arcus à Valentiniano primo Gratianóve quondam, ut apparebat, extructus, à me tunc ſatis integer non ſine admiratione voluptateque viſus; eoque anno non ſine antiquariorum dolore deſtructus, licèt aliis uſibus utilioribus applicatus. Superſunt & nonnulla Imperialis & ut putant Conſtantiniani Palatii veſtigia, quæ jam novi & Archiepiſcopalis partem componunt; aliaque paucula quæ oſtentant indigenæ. Ipſa Urbs, quæ Auſonio *Lata per extentum trudebat mœnia collem*, nunc multo reſtrictior, neque vallem tranſgreſſa. Sed ad narrationem.

Conſtantius Athaulphũ Narbone in Hiſpanias pellit.

5. Dum hæc in Belgica prima geruntur, *Conſtantius Comes* (ait Oroſius anno V. C. 1168. qui Varronianus rectè, eſt hic annus Chriſti 415.) *apud Arelatum conſiſtens*, (ex Italia nempe, quam anno ſuperiore fere toto & Conſul incoluerat; & Patricius, in Gallias adverſus Adaulphum redux) *magna rerum gerendarum induſtriâ, Gothos Narbona expulit, atque abire in Hiſpaniam coegit. interdicto præcipuè atque interclusſo omni commeatu navium, & peregrinorum uſu commerciorum.* Novis credo à Caſtino Francorum victore receptis auxiliis. *Gothorum tunc populis Athaulphus Rex præerat.* Eodem modo Proſper & Idatius in Chronicis, *Athaulphum à Conſtantio Patricio* (nota Conſtantio Patricio, non vitioſo illo Aſterio) *Narbone in Hiſpanias expulſum* ſcribunt hoc anno, Oroſio per omnia conſormes.

Qui tamen deinceps in Romanos pronior.

Addit Oroſius: *Athaulphus, ut ſæpè auditum, atque ultimo exitu ejus probatum eſt, ſatis ſtudioſè ſectator pacis, militare fideliter Honorio Imperatori, ac pro defendendâ Romanâ Rep. impendere vires Gothorum præoptavit. Nam ego quoque ipſe virum quemdam Narbonenſem, illuſtris ſub Theodoſio militiæ, etiam religioſum, prudentémque, & gravem, apud Bethleem oppidum Palæſtinæ, beatiſſimo Hieronymo Presbytero referente, audivi, Se familiariſſimum Athaulpho apud Narbonam fuiſſe, ac de eo ſæpè teſtificatione didiciſſe; quod ille, cum eſſet animo, viribus, ingenióque nimius, referre ſolitus eſſet, Se imprimis ardenter inhiaſſe, ut obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum, Gothorum Imperium & faceret, & vocaret: eſſétque, ut vulgo loquar, Gothia, quod Romania fuiſſet; fierétque nunc Athaulphus, quod quondam Cæſar Auguſtus. At ubi multâ experientia probaviſſet, neque Gothos ullo modo parere legibus poſſe, propter effrenatam barbariem, neque Reip. interdici leges oportere, ſine quibus Reſp. non eſt Reſp. elegiſſe ſe ſaltem, ut gloriam ſibi de reſtituendo in integrum augendóque Romano nomine, Gothorum viribus quæreret; habereturque apud poſteros Romanæ reſtitutionis author, poſtquam eſſe non poterat immutator. Ob hoc abſtinere à bello, ob hoc inhiare paci nitebatur: præcipuè Placidiæ uxoris ſuæ, fœmina ſane ingenio acerrimæ & Religione ſatis probatæ, ad omnia bonarum ordinationum opera, perſuaſu & conſilio temperatus.* Ita Oroſius. Nec aliter Olympiodorus:

Quorum vult eſſe reſtitutor.

Adaulpus nato ſibi è Placidiâ filio (hoc anno ſcilicet 415. à nuptiis ejus ſecundo) *cui Theodoſio nomen dedit; Romanam amplius Remp. amare videbatur. Verum Conſtantio ejúſque aſſeclis repugnantibus, ejus & uxoris Placidiæ pacis ineundæ conatus fruſtra fuerunt.* Nimirum Adaulphum ob Placidiam uxorem ſibi præreptam non ferebat Conſtantius.

Præſertim filio è Placidiâ ſuſcepto.

Qui tamen moritur Barcinone.

6. Galliis ergo poſt triennium (ut rectè Jornandes) Narbone poſt ſeſquiannum excedens Athaulphus, à Conſtantio juxta Oroſium pulſus; juxta Jornandem verò, *Hiſpanos deliberans è Vandalorum incurſibus eripere ſuis opibus, cum certis fidelibus derelictis plebéque imbelli, interiores Hiſpanias introivit, & Barcinonam* terrâ tenuit.] ubi (pergit Olympiodorus) *extinctum infantem ſuum vehementer cum Placidiâ doluit, argenteáque capſâ conditum juxta Barcinonem in templo quodam ſepelierunt*] Porro *Gothis ad Hiſpanias migrantibus* (ſcribit hujus anni Coſs. Proſper) *neglectus Attalus & præſidio carens, capitur; & Conſtantio Patricio vivus offertur.* Similiter Oroſius: *Attalus tanquam inane imperii ſimulachrum, cum Gothis uſque ad Hiſpanias portatus eſt. Unde diſcedens navi, & incerta moliens. in mari captus, & ad Conſtantium Comitem deductus eſt.*

Ut & ipſe Athaulphus

7. Nec multo pòſt *Athaulphus, dum paci petenda atque offerenda ſtudioſiſſimè inſiſteret, apud Barcinonem Hiſpaniæ urbem, dolo ſuorum, ut fertur, occiſus eſt.* Oroſ.] *à quodam ejus domeſtico* (addit Olympiod.) *Dobbis nomine, dum equos ſuos in ſtabulo contemplatur. Dobbis enim prior dominus, Gothicæ partis Rex* (credo Sarus, de quo ſæpè ſuprà, & iterum paulo pòſt) *fuerat ab Adaulpho è medio ſublatus. Exinde Dobbium receptum Adaulphus in ſuam familiam adſciverat. qui in ultionem prioris Domini, alterum hunc injectâ manu violenta ſuſtulit.* Olympiod.] *Vernulſum*, non *Dobbium* parricidam hunc vocat Jornandes; *deque ejus ſtaturâ Adaulphum ridere ſolitum* addit. *Moriens Adaulfus* (rurſum Olympiodorus) *fratri ſuo injunxit, ut Placidia Honorio redderetur; atque Gothi, ſi quo modo poſſent, Romanæ ſibi gentis concordiam ſocietatémque conciliarent.*] Mortis hujus tempus ex ſolo Chronico Alexandrino diſcimus; *Honorio X. & Theodoſio VI. Auguſtis Coſs.* (eſt hic annus Chriſti 415.) *menſe Gorpiæo ſeu Septembri, 8. Kal. Octobres, die Veneris, nuntius ab Imperatore Honorio allatus eſt* (Conſtantinopolim) *de cæde Adaulphi barbari in ſuperioribus partibus.* nempè Hiſpaniæ. Rectè octavus Kalendas Octobres, ſeu Septembris 24. dies, hoc anno Chriſti 415. qui eſt Æræ Hiſpani-

cæ 453. dies Veneris fuit; littera Dominicali C. Igitur Athaulfus circa Septembris initium cæſus fuerit.

Cui ſuccedit Sigerichus,

8. Athaulfo mortuo *ſucceſſit* (iterum Olympiodorus) *Sari frater* (nota) *Sigerichus* (Regerichus Jornandi) *ſtudio potiùs ac vi, quàm ſucceſſione aut lege creatus.* Statimque *Adaulphi è priore conjuge liberos,* (ſex facit ejus Epitaphium) *vi è ſinu Sigeſari Epiſcopi abreptos, occidit. Ipſam Placidiam Reginam, in Adaulphi ſcilicet contumeliam, pedibus ante Equum, unà cum ceteris captivis, ambulare coëgit. idq; toto illo ſpatio, quod eſt ab urbe ad 12. lapidem. Septem ille dies cum imperaſſet, interemptus eſt. Et Gothorum Dux Valias conſtituitur.* Ita Olympiodorus. Ita fere & Oroſius, Proſper, Idatius, & Jornandes. Waliæ igitur regnum ab ineunte Octobri deducendum, hoc anno Chriſti 415.

poſt dies 7 occiſus,

ſucceſſore Walla.

Vandali & ſocii pacem ab Honorio impetrant.

9. Vandali, Alani, Suevique Hiſpanias jam inter ſe partiti, ſimulac Gothos eas intraſſe audierunt eodem quo Gallias deſeruerant metu, velut ad commune incendium, reſtinguendum conſpirant, & abs Honorio Imperatore pacem poſtulant. Quam ut citiùs impetrarent, ei mandant, ſi Oroſio fides: *Tu cum omnibus pacem habe, omniúmque obſides accipe. Nos nobiſcum confligimus; nobis perimus; tibi vincimus. Immortalis verò quæſitus erit Reip. tuæ, ſi utrique pereamus.* Oroſio ſuffragatus Procopius, etiam pacis conditiones apponit. *Cum Godigiſclo* (inquit, Gundicario melius diceret, nam Godigiſilus jam fere quinquennio in Galliis, ut diximus, interierat) *cum Gundicario* igitur *Vandilorum Rege convenit Honorius, ut in Hiſpania ſedes, minimè tamen ceteris habitatoribus nocentes haberet. Nam cum lex Romanis eſſet, ut hi qui jam annis 30. ad manus ſua non poſſiderent, ob præſcriptionem jus amplius repetendi non eſſet; ea annorum præſcriptione Vandilis uti nullo pacto liceret.*] Ita commiſſis inter ſe Barbaris; quod ſagaciter in Athaulphi expulſione odoratus erat Conſtantius; pacis tam diu extinctæ ſcintilla & ſpes aliqua Romanis affulſit; & anno ſequenti cum Gothis etiam illuxit.

Conditionibus à Procopio memoratis.

Unde Conſtantius Aquitaniá recuperat.

10. At in Galliâ Gothis abſcedentibus, nihil dubito, quin Conſtantius Narbone recepto, finitima quoque omnia in Aquitaniâ receperit: qui Gothis Attaloque faverant, punierit; in iis Euchariſtici auctorem Paulinum: turbata pacaverit, collapſa erexerit. Et ultra Aquitanias, ac Narbonenſes Viennenſéſve; etiam Lugdunenſes omnes Honorii Imperio de integro reddiderit. Nova tum lux iis oriri viſa: tot tyrannis extinctis, tot Barbaris & gentibus immaniſſimis aut proſtratis, aut expulſis, aut addictis. Sola Galliarum quarta pars Belgica noſtra, Septemtrionalior maximè, Urbe ſua excellente ſuccisâ, gemebat, necdum à Francis omnibus, necdum Saxonibus libera; ſupplicesque manus ad eamdem pacem Honorio Conſtantioque tendebat. quam & proximo anno, non parva tamen ſui ſuccisione, obtinuit.

Belgicæ pleraque Barbaris relinquit.

CAPUT VII.

Pax tandem Galliis redditur. Armorici, Britanniq; ad Imperium reducti.

Annus Chriſti 416.

Pax Gallica vix ante autumnum anni 416. coaluit.

1. ANnus Chriſti 416. Galliis illucet longe ſereniſſimus, quo poſt decennem penè Vandalicam Gothicamque depopulationem, pax tandem optata coaluit; licèt dierum duntaxat quaſi Halcyoniorum; ut quæ Barbaris intra Imperii viſcera ſemel admiſſis, diu firméve ſtare non poſſet. Neque verò multò antè autumnum coaluit, priore anni parte quibuſdam præcedentium bellorum reliquiis adhuc fumantibus. Proſper quidem, ſeu quis alius, libri de Divinâ providentiâ verſu ſcripti, auctor, in præfatione, Vandalicam Gothicamque depopulationem nondum decimo jam anno ſopitam elegiacè canit, quando alius ſcriptor non ſuppetit:

Proſperi de hac pace Elegia.

2. *Maxima pars lapſis abiit jam menſibus anni,*
Quo ſcripta eſt verſu pagina nulla tuo.
Quæ tam longa tibi peperêre ſilentia cauſa?
Quíſve dolor mæſtum compreſſit ingenium?
Quanquam & jam gravibus non abſint carmina curis,
Et proprios habeant triſtia corda modos.
At ſi te fracti perſtringunt vulnera mundi,
Turbatúmque unà ſi rate fert pelagus,
Invictum deceat ſtudiu ſervare vigorem;
Cur manſura pavent, ſi ruitura cadunt?
O felix, cui tanta, Deo tribuente, facultas
Contigit, ut tali tempore liber agat!
Quem non concutiat viciná ſtrage ruina
Intrepidum, flammas inter & inter aquas?
Nos autem tantâ ſub tempeſtate malorum,
Invalidi paſſim ſternimur & cadimus.
Cúmque animum ſubiit patriæ fumantis imago, (credo Aquitaniæ, aut etiam in genere, Galliæ)
Et ſtetit ante oculos quidquid ubique perit,
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus;
Dúmque pios agimus, vertimur in querulos.
3. *Nec parcunt quidam turbatam inceſſere mentem,*
Linguarum & jaculis ſaucia corda petunt.
Dic, aiunt, cauſas, qui rerum hominúmque labores
Arbitrio credis ſtare regique Dei,
Quo ſcelere admiſſo pariter periere tot urbes? maximè Belgicæ.
Tot loca, tot populi quid meruere mali?
Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
Oceanus, vaſtis plus ſupereſſet aquis.
Quòd ſanè deſunt pecudes, quòd ſemina frugum,
Quódque locus non eſt vitibus aut oleis,
Quòd fundorum ædes vis abſtulit ignis & imbris,
Quarum ſtare aliquas triſtius eſt vacuas,
Si toleranda mali labes, heu CÆDE DECENNI
VANDALICIS *gladiis ſternimur &* GETICIS!
Non caſtella petris, non oppida montibus altis
Impoſita, aut urbes amnibus æquoreis,
Barbarici ſuperare dolos atque arma furoris
Evaluere; omnes ultima pertulimus.

Galliarum vaſtatio decennalis ab anno Chriſti 406. ad 416.

Nec

Nec querar extinctam nullo diſcrimine plebem;
Mors quoque privatorum ceſſet ab invidiâ.
Majores anni ne forte, & nequior ætas,
Offenſo tulerint quæ meruere Deo.

Quid pueri & puellæ meriti?

4. *Quid pueri inſontes, quid commeruere puellæ?*
Nulla quibus dederat crimina vita brevis.

Tépla Dei, Virgines ſacræ & viduæ?

Quare Templa Dei licuit populariter igni?
Cur violata ſacri vaſa miniſterii?
Non honor innuptæ devotæ virginitatis,
Nec texit viduas Religionis amor.
Ipſi, deſertis qui vitam degere in antris
Sueverant, laudantes nocte diéque Deum, id eſt, Monachi,
Non aliam ſubiere necem quàm quiſque profanus,
Idem turbo bonos ſuſtulit atque malos.
Nulla Sacerdotes reverentia nominis almi, ſeu Epiſcopos,
Diſcrevit miſeri ſuppliciis populi.
Sic duris caſi flagris, ſic igne peruſti,
Incluſa vinclis ſic gemuere manus.

quis ille Epiſcopus ſenex?

Tu quoque pulvereus, plauſtra inter & arma Getarũ,
Carpebas duram non ſine faſce viam.
Cùm ſacer ille ſenex plebem, uſta pulſus ab Urbe,
Ceu Paſtor laceras duceret exul oves.
Verùm hæc ſub belli ſileantur turbine geſta
Confuſis quoniam non fuit ordo malis.
Forte etenim placidas res Mundi, & tempora pacis,
Arbitra dignetur cernere cura Dei. &c.

Miſeria Gallorum.

5. Hactenus Proſper, aut ſiquis alius, *decennalem* jam Vandalorum Gothorumque vaſtationem luget. & narrat patriam ſuam igne deuſtam, nempe ab Athaulpho inde recedente, ut ſuprà viſum. Ejus Epiſcopum in captivitatem abductum, ætate gravem: Innumeras alias urbes periiſſe; deeſſe pecudes, agros incultos, vites oleaſque neglectas; villas ruris igne aut pluviis funditùs eraſas, aut villicorum morte fugáve triſtiùs vacuas: tot populos, tantam plebem nullo diſcrimine extinctam: tot Primates, tot Senes, tot innocentes pueros puellaſque morte abſumptos; Templa Dei incenſa, ſacra vaſa rapta, Virgines Deo ſacras Viduaſque temeratas: ipſos etiam ſanctiſſimos Anachoretas, Monachos, ac Sacerdotes, eodem captivitatis aut mortis genere involutos: ſe quoque pulvere obſitum inter plauſtra & impedimenta turmaſque Gothorum captum, impoſito faſce gravatum, patriâ combuſtâ exulem cum ſuo Paſtore & ovibus raptatum eſſe: Mala denique hæc à Vandalis primũ illata, & à Gothis continuata *decimum jam annum* Gallias premere; & preſſura, niſi Dei miſericordia pacem tandem indulgeat, quam ceu vicinam ominatur. Quibus apparet illum priore hujus anni 416. medietate iſta ceciniſſe, cùm durante licèt adhuc bello, de pace paulò póſt ſecutâ ſermo eſſet. Sanè hæc ſcribens, maximam anni partem lapſam diſertè canit.

In Walliam Conſtantiũ mittit Honorius.

6. Equidem pacem non multò antè autumnum ab Conſtantio Patricio cum Gothis & Francis compoſitam, mox è Rutilio videbimus; Placidiæ jam viduæ uxoris ducendæ novâ cupidine ardenti. De Gothis primùm agamus: Jornandes: *Contra Valiam*, inquit, *Honorius Imperator Conſtantium, virum induſtriâ militari pollentem, multiſque præliis glorioſum, cum exercitu dirigit: veritus ne fœdus dudum cum Athaulfo initum* (aut potius iniri cœptum, ſemper interruptum) *ipſe turbaret, & aliquas rurſus in Remp. inſidias moliretur, vicinis ſibi gentibus repulſis:*

Ut pacem componat,

ſimúlque deſiderans germanam ſuam Placidiam ſubjectionis (jam fere ſexennalis) *opprobrio liberare: paciſcens cum Conſtantio, ut aut bello aut pace, vel quoquo modo, ſi eam potuiſſet ad ſuum regnum reducere, eteam in matrimonium ſociaret. Quo placito Conſtantius ovans, cum copiâ armatorum & pene jam regio apparatu, Hiſpanias* (ubi Valia agebat) *petit. Cui Valia Rex Gothorum non minore procinctu ad clauſtra Pirenæi occurrit. Ibi ab utraque parte legatione directâ, ita convenit paciſci, ut Placidiam ſororem Principis redderet, ſuáque ſolatia Romanæ Reip. ubi uſus exigeret, non denegaret.*] *Hæc clare* Jornandes; quæ etiam hoc anno geſta teſtatus Proſper: *Theodoſio ſeptimũ & Palladio Coſs. Placidiam Theodoſii Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quámque Athaulfus conjugem habuerat, Wallia pacem Honorii expetens reddidit.* Idem dicunt Pithœanus Proſper & Idatius. Olympiodorus autem particulatiùs, *Euplutius Magiſtrianus*, addit, *ad Valiam Gothorum Præfectum mittitur; qui pacis fœdera iniret, Placidiámque reciperet. Ille verò commodè recepit; miſſáque frumentatione ſexcentorum millium, Placidia Euplutio tradita, ad Honorium fratrem remittitur.*]

&Placidiam ſororem recipiat.

& per Euplutium recipit.

7. Ita *Valia*, ſubdit Idatius, *pace cum Conſtantio Patricio mox factâ, Alanis & Wandalis Silingis, in Luſitania ſedentibus adverſatur.* Nempe ex pacto, quo ſubſidiâ ſua Romanis promiſerat. Sed Oroſius ſequenti anno ſcribens & deſinens, caſu quopiam ad pacem adactum Valiam, pacem iniiſſe, ſic ſcribit teſtis oculatus: *Hic igitur*, Valia, *territus maximo judicio Dei, quia cùm magna ſuperiore ab hinc anno* (nempe hoc ipſo iſto) *Gothorum manus inſtructa armis navigiiſque tranſire in Africam moliretur; in 12. millibus paſſuum Gaditani freti tempeſtate correpta, miſerabili exitu perierat; memor etiam illius accepta ſub Alarico cladis, cùm Gothi in Siciliam tranſire conati, in conſpectu ſuorum miſerabiliter arrepti & demerſi ſunt; pacem optimam cum Honorio Imperatore datis lectiſſimis obſidibus pepigit. Placidiam Imperatoris ſororem honorificè apud ſe honeſtéque habitam, fratri reddidit: Romanæ ſecuritati periculum ſuum obtulit, ut adverſum cæteras gentes, quæ per Hiſpanias conſediſſent, ſibi pugnaret, & Romanis vinceret. Quamvis & cæteri Alanorum Vandalorum, Suevorúmque Reges, nobiſcum placito depacti forent, mandantes Imperatori Honorio: Tu cum omnibus pacem habe, omniúmque obſides accipe: nos nobiſcum confligimus, nobis perimus, tibi vincimus. immortali verò quæſtu erit Reip. tuæ, ſi utrique pereamus. Quis hæc crederet, niſi res doceret?*] Conſilium igitus inierat Valia ipſo regni exordio, in Africam trajiciendi, quod Alaricum, forte & Athaulphum in animo habuiſſe ſciret; ubi à longo tandem errore quieſceret: Sed tempeſtate territus, certam à Conſtantio pacem incertæ expeditioni prætulit.

Walliam in Vandalos Hiſpanienſes impellit

Qui ſibi intereunt. Honorio vincunt.

8. Eodem tempore *Attalus ab Gothis neglectus, & incerta moliens*, ut ſuperiore anno ex Oroſio dicere cœperam, *in mari captus, ad Conſtantium deductus, deinde Imperatori Honorio exhibitus eſt.* Quod hoc demum anno geſtum docet nos Chronicon Alexandrinũ: *Indictione 14.* inquit, *Theodoſio ſeptimũ & Palladio Coſs. celebrati ſunt Ludi* Conſtantinopoli *ab Urſo P. V. ob victoriam de Attalo Tyranno reportatam, menſe Daſio, quarto Kalendas Julias. Item ludi Circenſes ob eamdem victoriam menſe Panemo, nonis Juliis.* Hæc ibi. quibus intelligimus captum Attalum, aut etiam ad Honorium Ravennam deductum

Attalus tyrannus captus, & ad Honorium miſſus.

(ut Olympiodorus) hujus anni Junio non multùm adulto. præſertim cum ejuſdē Chronici Græca ab Scaligero edita, addant, *quarto Kal. Julias, feria 4.* nam 28. Junii hoc anno verè in feriam quartam incurrit, littera Dominicali poſt Biſſextum A. quod & ibidem mox confirmatur, quando pridie Kalendas Octobres Sabbatum dicitur. Conſtantius tantâ prædâ, tantaque pace lætus juxta & illuſtris, Ravennam ad Conſulatum ſecundum, & Placidiæ tantopere prenſatæ nuptias ſe contulit.

Franci & Armorici etiam compoſiti.

9. Nec minor interim pacis ſucceſſus in Galliâ Septemtrionali fuit. Cum Aremoricis quidem hoc quàm tardiſſimè anno conventum, docet Rutilius mox à nobis citandus ; & Honorii inſuper proximo anno triumphus ; qui quidem etiam Francos pacatos, ut ceteros Barbaros arguit. Quamquam Proſper vulgaris id probabiliùs aſſerit, cū 12. abhinc annis notat *Francos* jam antè *Galliarum partem Rheno propinquam poſſidendam accepiſſe* : acceperant nempe ex hujus anni pacto, quod in nullum quàm hunc annum commodiùs (nunquam certè tardiùs) incidere potuiſſe , ſeries ipſa docet hiſtoriæ. Ne quid dicam de novo Francorum cis Rhenum Rege Pharamundo ; cujus electio in hoc planè tempus omnium ſuffragiis incurrit, ut nos ſequenti capite probabimus. De Armoricis primùm , audiendus eſt Rutilius Numatianus Gallus , qui hoc anno, menſe Octobri , Româ in Galliam rediit, pace jam factâ , ut ipſe in Itinerario ſuo Elegiaco canit.

10. Ac primùm quod hoc anno iter iſtud ſuſceperit, docet hoc diſticho, Romam alloquens:

Quamvis ſedecies denis & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus eat.

Rutilii Itinerarium hoc anno U. C. 1169. ſcriptum, id eſt, Chriſti 416.

Annum U. C. ecce ſignat 1169. qui ſi eſt Varronianus, hæc ævo Romæ uſurpari ſolitus , cum hoc anno Chriſti 416. concurrit ; nam priore quidem 415 vidimus ex Oroſio annum U. C. 1168. Si tamen fortè juxta Capitolinas Tabulas, quas ille ceu Præfectus Urbis ignorare non potuit , ſupputaret, ſequentem tantùm annum 417. intelligeret, quando ſupputatione Capitolina , uno anno Varronianâ contractior & tardior eſt. Sed planè Varronis hoc tempore calculus in uſu erat. Rurſum anni tempus autumnum tunc fuiſſe, ita ſignificat:

Quo ille Româ in Gallias redit,

Æſtivos penetrent oneraria carbaſa fluctus ;
Tutior autumnus mobilitate fuga.

11. Cúmque Româ ad Portum veniſſet, remoram à tempeſtate ſibi nexam dicit ,

Occidua infido dum ſævit gurgite Pleias,
Dumq; proceloſi temporis ira cadit. & mox ibi ſe expectaſſe 15. dies:

Explorata fides pelagi ter quinque diebus ,
Dum melior Lunæ fideret aura novæ.

& quidem in autūno, adeóque initio Octobris.

Veriſimiliter circa 20. Septembris Romam reliquerit : & 15. diebus ob tempeſtatem in portu Romano moratus , paulò antè Novi-lunium , quod eo anno in ſeptimum vel octavum Octobris incidit, navigare cœperit. & pauculis diebus Iluam inſulam tranſiit , & Faleria vicina urbe, Meditrinalia Bacchi feſtum , celebrari reperit, cùm vinum novum medēdi causâ guſtatur : quod undecimo Octobris fieri ſolitum ex vetere Kalendario intelligimus. Id enim vult iſtud ejus diſtichon,

Meditrinalia.

Illo quippe die tandem renovatus Oſyris, ſeu Bacchus,
Profert in fruges germina læta ſuas.

Ita annum, annique tempus autumnum , ac penè diem, & ſaltem Octobris initium tenemus, quo navigare cœpit.

12. Itineris autem cauſam, in hanc Galliarum pacem novam ſic rejicit :

Cur ille in patriam Galliam redierit.

At mea dilectis fortuna revellitur oris, nēpe Romanis,
Indigenamq; ſuum Gallica rura vocant.
Illa quidem longis nimium deformia bellis ;
Sed quàm grata minus , tam miſeranda magis.
Securos levius crimen contemnere cives:
Privatam repetunt publica damna fidem.
Præſentes lacrymas tectis debemus avitis:
Prodeſt admonitus ſæpè dolore labor.

Nempe ob pacem.

Nec fas ulterius longas neſcire ruinas,
Quas mora ſuſpenſa multiplicavit opis.
Jam tempus laceris poſt longa (decennalia ſcilicet) *incendia fundis,*
Vel paſtorales ædificare caſas.
Ipſi quin etiam fontes , ſi mittere vocem,
Ipſaq; ſi poſſent arbuta noſtra loqui,
Ceſſantem juſtis poſſent urgere querelis ,
Et deſiderio reddere vela meo.
Jam jam laxatis cara complexibus Urbis
Vincimur , & ſerum vix toleramus iter.

Redit autem mari.

Electum pelagus , quoniam terrena viarum
Plana madent fluviis , cautibus alta rigent.
Poſtquam Tuſcus ager , poſtquamq; Aurelius agger
Perpeſſus Geticas enſe vel igne manus,
Non ſylvas domibus , non flumina ponte coërcet ;
Incerto ſatius claudere vela mari.

13. Tum de Gothis jam victis & pacatis , ita Romam lugentem alloquitur :

Abſcondat triſtem deleta injuria caſum,
Contemptus ſolidet vulnera clauſa dolor.
Illud te reparat , quod cetera regna reſolvit,
Ordo renaſcendi eſt creſcere poſſe malis.
Ergo age , ſacrilega tandem cadat hoſtia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getæ.

Gothis jam pacatis

Ditia pacata dent vectigalia terræ ,
Impleat Auguſtos Barbara præda ſinus.

Rutilii Magiſtratus & dignitates.

Æternum tibi Rhenus aret , tibi Nilus inundet ;
Altricemq; ſuam fertilis orbis alat.

Hæc de pacatis non Gothis tantùm, ſed & Rheno, ut vides. ac proinde etiam Francis, Burgundionibus , ceteriſque ad id flumen Barbaris. quos etiam vectigalia tributáque Romanis promiſiſſe ſignificat. Armoricos autem eâdem quoque pace reductos mox ſubjungit. quod ut melius aſſequamur, juvat priùs quid de ſe ſuiſque dignitatibus & amicis canat , audire. Ac primùm Urbis ſe Præfectum fuiſſe , iſtis verſibus indicat:

Si non diſplicui regerem cùm jura Quirini,
Si colui ſanctos conſuluiq; Patres.
Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum,
Non ſit Præfecti gloria , ſed populi.

Videtur circa annum Chriſti 413. & partem 414. Præfectus Urbi fuiſſe.

14. Nam anno 414. Præfectum V. fuiſſe Albinum teſtatur Olympiodorus ; cùm ſcribit : *Poſt Romam à Gothis captam , Albinus Præfectus Urbis, quod jam eadem ad priſtinum rediret ſtatum, ſcripſit non ſufficere præbitam populo frumenti partem ; multitudine ita jam auctâ civitate ; ut uno die numerus initus, ſit Civium quatuordecim millium.*

Albinus Urbi Præfectus poſt Rutilium.

Hunc autem Albinum ſibi in eâ Præfecturâ ſuffectum , ita canit noſter Rutilius ; cùm ad Vada Volaterrana veniſſet :

Albini patuit proxima villa mei.

Namq́ meus, quem Roma meo ſubjunxit honori,
Per quem jura mea continuata toga.
Non expectatos penſavit laudibus annos,
Vita flore puer, ſed gravitate ſenex.
Mutua germanos junxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Prætulit ille meas, cùm vincere poſſet habenas,
Prædeceſſoris major amore fuit.

Albinum porrò hunc illum puto, quem anno poſt hunc 25. Chriſti ſcilicet 440. Galliis, ut apparet præpoſitum, ſeu P. P. ſimultates cum Aetio tunc Militiæ Magiſtro geſſiſſe, Proſperi Chronicon tradit. quando aptè hoc anno 416. Præfectus Urbis juvenis adhuc fuiſſe canitur; annorum fortè vixdum 30. Hunc porrò P. U. tertius quidam mihi ignotus excepit: tertium denique Venerius Rufinus, ad quem ille ſuum Itinerarium dirigit. nam cum Populoniam veniſſet, de ejus Præfecturâ ſe inaudiiſſe gaudet:

Lætior hic noſtras crebreſcit fama per aures,
Conſilium Romam pene redire fuit.
Hic Præfecturam ſacræ cognoſcimus Urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
ſed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu Veneris, cariſſimè Rufi,
Illo te dudum pagina noſtra canit, &c.

Neſcio an iſte Rufius, qui Româ egredientem Rutilium comitatus erat, de quo & ſuprà cecinit, *Rufius Albini gloria viva patris:* quem & Conſulem fore ſperat.

15. Verùm inter comites præcipuè celebrat juvenem Palladium, propinquum ſuum, Gallum: cujus pater Exuperantius hoc tempore Armoricos (de quorum pacatione jam agimus) ſedabat; & pace donatos ad Romanorum leges juráque reducebat.

Palladius Gallus Rutilii conſanguineus.

Tum diſceſſurus (portu Romano) *ſtudiis Urbiq́ remitto*
Palladium generis ſpemq́ decusq́ mei.
Facundus juvenis, Gallorum nuper ab arvis
Miſſus, Romani diſcere jura fori.
Ille meæ ſecum dulciſſima vincula curæ,
Filius affectu, ſtirpe propinquus habet.
Cujus AREMORICAS pater Exuperatius oras
Nunc poſtliminiò pacis amore docet.
Leges reſtituit, libertatemq́ reducit,
Et ſervos famulis non ſinit eſſe ſuis.

Cujus pater Exuperantius Pictavienſis Armoricos ad pacem reducebat.

Palladium hunc affectu filium, ſorore ſuâ, Exuperantii conjuge, genitum ſignificat: ut Palladio Rutilius avunculus extiterit. *Sic enim aptè vocaverit, generis ſpemq́ decusq́ ſui.* Exuperantius autem Pictavus erat, S. Hilarii Epiſcopi popularis: quem octo poſt hunc annis Præfectum Prætorio Galliarum, Arelate à militibus, Joanni Tyranno, ut apparet, faventibus, cæſum tradit Proſper, ut ibidem reddam. Hic igitur in Armoricos à Conſtantio Honorióve miſſus, hoc anno pace factâ, Leges Romanas poſtliminiò reſtituebat; Barbarorum jugo, quos in auxilium advocaverant, eximebat; nec famulis ſubeſſe patiebatur.

16. Ita vides Rutilium teſtem oculatum, Zoſimo Procopioque conformem qui Aremoricos per haſce Barbarorum eluviones a Romanis defeciſſe Rempublicam ſuo arbitratu conſtituiſſe, ſcribunt. Quinam autem ſint Armorici iſti, quinam item ii qui Armoricorum Domini è famulis evaſerant, non dicit. Vix dubito, quin per *Aremoricas oras* totum illum tractum Armoricum cum Zoſimo Procopioque intelligat, qui ab extremo Britanniæ Gallicæ promontorio per Litus omne Saxonicum ad Rheni oſtia porrigitur. quando iſtius vocis erat hoc ævo apud omnes acceptio. Certò igitur Exuperantius iſte, togâ quàm ſago illuſtrior, Lugdunenſes tertios ſecundosque, qui Britanni Normannique hodierni, ceu Pictonibus ſuis viciniores primo pacaverit; ad Belgas inde noſtros item Armoricos ſeu maritimos gradum fecerit. Lugdunenſium porrò *famulos*, ego quidem Saxonas accipio, qui mari in eorum auxilium advenerint; aut è Vandalis, Alanis, & ſimilibus aliquos, qui tum per Gallias vagabantur: aut potiùs Bagaudas, quos rurſum 20. poſthàc annis cum Armoricis iſtis rebellantes videbimus. iis enim, quia Ruſtici plerumque & agricolæ erant; famulorum nomen aptiùs forte conveniat. Belgarum verò noſtrorum *famulos*, Francos haud dubiè intelligit, ceu eorum nuper Romanorumque ſtipendiarios, & jam Rege Theudemer cæſo velut in ſervitutem redactos. Hos igitur omnes Exuperantius pace factâ ad imperium Romanum revocavit: niſi quod Germanos Secundos ſeu Inferiores, Moſam inter Rhenumque ſitos, cum Francis finitimis arctiſſimè junctos, novæ ſuæ Reip. reliquerit; quando eos ſequenti proximè anno Faramundum novum Regem Theudemeri cæſo ſuffeciſſe videbimus. niſi item maximè Borealem Belgarum partem, Hollandis, Zelandis, Flandriſque nonnullis hodie inſeſſam, Saxonibus ex pacto reliquerit, nam illic ſemper in poſterum reperiuntur.

Armorici duplices, Occidentales & antiquiores.

Rurſum Orientales & novi versus Boream, ſcilicet Belgæ.

17. Nec Britanni, quos cum Armoricis rebellaſſe ſuprà è Zoſimo monuimus, eâ pace caruerunt. Imò eam ipſi ultro prioresque petierunt. Quo anno Roma fuerat ab Alarico irrupta; *Honorius* (dixit ſuprà idem Zoſimus l. 6.) *literis ad civitates Britannicas ſcriptis, hortatus erat, ut ſibi caverent.* Nempè Britanni cùm irruentibus in ſe Barbaris, ſe ſine Romanis debiliores intelligerent, nec ab Conſtantino Galliarum Tyranno tum labante & enervi, quippiam opis ſperare poſſent; rurſus ad Honorium oculos animumque verterant. isque aliis gravioribus æquè diſtractus, *ut ſibi providerent*, hortatus erat. Ita Britanni ab Romanis deſerti, Rep. quadam ſuo arbitratu compoſitâ, ab anno Chriſti ſaltem 410. ſibi pro virili proſpexerant: & irrumpentis hoſtis vim hactenus per ſe & novum quemdam Ducem quomodocumque ſuſtinuerant. Ut Barbaros in Galliis aut victos aut compoſitos, pacemque firmatam viderunt; rurſus ad Honorium verſi, non pacem modò ipſi, ſed & opem obnixè poſtularunt, & impetrarunt: ut anno Chriſti 420. fuſiùs oſtendam: Nam eo fere anno id factum.

Britannia quoque compoſita.

18. Quod ſi Gothis Britannis, & Armoricis, hoc tempore, pax ſicut & triennio antè Burgundionibus in Galliis conceſſa eſt; quis non intelligat eamdē æquè, ſi non potiùs, Francis indultam? Conſtantio præſertim Patricio & Militiæ Magiſtro Placidiæ nuptiis inhiante, & gloriæ jam partæ, leviſſimo ſæpè caſu turbari ſolitæ, intemeratè ſervandæ cupidiſſimo: Honorio item poſt tot calamitates ad quietem & triumphum anhelante. Ut autem Britannis Regem Honorius indulſerat, tametſi ad Imperium redire ultrò volentibus;

Francis item Pax, & cis Rhenum ſedes data.

quanto magis Francis, & hoſtibus, & à ſuis regnari jampridem aſſuetis, indulſerit. Sed diatribam res iſta ſeparatam meretur. Hunc interim notet mecum Lector, Romanis novâ iſtâ Galliarum in Barbaros diviſione, Rhenum ultrà limitem vix fuiſſe. Nam Saxones ac Friſii Gallicam illius ripam abs Oceano ad divortium uſque poſſidebant; Inde ſurſum aſcendendo ad Aræ fluvioli cum Rheno ad Sinzich uſque confuſionem, Franci in Ripuariam admiſſi: ſuperiùs item Burgundiones Germaniâ Primâ ſive Superiore recepti; neſcio an non & ad fontes Alemanni Rhœtique. Id certè non multo pòſt accidiſſe videbimus.

Ut & Saxonibus locusque eorum Friſiis: ac denique Burgundionibus, ſi nondum Alemannis.

CAPUT VIII.

Francis Pax, & cis Rhenum Germaniæ Secũdæ ſeu Inferioris pars conceſſa, RIPVARIA dicta. Quænam iſta?

Anno Chriſti 416.

Germaniæ Inferioris pars Francis cis Rhenũ indulta.

1 PRoſper vulgaris, & ex eo Caſſiodorus, ſub *Felice Tauróque Coſs.* anno Chriſti 428. id eſt, duodecim poſt hunc annis, ſcribit: *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupaverant, Aetii Comitis armis recepta.* Nulla Rheno ſimul & Francis, Galliarum pars propinquior quàm Germania Secunda, quam & Francos indigenis volentibus ac ſociatis occupaſſe ſuprà vidimus. Franci ergo, ex Proſperi Caſſiodorique ſenſu, *propinquam iſtam Rheno partem* armis & incolarum advocatione *occupaverant* primùm, ut ſuprà vidimus; ſed anno illo Chriſti 428. *poſſidebant* ex pacto, bonaque Honorii, pacem eo pretio hoc anno Chriſti 416. mercantis, voluntate. Quâ enim ratione, hac generali Galliarum pace, Gothis Aquitania, Burgundionibus Germania Prima ſive Superior, Saxonibus infima ad Oceanum, indulgeretur; Inferior & Secunda, incolis etiam invitantibus ſponteque ſaltem ex parte tradentibus occupata jam, à Francis gente nihilo ceteris inferiore, ſi non & fortiore, repeteretur?

Sub capite Coloniâ Agrippinâ.

2. Neque totam tamen Inferiorem Germaniam Francis hoc anno Chriſti 416, aut 417. relictam aſſero: Ne poſt ſecundam quidem pacem Francis ſub Aetio datam, totam ab iis inſeſſam video. Quippe Notitia Imperii anno Chriſti circiter 437. edita, *Lagium prope Tungros* Romanorum præſidiis adhuc inſeſſum teſtatur. Sequitur igitur ut dicamus eam Germaniæ ſecundæ partem Francis indultam, quæ ipſis Rhenoque propinquior fuit, ac Moſæ Rhenique fluxibus ferè intercluſa, RIPUARIA inde dici cœpta. Abhinc certè Franci cis Rhenum Ripuariam ſemper incoluiſſe leguntur. Unde & Ripuarii, Ribuarii, ſeu Ribarioli ſæpè dicti, & primæ eorum Leges RIPUARIÆ appellatæ: haud dubiè, cùm cis Rhenum jam migraſſent. Et mihi quidem ſatis certum eſt, à Romanis manaſſe Ripariæ nomen. quando Notitia Imperii in Illyrico, Ducem Pannoniæ Secundæ Riparienſis agnoſcit, Veleriæ Ripenſis, Norici Ripenſis, &c. Præfecturas item claſſium in Galliâ Ripenſi ad Rhodanum atque Durantiam. In Orientali Imperio, Legiones Riparienſes; Ducem Daciæ Riparienſis. & ſimiles legimus.

Ripuaria deinceps appellata.

3. Quemnam autem terræ tractum nobilior iſta Francorum RIPUARIA propriè complexa ſit, varii variant. Spiegelius intra Moſam, Rhenum, Moſellamque concludit. De Moſa Rhenoque jam admitti. ad Moſellam uſque non omnino pertinuiſſe, pluſcula probant. Primùm Regino ad annum Chriſti 891. Regis Arnulphi Duces, Trajecti ad Moſam deliberaſſe ſcribens, quâ viâ Normannis tùm graſſantibus occurrerent; *utrum Ribuariorum fines intrantes Coloniam tenderent; aut per Prumiam tranſeuntes, Treviros dirigerent greſſum*: maniſeſtè Prumienſe Monaſterium ut & Treviros a Ripuariâ diſtinguit. ideoque anno Chriſti 882. in Ardennâ ponit. Rurſum pugnam inter fratres Ludovicum & Carolum Calvum anno Chriſti 876. depugnatam narrat *in pago Meginenſe, non longè ab Andernaco*; quam tamen Contractus & Marianus *in Ribuariâ* contigiſſe tradunt. Ripuaria igitur à Meridie ſeu verſus Moſellam rivulum *Aar*, qui ad *Zinſich* Rheno confunditur, non multum excedebat; uti nec lineam ab ejus fonte ad S. Vitum Malmundariumque ductam, quâ etiamnum Colonienſis Trevirenſisque diœceſes Eccleſiaſticæ fere diſtinguntur. Sic enim fluvius Rura, qui ad Ruremundam urbem Moſæ miſcetur, rectè Ripuariorum eſſe poterit, ex Flodoardi ſcito: qui in Chronico, ad annum Chriſti 923. Henricum primum Germaniæ Regem, & Robertum Franciæ invaſorem collocutos ſcribit, *in pago Ribuariorum, ſuper fluvium Ruram.*

Ripuariæ primæ limites juxta Spiegelium.

Qui tamen tum minus lat[illegible] nec uſque ad Moſellam.

4. Sed neque RIPUARIAM, propriè ſtrictéque dictam, ad dextrum uſque Moſæ latus attinuiſſe, dicere auſim. Nam quæ apud Pithœum facta legitur à Ludovico Pio Imperatore, Caroli Magni Filio, Imperii in filios partitio, Regno Bajoariorum tunc erecto ſubiicit *Ribuarias, Attuarias, Saxoniam, Friſiam, Haſbaniam.* *Hattuarios* autem Francorum gentem, cum primùm Rhenum tranſgreſſa eſt, ad fluviolum *Neers* (qui ex Ducatu Juliacenſi, per *Wachtendonk* & *Gelriam* oppida fluens, ad Geneppiam Moſâ hauritur) conſediſſe, in Chronico Lonſhamenſi legimus, ut jam antè monui. A Moſâ igitur Ripuariam hac parte Hattuarii jam Ciſrhenani, ſeu amniculus Neers ſejungebant. Sejungebant item duo Comitatus *Maſaw* vel *Maſgaw* Superior, & Inferior: qui utramque Moſæ ripam à *Viſeto* ad *Ruramundam* & ſuprà complexi videntur; ut alibi ex ſimilibus Imperii diviſionibus oſtendo. Quibus ergo limitibus Colonienſis Leodienſiſque Diœceſes Eccleſiaſticæ etiam hodie ab hac parte dividuntur; iiſdem Ripuaria ſtrictior concluſa fuit. Dixi *RIPUARIAM propriè ſtrictéque ſumptam*: nam eamdem quoque latiùs ſubinde capi ſcio: ſi non Moſellâ, ſaltem Moſâ Rhenoque concluſam. quâ notione etiam Hattuarii iſti & Maſgovii Ripuariorum numero cenſentur. Manuſcriptum quoddam S. Trudonis Chronicon, Ripuariam Diœceſi ſæcular Colonienſi, Ducatuque Juliacenſi concludit, qui ſaltem aliqua ſui parte Moſam attingit. Imò Wippo in Conradi Salici Imperatoris vita, totam Lotharingiam Inferiorem, à Superiore ſeu Moſellana condiſtinctam, quæ a Rheno ad Scaldim porrigitur, *Ripuariorum Ducatum*, à nobiliore credo

Imò nec proſus ad Moſam.

parte

parte vocare non veretur. Ripuariæ quomodocumque captæ, Metropolis fuit Colonia, Einhardo teſte in Sanctorum Petri & Marcellini tranſlatione libro 4. cap. 26. ſeu ultimo. quam ideo *hoſtibus plenam* notat hoc ævo Salvianus. Quin & hoc ipſum Coloniæ Agrippinæ ſeu Ripariæ Regnum, diutiùs poſtea ſeparatum ſtetiſſe; & in Sygibertum quemdam Francum, claudum, Chloderici à quo etiam Chlodovei dolo cæſus ſit, patrem, neſcio quo caſu devolutum, teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 37. & 48. Qui Chlodovei ipſius, tum quoque cis Rhenum regnantis, parens & conſanguineus fuerit. qui item *ſenex* tum, & provectioris ætatis extiterit. adeo ut ſi annorum ille paulò ampliùs 70. fuerit, Pharamundum videre potuerit. Plures certè cum Chlodoveo Francorum cis Rhenum fuiſſe Reges, & quidem ſanguine ſibi invicem junctos, teſtatur ibidem abundè Gregorius.

Ripuariam ex Honorii quoque pace Franci obtinuerũt.

5. Ripuariam ergo hac Honorii pace Franci, uti non latiſſimè, ita neque ſtrictiſſimè ſumptam, ex pacto tenuerunt. Nec enim Hattuarios eorum partem ſicut neque Chamavos hîc excludere poſſumus, etiam ab incolis Armoricis advocatos. Ita Ripuarios quidquid ab rivulo *Aar*, Rheno ſe miſcente, ad ejuſdem Rheni uſque divortia; inde lineâ ad oppidum *Genep*, Moſæ Nerſæque confluentibus adſitum, ductâ, tùm ſurſum verſus Leodium, Leodio denique aut confinibus, ad Aar fluviolum, aut Andernacum eductâ, continetur, poſſediſſe exiſtimo. Nam *Epoiſſium* quidem, hodie *Yvois*, paulò ſuprà Cari Moſæque confluxum, & ipſam cum adjacente territorio Trevirorum Auguſtam, quadruplici jam everſione proſtratam à Meridie; Ab Occidente verò *Lagium prope Tungros*, priſcum in hodierna Haſbania munimentum, nunc vicum, Teutonicè *Lawen*, Walonicè *Liage* dictum, Romanis adhuc adſcribit Imperii Notitia, anno Chriſti fere 437. ſcripta, ut infrà fuſiùs. A Septentrione cetera jam SAXONES invadebant, ſi nondum invaſerant; & Romani illis æquè ex pacto remiſerant; nempe Bataviam Inſulam, quæque ad Moſæ dexteram in Oceanum uſque porriguntur; aut contigua: Zelandiam item hodiernam, & Menapios cum tunc Flandriæ agrum poſſidentes, qui hodiernam Diœceſim Burgenſem, Gandenſiſque partem amplectitur. Unde totum illud Flandriæ noſtræ littus SAXONICUM dici cœptum: in quo ſolum munimentum *Marcu*, quod hodie *Mardyck* portu novo clarum exiſtimo, Romanis reliquum, eadem Imperii Notitia nobis exhibet, *in litore*, ut ait, *Saxonico* quod jam antè dicebatur Aremoricum.

An Romani tunc ſibi quædam ad Rheni partes has præſidia retinuerint.

6. Ceterùm, Lectorem hîc meum moneo, videri Romanos in hac Barbarorum receptione, ea ſibi ad Rheni limitem præſidia retinuiſſe, quæ Francos a Burgundionibus divellerent; ne facile conſpirarent. Fuerint veroſimiliter, quæ ab dicto rivo *Aar* ſurſum verſus ad Navam uſque Bingiumque procurrebant. Sed neque ſatis definio, an Burgundionibus in Germania Superiore Romani citimam al[illegible]uam & magnam Rheni ripam, ut in Inferiore Francis permiſerint. In Notitiis quidem 20. totis abhinc annis ſcripta ab Andernaco Argentoratum uſq[illegible] præſ[illegible]ia Romana totum Rhenum occupant [illegible] fortè poſt Burgundiones ab Hunnis Aetioque deletos; ſ[illegible]b Duce Moguntiacenſi. ut ibi fuſiùs.

Francorum primi cis Rhenum limites certo in Belgicâ noſtra.

Utcumque pro Burgundionibus ſe res habuerit; FRANCIS quidem Belgica noſtra primas cis Rhenum fixaſque ſedes attribuit; tanto, tam inclyto, tamque diuturno jam gentis Chriſtianiſſimæ Regno cunabula præbuit; & in adultam ætatem provexit. ut quæcumque laus inde manare poteſt, tota illi peculiaris ac propria ſit. hoc magis, quò non ab iis propriè ſuperata ſubſuerit, ſed ſocietate conjuncta coaluerit. Ita decennales Barbarorum in Gallia motus omnes tantiſper compoſuere Romani.

AliquoRomanorum tantiſper fructu.

7. Nec verò minùs ea ſibi pace conſulebant. Sic enim inſanam tot efferatarum gentium Francorum, Chattorum, & Pharamundi rabiem ex Marcomeri Sonnoniſque cæde conceptam, comprimebant, ab aliiſque divellebant: Gallias omni genere calamitatis afflictas recreare inſtituebant: ſimul eas fere totas, pauculis demptis limitibus, ad ſe veluti poſtliminiò reducebant. Nec ſpes deerat, Gentes in Imperium admiſſas poſſe furore poſito quandoque miteſcere, & in Romanum nomen adeò venerabile coaleſcere. Equidem inter Romanos ſedium ſuarum incolas, Romanis adhuc moribus gentes vivebant, eorum Principes ab Romanis Imperatoribus ſtipendia. titulos ac honores libenter accipiebant, nec Romanorum, ſaltem in ſpeciem, nomine, imperare pudebat. Quam in rem aptè apud Caſſiodorum epiſtola 9. l. 8. ad Tolumnium aliàs Tolonicum Athalaricus Gothorum Rex, de Theodorici avi Patriciatu ab Zenone Imperatore ei collato, *Sic ſe*, ait, *magnorum beneficia ſemper extollunt, ut quibus imperare nequeunt, jura venerationis imponant.* Sic inferioribus annis Gunduichum & Chilpericum Burgundionum principes, Militum Romanorum Magiſtros: Sic Gundebaldum Patricium, Sic Walliam Attilámque, Imperatorum duces videbimus. Adeò auguſta Imperii tanti majeſtas, ipſos Barbarorum animos ſui veneratione admirationéque perſtringere non deſinebat.

Ex tot Barbarorum quâpiam mitigatione.

CAPŬT IX.

Francorum cis Rhenũ primus Rex PHARAMUNDUS.

Anno Chriſti 417. Dionyſiano vero 421.

Franci Regem ſibi cis Rhenum imponunt Pharamundum.

1. PAce in Galliis, etiam aliquot Provinciarum damno partâ; ad triumphum *de tot Tyrannis extinctis, tot gentibus immaniſſimis* (ut loquitur Oroſius ſitiens) *compreſſis, coangustatis, addictis*, Romæ ducendum, ſe vertit Honorius. de quo nos capite ſequenti commodiùs. FRANCI verò confirmata ſibi Rhenum inter ac Moſam Ripariâ ſive Ripuariâ, novum quoque cis Rhenum ſibi Regem, quaſi ſuo & ipſi Romæ triumpho, creare inſtituerunt. Pacificam quippe tandem Ciſrhenani ſoli, per annos fere ducentos tanto ſanguine quæſiti prenſatique poſſeſſionem inibant, & pulcherrimâ frequentiſſimáque Urbe Colonia Agrippina, qualem in Natali fundo nunquam viderant, ex fœdere ſocietatéque potiebantur. Nam Trevirorum Auguſta everſa jacebat: Romanis vicinioribus ut ſemper expoſita; ita & relicta.

Ex Proſpero Pithœano, qui Gregorio Turonenſi vetuſtior & certior eſt.

Primum cum Regem Annales omnes noſtri Franciciq́ue, & continua traditio FARAMUNDUM nominant: & ante omnes, utpote Faramundo ipſi penè coævus, Pithœi Proſper. uti mox. Nec de illo dubium quiſquam moveret, niſi Gregorius Turonenſis plane taceret; & ipſe tamen Francicarum rerum ſcriptor omnium fuſiſſimus, nec multo pluribus quàm centum annis Proſpero Pithœano recentior.

Licèt eum Gregorius prætermittat.

2. Sane negari nequit, quin aliquam admirationis occaſionem præbeat eo ſilentio Gregorius. De primâ enim Francorum cis Rhenum ſede, fixoq́ue regno loqui inſtituens, *Tradunt*, ait, *multi, Francos de Pannoniâ fuiſſe digreſſos. & primùm quidem litora Rheni amnis incoluiſſe. dehinc tranſacto Rheno, Thoringiam tranſmeaſſe: ibique juxta pagos vel civitates, Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe, de primâ, & ut ita dicam nobiliore ſuorum familiâ. Quod poſtea probatum Chlodovæi victoriæ tradidere; idque in ſequenti digeremus.* Antequam de Regibus agam, juvat priora Gregorii verba excutere. Quanam occaſione, *Pannoniæ* fiat in Francorum Origine mentio, ſupra libro ſexto, cap. 13. pauca dixi: pauca, inquam, quia fabuloſa. quæ ibi videre potes. Mihi quidem ſat conſtat, Francos primâ ſui origine Rheni dexterum latus inſidentes, non aliunde adveniſſe, ſed tractûs iſtius Germanici varios incolas, adeoq́ue varias etiam gentes, quo ſe contra Romanos fortiùs tuerentur, mutuo ſe fœdere ſocietateq́ue conſtrinxiſſe: & retentis propriis inter ſe nominibus, in novum ac commune nomen Francicum conteſſeraſſe, ex rationibus ibi poſitis. Sepoſito igitur peregrino iſto aliunde adventu, cetera jam conſiſtunt:

Cujus verba explicantur.

primùm litora ſeu ripas *Rheni amnis incoluiſſe*; dexteras jam olim, ac ſemper; ſiniſtras autem, ex quo à Romanis in Belgicam admiſſi ſunt. Unde fortè Gregorius numero plurali litora ſeu ripas expreſſit, tam citeriorem ſcilicet quàm ulteriorem. Subdit tamen, neque in citeriore Rheni ripâ ſubſtitiſſe; ſed *tranſvecto* paulò antè *Rheno*, *Thoringiam tranſmeaſſe.* Ex hac voce Thoringia, omnium hæſitatio: eorum ſaltem, qui Thoringiam Tranſrhenanam, quæ ad Oneſtrudem Albimve fluvium porrigitur, accipiunt. Quid enim è Pannonia in Thoringiam iſtam tranſgredientes opus fuit Rhenum trajicere? Mœnum bene quidem; quem ideo Rheno hic ſubſtituendum contendunt.

Quam ille Thoringiã intelligat.

3. Hanc ego difficultatem abs annis jam 43. vidi; & in meâ tum editâ de primis Tungrorum Epiſcopis Diſputatione, primo Chapeanillii Tomo Leodienſi adjunctâ, utcumque diſcuſſi. In quâ nihil magis jam arridet, quàm quod ex Morellii veteri Manuſcripto, pro Thoringiam *Tungriam* legendum potiùs eſſe tenuerim. Quod & familiaris noſter Vendelinus in lege ſuâ Salicâ capite 1. nuper ſolidè confirmavit. Sic enim liquidiſſima Gregorii interpretatio eſt; Francos, poſtquam Rheni ripam utramque aliquandiu incoluiſſent, Tongriam, ſeu in Tungrorum territorium, credo prope Ammiani *Taxandriam locum*, hodie *Teſſenderloo*, *tranſmeaſſe*; nempe ubi Salii Francica & ipſi gens, etiam ante Juliani Apoſtatæ tempora, *fixerant habitacula prælicenter*: quæ eorum poſteri, ſaltem nonnulli, adhuc retinebant. Eam certè lectionem veram eſſe, non vox Tungria modò; ſed ſequentia Gregorii verba validè probant. *primùm.* quia ibidem *Diſpargum caſtrum* ſubeſſe ſcribit, *in*

Nempe Ciſrhenanam.

termino Thoringorum; haud dubiè Ciſrhenanorum. quando Rhenum à Francis jam tranſvectum diſertè teſtatus eſt. *Secundò*, quia vicinas *Diſpargi* illius, ſeu Tungrorum Thoringorúmve gentes, non alias nominat, quàm quæ in Galliâ, non in Germaniâ tranſrhenanâ ſunt: *In his autem partibus*, ait, *id eſt ad meridionalem plagam, habitabant Romani uſque Ligerim fluvium.* Quam quæſo tunc trans Rhenum plagam, Thoringis item tranſrhenanis meridionalem, imò quamcumque voles, tenebant Romani; vix Ciſrhenana ſua ſatis tueri valentes? Ubi trans Rhenum fluvius Liger Romanis inſeſſus; & quidem Gothorum adhuc ulteriorum dominio ſubditus? Ubi tum Burgundiones ad Rhodanum, qui Lugdunenſi adjacet civitati, habitantes? Si Thoringos Gallicos accipis, ſtatim tibi Gregorii mens liquidè tranſlucet. Denique quâ cœli plagâ Thoringis tranſrhenanis vicinâ, Reges crinitos, ſuper ſe creaverunt unquam Franci, de primâ & Chlodovæo ipſo nobiliore ſuorum familia? Quomodo id probant Chlodovæi victoriæ? Ubinam id in ſequentibus digerit ipſe Gregorius? Planiſſimè Gregorio Thoringi iſti cis Rhenum, Tungri Belgæ noſtrates, non Tranſrhenani ſunt: tametſi vocem Tungrorum nullus Manuſcriptus Codex exhiberet.

Id Diſpargum hodie Dieſt eſſe, tenet Vendelinus. quē vide.

Et Thoringiam Tungriam.

4. Nunc ergo fluat de primis Francorum Regibus opinio Gregorii liquidior. *Nam & in Conſularibus legimus, Theodomerem Regem Francorum, filium Richimeris quondam* (pro *quondam*, melius forte *Conſulis*) *& Aſcilam matrem ejus, gladio interfectos.* De Theodomere ſupra abundè dixi. Hic adhuc repeto, primos iſtos cis Rhenum Francorum Reges fuiſſe tranſrhenanos, & Pharamundum filium fuiſſe Marcomeris Chattorum Regis, ut ſuprà monui. Pergit Gregorius. *Ferunt etiam tunc Chlogionem, utilem ac nobiliſſimum in gente ſuâ Regem Francorum fuiſſe.* & mox: *De hujus* (Chlogionis) *ſtirpe quidam Meroveum Regem fuiſſe adſerunt, cujus fuit filius Childericus.*] Ecce ut primos cis Rhenum Francorum Reges recenſet, nulli prorſus FARAMUNDI mentione. Unde ſorte motus poſterior Geſtorum Francicorum Epitomaſtes Fr e, us (nam in Francicæ Hiſtoriæ corpore bini ex nt in eamdem ſententiam ita ſcripſit: *Franci e ctum à ſe Regem crinitum inquirentes diligenter ex genere Priami Phrygii & Francionis ſuper ſe creant, nomine Theudemerem, filium Richemeris. qui in hoc prælio, quod ſuprà memini, a Romanis interfectus eſt. Subſtituitur filius ejus Chlodeo.*] Ita ille, mox quoque Chlodionis filium faciens Meroveum: pari Faramundi ſilentio.

Chlo… Rex.

Merov… & …

5. Horum verborum contextus eò nonnullos impulit, uti Faramundum aut ex fabuloſa ſequentium ſæculorum traditione Regem ſuppoſititium exiſtiment, aut unum cum Theodemere faciant, qui & Faramundus appellatus ſit. Sed eumdem imprimis eſſe non poſſe, duo potiſſimùm evincunt. Quippe ſingulis diverſi patres aſſignantur: Theudemeri Richimer Theod o Imperatori ad mortem fidelis; Faramundo Marco r C nus aut Sunno Chamavus Bructerusve uterque R anorum hoſti . mors unius alio ab alterius morte tempore refertur; quando Theudemer, juxta ipſum metEpitomaſten, Caſſium contra Franc lo cæſus ponitur, & C bellum ante gener in Galliâ pacem Honorioque triumphum ſtat

Divers R… ſunt…

referendum ſn; pluribus ante Faramundi exceſſum annis. Faramundum verò Regem dici fictitium, vetat Proſperi Pithœani, Annalium noſtrorum jam inde ab Carolo Magno contextorum, & conſtantis traditionis auctoritas, Gregorianâ multò certior. Nequid de Ivone Carnotenſi Epiſcopo, & Sigeberto Gemblacenſi Belgâ, recentioribus quidem, ſed annorum tamen fere quingentorum ſcriptoribus dicam: qui omnes verum, & primum cis Rhenum Francorum Regem Faramundum uno conſenſu agnoſcunt. Sed Ivo nè Theudemetem quem Didionem ut dixi nominat, Catalogo Regum excludat; Faramundi filium ſucceſſoremque facit: Didioni verò Chlogionem, Chlogioni Meroveum ſucceſſores dat: præter ceterorum omnium opinionem; imò præter veritatem. Quomodo enim Didio ſeu Theodemer Feramundo patri in regno ſucceſſiſſet, qui antè eum Caſtini prælio cæſus eſt? Alius igitur, & prior Faramundo Rex fuit Theodemer; qui Gallias jam ante incolens, & Romanorum ut pater Richimer ſtipendiarius, Armoricis quidem aut Germanis Secundis defectionis à Romanis auctor & ſocius eſſe potuerit; ſed à Caſtino priùs cæſus ſit, quàm Francorum cis Rhenum Imperium ſtabilem in Galliâ pedem figeret. quod, quidem Imperium novum, uti & reliquorum Barbarorum, non aliunde quàm ex pace & Romanorum permiſſione, ſuam ducit originem, quam ille non viderit. Potuit quidem novi regni molitionem ſocio Faramundo tentaſſe; quemadmodum Marcomerem, Sunnonem, & Genobaldum ſuprà ſimul tentaſſe vidimus: ſed cònatu fruſtratus eamdem patrandam Faramundo ſuperſtiti reliquerit: in Francorum cis Rhenum Regem ſeriem proinde non admiſſus.

Ivonis opinio.

Theodemer cæſus ante Pharamundum primum cis Rhenum Regem.

6. Primus ergo Francorum, poſtquam in Gallias admiſſi, & Interioris Germaniæ parte ab Honorio donati ſunt, ex receptiore opinione, Rex eſto FARAMUNDUS: & quidem hoc eodem Chriſti anno 417. ſeu Treviris, ſeu potiùs Coloniæ Agrippinæ creatus, quo & Honorium triumphaſſe ex Proſpero jam vidimus, generali in Galliis pace anno priore conſtitutâ. Quod ſi ſolum eſſet, æquo Lectori ſufficeret. Sed accedit inſuper Proſperi Pithœani ſuffragium dum in exemplari quidem Scaligeri ita ſcribit: *XXV. Faramundus regnat in Francia. XXVI. Solis facta defectio hoc anno.* Anni illi XXV. & XXVI. Honorii quidem Imperatoris ſunt; non tamen à morte patris Theodoſii anno 395. 16. Januarii obitâ; ſed à nece Valentiniani ſecundi, Idibus Maii anno 392. Viennæ patratâ. Ab hac enim nece ad Honorii mortem, ſeu ad annum Chriſti 423. Auguſti 27. anni rectè interfluunt 31. menſeſque præterea tres, dies 12. ſicque Honorius ad annum 32. labentem pervenerit, ut ſciſcit hic Proſper Pithœi. A morte verò Theodoſii ad Honorii obitum, anni non plures interfluunt, quàm 28. ſolidi, & menſes inſuper 7. dies 12. qui nullâ ſui parte 30. annum attingunt; cùm tamen & Proſper hic Pithœi, & Idacius tricennalium etiam peractorum Honorii diſertè meminerint, & confirmat Proſper alter, ad Hieronymi Chronicon addi ſolitus; cùm à nece Valentiniani notat Theodoſium cum filiis Arcadio & Honorio regnaſſe annos tres, nempe incompletos & labentes. Adde enim hos tres annos labentes, ad alios Honorii à morte patris 28 menſes 3. dies 12. efficies annos regni ejus 32. item labentes. A nece igitur Valentiniani ſupputatus annus Honorii 25. incurrit in annum Chriſti partim 416. & partim 417. ſicut & 26. ejuſdem partim in 417. & 418. Quare Faramundi inaugurario vel in poſteriores anni Chriſti 416. vel in priores 417. menſes incurrerit. & Solis iſta defectio in annum proximè ſequentem, Chriſti 418. 19. Julii, anno Honorii 26. jam ad menſes duos evoluto. quod nihil aut parum intereſt.

Pharamundus Rex Coloniæ inauguratus anno Christi 417.

Ex Proſpero Pithœano.

7. Et verò ut anni iſti Honorii adhuc ex ſe turbati eſſent & incerti; plus ſatis tamen ex adjunctâ Solis Eclipſi poſſent erigi firmarique. Nam illam Chronicon primò Marcellini, *Indictione decimâ quintâ, Honorio undecimùm & Conſtantio iterum Conſulibus*, ſeu anno Chriſti vulgari 417. *Tenebras in die factas diſertè ſcribit.* quod per Solis Eclipſin ordinariè fit. Secundo Chronicon Alexandrinum alteram Solis Eclipſin diſertè in *Indictionem primam, & duodecimum Honorii, octavum Theodoſii Conſulatum*, id eſt, annum Chriſti 418. refert; *14. Kalendas Auguſtas, feriâ ſexta, horâ octavâ.* Idemque totidem fere verbis habet Idatius, ad annum Honorii 24. niſi quod pro Feria ſexta levi mendo legatur quinta. Ex rationibus Aſtronomicis certum eſt, Solem anno illo Chriſti 418. Romæ defeciſſe, 14. Kal. Auguſti, ſeu Julii 19. feriâ ſextâ. littera Dominicali F. horâ à mediâ nocte 12. 25. 52. ut omnes ætatis noſtræ Chronologi conſentiunt. Ergo ſi anno priore Faramundus in Regem à Francis aſſumptus, ut Pithœi Proſper hic in Scaligeri quidem exemplari ſciſcit; anno Chriſti 417. aſſumptus fuerit: planè ad pacem ab Honorio Barbaris omnibus Gallicanis indultam. Quod & in Chronico Sigebertus adſtruit, dum ad ſuum Chriſti annum 419. *Filium Marcomiri Ducis Faramundum à Francis Regem ordinatum* ſcribit. Qui enim Sigeberto annus eſt 419. nobis & Æræ Chriſti vulgari quâ hodie biennio tardiore utimur, eſt 417. ut alibi oſtendo; & ex fine Chronici Proſperiani, quod ille excipit, manifeſtum eſt. Sed & Idatius annum iſtius ejuſdem Eclipſeos vocat Honorii 24. rectè, ſi ille ab morte Theodoſii præciſè deducitur. Sigebertum igitur minùs rectè carpit Scaliger; nec rectiùs ipſe ad annum Chriſti vulgarem 421. Faramundi ſigit initium, toto fere quadriennii Metachroniſmo laborans: quem & univerſalis Galliarum pax anno 416. conſtituta refutat. Cur enim Franci anno Chriſti vel exeunte 416. vel ineunte 417. ab Honorio cis Rhenum admiſſi, quinto primùm inde anno Regem ſibi delegiſſent? Nulla dilationis hic ratio, imò periculum ex ea novo regno ſuberat. Et jam antè trans Rhenum Francis ſuis loco patris Marcomiri præerat Faramundus: cur non & cis Rhenum, ſcuto more gentis impoſitus, humeriſque ſuſtinentium vibratus, agnoſceretur? ut in ſimili de Brinione Caninefate notat Hiſtoriarum quarto Tacitus.

Ex Solis eclipſi eo anno vel ſequenti factâ.

Ex pace Honorii cum omnibus Barbaris.

8. Subdit ibidem Scaliger: *Quod Faramundus non Waramundus ſcribendum ſit. non monerem, niſi viderem Germanos quoſdam doctos viros ita cenſuiſſe; quod in illis ferendum non eſt.*] Docti iſti Germani, Waramundum ab *War*, id eſt *verum*, & *mund*, id eſt *os* deducunt, quaſi hominem *oris veri* dictum velint. In Vopiſci Aureliano, cap. 11. legimus: *Tecum erit Hartomundus, Haldegaſtes, Hildemundus, Carioviſcus.* ubi Salmaſius *pro Hartomundus*, ait, *in Palatino Codice,*

An Faramundus ſit idem ac Waramundus, aut Hamundus?

& veteri

& veteri editione Harimundus ſcribitur. & Harimundum puto idem nomen eſſe cũ Farimundo vel Faramundo.] Sanè ab *Harimundo* non multum abludit, *Waramundus*. Hæret tamen in ſua ſententia Scaliger: *Et quomodo*, inquit, *W. potuit in F. degenerare? Quid ſit Fara, unde nomen Faramundi compoſitum, pete ex Paulo Longobardo. Francorum enim, Gottorum, Longobardorum, Wandalorum eadem dialectus fuit, nempe Teutonica.*] *Fara* igitur Teutonicum etiam verbum eſſe vult; & Paulum pro ſe Warnefridum ſine certo loco citat. Puto de illo intelligere, qui libro ejus ſecundo cap. nono, ſic habet: *Qui Giſulſm non prius ſe regimen ejuſdem civitatis & populi* (Forojulienſis, quod ab Alboino offerebatur) *ſuſcepturum edixit, niſi ei quas ipſe eligere voluiſſet Longobardorum Faras, hoc eſt generationes, vel lineas tribueret. Factumq; eſt; & annuente ſibi Rege, quas optaverat Longobardorum præcipuas proſapias, ut cum eo habitarent accepit.*] Ita Faramundus eſſet quaſi *os* ſeu *caput familiæ*. Grutterus ex Manuſcripto Palatino ſcribit *Pharas*; ſorte ex eodem ſonte quo *Pharao*, id eſt Rex, vel *Phariſæus*, id eſt à ceteris ſeparatus, vel *Pharm*, id eſt Faa. quo ſenſu Pharamundus eſſet, homo *oris* ſeu *vultus illuſtris*. Vox quidem *Mundus*, multis hominum nominibus etiam hodiè adjungitur, ut Boamundus, Sigiſmundus, Raimundus, Raymundus, Roſemundus, Traſamundus, &c. ne quid de ſupradictis iterem, *Harimundus, Hildemundus*. Utcumque ſit, Francorum primus Rex dictus eſt Faramundus vel Pharamundus. Unde Ordericus Vitalis rerum Normannicarum ante annos quingentos ſcriptor, libro quinto, ait: *Cùm Galli priùs contra Romanos rebellaſſent, Franci iis ſociati ſunt; & pariter juncti Francum FERRAMVNDVM Sunnonis ducis* (alii communiùs aiunt *Marcomiri*) *filium, ſibi Regem præfecerunt.* Hæc ille, planè ad ſententiam noſtram.

Quid ſit Fara vel Phara.

Gregorii Turonenſis in ſcribendo ſimplicitas.

9. Illum autem ab Gregorio Turonenſi omitti, non adrò mirabitur, quiſquis Scriptorem illum non adeò accuratum cognoverit. Nam quæ narrat, negligenter ac confusè digerit; rerum delectum non magnum habet: multa prætermittit; & tempora perplexè præpoſtereque miſcet; ut niſi magna attentione, benignaque interpretatione legatur, Lectori ſit potiùs caliginem quàm facem affuſurus. ſive auctoris ille, ſive ſæculi, ſive utriuſque defectus ſit; magna tamen ei gratia, qui in tantâ barbarie, tanto bonarum literarum neglectu, hæc ipſa nobis qualiacumque tranſmiſit; verùm ita, ut nullum ſeu prætermiſſæ ſeu perturbatæ veritati præjudicium inferat. Poſt eum quidem Faramundum nominare, & primum Francorum cis Rhenum Regem conſtituere, nihil morati ſunt, Ado Viennenſis, Aimoinus, prior Epitome, Sigebertus, & tot alii eos inſecuti. Sed maxime Proſper Pithœanus, & annis ſuprà centum ipſo ſuperior, & judicio, ſcientiâ, auctoritate fideque tanto potior.

Lex Salica ſub Pharamundo.

10. Addit eadem prior Epitome cap. 4. *Franci Faramundum filium Marchomiri, ſuper ſe Regem criniitum levaverunt. Tunc & legem habere cœperunt; quam Conſiliarii eorum priores gentiles his nominibus, Wiſogaſt, Arogaſt, Salegaſt, in villabus Germaniæ. Arbotachim, Solechagin & Widechaghin tractaverunt.*] Sigebertus autem ad annum ſuum 422. qui eſt vulgaris Æræ 420. ad Pharamundi Regis annum tertium, *Franci*, ait, *uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis ſuæ proceres, electos de pluribus; his appellatos nominibus, Uſogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, Widigaſt; in villis Germaniæ Salehaim, Bodohaim, Widohaim. Hi quatuor proceres per tres mallos* (id eſt *Comitia*) *convenientes, cauſſarum origines ſolicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo. ſicut Lex Salica declarat, judicare decreverunt.*] Hæc ille. Salicam igitur Legem omnium antiquiſſimam Franci accitis ſuorum ſapientiſſimis, ſub Faramundo Rege condi curarunt; ut ab ea ſelix regni auſpicium inirent. Sanè *Gaſt* vocem eſſe Francicam, tradunt vetera eorum nomina, ut *Haldegaſtes, Arbogaſtes, Nevigaſtes*, & ſimilia. eâque ſapientem aliquem & quaſi Catonem ſignificari magna ſuſpicio eſt. Porro Salicam Legem, nonnulli à Saliis Francis deducunt: alii rectiùs à *Sala*, quod Francicè etiam hodie *Aulam*, ſignificat; quaſi ad aulam ſpectaret iſta Lex, aut ab aulâ prodiiſſet. Eam aiunt 71. Capitulis abſolvi. & pluribus agunt Juriſconſulti. primùm Lindebrogius in Prolegomenis ad Codicem legum antiquarum. deinde fuſiùs accuratiuſque Vendelinus familiaris noſter, ad quem ſe tanto fructu remitti, facilè patietur Lector.

Quid ſit Gaſt.

Vide Vendelinũ noſtrum in Lege Salicâ cap. 15.

Pharamũdi geſta abolita.

11. Cetera Faramundi geſta, prorſus ævum aboluit. niſi ſorte guſtatæ ſemel pacis retinentior, nunquam deinde cis Rhenum in Romanos moverit; ſed trans Rhenum dumtaxat, contra Alemannos, quos & Borealibus terris Franciæ conterminis caverit: ſi ſorte nondum cauti fuerint; ut ſuprà putavi. iiſque in jus ſuum tranſlatis novum *Franconiæ* nomen, quod hucuſque tenet, aut impoſuerit aut firmaverit. De quo tamen, quia alio tempore contingere potuit, magis inquirendum cenſeo. Nec enim aliena à ratione ſuſpicio eſſet, Francorum gentem tunc diverſas ſub diverſis Regibus expeditiones occepiſſe, ſortunæ blandientis illecebris invitatam. Adeo ut Hattuarii, Anſibarii, & maximè Bructeri Rheno vicini, Chamavique Duce tunc Faramundo Germaniam ſecundam ex parte ſeu Ripuariam obtinuerint: Reliqui verò, ut Chatti à Thoringis jam ante arctati in vicinos Alemannos ad Mœnum irruperint; & terræ à ſe partæ Franconiæ quoque nomen indiderint; maximè cum Burgundiones & Alemanni cis Rhenum à Romanis admiſſi, eum terræ tractum ſere vacuum reliquiſſent. ut jam ante monui.

Franconia tráſrhenana, quomodo ab Alemannis ad Francos tranſlata.

12. Illud denique moneo, Romanorum ad Belgicam Rheni ripam munitiones & caſtra, in Ripariâ ſita, videri à Pharamundo, forte & ab Armoricis prorſus everſa: ea præſertim quæ Vetera dicebantur, jam inde ab Auguſto conſtituta, *quòd in obſideri premique Germanias ille crediderat. & quorum pars*, ait Tacitus hiſtoriarum quarto, *in collem leviter aſſurgebat, pars æquo adibatur.* Hæc ipſa Vetera, ſcribit ad me Coloniâ ſexto Martii 1654. Noſter P. Joannes Grothauſs ſita fuiſſe in Sanctenſis urbis viciniâ Meridionali, ad ipſam pœnè Rheni ripam, in monte *Forſtenberg*. ubi nunc eodem nomine ſtat Monaſterium, licèt ruinoſum, paulò infrà Byrien. Ipſa autem Romanorum caſtra funditùs à Francis adeò deleta raſaque, ut ne veſtigium quidem ullum appareat; *ſicut ipſe* (inquit) *inſpexi*. Eamdem fortunam paſſa Colonia Trajana, Aſciburgium, aliæque ibidem Romanæ ſtationes. Veteribus duæ legiones agere jam inde ab Auguſto conſueverant, Quinta & undevicesima, finitimis tanto odioſiores, quanto validiores. eoque avidiùs everſæ.

Vetera caſtra, & Rhenanæ munitiones omnes à Pharamundo, aut Armoricis everſæ.

præſertim Vetera.

Bonnam

Bonnam tamen oppidum ſeu Aram Ubiorum ſupra Coloniam, in quâ duæ item aliæ legiones, Prima & Viceſima; minime ſubverſam, teſtatur illius adhuc hodie integritas. Et mihi quidem non dubium, quin *ſævitiâ ingenitâ & cupidine prædæ*, Franci Armoricique *ad munitionum omnium Romanarum excidium traherentur*: ut in ſimili de Teuchteris, Tacitus hiſtoriarum quarto.

Oratio Pharamundi ad Belgo-Romanos Armoricósve, à Romanis avulſos.

13. Idem haud dubiè Belgo-Germanis Ciſrhenanis, ſub Romanorum hucusque jugo conſtitutis à Pharamundo dictum fuerit, quod ab Teuchterorum legatis eum Civili Batavo tum junctis expoſitum narrat ibidem Tacitus: *Rediſſe vos in corpus noménque Germaniæ, communibus Deis vobiſque gratulamur: quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina, terras, ac cœlum quodammodo ipſum, omani clauſerant; ut colloquia congreſſúsque noſtros arcerent: vel quòd contumelioſius eſt viris ad arma natis, inermes ac prope nudi, ſub cuſtode & precio coiremus.* Caſtra *& munimenta ſervitii detrahamus. Haud facile libertas, & iſta dominíque miſcentur. Liceat nobis vobiſque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris. Quomodo lucem noctémque omnibus hominibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Inſtituta cultúmque patrium reſumite: abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adverſus ſubjectos, quàm armis valent. ſincerus, & integer, & ſervitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperabitis.* Ita Pharamundus *ſocietate Agrippinenſium auctus, proximas civitates affectare, aut adverſantibus bellum* per occaſionem *inferre* moliebatur. Ævum omnia abolevit: nec de iis reliquum nobis quippiam, niſi quod meditatione aſſequi poſſumus. Videtur tamen toto deinceps regni ſui lapſu fere undecennali, pacem bello prætuliſſe; jungendis utrinque animis; *& novum imperium auſpicantibus perutili clementiæ famâ*. donec Clodio ſuccederet, anno Chriſti 428. ut nos ibi. Nunc anni hujus pacifici, à Chriſto quadringenteſimi ſeptimi-decimi, juxta Dionyſium quidem; juxta veritatem à nobis creditam, quadringenteſimi viceſimi primi, reliqua proſequamur.

CAPUT X.

Placidiæ cum Conſtantio nuptiæ, indéque nata proles. Honorii Romæ Triumphus. Oroſius hiſtoriæ finem imponit. Pelagii in Galliâ, Italiâ, Africâ, & Palæſtinâ hæreſis.

Annus Chriſti 417.

Placidiam Conſtantius Conſul uxorem duxit, Kalendis Januariis.

1. HIc annus 417. per Placidiæ & Conſtantii nuptias, Honoriique triumphum, paci priore anno concluſæ velut ſigillum appoſuit. De Nuptiis ſic Olympiodorus: *Honorius XI. & Conſtantius iterum Conſules creati* (anno ſcilicet hoc 417.) *Placidiæ nuptias conciliant. Sed has ipſa nuptias vehementer detrectabat, ut ejus famulis valde indignaretur Conſtantius. Tandem nihilominus ipſo quo Conſulatum iniit die ſeu Kalendis ipſis Januariis, eam arreptam Honorius frater invitam Conſtantio in manum tradit, nuptiæque ſplendidè celebrantur.* Idem ſed brevius habent Proſper vulgaris & Idatius. Nuptias haſce forte Placidiæ inter alios famulos diſſuaſerit Olympius. unde & à Conſtantio mactatus ſit. ſic enim de eo jam antè ſcripſit idem Olympiodorus: *Olympius ille qui Stiliconi inſidiatus erat, officiorum inde Magiſter factus, eâ poſt dignitate exciderat. Dehinc iterum potitus, rurſúmque privatus. tandem fuſtibus à Conſtantio, qui Placidiam uxorem duxerat, mactatus. occubuit, cùm ei antè cædem auriculæ reſectæ fuiſſent.* Audis ecce Olympium à Conſtantio, poſtquam hic Placidiam duxerat, interfectum. non ante hunc igitur annum, vixque alia de cauſa fuſtibus tàm turpiter mactatum, quàm quia conjugium iſtud non promoverat. Olympium tamen hunc laudat S. Auguſtinus; licèt Olympiodorus & Zoſimus impium vocent. ut vehemens ſuſpicio ſit, eum aut Placidiæ caſtitatem vidualem (ea hac ſaltem ſententiâ) ſuaſiſſe, aut ab ipſius ſaltem Conſtantii non admodum pii conjugio avertiſſe. Ex illo tamen nata primùm filia, quam in avunculi honorem Honoriam nominarunt. veriſimiliter hujus anni exitu, aut ſequentis exordio. Nam Valentiniano fratre, quem anno Chriſti 419. editum infra monſtrabo, ſeniorem fuiſſe ſequentia docebunt.

Conjugii iſtius proles.

Honorius Romæ de Barbaris triumphat.

Ex Proſperi Chronico.

2. Peractis Ravennæ, ut credo, nuptiis, anno jam in ſerenitatem verſo, *Honorius triumphans* (ait Proſper his iiſdem Coss.) *Romam ingreditur, præcunte currum ejus Attalo, quem Liparia vivere exulem juſſit.* Illi nempe par pari reddidit Honorius. Nam cùm Attalum, prima ejus tyrannide rogaſſet, ut commune ambobus eſſet Imperium, abnuerat ille: ſed concedere ſe dixerat, ut inſulam quamdam Honorius, corporis aliquâ parte mutilatus incoleret, teſte Zoſimo. Quod igitur iſte tunc Honorio minatus erat, hoc jam in ſe, verſâ fortunâ, expertus, in ſterilem inſulam manu truncatus, aut ut Olympiodorus, ſummis dextræ manus digitis abſciſſis, relegatus eſt. Nec quicquam de hoc præterea triumpho apud auctores reperio. Nummi dumtaxat ejus teſtes ſuperſunt. in iis unus apud Baronium tam hoc quàm 423. Chriſti anno; cujus altera facies Honorium ſtantem exhibet, dextrâ labarum, Chriſti nomine decorum, cujus ſcilicet ope tot periculis ac rebellionibus emerſiſſet; ſiniſtrâ globum, cui victoriâ inſidet, tenentem: pede denique ſiniſtro conculcantem captivum manibus poſt terga revinctis: ſive ille ſit Attalus, ſive Barbarorum aliquis; aut ipſamet Barbaries. Nam apud Occonem ejuſdem figuræ nummi alii Inſcriptionem addunt, TRIUMPHATOR GENTIUM BARBARARUM. eſt & alius aureus, decem drachmarum pondere, cui currus inſculptus ſejugibus equis tractus, cum Inſcriptione, GLORIA ROMANORUM. OB. Quibus addi poteſt & ille alter etiam aureus à Camdeno in ſuâ Britanniâ prolatus; & à nobis ſuprà fine capitis 7. hujus libri memoratus. Quibus omnibus nihil niſi triumphum repræſentari certum eſt.

Ex Nummis aureis.

Oroſius hoc anno finem hiſtoriæ ſuæ imponit.

3. Hoc eodem anno hiſtoriæ ſuæ finem impoſuit Oroſius. Nam cùm Walliam Gothorum Regem priore anno pacem optimam cum Honorio Imperatore datis lectiſſimis obſidibus pepigiſſe, & Placidiam reddidiſſe ſcripſiſſet; Romanæ ſecuritati periculum ſuum obtuliſſe ſubjungit, ut adverſum ceteras gentes, quæ per Hiſpanias conſediſſent, ſibi

pugna-

pugnaret, & Romanis vinceret. *quamvis & ceteri Alanorum, Vandalorum, Suevorúmque Reges, eodem nobiſcum* (ait Oroſius) *placito depacti forent: mandantes Imperatori Honorio: Tu cum omnibus* (Barbaris) *pacem habe, omniúmque obſides accipe. Nos nobiſcum confligimus, nobis perimus, tibi vincimus. immortalis vero quæſtus erit Reip. tuæ, ſi utrique pereamus. Quis hæc crederet, niſi res doceret? Itaque nunc quotidie apud Hiſpanias geri bella gentium, & agi ſtrages ex alterutro Barbarorum, crebris certiſque nuntiis diſcimus. Præcipuè Valliam Gothorum Regem inſiſtere patrandæ paci ferunt. Ex quo utcumque concefferim, ut libenter Chriſtiana tempora reprehendantur; ſi quid à conditione Mundi uſque ad nunc, ſimili factum felicitate doceatur.*

& Walliam Gothorum Regem præcipuè Paci inſiſtere tradit.

Hujus Anni felicitas.

4. *Manifeſtavimus, ut arbitror, atque oſtendimus, non magis verbo penè quàm digito, innumera bella ſopita, plurimos extinctos Tyrannos: compreſſas, coanguſtatas* (certis videlicet terminis; vagantes antea) *addictas* Romanorum obſequio, *exinanitaſque immaniſſimas gentes, minimo ſanguine, nullo certamine, ac penè ſine cæde. Supereſt, ut obtrectatores noſtros moliminum ſuorum pœniteat, veritáſque erubeſcant: Deúmque verum & ſolum, qui poteſt omnia, credant, timeant, diligant, ſequantur; cujus omnia & quæ mala putant bona eſſe didicerunt. Explicui adjuvante Chriſto, ſecundùm tuum præceptum, beatiſſimè pater Auguſtine, ab initio Mundi, uſque in præſentem diem, hoc eſt, per annos quinque M. DCX. & VIII. cupiditates & puniſiones hominum peccatorum, conflictationes ſæculi, & judicia Dei, quàm breviſſimè & quàm ſimpliciſſimè potui*, &c. Annus iſte Mundi 5618, Euſebianus eſt, & cum hoc anno Chriſti 417. componitur, ut ex Victorii noſtri Tabulâ Paſchali patet: quo Oroſius hiſtoriam concluſit, Tyrannis barbariſque aut victis, aut compreſſis, aut quomodocumque ſedatis, & pace ferè per Occidentem generali compoſitâ. Superiore tamen capite, *Maximum* nuper Gerontii Tyrannum, *adhuc tunc inter Barbaros in Hiſpania egentem exulaſſe tradit.* Sed & illum eumdem (præterquàm quòd tanti non fuerit) Proſper Pithæi anno Honorii XXX. *de regno priùs dejectum, ac Ravennam perductum, ſublimem ſpectaculorum pompam Tricennalibus Honorii præbuiſſe* teſtatur. prorſus ut ne unus quidem è tot Tyrannis deinceps ſuperfuerit.

Qui eſt Mũdi Euſebianus 5618. Chriſti vulgaris 417. Verus 421.

5. Atque hinc nemo non videt, poſtremis Honorii temporibus, pacem in Occidente, & Galliis præſertim noſtris, firmam conſtantemque permanſiſſe. ut mirum non ſit, ſi Francorum noſtrorum regnum coaluerit. Quin & Gallos ipſos, ob eamdem pacem, nonnihil tributorum onere relevatos, ex Sidonii carmine ſeptimo diſcimus. Circa hos quippe annos Avitum Arvernum adhuc juvenem, poſtea Imperatorem, ab Arvernis ad Honorium, infamis cujuſdam tributi levandi causâ legatum, ſic in ejus Panegyrico, v. 207. canit:

Tributa in Galliis hac pace minuta.

Sidonius in Aviti Panegyrico.

Nec minus hæc inter civilia jura ſecutus,
Eligitur primus, juvenis, ſolus, mala fracta
Alliget ut patriæ, poſcatque infame recidi
Vectigal. Procerum tùm fortè potentior illic,
Pòſt etiam Princeps, Conſtantius omnia præſtat,
Indole defixus tantâ, & miratus in annis
Parvis grande bonum, vel in ore precantis Ephebi,
Verba ſenis.

Arvernos malis fractos tum ex generali Galliarum clade, tum verò ex Conſtantini Joviniique Tyrannorum partibus amplexis, intelligit. unde eorum pleroſque etiam *nobiles, à Ducibus Honorianis* ac Conſtantio maximè *captos*, *aut* etiam *crudeliter interfectos*, ſupra anno Chriſti 411. ex Frigerido apud Turonenſem retulimus. addo ego, & infami quopiam vectigali in contumacioris iſtius rebellionis pœnam gravatos ſtigmoſoſque, ut hic Sidonius ſignificat. Nec dubito, quin in aliis Galliarum, civitatibus tributorum gravitas hac eâdem pace perinde levata ſit: quam pacem in Belgio quoque noſtro floruiſſe, præter hæc quæ jam diximus, probat etiam legionis illius Romanæ in Britanniam contra Scotos Pictoſque tranſitus rediruſque; quem hactenus in Morinis noſtratibus fieri ſolitum, non ita commodè Belgio minimè pacato inſtitui potuiſſe, quivis facilè aſſequitur.

6. In Narbonenſi ſeu Viennenſi Gallia, novam quoque ambitionem pax jam ſecura peperit. extant pluſculæ Zoſimi Pontificis hoc anno Romani literæ è veteri Manuſcripto Arelatenſis Eccleſiæ Codice à Baronio editæ, quæ Arelatenſi Eccleſiæ Metropolitanæ prærogativam adſtruere moliuntur; eo quòd, aiunt, ad *eam S. Trophimus jam olim ſummus Antiſtes à ſede Romana tranſmiſſus ſit: ex cujus fonte tota Gallia fidei rivulos acceperunt.* Sed cur hoc potiſſimùm anno difficultas illa renovata? Nempe Trevirorum civitate & Eccleſiâ quadruplici paulò antè everſione proſtrata, Regia Galliarum ſedes Arelatum transferri cœpta; parem quoque in ſpiritalibus principatum affectabat, & Conſtantii Patricii victoris ope jam inibat: repugnantibus licèt (nec injuriâ forte) vicinis Eccleſiarum Viennenſis Narbonenſiſque Metropolitanis, tenuitque ea ad Leonis uſque Magni Pontificatum ambitio, Viennenſi præſertim Epiſcopo reluctante. cujus, tamen ut & Narbonenſis jura Zoſimus ipſe mox, re meliùs expenſa, intemerata integráque eſſe voluit; ut & Zoſimi ſucceſſores Bonifacius atque Cæleſtinus; juxta literas è Floriacenſi Codice abs eodem Baronio prolatas. Sed & Procli Maſſilienſis hoc tempore Epiſcopi, ad idem Metropolitani jus adſpiratio, & adverſus Arelatenſes molitio, iiſdem ſignata Zoſimi literis, ſatis arguit Trevirenſis civitatis excitæ dignitatem tam ſæcularem quàm Eccleſiaſticam ab diverſis interioribus Galliarum Urbibus ambitam, quaſi pro derelicta jam habitam, & primò occupantis ut in prima rerum diviſione futuram.

In Narbonenſi Provincia certant Epiſcopi de Primatu.

Ob translatam Arelatum Trevirorum dignitatem. de quo capite ſeq.

7. Et quoniam de Zoſimo ſermo incidit, inter inclytos hujus anni Chriſti 417. characteras (nempe pacem quaſi generalem, Placidiæ cum Conſtantio nuptias, Honorii triumphum, ac primum cis Rhenum Francorum Regem Faramundum) non tacendus ille, quo Orientales ſeu Alexandrinos inter & Occidentales ſeu Latinorum ſaltem quoſdam de Paſchatis die velitatum eſt. Sic enim ad Leonem Papam Paſchaſinus Lilybitanus Epiſcopus: *Tempore piæ recordationis Domini mei, prædeceſſoris Apoſtolatus veſtri, Zoſimi; anno Conſulatus Honorii Auguſti XI. & Conſtantii bis, cum declinatur, ne X. Kalendas Maii Paſcha teneretur; celebratum eſt octavo die Kalendarum Aprilium: id eſt, pro Emboliſmo Communis eſt annotatus, & error graviſſimus ortus.* Erat Cyclus Alexandrinorum, quo hodie quoque, licèt caſtigato, Romana utitur Eccleſia, Nonuſdecimus: Litera Dominicalis G. Igitur qui eo Cyclo utebantur, Aprilis 22. ſeu X. Kalendas Maii Paſcha celebrarunt. Unde Chronicon Alexandrinum hoc

Hujus anni multi Characteres.

In quibus celebris de Paſchate contentio.

Ex Paſchaſini ad Papam Leonem Epiſtolâ.

anno, *Indictione XV.* (inquit) *Honorio XI. & Conſtantio iterum Coss. terra vehementer movit, veſperi, die Paraſceves, menſe Aprili, XII. Kalendas Majas. accidit hoc ipſo die, quo D. N. JESUS Chriſtus paſſus eſt.* Rectè. Nam ſi XII. Kalendas Majas fuit dies Paraſceves, & anniverſaria Chriſti Paſſio, ſeu Paſcha σταυρώσιμον; planè Paſcha ἀναστάσιμον ſeu Reſurrectionis in X. Kal Majas incurrit, ut ſciſcit Paſchaſinus. At Latinorum nonnulli (neque enim omnes ejus ſententiæ fuiſſe puto) in VIII. Kal. Apriles, ſeu Martii 25. Lunâ ſuâ ſaltem 21. toto citiùs menſe tranſtulêre, ne limitem Paſchalem intra 21. Aprilis diem, ſeu XI. Kalend. Maii ab Synodo Cæſarienſi concluſum, vel uno ſolo die tranſilirent: ut fuſiùs noſtro in Victorium Commentario oſtendimus. cap. 5. 8. & alibi. Alioquin Victorius & ipſe Latinus, ſed mitior, ejus anni Paſcha cum Alexandrinis indicit.

Pelagius ſub Conſtantino tyranno hæreſin ſuam ſpargit circa Arelatum.

8. Nec omittam Lectorem hic velut in tranſitu monere, Pelagianam hæreſin paulò ante hæc tempora, cis fretum quidem Britannicum, primùm in Galliis, tum Romæ & in Italia cognitam; mox etiam in Africâ, & denique in Oriente propagatam fuiſſe. Ac Britannum quidem fuiſſe Pelagium, & quidem in Banchorenſi ſeu Bangorenſi Cambriæ (hodie Walliæ) Monaſterio ad Denam fluvium tunc percelebri frequentiſſimoque, Monachum ſuprà monui. Scio non deeſſe qui alterum Banchor in Hibernia, aut vicinis Hebridibus inſulis ingerant, cui & Pelagium Monachum addicant; Hieronymo præſertim innixi, qui primi & tertii in Jeremiam libri Præfationibus, cùm de Pelagio (tametſi non nominat) agit, eum primò *ſtolidiſſimum & Scotorum pultibus prægravatum*; deinde etiam clariùs *progeniem Scoticæ gentis de Britannia vicinâ* vocat, quaſi non tam Britannum quàm Britanniæ vicinum innuat. Sed nos ſuprà Britannum, Patres & maximè Proſperum ſecuti, ſuppoſuimus; maximè cum Conſtantem Conſtantini tyranni filium, primò militem in legione viceſimâ prope Ceſtriam urbem tendere liâ; tum in vicino Bangorenſi Cambriæ Monaſterio Monachum cum Pelagio fuiſſe, probabiliter exiſtimaverimus; non item in Hibernico, ubi nulli tum milites Romani degebant. Cùm Conſtantino igitur Britanniæ tyranno, ejusque filio Conſtante, Cæleſtio quoque ſocio, Monachis collegis, in Gallias advectus, ſuam in eas hæreſin jam antè conceptam, ſed nondum adeo vulgatam, ſecum intulit. Nam Pelagium certè antè Conſtantinum tyrannum, ſtatim à morte Sancti Martini, ſeu abs anno Chriſti 400. *doctrinâ* ſuâ *execrabili Eccleſias conculcare conatum*, diſertè tradit Proſperi Pithœani Chronicon, in ſimilibus ſatis fidum. Unde credo Treviris primùm, & in Belgica ſparſiſſe & ſed in eâ, quia parum hæſerit, nihil promoviſſe. Ubi ſedem Arelate cum Tyranno jam victore fixit, labente jam anno Chriſti vulgari 408. & 409. audacius & efficaciùs ſparſerit. unde inibi & circa Maſſiliam illa radicea poſtea fixerit. Anni ſequentis 409. decurſu, cum Honorii pacem imperiique conſortium tyrannus impetraſſet; in Italiam Romamque tranſiit. ubi Ruffinum nactus, erroris ſui confirmationem hauſit, Romæ biennium ſolidum cùm hæſiſſet (quod *diu*, imò *diutiſſimè* hæſiſſe, in homine vagabundo & curſitante, vocat Auguſtinus) Româ jam aba Alarico vaſtatâ, Conſtantino item tyranno vivente ſi nondum capto, in Siciliam cum Rufino, aut paulò poſt eum, tranſiit. ubi hæreſi quoque ſeminatâ, in Africam (*menſibus à captâ Româ decem*, ut Aug. de geſtis Pelagii cap. 22) trajecit: Demetriadis ſanctæ potentisque Virginis amicitiam (ut reor) opemque captans. Ubi Auguſtino ſaltem viſo, ac viciſſim ab eo viſus, in Orientem demum Paleſtinamque ſe recepit: Synodo Dioſpolitana tandem apertè damnatus.

In Bangorenſi Monaſterio Monachus cum Conſtante.

Cum quo in Gallias venit.

Ubi hæreſin ſpargit maxime Arelati.

Tum Romæ.

Mox etiam in Africâ.

& Palæſtinâ.

Monaſteriorum in Britanniâ & Belgicâ hoc ævo frequentia.

9. Atque hinc colligere eſt, ſi in Britanniâ adeoque Hiberniâ, Inſulis toto orbe ſejunctis, tanta hoc ævo Monaſteriorum Monachorumque frequentia, tanta doctrina extiterit, ut etiam hæreſes in Eccleſiam tam Orientalem quàm Occiduam ſpargere potuerint; quid de Belgio noſtro reliquisve Galliis, tanto Italiæ Romæque vicinioribus junctioribusque per quas aſſiduum Romanis in Britannias iter, præſumendum?

Errores Pelagii præcipui ex Proſperi Chronico.

10. Præcipuos Pelagii errores ita breviter recenſet in Chronico Proſper vulgaris ad annum Chriſti 413. *Hac tempeſtate*, inquit, *Pelagius Brito dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti, Cæleſtio & Juliano adjutoribus exerit, multóſque in ſuum trahit errorem. Prædicans unumquemque ad juſtitiam voluntate propriâ regi; tantúmque accipere gratiæ, quantum meruit.* (nempe viribus & actibus naturæ.) *Quia Adæ peccatum ipſum ſolum læſerit, nec poſteros ejus obſtrinxerit. Unde & volentibus poſſibile ſit omni carere peccato: omnésque parvulos tam inſontes naſci, quàm primus homo ante prævaricationem fuit. nec ideo baptizandos ut peccato exuantur* (negabat enim peccatum originale) *ſed ut Sacramento adoptionis honorentur.* Erat Monachus Pelagius, & Monaſterio egreſſus, viros fœminasque Religioſas tamquam & ipſe ſtudio perfectionis zeloque animarum addictus primùm frequentabat. Inque ſuis ad perfectionem hortationibus, hominem naturæ viribus multum ad id poſſe, ſi eniteretur, affirmabat. & Dei Gratiam quidem abſolutè non negabat, ſed eam, etiam primam, naturæ viribus, & actibus moraliter bonis acquiri poſſe contendebat. Neque tamen ipſe aut diſcipuli iſta omnia eodem ſemper modo explicuerunt. Ut variis aliorum diſputationibus cenſurisve concuſſi ſunt, ita variè immutarunt, aut diverſo ſenſu torſerunt; more hæreticis fere omnibus ſemper nutantibus uſurpato. præterquàm quòd Pelagius primâ hæreſeos ſparſione ſubobſcurè ſemper, ambiguè, & in omnem fere partem ductili verborum ſenſu loqui, vix ſcribere ſolitus ſit, teſtibus Hieronymo Auguſtino & aliis. Ut nihil mirum ſit, ſi neque tunc, neque poſtmodum Patres Theologique doctiſſimi, quid ille præcisè tenuerit docueritve, ſatis unquam aſſequi aut eruere potuerint ac ne jam quidem ſatis poſſint. *Ita ille per ambages anceps iter egit*, ait Proſper de Ingratis.

Quos primo ſpargit aſtutè & ambiguè.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER DECIMVS-QVINTVS.

Ab anno Chriſti 418. ad 434.
Per annos 16.

CAPUT PRIMUM.

Arelatum loco Trevirorum in caput Galliarum erectum.

Annis Chriſti 418. & 419.

Annus Chriſti 418.

Cur Trevirorum Auguſtâ relinquunt Romani.

HONORIUS ergo tot gentium jam triumphator, ad pacis opera converſus, Galliam tot barbarorũ irruptionibus diſruptam ordinare inſtituit. Treviri Gallorum hucuſque Principes, quadruplici (ut ex Salviano audivimus) everſione proſtrati jacebant. Eos inſtaurare, & in priſca dignitatum poſſeſſione conſervare, prohibebat nimia Francorum & Burgundionum, cis Rhenum jam ex pacto receptorum vicinia: & ægrè Gallorum reliqui inde jura petituri videbantur, unde tam manifeſta Barbarorum imminebant pericula. Igitur Gallicani imperii ſedem in interiora, tutiora, commodioráque ſenſim transferre conſilium fuit. Placebat præ ceteris Arelatum & à Barbaris remotius, & Italiæ marique mediterraneo commodius: quò & Conſtantinus Tyrannus ſe verterat, & ejus victor Conſtantius aliquâ jam commoditatis illius experientiâ ceteríque privates propendebant. Ita Honorius eodem omnium votis impulſus, publicâ id conſtitutione ſancivit hoc anno, 17. Aprilis, quartâ tum poſt Dominicam in Albis feriâ. Eam huc transferre lubet è Sirmundi noſtri in Sidonium notis, pag 244.

Cur Arelatum prætulerunt.

Honorii Imp pro Arelato Conſtitutio.

2. *HONORIVS ET THEODOSIVS AVGVSTI P. I. AGRICOLÆ PRÆFECTO GALLIARVM. Saluberrimâ magnificentiæ tuæ ſuggeſtione inter reliquas Reip. utilitates evidenter inſtructi, obſervanda Provincialibus noſtris, id eſt, per ſeptem Provincias, manſurâ in ævum proſperitate decernimus, quod ſperari planè ab ipſis Provincialibus debuiſſet. Nam tùm propter privatas ac publicas neceſſitates, de ſingulis civitatibus, non ſolùm de provinciis ſingulis, ad examen magnificentiæ tuæ vel honoratos confluere, vel mitti legatos, aut poſſeſſorum utilitas aut publicarum ratio exigit functionum: maximè opportunum & conducibile judicamus, ut ſervatâ poſthac annis ſingulis conſuetudine, conſtituto tempore in Metropolitana, id eſt Arelatenſium urbe, incipiant ſeptem Provinciæ habere Concilium. In quo planè tam ſingulis quàm omnibus in commune conſulimus.*

3. *Primùm, ut optimatum conventu ſub Illuſtri præſentiâ Præfecturæ, ſi id tamen ratio publica diſpoſitionis obtinuerit, ſaluberrima de ſingulis rebus poſſint eſſe conſilia. Tum quidquid tractatum fuerit, & diſcuſſis ratiociniis conſtitutum, nec latere potiores provincias poterit, & parem neceſſe eſt inter abſentes æquitatis formam juſtitiæq; ſervari. Ac planè præter neceſſitates publicas, etiam humanæ ipſi converſationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Conſtantinâ Urbe jubemus annis ſingulis eſſe concilium. Tanta enim loci opportunitas, tanta eſt copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quidquid uſquam naſcitur, illic commodiùs diſtrahatur. Neque enim ulla provincia ita peculiari fructus ſui felicitate lætatur, ut non hæc propria Arelatenſis ſoli credatur eſſe fœcunditas. Quidquid enim dives Oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus Aſſyrius, quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, quod fortis Gallia poteſt habere præclarum, ita illic affatim exuberat, quaſi ibi naſcantur omnia, quæ ubique conſtat eſſe magnifica. Jam verò decurſus Rhodani, & Tyrrheni recurſus, neceſſe eſt ut vicinum faciant ac penè conterminum, vel quod iſte præterfluit, vel ille quod circuit. Cùm ergo huic ſerviat civitati quidquid habet terra præcipuum, ad hanc remo, vehiculo, terrâ, mari, flumine deferatur, quidquid ſingulis naſcitur: quomodo non multum ſibi Gallia noſtra præſtitum credant, cùm in eâ civitate præcipiamus eſſe conventum, in quâ divino quodammodo munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præſtatur? Siquidem hoc rationabili planè probatóque conſilio jam & vir Illuſtris Præfectus Petronius obſervari debere præceperat. Quod interpolatum vel incuriâ temporum, vel deſidiâ Tyrannorum, reparari ſolitâ auctoritate decernimus, Agricola parens cariſſime atque amantiſſime.*

Arelatum vocat Conſtantinam urbem à Cõſtantino ſeu Magno, ſeu filio ibi nato.

Arelati cõmoditas.

Petronius P.P. Galliarum idem præceperat.

4. *Unde Illuſtris magnificentia tua & hanc præceptionem noſtram, & priorem ſedis ſuæ diſpoſitionem ſecuta, id per Septem Provincias in perpetuum faciet cuſtodiri, ut ab Idibus Auguſti, quibuſcumque mediis diebus, in Idus Septembris, in Arelatenſi Urbe noverint honorati vel poſſeſſores, Judices ſingularum provinciarum, annis ſingulis Concilium eſſe ſervandum. Ita ut de Novempopulanâ & Secundâ Aquitaniâ, quæ provinciæ longiùs conſtitutæ ſunt, ſi earum Judices certa occupatio tenuerit, ſciant legatos juxta conſuetudinem eſſe mittendos. Quâ proviſione plurimum & Provincialibus noſtris gratiâ nos intelligimus utilitatiſq; præſtare; &*

Ab Idibus Auguſti in Septembres Concilium Arelati ſervandum.

Arelatenſi

Aeelatenſi Urbi, cujus fides, ſecundùm teſtimonia atque ſuffragia Parentis Patriciſque noſtri, multa debemus, non parum adjicere nos conſtat ornatus. Sciat autem magnificentia tua, quinis auri libris Judicem eſſe multandum, ternis honoratos vel Curiales, qui ad conſtitutum locum intra definitum tempus venire diſtulerint. Data XV. Kal. Maias. Accepta Arrlate X. Kal. Junias. DD. NN. Honorio duodecimùm & Theodoſio octavùm Augg. Coss., Sunt hi anni Chriſti 418. Conſules.

Data anno. Chriſti 418.

5. Ex hàc Honorii Conſtitutione, patet, Hoc primùm anno urbis Metropolitanæ dignitatem Arelato Lege Imperiali indultam. unde & hic dicuntur *poſthac captura Septem Provinciæ in eâ habere Concilium*; nunquam ſcilicet antea habitum. Sic & Agricola Præfectus Prætorio Galliarum *priorem* (forte prioris) *Sedis ſua* (eredo Trevirenſis) *diſpoſitionem ſequi jubetur*. Ad hæc cùm è 17. aut ſaltem 16. Galliarum Provinciis, quæ hoc tempore cenſebantur, nonniſi ſeptem Arelato ſubjiciat; clarum eſt reliquas novem decémve priſco juri, certe ſub aliâ Metropolitanâ relinquere. Quænam verò ſint Septem iſtæ Provinciæ, tametſi præter duas non exprimat, facilè tamen eſt colligere. Aquitaniam ſecundam & Novempopulanam nominat; ac proinde etiam quæ Arelatum inter & illas intercurſant, ſatis inſinuat; nempe Aquitaniam primam, & Narbonenſem, quæ hoc tempore quidem Narbonenſis abſolutè adhuc vocabatur, tempore verò Notitiæ Narbonenſis prima deinde etiam poſt Viennenſis ſecunda dicta. Rurſum cum Aquitaniam ſecundam & Novempopulanam *longiùs conſtitutas*, ſeu Arelato maximè diſtantes notat; planè reliquas tres illis adhuc viciniores intelligit; quæ proinde nonniſi Viennenſis abſolutè dicta, Alpes Graiæ & Penninæ, ac demum Alpes Maritimæ eſſe poſſunt. Quod ſi eſt, ut ſane eſſe videtur, planè Vinnenſis, partem illam, quæ ſub Aquæſextienſi Metropoli recenſeri ſolet, & Narbonenſis ſecunda in Notitia 20. fere poſt hæc annis editâ, dici videtur, poſtmodum verò Viennenſis tertia appellata, nondum hoc tempore ab ipsâ Viennenſi primâ divulſam fuiſſe conſectarium eſt. Atque eæ ſunt celebres illæ *Septem Provinciæ*, nimirum Aquitaniæ tres, Viennenſes quatuor.

Ex quo Arelatum fuit Galliarum caput.

Quænam eſſe videantur 7. Provinciæ.

6. Quare Honorius, hâc quidem conſtitutione, reliquas Galliæ Provincias, nempe Lugdunenſes quinque, & Belgicas quatuor, Arelato non ſubjecit; ſed eas aut priſco juri reliquerit; aut aliis certe ab Arelato Metropolibus accenſuerit. Ac Lugdunenſes quidem cur ab Lugduno tunc avelleret, nulla apparet cauſa. Belgicas an à Treveris proſtratis Divodurum Mediomatricum, quod poſtmodum Francorum Reges Auſtraſiaci tantopere incoluerunt, aut Sueſſiones quos Ægidius Syagriuſque Romani Duces tam fixè incoluere, tranſtulerit; quæri poteſt. Hæ quidem præ ceteris urbes in Belgicâ poſthac caput extuliſſe videntur, credo quòd ſui munitione aut graviore defenſione vaſtatorias Barbarorum manus effugiſſent; nec integras modò ſe ſervaſſent, verùm etiam plurium Gallorum ad ſe confugientium acceſſione fortè creviſſent. Quod tamen magis adhuc inquirendum exiſtimo; quando Treviros adhuc per hæc tempora non incelebres in Imperii Notitiâ reperio. Ibi quippe *Triberorum Fabrica Scutaria & Baliſtaria*; item *Præpoſitus Theſaurorum Triberorum*; *Procurator monetæ Triberorum*; item *Gynecii*, & *rei privatæ Triberorum* memorantur: quorum ſimilia nonniſi præcipuis Galliarum urbibus ibidem attribuuntur. ut infrà fuſiùs, cùm viceſimo ab hunc anno de Notitiæ ſcriptæ tempore diſſeremus.

Lugdunenſes 5. & Belgicæ 4. priſco juri relictæ.

Treviris item aliquid celebrium.

7. Sed quidquid ſubfuerit, id certè ſemper fixum manet, non parum dignitatis hoc tempore Treviris ablatum, Arelatumque tranſlatum. quod etſi ſeptem dumtaxat Provinciis ſibi vicinioribus propriè ſtrictéque tunc præeſſet; tantum tamen præterea novæ ſupra Gallicas omnes majeſtatis acquirebat, quantum ea meretur Urbs, quæ Præfecti Prætorio, adnexarumque Poteſtatum ſublimiorum ordinaria Sedes eſt; qualem Treverorum Auguſtam hucusque vidimus. In quâ ſi quid deinceps Magiſtratuum remanſit, Belgicorum dumtaxat & particularium fuiſſe neceſſum eſt. Nam Præfecti quoque Prætorio ſedem Arelatum tranſlatam, clarè docet iſta Honorii Conſtitutio; continuâ ſequentium temporum praxi firmata. Porro tranſlationis hujus cauſas maximè quatuor iſta Conſtitutio ſuggerit: primam ac præcipuam, Arelati ſitum, commerciorumque ac commeantium commoditatem atque frequentiam; alteram Conſtantii Patricii commendationem, qui fidem Arelatenſium extollebat; tertiam, idem à Petronio Galliarum Præfecto conceptum jam ante *conſilium, ſed incuriâ temporum, vel deſidiâ Tyrannorum interpolatum*. Quem Petronium ego quidem ſuſpicor anni Chriſti 406. cum Arcadio Aug. Conſulem, Petronium Maximum; licèt Onufrius Anicium Probum appellet. qui ſcilicet antè Tyrannos, imò & ante Limenium P. P. Galliarum, à Vandalis in Italiam, ut vidimus, expulſum, Galliarum & ipſe Prætorio Præfectus extiterit. Quartam denique, quòd etiam ab Conſtantino Magno Arelatenſium urbs primùm Conſtantinæ nomen accipere meruerit, ut nobis alibi quoque notatum. Verùm quaternæ iſtæ cauſæ, cur Arelato potiùs quàm aliis Urbibus æquè intactis iſta tranſlatio obtigerit bene exprimunt; cur autem Treviris avulſa dignitas ea fuerit non tangunt; nos in Treverorum deſtructionem, nimiamque & parum tutam Barbarorum viciniam, cauſam illius omnem commodiùs rejecimus.

Præfectus Prætorio Galliæ Arelati reſidet.

Translationis iſtius cauſæ præcipuæ quatuor.

8. Ita ſupremæ in Galliâ Metropoleos dignitatem, & Gallicani etiam Imperii prærogativam, quam ſupra quadringentos annos obtinuerant, perdidêre Treviri; nec unquam poſthac caput attollere potuere, ſuis ipſi protriti ruinis; Sed neque à Francis, in quorum mox venêre poteſtatem, erigi contigit; Divoduro Mediomatricum, ſeu Metenſium civitate vicinâ in novi regni Auſtraſiæ caput ab iis prælatâ. Quod ſi Trevirorum urbs, quia ab Imperatoribus Valentiniano ſecundo & Honorio jam antè neglecta relictáve; ſolio rurſus in Italiam revocato; ab incumbentium Barbarorum vaſtatione ſe nequivit eripere; quid ipſis etiam Imperatorum officiis ſpoliata, & ab eorum nova Arelatenſi ſede, non minus ferè quàm ab Italiâ remota, adeoque hiantibus barbarorum jam imminentium faucibus ingeſta, niſi ultimam ſupremi excidii calamitatem, quâ mox affecta eſt, expectare debuit? Quid ſi & ipſi Barbari, Franci præſertim & Burgundiones; ipſi item Armorici, Riparii, & Agrippinenſes, ut urbs ea non inſtauraretur, cum Honorio pepigerint? Atque hæc anno Chriſti vulgari 418 contigêre.

Trevirorũ urbs ſub Francis Metenſi poſthabita.

CAPUT II.

Sedes certa data VViſigothis in Aquitania.

Anno Chriſti 419.

Annus Chriſti 419. quo natus Valentinianus tertius.

1. SEquenti 419. *Indictione ſecunda Monaxio & Plintâ Coss. Valentinianus Junior*, ſeu tertius, *apud Ravennam patre Conſtantio & Placidiâ matre ſexto Nonas Julias natus eſt*; ait in Chronico Marcellinus & Idatius. rectiùs meo judicio quàm Proſper, qui priore anno idem totidem fere verbis refert. Nam & Olympiodorus bis idem innuit. primùm cùm notat Honoriam iſtis parentibus, tum Valentinianum ſuſceptos. Conſtantii cum Placidia Nuptiæ Kalendis Januarii anni 417. ipſius teſtimonio factæ. à quibus ad diem Julii prioris anni ſecundam, nonniſi 18. menſes interfluunt; qui binæ prolis generationi via ſufficiunt. Deinde Octobri anni 425. cùm Valentinianus hic Joanne ſuperato pacificum iniit Imperium, *quinque annorum* ab eodem Olympiodoro dicitur. juſto ab utroque termino temporis intervallo. Addit demum idem Olympiodorus *Valentinianum hunc, ſuperſtite etiamnum Honorio, Nobiliſſimum dictum, impellente fratrem Placidiâ.* Quæ omnia notare viſum, ut dicti illius ſapientis meminerit Lector, *Væ terræ, cujus Rex eſt puer.*

Wiſigothis & Walliæ ſedes Toloſæ & Burdegalæ data.

2. Hoc eodem anno Wallia Gothorum Rex fixas in Aquitaniâ ſedes accepit. Sic enim Proſperi Chronicon: *Maximo & Plintâ Coss. Conſtantius pacem firmat cum Walliâ, datâ ei ad habitandum Aquitaniâ ſecundâ & quibuſdam civitatibus confinium provinciarum.*] Pacem quidem Wallia antè, anno Chriſti 416. cum Conſtantio tùm Patricio fecerat: ſed fidem ſimul dederat, primùm adverſus ceteras gentes, quæ per Hiſpanias conſediſſent, ſuo ſe periculo pugnaturum, Romanis victurum, ut ex Oroſio ſuprà vidimus.

Walliæ Regis geſta pro Romanis.

Statim igitur eodem anno Alanos, & Wandalos Silingos in Luſitaniâ ſedentes, aggreſſus erat, ut narrat Idatius. Anno proximo 417. magnas eodem teſte clades effecerat Barbarorum. Anno 418. primùm Vandalos Silingos in Bœticâ omnes extinxerat: Alanos, qui Wandalis tùm & Suevis dominabantur, adeo afflixerat, ut Rege cæſo pauci reliqui Gunderici Wandalorum aliorum Regis, qui in Gallæciâ reſidebant, ſeſe patrocinio ſubmitterent. Reliquum erat, ut Gallæcos quoque hoſce Wandalos, è tot Barbaris Hiſpanias prementibus reliquos, eodem victoriæ fluxu deleret. Cùm ecce ſubitò, *intermiſſo certamine* (rurſum Idatii verba) *quod agebant Gothi per Conſtantium ad Gallias revocati, ſedes in Aquitaniâ à Toloſâ uſque in Oceanum accipiunt.*

Cur ille jam ſubitò revocatus.

3. Tam ſubitæ revocationis cauſam non exprimit Idacius, ſed conjectura facilè aſſequimur. Nimirum timuerit Conſtantius, ne tot victoriis inflatior, & voto ſuo potentior Wallia, Reip. gravior evaderet, & qui jam facilè comprimi non poſſet. Qui ſupererant Barbari, videbantur eum, ſi forte rebellaret, Romanis adjuncti poſſe comprimere, aut juſto potiùs, ne rebellaret, metu continere. Nec enim tunc eæ ab Rep. vires, quæ ſolæ facilè comprimerent. Sed vereor, ne occultior quoque, eaque privata cauſa ſubfuerit. Adſpirabat jam ad Imperii conſortium Conſtantius; Imperatorum ſcilicet alterius quidem ſororius, alterius etiam avunculus. fortè etiam tunc maſculâ prole, quæ in Imperium venire poſſet, è Placidiâ ſuſceptâ. Ad hoc Gothos ſibi devincire conſultum videbat; quorum operâ in oppugnando Honorio Theodoſióve, ſi forte reluctari vellent, tutiùs uteretur. Eos itaque revocare, & ante ſupremum victoriæ laborem, ultrò oblato Sedis fixæ beneficio ſibi obſtringere tutiſſimum duxit. Ne quid dicam de Placidiâ, quæ ex Athaulphi Gothorum Regis connubio Gothis aſſueta & conjuncta, novum virum Conſtantium iis quoque addixiſſe potuerit.

Cur ea ſedes Wiſigothis præ cæteris data.

4. Sedes circa Toloſam atque Burdegalam eis aſſignare, commodiſſimum apparebat: ſcilicet æquali propè à Belgicis Hiſpanicisque Barbaris intervallo: quo eos, ſi quando publica privatáve poſceret utilitas, inter ſe committere, adeoque ne tam faciles interim in Remp. conſpirarent, impedire poſſet. Sane Toloſa ac Burdegala ab Ciſrhenanis Gallicaniſve Primâ & Secundâ Germaniis, quas Franci, & quibuſdam Alanis juncti Burgundiones ex nupera pace poſſidendas acceperant, non multo erant, quàm à Gallæciâ à Vandalis Suevisque tum infeſſâ, remotiores. Mari quidem Aquitania Gallæciæ conjungitur. Sed nullus adhuc barbaris erat navium aut maris uſus.

Nullus tum adhuc Wiſigothis maris aut navium uſus.

Atque adeo, cum adhuc hoc ipſum forte timerent, wandali in Bœticam anno ſequente tranſire coacti. Ad hæc interjacebant Romanæ civitates ita denſæ, ut ſimul à tergo ſimul à fronte utriſque facilè reſiſterent. Denique Narbonâ, vicinoque territorio Romanis remanente, ſecurus ſemper relinquebatur in Hiſpanias è Galliâ trajectus; & quod omnia anteibat, intactum ſervabatur à Barbaris internum mare, jungendis Imperii provinciis adeo commodum, ſi non & neceſſarium.

Qui limites tunc Wiſigothorum.

5. Fines novæ hujus Gothorum ſedis definire, non ita pronum. Garumnæ ab Toloſa in Oceanum uſque fluxus ab Idacio tum vivente exprimitur: ab Proſpero vulgari teſte item oculato & indigenâ, Aquitania ſecunda & nonnullæ confinium provinciarum civitates. An Aquitaniam totam, an potiorem ejus partem intelligat Proſper, quæri poſſet. Notitia quidem Imperii, annis ab hinc octodecim ſcripta, iſtius provinciæ maximè Septemtrionales *Pictonas* aut *Pictavos*, Romanis adhuc accenſet. Reliquas igitur Aquitaniæ ſecundæ civitates, Xantonas, Eculiſmios quos aliqui Ageſinates appellant, Petrocorios, Aginnenſes ſeu Nitiobrigas, ac denique Burdegalenſes ſeu Bituriges Viviſcos veriſimiliter tenuerint. Nonnullas alias *confinium provinciarum civitates* addit idem Proſper. nempè è Novempopulanâ quidem, certò Garumnæ proximos Vaſatas & Auxios: veriſimiliter autem etiam Mediterraneos, Eluſates, Atures & Datios. An Pyrenæo quoque contiguos Tarbellos, Benearnos, Bigerronas, Convenas, & Conſorannos magis diſputari poſſet; nimirum Hiſpaniæ junctiores, & à Garumna remotiores.

Lapurdum oppidum.

Notitia quidem Imperii *Lapurdum* Romanis adhuc in hiſce tractibus aſſignat; quod oppidum *Lourde* in Bigerris Nicolaus Sanſon in ſua Mappa Gallica; Bajonam & tractum ipſius Sirmundus noſter in Sidonii

epiſto-

epiſtolam 12. libri 8. exiſtimant. Utcumque ſit, uterque tractus Pyrenæo ſubeſt; ut vehemens ſuſpicio ſit, Gothos tunc à Romanis Pyrenæo nequaquam admotos. Ita fines Gothicos tum à Septemtrione tum à Meridie utcumque perſpicimus.

Limites ab Oriente obſcuri.

6. Obſcuriores ab Oriente ſunt. nam ab occaſu claudebat Oceanus, ut diſertè Idatius. qui & Toloſam è Narbonenſi provinciâ abs uno quidem Orientis latere determinat: ſed nihil præterea exprimit. Nec ego plura è Narbonenſi quidem indulta exiſtimo; præſertim cum Idatii Chronicon de Biterris, quaſi nihil immutatis ita loquatur hoc tempore: *In Gallicanâ regione, in civitate Biterris, multa ſigna effecta terrifica, Paulini Epiſcopi ejuſdem civitatis epiſtola enarrat, ubique directa.* & verò ſi Biterras Gothis Romani conceſſiſſent, iter ſibi in Hiſpanias præcluſiſſent. Ex Aquitaniâ primâ num quid iis deciſum ſit, nondum ſtatuo; niſi fortaſſe proximi Cadurci, Petrocorios inter & Toloſatas interſiti; neſcio an & Lemovices obtigerint. Varias porrò civitates variis Ducibus ac cohortibus ſuis Rex Wallia pro meritorum ratione diſtribuere potuerit: licèt eo novo regno non diu potitus, uti mox.

Conſtantii conſilium fallax.

7. Ita Conſtantius ſive Reip. ſive ſibi benè proviſum exiſtimavit; tanto licèt pretio pace à tam potentibus emptâ barbaris, quos ſibi quoque devinxiſſe credidit. Nec interim animadvertit (ut ſunt incertæ mortalium providentiæ) in perâ ſe murem, ignem aut ſerpentem in ſinu fovere. Ab iſtis certè Barbarorum in Imperium admiſſionibus, Galliarum interitum maximè cœpiſſe, ſequens docebit hiſtoria: interceptis utrimque, paulatimque ſuccisis Romanorum viribus. Nam Gothis hiſce ab Occidente & Auſtro collocatis; ab Aquilone & Oriente Francis atque Burgundionibus cis Rhenum inductis, Saxonibus Bataviâ, Toxandrorum, Menapiorumque parte maritimâ donatis; medias Romanorum vires intercipi turbarique primùm, tum paulatim accîdi, tandemque ſubverti neceſſe fuit. Rectè Velſerus lib. 2. Boicorum, *Impoſuit ignaviæ ſperatum laborum ſumptuumq́ compendium: & ſpecioſus viſus inertibus color, civium ſanguini parcere, ſtipendia lucriſacere, bella hoſtium & periculo & in utrumque caſum damno conficere. Verùm res, gliſcentibus barbarorum viribus ac proinde audaciâ, in Romanorum perniciem vertit.* Romanos, *quos defenſum venerant, novi ipſi accolæ reliquiis exuerunt agris, urbibus, præſidiis: & totis denique pepulere provinciis.*

Duæ è ſeptem provinciis Arelato ſublatæ

8. Simul Lectorem moneo, novam hanc Gothorum ſedem è ſeptem Galliarum provinciis Arelato priore anno novâ Honorii conſtitutione indultis, binas ex parte ſuſtuliſſe; Aquitaniam ſecundam & Novempopulanam: quibus proinde vix unquam potita dici poſſit Arelatenſium civitas. Extat tamen Bonifacii Romani hoc anno Papæ epiſtola, Idibus Juniis Monaxio hujus item anni Conſule data, quæ cujuſdam Maximi apud Valentiam Epiſcopi Manichæi cauſam examinandam Septem Provinciarum Epiſcopis delegat. ut appareat ante Junias hujus anni Idus, Gothis has ſedes nondum datas. Eoque in tantæ tamque ſubitæ jacturæ ſolatium, quæ hactenus cenſebantur quaternæ Viennenſes Narbonenſésve provinciæ, nempe Viennenſis, Narbonenſis, Alpes Maritimæ, & Alpes denique Graiæ ac Penninæ; quinæ tum ab Honorio factæ; decerpta è Viennenſi parte novâ, ſub Aquenſi Metropoli, quæ tùm Narbonenſis ſecunda ex Notitiâ Imperii dicta videtur; poſtmodum autem Viennenſis Tertia; ut in ſequentibus apparebit. Ego quidem novæ hujus additionis tempus nullum commodius invenio. Itaque Arelato poſthac non ſeptem, ſed ut ſummum ſex provinciæ remanſerint: ſi tamen Aquitania prima Gothis indulta non ſit. Totam certè non indultam, ex Arvernis & Biturigibus, diu adhuc poſthac Romanis, ſatis conſtat.

9. Addit denique Proſperi Pithœani Chronicon, hoc eodem anno Chriſti 419. *Honoratus, Minervius, Caſtor, Jovianus, ſingulorum Monaſteriorum Patres in Galliis florent.* Honoratus Monaſterii Lirinenſis fundator eſt; qui poſtmodum anno Chriſti 426. (vix ſeptennii intercurſu) Epiſcopatum Arelatenſem iniit, totóque biennio tenuit. Aliorum Monaſteria mihi adhuc incomperta; nec ſi ut Lirinenſe ad Viennenſes provincias pertinuerint, ad inſtitutum pertinent. De Belgicis quidem noſtratibusque temporis hujuſce Monaſteriis nihil lego. Nec verò in tanta barbarorum viciniâ eorum condendorum tempus erat; neſcio an etiam ſervandorum.

CAPUT III.

Conſtantius in Imperium aſſumptus moritur: ut & VVallia Gothorum Rex.

Annis Chriſti 420. & 421.

Annus Chriſti 420. Conſtantius Placidiæ maritus fit Imperator octavo die Februarii.

1. ANno Chriſti 420. Hieronymi in Bethleem morte illuſtri, *Theodoſio Auguſto nonùm* (ait Proſperi vulgaris, Idacii, ac Caſſiodori Chronicon) *& Conſtantio tertiùm Conſulibus; Conſtantius ipſe ab Honorio in conſortium regni aſſumitur.* & quidem *ſponte*, ſi Proſpero Pithœi fides. fuſiùs Paulus Diaconus lib. 14. cap. 3. *Cernens*, ait, *Honorius ubique ſe Conſtantii virtute & ingenio, ſeu per bella, ſeu pacis moderatione tueri; eum, cunctis annuentibus, apud Ravennam in regni conſortium adſcivit.* Omnium fuſiſſimè, ſed pauló diversè Olympiodorus: *Conſtantius Honorii in Auguſtali Imperio collega fit, ab illo quidem ipſo, ſed penè repugnante conſtitutus. Placidia quoque Auguſta à fratre & marito dicta eſt. Dein ad Theodoſium, qui fratre Honorii genitus, Orientis partibus Auguſtus imperabat, de Conſtantii Imperatoris electione nuntius mittitur; miniméque receptus eſt. Hinc morbum Conſtantius contraxit, ſuſcepti pœnitens Imperii: quòd non jam, ut antea, eundi redeundíque, quo & quando vellet, libertas eſſet: neque ludicris, ut ſolebat, operam dare, jam Imperatori permitteretur. Igitur ſeptimo Imperii menſe (quemadmodum & inſomnium ſic judicaverat, Sextus abiit, Septimus inchoatur) pleuritide extinctus eſt. Extinctâ ſimul cum ipſo in Orientem irâ atque expeditione; quam, quòd ad Imperii ſocietatem admiſſus non eſſet, animo agitabat.*] Ita ille. Conſtantii mortem in ejus tertio Conſulatu, id eſt hoc anno contigiſſe, diſertè tradit Idacii Chronicon. ſequenti tamen adſcribunt Proſper vulgaris, & ex eo Caſſiodorus. Litê dirimit Theophanes Græcus

& moritur ſecundo Septembris, imperii mẽſe ſeptimo vertente.

ex integro, reor, Olympiodoro, ita ſcribens: *Iſto anno*, Conſulatu ſcilicet tertio Conſtantii, *Conſtantius ipſe Valentiniani pater imperavit à ſexto Idus Februarias; & mortuus eſt quarto Nonas Septembris.* ſex nempe diebus, antequam ſeptimus Imperii illius menſis expleretur. Malè ergo ſeptem iſtos menſes Proſper & Caſſiodorus in duos annos Julianos partiuntur.

Qualis fuerit Conſtantius ex Olympiodoro & Theophane.

2. Ejus hoc apud eumdem Olympiodorum elogium eſt: *Conſtantius genere Illyricus fuit è Naſo urbe* Καδίας (an potiùs è Naiſſo, urbe Δακίας ſeu Daciæ Dardaniæve quando Daciam Illyrici provinciam & Naiſſum urbem ſat novimus; Kadiam aut Panæſum non item) *qui multis obitis jam inde a Theodoſii Magni temporibus militia muneribus, ad ſummum tandem Imperii apicem evectus eſt. Is cùm cetera fuit laude dignus, tum quòd auri nullâ cupiditate flagraret; antequam quidem Placidiæ conjungeretur: nam eâ uxore ductâ pecuniarum avidus evaſit. Ipſo ergo mortuo, cum poſtulatis homines Ravennam undique confluxerunt, quos bonis ille per injuriam exuiſſet. Verùm Honorii lenitas, & Placidiæ cum eo nimis arcta familiaritas, fruſtra ut eſſent hæ querimoniæ, omniáq; adeò juris vi ac potentia, effecit.* Hactenus Olympiodorus qui cùm auri cupiditatem Conſtantio poſt Placidiæ conjugium exortam notat, innuit quod ſuprà diximus, occultum ei fuiſſe conſilium, Imperium ſibi ſuiſque, Gothorum aliorumque Barbarorum auxiliis aſcendendi: quando inde maximè rapacitas enaſcitur. Ceterùm ejus, quamdiu vixit, metus, Francos aliosque Belgicæ noſtræ Barbaros in pace continuit. Nec enim ullus ab anno Chriſti 417. legitur eorum motus; ſua nimirum ſub novo Rege Faramundo ſtabilire ſatagentium.

Wallia quoque Wiſigothorū Rex mortuus.

3. Eodem fere ac Conſtantius tempore, Wallia Gothorum Rex morte functus. Utriusque certe mortem Olympiodorus conjungit; quin & ante collatum Conſtantio imperium, immediatè poſt fixas in Aquitania ab eo ſedes, refert Idacius. Falluntur itaque Jornandes & Iſidorus, qui mortem Walliæ in annum Chriſti propagant 427. quo in Africam Wandali trajecêre. Duobus maximè decepti videntur. Primò, quod Walliam quoque legerent, Gaditanum fretum trajicere, & in Africam tranſmigrare tentaſſe: quod cum Vandalorum in Africam trajectu anni illius 427. confuderunt: cùm Walliæ conatus iſte ante pacem cum Conſtantio factam, ſeu annum Chriſti 416. contigerit, ut ſuprà viſum. Secundò, quod Idacium referentem viderent, Wandalorum hoc anno è Gallæciâ in Bæticam emigrationem; quam ante eorundem in Africam trajectum contigiſſe non putarunt. Sic enim hoc circiter anno Idacius: *Vandali Suevorum obſidione* (in Nervaſis Gallæciæ montibus) *dimiſſâ, inſtante Aſterio Hiſpaniarum Comite, & ſubvicario Maurocello, aliquantis Braccara in exitu ſuo occiſis, relictâ Gallæciâ, ad Bœticam tranſierunt.*

Cui ſuccedit Theodoricus primus. uſque ad Attilæ irruptionem.

Walliæ ſucceſſit Theodoricus, ſeu Theudericus; Sidonio Theuderis etiam ac Theudorides dictus: regnumque ad Gallicam uſque Attilæ expeditionem, per annos fere 31. tenuit, ac multum auxit. Ita quemadmodum Galliarum ad Rhenum Septemtrionalia, Franci & Burgundiones, Meridionalia ad Garumnam Gothi: ſic Hiſpaniarum Borealem Gallæciam Suevi, Auſtralem Bœticam Vandali Alanis mixti tùm occupabant. Inteſtinum utique malum; & tormi:um inſtar incurabilium, mortem Romano in utraque provinciâ Imperio tandem allaturum: Vandalis nimirum iſtis Romanos fide barbarâ decepturis.

Britannica hujus anni 420.

4. Quod etiam ex Britannicis hujus ævi rebus apud Bedam libro 1. cap. 12. videre poſſumus, cum ſcribit, *Britanniam* ex quo ab Honorio receſſerat, *à duabus gentibus vehementer ſævis, Scotorum a Circio, Pictorum ab Aquilone multos ſtupuiſſe gemuiſſeque per annos.* Ex quo enim illi Britannos audierunt ab Honorio ſatiſcente, ipſiſque anno Chriſti 410. ut ſibi ipſi providerent, ſcribente derelictos: in eos & ipſi irrumpere non ceſſarunt. Ac licèt Britanni Remp. ſuo arbitratu, ſicut Belgæ, conſtituiſſent, ut è Zoſimo ſuprà monuimus; hoſteſque irrumpentes per annos aliquot ſuſtinuiſſent: eorum tamen irruptionibus tam pertinacibus acribusque fatigati; ſimulac ab anno Chriſti 416. Romanos in Gallia Belgioque vicino cum Barbaris pace compoſitâ quietiores ac validiores intellexerunt; *Legatos Romam cum Epiſtolis mittentes*, pergit Beda, *lacrymoſis precibus auxilia flagitarunt; ſubjectionem continuam*, (rebellionem ſuam jam deteſtantes) *promiſerunt; dummodo hoſtis imminens longiùs arceretur.*

Britanni auxilium à Romanis petunt.

Quibus mox legio deſtinatur armata. quæ ubi in Inſulam advecta, & circa annum Chriſti 417. aut 418. *cum hoſtibus iſtis congreſſa eſt; magnam eorum multitudinem ſtravit; ceteros*, Britannorum, jam *ſociorum, finibus expulit: eóſque interim à diriſſimâ depreſſione liberavit.* quod nonniſi uno alteróve anno confici potuit. præſertim cùm eadem victrix legio domum à Conſtantio ſeu adhuc Comite, ſeu jam Imperatore dicto, proximéve dicendo, cōtra alios hoſtes revocara; *hortata eſt inſtruere inter duo maria murum*, ſeu inter duos maris ſinus, Bodotrienſem hodie Edimburgenſem ad Orientem in Scotiâ, & Glotam ad occaſum, hodie Dumbritenſem: *Qui murus arcendis hoſtibus poſſet eſſe præſidio. Cujus operis ibidem facti, id eſt valli latiſſimi & altiſſimi, hodiéque certiſſima veſtigia cernere licet.* ait ipſe teſtis oculatus Beda.

Legio eis una mittitur.

quæ hoſtes pellit,

& muros contra eos ſtruit.

5. Id opus parvo tempore compleri non potuit. Ego quidem illum non ante annum Chriſti 420. ſeu non ante tertium Conſtantii jam Auguſti Conſulatum, cōpletum exiſtimo. quem etiam Nummus aureus & illuſtris ſubindicat, omnium Britannicorum à Camdeno poſtremus exhibitus. In cujus rectâ facie ineſt Honorii imago, cum Inſcriptione, DN. HONORIUS P. F. AUG. In averſâ autem vir, dexterâ Crucem, ſiniſtrâ globum cum Victoriolâ geſtans: cum aliâ Inſcriptione, VICTORIA AUGGG. Evidenti argumento, cuſum illum Nummum, qua tempeſtate tres Auguſti Romanum obtinebant Imperium; Honorius, Theodoſius junior, & Conſtantius Placidiæ ſororis Honorii maritus; hoc primùm anno Chriſti 420. Auguſtus ab Honorio dictus, eodemque ante octavum Imperii menſem inchoatum mortuus, ut dixi. Quo etiam colligitur, Britanniam tum, Scotis Pictiſque repulſis, in Honorii Romanorumque poteſtatem rediiſſe, & ad aliquot deinceps annos in ea conſtitiſſe; ut ex Notitia Imperii annis poſt hunc ſeptemdecim edita, videbimus. Hic tantùm antequam finiam, id moneo, legionem iſtam Romanam, Britannis poſtulantibus auxilio miſſam, Duce quodam *Gallione Ravennate* dici à Camdeno (neſcio unde) in Inſulam iſtam fuiſſe tranſductam. Qui quiſnam fuerit, non dicit. In Proſperi Conſulari vulgarique Chronico, ad annum Chriſti vulgarem 427.

Victoria trium Auguſtorum.

Hierio & Ardaburo Conſulibus, Galbio quidam Dux reperitur; qui cum Mavortio contra Bonifacium bellum in Africa gerens, Sinocis ſeu Saonecis alterius & tertii Ducis proditione, interemptus ſit. An Galbio iſte, ſit Camdeni Gallio Ravennas, judicet Lector. Ego de illo plura neſcio.

Trajactus in Britanniam Romanis adhuc liber.

6. Ex his etiam patet, trajectum in Britanniam Romanis per hæc tempora adhuc fuiſſe liberrimum. Qui cùm è Belgica noſtrate, & Geſſoriacenſi Bononienſive litore maximè fieri ſoleret; plane tractum eum, qui Arteſiâ, Flandriæ ſaltem parte, & Hannonia hodiernis continetur, nondum à Francis, aliiſve Barbaris occupatum, ſed in plena adhuc Romanorum poteſtate remanſiſſe confirmat; niſi forte hodiernæ Flandriæ Orientaliora ſimul & Borealiora à Saxonum gente tenerentur. Quæ cùm Bataviam & vicina jam occupaſſet, totum iſtud Belgicæ littus, quod ab Rheni oſtiis, ſaltem ad Sequanam, item quod ab Humbro Angliæ fluvio ad Vectam inſulã præter propter porrigitur, crebris ab ſe pyraticis incurſionibus eraſum, *Saxonicum* novo nomine appellandi anſam dedit. ut ſæpiùs adhuc infrà audiemus. Sanè Zalandia Hollandiaque hodiernis, quàm tum occupabant, nihil ad piraticam exercendam accommodatius, quotidiana noſtri quoque temporis abundè docet experientia.

CAPUT IV.

Caſtinus Magiſter militum à Vandalis in Boëtica victus. Placidia ab Honorio in Orientem abacta.

Anno Chriſti 422.

Caſtinus in Vandalos.

1. CONſtantio Comiti, jam antè ad Patriciatûs honores anno Chriſti 414. ut dixi, evecto, *Caſtinus* Dux nuperis Francorum bellis inclytus, Magiſter Militiæ ſuffectus fuerat; *Bonifacio* viro illuſtri, ſtrenuo, & heroico, ceteriſque Primatibus ab Honorio antepoſitus. Inde certè livor inter Duces enatus, res Imperii peſſumdare cœpit; ut ſequentia docebunt. Quòd ſi Caſtinus è Galliis, quarum militiam rexerat, in Hiſpaniam contra Vandalos ſubmiſſus eſt; ſuſpicio non parva ſubire poteſt; Gaudentium Comitem Aetii patrem, ſucceſſorem inibi reliquiſſe. Nam illum tertio abhinc anno vertente, ſub Joanne Tyranno, à militibus in Galliis interfectum, anno Chriſti vulgari 424. videbimus.

Bellum cōtra Vandalos in Boetica a Caſtino.

2. Igitur ne Conſtantii morte Romanorum virtus extincta videretur, bellum Vandalis qui Boëticam invaſerant, tanquam ceteris Barbaris inſolentiores, aut graviores inferre viſum. Et erant ad manum copiæ non exiles, quas Conſtantius in Orientem moturus inſtruxerat. Adſcita & Gothorum Aquitanicorum auxilia, quos ſibi devinxiſſe Conſtantium, & acres Wandalorum fuiſſe hoſtes victoresque ſuprà monuimus. Tracti veriſimiliter & Franci, Suevi, Burgundiones, & ceteri. Bellum id toto Chriſti anno 421. (ſeu ut mox Salvianus, *diu*) paratum, proximè ſequenti 422. ſuſceptum, ita docet Proſper vulgaris: *Honorio XIII. & Theodoſio X. Auguſtis Coſs. Exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos miſſus eſt, cui Caſtinus dux fuit. Qui Bonifacium, virum bellicis artibus præclarum, inepto & injurioſo Imperio ab expeditionis ſua ſocietate avertit. Nam ille periculoſum ſibi atque indignum ratus eum ſequi, quem diſcordem ſuperbientémque expertus eſſet, celeriter ſe ad Portum Urbis, atque inde ad Africam proripuit; Idque Reip. multorum malorum initium fuit.* Idacius ſimiliter, *Caſtinus*, ait, *Magiſter militum, cum magnâ manu & auxiliis Gothorum, bellum in Boëticâ Vandalis infert. Quos cùm ad inopiam vi obſidionis arctaret, adeo ut ſe tradere jam pararent; inconſultè publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus,* (ea ſcilicet erat barbarorum omnium auxiliarium fides) *ad Terraconam victus aufugit. Bonifacius palatium deſerens, Africam invadit.*

Romani infauſti

Bonifacius Africam invadit.

3. Juvat & hic Salvianum audire libro ſeptimo. *Ad Vandalos in Hiſpania ſitos cùm noſtra pars pergeret; tantámque ad debellandos eos præſumptionis fiduciam ferret, quantam etiam proximè ad Gothos* (anno ſcilicet Chriſti 439. Littorio Duce:) *pari ſuperbiæ faſtu, pari exitu corruerunt.* &c. *Nec immeritò victi ſumus. ad meliora enim ſe illi* (Vandali) *ſubſidia contulere quam noſtri. Nam cùm armis nos atque auxiliis* (utique barbaricis ut monui) *ſuperbiremus, a parte hoſtium nobis liber divinæ Legis occurrit. ad hanc enim præcipuè opem, timor & perturbatio Vandalica confugit; ut ſeriem nobis cæleſtis eloquii opponeret; & adverſum advenientes æmulos ſuos, ſacri voluminis ſcripta, quaſi ipſa quodammodo divinitatis ora reſeraret. Hic nunc requiro: Quis hoc unquam à noſtris partibus fecerit? aut quis non irriſus fuerat, ſi putaſſet eſſe faciendum?* Rurſus infrà: *In Hiſpania Vandali etiam exercitus noſtros contriverunt, jam victores jam triumphantes. quibus uſque ad hunc fortitudinis faſtum contigit aſcendere, ut poſt experimenta belli diu parati* (nota *diu*) *intelligerent, ſibi Romanæ Reip. vires, etiam cum barbarorum auxiliis, pares eſſe non poſſe.*] Iſta è Salviano promere viſum; ut quid tum in Romanis, quid in Barbaris Religionis infuerit, intelligere, ſimul belli paciſque per Gallias ſtatum colligere poſſimus. Romani certè in Vandalos verſi, nihil in Francos noſtros moliri poterant: imò eos in ſuos etiam auxiliares verterant. Caſtino autem quid poſt eam cladem acciderit, anni tres proximè ſubſecuti docebunt.

Vandalorū de Romanis victoria ex ſolâ pietate.

4. Bonifacius in Africâ ſe continuit: vir, ut Olympiodorus ait, *heroicus.* & ut ex Epiſtolis Sancti Auguſtini haurimus, genere Thrax, Domeſticorum & Africæ Comes; vitæ tunc quidem Chriſtiano homine dignæ; eoque Auguſtino perfamiliaris & laudatus. donec Vandalos quinto abhinc anno, vindictæ cupidine tranſverſus, advocavit. Nec dubium, quin Caſtinum hoc tempore victum, lætatus ſit; non tam Reipublicæ incommodo, quàm æmuli ignominia & punitione. Contrà, Gundericus Vandalorum Rex, eâ victoriâ inflatus, non Boëticam modò ſibi ſuiſque firmavit; ſed proximis quoque annis, Honorio præſertim abſumpto, Hiſpanias omni genere calamitatis afflixit, Balearicas inſulas deprædatus eſt, Carthaginem Spatariam, & Hiſpalim evertit, cætera Hiſpaniæ vaſtavit, donec in Africam tranſmearet; ut pluribus Idatius. Barbaros cæteros idem in confinibus ſuis tentaſſe, pœnè certa conjectatio eſt, ex quibus Gothi

Bonifacii laudes ex D. Auguſtino

Gunderici victoriis inſolentia.

Romanos fide barbarâ deceperant. Nec fidei cettioris esant seliqui. Franci maximè : ſemel attritis Romanorum sebns, & ſuſtinendo Imperio jam imparibus.

Placidia Honoris ſoror in Oriẽtem expulſa.

5. At in Italiâ Ravennæ, anno jam Chriſti 423. *Marmiano & Aſclepiodoto Coss.* ait Proſperi vulgare Chronicon, *Placidia Augusta à fratre Honorio pulſa, ad Orientem cum Honoriá* (ſic enim legendum) *& Valentiniano filio proficiſcitur.*] addit Caſſiodori Chsonicon *ob ſuſpicionem invitatorum hoſtium.* Unde Pithœanus, *Placidia, cùm inſidias fratri tenderet, deprebenſa eſt, & Romam exilio relegata.* Fuſiùs & diſtinctiùs hujus temporis ſcriptor Olympiodorus: *Honorii Imperatoris erga ſororem* (non tamen utesinam) inſita affectio tanta fuit, *ex quo Conſtantius ejus maritus vitâ deceſſerat; ut perditè nimiũ amando, & aſſiduè os ejus oſculando, turpis apud multos conſuetudinis ſuſpicionem non effugerit. Sed hic amor in tantum brevi vertit odium, allaborantibus Spadusâ atque Elpidiâ Placidiæ nutrice, quibus illa tribuebat plurimùm, adjutante item ipſas Leontio illius curatore; ut & ſeditiones Ravennæ frequentes exiſterent (adhærebat enim ipſi adhuc Barbarorum,* Gothorum credo maximè, *turba, cùm ex Adaulphi, tum ex Conſtantii Impesatoris conjugiis) & vulnera etiam utrinque inferrentur. Donec tandem ob eas ipſas inimicitias, & priori amori par nunc odium, Conſtantinopolim Placidia, fratre prævalente, cum liberis ablegatur. Solus Bonifacius fidem illi ſervans, pecuniam, ut poterat, ex Africa cui præerat, ſubmittebat, & ad alia obſequia præſto erat.* Ita Olympiodorus, qui Bonifacium à multis, ſed à juſtitiâ maxime laudare pergit. quem tu vide.

CAPUT V.

Honorii Imperatoris mors. Ioannes imperium invadit, & occiditur. Valentinianus tertius fit Imperator, cum Augusta matre Placidià.

Annis Chriſti 423. 424 425.

Annus Chriſti 423.

1. INter hæc *Honorius Mariniano & Aſclepiodoto Coss.* id eſt anno Chriſti vulgari 423. ut Proſper uterque, Marcellinus, & Idacius notant; *intercutis aquæ morbo correptus, ante diem ſextum Kalendas Septembres* (ait Olympiodorus) *vitam finit.*

Moritur Honorius.

Miſſæque in Orientem ad Theodoſium nepotem *literæ, Auguſti mortem nunciantes. Quæ dum ultro citróque mittuntur, Joannes quidam tyrannidem occupavit.*] *conniventε, ut putabatur, Caſtino, qui exercitus Magiſter militum præerat,* addit Proſper vulgatis. Pithœanus autem, *Nullo,* ait, *jure debitum, Joannes ex Primicerio* Notariorum, *Regnum ſumit : qui vulneratum multis cladibus seliquit imperium* Apud Urbem Romam Tyrannum Joannem in imperium ſurreaiſſe notat è Renato Profuturo Turonenſis libro 2. cap. 8. Nec abſcedit Pauli Diaconi Miſcella lib. 14. cap. 5. *Honorius annis 15 cum imperaſſet* (nempe ab Arcadii fratris exceſſu) *& jam cum fratre antea annis tredecim ac ſub patre duobus regnaſſet* [*actis* proinde *tricennalibus ſuis,* ait Idatius] *Remp. ut cupierat pacatam relinquens* (nota pro Francis noſtris aliiſque Barbaris) *apud Urbem Romam* (*Ravennam* dicunt Proſper Pithœanus & Idacius) *vitâ exemptus eſt : corpúſque ejus juxta B. Petri Apoſtoli martyrium, in Mauſolæo ſepultum eſt. Hujus ſoboles nulla fuit. nam duæ Stiliconis filiæ Maria & Thermantia, una poſt alteram ejus conjugio ſociatæ, utraque Dei judicio inopinatâ morte præventa, ex hac luce migravere. Fuit ſane Honorius moribus & Religione, patri Theodoſio non valdè abſimilis. Cujus temporibus, quamvis multa externa & civilia bella ſurrexerint ; aut nullo aut minimo ſanguine* (rurſum ex Oroſio nota) *quievére. Exempto igitur rebus humanis Honorio, fultus præſidio Caſtini Magiſtri militum, Joannes quidam ex Imperialibus deſcriptoribus, Imperium invadit.*

Joannes Primicerius invadit imperium.

Ita Paulus Diaconus. Omnium ſuſiſſimè Socrates, qui *Joannem hunc ſcribit inter Imperatoris ſcribas principem locum obtinuiſſe; & cùm proſperum fortunæ ſuæ curſum moderatè ferre non poſſet, Imperium arripuiſſe ; Legatóſque ad Imperatorem Theodoſium miſiſſe, ut Imperator declararetur.*]

Socr. l. 7. c. 23. & ad Theodoſium pro conſortio mittit.

2. Subdit autem ea duodecimo Frigeridi libro Turonenſis ſuprà, *Ioannis legatos à Cæſare Theodoſio fuiſſe deſpectos.* Ita *Legati ad Tyrannum reverſi* (verba ſunt Frigeridi) *mandata atrocia reportantes. Quibus permotus Joannes, Aëtium id temporis curam palatii gerentem, cum ingenti auri pondere, ad Chunnos* (Pannoniam ſcilicet jam per 47. annos occupantes, ut Mascellini Chronicon Indictione ſeptima, ſeu anno Chriſti 427. innuit) *tranſmittit, notos ſibi obſidatûs ſui tempore, & familiari amicitiâ devinctos; cum mandatis hujuſmodi: Cùm primùm partes adverſæ Italiam ingreſſæ forent, ipſe à tergo adoriretur : ſe à fronte venturum.*] Ita omnia ad bellum verſa.

Sed illum hic reject.

De Aetio, plura paulò póſt.

Et jam Theodoſius, teſte ſuprà Socrate, *celatâ primum aliquandiu patrui morte, Salonas Dalmatiæ urbem clam militem miſerat, ut ſi quis in Occidentis partibus, rebus novis ſtuderet, præſtò eſſent, qui ejus conatus reprimerent.* mox Joannis Legatos (credo iterũ miſſos) *in carcerẽ conjicit, & Ducem Ardaburium, rebus planè maximis bello Perſico geſtis inclytum, contra eum deſtinat* Jam enim Placidia cum puero ſuo Valentiniano ab Honorio fratre pulſa, Conſtantinopolim auxilia precatum advenerat.

Bellum in Joannem parat Theodoſius.

3. In quam ceu amitam pronior Theodoſius nepos, Valentinianum ejus filium conſobrinum ſuum Cæſarem primo creat, Eudociam filiam ei deſponſat, & cum Auguſtâ matre, ad recipiendum occidentale mittit Impesium : ſi Proſpero vulgari, Idacio, Marcellinoque fides De quo tamen diſtinctiùs teſtis oculatus Olympiodorus : *Remiſſa eſt Conſtantinopoli à Theodoſio Placidia cum liberis* (Honoria ſcilicet & Valentiniano) *adverſus Joannem tyrannum. Et illa quidem Auguſta nomine, Valentinianus verò Nobiliſſimi titulum ſuſcepit. Submiſſus quoque exercitus, bellique imperator utriuſque militiæ, Ardaburius, cum Aſpare filio ; addito & tertio Candidiano. Ad Theſſalonicam cùm ventum eſſet, Helion Officiorum Magiſter à Theodoſio miſſus, Valentinianum in illa ipſa urbe Cæſaris veſte induit, annos natum non amplius quinque :* Ita Olympiodorus. ut autem Frigeridus ſuprà, *Imperatorem creat puerulum, uno tantùm ætatis luſtro peracto.* Si quinque iſti anni vertentes completive capiuntur, annum Chriſti notant 424. nam Valentinianum anno 419. & quidem Julii ſecundo natum ſuprà vidimus. & verò anno eodem iſto 424. Valentinianum Cæſarem dictum,

Annus Chriſti 424. Et Valentinianũ Cæſarem factum ad Occidentem cum matre remittit.

Cum exercitu ſub Duce Ardaburio, & aliis.

Proſperi

Proſperi Marcellinique Chronica diſertè ſignant.

Joannis Tyranni contra Placidiam apparatus.

4. Nec verò dormitabat interea Joannes; ceteras Occidentis extra Italiam provincias ſuas facere ſollicitus. Ac Noricum quidem & Rhætias, Aëtii qui Hunnorum in Pannoniis ope fultus agebat, retinuiſſe facilè aſſequimur. *Sigiſvultum* verò, clarum Ducem *ad Africam contra Bonifacium properare juſſit*; utroque Proſpero teſte. Nam ex omnibus Honorii ducibus, *Solus*, ait Olympiodorus, *fidem Placidiæ ſervabat Bonifacius, ex Africâ, cui præerat, pecuniam pro viribus ſubmittebat, tum ad alia ei obſequia præſto erat: nihilque non ut ad Imperium rediret faciebat ferebatque.* Ab eo igitur Joannes Africam per Sigiſvultū (quem hæreticum Auguſtinus inſinuat) bello repetiit, ſed fruſtrà, Bonifacii quippe Catholici virtute Heretica repulſus, *ad defenſionem* deinde *ſui infirmior factus eſt*, ait Proſper vulgatus, *Caſtino & Victore Coss.* Scilicet Caſtinus tametſi Militiæ Magiſter, quia tamen Joanni intimus, & eo Chriſti anno 424. Conſul, in Italiâ ad omnem caſum retinebatur. Quid tum in Hiſpaniis geſtum, nihil comperio. Vandalos ac Suevos ibi vaſtantes, ſuprà vidimus. An eos ſibi Joannes quocumque fœdere conciliarit, Lectori cogitandum relinquo. Sane qui Hunnos ſibi per Aetium adjungendos duxit, facilè per alium hos quoque ſibi devinxerit. Et verò Occidentis Barbaros penè omnes, ab Joannis partibus ſtetiſſe, Gothos, Hunnos, & ſimiles ex 4. Auguſtini ad Bonifacium Epiſtola, & iis quæ mox è Socrate lib. 7. cap. 23. dicemus, facilè aſſequimur.

Solus Bonifacius Placidiæ fidus.

Qui Joannem Africâ excludit.

Barbari pro Joanne.

Exuperãtius P. P. Galliarum à militibus cæſus.

5. In Galliis quidem non tam Barbaros, quàm Romanum militem moviſſe miſera Exuperantii cædes ſatis indicat. *In Galliis* (ait Proſper Pithœanus) *Exuperantius Præfectus* (Prætorio) *à militibus interficitur.* Similiter Proſper vulgatus in Manuſcriptis auctioribus, *Hoc tempore*, ait, *Superantius Pictavus, Præfectus Prætorii Galliarum, in civitate Arelatenſi militum ſeditione occiſus eſt. idq; apud Joannem inultum fuit.* A Joanne igitur (cui cædem iſtam non puniſſe hic vitio vertitur) Exuperantium ſtetiſſe Proſper indicat. Armoricos Exuperantius Palladii juvenis pater ante ſeptennium pacaverat, ut ibi diximus; eoque Prætorii Gallicani Præfecturam meruerat; & Arelati de nupero more ſedem habebat. Cædis cauſa non exprimitur, & eſt militis in ſeditione rabies plerumque cæca; præſertim cùm ad quam civilis belli partem te vertas contentio eſt. Cædem Joannes diſſimulavit, ſeu militis, à quo tum pendebat, iram majorem, ſeu præpotentioris fortè viri dubiam fidem veritus. Gaudentium quoque Comitem, Aëtii patrem, in iiſdem Galliis occiſum, notat ſecundo ab Honorii exceſſu anno Proſper Pithœi. Sed cauſam ſimiliter tacet, ac ne tempus quidem ſatis exprimit. Si non prioribus bellis civilibus, ſed hoc primùm ipſo cæſus ſit; ab Joanne quoque ſtetiſſe, arguit filius Aëtius Joannis tum partes amplexus. Ut Exuperantium Prætorio Gallicano præfectum jam vidimus; ita Gaudentium Comitem, Caſtini in militia Gallicana ſocium ſuſpicor. Ita magnam rabidi militis ſeditionem extitiſſe oporteret, quâ tam militaris quàm Civilis Magiſtratus ferro peremptus eſſet.

Qui Armoricos pacaverat.

Gaudentius Aetii pater, videtur etiã pro Joanne ſtetiſſe.

Wiſigothi in Galliis & Hunni pro Joanne.

6. E Gallicanis Barbaris, Gothum, æquè ac Hunnum Joannis partes foviſſe, diſertè teſtatur ſua illa quarta Auguſtinus ad Bonifacium Epiſtola. Quare eadem de Francis & Burgundionibus Rhenanas tum Belgicæ partes inſidentibus conjectura ſe offert. Eorum ſanè nullus hîc traditur motus; credo firmandis noviſſimè partis intendentium. Et videtur paulò pòſt Francorum primus Rex Pharamundus ſenio, ſeu quo morbo abſumptus; effœto veriſimiliter ad bella per hos annos animo. Britanni Pictos & Scotos odiſſe aſſueti, non aliam in partem pependerint, quàm in ejus, qui tum rerum in Occidente potitus gravior, ſi aliud tentaſſent, incumbere potuiſſet. Ducem tamen Vortigernum circa hoc tempus regnum invaſiſſe, capite ſequenti docebo. Ita Joannes quantumvis à Bonifacio Africâ pulſus cum detrimento fuiſſet, *infinitis tamen Barbarorum copiis* adhuc ſuffultus (quod notat Socrates lib. 7. cap. 23.) hoſtem Ravennæ ſecurus opperiebatur. Et jam *Aëtius* (ait Proſper Pithœi) *Gaudentii Comitis in Galliis à militibus occiſi filius, cum Chunnis ipſi opem laturus Italiam ingredi parabat.*

Neſcio an non & Franci.

Vortigenus Britonnorū tyrannus.

Annus Chriſti 425.

Ardaburius Dux à Joanne Tyranno captus.

7. Interim ex Oriente Salonas Ardaburius belli contra Tyrannum dux advenit, Aſparem filium, & Candidianum alios duces, Placidiam item & Valentinianum Cæſarem ſecum ducens. Ac primùm ipſe *Salonis Aquileiam tranſmittendi* conſilium capit, ait Socrates ſuprà. *Dum navigat, vento adverſo flante, in manus militum Tyranni delatus eſt; qui illo comprehenſo, ſpem concepit, à Theodoſio eâ neceſſitate compulſo, Imperatorem ſe declarandum. Et erat ipſe Theodoſius, totúſque contra Tyrannum miſſus exercitus, non parum ſollicitus, ne quid mali pateretur Ardaburius. Ardaburii ſimiliter filius Aſpar*, addit Olympiodorus, *unà cum Placidiâ, in magnâ rerum deſperatione luctúque verſabantur. Sed Candidianus multis occupatis urbibus, partáque rebus bene geſtis nominis claritate, luctum diſſipavit, animóſque reddidit.*] *Aſpar quoque*, pergit Socrates, *& patrem à Tyranno comprehenſum, & infinitas Barbarorum copias ad Tyranni auxilium acceſſiſſe certior factus* (nota pro Francis forte noſtris) *quid ageret ambigebat. Sed Angelus Domini in habitu & forma paſtoris, ducem ei ſe præbuit; ac per ſtagnum Ravennæ adjacens (ubi Joannes morabatur, Ardaburiúmque captum tenebat) copias ejus deduxit, quà nemo iter unquam fecerat, ſtagni aquis ope divinâ ſiccatis. Ita Aſpar portas civitatis tum apertas ingreſſus, Tyrannum opprimit.* Hæc omnia Socrates & ex eo Miſcella, quæ addit: *Milites Theodoſiani Ardaburium à vinculis abſoluerunt, & Ravennam crudeliter depopulati ſunt.* quod ex Proſpero Pithœano deſumptum eſt, ubi legimus: *Johanne ab exercitu Orientis victo, &* (poſtea) *perempto, Ravenna deprædatione vaſtata eſt.*

Magnâ Theodoſii ſolicitudine,

& Placidiæ luctu,

quem Candidianus diſſipat,

& Ardaburii filius Aſpar.

Ravenna capta.

Quam intrat Placidia, & Joãnem necat.

8. Tandem ergo *Placidia*, rurſum Olympiodorus, *unà cum Cæſare filio Ravennam init.* ubi Valentinianus, addit Procopius, 1. Vandal. *Joannem captum privatúmque altera dexterâ in Hippodromum conjecit, aſinóque inſidentem cum omni contumelia circumduxit, ad extremúmque mactavit. Fuit tamen Joannes*, ait Suidas, *clemens & prudens, virtutis ſtudioſus, & principatu moderatè functus. Neque delatoribus aures præbuit; neque cædem ullam volens quidem injuſtam fecit; neque bona cuiquam eripuit, nec denique pecuniæ gratiâ quicquam fecit. Contra Barbaros* (rurſum nota) *nihil penitus geſſit; quòd è Byzantio, bello ſit ipſe petitus.* Iſta Suidas, è primo, ut videtur, Procopii libro Vandalico.

Joannis elogium è Suidâ.

9. Tantâ victoriâ compertâ *Theodoſius*, pergit

Socrates,

Socrates, *iter in Italiam facere maturabat, ut conſobrinum declararet Imperatorem; & Italos coràm, ne facile tyrannis obſecundarent, hortaretur. Sed Theſſalonicam advectus, ne longiùs iret, morbo præpeditus fuit. Per Helionem igitur patricium corona Imperatoria ad Conſobrinum miſſa, ipſe Conſtantinopolim revertitur.* Socrates. Pergit Olympiodorus: *Helion officiorum Magiſter & Patricius Romam invaſit: omnibúsque eò confluentibus, Valentinianum jam ſeptennem veſte induit Imperatoria.* in quo finit Olympiodori hiſtoria, ait Photius. ejus inaugurationis tempus ſignat Chronicon Alexandrinum: *Indictione 8. Theodoſio Auguſto XI. & Valentiniano Cæſare Coss.* (eſt is annus Chriſti 425.) *Valentinianus junior à Theodoſio creatus eſt Auguſtus, menſe Hyperberetao. decimo Kalendas Novembres.* quem diem etiam diſertè notat Kalendarium Sylvii apud Bolandum tom. 1. Vitæ Sanctorum; his verbis: *NATALIS VALENTINIANI PVRPVRÆ.* id eſt Octobris 23. ſeria 6. Eumdem annum notant quoque Proſperi & Marcellini Chronica, ut & apud Baronium Socrates lib. 7. cap. 29. Diem verò confirmant ipſiuſmet Valentiniani plura reſcripta, Aquileiæ ab pridie Nonas Julii, ad octavum Idus Octobris data, quæ Codex Theodoſianus, & Baronius hoc anno repræſentant, in Fidei Catholicæ favorem, contra Joannis acta. Nam ab 8. Idus, ſeu 8. die Octobris, ad X. Kal. Novembres, id eſt ejuſdem Octobris diem 23. quindecim ſolidi dies interſunt: quo ſpatio commodè Valentinianus Aquileia Ravennam primo, tum Romam proficiſci potuerit.

Helion Patricius à Theodoſio miſſus, Valentinianũ Romæ coronat.

In quo deſinit Olympiodorus.

Dies coronationis.

CAPUT VI.

Quos ſibi Duces adſciverit, Placidia victrix? De Aëtio maximè.

Anno Chriſti 425.

Duces Joãnis in gratiam a Placidiâ recepti.

Primùm Aetius.

1. ITa *Placidia tandem optato illata regno*, (ait Proſper Pithœanus) ad ſuperſtites Joannis Tyranni Duces pacandos ſibíque adjungendos prudenter animum vertit. Ac primùm ceteris periculoſior imminebat Aetius Gaudentii filius, qui Joanne, ut videtur, perempto, *Italiam cum ſuis Hunnis* (ad 60. millia fuiſſe dicit, neſcio unde, Baronius) *jam ingreſſus erat.* teſte eodem Proſpero Pithœano. Sed ipſe Joannem peremptum videns, eos ad propria, ut Proſper vulgatus innuit, ultro remiſit. Unde & *venia eſt data*, & in præcipuorum Ducum numerum admiſſus eſt; uti mox fuſius. *Caſtinus*, ſubdit idem Proſper; *in exilium actus eſt, quia videbatur Ioannem, ſine conniventiâ ipſius, regnum non potuiſſe præſumere.* Ille ita pulſus, ad Bonifacium in Africam ultrò ſe contulit, ut ex ipſius Bonifacii ad Auguſtinum, & Auguſtini ad Bonifacium Epiſtolis, 10. & 11. in Appendice intelligimus. credo quòd per eum Placidiæ gratiam recipere ſe poſſe ſperaret. Quippe ille præ ceteris Placidiam ſibi devinxiſſe videbatur, conſtantiſſimâ in eam etiam exulem fidelitate, & quocumque ſeu pecuniarum ſeu propriæ induſtriæ & fortitudinis obſequio. Unde ingens mox in eum Aëtii, & aliorum, qui pro Joanne ſteterant, livor. *Sigiſvultum* quoque, qui Bonifacium Africâ extrudere niſus erat, in gratiam, adeoque in priſtinam dignitatem receptus: poſteaque etiam in Bonifacium Dux ſubmiſſus.

Tum Caſtinus.

Boniſacius Africæ rector,

& Sigiſvultus.

2. Sed inter hoſce Placidiæ Duces Comitéſve, ſtatim à Joanne perempto, & Caſtino mox in exilium acto, eaque proinde dignitate privato, Felix Magiſter militum creatus dicitur ab Idatio; imò & Patricius. Patricium tamen poſtea, anno videlicet Chriſti 429. factum, rectiùs notat in Chronico Proſper. Quis ille fuerit, nemo deſcribit; ego ex eodem Proſpero, anno Chriſti 430. Paduſiæ ſeu Paduſæ (utroque enim modo in Manuſcriptis legitur) virum & maritum video. Supra autem ex Olympiodoro audivimus, Placidiam cum à fratre Honorio diſſentire cœpit, *Spaduſæ* atque Elpidiæ nutrici tribuiſſe plurimum; prorſus ut illis adlaborantibus diſſenſio iſta in frequentes ſeditiones, & demum in Placidiæ ipſius exilium eruperit. Quo in exilio cum *Spaduſa* ſeu *Paduſa* Placidiæ conſtantiſſimè ſemper adhæſerit, facilè marito, Felici, ab eâ jam reſtitutâ primùm Militum Magiſterium, Caſtini loco; mox etiam Conſulatum anni Chriſti 428. ac denique Patriciam dignitatem impetraverit; donec & ipſa & maritus jam forſitan inſolentiores, an potiùs ex invidiâ, ab Aëtio perimerentur. ut infrà.

Felix Magiſter militũ Spaduſæ maritus,

quis ille fuerit.

3. Fuerunt & alii minores Placidiæ Duces, Mavortius, Galbio, & Sinox. quod nomen plane barbarum ſonat. Gallionem quemdam ut Ravennatem memorat Camdenus, Britanniæ ſuæ in folio, pagina 60. qui legionem unam in Britanniam contra Scotos Pictoſque duxerit, anno Chriſti 420. ut ibi dixi. An ſit iſte Gallio, cogitet Lector. Utcumque ſit, Duces iſti Placidiæ jam imperantis, fere omnes, mutuo ſe livore poſtea conciderunt, ut ſequentia docebunt. Muliebre ſcilicet imperium atque puerile, operæ planè virilis egenum, ad ſe quiſque trahere molitus eſt. Cumque alter alterum præpediret; in ſe verſi, miras excitavere tragœdias, dirâ eminendi cupidine: quæ mortalibus fere omnibus inſita, ubi etiam æmulatione acuitur, ſuſque deque omnia vertit. Aëtii tamẽ hic ante omnes prior vita retexenda. Dabit veniam Lector, ſi forte ex Belgio exilire videar; quia Belgica hujus ævi vicinis immixta, aliter clarè proponere non poſſum.

Alii minores Duces.

AETII Ducis clariſſimi prior VITA.

Ab anno fere 395. ad hunc 425. per annos 30.

4. Primùm juvat audire Renatum Profuturum Frigeridum hiſtoricum ſub Honorio & Theodoſio Juniore Imperatoribus. Hic enim libro hiſtoriarum duodecimo, cùm poſt D. Honorii exceſſum, Valentinianum puerulum, uno tantùm luſtro vitæ peracto, à conſobrino Theodoſio Imperatorem fuiſſe creatum, & apud urbem Romam Tyrannum Joannem in imperium ſurrexiſſe, Legatoſque ejus à Cæſare dixiſſet fuiſſe deſpectos; adjecit: *Legati ad Tyrannum reverſi ſunt, mandata atrocia reportantes. Quibus permotus Joannes, Aëtium id temporis curam Palatii gerentem, cum ingenti auri pondere, ad Chunos tranſmittit, notos ſibi obſidiatûs ſui tempore, & familiari amicitiâ devinctos; cum mandatis hujuſmodi: Cùm primùm partes adverſæ Italiam*

Ex Profuturo Frigerido. *Apud Greg. Tur. l. 2. c. 8.*

ingreſſa

ingreſſa forent, ipſe à tergo adoriretur; ſe à fronte venturum. Et quia de hoc viro (Aëtio) *conſequenter plura memoranda ſunt, genus moresq; ordiri placet. Gaudentius pater, Scythiæ provinciæ* (cis Iſtrum Romanæ in Thracia) *primoris loci, à domeſticatu exorſus militiam, uſque ad Magiſterii equitum culmen provectus eſt. Mater Itala, nobilis ac locuples fœmina. Aëtius filius, à puero Prætorianus, tribus annis Alarici obſes, dehinc Chunorum; poſthac Carpilionis gener, ex Comite Domeſticorum, & Ioannis Cura palatii.* al. curam Palatii gerere cœpit. *Medii corporis, virilis habitudinis, decenter formatus, quo neque infirmitudini eſſet, neque oneri. Animo alacer, membris vegetus, eques promptiſſimus, ſagittarum jactu peritus, conto impiger, bellis aptiſſimus, pacis artibus celebris, nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus; nec impulſoribus quidem pravis ab inſtituto ſuo devians: injuriarum patientiſſimus, laboris adpetens, impavidus periculorum, famis ſitiſque atque vigiliarum tolerantiſſimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quanta potentia fatis deſtinaretur, temporibus ſuis locisque celebrandus.* Hæc ſupradictus hiſtoriographus de Aëtio narrat. Jornandes quoque Getic. cap 34. *Aëtius fortiſſimorum Mœſiorum ſtirpe progenitus, in Doroſtorenâ civitate, à patre Gaudentio labores bellicos tolerans; Reip. Romanæ ſingulariter natus.*

Ex Jornande.

5. Ex his, & aliis quæ poſtea ſequentur, colligo; Aëtium circa Theodoſii Magni finem aut Honorii primordia natum, Doroſtori civitate Mœſiæ Inferioris, ad Iſtrum ſitâ. annis ſere Chriſti 395. aut 396. *A puero fuit Prætorianus*, id eſt, aut Prætoriæ cohorti addictus, aut ſub Præfecto Prætorii. *Tribus annis Alarici obſes*: iis ſcilicet, qui mortem ejus, anno Chriſti 410. expirante obitam proxime anteceſſerunt; niſi forte ſub Athaulfo ejus ſucceſſore, adhuc aliquamdiu permanſerit. Dehinc rurſum *obſes Chunorum* fuit. inter annos Chriſti 411. & 415 jam ſcilicet provectior quod & Frigeridus ſupra innuit, cùm *Hunnos Aëtio familiari tunc amicitiâ devinctos ſcribit*. Inde *Carpilionis gener* annorum jam ſupra 20. circa annum Chriſti 417. aut 418. Quo nomine filia iſta Carpilionis vocata ſit, nullus (quod ſciam) ſcribit. Duos tamen Aëtio marito liberos dedit, Gaudentium & Carpilionem; illum avo paterno, hunc materno cognominem. Gaudentius poſtea, anno Chriſti 455. Roma captâ à Genſerico, in Africam cum Valentiniani filiabus abductus eſt, teſte Idatio: Carpilio Hunnicâ legatione functus eſt, ut habet Priſcus, & Caſſiod. 1. Var. Ep. 4. Illorum matri, Carpilionis filiæ, Gothicam regiique ſanguinis ſtirpem fuiſſe, ſignificat Sidonius, Carm. 5. verſû 204. Unde Frigeridus ſuprà Italam hic intelligeret, ut patre tamen matréve Gothici regiique ſanguinis non negaret.

Quando natus, quãdo obſes Aetius.

Ejus uxor & liberi.

Gaudentius & Carpilio.

6. Ita conjugatus Aëtius, factus eſt à Joanne Tyranno ſub finem anni Chriſti 423. ejus Curopalates, ætatis anno ſere 28. quia ſcilicet eum cum Caſtino Militiæ Magiſtro ad imperium provexerat. Ab Joanne igitur ad Hunnos adducendos ſub initium anni 424. in Pannonias miſſus, rediit cum illis anno ſequenti 425. Sed cùm Joannem cæſum videret, eos ad propria remiſit. Unde Caſtino mox in exilium acto, ipſe veniam obtinuit. Et Comes inde factus, contra Gothos Arelatum multa vi oppugnantes, ſtatim à Placidia ſubmiſſus. quam urbem Gothis cæſis, & Anaolſo eorum Optimate capto, feliciter liberavit. Erat tum in Galliis Magiſter militum Felix (ut Proſper vulgatus) idemque mox anno Chriſti 428. Conſul: & anno demum ſequente 429. ad Patritiam dignitatem provectus. Illi igitur Aetius Magiſter militum per annos 25. ad mortem uſque ſuffectus eſt. Ac proximo anno 430. Felicem ipſum cum uxore Paduſiâ, & Grunitum Diaconum, quod eos ſibi inſidiari præſenſiſſet, interemit, ut Proſper vulgatus. Addit Idatius, *interemiſſe Ravennæ tumultu militari*: quem ſcilicet aſtutè ipſe procuraverat. in ſimiles corrivalium cædes, inſito à naturâ livore, proclivior; ut in Bonifacii quoque morte mox probabit apertiùs: & ego ſuo anno reddam. Nunc procedat hiſtoria; reliqua de Aetio narratura.

Aetius Curopalates Joannis, ad Hunnos adducendos miſſus.

Arelatum obſidione liberat.

CAPUT VII.

Provinciæ compoſitæ. Theudericus Gothorum Rex, Arelato ab Aetio repulſus. Britanniæ ſtatus.

Annis Chriſti 425. & 426.

1. RAvennâ Româque, imò & tota Italiâ recuperatâ, animum Placidia in Provincias item recipiendas ac ſedandas vertit. Et Africa quidem ſub Bonifacio, illi, ut diximus, addictiſſimo, fidem pacemque ſervabat. Hiſpania Galliaque fœdis periculoſisque Barbarorum deprædationibus vaſtabantur: Vandalorum illa, Gothorum hæc Francorumque. De Vandalis ita Idacius: *Vandali Balearicas Inſulas deprædantur: deinde Carthagine Spartharia & Hiſpali everſâ, & Hiſpaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt.* Mauritaniam nonniſi anno Chriſti 427. invaſiſſe, mox videbimus. reliqua circa hoc tempus omnino peracta. Neſcio an Bonifacius Placidiæ ſemper fidus, quo Joannis tyranni vires attereret, diſtraheréve, Vandalos in hujuſmodi deprædationes impulerit. Saltem ut unde manaverat malum, inde medicina peteretur; ad eoſdem Vandalos, tyranno jam ſublato, pacandos, miſſus idem à Placidiâ Bonifacius. qui & eos compoſuit, & uxorem inſuper ex ea gente duxit,

Provincias componit Placidia.

Primùm Hiſpaniam, & in eâ Vandalos.

2. Quod Auguſtini Hipponenſis tum Epiſcopi prolixior ad illum & verè aurea nos docet Epiſtola, numero 70. ubi inter cetera ſic legimus: *Navigaſti* (nempe ex Africâ Italiâve ad Vandalos in Hiſpaniam) *uxorémque duxiſti: ſed navigaſſe obedientiæ fuit, quam ſecundum Apoſtolum debebas ſublimioribus poteſtatibus. uxorem autem non duxiſſes, niſi ſuſceptam deſereres continentiam* (quam ſcilicet priore conjuge mortuâ ſervare propoſuerat, ut ibi paulò antè dicitur) *concupiſcentiâ victus eſſes. Quod ego cum comperiſſem* (*fateor*) *miratus obſtupui. dolorem autem meum ex aliquâ parte conſolabatur, quod audivi te illam ducere noluiſſe, niſi prius Catholica fuiſſet facta. Et tamen hæreſis eorum, qui verum filium Dei negant, tantum prævaluit in domo tua, ut ab ipſis filia tua* (ex hoc ſcilicet matrimonio jam ſuſcepta) *baptizaretur. ab hæreticis etiam ancillæ Deo dicatæ rebaptizatæ ſint.* Per *hæreticos*, Auguſtinum Vandalos intelligere nemo non videt; quos & Arrianos, & rebaptizaſſe

S Auguſtini ad Bonifacium epiſtola.

Catholicos ſat compertum eſt. Rurſum cùm filiam jam ex eo conjugio Boniſacio natam dicit, uno circiter antequam hæc ſcriberet anno, conjugium illud initum ſignificat; nempe circa finem anni Chriſti 425. aut ſequentis initium, cùm Boniſacius in Hiſpaniam miſſus eſſet. Cur autem è gente Vandalorum Boniſacius uxorem duxerit, nemo dicit. Si cæcus amor id non effecerit, plane ſpes Vandalorum auxiliis contra æmulos inſiſtendi perſuaſerit. quod tamen accuſationis anſam æmulis maximè ſuggeſſit; tametſi & Aëtium Gothici ſanguinis uxori (ut ſuprà monui) copulatum, Sidonius inſinuet.

Tum Gallias. Ubi Arelatum Wiſigothi obſidebant.

3. In Galliis Gothorum Rex Theodoricus, cùm Joannem, à quo eum ſtetiſſe, ſuprà ex Auguſtino collegimus, ſuperatum vidiſſet; antequam res ſuas Placidia firmaret, Arelatum Galliæ caput in ipſa rerum confuſione intercipere ſe poſſe ſperavit, eoque obſedit. De quo ſic in Chronico Gothorum Iſidorus: *Theuderidus regno Aquitaniæ non contentus, pacis Romanæ fœdus recuſat, exercitum movet, Arelatem nobiliſſimum oppidum Galliæ obſidet.* Cumque multâ vi illud oppugnaret, Placidia Aëtium

Mox ab Aetio repulſi.

Hunnis ad ſua placidè remiſſis ſibi jam conjunctiſſimum, ſubitò in Gothos immiſit, expulitque. Unde Proſper vulgaris huc Chriſti anno 425. *Theodoſio XI. adhuc & Valentiniano Coss. Arelas*, inquit, *nobile oppidum Galliarum, à Gothis multâ vi oppugnatum eſt: donec imminente Aëtio, non impunes abſcederent.* Idem tangit Proſper Pithœanus hoc eodem tempore: idem & Iſidorus. Idatius autem paulò ſeriùs, ſed majoribus circunſtantiis: *Per Aetium Comitem, haud procul de Arelate, quædam Gothorum manus extinguitur: Anaolſo primate eorum capto.* Niſi fortè hæc diverſis quoque temporibus geſta. Pacem inde cum Gothis initam, & pacis obſides à Romanis datos, ea Sidonio diſcimus.

Indeq; pax ex Sidonio, *Carm. 7. v 220. & ſeqq.*

———— Variis incuſſa procellis
Bellorum, Regi Getico tua (ô Avite) *Gallia pacis*
Pignora juſſa dare eſt: inter quæ nobilis obſes

& obſides.

Tu Theodore venis. &c. Erat ille Theodorus Aviti propinquus; ab eo proinde à Gotho repetitus receptusque; quòd Avitum ſibi Theodoricus Rex conjungere vellet: at Romanas ille partes nunquam deſerere voluit; ut pluribus canit ibidem Sidonius. Sed hæc in ſequentem & alterum fortaſſis annum propagata; & in Auſtrali Galliarum parte, nimirum Aquitaniâ, Narbonenſique geſta.

Franci & Burgundiones quieti.

4. At in Boreali Belgicâ maximè Rhenanâ, neque Franci in Germaniâ Inferiore, neque Burgundiones in ſuperiore quippiam ſub Honorii mortem moviſſe videntur. Altum certè in hiſtoriis ea de re ſilentium. Utraque gens ab Honorio intra Gallias ad Rhenum fertili regione locata; ſuis ſedibus contenta quieviſſe videtur. eorum inibi novo regno nondum adeo confirmato: indigenis inſuper, quibuſcum certo fœdere coaluerant, Romanorum memoriâ amoreque nondum planè cautis, pacem certè quàm bellum malentibus. Interim Galliæ partes duæ non minimæ, quâ & Rhenum & Pyrenæum ſpectant, Romanis ereptæ manebant. Neque tamen quod interjacebat, iis ita integrum ſupererat, quin plerique Barbari, Alani præſertim, civitatibus quibuſdam ex pacto indultis, intercurſarent; & ii ſi hoc bello immixti, poſt bellum certè pacati.

Britannias deſerit Honorius, præ imbecillitate.

5. Britannias Romani, veluti nimis ſemotas eoque imbecillitati ſuæ jam graves faſtidire cœperant; & inquilinorũ voluntati reliquerant. Sub Honorii Imperatoris Imperium, magnæ in futurum mutationis ſemen jactum vidimus; maximè cùm ipſe à Barbaris fere oppreſſus, præ deſperatione ſcripſiſſet, ut ſibi ipſi quomodocumque providerent. Et tamen pace cum illis qualicumque factâ, legionem unam auxiliarem Britannis petentibus ſubmiſerat; ſed ea mox revocata fuerat; ſive ab Joanne Imperii invaſore; ſive aliâ occaſione. Alterius auxilii ſpes nulla, toto Joannis tempore, ſupererat. Vix ulla item ſub Placidiâ feminâ, & puero ejus Valentiniano. Quare nihil dubium, quin Britannia ita derelicta, primò occupanti expoſita videretur. Eam occaſionem primus videtur arripuiſſe quidam Vortigernus Camber, ceteris ſaltem notior. Hic quoſdam dicitur corrivales ſuos primùm ſuſtuliſſe; quoſdam alios aliò fugaſſe: capiti denique ſuo diadema impoſuiſſe. Invaſionis iſtius novæ, annum ego quidem nullum commodiorem video, quàm à Joanne cæſo primum, Chriſti quadringenteſimum viceſimum quartum finientem: fœminâ jam & puero regnantibus. Accedit Camdeni Britanniæ ſuæ in in folio paginâ 95. teſtimonium: Quædam Ninnii veteris Britannorum hiſtorici exemplaria, Vortigerni Regnum ab Theodoſio & Valentiniano Coss. id eſt ab anno Chriſti 425. accerſere, & quartum regni illius cum Felicis Taurique Conſulatu, ſeu anno Chriſti 428. comparare. ut eo anno reddam. & ſanè regnum Vortigernus invadere commodiùs nunquam, quàm Honorio moriente, & ſecuto inde Romanorum bello civili potuit. Ita toto illo 425. & ſequenti 426. labente, dum inter ſe Romani certant aptè firmaverit.

Unde Vortigernus eas invadit.

& ſe coronat Anno Chriſti 424. fin.

Annus Chriſti 426. Romani contra Vortigernum advocati.

6. Anno 426. adultiore, Aëtium in Britanniam animum intendiſſe non dubito, naturæ ſcilicet & hiſtoriæ quodam ordine, Galliis ut dixi jam utcumque pacatis, ac Valentiniano cum Italia, Africa, Hiſpaniæque reſiduo reſtitutis. quin & Britannis ipſis & Vortigerni odio, & iteratâ Pictorum incurſione commotis, ultrò invitantibus. Itaquidem ſuggerunt, primùm ipſa hiſtoriæ ſeries, tum Galfridus hiſtoricus, ac denique Gildas, & qui ex eo ſua compilat Beda. Sic enim Galfridus cap. 9. *Proditione Vortigerni tandem divulgatâ, inſurrexerunt in eum comprovincialium inſularum populi, quos Picti in Albaniam*, ſeu Britanniam *conduxerant. Indignati namque Picti commilitones ſuos, propter Conſtantem interfectos, in Vortigernum vindicare nitebantur. Anxiabatur igitur Vortigernus quotidie; damnúmque exercitus ſui præliando patiebatur: anxiabatur item Aurelii Ambroſii fratríſque ejus Uterpendragonis timore, qui in Britanniam reditum moliri dicebantur.* Non dubito & ego, quin & Romanorum metu anxius extiterit. eoque illos velut auxiliares advocari permiſerit. At Gildas §. 13. neque Vortigerni, neque Honorii morientis ullâ mentione, ſolâ Romanorum abſentiâ, & Britannorum ab iis neglectu, Pictos iterum incurriſſe ſcribit, in hæc verba: *Legione* Romana (de qua nos ad annum Chriſti fere 417.) *domum cum triumpho repedante, priores inimici*, nempe Picti Scotique, *velut lupi fame rabidi, velis vento adjuti* (navibus ait Beda) *vecti, terminos rumpunt, cadunt omnia, & obvia quæque ceu maturam ſegetem metunt, calcant, tranſeunt.*

Qui inde anxius.

Simul Picti incurrunt.

7. *Iterum igitur mittuntur queruli legati, ſciſſis*

Romani ſub autumnum 426 iterum in Britāniam.

veſtibus, opertiſque ſablone capitibus (Vortigerno eredo ſimulante, ſi non & curante) *implorantes à Romanis auxilia, ne penitus miſera patria deleretur, nomenq́; Romanorum, quod verbis tantùm apud eos auribus reſultabat, externarum gentium opprobrio vileſceret. At illi* Romani. *commoti tanta hiſtoriá tragœdia, curſum accelerantes, cadentium foliorum,* ſeu ut Beda, *autumni tempore, inimicorum ſtrages peragunt; æmulorum agmina auxiliares egregii, properè trans maria fugant; qui* (æmuli ſcilicet ſeu hoſtes) *anniverſarias avide prædas, nullo obſiſtente, exaggerabant.* Hactenus Gildas, & ferè iiſdem verbis Beda lib. 1. cap. 12. fin. Miſcella item lib. 14. cap. 4. breviter. quæ licèt ſuprà tetigi, hîc tamen inculco, & pergo.

Britanniam Romani in tanta ſua debilitate negligunt.

8. *Igitur Romani patria,* ſeu ut Beda, Britonibus *denuntiant, nequaquam ſe tam laborioſis expeditionibus poſſe frequentiùs vexari: & ob imbelles erraticóſque latrunculos Romanum exercitum terra marique fatigari. Ipſa potius* Britannia *ſola, armis conſueſcendo ac viriliter dimicando, libertatem vitamq́; ſuam totis viribus vindicaret, & gentibus nequaquam ſe fortioribus, niſi ſegnitiâ & torpore diſſolveretur,* obſiſteret. Erant ſcilicet ejuſdem tum ſententiæ Romani, cujus olim Auguſtum fuiſſe ex Strabone memoravi; ſuprà lib. 1. cap. 13. §. 5. nullum ſibi à Britanniâ metum, vix ullum fructum, imò onus hoc tempore gravius. *Suadent* igitur incolis, *ut murum à mari* Orientali ad Occidentale, *inter urbes, quæ ibidem forte ob metum hoſtium collocatæ fuerant* (à Severo Imperatore, innuit Beda) *directo librent.* Ita Gildas & ex eo Beda. Eum murum fusè deſcribit Camdenus, & à Bulneſſe ſeu Blatobulgio ad Oceanum Hibernicum ſito, ad Neocaſtel oppidum Tinæque fluminis oſtium, per montium aſpera deducit.

Murum cōtra Barbaros duci curant.

Muro condito, aut certè inchoato, *Fortia* (pergit Gildas & Beda) *ſegni populo Romani monita tradunt, exemplaria inſtituendorum armorum relinquunt. In litore quoque Oceani ad Meridianam plagam, quâ naves eorum habebantur; quia & inde barbarica fera,* Saxones nempe, *timebantur; turres per intervalla ad proſpectum maris collocant, & valedicunt, tanquam ultra non reverſuri.* Ita illi.

Quis iſte Murus? & quo præſidio munitus.

9. Murum iſtum, quem lapideum, octo pedes latum, duodecim altum facit Beda, ut & turres ad mare Meridianum erigere ſuperfluum fuiſſet, ſi militum præſidio caruiſſet. eos milites ex indigenis aliiſque Romanorum Provincialibus conflatos neceſſe eſt: quando Romanorum Legionē diſceſſiſſe, nunquam reverſuram ſuprà audivimus. Unde cùm in Imperii Notitia pag. 176. legimus ſub Britanniarum Duce ſpectabili, *Præfectum Legionis ſexta, Præfectum* item *Numeri Bracariorum Tigrtienſium, Numeri Nerviorum Dictenſium,* & aliorum octo Numerorum: vereor ut non ſint hujus temporis, ſed antiquioris, cùm Britanniam adhuc integrè Romani tenerent; & Eboraci Legio Sexta ſtativa haberet. Idem eſto judicium de *Præpoſito Legionis ſecundæ Auguſtæ Rutupis ſub Comite litoris Saxonici per Britanniam* pag. 161. quæ ſuperiore tempore Iſcæ, in civitate Legionum, hodie *Caerleon* tendere ſolebat. Alioqui dicendum eſſet, Legionem quæ poſtremò contra Pictos miſſa, mox *rediiſſet nunquam reverſura*; fuiſſe viceſimam, quæ Ceſtriæ ante aliquot annos excubare ſolita erat.

Romanorumne an Provincialium.

Qua ratione autē Romani jā viribus exhauſti, & Galliam tueri vix potentes, duas in Britannia legiones relinquerent, & tertiam ſubinde velut auxiliarem, tanto ſuo incommodo ſubmitterent? cùm vel unam ſe relinquere non poſſe hic dicant, & Britannos ad ſui defenſionem ſine ſe contra Pictos & Scotos animent, quod ultra ipſi redire virium imbecillitate non valeant? Qua ratione Picti Scotique barbari contra duas adhuc integras legiones tam impunè, tam frequenter incurrerent? Qua ratione S. Germanus Autiſſiodorenſis Epiſcopus, Britanniam tertio quartovè ab hinc anno ingreſſus, in Saxonas ac Pictos non has legiones, totque Numeros tam paratos; ſed ſolos incolas, aut hos certè maximè, tam ſegnes, tam rudes, relicto tam perito milite, tam veterano, pugnaturus eduxiſſet? Superioris omnino temporis eam militum recenſionem eſſe neceſſe eſt; quam tamen qui Notitiam iſtam cōtexuit, quia aliæ tùm in Britanniis deſertis nulla erat, velut aliquando reducendam inſeruit. Quamvis autem Britanni, Imperatorum Hadriani Severique murum Romanæ legionis ope reſtauraverint, eique præſidia, ne fruſtra eſſet, ſicut & Litori Saxonico, impoſuerint; ea tamen ex ſuis externisve Provincialibus conflata fuerint, ſi Romani non falſò denuntiant, ſe tantum exercitum ultrà relinquere non poſſe.

10. Si Romanos igitur excipias; illi qui per lineam valli ſeu Muri reſtaurati, & per littus Saxonicum in Notitiâ præſidiarii diſpoſiti dicuntur, utcumque conſiſtere poſſunt; ſi tamen advertamus, nonnullos quoque ibidem recenſitos ſuperioris eſſe ſæculi, pluribus hujus tantùm ævi intermixtos. Ex iis eadem Notitia per lineam valli exhibet externos, *Cohortem primam Batavorum, Cohortem primam Tungrorum, Quartam Gallorum, Secundam Dalmatarum, Primam Dacorum, Primam Hiſpanorum, Secundam Thracum, Primam Morinorum, Tertiam & Sextam Nerviorum.* Per littus autem Saxonicum excubabant *Præpoſitus militum Tungricanorum Dubris, Præpoſitus Numeri Turnacenſium Lemannis, Tribunus Cohortis primæ Bethaſiorum Regulbio,* & alii in viciniâ alibi. quorum plerique uti hujus ævi eſſe poſſunt, ita & nonnullos ſuperioris fuiſſe vix dubito.

Notitia Imperii videtur antiqua præſidia cū novis miſcere.

Hos omnes præſidiarios Vortigernus an ſibi paulatim adjunxerit, an adverſarios aliquando paſſus ſit, ut ideo Saxonas anno regni ſui quarto Chriſti 428. advocaverit; Lectori cogitandum relinquo. Regiam certe potentiam ad annos inſequentes 12. conſervavit. ut apud Ninnium, Galfridumque videre potes. probabili argumento, ſuperiorem illis ut plurimum extitiſſe. niſi potiùs illos Picti Scotique ſtatim à Romanorum profectione fuderint fugarintque; aut ſtipendiorum defectus extinxerit. Ita Britannia à Romanis his annis ultro derelicta, nunquam in eorum deinceps poteſtatem redivit; & Romanum Imperium modo hac modo iſtâ provincia ſuccidi perrexit, nunquam deinceps ſurrecturum.

CAPUT VIII.

Aëtii Bonifatiiq́; funeſta Romanis diſcordia.

Ab anno Chriſti 426. ad 428.

1. STare tamen, qualecumque reſtabat, tantiſper forte potuiſſet, Italia adhuc, Illyrico, Africâ, & magna Galliæ Hiſpaniæq́ue parte integris; ſi internæ diſcordiæ, eaternâ tanto gravioris, novus impetus in Remp. tanquam in parietem inclinatum non incubuiſſet. Placidiæ jam pacatè imperanti tres erant Duces longè præcipui; quorum illa virtute, maximè nitebatur: *Felix* militum, ut dixi, Magiſter, Caſtino in exilium acto ſubſtitutus: *Aëtius* in gratiam receptus, copias & ipſe ducturus; ac *Bonifacius* Africæ Præfectus, Placidiæ inconcuſsè fidus. *Felix* per Paduſam ſeu Spaduſam uxorem Placidiæ cariſſimam, Palatium occupabat, novamq́ue potentiam in æmulorũ ſubverſionem vertebat. Ac primùm Theodoſio duodecimũ & Valentiniano ſecundùm Coss. anno Chriſti 426. Patroclum Arelatenſem Epiſcopum, *inſanni mercatu Sacerdotia vendìtare auſum*, teſte Proſpero Pithœano, *per quemdam Tribunum barbarum multis vulneribus laniatum occultâ juſſione cadi curat;* ut & *Titum Diaconum virum ſanctum, Romæ pecunias pauperibus diſtribuentem*, addit Proſper vulgaris. Nec iis ſatiatus, *Bonifacio cujus intra Africam potentia gloriáque augebatur* (pergit idem anno ſequenti 427. Proſper) *quòd ad Italiam* vocatus à Placidia, *venire abnuiſſet, bellum publico nomine inferri* perſuadet. Quâ in re ſocium quoque ſibi adſciviſſe Aëtium, Procopius & Miſcella tradunt. Videbant ſcilicet ambo; in muliebri puerilique Imperio, primum potentiæ gradum raptu ſibi facilem, ſi Bonifacium Placidiæ conjunctiſſimum, mutuâ primùm conſpiratione tollerent, mox ſe invicem ſubverſuri. Id de Felice clarè ſcribentem jam audivimus Proſperum. De Aëtio clariùs adhuc ita Procopius primo Vandal. pag. 185.

Duces Placidiæ diſcordes.

Felix Patritius multos cædi curat.

Annus Chriſti 426.

Cum Aëtio in Bonifacium conſpirat.

a *Duo Romanorum erant tunc Duces, Aëtius & Bonifacius* (Felicem, qui mox interiit, negligit hic Procopius; ut Aëtium paulò antè, honoris causâ tacet Proſper) *belli diſciplinâ nullis ſuorum temporum ſecundi, verùm inter ſe in adminiſtratione diſcordes. Præterea animi fortitudine & reliquis virtutibus ita præſtitére, ut ſi quis alterutrum Romanorum ſummum dixerit, non erraverit. Bonifacium itaque Placidia totius Africæ Præfectum fecit*, ſeu potiùs confirmavit; *invito verum diſſimulante Aëtio; quòd nondum aperta eſſet inimicitia. Poſtquàm verò is ad locum* ſeu in Africam *pervenit, Aëtius manifeſto obtrectare laudibus ejus, maléque ad Placidiam referre: inſuper quòd Africa tota per eum ſpoliaretur, accuſare cœpit. Rem facile poſſe deprehendi, ſi juſſus minimè reverteretur.* Nihil dubium, quin præterea & uxorem ejus Vandalam, & ſocietatem cum eâ gente accuſationis argumento inſecuerit. *Ubi verò hæc illa accepit, conſilium ſibi placere, ſeque ita facturam dixit. Aëtius verò negotium præveniens, Epiſtolam Bonifacio ſcribit, indicavitque: Eum Placidia ſuſpectum habere, quæ rerque diluendi occaſionem: & hanc fore conjecturam, quod primùm abſque ullâ causâ diſcedere juberetur. Quod ubi ille legit, miſſis è veſtigio qui illum revocabant, reſpondit, Se nullatenus ſeu Imperatori, ſeu matri obtemperaturum.* Ita Procopius planè ad illud Proſperi vulgaris ſupra allatum, *Bonifacium ad Italiam venire abnuiſſe*, alludens.

Aëtius Bonifacium falsò accuſat.

gemina fraude.

3. *Quocirca Placidia* (pergit Procopius) *Aëtium opinata rebus Imperatoris favere, maximéque fidum; illum infidum ac ſuſpectum* (mutatâ ſcilicet primâ jam opinione) *arbitrabatur.* Idem refert Miſcella, aulicorum fallacias immaneſq́ue perfidias æquè ſugillans. *Bonifacio* igitur ceu rebelli *bellum* ad Aëtii juxta & *Felicis arbitrium* (ut ait Proſper, Hierio & Ardabure Coss. anno Chriſti 427. ineunte) *publice* ſeu Reip. *nomine infertur: Ducibus Mavortio, Galbione* (in quibuſdam Manuſcriptis *Gallione*, credo rectiùs) *& Sinoce.* Aëtio ſcilicet quaſi neutrum ſe præſtante, nequedum Bonifacio Romaniſque animi ſui ſecreta pandere volente. Cùm bellum geri cœpiſſet, *Sinocis* (nempe Barbari cujuſpiam) *proditione*, ſubdit Proſper vulgaris, *Mavortius & Gallio cum Bonifacium obſiderent* (credo Carthagine) interempti ſunt. *Móxque ipſe* Sinox ſeu Sinoces *à Bonifacio dolo detectus, occiſus eſt.* redeunte in authorem pœnâ. *exinde gentibus, quæ uti navibus neſciebant* (nota) *dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum eſt. belliq́ue contra Bonifacium cœpti in Sigiſvultum Comitem* (qui ſub Joanne Tyranno, priore biennio, Bonifacium eumdem bello petierat) *cura tranſlata eſt.* Ita Proſper anno 427. & ex eo Miſcella. Nec aliter Caſſiodorus: *Hierio & Ardabure Coss. Bonifacio Africam tenenti infauſtè bellum ingeritur.* cæſis ſcilicet tribus iſtis Placidiæ Ducibus. De mari autem pervio Gentibus tum facto, ita quoque Salvianus: *Poſtremo, ne qua pars mundi exitialibus malis eſſet immunis, navigare per fluctus bella cœperunt: quæ vaſtatis urbibus mari clauſis, & everſis Siciliâ ac Sardiniâ, id eſt fiſcalibus horreis, atque abſciſſis velut vitalibus venis, Africam ipſam, id eſt quaſi animam captivavere Reip.* &c. Sed hæc poſtea.

Bonifacio igitur bellum indicitur.

Annus Chriſti 427.

Aëtio diſſimulante.

Mare pervium Gentibus occaſione Ducum diſcordium.

Salvianus lib. 6.

4. Bonifacius ubi ne trium quidem Ducum cæde hoſtium ſuorum iram deferveſcere, ſed nova Sigiſvulti ſubmiſſione potiùs recrudeſcere videt; velut rebus deſperatis ac perditis experiri extrema inſtituit atque ultima. *In hoc enim animi æſtu*, pergit Procopius, *nec Imperatori movere bellum, impar viribus, nec Romam ob metum venire auſus eſt: ſed Vandalis tantùm ſe conjungere cogitavit, qui in Hiſpaniâ parum ab Africâ diſtante, uti ſupra dixi, confluerant. Hic Godegiſco defuncto, ejus liberi ſucceſſerant: Gontharis* (*Gundericum* vocat Idacius, & ex eo Iſidorus) *ex Matrimonio, & Gizerichus nothus: cui quòd armorum peritus eſſet, & frater ejus adhuc puer, rerum ſumma delata.* Ita Procop. Aliter teſtis oculatus Idacius: Nam anno eo qui Vandalorum in Africam tranſmigrationem anteceſſit, *Gundericus*, inquit, *Vandalorum Rex, captâ Hiſpali cùm impiè elatus, manus in Eccleſiam civitatis ipſius extendiſſet, mox Dei judicio dæmone correptus interiit. Cui Gaiſericus frater ſuccedit in regno. Qui, ut aliquorum relatio habet, effectus Apoſtata, de fide Catholicâ in Arrianam dictus eſt tranſiiſſe perfidiam.* Non igitur hoc tempore puer erat Gundericus; ſed bella gerebat, Hiſpalim & alias urbes capiebat; & demum victoriis in impietatem efferebatur. Sed neque vivebat; ob impietatem à dæmone correptus & abſumptus. Qui igitur à Bonifacio tum legati ſunt, cum Genſerico ſolo,

Bonifacius anxius ad Vandalos inclinat.

non etiam Gunderico, egerint: eoque intellectu capiendus Procopius. qui ſic pergit.

Et eos in Africam evocat, peſſimo conſilio.

5. *Bonifacius ergo certos fideles in Hiſpaniam, utrumque fratrum* (ſeu potiùs Genſericum ſolum) *ſibi conciliaturus, mittit: monſtrátque ſi in Africam trajiciant, in tres eam partes poſſe dividi: ex quo facilè contra inſurgentes initâ ſocietate, ſeſe invicem juvare valeant. Igitur Vandali ſtatim acceptâ conditione, per anguſtias Herculei freti in Africam penetrant. Viſigothi paulo pòſt in Hiſpaniâ ſucceſſere.* Ita Procopius. quod ſub Hierii & Ardaburii Conſulatu refert Proſper. Menſem etiam ſignat Idacius, & ait: *Gaiſericus Rex de Bætica provinciæ litore, cum Wandalis omnibus eorúmque familiis, menſe Maio ad Mauritaniam & Africam, relicta tranſit Hiſpaniâ. Qui priuſquam pertranſiret, admonitus Hermigarium Suevum vicinas in tranſitu ſuo provincias depradari, recurſu cum aliquantis ſuis facto, prædantem in Luſitaniâ conſequitur. Qui* (Hermigarius) *haud procul de Emeritâ, quam cum ſancta martyris Eulaliæ injuria ſpreverat,* (an ſpoliaverat) *multis per Gaiſericum cæſis, ex his quos ſecum habebat, arrepto* (*ut putavit*) *euro velociùs fuga ſubſidio, in flumine Anâ divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita extincto, mox quò cœperat Gaiſericus enavigavit.* Tranſgreſſis Vandalis, ſoli in Hiſpania Suevi reliqui erant. Sed mox Viſigothi quoque ex Aquitania ſucceſſerunt. Ceterùm *in Africa Vandali*, ait Proſper Pithœi, *ingentem laceratâ omni provinciâ, Romanis cladem dedere.*] Octoginta capitum Vandalicorum, ſenum, juvenum, parvulorum, ſervorum milia fuiſſe, tradit Victor in hujus belli præfatione, additque illos pacatam. quietam, florentem, ſpecioſamque terram ingreſſos, ferro omnia flammaque vaſtaſſe; ne forte quos prærupta terrarum occultaverant, pabulis illis poſt tranſitum ſuum ali poſſent.

& illi eò tranſeunt, duce & Rege Genſerico.

Ibique omnia vaſtant.

Bonifacium amici revocare nituntur.

6. *Interea Romæ* (rurſum Procopius) *amici Bonifacii facinus conſiderantes, quem ſemper in officio perſeverantem cognoverant, ſatis admirari non poterant. Nonnullique juſſu Placidiæ Carthaginem delati eumdem conveniunt. Ubi verò Aetii inſidias ac literas ab eo exhibitas conſpiciunt; ſtatim reverſi rem omnem deferunt: Bonifacium non ſuâ, ſed alienâ culpâ erraſſe dicunt. Illa animo perculſa, cum Aetio quidem diſſimulavit, quòd exercitum rerúmque ſummâ in poteſtate haberet* (Idem de Felice exiſtimandum.) *& res in diſcrimine jam eſſet. verùm Bonifacii amicis omnia communicavit; de Aetii* (& Felicis) *fraude vehementer conqueritur. Jurat æquam ſe Bonifacio fore, ſi illi reſipiſcere & Barbaros remittere perſuadeant. Hæc ubi ille accepit, facti pœnitens, & initam jam ſocietatem deteſtans, Vandalos multis nummûm millibus ad reditum incitat; nec auditur. imò probris excipitur. Ergo ad manus ventum. Victus Bonifacius Hipponem Regium ſe recepit* (ubi tum adhuc Auguſtinus agebat, à quo & plures verè paternas monitiones acceperat) *quam Gizerichus diu.* ſed fruſtrà tunc *obſedit. Interim Conſtantinopoli Romaq; exercitus Aſpare duce ſubmiſſus. quo adjutus Bonifacius & reliqui Romani iterum confligunt, iterúmque vincuntur. Aliis alio fugère, Aſpar Conſtantinopolim, Bonifacius Romam, ubi Placidiæ ſe reconciliavit.* Hæc ex Procopio, in annum tamen Chriſti 431. producta quæ tametſi extra Belgium noſtrum, tamen huc transferre viſum, ut ſtatum Imperii, temporis iſtius infeliciſſimum exhibeam: ſimul lectorem doceam, cur Barbari in Galliis & alibi minimè compreſſi ſint; qui majore Ducum concordiâ facillimè extingui poterant. Nunc igitur rurſum ad Gallica Belgicaque; & Annos Chriſti 427. 428. redeamus.

Aetii fraudem mirantur.

Uti & Placidia.

Bonifacius redire volens, bis à Vandalis vincitur.

7. Bonifacio cum Vandalis in Africâ plus ſatis occupato, Aetius ab eo rivali jam ſecurus, in Pannonias Imperio recuperandas curam vertit. Sic enim Marcellini Chronicon: *Indictione decima Hierio & Ardabure Coss.* (anno ſcilicet Chriſti 427.) *Pannonia, quæ per 50 annos ab Hunnis retinebantur à Romanis recepta ſunt.* & ante Marcellinum Jornandes Getic. cap. 32. *Hunni poſt penè 50. annos, invaſâ Pannoniâ à Romanis & Gothis expulſi ſunt. eo fere tempore, quo Hierius & Ardaburius Conſules extiterunt.* Si ab anno Chriſti 427. incluſo, pæne 50. ſubtrahas, habebis annum Chriſti 378 aut circiter. eo igitur tempore, Hunnos biennio poſtquam Iſtrianum Imperii limitem irruperant, Pannonias invaſiſſe, & hucuſque tenuiſſe neceſſum eſt. Quinam autem Romani, præter Aetium eas Hunnis eripuerint, non video. Hic ergo, ſive quòd id jampridem, cùm apud eos familiaris ageret, animo concepiſſet, ſive quòd ex eorum Regibus aliquis hoc anno vitâ functus eſſet, ſiveuti fœdam illam fraudis in Bonifacium labem illuſtri aliquo facinore elueret, ſive aliâ quavis occaſione, Pannonias Hunnis ereptas, Gothorum, ut innuit Jornandes, ope, Romanis iterum aſſeruit. Hinc fuſiur in Imperii Notitiâ præſidiorum Pannonicorum per Danubii, Dravi, Savi ripas deſcriptio; in Pannonia tam primâ; quàm ſecunda Saviâ ſeu Riparienſi, in Valeriâ Ripenſi: quarum loca omnia ibidem clarè diſtincta legimus. Quo proinde conſectaneum eſt, Notitiam poſt hunc Chriſti annum 417. contextam editamque, quando per 50. fere ſuperiores annos omnia in Pannoniis Romanorum præſidia, Hunnis eas obtinentibus, exularunt. Eaſdem tamen Pannonias mox ab Hunnis iterum invaſas, paulò infrà videbimus.

Annus Chriſti adhuc 427.

Aetius Pannonias ab Hunnis recipit.

ut fraudem ſuam tegat.

8. Sequenti anno 428. eodem victoriæ torrente idem Aetius in Gallias, & quidem contra Francos ad inferiorem Rheni limitem recurrit. Sic enim ad eum Chriſti annum Proſper vulgaris: *Felice* (illo nempe Bonifacii hoſte) *& Tauro Coss. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupaverant, Aetii Comitis armis recepta.* At ecce, Francos Rheno propinquam partem occupaſſe, nempe in Germania Secunda ſeu Inferiore, circa Coloniam & in Ripuariâ, ut ſuprà nobis dictum. & hoc adhuc tempore *poſſidebant*, nempe ex pacto cùm Honorio, ſub Ducibus Conſtantio & Caſtino, tametſi armis *occupaſſent*. Magno tunc victos prælio Francos dicet his iiſdem Coss. Caſſiodorus, cum id factum, *multis Francis cæſis*, addit. Sed & Jornandes rer. Get. cap. 34. *Aetium Reip. Romanæ ſingulariter natum, ſuperbiam Suevorum Francorúmque barbariem immenſis cædibus ſervire Romano Imperio coegiſſe* ſcribit. Scio Proſperum, & aſſeclam ejus Caſſiodorum brevia Chronica non hiſtoriam ſcribentes, ut & hiſtoriæ compendium dantem Jornandem, unâ ſæpè perioche plurium annorum res involvere, ut ex multis liquet. Quare ut Francicùm hoc bellum, iſto quidem Chriſti anno 428. cœptum, facilè Proſpero teſti oculato, & Chronicon per Conſules digerenti conceſſero; in plures tamen annos propagatum exiſtimo. Idacius ſane, tametſi ſubinde ſeu memoriæ ſeu librariorum lapſu confuſior, quamdam Aetii in Francos expeditionem in duos annos, & quidem ſeptimum & octavum

Annus Chriſti 428. In Francos movet.

& parte Rheni propinquâ expellit.

Nempe ex Ripariâ.

Bellum tamen in plures annos producitur

ab Honorii exceſſu, id eſt Chriſti 430. & 431. conjicit; additque Legatum ſe Aëtio tum adfuiſſe in Galliis.

Uſque ad annum Chriſti 431. incluſive.

9. Unde vehemens ſuſpicio eſt, bellum hoc aut ab anno Chriſti 428. in 431. productum; ſi tamen aliquam illius interruptionem ex Aëtii in Juthungos (quos *Suevorum* ſeu Alemannorum nomine videtur intelligere Jornandes) & fortaſſe Noros Vindelicosque rebelles expeditione, interveniſſe concedimus: aut ſemel ex pacto omiſſum, iterum aliâ occaſione repetitum. Idacii verba ecciſta: *Juthungi per eum* (Aetium) *ſimiliter debellantur & Nori. Felix, qui dicebatur Patricius, Ravennæ tumultu occiditur militari VII. Aëtius Dux utriuſque militiæ Noros edomat rebellantes. Rurſum Suevi initam cum Gallæcis pacem libatâ ſibi occaſione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius Epiſcopus* (in eâdem Gallæciâ) *ad Aetium Ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, ſuſcipit legationem.* & mox: *VIII. Superatis per Aëtium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius Comes legatus mittitur ad Suevos* (in Gallæcia reſidentes ſcilicet) *ſupradicto ſecum Idatio redeunte.* Ecce ut Aëtio ſe tum in Galliis præſentem, & Legatum, & Epiſcopum adfuiſſe diſertiſſimè ſcribit. Mirum ſi tantus teſtis nos falleret. Aut igitur ab anno 428. ad 431. bellum hocce Francicum, licèt interruptè tenuiſſe; aut duplex fuiſſe neceſſum eſt. Unde Caſſiodorus *multos Francorum caſos*, aut ut Jornandes, *multis cadibus Imperio Romano ſervire coactos*, rectè notant. Sed quod maximè dolendum, tanti belli in Belgica maximè geſti circunſtantias temporum injuria ſepelivit. Nos earum nonnullas, ac generaliores ſaltem, eruere capite proximo conabimur.

Saxonas in Britanniam advocat Vortigernus.

10. Ceterùm hîc non omittendum, hoc eodem anno Chriſti 428. Felice & Tauro Coss. Vortigernum in Britannia anno tyrannidos ſuæ quarto, Saxones in Inſulam advocaſſe, aut certè, fortè obvios admiſiſſe, Bonifacii credo exemplo, qui æmulorum ſuorum metu anno priore in Africam evocaverat. Id quidem è Ninnio auctore vetuſto tradit Camdenus. Et ſi fortè eos poſtea dimittere voluit, non magis quàm Vandalos Bonifacius, potuit. facilè eſt excitare barbaros ac bella, non item ſopire. Imò ſæpiùs in ſimiles evocatores omne malum rediiſſe, innumera docent exempla, & antiqua & hodierna. Certè Bonifacius ipſemet Africâ ab evocatis extruſus eſt; ut & ferè Vortigernus à ſuis; dignum uterque conſiliis ſuis ſortitus interitum: ſimul utrâque provinciâ ſpoliati Romani.

CAPUT IX.

Aëtianæ in Francos expeditionis accuratior diſquiſitio. Faramundi mors. Chlodionis ſucceſſio.

Ab anno Chriſti 428. ad 431.

Anno Chriſti 428. inchoatum bellum Fràcicum ab Aetio.

1. IAm primùm omnium nemo non videt, Aetium Romanæ tum militiæ Ducem (nam *Felice ad Patriciam dignitatem provecto, militum illum Magiſtrum factum*, notat Proſper, etſi anno poſteriore, *Florentio & Dionyſio Coss.* anno nempè Chriſti 429.) Gothis primùm compreſſis, Pannoniis inde receptis, Francos primùm attriviſſe; mox Juthungis ferè deletis, Vindelicis item Norisque rebellantibus ad Imperium reductis (quod Proſper Pithœi tangit, & Sidonius canit, *Nam poſt Juthungos & Norica bella, ſubacto Victor Vindelico*) qui viciniores eoque graviores Italiæ hoſtes erant; rurſum ad remotiores Francos, quodam naturæ ordine gradum feciſſe. An autem Franci primi moverint, quæri poteſt. Non improbabile illos, per civilia Romanorum bella Ducúmve diſcordias, non minus quàm Gothos Juthungosque aut Suevos, ſeu conſpirantes, ſeu pro ſe quemque, Romanum limitem ſæpiùs irrupiſſe, vaſtaſſeque: lubricâ ut aſſueverant fide, & quæ minori quoque occaſione frangeretur. Francos ſanè præ ceteris barbaris hoc tempore perfidiæ notâ infames, notant Panegyrici, Salvianus, & alii.

Sid. Car. 7. v. 233.

An Franci, an Romani bellum primi intulerint.

2. Ad hæc Saxones Friſiam, Bataviam, Zelandiam & finitima tum inſidentes, minimè hoc tempore quieſcebant. Britannis ſaltem ſemper infeſti, ut ex S. Germani vitâ intelligimus. Cur iis confines Franci, magis quieviſſent, & conterminorum fœderatorumque exemplo, non potiùs fines ſuos diffundere tentaſſent, tali maximè tantaque Romanorum diſſenſione? Verùm quia id incertum eſt; & motûs alicujus Francici, ex anno Chriſti 417. quo *Galliarum illi partem Rheno propinquam* in Belgicâ *poſſidendam accepêre*, ad annum uſque 428. nullus quod ſciam, meminit: potueritque Pharamundus ætate jam morbóve gravior, & novi cis Rhenum regni ſorte contentus, certam pacem incerto bello prætuliſſe: non improbabilior ſuſpicio eſt, Aëtium & Gothorum ab Arelatenſi obſidio repulſione tumidiorem, & ſuas infames in Bonifacium inſidias tegere cupientem, ac demum aliunde vacuum, ſecordem otio militem attinere nolentem, bellum Francis ultrò potiùs intuliſſe, quàm illatum repuliſſe: Maximè cum Faramundi mortem circa hunc Chriſti annum 428. incurrere videam; cujus tam opportuna occaſio, Aëtii victoris animum, ad Francos Principis morte deſtitutos turbatosque impetendos, non potuit non maximè titillare.

Videtur Aetius prior intuliſſe.

3. Faramundi quidem mortem pluſcula in annum Chriſti 427. vel 428. conjiciunt. Ante omnes Proſper Pithœi, poſtquam *Placidiam tandem Optato illatam regno* dixit, priuſquam *Aetium* notet *Juthungorum gentem delere intendiſſe*; Periochen iſtam interſerit, *CHLODIUS regnat in Francia.* plane quos jam dixi annos inſinuans. Nam Chlodium Faramundo ſucceſſiſſe, jam monſtrabo. Ad hæc Sigebertus, Gaguinus, Fauchetius & alii, undecim Pharamundi regno annos attribuunt. qui ab anno illo pacis 417. advocati, ut poſuimus, in 427. neceſſario deſinunt, & quidem extremis incluſis. Denique cum Chlodii regno annos 20. plerique tribuant. Ado ſcilicet, prior Gregorii Turonenſis Epitome cap. 5. Aimoinus lib. 1. cap. 6. Urſpergenſis, Gaguinus, Fauchetius; & infrà Meroveum oſtenſurus ſim, anno Chriſti 447. exeunte, vel 448. ineunte, Chlodioni certò ſucceſſiſſe; ſublatis de 448. 20. annis, planè pro Chlodionis initio annus 428. labens relinquitur. Circa idem igitur tempus fato Faramundus exceſſerit. Quod & Sigebertus agnoſcit, dum Chlodii initium in annum

Quia tum Pharamundus mortuus.

poſt undecim regni annos.

Chlodio ſuccedit per annos 20.

Chronici ſui 430. conjicit. Hic enim annus Sigeberto 430. eſt vulgaris Æræ hodiernæ 428. ex biennali anticipatione initio Chronici ab ipſo admiſſâ, ut alibi oſtendo. Unde ut in Æram vulgarem in hac Francorum Regum Chronologia relabatur, annos Chlodionis regno non 26. cum ceteris, ſed 18. dumtaxat attribuit.

Cauſa belli dubia, dubiè tractatur.

4. Quare ſi Franci hoc tempore bellum primi moverint, & ſuperſtes adhuc Faramundus extiterit, occaſione diſcordiæ Romanæ haud dubiè moverint; & Aëtius occurrens prælio eos magno ſuperaverit, quo & Faramundus occubuiſſe potuerit. Si Faramundo prius mortuo, Chlodio ſucceſſor rerum tum potiebatur; juvenili ille ardore, & nominis augendi cupidine fervidior, Romanos ultrò laceſſiverit. ſed ab Aëtio repulſus, trans Rhenum ad novas vires legendas ſufugerit. Contrà ſi Aëtius Gothis Arelato pulſis audacior, Francos primus aggreſſus ſit, ſcilicet Faramundianæ mortis occaſionem arripuerit, & Belgicæ partem, quam illi jam ab annis undecim *poſſidendam occupaverant*; opportunè receperit. Utcumque ſit, id ſaltem certum, Francos tunc grandi prælio ſuperatos, ſi non plane trans Rhenum, certè ad ipſum fugatos: & nonniſi uno alteróve pòſt anno, circa annum 430. reparatis, trans Rhenum maximè, viribus, iterum in Aëtium incurriſſe: iterumque victos, *in pace* tamen (ut notat Idacius) *ab eo ſuſceptos*; credo quod jam Bonifacium æmulum ab Placidiâ revocatum, & in gratiam forte receptum metueret. An Colonia quoque Agrippina ad Belgicam Rheni ripam ſita, Francis priore pugnâ fugatis, ad Romanos tantiſper Aëtiumque redierit; nihil comperio. Pace certè poſt ſecundam pugnam indultâ, Francis remanſiſſe, ex Imperii Notitiâ haurimus; quæ paucis poſt annis edita, nullam Coloniæ mentionem facit; probabili argumento eam tum in Francorum partem delapſam, relictámve. Sed neque ulla Romanorum in hiſce partibus præſidia Francis viciniora memorat; quàm *Lagienſe prope Tungros in Germania ſecunda* (hodie *Luage* ad Jecoram rivum, ubi caſtelli & ruderum plane Romanorum veſtigia reſtant, à me viſa diſcuſſaque,) tum *Epuſenſe Belgica prima*, hodie *Yvoi* ad Carum fluvium, qui in Moſam paulò ſuprà Sedanum influit: *Treverorum* item *Fabricas, theſauros, Gynegia*, & ſimilia; præſidium denique *Antonacenſe*, hodie *Andernach* ad Rhenum; infrà quod nullius ultra Romani loci memoria eſt.

Franci tamen certò victi, fortè & trans Rhenum pulſi.

An Treviri tùc recepti.

5. Treviros ergo, ſi forte pace anni Chriſti 416. Francis relicti fuere, rurſus ad Imperium hac Aëtii victoriâ revocatos, aſſerendum eſt. Nec ideo tamen Urbem iſtam, quadruplici jam everſione proſtratam, Aëtius reſtaurandam judicaverit; tum quia limitanea & Francis nimium expoſita jam eſſet; tum quia omnis ejus dignitas Arelatum jampridem tranſlata, ibidem multo commodius haberetur. Satis fore viſum ſi modicum in ipſis ruderibus præſidium, & fabricæ quædam opificiaque erigerentur, in fortuitos belli contra Francos, Burgundiones, alioſque vicinos hoſtes uſus. majore vel in ipſis tantæ Urbis ruinis, quam vel Antonaci, vel Epaſii commoditate repertâ. Ceterum tribus aut quatuor hiſce Romanorum præſidiis nullum Septemtrionalius Notitia memorat: evidenti argumento, quidquid terrarum ab lineâ per iſta loca ductâ in Septemtrionem Orientemque ad Rhenum porrigitur, Francis aut Saxonibus ea pacto à Romanis indultum, aut ex neceſſitate & imbecillitate derelictum. Qui quidem terrarum tractus ea ipſa Ripuaria latior ferè eſt, quàm ſupra in prima Francorum pace deſcripſi: ut appareat, etiam poſt has Aëtii proſperiores ſucceſſus iteratâ pace, nihil tamen de prioribus Francorum in Belgicâ limitibus immutatum; ſed potiùs auctum; timore Bonifacii. Prorſus ut Chlodionem, etiam ante editam Notitiam, ſeu annum Chriſti 438. regnum Francicum cis Rhenum recepiſſe tenuiſſeque neceſſe ſit.

Quâ occaſione Chlogio Francorum Rex quaſi primus habeatur.

6. Ex hac tam commodâ pace Chlodioni, abs Aëtio rurſum indultâ, factum exiſtimo, ut plerique Francorum veterum hiſtorici, tametſi Faramundi ceu primi eorum cis Rhenum Regis ſubinde meminerint; novæ tamen Francorum Monarchiæ primordia velut ab hoc Chlodione deducere videantur, eumque primum Regem crinitum appellent. Non quòd Theudemer & Faramundus Reges quoque criniti, ea priſco Francorum more & gentili comâ, non fuerint: ſed quòd Chlodio, ſive ut Turonenſis nominat Chlogio, ut Sidonius Chlojo, è Regibus Crinitis primus extiterit, qui Francos Faramundo mortuo Belgicâ ab Aëtio pulſos, rurſus in eam induxerit; & impetratâ tandem pace, adeo firmiter aſſeruerit, ut nunquam deinceps extrudi potuerint. Ita Francorum cis Rhenum regnum, tametſi primùm à Pharamundo inchoatum, quia tamen cum ipſo quodammodo extinctum nonniſi à Chlodione inſtauratum fuit, Chlodionem quoque quaſi novum auctorem, adeoque aſſertorem meritò agnoſcit. hoc magis, quò illud præterea Chlodio ſui paternique trans Rhenum regni (ut aliqui putant) adjunctione, & nova Cisrhenani quoque ad uſque Somonam fluvium propagatione diffuderit. ut uberiùs infrà.

Faramundi Gregorius nullam mẽtionem facit.

Neque ejus poſterior Epitome.

7. Equidem Faramundi mentionem Gregorius Turonenſis nullam infert, & à ſolo Chlogione Regum Francorum ſeriem texit: ut ſuperiore libro dixi. Nihilo magis Faramundi meminit poſterior Gregorii Epitome, quæ capite 9. ita ait: *Franci electum à ſe Regem, ſicut prius fuerat inquirentes diligenter, ex genere Priami Frigii* (forte Friſii) *& Francionis, ſuper ſe creant, nomine Theudemerem, filium Richemerii; qui in hoc prælio quod ſuprà memini* (nempe Caſtini contra Francos) *à Romanis interfectus eſt. Subſtituitur filius ejus CHLODEO in regno, utiliſſimus vir in gente ſuâ: qui apud Heſbargem caſtrum reſidebat, quod eſt in termino Thoringorum.* Ecce ut Theudemeri Chlodionem filium ſubſtituit, Faramundo tranſmiſſo. Ita ex hujus quoque, ſicut & ex Gregorii ſententiâ, regni cis Rhenum Francici præcipuus autor & aſſertor Chlodio fuiſſet, eo nempe quo jam diximus intellectu; quia extinctum erexiſſet. Nota autẽ hic *Heſbargem*, pro Diſpargo.

Alii agnoſcunt; & quidem Chlodionis patrem.

8. Faramundum tamen primum Francorum cis Rhenum Ducem ceteri agnoſcunt, ut ſuprà ſtatui; nempe Aimoinus lib. 1. cap. 4. *Regem*, inquit, *ceterarum more nationum, Franci ſibi eligentes, Faramundum Marchomiri filium ſolio ſublimant regio. Cui filius ſucceſſit Clodio crinitus.*] Similiter & prior Epitome, cap. 5. *Mortuo Faramundo, Chlodionem filium ejus crinitum in regnum patris ejus elevaverunt. Tunc temporis Crinitos Reges habere inceperunt. Venientéſque ſagaciter in finibus Toringorum, ubi reſederunt. Habitavit itáque Chlodio in Diſpargo caſtello in finibus Toringorum, in regione Germaniæ. Propterea*

omnes regiones gentium, quæ ultra Rhenum fluvium ſunt, hoc nomine nuncupantur, Germania. &c. Ado Viennenſis ſub Gratiano Imperatore. *Poſt Pharamundum,* ait, *Franci Chlodionem ejus filium ſibi Regem ſtatuunt. Ab hinc Franci in finibus Thoringiorum habitantes, Crinitos Reges habere cœperunt.* Ecce ut Faramundi ſucceſſorem, imò & filium Chlodionem tres hi ſcriptores vetuſtiores agnoſcunt. Agnoſcit & Sigebertus. Solus Ivo Carnotenſis in ſuo Francorum Chronico, Pharamundi primi Regis ſucceſſorem & filium, Didionem quemdam (quem Theudemerem eſſe ſuprà monui) facit, Didionis autem Chlodionem. Ex his omnibus colligimus immediatum Faramundi cis Rhenum ſucceſſorem, ac probabiliter etiam filium, fuiſſe Chlogionem; qui quia Francos ab Aëtio pulſos, cis Rhenum de integro ſtabilivit, quaſi primus regni in Belgica Francici autor, à quibuſdam omiſſo Faramundo, recenſetur; tametſi revera nonniſi reſtitutor extiterit. Circa annum verò Chriſti 431. reſtituiſſe, ex Idacio probabiliter, ut jam viſum; ante 437. autem certò, elicimus, ex Notitia tunc editâ, quæ nullam præſidiorum Romanorum in Germaniâ Secunda ſeu Inferiore mentionem, ſaltem Moſam inter & Rhenum, infert: tractu iſto, qui Ripuaria deinceps dictus, Francis ex pace bis jam à Romanis remiſſo conceſſoque.

CAPUT X.

Quam Thoringiam intelligat Gregorius. & quod Diſpargum.

Tria circa Chlogionē examinanda.

1. PORRO circa hunc Chlogionem tria hîc examinanda occurrunt. licet duo priora examinare jam antè cœperimus. Primùm, an iſta Thoringia, verè ſit Tongria. Secundùm, quod fuerit caſtrum Diſpargum, & ubi ſitum; in quo ille diutiùs egerit. Tertiò, cur Crinitus ſpecialiter appelletur, & quæ Francorum cæſaries extiterit.

Primò quæ ſit Gregorii Thoringia, ſuprà excuti cœpta.

Qui Thoringi tranſrhenani?

2. Prioris puncti duplex eſt dubitatio: quæ ſit illa Gregorii *Thoringia,* in cujus termino *Diſpargum* jacuerit; & *quam Rheno tranſacto Franci tranſmearint?* tum quod illius *Diſpargum?* *Thoringos* ſeu *Deuringos* (mendosè apud Tacitum *Reudingos*) Langobardis à Septemtrione contiguos, ex Taciti Germania intelligimus, cis & ultra Albim, ut exiſtimo; cis quidem qua Tanger fluvius, in auſtrali Marchiæ Brandenburgenſis antiquæ tractu fluit, & abluto Tanger oppido, ad Tangermund Albi ſiniſtrorſum hauritur: trans Albim autem in adverſa parte, & Marchia media, qua fluvioli Dorſe, Rhien, & Havela in Albis ipſius dexteram ripam decurrunt. Et ego quidem vehementer ſuſpicor, Thoringos, & contractiùs Tongros, ab illo rivo *Tanger,* ſeu ut Ditmarus locorum iſtorum indigena legit, *Tonger,* nomen ſortitos; eoque Thoringos & Tongros unam olim gentem extitiſſe, qui ex prioribus hiſce ſedibus, primùm ante Cimbrorum & Teutonum inundationem, in Belgicâ noſtrâ Moſam inter & Rhenum, ſedes maximè fixerint, Germani primum à Belgis devictis appellati; tum priſco Tongrorum nomini ab Auguſto redditi, cùm Germanias ille Ciſrhenanas inſtituit; ut libro primo monui. Deinde verò circa irruptionis in Galliam Vandalicæ tempus, Albiani iſti Thoringi, circa Meridiem in mitiores & ipſi terras gradu facto, eam Chattorum Orientalem partem occuparunt, quæ abs Oriente quidem Sala flumine, abs occaſu autem Viſurgi concluditur, cujusque medius ferè fundus Oneſtrude fluvio diſſecatur, & etiamnum hodie Thoringiæ nomen conſtantiſſimè retinet. In ea invaſione, quam illi Chattis, qui tum Francorum bona pars, cædem intulerint, ſuprà ex Gregorio Turonenſi audivimus.

A Tanger ſeu Tonger fluvio ita dicti.

Eorum pars cum cis Rhenum veniſſent, Germani primum à Belgis appellati.

Mox ab Auguſto rurſus Tongri.

Pars ad Oneſtrudem manſit, & Thoringi huc uſque vocantur.

3. His poſitis de qua Thuringia Gregorius intelligat, facilè perſpicimus. Ait ecce: *Tradunt multi Francos de Pannoniâ fuiſſe digreſſos. & primùm quidem littora Rheni amnis incoluiſſe; dehinc tranſacto Rheno Thoringiam tranſmeaſſe.* Cur è Pannonia Francos advocet, ſuprà explicui. Cùm littora Rheni incoluiſſe ſubdit, neutram Thoringiam, Tranſrhenanam ſeu Teutonicam capere poteſt, quando neque illa prior Albiana, neque poſterior Oneſtrudenſis & Chattica, Rhenum unquam ab occaſu, ſaltem ante Francorum è tranſrhenanis ſedibus ultimam in Gallias emigrationem attigerit: ut clarè ſequentium annorum docebit hiſtoria. De Thoringia igitur Belgicâ ſeu Tongria circa Moſam & Demeram eum intelligere neceſſum eſt. quod & ejus verba ſæpiùs evincunt. Quomodo enim aliter, *tranſacto Rheno Thoringiam Franci tranſmearent?* An è Pannonia in Thoringiam Chatticam migrantibus, Rhenus ulla ſui parte trajiciendus? eſt autem omnino, ab Sala & Viſurgi in Belgicam venientibus. Rurſum ait: *Ibi* (in Thoringia ſcilicet Belgica) *juxta pagos vel civitates, Reges Crinitos ſuper ſe creaviſſe, quod poſtea Chlodovæi victoria probavere. idq; in ſequenti digerimus.* Chlodovæi victoriæ pluſculos Francorum Regulos, nullos trans, ſed cis Rhenum dumtaxat regno dejecere; idque oſtendunt ſequentes Gregorii narrationes. Ciſrhenanam igitur Thoringiam ſeu Tungriam, circa quam plures erant iſti Reguli, Gregorius intelligit. Atque hinc aptè notat Morellus, in quibuſdam Gregorii Manuſcriptis codicibus legi, *Diſpargum quod eſt in termino Tongrorum,* non ut in editis *Thoringorum.* Terminus Gregorio eſt ager ſeu territorium.

Per Thoringiam Gregorius Tongriam noſtram intelligit.

circa Moſam & Demeram.

Plures ergo in Tongria conſiſtunt Francorum Reges.

Morelli codex ita ſcribit.

4 Quod & multiplex ratio probat: primo quia faciliùs atque commodiùs *in termino* ſeu territorio ſeu agro, *Thongrorum* Ciſrhenano, novè parto, Chlogio agitaverit, quàm in alieno Thoringorum Tranſrhenanorum: maximè cùm hoc abs eâ, in quam acquirendam totus incumbebat, Galliâ, longiſſimè, nempe ultra Viſurgim, ſejunctum eſſet. Ad hæc, quis non manu tangit, Chlogionem multò commodiùs exploratores è Tongris Ciſrhenanis, quàm ex illis tam procul ultra Rhenum projectis, in Carbonariam ſylvam, id eſt Hannoniam hodiernam, Tornacum, Cameracumque miſiſſe? Denique poſtrema Gregorii verba: *In his autem partibus,* nempe Ciſrhenanis ac Belgicis, in quibus erat iſta de qua ipſe intelligit, & in quam *Chlogio tranſacto Rheno tranſmearat, ac Diſpargi* habitabat Thoringia, *ad meridionalem plagam habitabant Romani uſque Ligerim fluvium. ultra Ligerim Gothi: ad Rhodanum & Lugdunum Burgundiones,* &c. clarè docent animum illius dum iſta ſcriberet totum in Galliis, nulla ratione in tranſrhenanis regionibus, infuiſſe. Thoringiam igitur omnino Belgicam, aut potiùs Tongriam Gregorius accipit. eique conformes

Unde exploratores Cameracū Tornacumque cōmode miſit.

Tongris ad meridiem erant Ligeris & Rhodanus fluvii Galliæ.

Leodienſium noſtrorum ſeu Tongrorum veteres hiſtorici Harigerus & Ægidius, *Tungrim* ſeu *Tungrorum Advatucam* hodie *Tongre, Thoringorum Metropolim* appellant: non certè de nihilo.

Etiam Sidonius Tungriam noſtram agnoſcit.

5. Denique Gregorium cum aſſeclis nè quis ſimplicitatis inſimulet, Sidonium Apollinarem Arvernorum Epiſcopum, omni literarum genere prudentiaque cultiſſimum hic profero: cùm ad Conſentium Poema ſuum viceſimum tertium ſcribens, & Francorum ſui ævi provincias ab Occidente in Ortum ferè recenſens, ita verſu 423. canit,

—— Tu Tungrum & Vahalim, Viſurgin, Albim,
Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris. ſeu ipſiſmet Francis.

Ecce ut primam eorum cis Rhenum in Belgicâ provinciam, *Tungrum* ſeu *Tungriam* appellat; annis à Chlogionis exordio non multo ampliùs 40. Sidonium verò nemo, reor, hic ſimplicioribus nedum ignaris adſcribet. Thoringia igitur hæc Diſpargumque Gregorii Turonenſis, cis Rhenum adeoque Moſam eſt; & Tungrorum Belgicorum agrum ſeu ut ipſe loquitur, *terminum*, planè vereque deſignat; quem Franci Rheno Moſaque tranſmeatis, ceu veterem gratamque Saliorum populariumſuorum, ſi non ſedem, certè viciniam inſederint. Ita Franciciæ hujus in Gallias irruptionis progreſſus & ordo nobis elucere jam incipit: ut è primis ab origine ſui ſedibus circa Viſurgim & Amaſim, Rhenum, cujus ripam dexteram & Germanicam jam diu tenebant, tranſmearint; Rhenum inquam, quem Sidonius hîc per Vahalim, ut ex parte totum ſynecdochicè, intelligit. ubi primò Ripariam, ſeu ripam ejus ſiniſtram & Belgicam ſub Pharamundo occuparint, iiſdem fere terminis, quibus Colonienſis hodierna cis Rhenum Diœceſis Eccleſiaſtica continetur, tùnc incluſam. Inde Moſam quoque tranſgreſſi, Tungrorum agrum ſeu *terminum*, mox ulteriore ſemper in Occidentem progreſſu, Cameracum etiam ac Tornacum ad Scaldim uſque; id eſt Nervios & Menapios ſaltem ſuperiores ſe dedentes, ſub Chlodione ſibi adjunxerint: Atrebates denique noſtros, Morinos & Ambianos, *Summam* ſeu Somonam uſque fluvium continuatis ſub eodem Rege victoriis obtinuerint, ut ſequentes anni docebunt.

Francorum in Belgica progreſſus ordinatus.

Paludes eorundem,

Per *penitiſſimas* autem eorum paludes, Morinorum maximè, & ſi quas forte Menapiorum, Sidonius intelligit; quando ulteriores in Boream Batavorum, Friſiorum, & Cauchorum paludes, jam ante Sidonii ævum Saxones invaſerant; quod ipſe ignorare non poterat. Quæ ergo circa Rhenum, Amaſim, Viſurgim, & Albim, ad Francos attinuiſſe jam antè dixit; interiora, ſuperiora, montanaque eorum accipit; quorum mentionem Sulpitius quoque Alexander apud Gregorium lib. 2. cap. 9. facit, cùm *Ampſivarios & Chattos* Francicas etiam gentes, *Marcomere Duce, in ulterioribus collium jugis apparuiſſe* ſcribit. Facit itidem Claudianus; cùm primâ Stiliconis Panegyri, *Gallica Francorum montes armenta, medium ingreſſa per Albim, pererraſſe* canit.

& montana.

6. Ex Sidonii igitur etiam ſenſu hic Thoringia Gregorii, planè Tungria noſtra eſt. & in eâ Diſpargum ejuſdem caſtrum, nobis indagandum. Plerique *Duisburgum* Cliviæ ad Germanicam Rheni ripam caput intelligunt. nec vident illud trans Rhenum adhuc eſſe; cùm ad *Diſpargum* ſuum nonniſi *tranſacto Rheno* Chlogionem perveniſſe diſertè notet Gregorius: & quidem *in iis partibus*, quatum Meridionalem partem ad Ligerim uſque Romani, Rhodanicam circa Lugdunum Burgundiones, Tranſligerianam Gothi tenebant; id eſt in ipſiſſimo Galliarum noſtratium centro; non in Suevorum tranſrhenanorúmve ſolo. Poſterior Turonenſis Epitome non *Diſpargum*, ſed *Heinsbargum* legit: neſcio an non feliciùs: Illud enim optimè in Juliæ oppidum *Heinsberg* cadit, ad *Worms* fluviolum ſitum, quo Leodienſis ſeu Tungrenſis diœceſis, jam inde ab omni hominum memoriâ, à Colonienſi diſtinguitur: quodque veriſſimè in termino Thoringorum ſeu Toogrorum jacet. Certè D. Comes Gomicurtius in illud valdè propendebat; aiebatque, Regii Judicii olim eàm fuiſſe ſedem, plurium in Belgicâ noſtrate clientelarum dominio principem, ac vetere caſtro perilluſtrem. Ex quâ commodiſſimè, & quodam naturæ ordine exploratores Chlogio Cameracum emittere potuerit, adeóque debuerit. invitante præſertim militari Romanorum viâ, eâque rectiſſimâ, quæ Coloniâ Agrippinâ Trajectum ad Moſam; inde per Advatucam Tongrorum, Peruviacum, Geminiacum, & Vogdoriacum, hodie *Vaudray* ad Binchium, Bavacum denique Cameracumque perducit. ſed Bavaci bifurcata, ad dexteram per Scaldis pontem (hodie Eſcaupont) Tornacum pertendit; etiamnum ſuperſtes, & à me ſæpiùs obita. Eo poſito, aut Diſpargum in Gregorio vitioſè pro Heinſpargum legeretur, aut utroque nomine tam affinl locus olim inclaruiſſet. Parte aliâ non parum defero probabili Vendelini noſtri ſententiæ, qui Diſpargum vult Diſtemium ſeu Dioſtum, vulgo *Dieſt*, in Brabantiâ noſtrate ad Demeram fluvium eſſe: ubi & Salica Lex à Quatuorviris Francorum primoribus condita ſit; ſicut pluribus in eâ ille oſtendit. quem tu conſule. Jam audio Nummos in Childerici Regis ſepulchro anno priore 1653. plures, aureos argenteosque Tornaci repertos, novi luminis aliquid pro Diſpargo Barroque, Domino Chiffletio affudiſſe; quod & nos lubentes ex ejus mox ſecuturâ editione hauriemus: ad quam ſe remitti Lector, non ægrè credo patietur: quando de Nummis nondum viſis judicare nequeo. Interim de Chlogionis noſtri Francorumque crinibus atque Cæſarie aliquid dicamus.

Pro Diſpargo quidam Heinsbargū legunt in ducatu Juliæ.

Quidam Dioſtū ſeu Diſtemium interpretantur.

Nummi Regis Childerici docent, quos nondum vidimus.

CAPUT XI.

FRANCORUM tam Regum quàm popularium antiqua Ceſaries.

Omnes fere Chlogionē dicunt primum Francorum Regem Crinitum.

1. Jam à quingentis, & quod excurrit, annis nihil apud Vernaculos noſtrates aut Latinos Francorum hiſtoricos decantatius, quàm Chlogionem *Crinitum Regem* inter Francos primum fuiſſe, adeoque ipſius Regiæ Cæſariei auctorem & inſtitutorem. Ado Viennenſis Archiepiſcopus, octingentorum ampliùs annorum ſcriptor, cum de Gratiano Imp. loquitur; *Poſt Pharamundum*, inquit, *Franci*

Chlodionem ejus filium ſibi Regem ſtatuunt. Ab hinc Franci in finibus Thoringorum habitantes, Crinitos Reges habere cœperunt. Sigebertus in Chronico anno 430: *Ex hoc Franci Crinitos Reges habere cœperunt.* Otho Friſingenſis, lib. 4. cap. 32. *A quo Francorum Reges Criniti dicti ſunt.*

& multi tamen ante illum.

2. Verùm longè vetuſtiores adeoque probatiores ſcriptores, Crinitos Francorum Reges nobis ante Chlogionem exhibent. ac imprimis Claudianus quarto Honorii Conſulatu, v. 445. anno Chriſti fere 398. id eſt, annis ante Chlogionem 30.

—— Totum properare per amnem (Rhenum)
Attonitos Reges humili cervice videres:
Ante Ducem noſtrum (Stiliconem) *flavam ſparſere Sicambri*
Cæſariem. Per Sicambros, Francos intelligens, qui tum priſcam Sicambrorum ſedem incolebant. ſic enim ſubdit: *Pavidòque orantes murmure FRANCI Procubuere ſolo,* Rurſus lib. 1. de laudibus Stiliconis, v. 202.

——— Et pax à fonte profecta
Cum Rheni creſcebat aquis. ingentia quondam
Nomina, CRINIGERO flaventes vertice Reges,
Qui nec principibus dona, precibúsque vocati
Paruerant, juſſi properant. Et lib. 3. v. 18.
—— Illinc flavente Sicambri
Cæſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.

Hincmarus Vitæ S. Remigii cap. 24. *Franci, ait, ſub Principibus Crinitis, juxta morem gentis ſubinde ſuccedentibus, per Thoringiam regionem Germaniæ* (nempe Inferioris & Ciſrhenanæ) *à Caſtello Diſpargo, in quo diu habitaverunt, Belgica provincia Tornacum atque Cameracum civitates adgreſſi ſunt.* Sæpè *Faramundum Marchomiri filium,* Chlogionis patrem, *Crinitum* quoque *Regem* appellat prior Gregorii Epitome cap. 4. poſterior ſimiliter cap. 9. *Franci,* inquit, *electum à ſe Regem, ſicut prius fuerat, Crinitum inquirentes diligenter, ex genere Priami Frigii* (an Friſii?) *& Francionis ſuper ſe creant, nomine Theudemerem filium Richimeris,* &c. Nec aliter Ivo; qui *à Dicdone* ſuo, ſeu ut diximus *Theudemere Crinitos Reges habuiſſe Francos* ſcribit. Fuerunt ergo plures ante Chlogionem Criniti Francorum Reges. Cur igitur ille capillitio tantopere decantatus?

Chlogio ſeu Chlodio primus Rex Crinitus in Tongriâ & Belgio noſtrate.

3. Quia, tranſrhenani hactenus Francorum Reges, tametſi & ipſi Cæſarie conſpicui; Gallis tamen noſtratibus, interioribus maximè, parum innotuerant. Cùm jam ad Somonam uſque Chlogio penetraſſet, & ſtabilem in Belgicâ ſedem fixiſſet; inuſitatam Gallis Cæſariem oſtentans, & quidem inter populares ſuos, facilè ejus ornamenti Regii auctor habitus eſt. Neque enim Theudemer aut Faramundus in Galliam adeo penetrarunt: Moſam ab occaſu, Trevirorum à meridie fines non exceſsêre: eoque parum adhuc noti aut illuſtres. Neque tamen diffiteor, Chlogionem; quò ſibi venerationem ſuperadderet, & ſupra ceteros etiam Reges deceſſores ſuos quadamtenùs emineret; novum quemdam crinibus ornatum apponere potuiſſe, ut ante me D. Comes Gomicurtius animadverterat: eóque hoc capite multum juvit.

Galli ſub Romanis pauci comati.

4. Nam quod opinantur aliqui, Gallis Comatis, quos ſibi ſubdebat, placere voluiſſe, minus arridet. Quippe Galli jam ferè omnes in Romanorum mores habitumque tranſierant; quos ex ſuperſtitibus hujus ævi nummis videmus comâ longiore non uſos. Imò barbam, quam prolixiorem Reges Franci geſtabant, Romani radebant. Ad hæc, quis credat Chlogionem in re tam exili Gallis apparere ſe voluiſſe, cum in tanto potioribus, ut armis, veſtibus, moribus, linguâ, Religione differret? Sed neque placet, quod proferunt alii, Chlogionem ceteris Francis ſibi ſubditis auguſtiorem tantâ cæſarie videri voluiſſe: quando teſte Agathia, circa annum Chriſti 500. *Subditi circumtonſi erant omnes, nec prolixior his coma concedebatur.* Agathia ſenior Sidonius, inter ceteros Francorum cultus, pendentes in frontem occipite tonſo capillos, & paucos barbæ pilos, contra quàm eorum Reges ſolerent, ita deſcribit; Majoriani Panegyrico, v. 240.

barbâ etiã raſâ.

——— Rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet; nudatáque cervix
Setarum per damna nitet. tum lumine glauco
Albet aquoſa acies; ac vultibus undique raſis,
Pro barbâ tenues perarantur pectine criſtæ.
Strictius aſſuta veſtes procera coercent
Membra virûm, patet in arctato tegmine poples,
Latum & anguſtum ſuſpendit baltheus alvum.
Excuſſiſſe juvat vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum; clypeóſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas. &c.

Francorum comæ, & vultus.

Veſtes.

Arma.

Graphica, ait hic Sirmundus noſter, *veterum Francorum deſcriptio, quâ non ſolùm oris habitum cultúmque omnem proſequitur, procera corpora, rutilos crines, cæſios oculos, pronas in frontem tonſo occipiti comas, tenues raſo vultu barbas, veſtes ſtrictas & ſingulos artus exprimentes, nudos poplites, latos baltheos: ſed propria etiam eorum arma, pugnandique modum, & infractos bellis animos commemorat.* &c. At nos hic de crinibus dumtaxat agimus: quos in occipite tonſos Sidonius ſuprà teſtatur, ut & Epiſtola libri octavi nona.

Sirmundus

Hic tonſo occipiti ſenex Sicamber
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.

Quo loco Poeta Eurico Regi, à quo Arvernis Burdegalam exul abductus erat, blandiri volens, Francorum quoſdam etiam ab eo ſub jugum miſſos canit; qui in ſignum ſervitutis, Gothorum habitum, relicto patrio, aſſumebant, & occiput non jam amplius more ſuo tondebant, ſed ad victoris morem inflexi, comas in frontem antea pronas, retrorſum in occiput eliciebant; aut occipitis crines antea tonſos, creſcere, & in tergum defluere ſinebant. Non igitur ut à Francis ſibi ſubditis differret Chlogio, crinitus etiam in occipite fuit.

Gothorum comæ Franciis conturariæ.

5. An forte ut ab Gothis hiſce diſtingueretur? an ut à Burgundionibus aut Saxonibus æquè Germanis, quos omnes capillatos & egregiè comatos fuiſſe conſtat? Burgundiones quidem ex Sidonio carmine 12.

Burgundionum comæ

Inter crinigeras ſitum catervas
Et Germanica verba ſuſtinentem:
Laudantem tetrico ſubinde vultu,
Quod Burgundio cantat æſculentus,
Infundens acido comam butyro.

Saxonum quoque, ſaltem Ducum Regúmve Cæſariem memorat Witikindus lib. 1. cùm de iis, tunc Theodorici Francorum Regis Clodovæo geniti contra Ermenfridum Thoringorum Regem auxiliaribus, ita loquitur: *Ingreſſi Duces in caſtra, ſinguli cum centenis militibus, reliquâ multitudine extra caſtra dimiſſâ, ſalutant Thidericum verbis pacificis* &c. Mox: *Mirati ſunt Franci præſtantes corpore & animo*

& Saxonũ.

viros

viros, & novum habitum, arma quoque, & diffuſas cæſarie ſcapulas. Ecce cæſariem Saxonum etiam in humeros fuſam; ſaltem Ducum ut dixi Regúmve: nam 50. circiter antè annis de Saxonum plebe ſic canit Sidonius ep. 9. lib. 8.

de hic ... eundem ... Sol pa. 95. ... Saxones, ait, ... capillos ... fronte ton- ... e, niſi ... rca verti- ... , & la- ... i caput ... cingere ſolebant.

Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum ante ſalo ſolum timere.
Cujus verticis extimas per oras,
Non contenta ſuos tenere morſus,
Altat lamina marginem comarum.
Et ſic crinibus ad cutem receſis,
Decreſcit caput, additúrque vultus.

Si non totum hic Saxonis caput, ſinciput ſaltem à fronte ad capitis verticem raſum canit; adeò ut facies creſcere, caput decreſcere videretur. Verùm examinandum fortaſſis, num patrium Saxonibus, & non potiùs Gothis id capillitii genus fuerit; quod Saxones in Gothici Regis aula, in ſubjectionis ſignum uſurpaverint, ſicut paulò antè de Francis vidimus.

Gothorum plebeiorum vultus.

6. Ejuſmodi quidem Viſigothorum, plebeiorum ſeu non Regum, cæſariem fuiſſe, docet nos vetus nummus, quem Savaro in Epiſtolam ſecundam lib. 1. Sidonii profert. In quo Gothi cujuſpiam, ut apparet, vultus expreſſus eſt ſine barbâ, à fronte in capitis verticem tonſus; ſi non etiam raſus; inde crinium paniculis aut cirris aures opertus, longis & directis; ſine ullâ faſciolarum aſtrictione; nec niſi in extremitate criſpatis & retortis. Quæ omnia, exceptis flagellis, cum eo, quod Praſinis Conſtantinopolitanis Juſtiniano Cæſari infenſis Procopius attribuit, non malè congruunt. *Sinciput*, inquit, *capillitio ad tempora uſque nudarunt, comâ ad occipitium permiſſâ (ut Maſſagetæ ſolent) nullâ lege diffluere. quare & hunc habitum, Hunnicum appellavere.* aut cum iis quæ Theodorus Mopſueſtenus in 10. Hieremiæ caput adnotat, *Comam ad occipitium promittentes Saraceni, partem ſolummodo tondent, quæ fronti imminet. hos hodie Gentiles appellamus.* Ejuſmodi igitur erat Wiſigothorum, ſaltem non Regum, cæſaries.

Theodorici Regis Wiſigothorum cæſaries.

7. Nam Regis quidem eorum Theodorici ſecundi, alia ab Sidonio depingitur: *Capitis apex rotundus; in quo paululum à planitie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur.* Inde: *Aurium legula, ſicut mos gentis eſt, crinium ſuperjacentium flagellis operiuntur, &c.* *Barba concavis hirta temporibus: quam in ſubditâ vultus parte ſurgentem, ſtirpitus tonſor aſſiduus, genis aduſque, forpicibus evellit.* Ita Regii inſigne capillitii, in ſolo ſincipite non raſo tonſóve, ſed crinito conſtabat; ita tamen ut ſincipitis crines in verticem deducti criſparentur, ſive arte ſive naturâ ea criſpatio quæſita eſſet. In reliquis nulla Regum erat ab ſubditis differentia, quibus crinium flagella æquè uſurpata. Quæ quidem flagella Granos appellare videtur Iſidorus. *Nonnullæ gentes non ſolum in veſtibus, ſed & in corpore, aliqua ſibi propria quaſi inſignia vendicant; ut videmus cirros Germanorum, Granos & Cinnabar Gothorum.* Et Synodus Bracarenſis Lectoribus *imperat*, *Ne Granos gentili ritu demittant.*

Orig. l. 19

Francorum Regum cæſaries, & crinium flagella.

8. At inter Francos ea crinium flagella ſolis Regibus, aut Regio ſemine genitis, non item populo in uſu erant. Unde Gregorius Tur. lib. 6. cap. 24. de Gundebaldo, qui ſe Chlotarii primi filium jactabat: *Hic, ait, cùm natus eſſet in Galliis, & diligenti curâ nutritus, ut Regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga dimiſſis, litteris eruditur, Childeberto Regi à matre repræſentatur.* Rurſum lib. 8. cap. 10. Piſcator quidam Chlodovæi Chilperico Rege nati, occiſi, & in Matronam projecti corpus ſe reperiſſe, & *à cæſarie prolixâ cognoviſſe*, eóque tumulaſſe refert. *Detectóque tumulo, corpuſculum integrum & inlæſum repertum eſt. una tantùm pars capillorum, quæ ſubter fuerat, jam defluxerat; alia verò cum ipſis crinium flagellis intacta durabat. cognitúmque eſt hunc eſſe, quem Rex intento animo requirebat.* Nulla igitur hactenus aut exilis apparet, Wiſigothorum inter & Francorum Regum cæſariem diſcrepantia. Videamus an aliquam eruere valeamus.

Crinium flagella in Gothis ac Francis diverſa.

9. Verba Sidonii, de Theodorico Rege, *Aurium legulæ, crinium ſuperiacentium flagellis operiuntur*; videntur innuere, flagella iſta non multo infra aures collumque, Regibus illis demiſſa fuiſſe; cumque addit, *ſicut mos gentis eſt*, plebi quoque ita & Ducibus non aliter uſurpata. Sanè vetus ille, de quo ſupra Victorii Nummus, non infra collum flagella ſua diffundit. Quare ne ulterius excreſcerent, neceſſe fuit ea ſubinde ſuccidi. In hoc igitur Francicorum Gothicorumque flagellorum diſcrimen invenimus. Nam Francorum Regibus nunquam recidebantur, ſed naturali longitudine per terga fluctuabant, ut ſuprà ea Turonenſi viſum. Et Priſci Rhetoris excerpta, cum de cujuſdam Francorum Regis (credo Chlogionis) filio ſermonem inſtituunt, *Juniorem*, inquiunt, *Aetius turbatur, quem Romæ vidimus legationem obeuntem, nondum lanugine effloreſcere incipiente, flavâ comâ, & capillis propter denſitatem & magnitudinem ſuper humeros effuſis.* Enucleatiùs adhuc Agathias lib. 1. in Chlodomeri Francorum Regis, Chlodovæo magno geniti cæde: *Eo cadente, Burgundiones comâ animadverſâ profuſiore, quæ illi ad tergum protendebatur, ſenſere hoſtium Ducem ſe occidiſſe. Neque enim fas erat Francorum Imperatoribus comam tondere: ſed à pueris intonſi manent: atque adeo, ut à tergo his defluant crines. nam à fronte diſcriminati utrimque feruntur. Nec ſanè Turcorum barbarorúmque more, impexi & ſqualidi ſordidioriſque capilli his ſunt, vel aliàs calamiſtrati & indecenter perplexi; ſed varia his ſuperinfundunt unguenta, & diligenter pectendo expoliunt. Idque proinde præcipuum & Regium decus conſtitutum eſt; ſolis ut Regibus permittatur. Nam ſubditi, circumtonſi ſunt omnes, nec prolixior his coma conceditur.* Longiora igitur Francorum erant, & intonſa crinium flagella, quàm Gothorum.

Francorum Regum intóſa, eóque longa.

& bene ornata.

10. Sed iiſdem Agathiæ verbis ineſt aliud præterea diſcrimen. Francis enim Regibus (ait) *à fronte diſcriminati crines utrinque*, ſeu ad utrumque tempus & aurem, & multo infrà, *ferebantur* prorſus ut ſincipitis quoque capilli, ſemper intonſi, vel ab ipſa fronte in cincinnos, ſeu granos, cirros atque flagella dividi demittique inciperent; cum Gothorum, Regibus quidem, *in capitis apice rotundo paululum à planitie frontis cæſaries non tonſa quidem ſed refuga criſparetur*: non Regibus autem, crinis ita à fronte in capitis verticem tonderetur, ut quanto caput iis decreſceret, tanto facies augeri videretur. Talis igitur & tam inuſitata Gallis Francorum Regum Cæſaries, à Gothia quoque diſtincta, cùm in Chlogione primum aut maximè, cis Rhenum apparuiſſet, ei Criniti Capillatique apud Gallos noſtros nomen aſſeruit: præſertim ſi, quod exiſtimo, prioribus ejus deceſſoribus neque tam longa, neque adeo ornata & dives extitit. nã Chlogionis & ſucceſſorũ

Aliud item diſcrimen.

Gothorum Regum cæſaries in capitis apice criſpata.

Cur Chlodio dictus à Gallis Crinitus aut Capillatus

cincinni

cincinni flagellàve tæniolis & faſciolis non ſericis modò, ſed & aureis plerumque virgata præcinctaque, veterum nonnulli teſtantur: adeoque barbam galbutis ſeu globulis (*boutons* Franci vocant) aureis adſtrictam ornatámve, ſcribit Fauchetius lib. 2. cap. 11.

11. Quod addit Agathias, Regum Francorum capillos, quamvis barbarorum more non impexos, ſqualidos aut ſurdidos; calamiſtratos tamen, indecenter impexos haudquaquam fuiſſe; neſcio an uſquequaque conſiſtat. Nam ſi eos unguentis quoque ſuperfuſos & delibutos geſtare non verebantur, cur calamiſtro calefacto inurere, intorquere, & criſpare dedignarentur? Tales quidem magnanimi Æneæ fuiſſe teſtatur Virgilius Æn. 12. cùm Turnum ait vehementer optaſſe,

—— Sternere corpus
Loricámque manu validâ lacerare revulſam
Semiviri Phrygis: & fœdare in pulvere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhâque madentes.

Francorum cincinni faſciolis ad ſtricti, quaſi ſerpentati.

Sanè veteres picturæ, ſtatuæ, nummi, primorum Francorum Regum Meroveadarum cæſariem in cincinnos cirrosque diviſam, filis faſciolíſve adſtrictam, annulatam, & quaſi ſerpentatam, prout crinium cirrorumque craſſities, extenſio, locúſve exigebant, hodieque nobis repræſentant. Quod etiam Avaribus, Scythicæ genti, familiare fuiſſe, canit Corippus Poëta, præfatione ad Juſtinum Imperatorem. *Illa colubrimodis Avarum gens dura capillis.* & Theophanes ſub Juſtiniano, *Gens Abarorum*, inquit, *nunquam antea viſa, ingreſſa eſt Byzantium: totáque urbs ad ejus conſpectum confluxit. Habebant ad humeros valde promiſſas comas, braudeiſque colligatas, atque compexas: reliquâ veſte Hunnis perſimiles.* Mamelsburienſis quoque lib. 2. cum Athelſtani Regis, anno Chriſti 940. mortui ſpeciem deſcribit. *Erat*, inquit, *corpore deducto; capillo, ut ipſi ex reliquiis ejus vidimus, flavo; filis aureis pulcrè intorto.* Erant indubiè criſpati Regum Francorum crines, ſi non calido ferro (hoc enim aſſerere nolim) ſaltem filis & faſciolis adinſtar Avarum intorti, annulati, & in colubrorum ſerpentúmque morem (quod de Meduſæ pulcherrimæ capillis tradit antiquitas) implicati & convoluti. Quemadmodum myſtaces ſuas ad capitis tempora defluentes involvere torquerecque ſolent hodie juvenum vaniorum amatorculorumque nonnulli.

ſicut & Avarum.

12. Atque hos capillorum, hapſos, & ut ſic loquar, colubros ſerpentéſve, ſeu ferro calido, ſeu faſciolis intortos, Cirros, Granos, & flagella vocavit antiquitas. quarum vocum poſterior, Francorum myſtaces optimè exprimit; quando in vite filamenta iſta contorta & annulata, quæ cincinnorum inſtar, paxillis ſe ad vitem ſuſtentandam implicant, quæque capreolos & coliculos viteos appellare Varro videtur; à nonnullis etiam *Flagella* dicuntur. Cirros tamen Germanorum Iſidorus à Granis & Cinnabare Gothorum diſtinguit. credo quod Cirri universâ ſui parte, Grani nonniſi extremâ criſparentur. An autem Germanorum Cirrus, idem fuerit quod capillus in nodum coactus, Suevis antiquis uſitatus, licèt aliqui putent, ego tamen aſſerere non audeo: præſertim ſi, quod videtur, criſpationẽ aliquam cirrus includat. Criſpatio enim in nodo ſuperflua, vixque cum tanta adſtrictione conſiſtere poſſe videtur. Ad hæc Romani Græcive adoleſcentes, capillos in nodum coegiſſe non leguntur:

Cincinni, Grani, flagella, ferè pro eodem.

An Cirri & Grani idẽ.

& Cirratos tamen Perſius agnoſcit, cùm canit *Ten cirratorum centum dictata fuiſſe Pro nihilo pendas?* Denique Ammianus lib. 22. cap. 28. tumultum illum Alexandriæ narrans, quo Georgius Arrianus urbis Epiſcopus diſcerptus eſt, Diodorum quoque quemdam veluti Comitem, à furente plebe cæſum notat; *quòd dum ædificandæ Eccleſiæ præeſſet, cirros puerorum licentiùs detondebat.* Quod de tonſura Clericali Baronius & alii accipiunt; cujus ſcilicet pueris conferendæ curam Diodorus iſte ſuſceperat. Nemo autem Ægyptiorum puerorum crines in nodum coactos, ſed bene cirratos & intortos agnoſcit; ut vel è ſolo hîc Ammiano vides. Et facilius erat cirratos quàm in nodum coactos capillos detondere: imò nodus tonſuram clericalem planè impedit. Quòd ſi Iſidorus etiam ad Francorum ſui ævi Reges cirros Germanorum extendit, non inſcitè facit; ſatis memor eos origine Germanos, adeoque tum magnæ quoque Tranſrhenanorum parti imperaſſe.

13. Scrupulum contra hæc cuipiam fortaſſis injiciet Seneca lib. 3. de ira cap. 26. & ep. ult. cùm ait: *rufus crinis, & coactus in nodum apud Germanos.* Item Martialis lib. ſpect. epigr. 3. Objectio è Senecâ.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Capillos ecce nodo vinctos *Germanis* indefinitè & quaſi univerſim attribuit Seneca, ac proinde etiam Francis, qui Germani. Martialis autem magis determinatè, *Sicambris*; quo nomine Francos diſertè notant Claudianus atque Sidonius. Verùm Senecæ quidem, clarè Taciti verba adverſantur: *Inſigne gentis* Suevorum, *obliquare crinem, nodóque ſubſtringere. Sic Suevi à ceteris Germanis: ſic Suevorum ingenui à ſervis ſeparantur. ſic in aliis gentibus, ſeu cognominatione aliquâ Suevorum, ſeu (quod ſæpè accidit) imitatione; rarum & intra juventæ ſpatium: apud Suevos uſque ad canitiem horrentem capillum retrò ſequuntur.* Germanorum ſolis ecce Suevis nodoſum illum crinem aſſignat Tacitus; alios inde ſecludit, præter juvenes, eoſque in eo more raros, aut nonnullos Suevis ortos: è quibus nulli unquam Franci. Unde Germanos Seneca non omnes, ſed quoſdam & illuſtres, Germanorumque aliquam magnam partem, nempe Suevos, tantùm capere poteſt. nimirum è genere ſpeciẽ intelligens. Contrà Martialis, è ſpecie ſi non genus, ſaltem aliam gentis ſpeciem accipit, cùm *Sicambris crines in nodum tortos* attribuit. Nam cùm nodus ille, ſolis Suevis tanto teſte Tacito, conveniat; nemo non videt *Sicambris* propriè dictis, quos non modò non Suevos, ſed acres Suevorum hoſtes fuiſſe certum eſt, eum convenire non poſſe. Si quis urgeat, Francos Sicambrorum nomine ſubinde ſignari; reſpondebo, non certè à Martiali id fieri, cujus ævo Francorum nomen nondum innotuerat; Sicambrorum verò, qui jam inde ab Auguſto in Gallias trajecti erant, prorſus extinctum erat, eodem teſte Tacito ann. 12. per Sicambros ergo Martialis, more poëtico, Germanos & Germanorum aliquam gentem, nempe Suevos intelligit; rectiuſque ceciniſſet, *Crinibus in nodum tortis venère Suevi.* Poſt eum quidem nullus Sicambrorum meminit, niſi Claudianus & Sidonius. ut antiquitatis ſcientiam oſtentarent; ex quâ Francos primos eo loci trans Rhenum ſitos advertebant, quo Cæſaris Auguſti tempore Sicambros.

Suevorum capilli nodo ſubſtricti.

Quos per Suevos Martialis intelligere videatur.

14. Atque hæc de priſcâ Francorum Cæſarie, Chlogionis capillati occaſione dicta ſufficiant. qui tametſi ibis (ut minimùm) ab Aetio juſto certamine ſuperatus, in pace tamen poſt triennium quadrienniúmve regni ſui ſuſceptus, ſedem cis Rhenum Heinsbargi, ſeu Heinsbergæ alibíve in Tungrorum termino, ſibi ſuiſque ſtabilivit: & Cæſariem promiſſam, à deceſſoribus quidem ſuis uſurpatam, ſed à ſe (ut videtur) auctiorem ornatioremque redditam, Belgis ac Gallis noſtris oſtentans, Criniti Capillatíve primus cognomen obtinuit. Jam à diverticulo in viam, & hiſtoriam.

CAPUT XII.

Bonifacii poſtrema in Aëtium pugna; quâ ille vulneratus interiit.

Anno Chriſti 432.

1. NVlli dubium eſt, quin prima ruentis Imperii Romani labes à tot Barbarorum ferali in Italiam primùm, tum in BELGICAM noſtram Galliaſque ceteras eluvie, Stiliconis quidem dirâ ambitione, ſed maximè juſto Dei Romanorum peccata punire volentis permiſſu prodierit; Detrimenti tamen non multo minus intulit trium Placidiæ mulieris & pueri Ducum indomitus in ſe invicem livor, & pertinax invidia. Mille jam & ampliùs annis Ducum concordiâ coaluerat immanis iſta compages Imperii; Ducum paucorum diſcordiâ modico temporis intervallo dilapſa eſt: Fuerunt iſti maximè tres, ut ſupra monere cœpi, Felix, Bonifacius, & Aetius.

Annus Chriſti 429. Felix Patricius, Aetius Magiſter militum.

2. Nunc igitur tantæ tragœdiæ progreſſum finemque videamus. Anno igitur 429. id eſt ut Proſper. *Florentio Dionyſióque Coss. Felice ad Patriciam dignitatem provecto, Aëtius Magiſter militum factus.* proximo ſcilicet poſt *propinquam Rheno Galliarum partem à Francis receptam* anno: tanquam debito tantæ victoriæ præmio. Sed cùm inter binos hoſce duces gliſceret æmulatio, & pro ſe quiſque muliebre puerileque imperium ad ſe rapere ſatageret; alter alterum tollere laborabat. Felicem prævertit Aetius. *Theodoſio quippe XIII. & Valentiniano III. Coss.* anno Chriſti 430 *Felicem Aetius* (ait idem Proſper) *cùm uxore Paduſiâ, & Grunnitum Diaconum, eos ſibi inſidiari cùm præſenſiſſet, interemit.* Et quidem *Ravennæ tumultu militari*; ut Idacii, & ex parte etiam Marcellini Chronica teſtantur. Quo eodem anno Auguſtinus Hippone, inter obſidentium Vandalorum impetus, vitæ finem fecit, nec Epheſinæ proximè ſequentis anni Synodo, licèt evocatus, intereſſe potuit. Quando etiam *ad Scotos* (qui hodierni Hiberni ſunt) *in Chriſtum credentes, ordinatus à Papâ Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus,* Proſpero teſte, *miſſus.* credo, cùm fœlix S. Germani Autiſſiodorenſis in Britanniam expeditio ſalivam fervido Pontifici moviſſet.

Annus Chriſti 430. Felicem cũ uxore perimit Aetius.

S. Auguſtini mors.

Palladius ad Scotos.

3. At Aetius Felicis cæde patratâ, ſecundam *in Galliis ſuſcepit expeditionem*, ut dixi; quo labes ſimiles novâ victoriæ laude non ſolùm deleret, ſed & novum æmulis ſuis, adeoque ipſi Placidiæ ſui motum incuteret. Et voto reſpondit eventus: *Franci*, ut tradit Idacius, *in certamine ſuperati, & in pace ſuſcepti.* nempe eâ Belgicæ parte iis etiamnum redditâ, quam *Rheno propinquam* paulò antè *receperat Aëtius,* fortè & additis quibuſdam verſus Moſam civitatibus; quo eos ſibi jungeret. Quippe Placidia, quæ Felicem cum uxore Paduſia unicè diligebat; Aëtii tantam ferre gravabatur audaciam, an nequitiam; hoc magis, quò neſandas ejuſdem in Bonifacium Africæ Comitem fraudes & inſidias, probè jam intellexerat. Tota igitur in eam Aetii nequitiam puniendam, frangendamque potentiam verſa, Bonifacium in Italiam palatiumque ex Africâ revocat; ſimul Magiſtri militum dignitate, in Aetii æmulationem, illuſtrat. Quoque conſilium primò magis occuleret, Aëtium cum Valerio Conſulem anno Chriſti 432. renuntiat. quem tamen non latuit Placidiæ animus; eoque ſtatim pace cum Francis, quos novo certamine fregerat, & deſere facilè poterat, factâ, in Italiam & ipſe redit, Conſulatum init; datis etiam quæ tum ex more erant, muneribus. Nihil obſtitit ea ſimulatio, quin *Placidiæ inſtinctu*, ait, Marcellinus in Chronico, *ingens* inter eos Duces bellum gereretur.

Bonifacium ad ſe vocat ex Africâ Placidia.

& Magiſtrũ militum facit.

Annus Chriſti 432.

4. Imparatior *Aetius, Conſulatu* (ut ait Proſper Pithœanus) *edito* (ſeu cùm Conſulatum collegâ Valerio quodam ſolemniter iniiſſet) *Bonifacium, qui ab Reginâ,* (Placidia) *accitus ex Africâ fuerat, declinans, ad munitiora conſcendit.* Credo in Gallias, ubi vires ſuas relinquerat. Paratis raptim omnibus, & barbaris ſibi veroſimiliter adjunctis, prælium cum Bonifacio committit, ac vincitur. Et *Bonifacius* quidem *victor, ſed moriturus abſcedit.* Nam cùm *pridie* pugnæ, addit Marcellinus in Chronico, *longius Bonifaciano telum ſibi præparaſſet Aetius; eo Bonifacium congredientem ita vulneravit, illæſus ipſe; ut tertio inde menſe Bonifacius, ex eo vulnere moreretur: Pelagiam uxorem ſuam valde locupletem, nulli alii, niſi Aëtio, ut nuberet exhortans.*] *Aëtius verò,* (pergit Proſper vulgaris) *cùm depoſita* (Magiſtri militum) *poteſtate in agro ſuo degeret; ibique eum quidam inimicus ejus* (à Placidiâ forte Bonifacióve ſubmiſſus) *repentino incurſu opprimere tentaſſet; profugus ad Urbem* (Romam) *atque illinc ad Dalmatias, deinde* (credo anno ſequenti 433.) *Pannonias ad Hunnos pervenit.* ſubdit alter Proſper. *Cùm ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugula præerat,* Aëtius *poſt prælium ſe contuliſſet, impetrato auxilio, ad Romanorum ſolum regreditur*: anno jam 434. juxta ejuſdem Proſperi calculum, ut credo verum, belli aleam iterum jacturus. Quod Placidia adeo timuiſſe videtur, ut *Gothi ad ferendum auxilium*, eodem teſte Proſpero Pithœano, *à Romanis acciti ſint.* quorum Duces novos, aut Sigiſvultum, aut Bonifacii mortui filium Sebaſtianum, aut utrumque fuiſſe, vehemens ſuſpicio eſt. Imò Idatius eam rem in Chronico ſuo ita tradit: *Bonifacio Sebaſtianus gener* ſubſtitutus, per Aëtium de palatio ſuperatus expellitur. *Hunnorum* enim *amicitiâ auxilióque uſus Aëtius, pacem Principum, & jus interpolatæ poteſtatis obtinuit.* ait Proſper Conſularis; & ferè etiam Pithœanus. Ea poteſtas nulla erat alia, quàm quem hactenus adminiſtrarat, utriuſque militiæ Ducatus. Imò quo actiore ſtudio Remp. de novo capeſſeret, eum ex utriuſque militiæ Duce Patricium appellavit Placidia, quæ ſumma erat Romanis dignitas. Sic

Aetius in Bonifacium pugna quâ hic lethaliter vulneratus.

& mortuus.

Fugit Aetius ad Chunos.

& eorum auxilio reſtituitur.

enim

enim ad annos ab Honorii morte nonum & decimum, qui Chriſti ferè ſunt 432. & 433. Idacii Chronicon: *Aetius Dux utriuſque militiæ, PATRICIVS appellatur. Sebaſtianus*, Bunifacii gener, *et ſubſtitutus, per Aetium de palatio ſuperatus expellitur, & navigat ad Palatium orientis.* Unde tamen etiam paulò pòſt fugere coactus eſt. Ita bellum hoc civile inter duos potentiſſimos Romanorum Duces ab annis jam aliquot inchoatum, anno Chriſti 433. tandem ſopiri viſum. Et Placidia qualicumque fine contenta, certam pacem incertu belli exitui ſapienter prætulit; ſortiori mulier, adeoque neceſſitati cedens: niſi forte majoris vindictæ tempus captaverit.

Fitque Patricius.

Hic Proſperi Chronicon Conſulare, prima editione terminatum. ANNO Chriſti 433.

5. Atque in hac pace Proſper vulgaris Chronicon ſuum Conſulare primâ editione terminavit; ut ex Annorum collectione, quæ in quibuſdam adhuc Manuſcriptis, Lodunenſi præſertim, legitur, intelligimus. *Colliguntur*, inquit, *omnes anni, uſque ad Conſulatum Theodoſii Imperatoris 14. & Maximi; à XV. Tiberii anno & paſſione Domini, anni CCCCVI.* Sat conſtat annum quo Theodoſius 14. & Maximus Conſules fuere, eſſe Chriſti Dionyſianum ſeu vulgarem, quo Chriſti Eccleſia paſſim utitur, 433. De hoc completo tolle 406. habebis annum Chriſti reliquum item completum 27. Cùm 28. igitur Chriſti anno Proſper annum Tiberii 15. componit, Victorii Canonem Paſchalem planè ſecutus; in cujus continuatione ad hunc Conſulatum Theodoſii 14 & Maximi, annus Periodi Victorianæ CCCCVI. diſertiſſimè notatur, ut in editione noſtrâ videre potes. Ceteræ annorum Summæ in Proſperi Chronico Manuſcripto non ita conſtant. In eo igitur Conſulatu, ſeu anno Chriſti 433. completo, Chronicon ſuum publico primùm dedit Proſper. labente tamen jam anno Chriſti ſequente 434. quando ſecundam ejuſdem Chronici jam auctioris editionem faciens & publico dans, duo priora Conſulum collegia nempe Theodoſii 14. & Maximi, tum Aſparis & Ariobindæ, ſine ullâ re geſtâ tranſmittit, gnarus ſcilicet ſe poſtremo primæ editionis §. res iſtis geſtas annis, quâdam anticipatione nempe Aëtii ex Italiâ ad Dalmatias, Pannonias, Hunnosque fugam, anno Chriſti 433. tum collecto demum Hunnorum auxiliari exercitu, armatum ad Italiam reditum anno 434. breviter retuliſſe. Sanè Proſper Pithœanus illum Aëtii reditum, aut ſaltem pacem inde ſecutam, ad annum ab Honorii morte undecimum, qui eſt Chriſti 434. planiſſimè collocat.

Aetius triennio nihil gerit

6. Quod eò accuratiùs noto, quò intelligat Lector, Aëtium toto iſto triennio in Galliis non fuiſſe; nedum inibi, ſicut nec in Africâ contra Genſericum res ſuas promoventem, alibíve quippiam gerere potuiſſe; imò per abſentiam ſuam, & à Placidiâ diſſenſionem, novorum in Galliâ motuum occaſionem præbuiſſe. Nam hæc ipſa Placidiæ cum Aëtio, mox etiam cum Genſerico pax, tantum Reip. vulnus non ita obduxit, quin ingens inde ſanies manare perrexerit: triplex ſcilicet in Galliis bellum, haud dubiè ex hac tantâ civili diſcordia ſubortum. Nimirum vergente jam ad finem Imperio, finis unius mali gradus erat futuri.

CAPUT XIII.

Eccleſiaſtica per hoc tempus in Belgio & Britanniâ res. S. Evergiſlus Colonienſis Archiepiſcopus Tungros viſitans, caditur. Severus Trevirenſis Burgundionibus in Germania Primâ prædicat.

Ab anno Chriſti 428. & ſupra, ad 434.

Inter initiū & finem belli Francici, intercurrit Juthungicum & Noricum.

1. BEllum hoc cum Chlogione Aëtius non continuum, ſed interruptum geſſiſſe videtur. Nam Idatius quidem, teſtis ut vidimus oculatus, inter annum Chriſti 428. quo *propinquam Rheno Galliarum partem Aëtii virtute receptam* teſtatur Proſper; & pacem Francis indultam, quam Idatius ipſe ad annum Theodoſii ab Honorii morte octavum, ſeu Chriſti 431. refert, *Juthungos & Noros per eum debellatos*, bis notat. ut videatur Aëtius Francis primùm repulſis, ſtatim in Juthungos Alemannos, & Noros, Vindelicis quoque rebellibus (ut videtur) junctos, arma vertiſſe, & ad imperium reduxiſſe. Unde Sidonius Aviti Panegyrico, v. 233. *Nam poſt Juthungos & Norica bella, ſubacto Victor Vindelico*, &c. Cumque Chlogio reſumptis interim viribus, rurſum in Belgicam irrumperet, iterum quoque Aëtius in eum recurrerit, & repetito certamine ſuperaverit. Sed cùm Boniſacium æmulum ſuum ex Africâ ad Palatium à Placidiâ contra ſe revocari videret, Francis quantumlibet jam fractis pacem dederit, quò & eorum auxiliis tutior inſiſteret, & contra Boniſacium liberior ſe verteret. de quo paulò infrà. Jam enim Eccleſiaſtica quædam hoc interfluxu geſta inſerere conſilium eſt.

ANNUS Chriſti 429. Pelagiana hæreſis in Britannus aucta.

2. Proſper Conſularis ad annum Chriſti vulgarem 429. *Florentio*, inquit, *& Dionyſio Coss. Agricola Pelagianus, Severiani Epiſcopi filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladii Diaconi, Papa Celeſtinus Germanum Autiſiodorenſem Epiſcopum vice ſuâ mittit. & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigit.* Hæc ille: quæ & adverſus Collatorem tangit. Fuſiùs S. Germani vita ſuggerit, ab ejus diſcipulo Conſtantio fideliter exarata. lib. 1. cap. 19. *Eodem, ait, tempore, ex Britanniis directa legatio, Gallicanis Epiſcopis nunciavit, Pelagianam perverſitatem in locis ſuis latè populos occupaſſe.* Ex duabus, ut reor, maximè cauſis. quarum prima eſſe potuit: quia jam Pelagius ipſe in Italiâ, Africâ, Palæſtinâ valde promoverat; & ad idem in Britanniâ tentandum popularem hunc ſuum Agricolam, aliosque ſimiles invitaverat. Secunda, quia jam Romani Inſulam deſeruiſſe videbantur, & mali prævalebant. Nec magna jam inde ab anno Chriſti 410. per annos 18. fuerat Britonum inſtructio, ex quo illi Romanorum jugum excuſſerant.

Unde auxilium per Legatos Britanni petunt.

3. Ex hoc igitur Pelagianorū incremento, *Legatio Britannorum nunciabat, quantociùs quam fidei Catholicæ debere ſuccurri. Ob quam cauſam Synodus numeroſa*

collecta

Mittuntur S. Germanus & S. Lupus Epiſcopi.

collecta eſt. ſeu Arelat, ſeu Lugduni alibive in Galliis. *Omniúmque judicio, duo præclara Religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur; Germanus ac Lupus,* Autiſſiodorenſis ille, hic Trecenſis Epiſcopus; *Apoſtolici Sacerdotes, terram corporibus, cælum mentibus poſſidentes.* licèt Lupus adhuc junior nonniſi ſecundum Epiſcopatûs annum exegiſſet; ut diſertè ejus vita capite tertio. Illi igitur iter ingreſſi, cùm Pariſios attigiſſent, Germanus Genovefam tum adhuc tenellam, Deo ſponſam dedicavit. Inde per Bellovacos (ut reor) Ambianos, ac Morinos, BONONIAM Geſſoriacumque navale tenuerunt. Mox *inexplorato mari ſe committentes* (ait S. Lupi Vita) *terribiles Oceani fluctus, temporibus hibernis, Orationum gubernaculis mitigarunt; tandémque ad tutam ſtationem appulerunt.* Rhutupias ni fallor. *Cúmque quotidie,* pergit in Germani Vita Conſtantius, *irruente* Britannorum *frequentiâ ſtiparentur; divinus ſermo non ſolum in Eccleſiis, verum etiam per trivia, per devia fundebatur: ut paſſim & fide Catholici firmarentur, & depravati viam correctionis agnoſcerent.*

Qui cum Pelagianis diſputant.

4. Publicâ tandem cum ſiniſtræ perſuaſionis auctoribus initâ diſputatione, detecta eorum vanitas confutatáque perfidia; immenſam quæ intererat populi multitudinem Chriſto adjunxit firmaviítve. Secutumque in cœcâ decem annorum, filiâ cujuſdam Tribunitiæ poteſtatis viri, ſanitati per Orthodoxos Epiſcopos reſtitutâ miraculum, ita roboravit; ut ex illâ die ex Inſulanorum animis iniqua perſuaſio deleta ſit. Inde honoratis S. Albani, qui ad Verolamium, antiquam Regis Caſſibellini Regis curiam, ſub Diocletiano martyrii coronâ decoratus eſt, reliquiis; toto Quadrageſimæ tempore populum quotidianis prædicationibus imbuerunt. Emenſaque ſolemnitate Paſchali (quæ eo Chriſti anno 430. tertio Kalendas Aprilis illuxit) *contra Saxonas Pictóſque, qui bellum adverſus Britones junctis viribus ſuſceperant,* paucos eorum, quos baptiſmo eluerant expeditiores, in aciem eduxerunt; ſolóque vocis Alleluia repetitæ clamore, fuderunt fugaruntque. Ita duplici contra Saxonas ac Pelagianos victoriâ triumphantes, in Gallias ſani reverterunt. Hæc & plura Conſtantius.

Mox Saxones etiam miraculo ſuperant.

5. Vides hic S. Germanum cum Britannis indigenis in Saxonas confligere. Eóque Saxonas ante annum Chriſti 430. imò & 429. in Britannias advenisse. contrà quam Beda ſcribat, illos priùs anno Chriſti 449. id eſt, annis poſt hunc fere 20. in Inſulam ingreſſos. Rectiùs Camdenus in fol. pagina 94. & 95. ait: *In quibuſdam Ninnii Manuſcriptis legi, Vortigernum anno Regni ſui quarto, Saxonas in Britanniam accitos ſuſcepiſſe, Felice & Tauro Conſulibus. hoc eſt, anno Chriſti vulgari, 428.* Quod ſi annus Chriſti 428. eſt regni Vortigerni quartus, ergo primus fuerit iniens Chriſti 425. aptè cùm ſcilicet Honorio mortuo Joannem Imperium invaſiſſe, & Romanos inde gravi bello implicatos videret. Cumque rurſum Romanos Francorum Aetio duce victores, ſimul Pictos, æmulosque Britannorum nonnullos ſibi adverſantes timeret, Saxonas in ſui opem, Bonifacii Africæ Præfecti exemplo advocavit, admiſitve, altero ante S. Germani Lupique adventum anno; ſerie hiſtoriæ liquidiſſimâ. Nec minus illud fortè liquidius, quod Galfridus Monumetenſis, etſi in aliis plerisque fabuloſus referat; eumdem Vortigernum, cùm priore illo S. Germani trans Humbrum conflictu Pictos Saxonasque ſuperatos vidiſſet; ex eorum conſilio, Saxonas alios advocaſſe; qui æquè navibus octodecim, electo milite plenis, iterum in Inſulam appulerint, Hegiſto Duce. cujus ille filiam uxorem acceperit, ac ſuis Cantium provinciam ad habitandum conceſſerit. Quid ad Romanam & Britannicam hiſtoriam, ad S. Germani vitam, ad Proſperi Chronicon aptius? Cetera inde ſecuta, in iterato Germani ad Britannos acceſſu, poſt annos ſex referemus.

Qui proinde in Inſulam jam ante venerant.

A Vortigerno advocati aut admiſſi.

6. Nobis hæc pauca interſerere viſum; ut quis fuerit eo ævo tam in Galliis quàm Britanniis fidei Chriſtianæ ſtatus, Lectori repræſentaremus, & ex eo de Belgica conjecturam eliceremus. Quis enim credat, tantis Pontificibus majorem Britannorum toto orbe diviſorum, quàm domeſticorum fidei, id eſt Belgarum noſtrorum, ſi æquè operâ eorum eguiſſent, curam futuram fuiſſe? Quin & Belgicam, ſaltem quâ Morinos fretumque Britannicum ſpectat, eo tempore Romanis adhuc adhærentem pacatumque, certò cognoſcimus; ac proinde Eccleſias, quas barbaricus furor everterat, reſtaurari cœptas, quique eas regerent Epiſcopos reviveſcere, reddive cœpiſſe. prorſus ut mirum non ſit, ſi & Trevirenſis & Tungrenſis Eccleſiæ frequentes per hæc tempora recenſeant Epiſcopos.

Belgicæ Eccleſiæ ſtatus ex vicinis colligitur.

7. Trevirorum quidem iſtorum ſupereſt hucusque memoria, poſt Felicem, quem ſupra Maximi tyranni, Sanctique Martini tempore conſecratum audivimus: *Mauritii ſecundi S. Leguntii* ſive *Leontii, S. Auctoris* eo quoque nomine *ſecundi,* ac denique *S. Severi* quem paulò infrà S. Germani iteratam in Britannos expeditionem ſuſcipientis ſocium, *cùm Primæ Germaniæ gentibus verbum vitæ prædicaret,* intuebimur. Tungrenſes autem recenſentur iſti, à Sancti quidem Servatii morte, quam in annum Chriſti 384. quàm citiſſimè incurrere potuiſſe demonſtravimus: *Agricolaus, Urſicinus, Deſignatus, Reſignatus, Sulpitius, Quirillus, Eucherius, & Falco.* Celebratur & quidam ante omnes iſtos *Candidus,* qui poſt Servatium Epiſcopalia munia Tungris, & in tota diœceſi obierit. Ita novem hîc habemus Epiſcopos, quorum poſtremum *Falconem* Sancto Remigio circa annum Chriſti 512. aut 514. coævum fuiſſe, infrà ex ipſiuſmet Remigii Epiſtolis demonſtrabo. Abs anno Chriſti 384. quo Servatius fato functus, ad 500. anni intercurſant omnino 116. Cur id intervalli Epiſcopi novem implere non poſſent? præſertim ſi aliqua quantulacúmque (ut in tanta barbarorum eluvione veriſimile eſt) intervenerit interruptio? 117. anni in novem diviſi, 13. dumtaxat annos ſingulis dant; aut ſi uni plures, tanto alteri pauciores. quo quid vero ſimilius? ut non modò non neceſſaria, ſed & importuna ac improbabilis videri poſſit interruptio, licèt eam nonnulli iſtorum Epiſcoporum inculcent Indiculi. Certè æquali quidem temporis intervallo non multo plures, ſubinde vix tot recenſentur Antiſtites in aliis minimè interruptis ſedibus, ut Trevirenſi Metenſique; adeóque etiam in ipsâ Principe Romanâ; cujus tamen Pontifices parum longævos fuiſſe ſat conſtat, ceu provectiori jam ætate ad Eccleſiæ gubernacula admoveri ſolitos.

Trevirorũ Epiſcopi.

& Tungrorum.

8. Non omittendum verò hoſce Tungrorum Antiſtites, ut & proximos decem eorum ſucceſſores, Trajecti ad Moſam plerumque reſediſſe. ea certè annalium noſtrorum conſtans traditio eſt:

Qui tum Trajecti reſidebant.

ſive Servatii exemplo juſſúve, qui idem moriens feciſſe perhibetur; ſive quòd Tungrorum urbs à Vandalis aliiſve barbaris miſerè deſtructa jaceret. Probat hoc, inter cetera vetuſtatis monumenta, Concilium Arvernenſe, centum poſthac annis habitum, ubi *Domitianus Tungrenſis è Trajecto* legitur ſubſcriptus Epiſcopus. Et hæſit Trajecti Pontificum habitatio ad annum Chriſti 709. quo Leodium ab S. Huberto tranſlatam ſuo tempore memorabo. ita tamen uti non tam Trajectenſes à recentiore domicilio, quàm ab Sedis antiquiſſimæ titulo Tungrenſes appellarentur: quod nomen non antè reliquerunt, quam in Leodienſe commutarent.

A Francis dominantibus pacatè tolerati.

9. Neque me movet, qui ſubrepere videtur hîc ſcrupulus; quomodo Trajecti ad Moſam, id eſt in ipſo Romani Imperii, noviq́ue Francici confinio conſiſtere potuerint Antiſtites. Ab Servatii quidem exceſſu, ad Vandalorum irruptionem, quo toto tempore Romani Germaniam ſecundam Ciſrhenanam retinuerunt; nulla major quàm prioribus annis difficultas apparet. Durante ipsâ Vandalorum ac Francorum irruptione, tam hic quàm in quavis aliâ æquè vaſtatâ Galliarum parte ſtare potuiſſe, nemo non videt. Francis denique cis Rhenum in Ripuariâ, ab Rheno ad Moſam receptis, hoc magis etiam ſtare debuiſſe intelligimus, quo eos cum Armoricis, id eſt, ut ſuprà oſtendi, Belgis noſtris, Germaniſve ſecundis, in unam Remp. primùm coaluiſſe, ex Procopio, ſtatuimus: qui eoſdem Arborichos Chriſtianos fuiſſe disertè notat ut & S. Evergiſli Colonienſis Epiſcopi vita, licèt hæc Arrianâ labe ex parte infectos addat. Tantum vero abeſt, ut Franci quantumvis adhuc idololatræ, id impediviſſe videantur, ut potiùs Belgis ac Gallis ſive novâ ſibi ſocietate conjunctis, ſive Marte ſuperatis in talibus ſemper auxilio fuerint; haud tam ab amore aut clementiâ conſilio, quæ virtutes novum Imperium auſpicantibus utiles ſemper ac neceſſariæ ſunt. Idque ſatis ex Genovefæ Pariſienſis, ac Sancti Remigii vitâ compertum. Prorſus ut hæc occaſio unica Procopio fuiſſe videatur, Francos primo illo ſuo in Gallias ingreſſu Chriſtianos exiſtimandi. *Erant enim*, inquit, *utrique Chriſtianæ fidei ſectatores.* verè de noſtratibus Armorichis; falsò de Francis: ita tamen, ut nonnullos eorum ex continuo cum Romanis commercio, & frequentiore etiam commilitio, Chriſti fide imbutos, omnes verò, ac certè primates, ex ſupradicto prudenti conſilio, ac novo fœdere cum Belgis inito, ab inhibendo Chriſtianæ Religionis exercitio alienos, nemo negare poſſit.

S. Evergiſlus Colonienſis Epiſcopus Tungros viſitat.

Apud Sur. 24. Octob.

10. Sed & S. Evergiſlus Colonienſis Archiepiſcopus, S. Severini ſucceſſor, adeo celebris hoc tempore memoratur, ut urbs ipſa ejus occaſione; *ab incolis aurea Colonia appellaretur.* ita enim teſtatur ejus vita, quæ addit: *Poſtquam autem conſenuit, immodico capitis dolore vexatus*, cùm ſanitatem à B. Gereone ſociiſq́ue in eorum templo ferventiùs poſtularet, non eam modò recepit. ſed & eodem olim die *ſanctos illos martyres animas ſuas cœlo reddidiſſe* diviniiùs intellexit. Sequitur maximè ad rem noſtram: *Deinde paſtorali eum urgente curâ, ad Tungros profectus eſt, Idololatriæ ſordes* (ſeu priſtinæ ſuperſtitionis reliquias, ſeu à Francis utcumque reductas) *eliminaturus. Ibi multâ auctoritate ſacras habebat conciones, errantes reducebat in viam. Cùm autem Dominus eum ad laborum præmia evocare vellet, quadam nocte mediâ ſurrexit; & ex more ſolus ad Sanctæ Dei genitricis Monaſterium* (credo Cathedrale) *orandi cauſa ſe contulit. In ipſo autem itinere, pſallente eo, Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum; latrones accurrunt, magnam ſibi ex illo prædam pollicentes: unúſque ex illis celi ictu eum interficit. Sed cùm nihil apud eum, præter ſimplicem veſtem invenirent, ad locum ſecretiorem corpus exanime abſportant, virgultis operiunt, ne prodatur illorum crimen; dolentéſque ſe ſpe fruſtratos aufugiunt.* Manè cæde vulgatâ, *Clerus populúſque properè advolant ad locum ubi corpus jacebat vilis opertum tegmine, funeri debita perſolvunt; orant loci ejus Epiſcopum* (nota) *alioqui voluntarium, ut quo par eſt honore corpus exanime condatur. effertur ergo ſacrum corpus, comitante Clero, & innumerâ populi frequentiâ, cum hymnis congruis, ad B. Dei genitricis Mariæ Oratorium, eo tempore celeberrimum. & celebratis de more exequiis, cum pſalmodiâ & Miſſis, in occulto quodam ejus Eccleſiæ loco reverenter conditur: ne Colonienſes eum vi quandoque auferrent. Ingentes inde virtutes per beati viri merita Dominus eo loci operari dignatus eſt.* adeo ut diu pòſt S. Bruno, Ottonis Imperatoris primi frater, jam Colonienſis Archiepiſcopus, *22. S. Evergiſli ſucceſſor* (verba vitæ Brunonis ſunt) Tungris aliquando tranſiens, ſacrum corpus ſuſtulerit, & Coloniam relatum in Eccleſia S. Cæciliæ 5. Kal. Apr. intulerit: ubi & ingentia ſecuta miracula.

Apud Sur. 11. Octob. c. 47.

Eccleſia B. Mariæ Tungris celeberrima.

11. Hæc de S. Evergiſlo Colonienſi quidem Epiſcopo, ſed Tungris nato, priſca monumenta. cujus mortem ac Martyrium in hæc tempora, certè nunquam poſt annum Chriſti 440. incurriſſe, & Colonienſium Epiſcoporum ſeries, & ejus ætas ſatis evincit. Tungris autem, Beatæ Virginis Eccleſiam aliquam, eo tempore celeberrimam, nec non Epiſcopum peculiarem, licèt anonymum, extitiſſe audimus. Candidum eum quemdam fuiſſe narrant aliqui Leodienſium Annales, ſed vice Epiſcopi ſeu Chorepiſcopum vocant, qui in Tungrenſis Eccleſiæ viduitate Epiſcopalia munia obierit. Verùm quidni ſimpliciter Epiſcopus haberi poſſit, qui Epiſcopi munere functus ſit, nullo alio tunc vivente & cur eo decedente, alius non ſuffectus eſſet? præſertim cum abhinc ad annum Chriſti circiter 514. (ut dixi) octo Epiſcoporum nomina teneamus, qui intermedios 90. præter propter annos, adeoq́ue etiam plures commodiſſimè exhaurire poſſunt. Quæ tamen non ita capi velim, quaſi Tungrorum urbs rum diruta non fuerit; id enim quæ ſuperiùs inferiusq́ue traduntur abundè refellunt; ſed quod Sanctæ Mariæ ſaltem in eâ templum reſtauratum exiſteret; ad quod Epiſcopus Trajecto aliundéve, ob loci vetuſtam ſanctitatem ſubinde ſe referret. Sed neque Anonymum iſtum Tungrenſem Epiſcopum Candidum aſſero: Agricolaum potius aut Urſicinum, qui proximè inſequuntur, ex tempore conjicio.

Candidus Epiſcopus.

An alii tunc in Belgio Epiſcopi?

12. Ita vides per hæc tempora, licèt turbatiſſima, Tungrorum Eccleſiam non modò non ſepultam; ſed & in illo Francici Romaniq́ue Imperii collimitio utcumque florentem, certè Epiſcopo non viduam. De Nerviorum, ſeu Bavacenſium, Tornacenſium, Atrebatum, & Morinorum, nulla planè memoria: tametſi eas quoque his annis caput erexiſſe vix dubitem. Potuit quidem Atrebatum Epiſcopus Diogenes hucuſque vitam propagaſſe; & ut priùs exceſſerit, non multis ante hunc annis id

accciderit,

acciderit; probabili ſuſpicione, nec ei ſucceſſorem defuiſſe.

Treverenſes Archiepiſcopi.

13. Certiores & nominatiores adhuc ſunt Trevirenſes Epiſcopi, nuſquam hiantes aut interrupti. Eorum enim ſeriem iſtam proferunt Indiculi; jam inde à Paulino in exilium ab Conſtantio Arrianorum fautore, anno Chriſti 355. pulſo: *Benoſus, Britto* qui & *Britto Brictonius, & Pritanius* dicitur, *Felix ſecundus*, cujus conſecrationi S. Martinum Treviris anno Chriſti 384. vel 385. interfuiſſe ſuprà diximus. Sequuntur *Mauritius ſecundus S. Leguntius* vel *Leontius, Auctor ſecundus*, & denique *S. Severus*, quem S. Lupi Trecenſis Epiſcopi diſcipulum faciunt. Illud certum ex Sancti Germani vitâ, totius ſanctitatis virum, ejuſdemque Germani ſecundâ in Britannias contra Pelagianos expeditione ſocium adjutoremque fuiſſe; cum *Treviris ordinatus Epiſcopus* (Conſtantii verba ſunt) *gentibus prima Germania*, Ciſrhenanæ ſcilicet ac Belgicæ, *verbum Dei prædicaret*. Secundam iſtam Germani excurſionem, in annum circiter Chriſti 436. incidere, infrà probabimus. ab iſto anno ſi ad initium 385. aut prioris exitum, quo Felicem conſecratum ſtatuimus, regrediare, annos omnino 51. interfluxiſſe reperies. quod temporis intervallum Trevirenſes Indiculi quinis Epiſcopis aptiſſimè concedunt, *Felici* ipſi, *Mauritio, Leguntio, Auctori, & Severo*. ſic enim quatuor priores, in numero quidem annorum pari, vix ſupra 12. ſedere potuerint; aut ſi quis exceſſerit, tanto alterum decreviſſe neceſſe ſit.

E quibus S. Severus Germaniæ Secundæ gentibus prædicat.

Quarum præcipui erant Burgundiones, forte & Alani.

14. *Illas* porrò *Germania Prima gentes*, Burgundiones, & fortaſſis etiam Alanos, quibus ea loca Romani, ab annis circiter 18. conceſſerant, extitiſſe, ſuprà ad annum Chriſti 413. ex Proſpero aliiſque ſtatuimus. Et erant jam inde Burgundiones, in fidem noſtram, ſi non ut Oroſio placet, traducti; certè valde inflexi, ut mirum non ſit, ſi fervens animarum zelo Severus, vicinos iſtos vomere prædicationis excultum iverit. Aliam tamen recentioris iſtius prædicationis occaſionem Socrates innuere videtur. *Rem*, inquit, *plane memorabilem, eodem ferè tempore geſtam*, (nempe circa Theodoſii 13. & Valentiniani tertium Conſulatum, ſeu annum Chriſti 430.) *hoc loco commemorabo. Eſt gens quadam barbara, trans* (imò cis aut ad) *Rhenum fluvium incolens, quas vulgo Burgundiones appellant. Iſti vitam à Rep. gerendâ remotam perpetuò degunt. Sunt enim fabri lignarii omnes, & ſpirituum ea arte ſuſtentant. Hunnorum gens crebrò in eorum fines incurrens, agróſque vaſtans; complures etiam non rarò trucidavit.*) *Illi igitur non ab ullo homine opem petere, ſed Dei cujuſpiam poteſtati ſe totos permittere decernunt. At cum Romanorum Deum fidelibus ſuis certum afferre præſidium recalerent, communi omnes conſenſu ad Chriſti fidem complectendam verſi. Et ad quamdam Galliæ civitatem profecti* (indubiè Trevirenſem & vicinio-rem & celebriorem, tametſi tot excidiis laceram) *poſtulant ab Epiſcopo, Baptiſmo donari. Is* (plane Severus hic noſter) *cum 7. illis jejunii dies præſcripſiſſet, eóſque catechizaſſet, octavo die baptiſmi lavacra tinxit, & cum pace dimiſit. Illi fidenti animo contra tyrannos graduntur; nec ſpes fefellit. Quippe Uptara Hunnorum Rege, cùm ſe cibo nimium ingurgitaſſet, nocte media diſrupto, Hunnos duce carentes adorti, permultos pauci, tria ſcilicet millia contra decem, commiſſo prælio victoriam conſequuntur. Ex hoc tempore gens ea Chriſtianam religionem ardenter excoluit.* Ita Socrates; tametſi nonnullo errore; huc tamen omnino digitum intendens.

De Burgundionibus Socratis hiſtorici opinio. *Lib. 7. c. 30.*

15. Nam Burgundiones primùm ideo trans Rhenum incoluiſſe narrat; tum quia paulò antè verè incoluerant; & nunc licèt cis Rhenum admiſſi, nihil tamen impedit, quin & alteram adhuc ripam utcumque tenuerint. Sane eos nondum interiora Galliæ, puta Lugdunenſem primam aut Sequanos, ſed Belgicæ ad Rheni limitem extima, planeque Germaniam primam tenuiſſe ſignificat. Neque verò Galliarum interiora, ad Ararim Rhodanumque contra eos penetrare Hunnos, tanto à victoribus periculo, Romani permiſiſſent. Contrà, ipſo Imperii limite eos inter ſe committi, lucrum fuit. Addit ab Hunnorum gente crebriùs appetitam; nos etiam deleram mox videbimus. Denique abs una Gallicarum civitate, ejusque Epiſcopo inſtructionem ac baptiſmum petunt impetrantque. Nullam Trevirenſi commodiorem intelligere poſſemus, ut eam cum Epiſcopo ſuo nobis non ingereret in Germani Autiſſiodorenſis vitâ Conſtantius. Burgundionibus ergo, & ſi fortè ſociis Alanis Germaniæ primæ gentibus verbum vitæ prædicarit Severus. Unde ulteriùs aſſequimur, hoc tempore Treviros ſi non prorſus erectos, non tamen adeo deſtructos, ut & ſtantem adhuc Eccleſiam, & ſanctos Paſtores habere non potuerint. Imò quaſdam etiam in eâ urbe Imperii fabricas infuiſſe, paulò inferiùs Imperii notitia ſuggeret. Tantum abeſt, ut eam hoc tempore civitatem Franci tenuerint. Et hæc omnia hiſtoriæ S. Germani conſonia ſunt, in quâ populos & civitates ei cùm iter haberet ultrò occurriſſe, prædicationis verbo refici, benedictionis præſidio firmari poſtulaſſe, crebrò legimus. Adeo jam Chriſti fides per omnem Galliam Belgicamque noſtram, vel in tanta barbarorum confuſione, invaluerat. & quis credat Cæleſtinum Papam, qui hoc anno Germanum ad Britannos toto orbe diviſos, biennio verò pòſt aliam ad remotiores Scotos, ſeu Hibernos Palladium miſit; Belgarum tanto viciniorum & potiorum nullam habiturum rationem memoriámve fuiſſe, ſi ea indiguiſſent, aut Epiſcopis ſuis caruiſſent? præſertim cum iſtis ipſis, quos ad Britannos Scotoſque mittebat, iter per Belgas neceſſariò habendum eſſet.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER DECIMVS-SEXTVS.
Ab anno Chriſti vulgari 435. ad 449. Per annos 15.

CAPUT PRIMUM.

Quadruplex in Galliâ bellum, ab Armoricis, Bagaudis, Burgundionibus, & Gothis.

Annis Chriſti 435. & 436.

Romani in ſeipſos verſi.

QUASI omnia ad ruinam Imperii conſpirarent, non ſoli tam variarum gentium Barbari, ſed & Romani quoque ipſi in illud, id eſt in ſeipſos, verſi, cùm perire nollent, hoc tamen maximè agebant ut perirent. Externo Barbarorum bello, internum quoque & civile adjunxerunt. Romanos hic voco, qui jampridem Romanis ſubditi, in eorum quoque mores ac jura tranſierant; cujuſmodi tum erant Galli Belgæque noſtri, Hiſpani, Afri, Illyrii, Britanni, & ſimiles. hoc eſt, qui ex barbaris à Stilicone nuper immiſſis non erant. Eos Sidonius, Salvianus, Proſper, & alii, Armoricos, non Belgicos, ſed antiquæ acceptionis, & Occidentales; tum Bagaudas appellant. de quibus hîc agendum. Tanti belli cauſas & progreſſum ſi Sidonius aperuiſſet, facem nobis non modicam admoviſſet. Nunc ſui ævi hominibus quaſi de re notiſſimâ loquens, nobis tanto inde tempore disjunctis, non tam ſcientiam, quàm ſciendi ſitim infudit. Sic enim in Aviti ſoceri ſui Panegyrico canit. verſu 547.

Armorici Bagaudis juncti.

Getæ ſeu Gothi & Wiſigothi.

——— Quis noſtrûm Belgica rura,
Litus Aremoricum, Geticas quis moverit iras,
Non latet: his tantis tibi ceſſimus (ô Avite) inclyte bellis:

Multiplex ecce bellum. Aremoricum Bacaudis junctum, Burgundicum, & Gothicum: cujus cauſæ, & ordo Sidonii ætati probè notæ erant; nos jam maximè latent. Armoricos Romanis ab antiquo ſubditos, & Bagaudas, facilè ſuſpicor, nimio tributorum pondere, Præfectorum exactione tyrannicâ, ſuique proſcriptione in rebellionem impulſos. In Barbaros, Burgundiones & Gothos, ea eadem cauſa non poteſt. Si ab Armoricis impulſi non fuerint, quod creditu tamen facile eſt; ab ipſis ſaltem Romanorum diſcordiis, ab dirâ ſolitâque prædandi, regnique ſui proferendi cupidine, calcar hauſerit. Eruderemus:

Annus Chriſti 435. Gallia ulterior Tibatone duce rebellat.

2. Jam primùm omnium Proſper Pithœanus in ſuo Chronico, anno poſt Honorii mortem duodecimo, qui cum vulgato Chriſti 435. componitur, ſcribit: *Gallia ulterior, Tibatonem principem rebellionis ſecuta, à Romanâ ſocietate diſceſſit. A quo tracto initio, omnia pæne Galliarum ſervitia in Bagaudam conſpiravêre. Galliam ulteriorem* hîc vocat, quæ Romanis ultra Ligerim fluvium, in Oceanum porrigitur. & à Sidonio *Litus Aremoricum*, non jam Orientale, ut ſuprà ad annum Chriſti 410. ex Zoſimo Procopioque accipere coacti ſumus; ſed Occidentale, & antiquioris acceptionis intelligitur. Prorſus ut *Gallia* iſta Proſperi *ulterior*, à Septentrione Littore Armorico, à Meridie ſaltem Ligeri amne concludatur. Quo modo etiam Hericus in S. Germani Autiſſiodorenſis Vitâ metricâ accipit; temporis & patriæ ſuæ more:

Quænam illa?

ab Herico in vitâ S. Germani deſcripta.

Gens inter geminos notiſſima clauditur amnes, Ligerim & Sequanam.
Armoricana prius veteri de nomine dicta. nota veteri de nomine, quaſi aliud quoque ſit recentius.
Torva, ferox, ventoſa, procax, incauta, rebellis,
Inconſtans, diſparque ſibi novitatis amore:
Dicere plus, feciſſe minus, taxatur honeſtum.
Regibus hanc fidei nunquam ſervaſſe tenorem,
Sæpius expertum.

Rebellio iſta ſimilis illi, quæ olim ſub Tiberio, à Floro Trevirenſi. *ex Tacito Annal. 3.*

3. Ita Hericus; ad recentiorem credo illam Armoricorum Belgicorum in Vandalorum irruptione, anno 410. rebellionem alludens, forte & ad Julii Flori Trevirenſis, Sacrovirique Ædui antiquam ſub Tiberio rebellionem: ex iiſdem planè cauſis ortam; de quâ ita Tacitus Annali tertio: *Is ſecreto* primò *colloquiis, ferociſſimo quoque aſſumpto; aut quibus ob egeſtatem, aut metum ex flagitiis, maxima peccandi neceſſitudo; componunt, Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos,* ut nunc Armoricos Tibato, *concire. Igitur per conciliabula & cœtus, ſeditioſa diſſerebant, de continuatione tributorum, gravitate fœnoris, ſævitiâ ac ſuperbiâ præſidentium.* Addebant, *diſcordare militem &* Duces. *Egregium reſumendæ libertati tempus; ſi ipſi florentes, quàm inops Italia, quam imbellis urbana plebs; nihil validum in exercitibus, niſi quod externum, cogitarent.* ſe tantum

reſpice-

reſpicerent, & majorum virtutes æmularentur. *Haud ſecmè ulla civitas intacta ſeminibus ejus motûs fuit. Sed erupêre primi.* ſi non ut tunc, *Andecani ac Turonii*, certè qui inde ad Sequanam & Oceanum; Romanorum ſaltem præſidiis minimè cohibiti. Ita Tacitus, plane ad hujus ætatis *Galliam ulteriorem* & Armoricos, *qui Tibatonem Principem rebellionis ſecuti*, ut ſubdit Proſper, *à Romanâ ſocietate diſceſſere.*

Hæc à Tibatone,

4. Sequitur aprè de BAGAUDIS: *A quo tracto initio, omnia penè Gallorum ſervitia, in Bagaudam conſpiravere.* Hic *Bagauda*, non pro quapiam perſonâ, aut Tibatone; ſed pro quadam conſpirationis atque rebellionis teſſerâ, pro communi latrocinio ſumitur. quemadmudum ſupra nobis dictum, aliquot Germaniæ tranſrhenanæ populos in Francorum nomen contra Romanos conſpiraſſe. *Tibato* autem iſte quis fuerit, ſervus an ingenuus, Romanus an barbarus, tacet Proſper. Nomen Romanis inuſitatum, barbarum potiùs aut ſervum notat: ut in hujuſmodi tumultibus ſæpè ſolet. & ſubinnuunt Proſperi ſequentia verba, *omnia penè Gallorum ſervitia in Bagaudam, cum eo conſpiraſſe.* Eorum quoſdam Ingenuos, licèt pauperes, fuiſſe vix dubito; ſed ex Judicum iniquitate, Tributorum tyrannicâ exactione, Præfectorum crudelitate, pauperum ac viduarum oppreſſione, in rebelles, latrones ac Bagaudas evaſiſſe. *Quibus enim aliis rebus BAGAVDÆ facti ſunt*, ait libro ſexto Salvianus verus hujus ævi Jeremias, *niſi iniquitatibus noſtris, niſi improbitatibus Judicum; niſi eorum proſcriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæſtûs proprii emolumenta vertêrunt; & INDICTIONES TRIBVTARIAS, prædas ſuas eſſe fecerunt? Qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum, non rexerunt traditos ſibi, ſed devorarunt: nec ſpoliis tantùm hominum; ut pleríque latrones ſolent; ſed laceratione etiam, & ut ita dicam, ſanguine paſcebantur. Ac ſic actum eſt, ut latrociniis Judicum ſtrangulati homines & necati; inciperent eſſe quaſi barbari, quia non permittebantur eſſe Romani. acquieverunt enim eſſe, quod non erant, quia non permittebantur eſſe quod fuerant: coactíque ſunt ſaltem vitam defendere, quia jam libertatem videbant penitùs perdidiſſe.* Hæc de pauperioribus ac Bagaudis: quos agreſtes aut agricolas Mamertinus appellat; *Ruſticos* Eutropius, & ex eo Hieronymus; Latrones Victor Schotti; *Pauperes* hic Salvianus. qui de honeſtioribus tamen paria dicit, eodem libro 6.

& à Bagaudis.

Quis iſte Tibato, qui Bagaudæ.

ex improbitate Judicũ, & exactionibus tributariis.

Plura de Bagaudis ſuprà libro noſtro 7 cap. 4. §. 2

5. *Inter hæc vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, Orphani proculcantur: in tantum, ut multi eorum, & non obſcuris natalibus editi, & liberaliter inſtituti, ad hoſtes fugiant: ne perſecutionis publicæ afflictione moriantur. quærentes ſcilicet apud Barbaros humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt. Et quamvis ab his ad quos confugiunt, diſcrepent ritu, diſcrepent linguâ; ipſo etiam (ut ita dicam) corporum atque induviarum barbaricarum fœtore diſſentiant; malunt tamen in barbaris pati cultum diſſimilem, quàm in Romanis injuſtitiam ſævientem. Itaque paſſim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios ubique dominantes barbaros migrant; & commigraſſe non pœnitet. Malunt enim ſub ſpecie captivitatis vivere liberi, quàm ſub ſpecie libertatis vivere captivi. Itaque nomen civium Romanorum, aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed magno emptum, nunc ultrò repudiatur ac fugitur: nec vile tantum, ſed & abominabile penè habetur. Et quod eſſe majus teſtimonium Romanæ iniquitatis poteſt; quàm quod plerique & honeſti, & nobiles, & quibus Romanus ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit & honori; ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulſi ſunt, ut nolint eſſe Romani? Et hinc eſt, quod etiam hi, qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen eſſe coguntur: ſcilicet, ut eſt pars magna Hiſpanorum, & non minima Gallorum: omnes denique, quos per univerſum Romanum orbem, fecit Romana iniquitas jam non eſſe Romanos.* Rurſum paulò inferiùs; de Francis in Belgio noſtro tum degentibus:

Multi Romani etiam honeſti, ad Barbaros fugiunt.

Romanum nomen jam vile, & abominabile

6. *Franci hoc ſcelus neſciunt: Hunni ab his ſceleribus immunes ſunt. Nihil horum eſt apud Vandalos, nihil horum eſt apud Gothos. Tam longe enim eſt, ut hæc inter Gothos barbari tolerent, ut ne Romani quidem, qui inter eos vivunt, iſta patiantur. Itaque unum illic Romanorum omnium votum eſt, ne unquam eis neceſſe ſit, in jus tranſire Romanorum. Una & conſentiens illic Romanæ plebis oratio, ut liceat eis vitam, quam agunt, agere cum barbaris. Et miramur ſi non vincantur à noſtris partibus Gothi*, aut etiam Franci; cùm malint apud eos eſſe, quàm apud nos Romani? *Itaque non ſolùm transfugere ab eis ad nos, fratres noſtri nolunt; ſed ut ad eos confugiant, nos relinquunt.* Iſta & plura Salvianus, libro ſuo ſexto, ferè toto. qui ſi expreſſum de Belgarum noſtrorum cum Francis conjunctione ſermonem faceret, non aliter loqui poſſet. Magnum itaque, magnum in Galliis prodiit incendium.

Sub Barbaris multi, quam ſub Romanis vivere malunt.

7. Neque Armoricos tantùm & Bagaudas ea flamma corripuit; ad Burgundiones inſuper & Gothos ſerpſiſſe, notant omnes; Proſper utereque, Idacius, Caſſiodorus, Sidonius, & alii plures ſeu innatâ prædandi libidine, ſeu Romanos, qui ad ſe transfugiebant, vindicandi deſiderio. Ita quà quiſque commodiùs potuit, arma vertit: Armorici in Turones alioſque vicinos, à Romanis adhuc præſidiorum impoſitione ſtantes; Burgundiones è Germaniâ Superiore, ubi tum agitabant, in proprios Belgas, maximè Primos; Treviros nempè, Mediomatrices, Leucos, & Verodunos: Gothi *in vicina primùm municipia, tùm Narbonenſi oppido*, ait Proſper vulgaris, *maxime infeſti*: ſeu ſimul omnes ex condicto conſpirarint; ſeu ex occaſione per ſe, & pro ſe quiſque.

Burgundiones quoque & Gothi rebellant.

CAPUT II.

Qua ratione ad Romanos rebelles iſti reducti?

Iiſdem annis 435. & 436.

1. PLacidiam ergo, Romanos, & Aëtium Ducem jam reſtitutum, ſi non & ideo reſtitutus eſt, non parum concuſſit tanta tamque inopinata tanti belli moles. Et ſanè Occidentis Imperium, tunc à fundamentis revelli viſum. Illyrico, Tranſdanubianæ gentes, ac Hunni maximè inhiabant. Africæ Genſericus Vandalus hucuſque victor incumbebat; jamque bonam partem ſubegerat. Hiſpaniam impunè Suevi percurrebant, Gallæciam tenebant. Britannia contumaciſſimos Pictorum & Saxonum patiebatur incurſus, jamque fatiſcebat. Reliqua erat unica Gallia, occidentis hucuſque

Turbatur Placidia cũ Ducibus. ex tot bellis.

Status Provinciarum primo Illyrici, & Africæ. Hiſpaniæ. Britanniæ. Galliæ. in

quam vi- cs omnes Romanis verſæ.

robur & firmamentum: nunc tantâ tam ſubitâ Armoricorum, Bagaudarum, Burgundionum, & Gothorum conſpiratione, ferè merſa, certè proterenda. Rebus undique libratis, tandem animo ſedit, vires omnes ſimul collectas in Galliam, à quâ grandiua omnino periculum, primò vertere; cum ceteris Barbaris pacem induciáſve tantiſper pangere. *Cum Wandalis* ergo *pax ſtatim facta; data eis ad habitandum per Trigerium Africa portione, Hippone, 3. Idus Februarii, Theodoſio XV. & Valentiniano IV. Coss.* ait Proſperi Chronicon Conſulare. Is Chriſti annus eſt 435. à pace cum Aëtio initâ primus. cujus primordiis, ut vides, *3. Idus Februarii*, vel ut Alcobacienſis Codex exhibet. *5. Kal. Februarii*. pax maturè Vandalis indulta magis neceſſaria, quàm utilis ait Paulus Diaconus lib. 14. Miſc. cap. 11. & Auguſtini ſedes Hippo, cum finitimâ haud dubiè regione, permiſſa: ſuccîſis paulatim Romanarum provinciarum finibus. Suevos ſimiliter in Hiſpaniâ pacem per hoc tempus amplexos indicat Idatius, anno poſt Honorii exceſſum 9. id eſt Chriſti 433. *Regreſſo*, inquit, *ad palatium Cenſorio* (qui jam ante ab Aëtio ſuperatis Francis, ad Suevos cum ipſomet Idatio redeunte miſſus fuerat) *Hermericus* Suevorum Rex *pacem cum Gallacis, quos prædabatur aſſiduè, ſub interventu Epiſcopali, datis ſibi reformat obſidibus.* Britannia per ſe utcumque ſtetit; Saxonibus ſemper infeſtata, mox etiam in eorum poteſtatem redigenda. Hunnos Aëtius recentiſſimè contra Placidiam & Bonifacii fautores ſibi auxiliares adjunxerat; & in Italiam adductos necdum dimiſerat. Eorum igitur ope tam paratâ contra Gallos quoque rebelles, oportunè juxta & prudenter uti ſtatuit. Nec barbarorum aliorum, ut Alanorum, Francorum, & Sarmatarum auxilia Hunnis veroſimiliter ſociata omiſit, uti mox.

Africæ portio Vandalis data; & cum iis pax.

Item cum Suevis in Gallæciâ.

Hunni Romanis auxiliares in Gallos.

Romanus exercitus in tres partes diviſus.

2. Exercitu comparato, in tres eum partes diviſit. Unam contra Burgundiones, credo quia fortiores aut periculoſiores, ipſe cum Avito poſtea Imperatore, abduxit; alteram contra Armoricos & Bagaudas Littorio tradidit, cui ſe quoque Majorianus & ipſe poſtmodum Imperator ſed tunc adhuc juvenis, adjunxit. Tertia eaque, quantum video, debilior, incerto mihi duce in Gothos miſſa. De ſingulis ſigillatim agam.

3. Aëtii copias, Sidonius in Aviti Panegyrico, ipſum Avitum Aëtio tunc ſociatum, alloquens, ita deſcribit, v. 230. & ſeqq.

Aëtium interea, Scythico (Hunnico) *qui ſæpè duello*
Edoctus ſequeris: qui quanquam celſus in armis
Nil ſine te geſſit, cùm plurima tu ſine illo.
Nam poſt Juthungos, & Norica bella, ſubacto
Victor Vindelico; BELGAM, BURGUNDIO quẽ trux
Preſſerat, abſolvit, junctus tibi (ô Avite.) *vincitur illic*
Curſu Herulus, Chunnus jaculis, FRANCUSQUE natatu,
Sauromata clypeo, SALIUS pede, falce Gelonus.
Vulnere vel ſi quis plangit, cui fleſſe periſſe eſt,
Ac ferro perarâſſe genas, vultúque minaci
Rubra cicatricum veſtigia defodiſſe.

Romanorũ auxiliares barbari.

Ecce ſi non omnes, præcipuos ſaltem Aëtii adverſus Burgundionum gentem auxiliares, ſapienter commiſsâ in ſeipſam Barbarie. In iis *Francos* noſtros, & qui *Francorum* gens, *Salios* audis. ut non mireris ſi in hujus rebellionis partem non venerint, perfidiæ alioqui notâ per hæc tempora infames.

etiam Franci.

Qui meminerit, ante quinquennium prælio iterato ab Aëtio probè attritos, nihiloque minus amicâ & forſan inſperatâ pace obſtrictos; facilè intelliget, præmaturam illis Chlogionique Regi futuram fuiſſe rebellionem hanc: & quando litis hujus ſpectatores ſedere commodè non liceret, decentius tutiusque viſum, Aëtio qui pacem dederat, adhærere; quàm qui ab Aëtio tunc contra ſe ſteterant, aut certè ſibi non ſuccurrerant, Burgundionibus. Hunni, paulò ante ab iiſdem, cæſo Rege Uptaro, fere protrini, vindictæ cupidine ardebant; eoque gnavam Aëtio præſtitere operam. Iſtis auxiliaribus in eos accinctus eſt Aëtius.

4. Quid hoc bello Burgundiones ipſi præſtiterint, quas in ſpecie clades Romanis intulerint, nulla penè memoria eſt; Tantum illud habemus Sidonii, *Belgam Burgundio quem trux Preſſerat.* Sane Germaniæ Primæ, in quâ tum Burgundiones, BELGICA item Prima adjacet: eoque vaſtationibus eorum primò obvia & expoſita. In Trevirtos igitur, & Mediomatricas, & Leucos ea maximè depopulatio incubuerit. quò magis ad Armoricos accederent. An & in Treviros, dubito; quando ibi Severus eorum Apoſtolus agitabat; & FRANCI contigui non facile eos, quibus & jam pridem inhiarent ipſi, in corrivalium poteſtatem labi permiſiſſent, inſito à naturâ in pares livore. Nec erat è Treviris quadruplici tunc vaſtatione proſtratis magna prædæ ſpes. Quidquid ſubfuerit, ingens ab iis incubuiſſe periculum, ſi non & ſtragem, indicat adverſus ipſos ab ſummo Duce Aëtio ipſo ſuſcepta expeditio, Armoricis etiam, Bagaudis, Gothisque poſthabitis, & minorum Ducum operæ relictis.

In Belgam Primam maximè irrupere Burgundiones.

5. Contrà quid in eos præſtiterit Aëtius, ita Proſper vulgatus: *Eodem tempore*, quo nimirum pax facta cùm Vandalis, *Gundicarium Burgundionum Regem, intra Gallias habitantem* (& *Belgas*, ut Sidonius, *prementem*) *Aëtius bello obtrivit. pacémque ei ſupplicanti dedit.* Et Pithœanus licèt anno ſequenti; omnia compendioſè narrans. *Bellum cum Burgundionum Rege memorabile exarſit.* Idatius: *XII. Burgundiones, qui rebellaverant à Romanis* (nota verbum rebellionis) *Duce Aëtio debellantur.* Ita & Caſſiodori Chronicon, iiſdem Conſulibus. Pacis, quam Gundicario ſupplicanti dedit Aëtius, conditiones nemo tangit. Nec magnopere intereſt, quando proxime deletos Burgundiones videbimus. Benè cum iis actum, ſi primas cis Rhenum ſedes retinere potuerint. Et Aëtius interim Belgicæ primæ, Trevirisque reſocillandis ſe tantiſper impenderit, Sed *non diu Gundicarius eâ pace potitus eſt.* pergit Proſper vulgatus: *Siquidem illum Hunni cum populo ſuo atque ſtirpe deleverunt.* & Caſſiodorus, *Quem non multo pòſt Hunni peremerunt.* *Non diu*, aut *non multo pòſt*, inquiunt; nempe ſequenti anno Chriſti 436. ut expreſsè Idatius, qui iſto anno, ab Honorii morte XIII. *Aëtio*, inquit, *Duce & Magiſtro militum* (nempe ita volente) *Burgundionum cæſa viginti millia*; utique cum ipſo Rege. quod Pithœanus Proſper hoc item anno ab Honorii morte *XIII.* notat; *bellum contra Burgundiones memorabile; quo univerſa penè gens cum Rege per Aëtium deleta.* Rebellarant ſcilicet Burgundi. eoque irritatior Aëtius Hunnos eis immiſerit; qui perfidum Regem cum ſtirpe funditùs extirparunt: ingenti ut credo vindictæ dulcedine.

Quos cum Rege delet Aëtius.

6. Hic

Burgundionum in Gallus prima ſedes, Germania Superior; poſterior in Sabaudiâ.

6. Hic finis Burgundici, in Germaniâ quidem ſuperiore regni fuit, quod annos 23. ſtetit. Et ſeptimo abhinc reliquiæ gentis in Sabaudiam Genevamque victoris arbitrio tranſlatæ; in majus iterum nomen, ſub alterius tamen ſtirpis Regibus ſurrecturæ. moxque ad Ararim & Lugdunū uſque propagandæ. Genevam quidem & Sabaudiam primas Burgundionum ſedes omnes agnoſcunt. quod tamen nonniſi de iterato eorum exortu dici poteſt; quando Proſper Pithœanus, ſeptennio ab hac eorum clade primâ, eò traſlatos tam apertè teſtatur. Et quomodo tranſlati, ſi à primâ cis Rhenum migratione ibi agitaſſent? Quòd ſi tranſlati, utique aliunde; & unde, niſi ex Germania prima, quò ſe vicinus Trevirorum Epiſcopus ad eorum Catechizationem contulit Severus? Sed de Severo infrà fuſiùs. Atque hinc manaſſe exiſtimo, cur Salvianus, cùm ceteros omnes qui Gallias vaſtavere Barbaros nominaret, nullam tamen Burgundionum mentionem inferat. Scilicet cum aureos illos de Dei gubernatione libros exararet, proſtrati jacebant, Rege carebant: nec niſi poſt librorum eorum editionem, quam circa annum Chriſti 441. aut 442. factam mox oſtendam, in Sabaudiam cum indigenis admiſſi. Atque hæc de Burgundionum bello: quo Belgica noſtra de novo attrita, teſte Sidonio. licèt à nuperâ Francorum vaſtatione vix quinto anno reſpiraret. Adeo & ipſa eum Imperio Romano miſera ruebat.

ARMORICANUM BELLUM. Duce Littorio.

7. ARMORICANUM ſeu Galliæ ulterioris, Bagaudicumque bellum, Littorius, ut dixi, Aëtii mandato gerebat interea, anno item Chriſti 435. vir ut ex ſequentibus elucebit Ethnicus, tametſi fortis & impiger. Geſta ejus in hoc bello perierunt omnia; nec niſi breve illud ex Sidonii carmine 7. v. 246. habemus elogium; *Littorius tum forte ſubacto Celſus Aremorico.* & illi tum quoque militavit in minoribus Majorianus adhuc juvenis, poſtea Princeps; de quo ita idem Sidonius carm. 5. v. 206. & ſeqq.

Qui gentem ſubegit. ſocio Majoriano.

——— Iſtum jam Gallia laudat,
Quodque per Europam eſt. rigidis hunc abluit undis
Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana, Ledus,
Clitis, Elaris, Atax, Vachalis: Ligerimque bipenni
Exciſum per fruſta bibit, cum bella timentes
Defendit Turonos. aberas. ô Aëti ſcilicet, ad quem ibi ſermo.

& Turonos contra Bagaudas & Armoricos defendente.

Fluvii ſunt omnes iſti Galliarum, eoſque diverſis Majoriani militiis luſtratos canit. *Rhenus*, & Rheni pars *Vahalis*, *Moſa* item, & ex parte *Matrona* Belgicam noſtram irrigant; Lugdunenſem *Arar*, *Sequana*, *Ligeris*; Viennenſem ſeu Narbonenſem *Rhodanus*, *Ledus*, & Atax. quorum Ledus è *Cemmeno* ſeu Gebenna monte ad montem Peſſulum, Atax ad Narbonem in mare mediterraneum evolvuntur. Aquitaniam primam in Arvernis ſecat *Elaris*, alias *Elaver*; ſecundam in Pictonibus *Clitis*, qui idem juxta Papyrium Maſſonum eſt *Clanus*. Ita quatuor id eſt omnes Galliarum partes Majorianus ſuis expeditionibus percurriſſet, verè, an auxeſi poëticâ. Id ad rem noſtram maximè, cùm *Ligerim bipenni exciſam*, id eſt gelu duratum *per fruſta bibit, cùm bella timentes Defendit Turonos.* Ea ſcilicet hyeme, quæ annos Chriſti 435. & 436. interfluxit; cùm Turonos, ab Armoricis & Bagaudis, ut opinor, infeſtatos, ſeu præſidii impoſiti Præfectus, ſeu foris auxilio à Littorio ſubmiſſus, ſtrenuè feliciterque defendit. Interim hic mecum notet Lector an Sidonius, cùm inter tot fluvios, ſeu tot gentes a Majoriano tunc initas percurſáſve; non Rhenum ſolùm ac Moſam, inter quos tunc ſub Chlogione degebant ex pacto Franci; ſed & Vachalim, Rheni partem infimam, planeque Batavicam recenſet; an, inquam, aliam à Francis gentem & quam intelligat? Mihi certè ſolæ Saxonica & Friſica, ſibi confœderatæ occurrunt. An ad eas Majorianus, ut pacaret, aut Romanis contra alios adjungeret, excurrerit, cogitare poteſt Lector. Addit denique Sidonius, cum *Turones defendit* Majorianus, Aëtium à bello illo tum *abfuiſſe*; credo contra Burgundiones adhuc bellantem. Niſi fortè deletis ferè jam illis, Ravennam Romámve, ad Conſulatum ſuum ſecundum, inituro mox anno Chriſti 437. ſuſcipiendum abituriret. quando Conſulatus ille iteratus, in victoriæ Burgundicæ præmium, indultus ex temporis conjunctione videri poteſt. Vero ſimile tamen eſt, Armoricos anno priore 435. victos, iterum anno proximè ſecuto 436. cùm Littorius eorum victor, Narboni ſuccurſurus contra Gothos excurriſſet, iterum, inquam, de more rebellaſſe. de quo mox.

& quidem in hyeme, Ligeri congelato.

An ille etiã ad Vahalim?

Aëtius iterum Cóſul. Anno Chriſti 437. in victoriæ præmium.

8. Anno certè illo 436. bellum hoc adhuc perduraſſe, docet Proſper Pithœi, cùm poſt Burgundionum gentem cum Rege deletam, iſta immediatè ſubjungit: *XIV. Capto Tibatone, & ceteris ſeditionis principibus partim vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquieſcit.* Ita ibi ad annum ab Honorii obitu XIV. qui eſſet Chriſti 437. ſi nulla intercurſat confuſio. Sed nihil obſtat, quo minus Aremorici anno anteriore ſubacti ſint, Bagaudis adhuc moventibus; Aremorici quippe intra certos limites coſtricti, nec omnes æquè rebelles, faciliùs & citiùs; Bagaudæ, vagorum & deſperatorum hominum genus, latiuſque fuſum, tardiùs atque difficiliùs; niſi forte contemptu dilati ſint. & cunctis Galliarum urbibus antè reductis, facilior eorum erat extinctio. Denique ut ſimul victi fuerint, exile eſt unius anni diſcrimen.

Tibatocaptus; & Bagaudæ pacati.

GOTHICUM bellum,

9. Reliquum eſt GOTHICUM in Aquitaniâ Narbonenſive bellum. quod hoc item anno, æquè ab Honorii exceſſu XII. ſeu Chriſti 435. ab Narbonis obſidione cœpiſſe clarè teſtatur Idatii Chronicon. Nec Proſper vulgaris adverſatur. licèt enim ſub ſequentis anni 436. *Conſulibus Iſidoro & Senatore*, narrationem ejus texere incipiat, cùm tamen Narbonam iiſdem Coſs. liberatam ſcribit, *diu* (nota) antè obſeſſam; ſat innuit Gothici quoque belli, ut binorum priorum primordia, ad annum Chriſti 435. ſimiliter referenda. Sic igitur ille: *Gothi pacis placita perturbant: & pleráque municipia, vicina ſedibus ſuis, occupant; Narbonenſi oppido maximè infeſti.* Cujus nimirum occupatione, terreſtre Romanis in Hiſpaniam, (cui & inhiabant) iter intercipiebant. *Quod* (oppidum Narbonenſe, pergit Proſper) *cùm diu* (uno reor anno) *obſidione & fame laboraret, per Littorium Comitem ab utroque periculo liberatum eſt. Siquidem per ſingulos Equites binis tritici modiis advectis, ſtrenuſſimè & hoſtes in fugam vertit, & civitatem annonâ implevit.* Breviùs Idacius anno 436. *XIII. Narbona* (quæ illi priore anno *obſideri cœpta per Gothos*) *obſidione liberatur.*

quo Narbona obſeſſa.

ſed per Littorium liberata.

10. De diuturna ejus obſidione & ingenti fame ita quoque canit Sidonius, Panegyrico Aviti, verſ 475. ſed ſolutæ obſidionis laudem tribuit

Sidonii de Narbonis obſidione & fame teſtimonium

Sſ 4 Avito,

Avito, nullâ omnino Littorii mentione:

—— *Narbonem tabe ſolutum*, Theodoricus primus Rex
Ambierat (*tu*, ô Thœdorice ſecunde ejus fili, *parvus eras*) *trepidantia tingens*
Millia, in inſanos jam jámque toegerat eſcas:
Jam triſtis propria credebat deſore præda
Si clauſus fortaſſe perit. cùm noſtra probavit
Conſilia, & refugo laxavit mœnia bello.

Ita de ſe Avitus ad Theodoricum ſecundum, primi qui Narbonem jam obſedit filium, viceſimo poſt hunc anno. Nec Sidonius tamen hic Proſpero repugnat, quamvis pace obtentum canit, quod Littorii armis dicit Proſper. Nihil enim obſtat, quin & annonam Littorius vi intulerit, & Gothus id videns ea Aviti conſilio pacem quærens abſceſſerit. & verè pax inde nata. uti mox. Porro, quod Sidonius ingerit, *trepidantia tingens Millia*, firmat id quod ſuprà monuimus, Aëtium contra Gothos tertiam copiarum ſuarum partem incognito nobis Duce miſiſſe; ſed eam non ita validam, quæ patente campo poſſet ſe Gothis fortioribus opponere. Unde & prælii aleam fugiens Narbone ſe recluſit, & longâ obſidione bellum diu prudenterque traxit, donec Aëtius Littoriúſve victor opem ferre poſſet: ut hic verè tulit.

Littorius ex Armorico victo, & Narbone liberato, illuſtris.

11. Ad hanc quoque Littorii expeditionem, refero itidem hos Sidonii verſus, ex Aviti Panegyrico.

Littorius Scythicos Equites, tum forte SUBACTO
CELSUS AREMORICO, *Getrum ſeu Gothicum, rapiebat in agmen,*
Per terras Arverne tuas. qui (Scythici ſeu Hunni) *proxima quæq;*
Diſcurſu, flammis, ferro, feritate, rapinis,
Delebant, pacis fallentes nomen inane.

Scio nonnullos hæc ad annum Chriſti 437. referre. ſed Proſpero & Idatio teſtibus oculatis adverſantur, qui clarè ad annum priorem nempe Chriſti 436. adſcribunt. Scythicos autem ſeu Hunnicos iſtos Equites vel ſecum contra Armoricos Littorius habuerit, vel potiùs ab Aëtio jam Burgundionum victore acceperit. Aptiſſimè autem verbum *rapiebat*, hic ponitur; quia extremum jam erat Narbonæ periculum; & Equites magis propriè quàm pedites rapiuntur. prorſus ut Gothis Littorius inopinatò ſuperveniſſe videatur. Nec dubitandum, quin ſtatim ut per victos Aremoricos Burgundicosque ſubactos licuit, eam Littorius opem Narboni jam animam agenti intulerit. Rurſum acceptoaab Aëtio è Germania prima ubi tum agitabant Burgundiones, Equites *per Arvernorum terras* Narbonam rectiſſimâ viâ rapuerit. Utcumque ſit, pax tunc Gothis, non minus quàm ceteris indulta. quando ab hinc biennio rupta dicitur à Proſpero vulgari. Rupta & ab Armoricis ſi non anno citius; quando mobilem hunc populum ſæpiùs hoc tempore rebellaſſe, S. Germani vita, Proſperque Pithœanus ſatis indicant; certè non multò pòſt, ut infra. Soli Burgundiones diutiùs quievere; ſtirpitùs fere deleti. donec novâ ſobole rurſus adoleſcerent.

Aëtius è victoria iterum Cōſul; Littorius ſecunda ab eō poteſtate.

12. Tribus hiſce bellis vix toto bienno utcúmque compoſitis, Duces præmio ſuo non caruere. Aëtius Conſulatum ſecundum anno ſequenti 437. collegâ Sigiſvulto meruit, ut jam tetigi: quem ut ſolenniùs iniret, in Italiam durante adhuc anno Chriſti 436. rediiſſe videtur. Littorius *ſecunda ab Aëtio poteſtate* (ut Proſper vulg. anno 439) *Hunnis auxiliaribus*, credo & reliquis in Galliâ militibus *præeſſe* juſſus. Avito Præfectura Prætorii Gallicani delata, ut Sidonius in ejus Panegyrico verſ. 297. & 313. Majoriano altior aliquis militiæ gradus obtigerit, etſi nondum mihi compertus. Certè *Poſt tempore parvo* Pugnavit cum Aëtio, *Prantus quà Clojo patentes Atrebatum campos pervaſerat*. &c. tanti ſcilicet eum faciebat Aëtius, ut ſocium tanti belli ſexennio ferè pòſt geſti, aſſumeret, haud dubiè altiore jam militiæ gradu ſubvectum. Imperii interim vires tot bellis attererebantur, præſertim inteſtinis.

CAPUT III.

Iterata Germani in Britanniam excurſio, reditus: pro Armoricanis interceſſio, & mors.

Annis Chriſti 436. & 437.

1. DUm hæc in Gallia geruntur, *S. Germanus Autiſiodorenſis Epiſcopus*, qui per hæc tempora *virtutibus & vitæ diſtrictione clareſcebat*, ut Proſper Pithœi; iteratam in Britannos contra Pelagianos ſuſcepit expeditionem, anno Chriſti 436. quantum perſpicio. Nam cùm ſequenti mortuum variis argumentis opinemur, uno ſaltem antè anno iter illud iniit, Burgundionibus ſcilicet jam deletis, Armoricis & Bagaudis valde repreſſis, ac proinde ſoluto in Britanniam è Belgicâ trajectu libero. Hiſtoriam omnem à Conſtantio in Germani vitâ deſcriptam huc transferre juvat, quod Galliæ Britanniæque, imò ex proclivi conjecturâ etiam Belgicæ noſtræ ſtatum exhibeat. & in tantâ hiſtoriæ caligine, nihil non prodeſt. Sic igitur ille lib. 2. cap. 1. & ſeqq.

Secunda S. Germani in Britanniam excurſio Anno Chriſti 416.

2. *Interea ex Britanniis nunciatur, Pelagianam perverſitatem iterato paucis authoribus dilatari. Rurſumq; ad beatiſſimum Germanum preces omnium deferuntur; ut cauſam Dei, quàm priùs* (ante ſexennium ſcilicet) *obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni feſtinus occurrit, dùm & laboribus delectatur, & Chriſto ſe gratanter impendit. Adjuncto itaque* SEVERO *Epiſcopo totius ſanctitatis viro, qui tunc Treviris ordinatus Epiſcopus, gentibus Primæ Germaniæ* (tum debellatis aut reductis) *verbum vitæ prædicabat*, (& prædicationem ob eorum bella probabiliter intermittere cogebatur) *Pariſios iterato dum expetit* (nempe prioris itineris paſſibus inſiſtens) *totius plebis plauſu, ut tantum virum decebat, excipitur. Intereà pignoris ibidem dudum* (jam à 6. annis ſcilicet) *à ſe ſpecialiter commendati non immemor, de puellâ Genoveſâ, qualiter ſe habeat, attentiùs ſciſcitatur. Credo S. virum minimè latuiſſe, quæ & qualia poſt ejus diſceſſum, ab obloquentibus Virgo beata pertulerat, infamias, probra, criminationes, cunctas poſtremò, quæ à lividis manare aſſolent, ſimultates. Atque ut eorum irrevocabilem in malo pertinaciam par eſſet agnoſcere, iniqua mentis virus, & jamdudum concepta molimina, nec in ipſa viri ſancti præſentiâ aliquatenus potuere ſupprimere. Verum ille,*

Cum Severo Treviren ſi Epiſcopo, Germaniæ Primæ Apoſtolo. Prima Germania tūc à Burgundionibus infeſta ... erat ab ... Aëtio ... an Severus ideo ... & ſocium ſ Germano in Britanniam dedit, quia tunc ... grave bellum, & mox Burgundionum ... Ac primo Pariſios venit.

Ubi S. Genovefam ſalutat, honorat,

cui meliùs quàm ipſis ſuit etiam eſſet parentibus nota, obtrectantium garrulitate poſthabitâ, ad Virginis ſe diverſorium contulit, atque hanc non ſine ingenti ſtupore intuentium, adeo humiliter ſalutavit, ut adverteret eum in illâ ipſius divinitatis, cujus erat templum præſentiam fuiſſe veneratum. Et ne adventus Pontificis beati ſacra virgini nil contuliſſe videretur, néve ejus inter improbos perſona inexpurgata remaneret, habito ſermone ad populum, quanti eſſet apud Deum meriti evidenter expoſuit.

& cum malevolis conciliat.

atentem terram, cui orans ſuperjacere conſueverat, frequenti lacrymarum imbre madentem oſtentans. Itaq; univerſorum animis erga innocentem compoſitis, iter præmaturans inceptum, mare (credo ad Bononiam) *conſcendit*, & feliciter Britanniam tenet.

Britanniam ingreditur, omnium occurſu.

3. *Veniunt Sacerdotes, occurrit inſcia multitudo. confeſtim benedictio & ſermonis divini doctrina profunduntur. Recognoſcit populum in eâ, quam reliquerat, credulitate durantem: intelligit culpam eſſe paucorum. inquirunt auctores, inventóſque condemnant.* Germanus membris contractum Elaphii regionis illius primi filium ſanat; eóque miraculo fidem Catholicam firmat. *Prædicatio deinde ad plebem de prævaricationis emendatione convertitur; omniúmque ſententiâ pravitatis authores expulſi ab inſulâ, Sacerdotibus adducuntur, ad mediterranea* (Galliæ continentem credo) *deferendi: ut & regio abſolutione, & illi emendatione fruerentur. Quod in tantum ſalubriter factum eſt, ut in illis locis etiam nunc* (nempe anno circiter 470. aut 480. quibus hanc Sancti Germani vitam Conſtantius edidit) *fides intemerata perduret. Itaq; compoſitis omnibus, beatiſſimi Sacerdotes, eâ quâ venerant proſperitate reverſi ſunt.* Hæc Conſtantius.

Miraculis, & prædicatione Fidem ibi confirmat.

In Galliam redit.

ANNUS Chriſti 437.

4. Quibus apprimè conveniunt, quæ Camdenus pag. 94. ex Ninnio profert. ſcilicet *B. Germanum Autiſſiodorenſem è Britanniâ reverſum poſt Vortigerni mortem.* Rurſum pag. ſeq. 95. in quibuſdam Ninnii Manuſcriptis inveniſſe ſe addit: *A Regno Guortigerni ad diſcordiam Guitolini & Ambroſii anni ſunt duodecim.* Quibus inquitur Guortigernum poſt regni annos 12. morte abſumptum. indeque pro ſucceſſione natam Guitolini & Ambroſii diſcordiam. Nos ab ineunte Chriſti anno 425. Vortigerni regnum, ſuprà advocavimus. Ab eo, ad ineuntem 437. quo ſecundum hunc S. Germani in Gallias è Britanniâ reditum ſtatuimus, anni rectè 12. interfluunt. Et Ambroſius commodè paulò antè cum ſuis in Vortigernum, ſive Germano veriſimiliter hortante, ſive libertatis amore, ſurrexerit, *eum in Cambria deliteſcentem in urbe Gevoren ſuper fluvium Gavien obſederit*, ac denique cum ipſa urbe igne conſumpſerit; Regnum ejus occupârit; ſi Galfrido quidem, lib. 8. cap. 2. fides ulla. quem tamen utcumque confirmant Camdenus, pag. 478., ac Joannes Spidus Britano. lib. 2. cap. 8. pag. 111. cùm ſcribunt, *Vortigernum in Raduonenſi Cambriæ ſeu Walliæ Comitatu* (*quâ ferè deſertus eſt, quoque ille confugerat*) *igne cœlitus demiſſo cum ſuâ ipſius filiâ, horrendo inceſtu ſibi in uxorem acceptâ, deflagraſſe.* Vortigerni morte Saxones, jam ante in Inſulam admiſſi, eique juncti, in Ambroſium inſurrexerint; facileque illum, cum Guitolino præſertim (ſeu Londinenſi Archiepiſcopo, ſeu quo alio) diſcordem ſuperaverint; Britannos in ſuam denique poteſtatem redegerint. Proſper certè Pithœanus in Chronico paulò antè Carthaginem à Vandalis captam (quod anno Chriſti 439. Octobris 19. factum conſtat) diſertè ſcribit; *Britanniæ uſque ad hoc tempus variis*

Vortigerni Britanniæ in Cambriâ funeſta mors.

Eodem anno Chriſti 437.

cladibus eventibúsque latæ, in ditionem Saxonum rediguntur. Nulla enim deinceps in eas Romanorum expeditio, nullum ab iis Ambroſio ceteriſve contra Saxones auxilium. Ex quibus omnibus vides Britannias, annis præter propter decem, in Saxonum ditionem redactas; ſeriò certè redigi cœptas, priùs quàm eos in Inſulam à Vortigerno advocatos admiſſóſve ſciſcit Beda: Imò ſuprà quoque monui, annis plus 20. antequam Beda putet, admiſſos: Quare, & annum illum quem ab eorum adventu 44. ſupputant, quo item ad montem Badonicum a ſupradicto Ambroſio devicti ſunt, & quo denique natum ſe Gildas ſcribit; non cum Chriſti 493. (ut paſſim faciunt) ſed cum 471. componendum; annis omnino viginti duobus anteriùs: quibus quoque tanto ſenior eſt Gildas. Sed de S. Germano pertexat reliqua Conſtantius.

Ita Saxones Britanniam ſuam faciũt

5. *Vix domum de tranſmarinâ expeditione remeaverat, & jam legatio Armoricani tractus fatigationem beati Antiſtitis ambiebat. Offenſus enim ſuperbæ inſolentiâ regionis vir magnificus Aëtius, qui tum Remp. gubernabat, Eocharich ferociſſimo Alanorum Regi loca illa inclinanda pro rebellionis* (nota) *præſumptione permiſerat; quæ ille aviditate barbaricæ cupiditatis inhiaverat. Itaque genti bellicoſiſſimæ, Regíque idolorum miniſtro, obiicitur ſenex unus. Nec mora, feſtinus egreditur quia imminebat bellicus apparatus. jam progreſſa gens fuerat, totúmque iter equeſtri ferratus impleverat. Regi Sacerdos occurrit in itinere jam progreſſo: medióque interprete, primùm preces ſupplices fundit; deinde increpat differentem: ad extremum manu injectâ, freni habenas invadit, atque in eo loco univerſum ſiſtit exercitum. Ad hæc Rex ferociſſimus admirationem pro iracundiâ, Deo imperante, concepit; ad ſtationem quietam cum Sacerdote ſe recipit: pacis ſecuritatem pollicetur; eâ conditione, ut venia, quam ipſe præſtiterat, ab Imperatore vel ab Aëtio peteretur.*

Ubi ab Armoricis pro pace interponitur.

Quam à Rege Alanorũ, & ab Aëtio impetrat.

6. *Exinde Italiam petiturus* Sacerdos *egreditur*. ſcilicet ubi Imperator, fortè & Aëtius Conſul agebant. Ac licèt paucos ſecum duceret, *iter tamen occurrentibus ab hominibus conſtipabatur in tantum, ut per omnes aggeres, quos in itinere ſuo illuſtrator reliquit, uſque in hodiernum diem, ubicumque aut oravit aut docuit, Oratoria, cellulæ, & ſigna Crucis* (nota contra Calvinianos) *elata præfulgeant.* Auguſtoduno & intermediis urbibus Alpes petiit; Mediolanum urbem opulentiſſimam ingreditur, *die Sanctorum ſolennitate venerabili*, Gervaſii credo & Protaſii, 19. Junii. Illic alibíque multis illuſtratus miraculis, tandem Ravennam pervenit; ubi Petrus Chryſologus erat Epiſcopus, *Placidia Regina cum filio Valentiniano jam juvene Romanum regebat imperium: Patricius* autem *Sigiſvultus*, Conſulis Aëtii hoc anno collega. cujus cancellis præpoſitum Voluſiani cujuſdam filium febre abſumptum, Germanus à morte ſuſcitavit; *Acholii verò Eunuchi, tum præpoſiti regalis cubiculi alumnum jam juvenem liberaliter inſtitutum, ſed dæmonio vexatum, Regina & procerum rogatu ſanavit.*

In Italiam ad Imperatorẽ tendit.

Auguſtoduno, & Mediolano.

Ravennam pervenit; ubi plura edit miracula.

7. Poſt quæ & plura, tandem Conſtantius ita concludit: *Cauſam ſanè Armoricanæ regionis, quæ neceſſitatem peregrinationis indixerat, obtentâ veniâ, & ſecuritate perpetuâ, ad proprium obtinuiſſet arbitrium, niſi titubationis perfidia mobilem & indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam* (iterum nota) *revocaſſet. Quo facto, & interceſſio Sacerdotis evanuit, &*

Imperialis

Imperialis credulitas circumſcriptione fruſtrata eſt. Qui tamen pro calliditate multiplici, brevi pœnas perfidæ temeritatis exolvit. Ita Conſtantius, qui paucis pòſt diebus Pontificis mortem Ravennæ ſecutam deſcribit, *pridie Kalendas Auguſtas, cùm ſediſſet annos 30. dies 25. relatúmque corpus Autiſſiodorum, ibique ſepultum Kalendis Octobribus* proximè ſecutis. Quæ omnia ad hunc Chriſti annum 437. (non ut quidam 435.) retuli, multis rationibus. Primùm enim ita exigit hiſtoriæ ſeries; tum *Valentinianum* Conſtantius *jam juvenem* fuiſſe notat, nempe conjugio proximum, quod hujus anni exitu iniit, uti mox. Ad hæc cap. 20. ſcribit, Germanum *ſeptimo incommodi* ſeu morbi die, defunctum. & cap. 19. dixerat, *quadam die matutinali ſolemnitate peractâ*, credo Dominicâ, mortem ſuam prædixiſſe. Si ea fuit prima morbi dies, & ſeptima, ante mortem ultimo Julii obitam, fuerit ejuſdem Julii 25. è cujus regione poſita litera C. hoc anno Chriſti 437. Dominicalis; rectè eam diem Dominicè ſolennitate inſignem notat. atque ita Sabbathô migraſſet Germanus. Quod etiam Epiſcopatûs ejus initium confirmat. nam cum 30. annos, dies 25. ſediſſe dicatur planè conſecratum ejus in annum Chriſti 407. & diem Julii 7. incurrerit; rectè eo anno Dominicam, littera Dominicali F. cujus ſolennitate ſolent ejuſmodi conſecrationes pleruinque contingere.

Et pace fere impetratâ, moritur. die ultima Julii.

8. Ceterùm, cùm Conſtantius addit Armoricos mobiles & perfidos ad rebellionem priſtinam relapſos; propter quam S. Germani interceſſio evanuerit, & Imperialis credulitas fruſtrata ſit; demumque Armoricos brevi pœnas perfidæ temeritatis exolviſſe; idem quod Proſper Pithœanus aliquot poſthac annis inſinuat, nempe Eocharico ſupradicto Alanorum Regi miſſum traditos, & ſubactos. Sic enim ille: *XIX. Alani, quibus terra Galliæ ulterioris, cum incolis dividenda à Patricio Aetio tradita fuerant, reſiſtentes armis ſubigunt; & expulſis dominis, terræ poſſeſſionem vi adipiſcuntur.* Quo fortaſſis alludens & Jornandes Getic. cap. 43. *Alanos* ſcribit *trans Ligerim conſiſtentes*, ab Attilâ, ſecundâ illius circa annum Chriſti 453. in Gallias irruptione impetitos. de quo infrà. Ecce interim etiam apud Jornandem Alanos trans Ligerim ſitos. Prorſus uti non malè fortè conjiceret, qui Alenconium non incelebre ſupra Cenomanos oppidum, ab Alanis ibi tum poſitis nomen inveniſſe diceret: quaſi Alanorum conventum. Ita quod Eocharich primo ſuo procinctu non effecerat; ſecundo tandem compleverit.

Armorici iterum rebelles puniuntur.

Alanis ab Aetio traduntur; qui eos ſubigunt.

CAPUT IV.

Valentiniani Aug. cum Eudociâ nuptiæ. Littorii Ducis mors. Pax cum Gothis. Alanis & Burgundionibus novæ ſedes datæ.

Annis Chriſti 437. & 439.

ANNO Chriſti 437.

1. SVb hujus ejuſdem anni Chriſti 437. Conſulibus, Aëtio ſecundùm & Sigiſvulto patricio, addunt Proſper, Caſſiodorus, Marcellinus, & Chronicon Alexandrinum à Radero noſtro editum, *Valentinianus Imperator Româ digreſſus, ad Theodoſium Principem Conſtantinopolim proficiſcitur; ad copulandam ſibi matrimonio Eudociam illius filiam, quam dudum deſponſaverat. Et Conſtantinopolim 12. Kal. Novembris ingreſſus, nuptias cum Eudoxia Theodoſii, & Eudociæ filiâ 4. Kal. ejuſdem Novembris, ſeu 29. Octobris celebravit.* Id factum tertiò poſt expulſam Italiâ Honoriam ſororem illius annô, quòd ab Eugenio procuratore ſuo ſtuprata concepiſſet, tradit Jornandes de regn. ſucc. pag. 125. Agebat Valentinianus annum ætatis 19. Honoriâ ſorore ſolido anno junior. *dataque* (ſubdit idem Jornandes) *pro munere ſocero ſuo totâ Illyriâ, celebratis nuptiis, ad ſua regna cum uxore receſſit.* ita tamen, ut teſte Marcellino, Theſſalonicæ rediens hiemarit. nec ante ſequentis anni 438. vel Ravennam Romámve redierit. De Illyrico autem idem habet Caſſiodorus lib. 11. ep. 1. *Placidia regina nurum amiſſione Illyrici comparavit: factaque eſt conjunctio regnantis, diviſio dolenda provinciis.*] An totum Illyricum tradiderit Valentinianus, non auſim aſſerere. Salonas quidem in Dalmatia Theodoſium ſtatim ab Honorii exceſſu firmo præſidio muniviſſe, ſuprà ex Socrate vidimus. An Valentiniano paulò pòſt reddiderit neſcio.

Valentiniani & Eudociæ nuptiæ.

2. Ceterùm Valentinianum, antequam Italia recederet, *res Occidentis in tuto collocaſſe*, notat Socrates. Quo factum ſuſpicor, ut Aëtium contra Gothos nondum ſubactos in Gallias remiſerit. Burgundionibus enim penè deletis, Armoricis ac Bagaudis utcumque compoſitis, ſoli Gothi in armis erant, quos ſolos non viciſſe, Aëtio Romaniſque pudor erat. Hinc Proſper vulgatus, eodem anno Chriſti 437. *Bellum*, inquit, *adverſus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur.* Et eodem anno Idatius: *XIIII. Gothorum cæſa octo millia ſub Aëtio duce.* Tenuit certè hoc bellum ſequentem annum totum 438. quo idem Proſper vulg. quædam adverſus Gothos proſperè geſta notat. Unde Vaſatenſem obſidionem ab Hunnis ſecutam puto, de qua fusè Greg. Turon. lib. 1. Mirac. cap. 13. At anno 439. grave Romani vulnus acceperunt. *Littorius* enim, ut Proſper vulgatus, *Theodoſio ſeptimùm & Feſto Coſs. qui ſecundâ ab Aetio Patricio poteſtate Hunnis auxiliaribus præerat, dum Aëtii gloriam ſuperare appetit, dumq; Aruſpicum reſponſis & dæmonum ſignificationibus fidit; pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit: fecitque intelligi, quantum illa cum eodem periit manus prodeſſe potuerit, ſi potioribus conſiliis, quàm ſuâ temeritate uti maluiſſet: quando tantam ipſe hoſtibus cladem intulit, ut niſi inconſideranter prælians in captivitatem incidiſſet, dubitandum foret, cui potiùs parti victoria adſcriberetur.* Ita Proſper, & breviùs ex eo Caſſiodori Chronicon. Similiter Idatius: *Bello Gothico, ſub Theodorico Rege, apud Toloſam Littorius Romanorum Dux inconſultiùs cum auxiliari* (Hunnorum) *manu irruens, cæſis his, ipſe vulneratus capitur, & poſt dies paucos occiditur.*

Bellum adhuc contra Gothos.

ANNUS Chriſti 439.

Littorius à Gothis captus,

& occiſus.

3. Sed Salvianum fuſiorem, & altioris cæleſtiſque doctrinæ ſcriptorem hic audire libet. *Cur gratiam Deo tollimus, quòd nos & in anguſtiis juvat, & in periculis liberat, & in medio barbararum gentium ſitos jugi protectione conſervat? At non ita Gothi, non ita Wandali, mali* (ſcilicet Arrianis) *doctoribus inſtituti, meliores tamen etiam in hac parte quàm noſtri: qui*

Salviani pia conſideratio.

& in diſcrimine poſiti opem à Deo poſtulent, & proſperitates ſuas munus divinitatis appellant. Denique probavit hoc bello proximo infelicitas noſtra. Cùm enim Gothi metuerent, præſumpſimus nos in Hunnis ſpem ponere, illi in Deo: pax illis poſtularetur, à nobis negaretur: illi Epiſcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis (orthodoxis ſcilicet) *Sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in noſtris contemneremus. Prout actus utriuſque partis, ita & rerum terminus fuit. illis data eſt in ſummo timore palma, nobis in ſummâ elatione confuſio. Agnovit hoc ille Dux noſtræ partis* (Littorius) *qui eamdem urbem hoſtium* Toloſam, *quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, captivus intravit. In quo quidem præter ipſam rerum infelicitatem præſens judicium Dei patuit: ut quidquid facturum ſe uſurparat, ipſe pateretur. Nam quia ſine divinitatis auxilio ac Dei ductu, capiendum à ſe hoſtem credidit, ipſe captus eſt: conſilij ac ſapientiæ ſummam uſurpavit; ignominiam temeritatis incurrit: vincula quæ aliis paravit, ipſe ſuſtinuit. & quod, rogo, evidentius Dei judicium eſſe potuit, quàm ut habens prædatoris fiduciam, præda fieret. triumphum præſumens, triumphus eſſet; circumdaretur, corriperetur, alligaretur, retorta tergo brachia gereret; manus, quas bellicoſas putabat, vinctas videret; puerorum ac mulierum ſpectaculum fieret; illudentes ſibi barbaros cerneret; irriſionem ſexus promiſcui ſuſtineret. & qui maximum habuerat ſupercilium fortis viri, mortem ſubiret ignavi. Atque utinam hoc ipſum breve remedium malorum eſſet, non diuturna toleratio! Ille autem, quantum ad pœnarum magnitudinem pertinet, longo tempore, & diuturnâ in ergaſtulo barbarorum tabo conſumptus, in hanc miſeriam redactus eſt, ut quod plerumque homines etiam pœnis ipſis gravius atque acerbius putant, in miſerationem hoſtium deveniret. Et hoc cur? cur abſque dubio, niſi quia, ut jam dixi, illi Deo humiles, nos rebelles; illi crediderunt in manu Dei eſſe victoriam; nos in manu noſtrâ, imò in ſacrilegâ atque impiâ, quod eſt pejus nocentiúſque quàm noſtrâ. Denique ipſe Rex hoſtium* (Theodoricus) *quantum res prodidit, uſque ad diem pugnæ ſtratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione ſurrexit. priuſquam pugnam manu capeſſeret, ſupplicatione pugnavit; & ideo fidens proceſſit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam.* Hæc Salvianus de Littorii bello Gothico, quod ille paulò antè, & paulò etiam pòſt *proximum* bis appellat. tanquam paulò antè quàm hæc ſcriberet geſtum.

Gothi in Deo ſpem ponunt.

Nota diuturnam Littorii captivitatem & tabem.

Theodorici Regis Gothorum ad Deum preces.

4. Quibus intelligimus, Gothos duobus aut tribus ſuperioribus annis ab Aëtio Hunnis auxiliaribus attritos, tametſi Arrianos, per Orthodoxos tamen Epiſcopos, qui adhuc liberè in eorum regno degebant, pacem petiiſſe, nec obtinuiſſe; ac Littorium Armoricanâ victoriâ, & Gothicis recentioribus ferocientem, ſupremam quoque Gothorum debellationem animo hauſiſſe; ſtolidâ Aëtii gloriam ſuperandi ſpe. Intelligimus item cur Salvianus manum Littorii Ducis *ſacrilegam & impiam* appellat; quia nimirum, ut ſuprà Proſper, *Aruſpicum reſponſis, & Dæmonum ſignificationibus confiderat*, de quo fuſiùs Iſidorus in Goth. Chr. *Litorius*, inquit, *dum primùm res proſperas adverſus Gothos geſſiſſet, denuò reſponſis dæmonum deceptus, in bello à Gothis, amiſſo exercitu, miſerabiliter ſuperatur. & qui antea hoſtium millibus caſis feliciter vicerat, dum fallacia dæmonum oracula quærit, ignobiliter victus interiit.* Unde ulterius ſuprà monui, Litorium adhuc Ethnicum & infidelem veriſimiliter extitiſſe; aut nomine quidem Chriſtianum, revera perditum & Atheum.

Littorii vanitas, & in aruſpices fiducia.

5. Ceterùm *pacem iterum cum Gothis* hoc eodem anno *factam* Proſper vulgaris aſſerit; *cùm eam illi poſt ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum, humiliùs quàm ante popoſciſſent.* Sanè Jornandes pacem ex ſimili Gothorum metu natam innuit; tametſi nonnihil ab hiſtoriæ veritate recedere videatur. *Hunnis* ait, *auxiliarijs Litorio ductante, contra Gothos Romanus exercitus movit procinctum; diúque ex utraque parte acie ordinatâ, quum utrique fortes & neuter infirmior eſſet, datis dextris in priſtinam concordiam redierunt, fœderéque firmato, ab alterutro, fidâ pace peractâ, receſſit uterque.*] Prælii non meminit, quia valde *ancipitis* ſcilicet, ut ait Proſper. & pacem mutuo metu coaluiſſe dicit; rectè. planéque ad Sidonium: qui Aëtium quoque tunc fractum per Avitum pacem feciſſe, ita canit carm. 7. verſ. 295.

Pax cum Gothis, humiliter eam petentibus

Iorn. Get. c. 34.

Intemerata mihi Præfectus jura regebat. Avitus ſcilicet Præfectus Prætorio Galliarum.
Et caput hoc ſibimet ſolitis defeſſa ruinis
Gallia ſuſcipiens, Geticâ pallebat ab irâ.
Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aëtius; capto terrarum damna patebant
Litorio: in Rhodanum proprios producere fines
Theudorida fixum. nec erat pugnare neceſſe,
Sed migrare Getis. Rabidam trux aſperat iram
Victor (Gothus ſcilicet:) *quòd ſenſit Scythicum* (Hunnum) *pro mœnibus* (Toloſæ) *hoſtem*
Imputat; & nihil eſt gravius, ſi forſitan unquam
Vincere contingat trepido. Poſtquam undique nullum
Præſidium, Ducibúſque tuis nil, Roma, relictum eſt;
Fœdus, Avite, novas; ſævum tua pagina Regem
Lecta domat, juſſiſſe ſat eſt te, quod rogat orbis. nempe pacem.
Credant hoc unquam Reges populíque futuri?
Littera Romani caſſat, quod Barbare vincis.
Jura igitur rexit. namque hoc quoque par fuit, ut tùm
Aſſertor fieret legum, qui nunc erit auctor,
Ne dandus populis Princeps, caput, Imperator,
Cæſar & Auguſtus, ſolium fera prælia noſſet.

Mediatore Avito. Ex Sidonio.

Hucuſque Sidonius, in Aviti ſoceri, anno poſt hunc 16. Imperatoris, laudem; pacis hujus honorem ei tribuens. Nec videtur aliud velle Proſper vulgatus, cùm hoc eodem anno 439. ante pacem hanc initam, ita ſcribit. *Per idem tempus Vitricus* (lego cum Savarone in verſum Sidonii 309. mox recitatum *Avitus*) *Reip. noſtræ fidelis, & multis documentis bellicis clarus habetur.* Avitum enim bello togâque clariſſimum nemo neſcit. Vitricum nemo nominat.

6. Ceterùm, licèt pax cum Gothis hoc eodem anno convenerit, nulla tamen de Litorio capto facta mentio: evidenti argumento, eum jam antè mortuum. Cumque *longo* à captivitate *tempore, & diuturna in ergaſtulo tabe conſumptum* Salvianus aſſerat, plane prælium quo captus eſt hujus anni primordiis, & ſaltem vere; pacem verò anni exitu contigiſſe conſequitur. Unde Proſper ſub iiſdem Conſulibus anni 439. ſtatim à mentione pacis, *Aëtio*, inquit, *rebus, quæ in Gallijs componebantur, intento, Geiſericus de cujus amicitiâ nihil metuebatur, 14. Kal. Novembres*, ſeu 19. Octobris, *Carthaginem dolo pacis invadit*, &c. de quo fuſiùs infrà. An ante

Litorii mors.

Cartha-

Littorii captivitas, occaſio captæ Carthaginis.

Carthaginem interceptam pax cum Gothis concloſa, quæri poſſet. Sed Idacius captam ante pacem diſertè refert: Nec Proſper diſſentire videtur, cùm paci tum ſaltem Aetium *intendiſſe*, ſcribit non cum Gothis modò, ſed toti Galliæ aſſerendæ. Nec dubium, quin ex Littorii in Gallia clade, Genſericus capiendæ Carthaginis impetum ſubitò ceperit, & antequam res in Gallia plane componerentur exequi feſtinarit. Pace igitur nondum peractâ, tametſi tractaretur, Carthago intercepta. eoque tanto magis feſtinata pax; ceu planè neceſſaria, viribus imperii tanta rebellionum bellorumque mole tantopere attritis; multo autem magis jam captâ Carthagine. prorſus, ut ſicut quinto ante hunc anno propter ſubitos Galliarum motus pacem cum Genſerico neceſſitas ſuaſerat; ita modò vice versâ, propter inexpectatam Geiſerici perſidiam, pacem per Gallias omnes componi oportuerit, mirabili rerum verſione, ut qui modo hoſtes accerrimi fuerant, fœderati ſubitò & auxiliares; & contrà, exiſterent; fide parum tutâ.

Annus Christi fere 440.

Alanis Valentiæ rura in Galliâ dantur.

7. Primùm ergo Gothis indulta pax, non primis modò ſedibus, ſed & vicinis quæ hoc bello capere potuere municipiis ultro libenterque remiſſis. Auxiliaribus Alanis, conceſſum item perpetuum in Galliis domicilium. Erant eorum binæ ſub binis Regibus manus: Nam ut Proſper Pithœanus, *Iis quibus Sambida praerat, deſerta Valentinæ urbis rura tradita ſunt partienda.* Alii verò, credo Regi Eocharicho parentes, *quibus terra Galliæ ulterioris* (Armoricos ſcilicet) *cum incolis dividenda à Patricio Aetio* ante S. Germani mortem *tradita fuerant*, Armoricos ob iteratam rebellionem ut ſuprà ex Conſtantio monui, *reſiſtentes armis ſubegere, & expulſis dominis, terræ poſſeſſionem vi adepti ſunt.* Horum Regi Eochariche fatis abſumpto; Sangibanum poſtea ſucceſſiſſe, in tempore memorabo. quamquam non ita plane adepti, ut ſoli poſſederint. Imò multa Romanorum in Armoricis hoc tempore impoſita præſidia ſequens caput exhibebit.

Burgundionibus Sabaudia.

8. Sed & *Burgundionum reliquiis*, ne quid cum Tranſrhenanis forte conjuncti de novo moverent, *data cum indigenis dividenda Sabaudia.* circa Genevam maximè, ut ex ſequentibus hiſtoriis apparebit. Inde enim in vicina ad Ararim uſque propagatos loca, rerum ſeries edocebit; credo cum Alanis Sambideoſibus ſeu Valentinis in unam gentem conflatos; niſi & ipſi Alanos ipſos obtinuerint. quod vix putare audeo.

9. Francis noſtris Aëtius ſuas in Germania ſecundâ ſeu Inferiore ſedes, reliquerit: niſi forte ob fidelem contra Burgundiones aliosque præſtitam operam, etiam auxerit. Ita de his omnibus (præter unos Francos) Proſper Pithœi, & quidem antè Carthaginem à Vandalis captam; tametſi quæ leguntur ejus exemplaria in plures annos ea omnia diſtribuant; non parvâ ſanè Lectoris confuſione. quam tamen iis omnibus ſubjuncta Carthaginis interceptæ memoria caſtigat, & certos ultra terminos exilire non ſinit. Periochen autem unam iſtis omnibus idem Proſper Pithœi præmittit; quam ego ſubjunctam, ceu aptam præcedentium omnium clauſulam mallem: *Pacatis motibus Galliarum, Aëtius ad Italiam regreditur.* nempe ut ex viciniore Vandalis incumberet; & ne ulteriùs progrederentur, obſiſteret. Nihil tamen eum in Galliis abs anno 437. ad 440. aut 441. geſſiſſe reperio. Imò Chronicon Proſperi Conſulare notat, Leonem anno mox 441. Romanum Pontificem è Galliis advocatum, ubi tunc Aëtium inter & Albinum amicitiæ redintegrandæ cauſa illum detinebat. adeo Aëtio noſtro nunquam deerat cum aliquo primatû nova ſimultas. Nunc de duobus Romanis annorum iſtorum Scriptoribus, Notitiâ inquam Imperii, & Salviano.

CAPUT V.

Notitiam Imperii circa annos Chriſti 437. & 438. editam videri. GALLIARUM ex ea ſtatus, & Occidentalis Imperii exhibitus.

SECTIO PRIMA.

Tempus quo ſcripta.

Notitia Imperii quaſi Rationarium hujus ævi.

Suet. Aug. cap. 28 & ult.

1. INter antiquitatis Romanæ fruſta, ut ſic loquar, fragmentaque nobis reliqua, hujus præſertim temporis, principem ſortaſſe locum facilè obtineat Libellus ille, cui titulus *Imperii Notitia*; verum Imperii Romani per hos annos, ut Suetonii utar voce, *Rationarium*, *Breviariúmve*; quo *quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum ſociorum civiúmque*, quantum auxiliarium barbarorum in armis, *quæ claſſes, quæ provinciæ* ſupereſſent, continetur. Utilia certè non pauca inſunt, & curioſa plurima, eoque laboris & induſtriæ noſtræ nonnihil hic exigit & meretur. Duo inquiram: primùm quo tempore ſcripta: tum quis ex ea Imperii à Barbaris adeo lacerati ſtatus, in Galliis præſertim, eruatur.

Quo anno ſcripta.

2. Theodoſii junioris Imperio ſcriptam editamque Notitiam, omnes agnoſcunt. Sed cùm illud annos 42. totos, menſes fere tres, à primo Maii ſcilicet anni Chriſti 408. ad 4. Kal. Auguſti 450. tenuerit, non eadem eſt omnium, cùm de contractiore ſpatio quæſtio eſt, ſententia. Extremo illius tempore ſcriptam, Guido Pancirolus ſuo in eam commentario, Camdenus, & alii prodiderunt. Id quoque indeterminatius. Ante annum quidem Chriſti 446. ſcriptam hoc evincit; quod in eâ, *Britanniæ Vicarius ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Galliarum; Comes Litoris Saxonici*, ſeu ut Ammianus antea vocaverat, *Maritimi*; *Comes Britanniæ, & Dux Britanniæ leguntur*; quorum poſtremo ingentem adhuc copiarum vim per Inſulam ſparſim, & maximè per lineam valli (quod ab Hadriano primum Severoque cõtra Pictos, tum ab ipſis indigenis conſilio Romanorum noviſſimè erectum, & à mari Hibernico ad *Blatum Bulgium*, hodie *Bulneſſe*, ſecundum Itunæ æſtuarium, per oppidum *Carlil*, olim *Luguvallum*, montium inde ardua devexaque ad urbem *Neucaſtle*, & Tinæ fluvii demum oſtium, per Inſulæ eâ parte latitudinem, ad centum fere milliaria, productum erat, hodieque utcumque supereſt) diſpoſitam recenſet. tanto numero, ut Pancirolus quidem ſcribere non ſit veritus: *Sub Duce*

Saltem ante annū Chriſti 446.

Ut patet ex Britanniæ præſidiis.

Britanniarum, merebant pedites omnes fermè 14000. Equites 900. Sub Comitibus verò, peditum circiter novem millia, Equites mille. Qui omnes ſimul juncti efficiunt fermè 23000. peditum, equitum 1900. qui univerſam Britanniam tuebantur. Et tamen claſſis Britannica nulla hîc nominatur, licèt Tacito celebrata hiſtoriarum a

Quæ ſi vel mediâ ſui parte conſiſtunt; planè ante annum illum 446. ſtetiſſe neceſſum eſt; quando Gildas & Beda Britannos tunc adeo viribus enerves deſcribunt; ut Aetio tertiùm Conſuli ſcribentes, opem contra Barbaros implorarint, nec impetrarint; aliquot ut apparet annis poſtquam Legio Romana ea Inſulâ diſceſſiſſet *ultrà non reverſura*. Nulla igitur tum erant in Britanniâ Romanorum præſidia, nedum eo numero fuerint, quem Notitia recenſet: ante eum proinde annum planè contexta.

&c ex Africæ, Carthaginisque.

3. Rurſum eadem Notitia multas militum copias per Africam totam, magnam officialium multitudinem; puta *Præfectum annonæ Africæ, Rationales Summarum Africæ & Numidiæ, Procuratorem Gynecæi Carthaginenſis*, &c. nobis exhibet: quos omnes Salvianus lib. 7. pag. 257. fin. & ipſa ratio Carthagine degiſſe ſignificat. Atqui captam Genſerico Carthaginem anno Chriſti 439. & quidem 14. Kal. Novembris, Proſper aliique disertè teſtantur. Ante iſtam igitur diem Notitiam editam neceſſe eſt. Idem eſt de Illyrico judicium, cujus copiæ Præfectique tam militares quam civiles magno numero ſub Occidentis Imperio ibidem enucleatè exſtant: cùm tamen illud à Valentiniano pro conjugali munere ſocero Theodoſio paulò pòſt annum 437. remiſſum, ſupra ex Caſſiodoro Marcellinoque audiverimus, prorſus ut quantumvis iſta Illyrici ab Occidente in Orientem tranſlatio toto adhuc ab illis Valentiniani nuptiis biennio dilata fuiſſet, adhuc tamen Notitiam, paulò antè captam anno 439. exeunte à Genſerico Carthaginem, editam eſſe conſequatur.

Item ex Illyrico.

Neque tamen multo antè 419. ſcripta.

4. Sed neque tantò antè. Primùm enim nulla omnino eſt in Notitia Aquitaniæ ſecundæ niſi de Pictavis; nulla item Novempopulanæ niſi de Lapurdo ſeu Bayonâ mentio: evidenti nimirum argumento quidquid terrarum ad Oceanum Aquitanicum Pictavos inter & Bayonam interjacet, Romano avulſum Imperio Gothiſque tranſditum, cùm hæc Notitia ſcriberetur. Atqui Gothos in eam poſſeſſionem anno Chriſti 419. ab Conſtantio tum Patricio, mox etiam Imperatore inductos, ſuprà audivimus. Poſt eum igitur annum ſcriptam oportet. Imò & poſt 427. quo, teſte Marcellini Chronico, & Jornande, *Hierio & Ardabure Coſſ. Pannoniæ, quæ per annos penè 50. ab Hunnis retinebantur, a Romanis receptæ ſunt.* Nam in Notitiâ Pannoniæ omnes ſingulæ, Prima, ſecunda Valeria, & Savia, cum Ducibus ſuis, Præfectiſque, & ſingulorum fere civitatum præſidiis ita latè accurateque deſcribuntur, ut in plena pacatiſſimaque Romanorum poteſtate eas tum fuiſſe nimis certum appareat. Similiter Norici, Rhætiæ Primæ & ſecundæ Duces cum variis præſidiis recēſentur; haud dubiè Juthungis jam & Noris Vindelicisque circa annos 429. & 430. ab Aetio ſubactis, ut ſuprà ex Proſpero Pithœano, Idatio, & Sidonio monuimus.

5. Quin & ad annorum iſtorum 430. ſummam facilè ſexennium adhuc addemus, ſi meminerimus Germaniæ Superioris aut Primæ præſidia omnia ad Rhenum in Notitiâ legi ab Saletione hodie *Seltz* Andernacum uſque incl. & ut reor uſque ad Aram ſeu Abrincam fluviolum, qui ad *Sinſich* & *Lintz* Rheno confunditur. Planè poſt Burgundionum, quos ibi ab anno Chriſti 413. ad 436. ſedes habuiſſe vidimus, cum ſuo Rege excidium; quo ab Hunnis Aetio curante, deleti ſunt. Denique etiam poſt Armoricos ſi non omnino ſubactos, certè valde repreſſos; quando in toto eorum litore Romanorum nova præſidia conſtituta Notitia repræſentat. Nam licèt poſt primam quoque eorum rebellionem quam Vandalicæ irruptionis tempore contigiſſe ex Zoſimo notavimus; eadem iſta potuerint illis circa annum Chriſti 416. imponi præſidia; quando Palladii pater *Exuperantius oras Aremoricas poſtliminiò*, ut Rutilius cecinit, *pacis amore docuit, Leges reſtituit, libertatémque reduxit*; tamen cùm anno 435. & ſequentibus iterum cum Bagaudis & Gallia ulteriore à Romanâ ſocietate diſceſsêre; prorſus ea omnia, vel non modicam eorum partem expulerint; neque hæc niſi illis valde jam attritis, circa annum Chriſti 438 reſtitui commodè potuerint. Ita anni vel 437. exitu, vel 438 primordiis Notitiam noſtram ſcriptam eſſe neceſſum eſt, quando Romani Burgundionibus deletis, Aremoricis aut prorſus aut ferè ſubactis repreſſisve, Gothiſque jam graviter & valdè attritis, quaſi victores; nondum Litorio, nondum Carthagine captis; novam Imperio faciem pacemque pæne generalem reduxiſſe ſibi videbantur. Quo tempore etiam Proſperianum Pithœi Chronicon notat, *Pacatis motibus Galliarum, Aëtius ad Italiam regreditur.* Atque hæc de tempore editæ Notitiæ. nunc de Galliarum, & Occidentalis Imperii ex eâdem ſtatu. A Belgica noſtra ordiamur.

Poſt Burgundiones è Germania primâ exactos anno 438.

Anno Chriſti fere 437. aut 438.

Poſt pacatos Galliarum motus.

SECTIO SECUNDA.

Belgicæ ſtatus tempore Notitiæ, Scriptæ.

6. Imprimis Germaniam Inferiorem ſeu Secundam ſilentio propè totam præterit. Nulla Bonnæ, ſeu ad Aram Ubiorum, nulla Veteribus, nulla ad Rhenum in illius tractu præſidia, ne Coloniæ quidem Agrippinæ ulla memoria; argumento certiſſimo in Francorum poteſtate ferè totam tunc extitiſſe, ex quo renovatâ cum eis pace, Germaniam illam ſecundam Aëtius ipſis reſtituit. Unius Lagii propè Tungros ſola mentio, ſic: *Præfectus Laetorum Lagenſium prope Tungros Germaniæ ſecundæ.* Lagium iſtud ego quidem Leodium noſtrum primò exiſtimabam; vocabuli affinitate invitante; nam *Lagium* & *Liege* parum diſtant. Verùm quia non tanta Leodii noſtri antiquitas, tametſi neſcio cujus Legionis in eâ Romanæ (unde & urbs Legia dicta ſit) Annales nonnulli ſed plebeii mentionem inferant, & caſtella duntaxat minora per hos annos Romani valde tenues inſidebant; adverti *Lagium* potiùs eſſe, vicum illum, qui hodie *Lauge* dicitur, ad fluviolum *Jecoram* ſitus, in Haſbania Leodienſi ad dexteram militaris viæ, quæ Bavaco per *Vogdoriacum, Geminiacum, Perviacum, Tungros* ducit, & Trajectum, ubi Jecora Moſæ confunditur. eſt enim vicus ille Tungrorum civitati vicinior, & antiquiſſimi caſtri, planeque Romani

Belgica Romanorum & Barbarorum loca.

Lagiū juxta Tungros adhuc Romanum.

rudera duriſſima retinet, quibus templum ipſum & circumjacens cœmeterium incumbit. Et abeſt à ſiniſtra Moſæ ripa verſus Occidentem leucis noſtratibus circiter tribus. aptiſſimè: ut quod Moſam inter & Rhenum jacet terrarum ſpatium, quodque Ripuariam dictum monuimus, novo Francorum cis Rhenum regno remiſſum verè fuerit. Nec quippiam præterea in Germania Inferiore Notitia memorat: Tungrorum civitatis altum ſilentium, quam ſcilicet Romani jam laceram, miſereque patentem nullâ cuſtodiâ inſiderent. Plures tamen Tungri & Tungritani milites in variis paſſim præſidiis & Numeris in Notitia ipſa leguntur.

Atvatuca Tungrorū deſtructa jacebat.

Germania Superior Romana, ſub Duce Moguntiacenſi.

7. Germaniæ Superioris ſeu Primæ, tanquam à Burgundionibus aliisque Barbaris paulò antè vindicatæ, multa in Notitiâ mentio. primùm, *Spectabilis Viri Ducis Mogontiacenſis: ſub cujus diſpoſitione* cenſentur, à Septemtrione quidem in Meridiem, *Præfectus militum Acincenſium* (præſidiariorum ſcilicet ab Acinco Valeriæ ſeu Pannoniæ dictorum) *Antonaco*, quod hodie *Andernach* ad Rhenum eſt. paulò ſuprà Aræ ſeu Abrincæ amniculi cum Rheno confluxū. *Præfectus militum Defenſorum Confluentibus*. ubi ſcilicet Moſella Rheno miſcetur. *Præfectus militum Baliſtariorum Bodobriga*, hodie *Boppart*. *Præfectus militum Bingenſium*, *Bingio*. hodie nomen retinet. *Præfectus militum armigerorum Mogontiaco*. *Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangionibus*, hodie *Worms*. *Præfectus militum Martenſium Alta ripa*. hodie adhuc *Altrip*. *Præfectus militum Vindicum Nemetes*. ſive *Spira*. *Præfectus militum Anderecianorum Vico Julio* hodie *Germersheim*. *Præfectus militum Menapiorum Tabernis*, ſive *Rhinzabern*. *Præfectus militum Pacenſium Saletione*, hodie *Seltz*. Eſt & in alio ejuſdem Notitiæ capite *Comes Argentoratenſis*. Sub cujus diſpoſitione nulli milites (tametſi Ptolemæus olim Legionem octavam Sebaſtam ſeu Auguſtam Argentorati collocet) nulla loca recenſentur; credo quod cetera Germaniæ Primæ, cujus pars Argentoratum, ſub Duce Mogontiacenſi eſſent; quæ autem ſuperiora Rheni eſſent & ad Rauracorum ſcilicet Helvetiorumque agros ſeu ad maximam Sequanorum hucuſque ſpectarant; ab Alemannis ac Suevis occupata eſſent. *Fabrica* tamen Argentorati erat *armorum omnium*. pag. 138. & pag. 144. eſt *Præpoſitus rei Privatæ per Sequanicam & Germaniam primam*.

Antonacū.

Confluentia.

Bingium.

Vormatia, ſeu Vangiones.

Spira.

Saletio.

Argentoratum.

Belgica Prima tota Romana.

8. Belgica prima tota adhuc Romanorum fuiſſe videtur. Nam Treviros quidem Provinciæ caput eorum adhuc fuiſſe, arguunt primò *Fabrica Scutaria & Baliſtaria*, pag. 138. *Procurator theſaurorum Triberorum*, *Procurator monetæ Triberorum*, pag. 141. *Procurator Gynecij Triberorum Belgicæ Primæ*, *Præpoſitus Brambaricariorum ſeu Argentariorum Triberorum*, pag. 141. & denique pag. 144. *Procurator rei privatæ Cynegiorum Triberorum*. Rurſum pag. 179. *Præfectus Letorum Actorum Epuſo*, *Belgicæ Primæ* (hodie *Yvois*) & denique *Præfectus Letorum Lingonenſium per diverſa diſperſorum Belgicæ Primæ*. puta per Mediomatrices, Verodunos, & Leucos. prorſus ut nihil Romanis ex ea deciſum videri poſſit. Nonnihil tamen vaſtationis illatum Belgicæ Primæ, arguit Notitia; dum *Gynecij Auguſtoduni* meminit, *Metis eò tranſlati*. alterius item *Juvarenſis indidem Arelatum tranſlati*. Quorſum enim iſta Metis aliò transferrentur, ſi nulla tantæ urbi ruina contigiſſet? maximè cùm Treviris tantopere deſtructis, ac Magiſtratibus ferè omnibus Arelatum inde abductis, ſi non potiora, non parva tamen remanebant. Nihilominùs inter *Legiones Pſeudocomitatenſes*, legitur, *Prima Flavia Metis*: credo, contra Francos, aliosque viciniores Barbaros in omnem caſum excubans.

Et fere Secunda.

9. Ex Belgica Secunda vix quippiam adhuc deciſum. Niſi fortè exile quid circa Brugas Flandriæ hodiernas, antiquosque ad ſiniſtra Scaldis oſtia Menapios, à Saxonibus occupatum fuerit. Nam cetera litoris ejuſdem dicti inde Saxonici; *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Belgicæ Secundæ*, ita recenſet Notitia: *Equites Dalmatæ Marcis in Litore Saxonico*. hodie *Mardick* portus celebris & capaciſſimus propè Dunkercam, nam *Dick* ad priſcam vocem *Marc* additum, nihil aliud Flandris ſonat, quàm colliculus arenaceus, quales hîc ad mare plurimi. & ſententiam hanc confirmat priſca militaris viâ, quæ Atrebato, per Minariacum & Caſletum ſeu Caſtellum Morinorum, ad *Mardick* uſque deducitur, adhuc hodie ſuperſtes & ſatis integra.

Marcis in litore Saxonico.

Claſſis Sambrica quæ, & ubi?

an ad portū Witlandi?

10. *Præfectus Claſſis Sambricæ in loco Quartenſi ſive Hornenſi*. De hac claſſe Sambrica tres eſſe poſſunt ſententiæ. Prima ad portum *Witſand* ponit, ad quem in mare decurrit rivulus cognominis *Sombre*. & portum eum jam inde à tempore Normannorum ultra annum Chriſti 1300. frequentatiſſimum fuiſſe, infrà docebo; tametſi jam arenis oppletus ſit & nullus. Secunda ad oſtium *Somonæ* fluvii Picardiæ collocat: quem olim quoque *Samaram* dictum, urbs Ambianorum *Samarobriva* ſive *Samarobriga*, hodie *Amiens* teſtatur. & patens eſt iſtius fluminis oſtium commodumque ad claſſem ſeu recipiendam, ſeu contra Saxonas mare illud infeſtantes emittendam. Ita claſſis Samarica, Notitiæ per contractionem eſſet Sambrica. Tertia ad Sabim Hannoniæ fluvium conſtituit; qui hodie vernaculè *Sambre* dicitur. Qui fluvius quà parte Bavaco maximè vicinus fluit, vicum habet ſibi adſitum, *Quartes* dictum: habet & alterum, parum inde diſtantem nomine *Hargnies*, utrumque plurimis antiquitatibus illuſtrem. prorſus ut & fluvii nomen *Sambra*, & vicorum Quartenſis & Hornenſis voces nos eo manu ducere videantur. Nec ignotæ ſunt aliæ Romanorum ſimiles & amnicæ claſſes, ut Araris & Rhodani, Ebroduni & Calaronæ Sabandiæ, Pariſiis, &c. in eadem Notitia, pag. 179. Sed neque inutilis hæc Sambrica claſſis extitiſſet, quando Namurcum uſque & infrà commeatui Lagienſi prope Tungros præſidio, & ſimilibus forte aliis ſubvehendo ſervire potuerit. Ita hæc poſtrema ſententia ſupra ceteras arrideret; ſi Notitia eo loci ſub Duce Belgicæ Secundæ non magis litoralia quàm mediterranea loca perſequi, aut non magis maritimâ claſſe contra Saxonas, quàm amnicâ pro Lagio tunc eguiſſe videretur. Ne quid de aſſiduo Romanorum in Britanniam è Belgicâ trajectu dicam; cui multò magis, quàm unius alteriúſve caſtelli commeatui ſubvehendo, indulgeri debuit claſſis; quæ nulla in Notitia alia, quàm iſta: tametſi alii adhuc portus. Quare aut de Sambricâ ad Witſand claſſe, aut de Samaricâ ad oſtium Samaræ ſeu Somonæ fluvii commodiùs capi poſſe videtur.

an ad Somonam ſeu Samaram, quaſi Samaricam?

an ad Sabim fluviū Nerviorū, hodie Sambre?

Potius ad Oceanum pro trajectu in Britanniam, & contra Saxones.

Portus Æpatiacus, quis?

11. Sequitur in Notitiâ: *Sub diſpoſitione* ejuſdem *Ducis Belgicæ ſecundæ*, *Tribunus militum Nerviorum*

Portu

Videtur potius Geſſoriacus.

Portu Æpatiaci. Vides Notitiam hîc in Morinorum portubus & litore Saxonico verſari. Quis ille portus Æpatiaci, non apparet, ait Pancirolus. Sunt qui vicum putent, quem ad oſtium fluminis Altheiæ (quo Arteſia Picardiaque diſtinguuntur) incolæ hodie vocant, *Pas d'Anthy*, Sed vox iſta vernacula recentior eſt, quàm ut tantam antiquitatem attingere poſſit. Puto legendum, *Portu Geſſoriaci*, exili literarum mutatione. Quod ſi eſt, Claſſis illa Sambrica, *Mardicum* inter & *Geſſoriacum*, (quod Bononiam etiam dici Peutingeri Tabula teſtatur) prorſus ad *Witſand*, in extremo Promontorii, quod *Itium* Ptolemæus appellat, procurſu & quaſi naſo extiterit; qui etiamnum *Blancneſt* appellatur, unde & breviſſimus vixque 25. milium eſt in Britanniam è Belgicâ tranſitus. nam Geſſoriacum longiùs recedit. Hi portus omnes Morinorum erant, quos præſidia iſta contra Saxonas eo maximè Oceani tractu pyraticam exercentes, tuebantur, & ad fretum oportunè excubabant. Taruana gentis caput hîc ſiletur, ſeu tum diruta, ſeu quod Romani jam fatiſcentes nonniſi modica loca milite inſiderent. *Cohortis tamen Primæ Morinorum*, eſt *Glannobanta in Britanniâ ad lineam valli* memoria. Nec plura ſub Duce Belgicæ ſecundæ; qui proinde ad trajectum in Britanniam litusque Belgicum contra Saxonas maximè aſſerendum, inſtitutus videri poſſit.

Dux Belgicæ Secundæ contra Saxones.

12. At alio Notitiæ Capite, *ſub Præpoſituris Magiſtri militum præſentalium*, alii in eâdem Belgicâ ſecundâ quinque Præfecti, cum totidem præſidiis enumerantur, quos à Septemtrione in Meridiem recenſebo. *Præfectus Latorum Batavorum Nemetacenſium Atrebatis Belgicæ ſecundæ.* Nemetacum, Cæſari Nemetocennam, Atrebatium urbem eſſe, ſuprà oſtendimus. quod Latine hodie *Atrebatum*, Gallicè *Arras*, Flandricè *Atrecht* dicimus, natale mihi ſolum: prorſus ignoto jam Nemetaci nomine, & velut poſtliminio à nobis hoc opere reſtituto. erat igitur adhuc Notitiæ tempore ſub Romanis; nundum, uti paulò pòſt, à Chlogione Francorum Rege pervaſum. Nec ſatis pervideo, cur hanc unam è Belgii majoribus urbem, potiùs quàm aut Taruanam in Morinis, aut Tornacum, Cameracum, Bavacumque in Nerviis, bodie Hannoniis, aut Advatucam in Tungris, Romani præſidio munivetint; niſi præ ceteris integra perſiſteret. In Nerviis quidem (ſicut & in Tungris) unicum legitur, in caſtello modico præſidium: *Præfectus Latorum Nerviorum Fanomartis Belgicæ ſecundæ.* Fanum Martis nomen adhuc hodie retinet, *Famars*, in mediis ferè Nerviis; vix unâ ab Valentianis urbe leucâ noſtrate. Præfert caſtelli Romani ingentia firmiſſimaque etiamnum rudera, ingenti à nobis & admiratione & voluptate aliquoties viſa excuſſaque: è quibus nummi plures eruuntur, à nobis itidem inſpecti. Tantæque auctoritatis ſub priſcis Francorum Regibus fuit; nam hi proximè Romanos exceperunt; ut circumjacens regio, *Fanomartenſis Pagus* appellaretur. Nunc abolitâ dignitate, Toparchia privata eſt.

Nemetacũ Atrebatũ, & in eo Batavi Nemetacenſes.

Fanum Martis Nerviorum.

13. *Bavaci*, quod celebre Nerviorum caput fuit, hodie *Bavay*, ne minima quidem in Notitiâ mentio, tametſi à Fano Martis vix quatuor in Occidentem leucis recedat. Evidenti argumento, hoc tempore Notitiæ, non minus quàm Tungros, Tornacum, & Taruanam, Romanorum præſidiis vacuum, & fortè quod in ruinis ſuis jaceret, neglectum. Mirum tamen par eſſe de Cameraco ſilentium; ad quod Bavaco diruto migraſſe Romanos, ipſumque adeo Epiſcopatum ſuprà vidimus. Sed Francorum Annales illud, ut & Tornacum mox à Chlogione occupatum, memorant, & in iis par eſt utriuſque memoria. Tornacum tamen non omnino tacet Notitia: nam in eâ eſt; *Procurator Gynecii Tornacenſis Belgicæ ſecundæ.* Eſt & in Saxonico Britanniæ litore, *Præpoſitus Numeri Tornacenſium Lemannis.* Tornacenſi ſcilicet milite, ceu vicino commodoque, uſi fuerint in Britannicis præſidiis Romani. Neſcio an qui ſub *Magiſtro Equitum Galliarum* leguntur *Cornacenſes*, Tornacenſes potiùs non ſint. Tamen ſuperiùs inter Legiones Pſeudocomitatenſes, iterum *Cornacenſes* habentur. Ceterùm crebrior Nerviorum militum eſt in præſidiis æquè Britannicis ac Belgicis memoria: ut credam Nervios à Tornacenſibus ab ipſa quoque Notitiâ diſtingui; non dubitem certè Romanis hoc adhuc ævo fidiſſimos habitos, eoque nonniſi exili Fanomartis præſidio, & quidem contra Barbaros magis, quàm ullo rebellionis timore inſeſſos. Nec plura de Belgio hodierno, quod Hiſpano paret, Notitia.

Bavaci nulla in Notitiâ mẽtio. quia tunc deſtructum.

Nulla Cameraci, etſi mox a Frãcis occupati:

eſt aliqua Tornaci.

Cornacenſes qui?

Nervii multi in præſidiis Britannicis.

SECTIO TERTIA.

Belgicæ ceteræque Galliæ, quæ nunc ſub Francis, Notitiæ tempore ſtatus.

14. Belgicæ autem adhuc ſecundæ quæ Franco hodie ſubeſt, hæc commemorat: *Præfectus Sarmatarum Gentilium inter Remos & Ambianos. Præfectus Latorum Batavorum Contraginenſium Noviomago Belgicæ ſecundæ. Contraginum* interpretantur oppidum *Chauny* in Picardia ad *Æſiam* fluvium, vulgò *Oyſe*. Paulò infra *Noviomagus* ſeu *Noviodunum* eſt; urbs Epiſcopalis, hodie *Noyon*. *Præfectus Latorum Gentilium Remos & Sylvanectis Belgicæ ſecundæ.* Sylvanectes hodie *Senlis*. Atque hæc de militibus. Fabricæ autem in eadem Belgicâ Francicâ memorantur: Ambianenſis Spataria & Scutaria: Sueſſionenſis Scutaria, Baliſtaria, & Clibanaria; Remenſis Spataria. pag. 138. Rurſum Procurator Gynecii Remenſis; Procurator Brambaricariorum ſeu Argentariorum Remenſium, pag. 141. Ex quibus omnibus videmus, quàm integra Romanis adhuc Notitiæ tempore ſupereſſet Belgica ſecunda: ex qua nonniſi quippiam exile Saxones tenebant in Menapiis, quâ Scaldis oſtia Oceano confunduntur, ad hodiernæ Flandriæ litora, eaque maximè Borealia, ubi Brugenſis modò Gandenſiſque diœceſes porriguntur. At ſi quidnam ex tota Belgicâ latè ſumptâ, Romanis tum deciſum clarè perſpicere volumus; linea nobis à Mardico aut Neoporto Flãdriæ, Gandavũ, inde Tungros, inde Antennacum præter propter ad Rhenum ducenda eſt. Ex iſtâ lineâ quidquid ad Boreã ſpectabat, partim Saxonibus, partim verſus Rhenum, Francis obvenerat: quidquid ad meridiem, Romanis remanebat. Prorſus ut licèt tantæ huc uſque fuiſſent Barbarorum in Belgicam irruptiones, nondum tamen finium illius ex hac parte adeo magna Romanis facta eſſet acciſio; tametſi populorum urbiumque ingens ruina ſubeſſet. Poſt ſexennium ferè, Chlogionem Francorum Regem Belgium noſtrum ad Somonam uſque pervaſiſſe

Remi & Ambiani.

Noviomagus, ſeu Noviodunum.

Sylvanectes

Sueſſiones.

Belgica latè ſumpta tẽpore Notitiæ ſatis adhuc integra.

videbimus. Atque hæc de Belgicâ, quæ maximè ad inſtitutum pertinet, dicta ſint. Nunc pauciora de aliis Gallicis.

Lugdunenſes Provinciæ, Secunda & Tertia.

15. Belgicæ ſecundæ Occidentalia ad mare attingebant Armorici propriè dicti; & in eodem litore Saxonico, per Lugdunenſes Provincias Secundam & Tertiam (quæ hodie Normandia Britanniaque dicuntur) porrigebantur. Id litus Romani tunc crebrioribus præſidiis inſidebant; & tam contra Saxonas mare pertinaciter infeſtantes (unde & Littus Saxonicum nomen hauſit) quàm contra ſæpè rebelles Armoricos armaverant: quæ juvat hîc ex Notitia repræſentare, ordine ab Oriente in Occidentem ducto. Ac primùm *ſub diſpoſitione viri Spectabilis Ducis tractus Armoricani*; *Præfectus militum Urſarienſium Rothomago*, hodie *Roüen* ad dextram Sequanæ ripam. Unde videmus inter Claſſem Samaticam in loco Quartenſi Crotoy, & Rotomagum nullum tunc interceſſiſſe ad mare præſidium. *Præfectus militum primæ Flaviæ Conſtantia.* hodie *Coutances*. *Tribunus Cohortis Primæ novæ* (nota) *Armoricæ Grannona in litore Saxonico.* Rurſum *Præfectus militum Grannonenſium Grannono.* Jacet *Grannona*, hodie Granville, inter civitates *Coutances & Auranches*, ſeu Abrincantes. de quibus etiam dicitur: *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis.* Hæc omnia Lugdunenſi ſecundæ ſeu Normandiæ inerãt, & eminebat *Tribunus cohortis primæ novæ Armoricæ.* quam ego cohortem novam ex ipſis Armoricis paulò antè rebellibus lectam puto, ut averſionem à Romanis, ſibi etiam poſt tantum crimen tantopere fidentibus exuerent, amorem rurſus haurirent. Sed Notitia, capite de *Præpoſituris Magiſtri militum Præſentalium*, hanc adhuc ad Lugdunenſem ſecundam artinentem addit Periochen: *Præfectus Laetorum Batavorum, & Gentilium Suevorum Baiocas* (hodie *Bayeux*) *& Conſtantia Lugdunenſis ſecundæ.* Hæc ibi.

Rothomagum. Conſtantia. Grannona. Abrincantum. Baiocaſſes.

16. In Lugdunenſi tertia & Britannia Gallicâ *ſub eodem Duce Tractus Armoricani*, recenſentur ab eadem Notitia: *Præfectus militum Martenſium Aleto*, hodie *S. Malo*. *Præfectus militum Maurorum Oſiſmiacorum Oſiſmiis.* Tenuerunt Oſiſmii agros orbium *Treguier, S. Brieux, & S. Paul de Leon.* Treguier tamen Oſiſmiorum caput exiſtimant. *Præfectus militum Carronenſium Blabia.* hodie *Blavet*. *Præfectus militum Maurorum Venetorum Venetis*, hodie *Vannes*. *Præfectus militum Superventorum Manuatias.* puto legendum *Nanuetias* aut *Nannetes*, hodie *Nantes*. Addit *ſub Præpoſituris* Notitia pro hâc Lugdunenſi tertiâ. *Præfectus Laetorum Francorum* (nota) *Redonas* (hodie *Rennes*) *Lugdunenſis tertiæ*; *Præfectus Laetorum Gentilium Suevorum Cenomannis Lugdunenſis tertiæ.* Atque hæc Duci Tractus Armoricani ſuberant, omnia paucis exceptis, præſidia. contra Saxonas exteriùs, contra Alanos interiùs. ut jam qui fuerint Armorici propriè dicti, nullus ignorare poſſit; nempe Normanni & Britanni viciniique. Ac licèt addat diſertè Notitia: *Extenditur tamen tractus Armoricani & Nervicani limitis per provincias quinque Aquitaniam primam & ſecundam: Senoniam; Lugdunenſem ſecundam & tertiam.* de Armoricis tamen latè non ſtrictè ſumptis, & eo maximè ævo uſurpatis, id intelligit. Nempe tunc Gallia tota in duas dividi cœpta, in Citeriorem & Ulteriorem. *Ulterior* continebat quidquid à Lugdunenſi Primâ excluſâ, ad Oceanum porrigitur: ſcilicet tres Provincias Lugdunenſes, Quartam, Tertiam, & Secundam: item quidquid de Belgicâ ſupererat: Aquitaniam item Primam & Secundam; quæ ideo ſub Armoricis accenſæ. Nam Tertia Wiſigothorum erat. *Citeriore* continebantur Narbonenſis, & Viennenſis totæ; Lugdunenſis Prima & Quinta; nempe quidquid Alpibus & Italiæ vicinius. Sed pergamus in Capite de Præpoſituris.

Aletum. Blabia. Veneti. Nannetes. Rhedones. Cenomanni. Armoricanus & Nervicanus Tractus, quis tunc?

17. In Senonia igitur ſeu Lugdunenſi quarta inerant, *Præfectus Laetorum Teutonicianorum Carnuteno* (hodie *Chartres*) *Senonia Lugdunenſis*. *Præfectus Claſſis Anderetianorum Pariſiis.* *Præfectus Sarmatarum gentilium à Chorâ* (hodie *Corbeil* ad Sequanam) *Pariſios uſque.* In Lugduenſi verò Primâ inerant, *Præfectus Sarmatarum Gentilium Lingonas*, Langres. *Præfectus Sarmatarum gentilium Auguſtoduni.* *Præfectus Claſſis Araricæ Caballoduno.* à Chalon. *Præfectus Sarmatarum Gentilium per tractum Segalaunorum.* qui ſcilicet agrum ipſum Lugdunenſis civitatis tenebant. In Lugdunenſi quinta quæ Maxima Sequanorum propriè dicta, erat *Vir Spectabilis Dux Provinciæ Sequanici.* & ſub eo ſoli *milites Latavienſes Olinone.* Olinonem vici nomen eſſe volunt prope Baſileam cum Nemuſculo. Mirum ſi unicum dumtaxat hac Rheni parte Alemannis oppoſitum fuerit præſidium, & ei unico Dux datus. Credit tamen Gilimannus ad hanc provinciam & Helvetios ſuos pertinere, quod ſub Præpoſituris in Notitia legitur; *Præfectus Claſſis Braccariorum Ebruduni Sabaudiæ.* *Item Tribunus Cohortis Primæ Flaviæ Sabaudiæ.* Ebrodunum enim ille *Yverdon* interpretatur, ad lacum quem ſub montis Juræ radicibus fluvius Urſa medium ſecat. Calaronam autem *Clarance* ad alterum lacum Lemannum ſeu Genevanſem, quâ ſubintrat Rhodanus. Licèt alii *Ebrodunum Embrun* in Alpibus maritimis, *Cularonem Grenoble* in Allobrogibus exiſtiment. Sed ego Gilimanno potiùs adhærerem: rationi conformiora pro limite Rhenano contra Alemannos, & pro viſcere interno contra Burgundiones jam in Sabaudia circa Genevam poſitos ſuggerenti.

Carnutes, Aureliani, Pariſii, Lingones, &c. Sequani, in quibus Olino. Sabaudia.

18. In Viennenſi inerat *Præfectus Claſſis fluminis Rhodani Viennæ ſive Arelati.* quam Tacitus hiſtoriarum libris navium 24. fuiſſe ſcribit. *Præfectus militum Muſculariorum Maſſiliæ Græcorum.* Narbonenſis præſidii, tametſi ea Urbs nuper obſeſſa, vicinorumque nulla mentio. In Aquitania primâ, id tantùm reperio: *Præfectus Laetorum Gentilium Suevorum Arvernos Aquitaniæ primæ.* Sanè Arvernenſis civitas adusque Sidonii Apollinaris Epiſcopatum, ſeu annum Chriſti ferè 475. pro Romanis ſtetit. De Biturigibus nihil, quos tamen ad Sidonii provectam ætatem à Romanis ſtetiſſe, infra videbimus. An Lemovices, Cadurci, & vicinæ Toloſæ civitates Gothorum fuerint, nullus dicit. ego fuiſſe magis credo. In Aquitania ſecunda ſola Pictavorum memoria, ſic: *Præfectus Sarmatarum & Taifalorum Gentilium Pictavis in Gallia.* In Aquitaniâ tertia ſeu Novempopulana, ſolius item *Lapurdi* mentio; quod Bayonam eſſe ſuprà veriſimiliùs exiſtimavi. *Tribunus Cohortis Novempopulanæ Lapurdo.* Ita Gothis à Septemtrione Pictavicum, à Meridie Lapurdicum, & Narbonenſe, ab Oriente Arvernicum Romana præſidia oppoſita erant. Ex quibus omnibus tandem concludimus, Galliam Romanis hoc tempore ſatis adhuc integram ſuperfuiſſe; ex quâ nonniſi modicum quid verſus Rhenum Franci

In Viennẽſi Claſſis Rhodanica, Vienna. Arelatum. Narbona. Arverni. Pictavi. Lapurdum.

Saxones-

Saxonesque poſſidebāt; à Meridie pariter & Occidente paulò plura Gothi. Alani & Burgundiones Galliarum incolis permixti, ceu Romanis adhuc addicti quieſcebant. Atque hic tum extitit Galliarum ſtatus.

SECTIO QUARTA.

Britanniarum & Hiſpaniarum ſtatus tempore Notitiæ.

Britanniæ

19. Integriores erant Britanniæ: ſi quæ ibi enumerantur præſidia, horum non ſuperiorum temporum ſunt. Nam cis Severi vallum; quod ex ſaxo Indigenæ ipſi, cum Legione Romanâ ante annos decem erexerant, & fortè adhuc tunc erigebant (nam diuturnum opus fuiſſe neceſſe eſt) omnia ferè adhuc Romanorum erant: & per Lineam valli præſidia adhuc integra repræſentat Notitia. Certè nullum ab hoſtibus Britannicis tantum fuiſſe metum, ſecundus ad eas S. Germani trajectus ſignificat. tametſi fieri poſſit, ut multi milites de præſidiis iſtis hoc tempore defluxerint. Apud Camdenum plura videre potes. Rurſum ſub Comite litoris Saxonici per Britanniam, alia exhibet præſidia Notitia, etiam Tornacenſium & Bethaſiorum contra Saxones. Quibus reſpondet Dux Belgicæ Secundæ æquè in litore Saxonico. Cæterùm quidquid de Notitia hac ſit, his proximè annis *Britannia* (ait Proſper Pithœi) *uſque ad hoc tempus*, annum ferè Chriſti 440. *variis cladibus eventibuſque lata, in ditionem Saxonum rediguntur.* decem ferè annis antequam id Beda ſciſcat, anno 449. Unde iſti ego Proſpero, his planè annis, pænè ante Bedam trecentis ſcribenti, & ferè videnti, potiùs crederem; & pro anno Chriſti juxta Bedam 449. reponere mallem 439. Similiter & in ultimâ querulosâque Britannorum *ad Aëtium tertium Conſulem Epiſtolâ*, *ſecundum Conſulem* lubentiùs ſubſtituerem. Lector quod volet credat. Ego nullam poſthac Britanniæ mentionem ingeram. Tantum hic monebo, in Britanniam cum Saxonibus è Belgicâ noſtra vicinaque continente, non Jutas ſolùm & Anglos; ſed & Friſios noſtros ſeu Friſones non paucos trajeciſſe, ibique deinceps habitaſſe, ut nobis fidem facit libro ſuo quarto Græco medio Procopius, cùm ait, *Tres gentes Inſulam incolere, Anglos, Friſones, & Inſulæ ipſi cognomines Britones.* In Saxonum autem Friſonumque ad Rheni oſtia locum, Warnos gentem Anglis conterminam ſucceſſiſſe ibique diu hæſiſſe; ut ex eodem Procopio ſuprà; ex Theodorici Oſtrogothi ad Warnorum Regem adverſus Chlodoveum Francorum item Regem Epiſtolâ tertiâ libri tertii Variarum apud Caſſiodorum; ex Gregorii Turonenſis item Appendice capite 15. intelligimus: donec eos Childebertus Francorum Rex, anno Chriſti 596. hoc eſt annis poſthac fere 156. ad internecionem pœnè delevit; & Friſiorum nomini tractum iſtum maritimum velut poſtliminiò reſtituit: Friſonum aliorum qui cum Saxonibus in Britanniam immigrarant, nomine memoriaque ſenſim extinctâ.

Hiſpaniæ.

20. Hiſpaniæ non parum à Suevis infeſtabantur. Qui licèt hactenus in Gallæciâ maximè reſiderent; pacisque cum eis jura (Idatio teſte) confirmaſſent, tamen ubi Hermericus eorum Rex diuturniore morbo detentus Rechilam filium ſuum pro ſe ſubſtituit; Emeritam Hiſpalimque irruperunt, Bæticâ & Carthaginienſem provincias in ſuam poteſtatem redegerunt. Nec multo poſt, plures Romanorum Duces ſucceſſivè ſubmiſſos, Aſturium, Merobaudem ejus generû, & denique Vitum fugaverant, ut pluribus Idatius. Unde factum credo, ut Notitia nullos ſub Hiſpaniarum Vicario milites, nullum Hiſpaniæ Comitem recenſeat; tametſi Bæticam, Luſitaniam, & Gallæciam ſub Conſularibus, Tarraconenſem, Carthaginienſem, Tingitanam, & Baleares ſub Præſidibus breviter recenſeat, & ſub Præpoſituris Magiſtri militum Præſentalium. pag. 179. *Legionem ſeptimam geminam Legione in Gallæciâ* (hodie Leon) collocet, *Cohortem item ſecundam Flaviam Pacatianam Pataonio, Cohortem ſecundam Gallicam, Cohortem Lucenſem Luco, Cohortem Celtiberam Brigantiæ, nunc Juliobriga.* Et aliquot præterea auxilia in generali Catalogo Magiſtri militum Præſental. &c.

21. At Dannubianum Imperii limitem, integerrimû Notitia repræſentat, in Rhætiis, Norico utroque, Ripenſi ac Mediterraneo, Pannoniis demum omnibus. Nam Aëtius paulò antè victis Juthungis, Vindelicis, Noriſque, & Pannoniis receptis, cum reſtituerat ut diximus. Conſule Notitiam. — Dannubianus Imperii limes.

SECTIO QUINTA.

Africæ ſub Vandalis Notitiæ ſcriptæ tempore ſtatus.

22. Sola ſupereſt Africa, quæ per hos Imperii ruentis annos, Romanos inter Vandaloſque diviſa captivataque, nobis hîc breviter excutienda. Sex in ea tum cenſebantur Provinciæ, *Tingitana* (licèt hæc Hiſpaniarum Vicario ſubeſſet) *Mauritania Sitifenſis*, ſeu *Cæſarienſis* (quamvis eas Notitia ſub Vicario Africæ dividat, Numidiam omittat) *Numidia*, *Africa propria* quæ & *Zeugis*, *Byzacium*, & *Tripolitana*, ſeu *Subventana* ut Oroſius loquitur. In Africam Vandalos anno Chriſti 427. ex Hiſpania trajeciſſe ſuprà narravi: pacem item octennio pòſt, anno ſcilicet 435. Valentinianum inter ac Genſericum factam, *datâ Vandalis ad habitandum Africæ portione.* quæ quanta & ubi fuerit, non exprimitur. Ego Notitiam hîc exhibebo. — Sex Africæ Provinciæ.

23. *Sub diſpoſitione*, inquit, *viri Illuſtris Comitis Tingitanæ limitanei, erant Præfectus alæ Herculeæ Tamuco; Tribunus Cohortis ſecundæ Hiſpanorum Duga: Tribunus Cohortis primæ Herculeæ Aniuco: Tribunus Cohortis primæ Iterorum Caſtrobarienſi: Tribunus Cohortis Pacatianenſis Pacatiana: Tribunus Cohortis tertiæ Haſtatorum, aliàs Haſtorum Tabernis: Tribunus Cohortis Friglenſis Friglis.* — Comes Tingitanæ.

24. *Sub Duce & Præſide Mauritaniæ* (nempe Sitifenſis; Nam Tingitana etiam Mauritania eſt) octo recenſentur Limitum Præpoſiti: *Limitis Columnatenſis, Videnſis*, aliàs Bidenſis, & Indenſis. *Limitis Inferioris, Fortenſis, Muticitani, Audienſis, Caputcellenſis, & Auguſtenſis.* De Numidia & Byzacio verbum nullum habet Notitia; neſcio an quia hæ provinciæ Vandalis ex pace remiſſæ; ut apparet. — Dux & Præſes Mauritaniæ Sitifenſis. — De Numidiâ & Byzacio nihil.

25. *Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Proconſulis Africæ, Provincia Conſularis, & Legati ejus duo.* Nempe Africæ propriæ dictæ, ſeu Zeugi præerat Proconſul; qui non Vicario Africæ, ſed Præfecto Prætorio Italiæ immediatè ſuberat. Unde Salvianus de — Proconſul Africæ propriè, ſeu Zeugis.

De quo etiã Salvianus Lib. 7.

Gub. lib. 7. pag. 258. *Illic* (inquit, nempe Carthagine) erat *honor Proconſularis, illic quotidianus Judex & Rector; quantum ad nomen quidem Proconſul, ſed quantum ad potentiam Conſul: illic denique omnes rerum diſpenſatores, & differentes inter ſe tam gradu quam vocabulo dignitatis,* &c. Hic enim Proconſul rurſum ſub ſe *Conſulares, & duos Legatos* habebat teſte Notitiâ, credo & alios. Comitem autem Africæ, & 16. Limitum ſub eo Præpoſitos ita Notitia recenſet: *Limitis Thamallenſis, Mõtenſis in caſtris Leptitanis, Bazenſis, Gemellẽſis, Tubunienſis, Zabenſis, Tubuſubditani, Thamallomenſis, Balaretani, Columnatenſis, Tablatenſis, Caputcellenſis, Limitis Secundanorum in caſtris Tillibarenſibus, Limitis Taugenſis, Badenſis, & Badenſis.* Sed credo Africam hîc latè pro quatuor provinciis ſumi, nempe Maoritaniâ, Numidiâ, Africâ propriâ & Byzacio. Nam Tingitanæ Comitem ſuprà vidimus; Tripolitanæ autem Ducem ita exhibet Notitia:

Dux Tripolitanæ.

26. *Sub diſpoſitione Viri ſpect. Ducis Tripolitanæ Provinciæ Præpoſiti 14. Limitis Talatatenſis, Limitis Tenchitani, Bizerentani, Tillibarenſis, Madenſis, Maccomadenſis, Tintiberitani, Eubenſis, Mamucenſis, Balenſis, Varenſis, Leptitani, Madenſis, Sarcitani.* Vide Pancirolum

27. Hæc omnia Notitia. quæ niſi ex variis variorum temporum Indiculis conſarcinata ſit (ut vereor) Africam omnem ſatis adhuc Romanis integram recenſet. niſi quòd, ut dixi, de Numidiâ & Byzacio duabus illius provinciis nihil ſuggerere videatur. Sat conſtat Vandalos his annis in Africâ non egiſſe tãtùm, ſed & ejus portionem, & quidem circa Hipponem (ut quædam Manuſcripta Proſperi exemplaria habent) id eſt in Numidiâ ex pacto poſſediſſe: & ita pacatè, ut nihil novi motûs ab iis Romani metuerent, cùm ecce ſubitò Genſericus, cedo Gallicis Gothorum aliorumq́ue Barbarorum bellis, & adverſo maximè Littorii prælio ſtimulatus, Carthagini manum appoſuit.

Vandalorũ portio circa Hipponem, in Numidia.

28. Sic enim Proſper *Theodoſio XVII. & Feſto Coss.* Eodem videlicet anno quo Litorius a Gothis captus, qui eſt Chriſti vulgaris 439. *Aëtio,* inquit, *rebus quæ in Galliis componebantur intento, Genſericus, de cujus amicitiâ nihil metuebatur, 14. Kal. Novembris Carthaginem dolo pacis invadit, omnéſque opes ejus excruciatis diverſo tormentorum genere civibus, in jus ſuum vertit, Nec ab Eccleſiarum deſpoliatione abſtinens: quas & vaſis ſacris exinanitas, & Sacerdotum adminiſtratione privatas, non jam divini cultûs loca, ſed ſuorum juſſit eſſe habitacula: in univerſum captivi populi ordinem ſævus, ſed præcipuè Nobilitati & Religioni infenſus: ut non diſcerneretur, hominibus magis an Deo bellum intuliſſet.*] Idem ſed breviùs aliter Pithœi Proſper: *Carthago à Vandalis, cum omni ſimul Africâ, lacrimabili clade & damno, Imperii Romani potentiam dejecit. Ex hoc quippe à Vandalis poſſidetur.*] Diem eumdem 14. Kal. Novembres ſignat Idatius; ſolus Marcellinus X. Kalendas habet, parvo diſcrimine. Salvianus lib. 6. *Everſâ,* ait, *Sardiniâ ac Siciliâ, id eſt fiſcalibus horreis, atque abſciſſis velut vitalibus venis, Africam ipſam, id eſt quaſi animam captivavere Reip.* & mox de incredibili Carthaginienſium lethargo & furore ſic queritur: *Circumſonabant armis muros Cirtæ & Carthaginis populi barbarorum; & Eccleſia Carthaginienſis inſaniebat in Circis, luxuriabat in theatris. alii foris jugulabantur, alii intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiva hoſtium, pars intus captiva vitiorum.* Infra: *Et cùm hæc omnia fierent, quid aliud tales populus agebat, niſi ut cùm eum Deus perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſe exigeret, ut periret?* Hæc & plura Salvianus.

Carthago capta à Genſerico Anno Chriſti 439.

Africa anima Reip. ait Salvianus lib. 4.

Cirta.

29. Si Africa *anima* fuit *Reip.* quid illâ jam captâ de Imperii ſanitate ſpei reliquum? Itaque exin, *In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri Res Romana,* imò magnis paſſibus ad exitum ruere. Nec ibi ſtetit Geiſericus; Siciliam etiam proximè anno Chriſti 440. graviter afflixit & deprædatus eſt, Paſchaſinum Lilybitanum Epiſcopum cum aliis plurimis captivum abduxit, Panormum diu obſedit; nec niſi accepto nuncio de Sebaſtiano Bonifacii filio ab Hiſpania ad Africam tranſeunte, celeriter Carthaginem rediit: ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus, recipiendæ Carthagini incubuiſſet. Sed Sebaſtianus à Romanis ad illum fugiebat; & tamen non multò pòſt ab Geiſerico ſublatus eſt. An Aëtius tunc contra Geiſericum è Galliis tranſierit, non comperio. Defuiſſe vires potiùs credo. Unde Proſper vulgaris anno Chriſti 441. *Cyro Conſule, Theodoſium* (non Valentinianum) *Imperatorem bellum contra Vandalos moviſſe* refert; *Ariobindo & Anſilâ atque Germano Ducibus, cum magnâ claſſe directis.* Sed cùm *hi longis cunctationibus negotium differrent, Siciliæ magis oneri, quàm Africæ præſidio fuerunt.* Mox anno 442. *cùm Thraciam & Illyricum Hunni ſævâ depopulatione vaſtarent* (de quo paulò fuſiùs Marcellini Chronicon) *exercitus qui in Siciliâ morabatur, ad defenſionem Orientalium partium reverſus eſt.*

Siciliam quoque Genſericus deprædatur: Paſchaſinũ Epiſcopum capit. Anno Chriſti 440.

Anno 441.

& 442.

30. Quare *cum Geiſerico pax ab Auguſto Valentiniano confirmata, & certis ſpatiis Africa inter utrumque diviſa.* Ita Proſper, Idat. Marcell. Caſſiod. &c. Similiter Procopius lib. 1. Vandal. pag. 186. ſic. *Genſericus prudenter animo fortunæ varietatem examinans, quum ſuæ vires Romanorum armis æquandæ non eſſent; fœdus cum Valentiniano iniit: tributum quotannis ſimul cum Honoricho filio obſide dedit. Sed eum paulò pòſt, amicitiâ inter eos gliſcente, ſponte recepit.* Aliquot annis Honorichum obſidem fuiſſe ſuſpicor ut & amicitia paulatim irreperet, & Eudoxia Valentiniani uxor poſtea Genſerico magis, quàm mariti ſui parricidæ Maximo, fidere mallet. Unde ſuſpicio eſt, Honorichum, ſaltem ad Valentiniani uſque, cum Eudoxia nuptias, ſeu poſt finem anni 437. obſidem Ravennæ manſiſſe; nec multò pòſt Carthaginem interceptam, ad patrem remiſſum.

Pax cum Genſerico. Africà utrumque diviſa.

Qui tributum annuũ, & filium obſidem dat.

31. Ceterùm quænam fuerit iſta, Valentinianum inter & Geiſericum partitio, vix comperio. Pancirolus ex diverſis legibus Valentiniano remanſiſſe Numidiam, Tripolitanam, & utramque Mauritaniam dicit. Victor Epiſcopus libro primo. *Genſericum* ait *ſibi Byzacenam provinciam, Abaritanam, Azuritanam, Getuliam & partem Numidiæ reſervaſſe; exercitui Zeugitanam vel Proconſularem* (Africam nempe propriam) *funiculo hereditatis diviſiſſe: Valentinianum Imperatorem reliquas licèt exterminatas provincias defendiſſe.* &c. Eo ſtatu Africa ad annum Chriſti 455. perſtitiſſe videtur; donec Valentiniano cæſo Genſericus non modò Mauritaniam Numidiamq́ue recepit, ſed & Roma ſpoliata Eudoxiam Valentiniani viduam cum duabus filiabus abduxit. ut ibi. Hactenus de Africa, id eſt, ut Salvianus, ait, *animâ Reip* ab Romanis tunc avulsâ. Atque iſte fuit cùm Notitia ederetur, Imperii Romani non in Belgica modò Galliaque, ſed &

Africæ juxta Pancirolum diviſio.

Occidente toto ſtatus, in caſum atque ruinam planè præcipitans. Nunc Salvianum audiamus Notitiæ ſuccinentem.

CAPUT VI.

Quando Salvianus ſcripſerit. Et quæ de Gallorum vitiis notet, ipſe Belga.

Libros de Providentia Dei ſcribit Salvianus, *proximè* poſt Littorii & Hunnorum cladem. ANNO Chriſti ferè 442.

1. HIs iiſdem annis, nempe qui ab Chriſti 440. ad 443. decurrunt, Salvianus aureos illos de Dei Gubernatione Providentiáque libros compoſuit & publico dedit: eâdem Imperii tum ruentis occaſione, ſimul eorum ſcandalo, quorum animis gliſcebat opinio, Deum mortalia nil curare. Nam libro 7. Littorii & Hunnorum cladem ab Gothis illatam, bis *proximam* vocat: quod dicere non poſſet, ſi (quod aliqui putant) poſt Gallicanam Attilæ expeditionem, aut etiam Chlogionis in Carbonariam irruptionem, de quâ mox, ſcripſiſſet. Sed & pacem cùm ſcriberet, ſaltem in Galliis (ſi non & in Africâ cum Vandalis) extitiſſe docet l. 5. p. 164. *Si quando enim, ut nuper factum eſt, defectis urbibus, minuendas in aliquo tributarias functiones, poteſtates ſummæ exiſtimaverunt; illico remedium cunctis datum ſoli inter ſe divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? quis tum, qui primus eſt in ſarcinâ, vel ultimo eſſe loco patitur in medelâ?*

Cùm pax & aliquod tributorum levamentū,

Rurſum apertiùs lib. 6. pag. 207. *Ac primùm, ſi quando exoratus ſuâ miſericordiâ Deus (neque enim nos unquam ita vivimus, ut exorare mereamur) ſed ſi quando, ut dixi, à ſeipſo exoratus, pacificos nobis dies, proventus uberes, divitem bonis omnibus tranquillitatem, & abundātiam dederit ſuper vota creſcentem; tantâ rerum inſolentium pravitate vitiamur, ut Dei penitus obliviſcamur & noſtri. & cùm omnem fructum datæ à Deo pacis in hoc conſiſtere Apoſtolus dicat, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate; ad hoc tamen datâ à Deo quiete utimur, ut in omni ſcelere atque improbitate vivamus. Quaſi verò beneficium datæ PACIS vacatio ſit probroſitatis: & ad hoc inductas tranquillitatis Deo donante capiamus, ut licentiùs ſecuriúſque peccemus. Quo fit, ut pax noſtra contra nos ſit.* Et rurſum lib. 6. pag. 220. *Munera autem Dei & blandimenta quænam ſunt? quæ ſcilicet, niſi pax noſtra, & quies noſtra; & famulantes votis ac voluptatibus noſtris rerum ſecundarum tranquillitates?* Erat ergo ſaltem in Galliis, cum in eâ Salvianus hæc ſcriberet, beata & alta pax, *diveſq;* (ut loquitur) *bonis omnibus tranquillitas.* quietis tantiſper, qui ſedes ſibi ſuas acceperant, Barbaris. donec eam Chlogio, perfidiâ tum Francis adhuc infidelibus aſſuetâ, rumperet, ut proximo anno & capite videbimus.

ſimul frugum abundantia eſſet.

Quæ tum apud Belgas Galloſq; regnarent vitia. Salv. l. 6. pag. 197.

2. Interim juverit hîc ex eodem Gallorum his annis Belgarumque vitia communia, colligere, & Lectori exhibere. Libro ſexto cùm in ſpectacula ludicra invehitur, *Reſpondere*, inquit, *hoc poteſt, non in omnibus hæc Romanorum urbibus agi. Verum eſt: etiam plus ego addo, Ne illic quidem nunc agi, ubi ſemper acta ſunt antea. Non enim hoc agitur jam in Moguntiacenſium civitate; ſed quia excisa & deleta eſt. Non agitur Agrippinæ ſed quia hoſtibus plena. Non agitur Treverorum urbe excellentiſſimâ; ſed quia quadruplici eſt everſione proſtrata. Non agitur denique in plurimis Galliarum urbibus & Hiſpaniarum: quandoquidem ex illo in urbibus Romanis hæc mala non ſunt, ex quo in Barbarorum jure eſſe cœperunt.* Mox: *Loca & habitacula turpitudinum idcirco adhuc ſunt, quia illic impura omnia priùs acta ſunt: nunc non aguntur, quia agi jam præ miſeria temporis atque egeſtate non poſſunt. & ideò quod priùs actum eſt, vitioſitatis fuit; quod nunc non agitur, neceſſitatis. Calamitas enim fiſci & mendicitas ærarii non ſinit, ut ubicumque in res nugatorias perdita profundantur expenſa.* & pag. 199. *Per hæc jam factum eſt, ut major pars Romani orbis in deſolationem eſſet, & in ſtuporem, & in maledictum.*

Exceptis urbibus deſtructis, maximè Treviris.

3. Ait ecce, *Agrippinam* non exciſam, ſed tantum *hoſtibus plenam.* Nempe Agrippinenſes jam inde à primâ Barbarorum eluvie maturè urbi ſuæ providerant, cùm ſpontaneâ ſocietate Francos ultrò ſibi adſciverant, & in ſuam urbem induxerant. quos Salviano hæc ſcribente, 30. & ampliùs jam annis retinebant, non ſibi tamen, ſed Romanis à ſe derelictis *hoſtes.* Contrà, *Moguntiam* ſcribit non *hoſtibus plenam*, quia Romanorum adhuc erat, Burgundionibus jam victis & inde pulſis, ut diximus; ſed *exciſam*, ut ſuprà ea Hieronymo quoque vidimus. Addit *Treverorum urbem* nuper *excellentiſſimam, quadruplici everſione* adhuc *proſtratam*, jacere; quia ſcilicet non inſtaurabatur; ejus, ut memoravi, dignitate Arelatum tranſlatâ. Denique *plurimas Galliarum & Hiſpaniarum urbes in Barbarorum jure jam eſſe*, nempe Francorum, Alanorum, Gothorum, Suevorum: quibus eas ex pacto Romani ceſſiſſent. Aliquid tamen feliciter ab Aëtio Ducibúſve Romanis ſubinde geſtum, ita innuit pag. 122. *Si quo ſacra miſerationis auxilio, aut ſervatæ urbes fuerint aut finita populatio, aut hoſtiles exercitus fuſi, & metus omnis dono divinitatis ablatus; ad ludos protinus curritur, in Circis plebs tota bacchatur.* pag. 223. *Religionem novimus, ignorantiâ non excuſamur.* &c.

Agrippina hoſtibus & Francis plena.

Moguntia excisa.

Plurimæ Galliarum urbes in Barbarorū poteſtate.

Circenſis petulantia.

4. Tum defractis Romanorum viribus agens, *Fortiſſimi*, ait, *quondam Romani erant, nunc ſine viribus. Timebantur Romani veteres, nos timemus. Vectigalia illis ſolvebant populi Barbarorum; nos vectigales barbaris ſumus. Vendunt nobis hoſtes lucis uſuram. tota admodum ſalus noſtra commercium eſt. O infelicitates noſtræ! ad quid devenimus? & pro hoc gratias barbaris agimus, à quibus nos ipſos precio comparamus. Quid poteſt eſſe nobis vel abjectius vel miſerius? Et vivere nos poſt iſta credimus, quibus vita ſic conſtat. Inſuper etiam ridiculos ipſi nos eſſe facimus; aurum quod pendimus, munera vocamus. dicimus donum eſſe quod precium eſt, & quidem precium conditionis duriſſimæ ac miſerrimæ. Omnes quippe captivi cùm ſemel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos ſemper redimimur, & nunquam liberi ſumus. Illorum more Dominorum nobiſcum Barbari agūt, qui mancipia obſequiis ſuis neceſſaria, mercedibus dependendis locant. Similiter enim nonunquam ab hac liberi ſumus functione, quam pendimus. Ad hoc quippe mercedes jugiter ſolvimus, ut ſine ceſſatione ſolvamus.* Hæc ille lib. 6. finiente.

Romani tunc timidiſſimi. & Barbarorū vectigales.

Sine ullâ libertatis redemptione.

5. Quinam porrò Barbari Gallias premerent, ſat innuit lib. 7. pag. 256. cùm eos ita colligit: *Gothorum gens perfida. ſed pudica eſt. Alamannorum impudica, ſed minus perfida. Franci mendaces, ſed hoſpitales.* (unde nihil mirum, ſi cum iis Agrippinenſes & Belgæ finitimi ut facili ita firmâ ſocietate coaluerint.) *Saxones crudelitate efferi, ſed*

Barbari iſti erant Gothi Alemanni, Franci,

Saxones.

caſtitate mirandi.] Rectè à meridie Galliarum in Septemtriones progreditur. Gothi quippe Aquitaniam maximè meridionalem occiduamque tenebant; Alemanni in Maximam Sequanorum & Germaniam primam graves incumbebant; Franci Germaniam ſecundam coherentem; ulteriorem & ad Rheni oſtia Saxones occupabant. Burgundionum in Salviano, nulla, ut dixi mentio; quia jam illi per Hunnos Aëtio immittente deleti, & reliquiæ in Sabaudiâ Romanis immixtæ, magis precariò vivebant, quàm premebant. Libro autem 4. pag. 130. ad prædictas quidem gentes addit & Gepidas, & Hunnos, & Alanos. pag. 137. etiam Scythas & Mauros. Pictorum Scotorumque nunquam mentionem infert: ſeu quia nunquam Galliis viſi, ſeu quia tum quieſcerent.

Burgundiones non memorat Salvianus; quia tunc ferè deleti.

Gepidæ, Hunni, Alani.

6. Sed inter hæc nihil magis quàm Judicum Præfectorumque tyrannidem inſectatur. libro 4. pag. 190. *Illud latrocinium ac ſcelus, quis dignè eloqui poßit, quòd cùm Romana Reſp. vel jam mortua, vel certè extremum ſpiritum agens, in eâ parte quâ adhuc vivere videtur, tributorum vinculis, quaſi prædonum manibus ſtrangulata moriatur; inveniuntur tamen plurimi divitum, quorum tributa pauperes ferunt.* &c. *certe enim remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egerunt, quàm ut divites cunctos immunes redderent, miſerorum tributa cumularent? ut illis demerentur vectigalia vetera, illis ut adderentur nova?* &c. & paulò ſuprà, pag. 104. 105. *Quamvis tyrannidem hant, non pauperes tantùm, ſed penè univerſitas patiatur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium, quàm proſcriptio civitatum? aut quid aliud quorumdam, quos taceo, Præfectura* (an Albini?) *quàm præda? Nulla ſiquidem major pauperculorum eſt depopulatio, quam poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione ſolvatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt. commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt. ut pauci illuſtrentur, mundus evertitur. unius honor orbis excidium eſt. Denique ſciunt hoc Hiſpaniæ, quibus ſolum nomen relictum eſt. ſciunt Africa, quæ fuerunt. ſciunt Galliæ devaſtatæ, ſed non ab omnibus; & ideo in pauciſſimis adhuc angulis vel tenuem ſpiritum agentes; quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina evacuavit.* Et libro 5. pag. 158. *& hinc eſt, quòd etiam hi, qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen eſſe coguntur: ſcilicet ut eſt pars magna Hiſpanorum, & non minima Gallorum: omnes denique quos per univerſum Romanum orbem fecit Romana iniquitas jam non eſſe Romanos. De Bagaudis nunc mihi ſermo eſt.* &c. Neque enim in Galliis modò, ut antè vidimus; ſed & in Hiſpaniis graſſabantur Bagaudæ, ſive Tarraconenſes, ſive Aracellitani, quorum his annis disertè meminit Idatius in Chronico.

Romana Reſp. moriens. Judicum Præfectorumque tyrannis,

ferè univerſalis.

Galliæ vaſtatæ vix tenuem ſpiritum agunt.

Romani ad Barbaros Bagaudaſque confugiunt.

7. Sed quoniam non profana tamen Galliarum, ſed & Eccleſiaſtica maximè deſcribere inſtituimus; Chriſtianorum quoque mores & corruptam Eccleſiæ diſciplinam ex eodem hauriamus. lib. 3. *In tantum vitiosè ab omnibus vivitur, ut propè nullus Chriſtianorum ſit, qui non jugiter naufragare videatur. Sed dicit fortaſſe aliquis, non id eſſe nunc temporis, ut pro Chriſto nos perferamus, quæ tunc Apoſtoli pertulerunt. Verum eſt. non enim ſunt Principes pagani, non tyranni perſecutores, non ſanguis Sanctorum funditur, nec fides ſuppliciis comprobatur. Contentus eſt Deus noſter, ut ei pax noſtra ſerviat, ut ſolâ ei immaculatorum actuum puritate & vita incontaminabilis ſanctitate placeamus. & ideo cùm & principes Chriſtiani ſint, & perſecutio nulla ſit, & Religio non inquietetur; qui ad probandam fidem experimentis durioribus non compellimur, inferioribus ſaltem officiis Domino plus placere debemus.* & Mox pag. 74. *Videamus ſi in illis ſaltem religioſæ devotionis obſequiis, quæ minora atque communia in ſummâ quiete & omni tempore omnes Chriſtiani obire poſſumus, præceptis dominicis reddere tentamus. Jubet Chriſtus, ne litigemus. quis jubenti obtemperat* &c. *Tam procul abeſt, ut cum tunicis etiam alia relinquamus, ut ſi quo modo poſſumus, pallium ſimul adverſariis tunicáſque tollamus,* &c. *Quotuſquiſque eſt, qui ſi ictum unum acceperit, non multos pro uno reddat? tantum ab illo abeſt, ut cedenti maxillam præbeat.* &c. *Quid ab aliis præſtari nobis velimus, optimè novimus: quid autem ipſi aliis debeamus præſtare, neſcimus. Atque utinam neſciremus! minor eſſet ignorantiæ reatus.* &c.

Corrupta Eccleſiæ diſciplina. Salv. l. 3. pag. 73. 74.

Præcepta Dei violantur.

8. De Jurandi autem prava conſuetudine, plura habet: *Juſſit Salvator noſter, ut Chriſtiani homines non jurarent. Plures invenias, qui ſæpius pejerent, quam qui omnino non jurent.* Et lib. 4. pag. 131. 132. *Quis eſt omnino hominum ſæcularium, præter paucos, qui non ad hoc ſemper Chriſti nomen in ore habeat, ut pejeret? Unde etiam pervulgatum hoc ferè, & apud nobiles & apud ignobiles ſacramentum eſt,* PER CHRISTUM. *Per Chriſtum, quia hoc facio. Per Chriſtum quia nihil aliud dicturus, acturus ſum. In tantum apud plurimos nomen hoc parvi penditur, ut nunquam minus cogitent quippiam facere, quam cùm ſe jurant per Chriſtum eſſe facturos. Denique multi non otioſas tantummodo res & aniles, ſed ſcelera quædam ſe jurant per Chriſti nomen eſſe facturos. Hic enim loquendi uſus eſt talibus: Per Chriſtum, quia tollo illud. Per Chriſtum, quia cædo illum. Per Chriſtum, quia occido illum. Ad hoc res cecidit, ut cum per Chriſti nomen juraverint, putent ſe ſcelera etiam Religioſè eſſe facturos.* & pag. 134. *Armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen, auctorem quodammodo ſui ſceleris Deum faciunt: & cùm interdictor ac vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicunt ſe ſcelus quod agunt, agere pro Chriſto. Sed de barbaris iniquitate conquerimur, & paganicam barbariem pejerare cauſamur. Quanto minore peccato illi per dæmonia pejerant, quàm nos per Chriſtum? Quanto minoris rei crimmis eſt, Jovis nomen quàm Chriſti? ibi homo eſt mortuus per quem juratur, hic Deus vivus qui pejeratur.* & pag. 136. *Quæ cùm ita ſint, magna videlicet nobis prærogativâ de nomine Chriſtianitatis blandiri poſſumus, qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipſum, quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe videatur.*

Juratur aſſiduè Per Chriſtum.

Etiam ad malum faciendum.

Chriſtiani opprobriũ Chriſti.

9. *At è diverſo in Paganis, quid horum ſimile quæ dicimus? Nunquid dici de Hunnis poteſt: Ecce quales ſunt, qui Chriſtiani eſſe dicuntur? Nunquid de Saxonibus aut Francis, Ecce quæ faciunt, qui ſe aſſerunt Chriſti eſſe cultores? Nunquid propter Maurorum efferos mores, lex ſacroſancta culpatur? Nunquid Scytharum aut Gepidarum inhumaniſſimi ritus in maledictum atque blaſphemiam nomen Domini Salvatoris inducunt? Nunquid dici de ullis iſtorum poteſt, ubi eſt lex Catholica quam credunt? ubi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici ſunt; Apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequuntur & rapiunt. vitam improbam agunt, & probam legem habere ſe dicunt.* Et paulo antè pag. 130. *Poſſunt noſtra & Barbarorum vitia eſſe paria. ſed in his tamen vitiis neceſſe eſt peracta noſtra eſſe graviora. Nam cum*

Per omnia ferè peccata.

omnes

etiam Barbaris graviora.

omnes Barbari aut Pagani ſint aut Hæretici; ut de paganis, quia prior illorum error eſt, priùs dicam: Gens Saxonum fera eſt, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana Hunnorum impudica: omnium denique gentium barbaratum vita vitioſa. Sed nunquid eumdem reatum habent illorum vitia quàm noſtra? Nunquid tam criminoſa eſt Hunnorum impudicitia, quàm noſtra? Nunquid tam accuſabilis Francorum perfidia, quàm noſtra? aut tam reprehenſibilis ebrietas Alamanni, quàm ebrietas Chriſtiani? aut tam damnabilis rapacitas Alani, quàm rapacitas Chriſtiani? Si fallat Hunnus vel Gepida, quid mirum eſt? qui culpam penitus falſitatis ignorat. Si pejeret Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non criminis. Et quid mirum, ſi hoc Barbari ita credant, qui legem & Deum neſciunt. cùm major fere Romani nominis portio ita exiſtimet, quæ peccare ſe novit. Nam ut de alio hominum genere non dicam, conſideremus ſolas negotiatorum & Siriſcorũ omnium turbas, quæ majorem fermè civitatum univerſarum partem occupaverunt: ſi aliud eſt vita iſtorum omnium, quàm meditatio doli & tritura mendacii: aut ſi non perire admodum verba æſtimant, quæ nihil loquentibus proſint. Tantus apud hos Dei honor eſt prohibentis etiam juſiurandum, ut ſingularem exiſtiment fructum omnium perjurium. Quid ergo mirum barbaros fallere, qui falſitatis crimen ignorant? Nihil enim contemptu agunt cœleſtium præceptorum, præcepta Domini neſcientes, quia non facit aliquid contra legem legis ignarus. &c. Idem lib. 3. pag 80. 81. habet de invidia, detractatione, murmuratione.

Quia hi legem Dei neſciunt.

Negotiatorum iniquitas,

& perjuria.

10. Denique de abuſu Eccleſiæ ita in genere lib. 3 pag. 85. *Grave & luctuoſum eſt, quod dicturus ſum. Ipſa Dei Eccleſia, quæ in omnibus eſſe debet placatrix Dei, quid eſt aliud, quàm exacerbatrix Dei? aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud pæne omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum? Quotum enim quemque invenies in Eccleſia, aut non ebrioſum, aut belluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem, aut homicidam? & quod his omnibus pejus eſt, prope hæc cuncta fine fine.* Mox pag. 86. *In hanc morum probroſitatem prope omnis Eccleſiaſtica plebs redacta eſt; ut in cuncto populo Chriſtiano genus quodammodo ſanctitatis ſit, minus eſſe vitioſum. Itaque Eccleſias, vel potiùs templa atque altaria Dei minoris reverentiæ quidam habent, quàm cujuſlibet minimi ac municipalis Judicis domum.* &c. *In altaria atque ſacraria Dei paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine ullâ penitus reverentiâ ſacri honoris irrumpunt.* &c. *Conſummatis ſolennibus ſacris. ſtatim ad conſuetudinaria omnes ſtudia diſcurrunt, alii ſcilicet ut furentur, alii ut inebrientur, fornicentur: ut evidenter appareat, hoc eos intra templum eſſe meditatos. quod poſtquam egreſſi fuerint, exequuntur.* Tandem librum ſuum tertium ita concludit: *Unde cum pænè nullam Chriſtianorum omnium partem, pænè nullum Eccleſiarum omnium angulum non plenum omni offenſione, & omni letalium peccatorum labe videamus; quid eſt, in quo nobis de Chriſtiano nomine blandiamur?* At in præfatione ad Eccleſiam Dei, pag 322. *Video, ait, hoc malum* avaritiæ *non ad Mundiales tantum homines, ſed etiam ad pænitentes atque converſos, ad viduas quoque jam continentiam profeſſas, atque ad puellas in ſacris altaribus conſecratas; quódque propè inter monſtra reputandum, ad Levitas etiam atque Presbyteros: & quod his feralius multo eſt, etiam ad Epiſcopos perveniſſe.*

Eccleſiarum altariumq; contemptus & profanatio.

etiam ab Eccleſiaſticis, Sacerdotibus, &c.

11. Eadem vitia Religioſis quoque tribuit lib. 5. pag. 172. & in ejus fine contra quempiam Magnatum, ut apparet, invehitur, ut crudelem, rapacem, iniquum, &c. Neſcio an Aëtium, an Albinum P. P. Galliarum; de quibus, ita ad annum Chriſti 440. Proſper vulgaris: *Valentiniano Aug. V. & Anatolio Coss. defuncto Xiſto Epiſcopo, 40. amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili pace atque patientiâ præſentiam Diaconi Leonis expectans: quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitia redintegranda Galliæ retinebant. quaſi ideo longiùs eſſet abductus, ut electi meritum, & eligentium judicium probaretur. Ideo Leo Diaconus legatione publicâ accitus, & gaudenti patriæ præſentatus, 43. Romana Eccleſia Epiſcopus ordinatur.* Felix ea quidem ordinatio: infeliciſſima iſta duorum capitum diſſenſio, quæ Gallias pœnè jam expirantes conficere potuit.

etiam à Religioſis.

12. Ceterùm, quod ad Belgica attinet, in memoriam revocandum, quod ſuprà monuimus, Salvianum Belgam, ſeu Agrippinenſem ſeu Trevirum videri fuiſſe. quin priore è ſuis Epiſtola ita de Colonia loquitur, quaſi in ea parentes habeat; & l. 6. p. 210. cum in Trevirorum peccata invehitur, eorum tanquam *in patrio ſolo* (ſic enim loquitur) meminiſſe videtur. prorſus ut tanto Scriptore, tam ſancto vetuſtoque Patre, vero ſui ævi Hieremia, jure Belgica noſtra gloriari poſſit. Natus videtur non multò pòſt annum Chriſti vulgarem 390. Nam Treverorum everſiones ait ſe vidiſſe, utique cùm adoleſcens eſſet, nec multo junior quàm annorum 20. eoque cùm hoſce de Dei Gubernatione & Providentiâ libros anno Chriſti 442. componeret, annorum facilè 50. Sanè S. Hilarius Arelatatenſis ab anno Chriſti 429. ad 449. Epiſcopus; ejus, uti jam celebris ſcriptoris meminit in funebri de S. Honorato deceſſore ſuo Homilia. Cumque Gennadius de Viris illuſtribus eum adhuc *in ſenectute bona vivere* ſcribat, facilè ad annum Chriſti 460. vel 470. ætatis ſuæ 70. aut 80. pertigerit.

Salvianus omnino Belga, ſeu Trevir, ſeu Agrippinenſis

Ejus ætas.

CAPUT VII.

Chlodio in Carbonariam, ſeu in Nervios, ad Scaldim uſque progreditur. Tornacum ac Cameracum capit.

Annis Chriſti 442. & 443.

1. POſt modicam illam, & vix ſexennalem Galliarum pacem; ſeu *poſt beatam & divitem bonis omnibus tranquillitatem*, quâ ſuos de Providentiâ Dei libros, proximè à Littorii clade, circa annum Chriſti 442. edidiſſe ſe ſcribit lib. 6. Salvianus; graviora ſtatim alia duo bella ſuccreverunt; ab Hunnis generalius, & per totam ſere Europam unum; particularius à Francis alterum, ſed Belgicæ noſtræ non minus grave. De priore poſteriùs ac fuſiùs agam; poſteriùs quia domeſticum priùs exequar.

Annus Chriſti 442 aut 443.

Duo bella nova, Francicum in Belgio, & Attilanum in Occidente.

2. Francorum in Belgio noſtro novum & inopinatum hoc tempore motum, plura ducent. Primùm Sidonius Apollinaris Carmine quinto, Majoriani Panegyrico, v. 212. Aëtii & Chlogionis

Bellum Frãcicum, & ejus tempus.

Franco-

Francorum tunc Regis in Atrebatibus noſtris conflictum contigiſſe memorat, *tempore parvo* poſt Turonos à Majoriano in bello Bagaudico Armoricóve, circa annum Chriſti 436. *defenſos*; quo ille *Ligerim bipenni excisum*, hyeme ſcilicet congelatum, *per fruſta bibit. Cùm bella timentes Defendit Turonos. Pòſt tempore parvo. Pugnaſtis pariter. Francus quà Clojo patentes Atrebatum campos pervaſerat.* Ab eo anno 436. ad hunc 442. vix anni ſex interfluunt, quo Salvianus ſuos de Gubernatione Dei libros proximè poſt Littorii cladem luci ſe dediſſe ſcribit, ſtante adhuc illâ beatâ, licèt Halcyoniâ quiete; mox per Bledam Attilamque fratres, Hunnorum Reges in Thraciâ, & per Chlogionem Francorum Regem in Belgio noſtro ſuccisâ; ut Marcellini duorumque Proſperorum teſtantur Chronica. Et *parvum* illud Sidonii *tempus* commodè ſexennio expletur. Secundò, idem Sidonius ibidem, verſ. 530. Majorianum, quando ex Italiâ, paulò antè Imperator factus, in Gallias anno Chriſti ſeneſcente 458. Lugdunum venit, adhuc *Juvenem* appellat. Demus Majoriano tunc annos vitæ 38. Hoc igitur anno Chriſti 442. qui eſt ante 458. ſextuſdecimus, ætatis annum vix explebat viceſimum tertium. Anno autem 436. quo *Turonos defendit*, vix ſeptimum-decimum. Nihilo ſanè minus dare poſſumus, ſeu quando in Atrebatibus annorum 23. adoleſcens, contra Clojonem cum Aëtio conflixit; ſeu cùm Turones defendit, annorum fere 17. Commodè ergo Chlogionis novum è Tungris & Diſpargo in Nervios ſeu Carbonariam procinctum, ad annum Chriſti fere 442. aut 443. referimus. Tertiò denique Sigebertus in Chronico, Chlogionis hunc eumdem in urbes Tornacenſem Cameracenſemque procinctum, quem proximè excepit Atrebatenſis illa pugna, ad annum ſuum 445. affigit. Jam Chriſti annos Sigeberti Chronicon, juxta Dionyſianam ſeu vulgarē Chriſti Æram, quam ſequimur, toto biennio prevertit, ut alibi validè probo, & per ſe patet. Quare iſta Chlogionis in Carbonariam ſeu Hannoniam, & mox in Atrebates expeditio, circa annum Chriſti Dionyſianum 442. aut 443. omnino contigit; quod pro ſequentibus tam operosè oſtendo.

Ex variis probatum.

Ex ætate Majoriani poſteà Imperatoris.

Ex Sigeberti & antiquiorum Chronico.

3. Jam igitur iſtud Chlogionis è Tungris in Nervios, & Menapios ad Scaldim, mox etiam trans Scaldim in Atrebates iter retexamus. Ex Notitiâ Imperii anno fere Chriſti 437. contextâ, vidimus, ultimum Romanorum cis Moſam in Tungris præſidium fuiſſe *Lagium prope Tungros*, quia ulteriora Moſam verſus & Rhenum, Francis Romani remiſerant. Quare ſi Chlodio ex oppido Juliæ *Heinſbergo* verſus Nervios profectus ſit (de quo donec Nummos è Childerici ſepulchro erutos videam, adhuc dubito) *Lagium* iſtud *prope Tungros* tunc everſos, primò occurrens, ceperit deſtruxeritque. Inde viâ militari adhuc hodie ſuperſtite, Carbonariam Hannoniamque ſeu Nervios, & Nerviorum paulò antè caput BAVACUM tunc æquè jacens inicrit. *Ibi*, ait Jacobus Guiſius ex patriis Annalibus, *rememorans priſtinam Francorum proſtrationem*, illic ante annos 55. nempe Chriſti anno 388. *factam*; *macerias atque ruinas illius* (Octaviam vocat) *ſolo coæquari juſſit, nunquam reparandas*. Idem de Fano Martis dicit, quaſi æquè deſtructo; quod tamen ante quinquennium adhuc integrum & à Romanis inſeſſum è Notitiâ Imperii vidimus *Lætorum Nerviorum præſidio* benè munitum. Nunc illud jam diu ſubverſum intuemur; ſicut & maximè BAVACUM. cujus adhuc rudera non pauca ſuperſunt, hic à nobis tangenda.

Chlodionis in Nervios & Atrebates progreſſus.

Lagium prope Tungros capit & evertit.

Bavacum venit & eradit.

Item Fanū Martis Notitiæ Imperii memoratum.

3. Jacet hodie BAVACUM, aut Bavaci potiùs cadaver, in mediâ fere Hannoniâ; vix tertiam quantum colligi datur, antiqui Romanique pomœrii partem occupans. Viſitur ad ejus latus occiduum, ager fundamentis antiquioribus & amplis oppletus, quæ in dies eruuntur. Illum Martis campum civium aliqui, alii Mortuorum appellant; videturque potiùs antiquæ Urbis fundus. ex eo certè quotidie diverſi Imperatorum Nummi, ærei plurimi, ſubinde & argentei aureique eruuntur, uſque ad Honorium; cujus tamen pauciores ſe produnt. Frequentiſſimi ſunt Antoninorum, Poſtumi, Conſtantini, Valentiniani primi, &c. Intra muros autem hodiernos, tametſi exiles & valde laceros, ſuperſunt quaſi Circi unius rudera; cujus Meridionale latus ſatis adhuc integrum; boreale pœnè totum evanuit. Circi flexus, adhuc in mœnibus hodiernis apparet; pars anterior in Orientem porrecta, civium ædibus occultata vix ſe prodit. Guiſius ſimilium indagator ſtrenuus lib. 1. cap. 13. navis illum figuram expreſſiſſe ſcribit; cujus latitudo major trecentorum intrinſecus cubitorum extiterit. Ego tamen laterales ejus muros non in navis formam inflexos & ovales, ſed rectos & fere parallelos advertiſſe videor. unde Circo Romæ Maximo ferè ſimilem, licèt minorem, exiſtimavi. Latum vidi trecentorum pedum, vix cubitorum: longum ultra dupli proportionem. Sed Circum non agnoſcunt inquilini, neque Guiſius; Palatium hic, illi Caſtellum, vulgo Chaſtelet vocant. Addunt iiſdem incolæ, ſub templo oppidi hodierno, quaſi Thermarum quarumdam apparere veſtigia. Neſcio an hypocauſtum fuerit; illi fortè non abſimile, quod Camdenus in Britannia ſuâ, in Flintſhire & Ordovicibus, apud *Hope Caſtle* ſuo tempore effoſſum ſcribit. Nuper anno 1633. juxta portam Bavaci Valencenenſem, ingentis cujuſdam ædificii, an Palatii fundamenta detecta ſunt: in quibus plures ductus & quaſi viæ è marmore polito, cum columnarum ingentium fragmentis.

Bavaci excisi conſideratio.

Nummi Imperatorum inde eruti.

Rudera mirabilia.

4. Sed nihil æquè ſpectatorem in admirationem rapit, quàm immanis Aquæductus, multis adhuc locis ſatis integer; quatuor inde leucis noſtratibus à Meridie fere advocatus, & è decem fontibus à ſe diſſitis eductus: quorum copioſiſſimus videtur Floreſiacenſis, vernaculè *Fleurefy*, è pago cognomini; Inde Eclebienſis, ceterique finitimi. Qui omnes per tubos lateritios, eoſque ſubterraneos (ut de Romanis Aquæductibus notat Frontinus) ad vicum *Limon*, ſeu potiùs ad villam *de l'hoſpital* vulgo dictam, medio ab Eclebiâ milliari noſtrate, ſeu leucâ, in alveum quemdam communem devolvuntur & coëunt. Unde jam murus ſpiſſior, cœmento tenaciſſimo conſurgens; in ſui medio ac veluti centro, tubum ſeu canaliculum infernè quidem arcuatum & concavum, supernè planum continebat; qui aquas decurrentes Bavacum uſque, etiam ſupra Sabim fluvium (quem interſecans tranſmittebat) tutò perenniterque devolvebat; Romanis non abſimilis, quos ſe vidiſſe dicebant plures tunc mihi aſſiſtentes ſocii. Opus ſanè mirabile, planeque Romanum; quod nos aliquoties diutiuſque, magnâ animi voluptate, nec

Aquæductus immanis.

minore

minore admiratione cõſideravimus. Murum iſtum in quatuor leucas productum, incolæ & ruſtici per quos tranſit, adhuc hodie *Les Murs de l'Ayduct*, paſſim vocant, & oſtentant, quod Muri Aquæductûs Latinè diceres. *Ay* enim vel *Aue* vetere Belgarum & Gallorum noſtratium linguâ, Aquam; *duct*, ductum exprimit. Plures Bavaci Romanorum antiquitates poterit curioſus Lector indagare: nobis ad priſcam nobiliſſimæ Nerviorum Urbis memoriam, iſta interim ſufficere viſa. Pergat narratio, & in ſuâ verſus Scaldim expeditione, Francorum Rex Chlogio.

Chlodio ſeu Chlogio Francorum Rex, Tornacum Cameracumq; capit.

5. Bis jam antè fuerat ille ab Aëtio victus, primùm anno Chriſti 428. tum etiam 431. *Mox in pace*, regno ei toto reſtituto, ſi non & aucto, eodem anno 431, Idatio teſte *ſuſceptus*. eodem Aëtio in Bonifacium æmulum ſe vertente. Jamque annos ferè quindecim cis Rhenum regnum; poſt bina iſta bella pacis impetratæ, annos jam decem cuſtos ſatis fidus tenebat. Cùm ecce Romanos conſpicatus variis bellis implicitos ac fatiſcentes; Wandalico in Africâ Siciliaque; Suevico in Hiſpaniâ; & Hunnico maximè in Thraciâ & Illyrico; tantam Regni producendi occaſionem arripuit; neſcio an non etiam cum hoſtibus iſtis conſpirationem iniit; certè Occidentem verſus Belgium noſtrum Occidentalius ad Scaldim uſque irrumpere inſtituit. Collecto igitur ingenti è Francis etiam tranſrhenanis exercitu, *Rhenum* rurſus cum illis *tranſit; ac miſſis Diſpargo*, ubi tunc agitabat, *ad urbem Cameracum*, quod dicere cœperam, *exploratoribus; per luſtrata omnia ipſe ſecutus* (Gregorii Turonenſis jam verba ſunt, lib. 2. cap. 9.) *Romanos proterit, civitatem apprehendit*. Eadem totidem ferè verbis narrat Gregorii poſterior epitome, cap. 9. At prior cap. 5. paulò fuſiùs; *Chlodio*, inquit, *Rex miſit exploratores de Diſpargo caſtello Thoringorum*, (Tongrorum) *uſque ad urbem Cameracum; ipſe poſtea cum grandi exercitu Rhenum tranſiens, multum populum Romanum proſtratum fugavit. Carbonariam ſylvam ingreſſus*, ea eſt Hanuonia noſtra, ut dixi, *Tornacenſem urbem obtinuit: exinde uſque Cameracum urbem properavit, ibique parvo tempore reſidens, Romanos quos ibi invenit, interfecit*. Carbonariam ecce ingreſſus, Tornacum primò occupat; quod & Sigeberti Chronicon aſſerit; uterque ſuper Gregorium: nec procul abſcedit Aimoinus lib. 1. cap. 5. Ado autem Viennenſis Archiepiſcopus, circa annum Chriſti 880. Chronicon ſcribens, Chlodionem *Cameracum* quoque *ſibi ſedem*, credo regni, *ſtatuiſſe*, & ibi ſepultum diſertè ſuperaddunt Annales noſtri.

Romanis alibi occupatis.

Meroveus militiæ Chlodionis Magiſter, habens hoc anno 442. filium Childericum circiter oſtennem.

6. Quos iccirco etiam hic à Jacobo Guiſio, lib. 19. cap. 1. productos, juvat inſerere : *Chlodius* inquit, *cum ſuis Francis, Meroveum nobilem militem, Militia ſua Magiſtrum conſtituit; & à Diſpargo caſtello Thoringia*, ſeu Thongriæ, *uſque ad portas Tornacenſium & Cameracenſium ſuo ſubjugavit dominio*. Erat Meroveus iſte Chlodioni conſanguineus, ut in Chlodionis morte probabo. ideoque ea illis haud dubiè Francis, quos Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 9. *de primâ & nobiliore Francorum familiâ, Reges Crinitos in Thoringiâ* ſeu Tongriâ, & credo etiam Nerviis, atque Menapiis, *juxta pagos vel civitates*, à Francis aliis *creatos* memorat. Certè Chlodioni in regno etiam Cameracenſi ſucceſſiſſe; eoque poſteros ejus Francorum abſolutè Reges Meroveadas, ſeu Merovingos ab eo dictos, omnium conſenſus eſt. Prorſus ut licèt primùm militiæ Magiſter Chlodioni fuerit, poſtea tamen rebus contra Romanos cum Chlodione ſtrenuè geſtis; & maximè illis in primo Carbonariæ ingreſſu protritis, Tornacum ex Chlodionis voluntate, & laboris præmio ſibi retinuerit; ubi & mortuus ſepultusque fuerit; ſicut de ejus filio Childerico poſt eum Rege detectum ibidem poſt tot ſæcula anno priore 1653. ſepulchrum certò nos docet. de quo fuſiùs infrà ſuo loco, cùm illum filiorum Chlodovei tutorem audiemus. Meroveum ergo cum familia ſua Tornaci tantiſper relinquamus, donec cum eodem Chlogione novâ contra Aëtium in Atrebatibus pugnâ victoriaque novo præmio auctum, tamquam militiæ Magiſtrum videamus. Atque hæc omnia annis Chriſti maximè 442. 443. geſta.

De primâ Francorum nobilitate.

Ab eo Meroveadæ, ſeu Merovingi Francorum Reges.

Tornaci primùm egiſſe videtur.

CAPUT VIII.

Chlodio ſeu Clojo Atrebates pervadit; pugnâ ab Aëtio vincitur.

Anno Chriſti 444.

1. ANno 444. cùm nihil Hunnica bella remitterent, Attilâ præſertim jam, poſt Bledam fratrem inſidiis ac fraude cæſum, Hunnorum Monarchâ, Romanis maximè formidando; impetum cœpit Chlodio, fortè & ab Attilâ, Genſerico, & aliis barbaris incitatus, regni ad Suminam ſeu Somonam uſque fluvium à Scalde proferendi. In Atrebates ergo finitimos ac primò obvios, inflatum tot victoriis exercitum, & ejus maximè ductorem Meroveum immiſit. An Nemetacum ſeu Nemetocennam, gentis caput, hodie Atrebatum, obſederit ceperitve, non lego. Non multò poſt cepiſſe certum eſt, Aëtio tunc abſente, & bellis gravioribus atque interioribus occupato. Quæ tamen Aëtius, tanto Chlogionis incremento territus, relinquere coactus, in Belgiũ, & Atrebates noſtros cum Majoriano juvene tum florente, poſtea Imperatore, ſubitus accurrit. Erat tum in patentibus ipſis Atrebatum terris Chlodionis exercitus, ex tot proſperis ſucceſſibus petulantior, & quaſi luxurians. Ad vicum iis intimum *Hedenam* ſeu *Helenam*, in viâ militari quæ Taruanam Atrebato ducit, nobilis cujuſdam Franci cum æquali Francâ nuptias in colle propinquo celebrans, & epithalamiũ forte canens; cùm ecce Aëtius agmine quadrato ſubitus apparet.

An ab Atrebatibus advocatus?

2. Fieri potuit ut Belgæ noſtri Secundi, in quibus etiam Atrebates, cum Francis, ut olim Arborichi Zoſimiani Procopianique, ſe junxerint; certè venientes non illibenter admiſerint; ruentis jam & corruptioris Imperii pertæſi. Fieri etiam contrà potuit, ut Belgarum nonnulli, variantibus, ut fit, diverſorum ſententiis atque conſiliis, Aëtium in opem advocarint, & rebus omnibus adjuverint. Certè ex Imperii Notitiâ ante ſeptennium editâ, *Nemetacum Atrebatum Laetorum Batavorum præſidio* non infirmo inſeſſum certò vidimus. Mirum ni illi cum civibus tantiſper reſtiterint, nî & Aëtium advocarint. Reſiſtentiæ ſaltem nonnihil innuit

Non videtur.

Ex Majoriani apud Sidonium Panegyrico.

Sidonius, cum Chlogionem Atrebatum terras pervaſiſſe occinit; *pervaſiſſe* inquam, nonnullâ vi ſcilicet, potiùs quàm deditione; Majoriani Panegyrico, ſeu Carmine quinto verſ. 212. ita Aëtium alloquens:

Ab Aëtio pugnâ ſuperatur.

——*Poſt tempore parvo*, quàm Majorianos Turonos defenderat,
Pugnaſtis pariter: FRANCUS quâ CHLOIO patentes, & verè patent,
Atrebatum terras pervaſerat. hic coëuntes
Claudebant anguſta vias, arcúque ſubactum
Vicum Hedenam, fluménque ſimul ſub tramite longo
Arctus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.
Illic te (Aëti) *poſito, pugnabat ponte ſub ipſo*
Majorianus eques. fors ripa colle propinquo,
Barbaricus reſonabat hymen; Scythicíſque choreis
Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito. Franco ſcilicet flaventi.

Majoriani cum Aëtio pugnantis ſtrenuitas.

3. *Hos ergo, ut perhibent, ſtravit*. Majorianos. *Crepitabat ad ictus*
Caſsis, & oppoſitis haſtarum verbera thorax
Arcebat ſquamis. donec converſa fugatus
Hoſtis terga dedit. plauſtris rutilare videres
Barbarici vaga feſta tori; conjectaque paſſim
Fercula, captiváſque dapes; cirróque madente
Ferre coronatos redolentia ſerta lebetas.

Nuptiæ ruptæ, & in prædam verſæ.

Ilicet increſcit Mavors; thalamíque refringit
Plus ardens Bellona faces. Rapit eſſeda victor, currus falcatos, quibus Galli & Britanni pugnabant,
Nubentémque nurum, &c. comparat has nuptias cum nuptiis Lapitharum & Centaurorum.

Francorum habitus, & veſtes.

His quoque monſtra domas, Francos ſcilicet gigantum inſtar proceros, *rutili quibus arce cerebri*
Ad frontem coma tracta jacet; nudatáque cervix, ideſt occiput
Setarum per damna nitet: tum lumine glauco
Albet aquoſa acies; ac vultibus undique raſis
Pro barbâ tenues perarantur pectine criſtæ
Strictiùs aſſuta veſtes procera coërcent
Membra virûm; patet his altatis tegmine poples,
Latus & anguſtum ſuſpendit baltheus alvum.

Arma, & in prælus animus.

4. *Excuſſiſſe juvat vaſtum per inane bipennes,*
Et plagæ præſciſſe locum; clypeóſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas;
Inque hoſtem veniſſe prius. puerilibus annis
Eſt belli maturus amor. ſi forte premantur
Seu numero, ſeu forte loci; mors obruit illos,
Non timor: invicti perſtant, animóque ſuperſunt
Jam prope poſt animam. Tales te (ô Aëti) *teſte fugavit* Majorianus
Et laudante viros. quiſnam ferat? omnia tecum,
Te ſine multa facit.

Chlogio Atrebato in Morinos pergens prælio vincitur, ad vicum Hedenam,

5. Cùm igitur Nemetacum ſeu Nemetocennam Atrebatum, & eorum *terras* Chlogio, vi ſaltem aliquâ pervaſiſſet; & ad ulteriora, puto in Morinos, Morinorúmque maximè caput Taruanam ſecurus jam, ceu victor viâ publicâ ſeu militari tenderet; & ad vicum Hedenam ſeu Helenam adhuc in Atrebatibus hærens, nuptias Franci cujuſpiam nobilis cum Francâ celebraret; ſubito Aëtii cum Majoriano florente tum juvene, poſtmodum Imperatore, ſuperventu occupatus, cladem aliquam paſſus eſt; quando etiam nuptâ captâ, complura Aëtius plauſtra, eſſedaque ſeu currus bellicos & falcatos abduxit; ac Francos ipſos, proceritate & agilitate terribiles, quos inſtar gigantum *monſtra* Sidonius hîc appellat, domuiſſe dicitur. & quidem ad vicum *Hedenam*. qui ideo Heſdinium, ut aliqui volunt, eſſe non poteſt. Nam illud non in Atrebatibus antiquis ac Romanis, ſed Morinis etiamnùm ineſt; cùm *Hedenam ſeu Helenam* in Atrebatibus Sidonius hîc collocet. Si *Hedenam* legas, ego quidem vicum *Houdaing* illuſtrem, & Comitum Renxiorum patrimonium, medio fere Atrebatum inter ac Taruanam itinere ſitum, intelligo. Nam illud ad flumen modicum jacet, quod ponte jungi facilè poteſt; & cujus ripæ dexteræ collis propinquus imminens, in ſatis latam latamque planitiem aſſurgit; ubi commodè Francorum caſtra poni, barbaricus hymeo reſonare, Scythicæque ſeu barbaricæ choreæ duci, pons item trabibus ſuppoſitis ad collem erigi potuerint; ſub quo ponte & Majorianus eques in valle aptè pugnaverit. Quod ſi *Helenam* forte legendum ſit; jacet in eâdem valle, & ad idem flumen, paulò ſuperiùs, vicus alter non multo ignobilior, *Olhain* dictus, diœceſis & ipſe Atrebatenſis, æquè ſere nobile nobilis quoque familiæ dominium. In ſuprema igitur collis iſtius planitie, prælium iſtud inopinatum commiſſum fuerit.

Quis ille?

Chlogio ſuperatus cù Meroveo ad Scaldim ſe recipit.

6. Quo ſuperatus Clodio fuſuſque, Cameracum ad Scaldim, ut & Tornacum Meroveus ſe receperint; Scaldi ſcilicet Aëtii victoris impetum repreſſuri; & per otium de nova pace conventuri. Nec Aëtius viribus defectus, & aliò tam variè avocatus pacem abnuerit; iis quæ Chlogio jam tenebat, de more remiſſis, etiam Nemetaco Atrebatium indulto. Quod & Placidia non probavit dumtaxat, ſed & Aëtium tertio Conſulatu, anno Chriſti proximo 446. tanquam in victoriæ præmium honoravit, collega Symmacho. Quod ſi eſt, ut eſſe videtur, nihil mirum fuerit, ſi Aëtius tertiùm tunc vere Conſul, de novo à Britannis querulis advocatus, venire nequiverit. præſertim cùm *Attila* jam adeo *intolerabilis Reip. evaſiſſet hoſtis*; ut etiam ipſo Beda teſte lib. 1. cap. 13. *totam penè Europam, excisis invaſiſque civitatibus atque caſtellis, corroderet*. Britannicas igitur Romanorum expeditiones, hic iterum poſtrema illa Proſperi Pithœani Perioche concludo, quæ ſi fortè ad ſecundum Aëtii Conſulatum non omnino aptari poteſt, ad tertiùm hunc certiſſimè referri poteſt; *Britannia uſque ad hoc tempus variis cladibus eventibúsque læta, in ditionem Saxonum rediguntur*. Simul in Galliâ, *Alani, quibus terra Galliæ ulterioris cum incolis dividenda à Patricio Aëtio tradita fuerant, reſiſtentes armis ſubigunt; & expulſis dominis terræ poſſeſſionem vi adipiſcuntur. Sabaudia item Burgundionum reliquiis datur, cum indigenis dividenda*. Si tam exiguis infirmiſque gentibus, provinciæ Romanæ donabantur; quid mirum ſi & Francis tantò potentioribus remitterentur alioqui vi rapturis. Ita paulatim Romanum truncabatur ac ruebat Imperium. quod multò adhuc magis in Attila factum infrà videbimus.

& pacem bonam ab Aëtio impetrat.

Attilam aliosque Barbaros ſemper timente.

Ex Priſco hiſtorico gravi.

7. Quâ occaſione Priſci veteris hoc ævo graviſque Scriptoris verba, ex Eclogis ejus hîc profero: *In eas quidem fœderum leges Romani ſponte conſentire, videri volebant; ſed certe neceſſitate coacti faciebant. Superante enim metu, qui Romanorum Ducum*, etiam Aëtii, *mentes occupaverat, quantumvis duras & iniquas conditiones ſibi impoſitas; quo pacis conſequendæ*

ſtudio

ſtudio tenebantur; lubentibus animis ſuſcipiebant. Imò *& tributis collationi cedebant, licèt illis graviſſimum id eſſet atque moleſtum. Regii enim theſauri & privatorum facultates in abſurda ſpectacula, in vanos honorum ambitus & titulos, in delicias ac voluptates inſumebantur: tam profuſis ſumptibus, ut eos nemo ſana mentis, vel in maximè affluentibus delitiarum copiis ſuſtineret aut toleraret. Præterea armorum & rei militaris ſtudium neglexerant: ut non ſolùm Scythis*, Hunnis nempe Attilanis; *ſed & reliquis Barbaris, qui proximas Imperii Romani regiones incolebant, quoad tributorum penſitationem parèrent.* Hæc Priſcus; quibus Francos noſtros Belgicos innuit, & tantùm non nominat; quorum pacem quâvis terrarum ceſſione, quovis etiam tributo Romani redimerent.

Chlogionis cum Saxonibus pacta.

8. Quare cùm addit denique Gregorius Turonenſis, Chlogionem *omnia ad Suminam uſque fluvium occupaſſe*, ſi Ambianos etiam & Morinos includit, eos pariter omnes cum Marcis in litore Saxonico, cum Bononienſi item in Britannias trajectu, ei à Romanis relictos credendum eſt. Et Chlogio cùm Saxonibus ab ea quoque parte ſibi confinibus, facilè convenerit; Britanniâ illis non modò lubenter relictâ, ſed promiſſo inſuper addito, Romanos ſe deinceps ſolito Geſſoriacenſi in illam trajectu fortiter excluſurum. Ita Belgium noſtrum hodiernum Romanis per annos ſupra quingentos hucuſque conjunctum, in Francorum deinceps Imperium tranſlatum eſt, ſorte forſitan non infeliciore. Quam ſortem Chlogio, cum à Meroveo quoque conſanguineo, Militiæque ſuæ Magiſtro, non minima ex parte manaſſe videret; facilè aliquam inde illi civitatem ceu laboris præmium indulſerit; quam ego Tornacenſem ſupra fuiſſe, ex filii ejus Childerici ſepulchro, anno priore reperto, probabiliter exiſtimavi.

CAPUT IX.

Chlodionis Regis reliqua, & mors. & filiorum ejus ſub Meroveo tutela, parum Fida; & ad Regnum ſubreptio.

Ab anno Chriſti 448. ad 450.

ANNO 447. & 448. Chlodio filium natu majorem in Sueſſionas mittit.

1. BLandiente fortunâ Chlodio minimè ſibi quieſcendum exiſtimavit. Unde, quod Annales noſtri notant, & ex iis Jac. Guiſius lib. 4. c. 1. Majorem natu filium, in Sueſſionas immiſit; ſive quod ipſe jam æger eſſet, ſive quòd à novè partis diſcedere minimè tutum putaret; ſeu denique filio ad Martem formando, eoque nomine Francis commendando. Ita à Nerviis aut Veromanduis gradum ad Sueſſionas fecerit. Sed unde familiæ ac felicitatis ſperabat incrementum, vehemens ac inopinatum hauſit infortunium; quo domus ejus pœnè tota concuſſa, regnique in alios transferendi janua patefacta. Nam Sueſſionum civitatem filius iſte natu major, non modò non expugnavit; verum in eâ ipſe expeditione fató abreptus.

Qui ibi moritur,

Ejuſque morte Chlodio ita ictus eſt, ut vitæ pertæſus, ad mortem & ipſe præcipiti greſſu cucurrerit. Unde Guiſius: *Mortuo, inquit, ante Sueſſionas antiquiore filio, cæteris minoribus annis adhuc exiſtentibus, febre gravi correptus; de ſibi acquiſitis & regno diſponens; terras conqueſtas tribus filiis*, qui reliqui erant *diſtribuens; uxorem*, quam Thoringiæ Regis filiam faciunt, *liberos, regnum, & omnia ſub fidelitate Merovæi militiæ ſuæ Magiſtri confidenter dereliquit.* Tum moritur, & Cameraci ſepelitur.

Moxque etiam Chlodio pater, ex ejus deſiderio.

ANNO Chriſti ferè 448.

2. Mortem hanc ego ad annum Chriſti vulgarem 447. finientem, aut ineuntē 448. refero; poſt annos regni ſolidos 20. quot ſcilicet ab ineunte circiter anno 428. ubi primordia ejus ſtatuimus, intercurrunt. Et totidem ei tribuunt Ado, prior Turonenſis Epitome cap. 5. Aimoinus, Abbas Uſpergenſis, Trithemius, Guaguinus, Tilletius Epiſcopus, Fauchetius, & alii. Solus Sigebertus nonniſi 18. indulget; ex biennali illa, de qua ſuprà toties, anticipatione. Quam cùm tandem ſuccidendam videret, hoc eodem anno 448. mortuum Chlogionem ſciſcit. Sicut & ante hos omnes Proſper Pithœanus, qui anno ab Honorii Imperatoris exceſſu XXV. *Meroveus, ait, regnat in Franciâ.* Is enim annus cum iſto hoc Chriſti 448. componitur.

quo item regni ſui.

Chlodionis Elogium.

Fuit Chlodio ſeu Chlogio, ètſi infidelis, vir tamen acer & magnus, planeque alterum regni Francici fundamentum: quod Aëtii victoriâ cis Rhenum penè ſubverſum non reſtauravit modò, ſed & ad Somonam uſque propagavit. celebris item, novâ regni paterni quod trans Rhenum primò poſſediſſe volunt, ad Pharamundi ciſrhenanum adjunctione. Hoc Rege quaſi proprio Belgium noſtrum hodiernum verè gloriari poteſt; ut cujus ſepulchrum poſſideat, & à corrupto labanteque Romanorum Imperio, poſt annos 500. tandem ad Francorum tranſlatum ſit. ſub quo paulò religioſiùs, ſanctiùs, pacatiusque vixerit. Dignus omnino, cujus poſteri ſceptra paterna retinerent; & Francorum Reges ab eo Chlogionidæ, potiùs quàm à Merovæo Meroveadæ ſeu Merovingi dicerentur. Aliter viſum ei, in cujus manu ſunt omnium poteſtates & jura regnorum.

Filiorum ejus primo tutor Meroveus.

3. Merovæum porrò *de Chlogionis ſtirpe*, ex quorumdam quidem aſſertione, fuiſſe ſcribit Gregorius. filium etiam agnoſcunt Ado, Sigebertus atque Trithemius; Nothum Urſpergenſis, affinem Aimoinus. Filium non fuiſſe, ſaltem legitimum, innuit ipſe Gregorius, cum nonniſi de Chlogionis eum ſtirpe ſcribit, & quidem ex quorumdam tãtùm aſſertione: tum Annales noſtri, qui liberorum Chlogionis tutorem dumtaxat habent.

ceu Chlogionis conſanguineus, non filius.

Sed neque Chlogionis liberi, Attilæ aut Aëtii contra Merovæum opem ullo jure petiiſſent (ut è Priſco mox) ſi frater eorum natu major regnum patris tenuiſſet. Ad hæc poſteri Francorum Reges dicti Merovingi, ſeu Meroveadæ, Chlogionem ſtirpis alterius originem indicant: nec enim Meroveadas ideo dictos opinari ſuffecerit, quaſi ab utiliore, ut aiunt, Rege; quando Chlogionem Merovæo nihilo inferiorem ſeu virtute, ſeu nobilitate ſeu fructu extitiſſe conſtat. Gregorius quidem eum *utilem ac nobiliſſimum in gente ſuâ* notat. Rurſus Chlogioni Merovæum ætate prope ſupparem fuiſſe neceſſe eſt, ſi Magiſter ei militiæ fuit, & filium Childericum regni ſui hæredem eâ fere ætate reliquit, quâ eſſe poterant Chlogionis liberi.

quia ætate ſuppar.

Ut & ejus filius Childericus, filiis Chlodionis.

Neque verò alterum è Chlogionidis ſeniorem, cum Merovæo confundere licet: cùm Merovæus ab Aëtio & Romanis contra

Attilam ſteterit; ille ab Attilâ, à quo patria regnum ſaltem ciſrhenanum, quod Merovæus ad mortem tenuit, nunquam recepit. Nothum autem Chlogionis filium admittere non licet, quando Nothos Francorum Regum jure ſucceſſiſſe conſtat, teſte Gregorio: & patet in Theodorico illegitimo Chlodovæi magni filio, primo Auſtraſiæ ſeu Metenſi Rege. Denique Merovæi parentem non Chlogionem, ſed alterum ſeniorem Merovæum produnt antiquæ membranæ, à Domino du Cheſne ſtrenuo Francicæ antiquitatis indagatore viſæ probatæque. Quod & poſterior inſinuat epitome, cùm ait cap. 9. Clodionis uxorem in maris litore ſe lavantem à quodam Merovæo imprægnatam, filium Merovæum nomine peperiſſe. Fuerit ergo Merovæus Chlogionis dumtaxat aut affinis, ut Aimoinus; aut *de ſtirpe*, ſeu conſanguineus, ut Gregorius: eoque liberorum ejus minorennium aptè Tutor; ut Annales noſtri.

Meroveus regnum Francorum auget.

4. Quo in ſtatu reliquam anni 448. partem, & ſequentis initium, pupillorum & regni rebus impendit, ætate ad limitum propagationem ſe accinxerit. Sic enim ex veteribus ſchediis Guiſius noſter: *Meroræus tutelæ pondus ſibi impoſitum aſſumens, per plures annos quæ Chlogio mandaverat, potenter adimplevit, & regnum ampliavit.* Neque tamen omnia, ſed partem dumtaxat eorum, quæ Chlodio mandaverat, adimplevit: Verè enim *per plures annos regnum ampliavit*: nempe toto regni ſui tempore: partim tutor primùm, partim poſtea invaſor, partim ante, partim poſt Attilæ in Gallias irruptionem, uti mox. Præcipuum verò Chlodionis de liberorum tutelâ mandatum tranſgreſſus dicitur; regno à pupillis, ut fit, in ſe tranſlato. Quod quâ arte conſecutus ſit, ita Guiſius: *Paucis, ait, interjectis* à Chlodionis exceſſu *temporibus, Meroræus ſtipendiarius* militibus, quos ſcilicet in uſum bellorum Chlodio collegerat alebatque, exauctoratos dimitteos *ab incepto* ampliandi regni conatibus *remiſſior habebatur. Denique cùm extranei regna Francorum, Thoringorum, & Auſtraſiorum ad dictos tres pueros pertinentia invaſiſſent; civitates, caſtra & oppida* cepiſſent; *atque* ideo *plebs communis ad Meroræum, tanquam ad tutorem puerorum, pro ſuccurſu & auxilio confugiſſent; Meroveus fertur reſpondiſſe: Se Regem eorum non eſſe; tutorem ſe puerorum, non regni. prætendendo nimirum ſe nimium gravatum de diſpendio regnorum. Quid plura? Populus Gallicanus* (Francicus meliùs dixiſſet cui reſiſtendi neceſſitas incumbebat) *elegit eum in Regem. Qui ſtatim ſtipendiarios licentiatos*, ſeu dimiſſos, *remandans, contra adverſantes magnificè triumphavit. Uxor autem Clodii ſibi timens, cum tribus filiis verſus Thoringiam* (unde erat ſcilicet) *& Auſtriam quàm citiùs properavit*, ſeu ad parentes fugit. Ita ille.

Tutelam pupillorum non fideliter exercet.

a

Priſci hiſtories de Chlodionis filius minorennibus narratio.

Senion Attilam favisse, juniori Aetium.

5. Quæ quidem fabuloſa cum multis exiſtimarem, niſi Priſco in multis conformia viderem. Ait enim Priſcus Attilam biennio pòſt in Gallias inter cetera moviſſe, *propter Francorum Regum obitum, & de regno inter liberos controverſiam. Seniorem Attilam ſtuduiſſe, juniorem ab Aetio ſuſceptum: quem, ait, Romæ vidimus Legationem obeuntem, nondum lanugine efflorescere incipiente, flava comâ, & capillis propter denſitatem & magnitudinem ſuper humeros* regio Francorum more *diffuſis. Hunc etiam Aëtius in filium adoptaverat, & plurimis donis ornatum ad Imperatorem* (Valentinianum) *ut amicitiam & ſocietatem cum eo faceret, tranſmiſerat.*] Hic multa Guiſio conſentanea. Primò, *Regum Francorum*, plurium ſcilicet, *obitus* nempe patris Chlodionis, & filii natu majoris, qui ad Sueſſiones interiit. Ad hæc plures Regis mortui liberos, & ſaltem duos Priſcus memorat, juniorem adhuc imberbem, ætate ſcilicet non multo fratre inferiorem: Annales noſtri tres, Albericum Reginaldum, & Rancharium, adhuc minorennes, cum quibus mater Thoringa in Thoringiam, non procul ab Attilæ regno, Merovæo jam prævalente, velut extorris effugerit. Extorres quoque binos iſtos fratres Priſcus innuit; cùm inter eos ortâ diſcordiâ unum ad Attilam, alterum ad Aëtium Romamque quaſi relicto regno, confugiſſe ſcribit. Sanè cùm in Gallias Attila venit, anno Chriſti 451. uti mox; tam Jornandes quàm Gregorius & ceteri, alium Francorum Regem, nempe Merovæum, regno inſidentem, non opis causâ vagantem, exhibent. Qui cùm adverſus Attilam cum Aëtio Romaniſque ſtetiſſe addatur, major fratrum illorum extorrium aſſe non potuerit, quem cum Attilâ contra Romanos pugnaſſe conſequitur: ſed neque junior adhuc imberbis, qui tanquam extorris opem quæritabat. Tertium ergo quempiam Francorum Regem, regno verè tum inſidentem, Priſcus etiam ſupponit, etſi non nominet. A quo autem extorres & profugi potuerant eſſe bini iſti fratres, quàm ab aliquo regni invaſore, quem Meroveum ceteri omnes appellant?

Priſcus Guiſio & Annalibus noſtris conformis.

Non ut aliqui putant contraria.

6. At enim Priſcus fratres non expulſos, ſed tantùm ortâ inter eos de regno controverſiâ, alterum ab Attilâ, ab Romanis alterum opem petiiſſe ſignificat. Primùm non omnia quæ Priſcus ſcripſit, in excerptis iſtis, exprimuntur quæ reliqua nobis temporum injuria fecit. potuit in aliis quæ perierunt, idem ac Annales noſtri dixiſſe. Deinde, diſcordia iſta fratrum, aut in regno patrio, aut extra pullulavit. Si in regno; facilè aſſequimur, arte id curatum Merovæi, quo diſcordes & inter ſe commiſſos aut velut datâ causâ ſpecioſiùs expelleret; aut quærendis auxiliis ſolum vertere compelleret, regnum interim ſibi ipſe ſtabiliret, ut fecit. Si extra; id Annalibus noſtris conſentit, qui jam in Thoringiam à matre abductos dicunt. Ibi cùm de regno recuperando inter ſe agerent, non ſatis cujus ope id patrandum eſſet, inter ſe convenerint; Attilæ ſeniore, Aetii Romanorumque juniore vires præferente. Cumque neuter de ſententiâ decederet, alter ad alterum diſcordes abiverint. Attilam ſenioris commiſeratio ad bellum inter ceteras cauſas impulerit, ut videbimus: juniorem Aëtius etiam adoptaverit, non exile ſcilicet contra ſeniorem Attilamque; imò & contra Meroveum, Romanos ſemper fines invadentem, munimentum. Plura in Attilæ expeditione videbimus.

Quo modo Meroveus ad Regnum irrepſerit.

7. Ex his hanc hiſtoriæ ſeriem texo. Pupillorum tutelam Merovæus aliquo tempore non malè obiverit: ſimul regnum ampliaverit; non modico auctoritatis ſuæ incremento, majore etiam militum in ſe benevolentiâ. Quibus cùm viam ad regnum ſibi jam ſtratam videret, ut avida ſemper ambitio eſt, nec ullam creſcendi occaſionem negligit; pupillorum locum irrumpere callidè maturavit. Militem ergo ſtipendiarium ante omnia à ſe regnoque amolitur, ſumptuum gravitatem doloſè cauſatus, revera ut Francos neceſſariò contra imminentes

hoſtes præſidio nudaret, ſuæque opis & experientiæ indigos redderet; quod & Stiliconis fuiſſe conſilium vidimus: ſatis gnarus finitimos hoſtes tali occaſione minimè quieturos. Nec eum fefellit opinio, *extranei*, ait Guiſius, *nuda pupillorum regna invadunt*; ſi non Saxones & Warni; certè Attila ipſe cum Hunnis, qui tum temporis ad bellum Francis inferendum ſe parabant, ſeu qui alii. Cumque pupilli & ætate, & copiarum abſentiâ mederi nihil poſſent; *populus Gallicanus*, id eſt Belgæ Romanis hucuſque ſubjecti, in Meroveum inſtructiorem regni jus offerunt, ac reluctantem ſcilicet ſibi imponunt. Ille jam honeſtè & liberâ omnium appellatione Rex, ſtipendiariis ſubitò revocatis, imminentem, ſi nōdum incumbentem hoſtem, non compeſcuit modò; ſed & Regni terminos ampliavit. Fugit in Thoringiam tranſrhenanam ſibi patriam vidua pupillorum mater, & regnum invaſori reliquit. Ita ex antiquis annalibus noſtris Guiſius, non improbabiliter.

Filiorum Chlodionis diſcordia.

8. Quod ſi minùs à Priſco recedere lubet; diſcordiam Meroveus inter fratres ſeverit; & inter ſe commiſſos, ac proinde regno graves, aut vi expulerit; aut ad auxilia quærenda, ſeniorem ad Attilam, juniorem ad Aëtium callidiùs impulerit; ipſe interim pacatus regni poſſeſſor: & rebus aliquot animosè feliciterque geſtis, à Francis ipſiſmet in regnum immiſſus. Utcumque ſit, regnum certè ille, cum in Gallias Attila venit, ſolus obtinebat, pupillis abſentibus, ſi non etiam expulſis: nec ab Attilâ victo & recedente; nec ab Aëtio Attilam adhuc timente, cui etiam opem tulerat, quidpiam mali paſſus. eoque in regno ita firmatus, ut illud ad poſteros tranſmiſerit. quomodo autem etiam auxerit, commodiùs poſt Attilæ expeditionem dicemus; cujus jam exequendæ tempus eſt.

Quam Meroveus tutor alit,

& regnum invadit.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER DECIMVS-SEPTIMVS.

Ab anno Chriſti vulgari 445. ad 464.
Per annos fere 20.

CAPUT PRIMUM.

Hunnorum & Attilæ Bellorum initium, progreſſus; & ad pecuniam emungendam artes.

Ab anno Chriſti 445. & 449.

Hunni aliquando Romanis auxiliares, nunc in hoſtes verſi.

OCCIDENTEM jam pœnè totum excederant vaſtarántve Saxones, Franci, Wandali, Burgundiones, Alani, Suevi, aliique Barbari. Eos tamen, quaſi prima dumtaxat eſſent iſta dolorum initia, ferociores alii magisque exitiales exceperũt HUNNI, Regibus præſertim adhuc funeſtioribus. Hunnorum quidem ſubinde, meminit Salvianus; ſed qui hactenus Aëtio familiares, Romanis contra alios Barbaros, Burgundiones ac Gothos opem non rarò nec infauſtè tulerant. Deinceps in hoſtes verſi, Orientis primùm, tum Occidentis Imperium, ad extremum propè ſuccuſſerunt interitum. De quibus ideo nobis hic agendum, ſaltem breviter; quando præcipuâ ſuâ vi, præcipuo Rege, in Belgas maximè noſtros incubuerunt. Eorum ſicut & Alanorum originem hîc non repetam, ſuprà libro 12 cap. 1. §. 6. & 7. ſatis ex Ammiano deductam. Attilæ hîc bella maximè pertexam, ſine quibus Belgicæ noſtræ ruina vix exhiberi poteſt.

Anno Chriſti 427.

2. Pannoniam Hunni, ut ſuprà ex Marcellini Chronico & Jornande memoravi, Romanis primùm ereptam, & per annos 50. retentam; tandem, Aëtii, reor, virtute, Romanis iiſdem, anno Chriſti 427. reddere coacti fuerant. Sed Aëtius paulò pòſt à Bonifacio Placidiaque bello impetitus ſuperatusque, ad eorum Regem tunc Rugulam, teſte Proſpero Pithœano, anno Chriſti 433. confugerat; ejusque auxilio *pacem Principum, & jus interpellatæ poteſtatis obtinuerat*; ut ex alterius quoque Proſperi Chronico Conſulari memoravi. Mox Rugulam, cum quo tum pax firmata, morte abſumptum, cui & Bleda ſucceſſerit, idem Pithœi Proſper anno ferè 434. ſubjungit. Rugulam iſtum ego quidem cum

Aëtius ad Hunnos fugit.

exiſtimo, quem Priſci excerpta Roũam appellant, & ex Priſco Jornandes Getic. capite 35. ubi *Attila quidem patrem Mundzuchum* (*Mundiuchum* Priſcus vocat) *Mundzuchi autem fratres, Octarem* (credo & *Uptarum*) *ac Roam, qui ante Attilam Regnum Hunnorum, quamvis non omnium, tenuiſſe narrantur, fuiſſe* ſcribit. *Poſt Octaru* igitur Uptarisve, ſubdit Jornandes, & Roæ ſeu Rugulæ obitum, *Attila cum Bletâ* ſeu *Bledâ, germano fratre, Hunnorum ſucceſſit in Regnum.* Hi fratres junctis primùm animis, *Indictione nonâ, Cyro ſolo Conſule*, ait Marcellinus in Chronico, anno Chriſti 441. *cum numeroſis ſuorum millibus in Illyricum irruerunt: Naſſum* Dardaniæ urbem *Singidunum, aliásque civitates, oppidáque Illyrici plurima exciderunt.* Rurſus anno ſequenti 442. *Indictione decimâ, Eudoxio & Dioſcoro Coss. Bleda & Attila fratres, multarumq; gentium Reges, Illyricam Thraciamq; depopulati ſunt.* iiſdem Chronicis teſtibus. Addit Priſcus vaſtatum item *Viminatium Myſorum ad Iſtrum urbem, Margum, Sirmium obſeſſum & exciſum, Sardicam, Ratiariam.* Nec priùs pacem cum Hunnis Theodoſius obtinuit; quàm quovis anno ſeptingẽtas auri libras penſurum ſe promiſiſſet; cùm antea nonniſi trecentarum quinquaginta librarum tributum fuiſſet. Eâ pace circa annum Chriſti 444. factâ, *Attila & Bleda ad ſubigendas gentes Scythicas profecti, contra Soroſgos bellum copiis omnibus viribusq; moverunt.* ait idem Priſcus.

Rugula Hunnorum Rex moritur.

Cui Attila cum Bleda fratre ſuccedit.

& ſimul magna gerunt.

3. Victis Soroſgis, ut non facilè duos, quantumvis fratres, patitur Regnum; anno proximo 445 juxta Marcellini Proſperique Pithœani Chronicon, quamvis anno ſuperiore, credo exeunte, referat Proſper Conſularis, & ex eo Caſſiodorus, *Bledam fratrem inſidiis perimit Attila, ejusq; populos ſibi parère compellit*; eo ferè tempore, quo in Atrebatibus Chlogionem prælio vicit Aëtius. Ita ſolus jam Hunnorum Monarcha, nullà non arte pecuniam à Romanis emunxit. Pacem cum illis ſæpiùs quidem, commodo ſemper ſuo fecit: ubi ſpes commodi majoris affulgebat, eamdem nullo rumpebat ſcrupulo: bello ſemper victor abſcedebat: Romanis, ut dixi, jam elumbibus; eóque pace vendendâ pecunias extorquebat. quod & Chlodio Francus, aliique faciebant Barbari. Unde Priſcus in excerptis: *Attila Romanorum liberalitatem, quâ* (*veriti ne à fœderibus Barbari recederent*) *utebantur, ludibrio habens; novas ſubinde cauſas fingebat; vanas mittendorum Legatorum occaſiones exagitabat: & ad*

Attila fratrem perimit.
ANNUS Chriſti 445.

Pecuniam à Romanis emungit.

ſuos,

Qui eum valdè timent.

ſuos, quos ea liberalitate com[...]re volebat, legationes iſta deſ[...]ebat. Romani in omnibus Attila (ut & cæterorum Barbarorum) *dicti audientes erant; & quæ præcipiebat, Domini juſſa ducebant. Non ſolùm enim a bello contra eum ſuſcipiendo eorum rationes abhorrebant; ſed & Wandalos, qui maritimas oras vexabant* (ut nuper *Siciliam* teſte etiam Proſperi Chronico conſulari, anno 440.) *& Iſauros ac Saracenos, metuebant. Adeò Romani animis fracti, Attilam colebant; dum exercitus comparabant, & Duces ſortiebantur.* Iſta omnia & plura Priſcus, magnæ in his diligentiæ, judicii etiam majoris ſcriptor.

& Pannonias ei cedunt.

4. Quin Pannonias quoque, ſaltem ex parte Attilæ ceſſiſſe; ita ſubdit: *Edecon vir Scytha*, ſeu uti mox vocat, *Hunnus, qui maximas res in bello geſſerat, venit iterum Legatus cum Oreſte. Oreſtes genere Romanus* (*& Romuli Comitis gener, cujus filiam è Petovione Norici civitate uxorem duxerat*; ut paulò infrà ſubdit) *Pæoniam*, ſeu Pannoniam, *regionem ad Saum*, ſeu Savum, *ſitam incolebat: quæ ex fœdere cum Aetio Romanorum Occidentalium Duce inito, Barbaro Attilæ parebat. Itaque Edecon in palatium admiſſus, Imperatori* Theodoſio *literas Attilæ reddidit; in quibus de transfugis non redditis querebatur. Quòd niſi redderentur, & Romani ab eâ terrâ colendâ abſtinerent, quam bello captam ſuæ ditioni adjecerat, ad arma itusum ſe minabatur. Ea terra ſecundùm Iſtrum à Pæonibus*, ſeu Pannoniis, *ad Novas uſque Thraciæ*, ſeu Myſiæ Inferioris urbem, *in longitudinem extendebatur. Latitudo autem erat quindecim dierum itinere. Neque verò forum celebrari, ut olim, ad Iſtri ripam, ſed in Naiſſo: quam urbem à ſe captam* (anno juxta Marcellinum 441.) *& dirutam, ſolo æquatam, ait deſeream* (ut paulò infrà) *quinque dierum itinere expedito homini ab Iſtro diſtantem, Scytharum & Imperii limitem conſtituebat.*

Quidquid vult indulgent.

5. Vides ut etiam Romani Heſperii, ſeu Occidentales Pannonias, quas vix viginti antè annis recuperaverant, rurſum Attilæ ceſſerant: tanto ejus metu premebantur. & certè iteratam ingentemque victoriam ad Cherſoneſum Thraciæ ab Attilâ relatam, non Priſcus tantùm, ſed & Marcellinus in Chronico ſuggerit; *Indictione decima-quinta Ardabure & Calepio Coſſ.* anno Chriſti 447. *Ingens bellum & priore majus, per Attilam Regem nobis inflictum, penè totam Europam, exciſis invaſiſq; civitatibus atque caſtellis corroſit*, &c. Nec minus Proſper Pithœi, ad annũ ab Honorii exceſſu 24. *Nova*, inquit, *Orientis conſurgit ruina: quâ 70. non minùs civitates Chunnorum deprædatione vaſtatæ: cùm nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia.* Quomodo ferrentur à deficientibus? Imò Aetius ipſe Attilam omni officiorum genere demereri conabatur; uſque adeò ut jam ante binos *Conſtantios, unum è Galliis, alterum ex Italiâ oriundos, ad illum, ut ab epiſtolis eſſent, ſucceſſivè miſerat, imò & filium ſuum Carpilionem pacis obſidem dederat*; teſte eodem Priſco & Caſſiodoro lib. 1. epiſt. 4. Quin aliam illuſtrium legationem, Romuli ſcilicet Comitis, & Primuti Noricæ regionis Præfecti, Romanorumque militum ductoris, ad placandum Attilam repetiverat; ne ob ſacra vaſa ex Pannoniæ civitate Sirmio, cum ab eo deſtrueretur, Romam ad Sylvanum quemdam delata & oppignorata, commoveretur. Sylvanum enim iſtum Attila, tanquam furem eorum, quæ ſua facta eſſent, ſibi tradi flagitabat. Adeò barbarus novi belli occaſiones fingebat; adeò Aetius Valentinianusque Barbari bellum iramque verebantur.

Annus Chriſti 447. Ingens Attilæ de Romanis victoria ad Cherſoneſum Thraciæ.

Quem etiã Aetius metuit, & placare conatur.

Attilæ impotentia.

6. Nihil tamen eam legationem tam humilem profeciſſe, idem Priſcus infrà pag. 120. ita ſignificat: *Ego iratos Occidentales percunctatus, an aliquod mite reſponſum ab Attila tuliſſent? Intellexi nequaquam illum de[...] a ſententia; ſed bellum minari & denuntiare, niſi [Sy]lvanus dedatur, & vaſa poculaque a[...]e ablata reddantur. Cum barbari impotentiam miraremur; Romulus vir multis honorificentiſſimis legationibus functus, multóque rerum uſu præditus, ait: Secundam fortunam, quæ ipſum in altiſſimo gradu collocavit, [...]ritum facere, & ex fortunâ poteſtatem adeptum, efferri. neque juſtis ſermonibus ullum apud ſe locum relinquere; neque quicquam, niſi quod venerit in mentem, æquum putare. Nemo unquam eorum, qui in Scythiâ vel alibi regnarunt, tantas res tam brevi tempore geſſit. totius Scythiæ dominatum ſibi comparavit, & uſque ad Oceani* (credo Balthici) *inſulas imperium ſuum extendit: ut etiam Romanos tributorum præſtationi obnoxios habeat. Nec his contentus, ad longè majora animum adjecit; Perſas quoque bello per Medos aggredi cogitat. Adſunt enim illi magnæ copiæ, quas nulla gens ſuſtinere poſſit.* Ex his colligere eſt Attilam quidquid inter Balthicum mare & Dardaniam Thraciamque continetur, tum poſſediſſe: totum ſcilicet Poloniæ hodiernæ regnum, Hungariæ, Moldaviæ, Valachiæ & Myſiæ ſuperioris provincias; potentiâ immani. Addebat ad hæc Romuli dicta *Conſtantiolus, ex Pæonum regione quæ Attilæ parebat* (pag. 120. l. 2.) *verendum ne Perſis facilè devictis, non jam amplius amicus, ſed Dominus inſultet. Nunc enim aurum ad ipſum defertur pro dignitate Romanorum exercituum Ducis, quam ab Imperatore, ut ejus ſtipendia reciperet, admiſit & contentus eſt: tunc autem ipſo Duce ſe Regem dici coget. Jam tum enim, cùm iraſceretur, exercituum Duces ſervos appellabat. Neque verò illi potentiæ acceſſio contigerat ex eo, quod Martis enſis eſſet detectus. His tanquam ſacer, & Deo bellorum præſidi dedicatus, à Scytharum Regibus olim colebatur. & multis ante ſæculis non viſus, bovis miniſterio tunc temporis erutus fuerat.*]

& immane regnum.

De Martis enſe reperto.

7. Hæc Priſci de Martis enſe verba citat Jornandes Getic. cap. 35. pag. 101. ubi & de Attila hæc addit: *Vir in concuſſionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus; qui neſcio quâ ſorte terrebat cuncta, formidabili de ſe opinione vulgatâ. Erat namq; ſuperbus inceſſu, huc atque illuc circumferens oculos, ut elati potentia ipſo quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, ſed ipſe manu temperans, conſilio validiſſimus, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fide ſemel receptis. Formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aſperſus, ſimo naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna reſtituens. Qui quamvis hujus eſſet naturæ, ut ſemper magna conſideret; addebat tamen ei confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges magni ſemper habitus. Quem Priſcus hiſtoricus tali refert occaſione detectum. Cùm paſtor, inquiens, quidam gregis, unam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſam tanti vulneris inveniret; ſolicitus veſtigia cruoris inſequitur. tandemq; venit ad gladium, quem depaſcens herbas bucula incautè calcaverat: effoſumq; protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur ſe totius mundi principem conſtitutum, & per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum.* Hactenus Jornandes. Quæ omnia intra annos Chriſti 445. & 449. geſta.

8. Tan-

Præ Attilâ Aëtius ceteros barbaros, etiam Francos negligit.

8. Tantis igitur tamque latè fuſis etiam per Occidentem incendiis, tanto Hunnorum terrore; quis non videat Aëtium, quaſcumque potuit vires undecumque colligere, & contra tam immanem hoſtem paratas habere debuiſſe? minores hoſtes, puta Francum, Gothos, ac Suevos, præ illo neglexiſſe; imò ne à ſe forſan irritati cum illo contra ſe conſpirarent, omni diſſimulationum blandimentorumque genere demulſiſſe? Ita Franci ſua in Belgio per otium ſtabiliebant: multò magis mox, quando cum Romanis in Attilam ſe junxerunt.

CAPUT II.

Theodoſii & Placidiæ mors. Attila bellum in Occidentales, & Valentinianum ſuſcipit. Vtriuſque copiæ.

Annis Chriſti 450. & 451.

Annus Chriſti 450.

Theodoſius moritur.

1. INter hæc Annus Chriſti 450. Valentiniano ſeptimùm & Arriano Coſs. Imperatorum funeribus, & novo Attilæ ad bellum apparatu funeſtus, illuxit. Theodoſius enim Orientis Imperator in Eutychem hæreſiarcham paulò pronior quàm deceret, reſipiſcens, anno Imperii ſui 43. morte abſumitur quarto Kalendas Auguſti. Cui Marcianum ſuffectum menſe Loo, ſeu Auguſto, octavo Kalendas Septembris, feria quinta, tradit Chronicon Alexandrinum, nonnihil mendoſum. Nam anni hujus 450. litera Dominicalis A, octavum Kalendas Septembris, ſeu diem Auguſti viceſimum quartum, in feriam non quintam, ſed ſextam conjicit. Aut ergo feriâ ſextâ legendum, aut pro octavo Kalendas Septembris reponendum nono. quod veriùs puto: quando facilis eſt literalium numeralium H. & Θ. tranſmutatio.

& Placidia.

2 Theodoſium nepotem Placidia, eodem pariter anno moriens apud Romam, ait Idacius, ſecuta eſt: *poſt irreprehenſibilem converſationem*, ait Proſper Pithœanus; filio Valentiniano Imperatore ætatis annum viceſimum quintum explente. Diem mortis tradit Rubeus Ravennas hiſtoricus quartum Kalendas Decembres. Theodoſio porrò mortuo ſoror ejus Pulcheria, virilis animi virgo, jam provectior, fratris adhuc viventis voluntatem ſecuta, Marcianum ad Imperium evexit; eique mox ſe conjugio copulavit, annorum jam virgo unius & 50. uti per eum ætate maturum, religione eximium, cõtinentia militiaque probatum res Imperii, Fideique, ſuaſque non parum turbatas erigeret. Quod & factum, Synodo generali, Leonis ſummi Pontificis conſilio, contra Eutychetis hæreſim congregatâ, & hæreſim damnante. de quâ fusè Baronius, & ejus Epitomaſtes Spondanus. Quin & Proſper Pithœanus plures tunc viguiſſe etiam in Occidente noſtro hæreſes, ita ſcribit: *Hoc tempore valde miſerabilis Reip.* Romanæ *ſtatus apparuit. cum ne una quidem ſit abſque barbaro cultore provincia: & infanda Arrianorum hæreſis, quæ ſe nationibus barbaris miſcuit, Catholicæ nomen fidei, toto orbe diffuſa, præſumat.* Vandalos equidem in Africâ, Gothos in Galliâ, alios alibi Arrianos exſtitiſſe conſtat.

Marcianus Orientis Imperator.

Synodus generalis Conſtantinopolitana.

Status Reip. miſerabilis.

Attila bellũ parturit, & belli occaſiones quærit.

3. Ardebat Attila jamdudum, ut ſuprà monui, belli Romanis inferendi dirâ cupidine. quam & duorum Imperatorum funera, & naturæ genius, & tot geſtis proſperè jam rebus adulta regni potentia, & Romanorum denique diſcordiæ infirmitateſque, quin & Gensericus vehementer acuebant. Priſci gravis antiquique Scriptoris excerpta hîc audire juverit: *Cum primùm Attilæ nuntiatum eſt, Martianum poſt Theodoſii mortem ad imperium perveniſſe, & quæ Honoriæ acciderant; ad eum qui in Occidente rerum potiebatur* (nempe fratrem ejus Valentinianum) *miſit, qui contenderent, Honoriam nihil ſe indignum admiſiſſe, quæ matrimonium ſecum contracturam ſpopondiſſet. Miſit & ad Romanos in Oriente, tributorum conſtitutorum gratiâ. Sed re infectâ legati utrimque reverſi. Etenim qui Occidentis imperio præerat, reſpondit, Honoriam ipſi nubere non poſſe, quòd jam alii nupſiſſet. Neque Imperium Honoriæ deberi; quod virorum dumtaxat, non mulierum eſſet: Qui in Oriente imperabat, ſe minimè ratam habere tributi illationem, in quam Theodoſius conſenſiſſet. quieſcenti munera largiturum, bellum minanti viros & arma objecturum. nec enim vires & copias ſibi deeſſe.*

Et Occidẽti primum inferre conſtituit ex Priſco.

4. *Itaque Attila in varias diſtrahebatur ſententias: & illi dubius erat animus, quos primùm aggrederetur. Tandem ſatius viſum, ad periculoſius bellum copias in Occidentem educere. Illic enim ſibi rem fore non ſolum cum Italis, ſed etiam cum Gothis & Francis. Cum Italis, ut Honoriam cum ingentibus divitiis uxorem acciperet: cum Gothis, ut Genſerici gratiam promereretur.* quod quid ſit, Jornandes fuſius aperit Getic. c. 36 *Attilæ mentem ad vaſtationem orbis paratam comperiens Gizerichus Rex Wandalorum, multis muneribus ad Veſegotharum bella præcipitat. Metuens ne Theodericus Veſegotharum Rex filiæ ulciſceretur injuriam, quæ Hunerico Gizerichi filio juncta, prius quidem tanto conjugio lætaretur; ſed poſtea, ut erat ille & in ſua pignora truculentus, ob ſuſpicionem tantummodo veneni ab eâ parati, eam putatis naribus ſpolians decore naturali, patri ſuo ad Gallias remiſerat; ut turpe funus miſeranda ſemper offerret, & crudelitas quâ etiam moverentur externi, vindictam patris efficacius impetraret. Attila igitur dudum bella concepta, Gizerici redemptione parturivit.* & contra Gothos iſtos ſuſcepit.

In Wiſigothos, à Genſerico maximè impulſus.

In Francos ob Regum mortem, & ſucceſſorum contentionem.

5. *At FRANCOS bello laceſſendi* (pergit Priſcus) *illi cauſa fuit Regum ipſorum obitus*, (nempe Chlodionis, & filii ejus natu maximi in expeditione Sueſſionica; ut ſuprà monui.) Item de Chlodionis *regno inter liberos reliquos controverſia. Seniori Attila ſtudebat. juniorem Aëtius tuebatur, quem Romæ vidimus legationem obeuntem, nondum lanugine efflorеſcere incipiente, flavâ comâ, & capillis propter denſitatem & magnitudinem ſuper humeros effuſis. Hunc etiam Aëtius in filium adoptaverat, & plurimis donis ornatum ad Imperatorem* Valentinianum, *ut amicitiam & ſocietatem cum eo faceret, miſerat*, ut libri prioris cap. ult. §. 5. fuſiùs oſtendi. *Sed Attilas, antequam in eam expeditionem ingrederetur, rurſus legatos in Italiam miſit, qui Honoriam poſcerent: etenim ſecum matrimonium pepigiſſe. Cujus rei fidem ut faceret, annulum ab eâ ad ſe miſſum, per legatos quibus tradiderat exhiberi mandavit. Itaque Imperii parte ſibi Valentinianum cedere, æquum cenſebat, quam pater Honoriæ reliquiſſet: ſed hâc illam frater, quæ ejus eſſet avaritia & cupiditas, privarat. At Romani Heſperii in primâ ſententiâ*

Honoriam iterum uxorem petit.

perſti-

perſtiterunt, & Attila mandata rejecerunt.

Attilæ fraudes in Romanis Gothisque cõmittendis. *Jorn. Getic. c. 36.*

6. Eâ repulsâ furiatus Attila, *multa vicinarum ſibi gentium* (ait Proſper auctior) *milia cogit in bellum, quod Gothis* Aquitanicis *tantum ſe inferre, tanquam cuſtos Romanæ amicitiæ, denuntiabat.* Quod fuſiùs ita Jornandes: *Legatos Attila in Italiam ad Valentinianum Principem miſit, ſerens Gothorum Romanorúmque diſcordiam: ut quos prælio non poterat concutere, odiis internis elideret. adſerens ſe Reip. ejus amicitias in nullo violare. ſed contra Theodericum Veſegotharum Regem ſibi eſſe certamen. unde eum excipi libenter optaret. Cetera Epiſtola uſitatis ſalutationum blandimentis oppleverat, ſtudens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad Regem Veſegotharum Theodericum dirigit ſcriptum; hortans ut à Romanorum ſocietate diſcederet; recoleretque prælia, quæ paulò antè contra eum fuerant concitata ſub iniquá feritate. Homo ſubtilis antequam bella gereret, arte pugnabat.*

Valentinianus in Attilam cum Wiſigothis conſpirat.

7. *Tunc Valentinianus Imperator ad Veſegothas eorúmque Regem Theodericum in his verbis legationem direxit: Prudentia veſtra eſt, fortiſſime gentium, adverſus Orbis conſpirare Tyrannum. qui optat mundi generale habere ſervitium, qui cauſas prælii non requirit; ſed quidquid commiſerit, hoc putat eſſe legitimum. Ambitum ſuum brachio metitur, ſuperbiam licentiâ ſatiat, qui jus fáſque contemnens, hoſtem ſe exhibet naturæ. Cunctorum etenim meretur hic odium, qui in commune omnium ſe approbat inimicum. Recordamini, quæſo, quod certè non poteſt oblivisci: ab Hunnis non per bella, ubi communis caſus eſt, fuſum; ſed quod graviter angit, inſidiis appetitum. Ut de nobis taceamus, poteſtis hanc inulti ferre ſuperbiam? Armorum potentes ſavete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Reip. cujus membrum tenetis. Quàm ſit autem nobis expetenda, vel amplexanda ſocietas, hoſtes interrogate conſilia.*] *His & ſimilibus legati Valentiniani Regem permovère Theodericum. Quibus ille reſpondit: Habetis, inquit, Romani deſiderium veſtrum; feciſtis Attilam & nobis hoſtem. Sequimur illum quocumque vocaverit. Et quamvis infletur de diverſis ſuperbarum gentium victoriis, norunt tamen Gothi confligere cum ſuperbis. Nullum bellum dixerim grave, niſi quod cauſa debilitat: quando nil triſte pavet, cui majeſtas arriſerit. Acclamant reſponſo Comites Ducis, lætum ſequitur vulgus. Fit omnibus ambitus pugna, hoſtes jam Hunni deſiderantur.* Idem credo à Meroveo Francorum Rege factum. ut ſequentia docent.

Ut & Francorum Rex Meroveus.

Wiſigothorum ſub Theodorico Rege, & Romanorum ſub Aetio ingẽs multitudo,

8. *Producitur itaque à Rege Theoderico Veſegotharum innumerabilis multitudo. qui quatuor filiis domi dimiſſis id eſt Friderico & Euriso, Rotemero & Himmerit, ſecum tantum Thoriſmund & Theodericum majores natu, participes laboris aſſumit. Felix procinctus, auxilium tutum, ſuave collegium; habere ſolatia illorum, cum quibus delectat ipſa etiam ſimul ſubire diſcrimina. A parte verò Romanorum tanta Patricii Aetii providentia fuit, cui tunc innitebatur Reſp. Heſperia plaga, ut undique bellatoribus congregatis, adverſus ferocem & infinitam multitudinẽ non impar occurreret.* [Hæc ſunt verba Proſperi vulgaris auctioris.] *His enim adfuere auxiliares FRANCI, Sarmatæ* (alii haud dubiè ab Attilæ ſubditis) *Armoriciani, Liticiani*, aliàs *Litiani, Burgundiones Saxones, Riparioli, Briones*, aliàs *Ibriones quondam milites Romani, tunc verò jam in numero auxiliariorum exquiſiti; aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes.* Ita Jornandes. Hi Franci haud dubiè ſub Rege Merovæo Belgicani erant; nam alios tranſrhenanos ſub Attila quoque fuiſſe mox ſuggeret Sidonius.

Etiam Franci Belgici.

Riparioli ſunt Belgæ noſtri & Germani ſecundi ſeu Inferiores, Moſam inter & Rhenum conſtituti, quos Ripuarios etiam vocatos ſuprà oſtendi; jam à Romanorum Imperio ad Francorum ultrò tranſlati; unde Jornandes rectè *Romanos quondam milites* notat, nunc auxiliares. Burgundiones hi Romani jam in Sabaudia agebant, eò antè annos 12. ab Aetio tranſlati, nova jam ſobole auctiores. Quibus ego lubens Alanos adderem, iis in eadem ferè provinciâ conjunctos: imò etiam illos, quos ab Eocharicho Alanorum Rege ſubactos, & cum Armoricis vi junctos ſuprà dixi: quoſque ſub Sangibano Rege Aureliam præſidio inſediſſe mox audiemus. Saxones Littus Armoricanum, Batavos quoque & Friſios obtinebant. Brionenſes captivos ab Alemannis abductos ſub Gebavulto Rege, tradit Vita S. Lupi, §. penult. Liticianos ſeu Lætianos quidam à Lætia ſeu Liſâ Flandriæ hodiernæ amne derivant. alii aliter, ita tamen ut Gallicam gentem agnoſcant.

Quinam à parte Attilæ. *Ex Sidonio, Carm. 7. v. 319.*

9. Attilæ verò aderat omnis pœnè barbaries Aquilonis. quam ita enumerat Sidonius:

——— Subito cùm rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia. Pugnacem Rugum comitante Gelono (credo nunc Polono.)
Gepida trux ſequitur, Scyrum Burgundio cogit.
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Baſterna, TORINGUS,
BRUCTERUS; ulvoſâ vel quem Nicer abluit undâ
Prorumpit FRANCUS.

Etiam Franci quidam & Thoringi.

Francum & ab Attila ſtare vides, non minus quàm à Romanis. Scilicet Chlodionis major natu filius cum Attila erat, ut ſuprà viſum; & è gente ſua nonnullos ſaltem Thranſrhenanos ſecum trahebat, quos proinde Sidonius Nicri incolas vocat; ad quem accedit Franconia hodierna, à Francorum parte tum inſeſſa; & poſt Alemannorum Suevorumque cum Wandalis in Gallias Hiſpaniaſque tranſitum occupata. Bructeri quoque Francorum trans Rhenum pars erant, ut ſuprà. Idem de Burgundionibus, qui ab utrâque parte reperiuntur, eſto judicium. Toringi quoque pro Chlodionis uxore profugâ gentili ſuâ, contra Meroyæum Aetii auxiliarem, arma cum Attilâ ſumpſerant. Sicut & tres Oſtrogothæ fratres in Scythia Reges, Walamir, Theodemir, & Windemir, de quibus mox.

CAPUT III.

Attilâ & Aëtius in Belgicam veniunt.

Annus Chriſti 451.

Belgicam ingreditur Attila, & vaſtat.

1. CUm immani hac gentium turbâ, quam ſeptingenta hominum millia complexam volunt; Attila è Pannoniis per mediam Germaniam ad Rhenum, hyeme adhuc ſævâ, qua *Martianus & Adelphius Conſules* fuerunt, anno Chriſti 451. ut videtur, pervenit. Ibi infinitâ navium multitudine ex Hercynia ſylva raptim confectâ, Rheno trajecto in Belgicam ingreſſus eſt. Unde Sidonius carm. 7. verſ. 326. ſubdit:

Lintribus in Hercynia factis.

—— Cecidit citò ſecta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe, Belga, tuos.

Uti tanta hominum colluvies ſimul incedere non potuit; ita nec unum Rheni trajectum tenere. Septingenta hominum millia eam Rheni partem facilè impleverint, quæ Germaniam ſaltem Primam, & Secundæ ſeu Inferioris ſuperiora loca præterfluit. Nec ſuſpicari vereor ab Argentorato Coloniam fere uſque Rhenum Hunnis tum inſeſſum. tametſi aciem mediam cum Attilâ circa Moguntiam trajeciſſe non negaverim. *Tranſito Rheno*, ait, Proſper auctior, ſtatim *ſæviſſimos ejus impetus multæ Galliarum urbes expertæ ſunt. Hunni* (ait Vita S. Lupi) *per omnem Galliam diffuſi, partim ſimulata pacis arte tentabant urbes, partim vi expugnabant.* ut quæque ſcilicet divitiis & dignitate clara, ita barbari furorem ſenſit.

An tunc S. Urſulæ & ſociarum Martyrium.

2. Hinc quod in Vandalica irruptione antè 44. annos vidimus, hîc renovatum non dubito. Circa Coloniam tunc Urſulæ & ſociarum martyrium contigiſſe, cùm illæ Româ redirent, iréntve, ſunt qui non improbabiliter exiſtiment. Lectori judicium relinquo. Vaſtatæ certè Rheni urbes Argentoratus, Nemetes, Vangiones, Moguntia, Antonacum, & vicina omnia. Cur & cœtus Urſulanus martyrii palmâ coronari non potuerit. In re obſcurâ omnia juvant. Divodurum Mediomatricum ſeu *Metas, ipsâ Paſchatis* in VII. Kal. Apriles tunc incurrentis *vigiliâ Hunnos advenisse*, ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 6. *urbem tradentes incendio, populum in ore gladii trucidantes: ipſóſque Domini Sacerdotes ante ſacroſancta altaria perimentes. Nec remanſit in eâ locus inuſtus præter oratorium B. Stephani primi martyris ac Levitæ.* &c. Gregorio conformis ac vetuſtior Idacius, *Metas quoque ab Hunnis effractas* aſſerit: *Treviros direptos* Aimoinus lib. 1. cap. 6. ut appareat iſtas urbes nondum penitùs everſas, & Romanis adhuc ſubditas: Tungros item & Atrebates vaſtatos, addunt Annales noſtri. Quod ſi eſt, aliqua ſaltem pars Hunnorum Belgium noſtrum penetraverit. Certè Fredegarii Epitome tradit Childericum Merovei filium *ab Hunnis cum matre captum, & Wiomadi Franci opera profugiſſe.* Is tum erat ferè ſedecennis. *Tricaſſas* inde progreſſus Attila virtute S. Lupi ejus urbis Epiſcopi territus, urbem intactam præteriit. Pariſios tantus terror invaſit, ut relictâ Lutetia ad tutiora jam fugerent. Sed pleroſque Genovefa, tum ſanctitate inclyta, ſua auctoritate retinuit, ad preces Deumque traxit, qui ſolus eos eximere poſſet: tutiores quas ipſi putarent urbes, majori calamitate afficiendas, Lutetiam ſalvam fore. Vaticinio reſpondit, eventus.

Vide Camuzatii in Promptuario Trecenſi.

Aëtii in Attilam apparatus.

3. Sed quid interim Aëtius & Romani? Sidonius dicat carm. 7. v. 329.

———— Vix liquerat Alpes
Aëtius, tenue & rarum ſine milite ducens
Robur, in auxilium Geticum * *male credulus agmen*
Incaſſum propriis præſumens adfore caſtris.
Nuntius at poſtquam ductorem (Aëtium) *perculit, Hunnos*
Jam prope contemptum propriis in ſedibus hoſtem
Expectare Getas, verſat vagus omnia ſecum
Conſilia, & mentem curarum fluctibus urget.
Tandem cunctanti ſedit ſententia, celſum

* *id eſt* Wiſigothorũ. nam per *Getas* hic Wiſigothos Aquitanicos ſemper intelligit.

Exorare virum, nempe Avitum, & ad Gothos maturandos mittere. quod & ille gnaviter ac fideliter implevit, die ad conveniendum edicto. quod pluribus Sidonius. Arelati ea facta colligimus ex S. Aniani vita.

Avitus Wiſigothos in Attilam impellit.

4. Aureliam ad Ligerim Sangibanus Alanorum Rex obtinebat, ſive ſibi jam ante ſubjectam, ſive potiùs ab Aëtio contra Attilam illi demandatam. Alanos certè ſub Eocharicho Rege non ita multis antè annis trans Ligerim in Armoricis ſedes fixiſſe, ſuprà narravimus. Eocharichi ſucceſſor igitur ille Sangibanus, & Aureliæ præſidio impoſitus (ait Jornandes Get. cap. 37.) *metu futurorum perterritus Aurelianam civitatem Galliæ, ubi tunc conſiſtebat, in Attilæ jura tranſducere, ſeque tradere pollicebatur.*] Erat ibi Epiſcopus Anianus; qui ubi Attilá adventare, & Sangibanum vacillare vidit, *tametſi carnem non poneret brachium ſuum*, ait Vita, *ut ſuo tamen officio non deeſſet, Arelatem profectus eſt ut Aëtio Patricio, qui tunc in Galliis erat, barbaræ gentis crudelitatem explicaret. & opem ejus imploraret. eam Aëtius libenter ac prolixè pollicetur. Redit ergo ad cives ſuos, non parum tanti paſtoris abſentiâ mærentes: erigit animos illorum multâ conſolatione. Præparant illi omnia propulſando hoſti opportuna.* Hæc, nec plura, vita monila. Cui tamen conformis Jornandes ſuprà; *Ubi*, inquit, *Theodericus* Veſegotorum Rex, & *Aëtius* Sangibani perfidiam *agnovere, magnis aggeribus eandem urbem ante adventum Attilæ ſtruunt, ſuſpectúmque cuſtodiunt Sangibanum.*

Aureliam Sangibanus Alanorum Rex præſidio inſidebat.

Parum fidus.

Apud Sur. 17. Nov.

Sed ab Aëtio Theodoricoque cuſtoditus.

5. Attila (pergit Gregorius Turon.) à Metenſi Urbe egrediens, cùm multas Galliarum *civitates* incedens *opprimeret, Aurelianos adgreditur, eamq́; maximo arietum impulſu nititur expugnare.* Anianus põtifex jubet cives Domini auxilium cum lacrymis implorare; & interim Aëtii adventum præſtolari: *Cumque* orantes illos de muro ter aſpicere juſſiſſet, *& illi tandem à longè quaſi nebulam de terrâ conſurgere renuntiarent; Domini, inquit, auxilium eſt. Jam tremebant ab arietum impetu muri, ſtatim ruituri, cum ecce Aëtius & Theudo Gothorum Rex ac Thoriſmodus filius ejus cum exercitibus ſuis ad civitatem adcurrunt; adverſumque hoſtem ejiciunt repelluntque.* Ita Gregorius. Sidonius ad Proſperum Aniani ſucceſſorem ſcribens, *Aureliam urbem ab Attilâ non obſeſſam & oppugnatam* modò; ſed & *irruptam nec tamen direptam* aſſerit. ſubito ſcilicet Aëtii ſuperventu Attilá territo. qui ſeu adverſâ, ſi occurrit, pugná; ſeu quia ad pugnam imparatior eſſet; certè juxta Turonenſem *fugatus*, urbe relicta, retrò in campos Catalaunicos, multitudini ſuæ ad pugnandum aptiſſimos caſtra convertit. *Ii Mauriaci quoque nominantur* (ait ex Priſco Jornandes) *centum leugas, ut Galli vocant, in longum tenentes, & 70. in latum. Leuga autem Gallica mille & 500 paſſuum quantitate metitur.* Ita Jornandes. Campos iſtos Catalaunicos, ſeu Mauriacos, ego Tetrici clade inſignes puto. de qua nos ſuprà libro 6. cap. 14. §. 5.

Lib. 2. c. 7.

Aureliam Attila v[...] & quatit.

Reſiſtente Aniano [E]piſcopo.

Aëtio & Theodorico ſuccurrentibus.

Civitate jam irruptâ quidẽ, non direptâ.

6. Nec Aëtius Aureliæ moratur, tergo hoſtis inhæret; in eoſdem campos cum ſuis, Gothis, Burgundionibus & Alanis auxiliaris, Francis etiam de Belgio vicino ſibi adſcitis accedit. *Omnes ſe* (addit Greg.) *contra Attilam viriliter præparant. Fit* (rurſus Jornandes) *area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Conſeruntur acies utraque fortiſſima: nihil ſubreptionibus agitur, ſed apertum Martem*

Aëtius cum ſuis Attilam inſequitur.

Jorn. Get. cap 36.

teſtantur.

teſtantur. Quæ poteſt digna cauſa tantorum motibus inveniri? aut quod odium in ſe cunctos animavit armari? Probatum eſt humanum genus Regibus vivere: quando unius mentis inſano impetu ſtrages fit facta populorum: & arbitrio ſuperbi Regis, momento deficit quod tot ſæculis natura progenuit.

Utraque pars pugnare ſtatuit: Attilà tamen anxio.

7. *Attila talis perculſus eventu, diffidens ſuis copiis; hinc metuens inire conflictum; illinc intùs fugam revolvens, ipſo funere triſtiorem;* animi pendebat. *Statuit* igitur *per haruſpices futura inquirere. Qui more ſolito, nunc pecorum fibras, nunc quaſdam venas in abraſis oſſibus intuentes, Hunnis infauſta denuntiant. Hoc tamen quantulum prædixêre ſolatii, quòd ſummus hoſtium ductor de parte adverſâ occumberet relictáque victoriâ ſuâ morte triumphum fœdaret. Cùmque Attila necem Aëtii, quòd ejus motibus obviabat, vel cum ſuâ perditione duceret expetendam; tali præſagio ſollicitus, ut erat conſiliorum in rebus bellicis exquiſitor, circa nonam diei horam ſeu tertiam pomeridianam, prælium ſub trepidatione committit: ut ſi ſecus cederet, nox imminens ſubveniret.*] de quo capite proximè ſequenti.

Quid interim fecerit Aetii uxor Romæ, quid præſcierit. Turon. l. 2. c. 7.

8. *His diebus*, addit Turonenſis, *Romam ſonus adiit, Aëtium in maximo diſcrimine inter phalangas hoſtium laborare. Quo audito, uxor ejus anxia atque mæſta aſſiduè Baſilicam SS. Apoſtolorum adibat; atque ut virum ſuum de hac expectatione ſuſciperet ſoſpitem, precabatur. Quæ cùm die noctúque hæc ageret; quadam nocte homo pauperculus crapulatus à vino, in angulo Baſilicæ S. Petri Apoſtoli obdormivit. Clauſis autem ex more oſtiis à cuſtodibus, non eſt ejectus. De nocte verò conſurgens, relucentibus per tota ædis ſpatia lychnis, pavore perterritus, aditum per quem foras evaderet quærit. Verùm ubi primi atque alterius oſtii clauſtra pulſat, & obſerata cuncta cognoſcit; ſolo decubuit; trepidus præſtolans tempus, ut venientibus ad matutinos hymnos populis, hinc liber abſcederet. Interea videt duas perſonas ſe invicem venerabiliter ſalutantes, ſollicitóſque de ſuis eſſe proſperitatibus. Tunc qui erat ſenior, ita exorſus eſt: Uxoris Aëtii lacrymas diu ſuſtinere non patior; petit enim aſſiduè, ut virum ſuum de Galliis reducam incolumem, cùm aliud exinde fuiſſet apud divinum judicium præfinitum. ſed tamen obtinui immenſam pietatem pro vitâ illius: & ecce nunc illuc propero, viventem eum exinde reducturus. Verumtamen obteſtor, ut qui hæc audierit, ſileat; arcanúmque Dei vulgare non audeat, ne pereat velociter de terrâ. Ille verò hæc audiens ſilere non potuit: ſed mox illuceſcente cœlo, omnia quæ audierat, matrifamiliæ pandit: expletíſque ſermonibus lumine caruit oculorum. Igitur Aëtius cum Francis Gothíſque conjunctus adverſus Attilam confligit.* Hucuſque Gregorius. qui & mox *Francorum Regem* adfuiſſe memorat; quem Merovеum capite 9. finiente nominat. Francos quoque Jornandes cap. 41. tantâ copiâ adfuiſſe ſcribit, *ut ipſi & Gepidæ* Attilani ſcilicet, *ante congreſſionem publicam* ſeu ultimam *noctu ſibi occurrentes, mutuo ad XV. millia conciderint vulneribus; Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus.* Ita ille.

Gepidarum & Francorum fortuitus pridiè pugnæ concurſus.

9. Cogitet Lector, ſi tanta Gepidarum dumtaxat & Francorum fuerit, quanta reliquarum omnium gentium potuerit eſſe multitudo. Sed ſi verè tantæ Francorum & Merovæi vires extiterint, Attilam ego Belgium noſtrum, quod tum ille tenebat, non adeo vaſtaſſe, facilè exiſtimavero: planéque veriùs credam, rectà illum Metis Aureliam toto ferè robore exercitûs ſui progreſſum; cum à dextris Francorum, à ſiniſtris Aëtii & Gothorum ferè pacatam irruptionem non ſine cauſâ timendam prævideret: & primo quoque tempore Aureliam, tam commodam ad Ligerim urbem, ſibi potiùs aſſerendam, vir callidus exiſtimaret. flumine tanto ſecurus. & à junctis Wiſigothis Romaniſque tanto minùs ſibi timendum ratus; quanto illi à Meroveo Franciſque & pluribus aliis confœderatis abjungerentur: faciliore utique de diviſis quàm unitis victoriâ. Simul ſi vinceret, ulteriùs & liberiùs in Aquitaniam contra Wiſigothos progreſſurus, quod jam antè ex Genſerici conſilio ſtatuerat.

Attilæ conſilium & intentio.

CAPUT IV.

Catalaunica Aëtii cum Gothis & Francis contra Attilam pugna; & victoria. Meroveus regnum ſuum promovet.

Ab Anno 451. ad 453.

Iornandes Getic. c. 38.

1. PUgnam hanc tantam, militum non minùs virtute quàm numero terribilem, Jornandis ipſius verbis, ne quid mutem aut deteram, hîc exequar: Convenerunt partes, ut diximus, in campos Catalaunicos. Erat autem poſitio loci declivi tumore, in editum collis excreſcens. quem uterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non parvum beneficium conferret, dextram partem Hunni cum ſuis, ſiniſtram Romani & Veſegothæ cum auxiliaris occuparunt: relictóque de cacuminis ejus jugo certamine, dextrum cornu cum Veſegothis Theodericus tenebat, ſiniſtrum Aëtius cum Romanis; collocantes in medio Sangibanum, quem ſuperiùs retulimus præfuiſſe Alanis: providentes cautione militari, ut eum, de cujus animo minus præſumebant, fidelium turba concluderent. facilè namque adſumit pugnandi neceſſitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diverſo verò fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum ſuis fortiſſimis locaretur; ſibi potiùs Rex hac ordinatione proſpiciens, quatenus inter gentis ſuæ robur poſitus, ab imminenti periculo redderetur exceptus. Cornua verò ejus multiplices populi, & diverſæ nationes quas ditioni ſuæ ſubdiderat, ambiebant. Inter quos Oſtrogotharum præeminebat exercitus, Walamire & Theodemire & Windemire germanis ductantibus, ipſo etiam Rege *Attila*, cui tunc ſerviebant, nobilioribus; quia Amalorum generis eos potentia illuſtrabat. Eratque & Gepidarum agmine innumerabili rex ille famoſiſſimus Ardaricus; qui ob nimiam ſuam fidelitatem erga Attilam, ejus conſiliis interetat. Nam perpendens Attila ſagacitatem ſuam (ſeu potiùs illius Ardarici) eum & Walamirem Oſtrogotharum Regem ſuper ceteros Regulos diligebat. Erat namque Walamir ſecreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus. Ardarich fide & conſilio, ut diximus, clarus. quibus non immeritò contra parentes Veſegothas debuit credere pugnaturis. Reliqua autem, ſi dici

Acies & ordo Romanorum.

Item Hunnorum.

Cum quibus Oſtrogothi & Gepidæ cum Regibus ſuis.

fas eſt

ſas eſt, turba Regum, diverſarumque nationum ductores, ac ſi ſatellites, nutibus Attilæ attendebant; & ubi oculo annuiſſet, abſque aliquâ murmuratione, cum timore & tremore unuſquiſque adſtabat, aut certè quod juſſus fuerat, exſequebatur. Solus Attila Rex omnium Regum, ſuper omnes & pro omnibus ſollicitus erat.

Romani collem editum primi occupant.

Iornaandes Cap. 39.

Attila tamè ſuos animat.

2. Fit ergo de loci, quem diximus opportunitate certamen. Attila ſuos dirigit, qui cacumen montis invaderent. ſed à Thoriſmundo & Aëtio prævenitur, qui eluctati collis excelſa ut conſcenderent, ſuperiores effecti ſunt, venientesque Hunnos montis beneficio facilè turbavêre. Tunc Attila cùm videret exercitum cauſa præcedente turbatum, tali eum ex tempore credit, alloquio firmandum: Poſt victorias tantarum gentium, poſt orbem, ſi conſiſtatis, edomitum; ineptum judicaverim, tanquam ignaros rei verbis acuere. quærat hoc aut novus ductor, aut inexpertus exercitus. Quid viro fortiùs quam vindictam quærere? magnum munus à naturâ, animum ultione ſatiare. Aggrediamur ergo hoſtem alacres: audaciores ſunt ſemper, qui inferunt bellum. Adunatas deſpicite diſſonas gentes. indicium pavoris eſt, ſocietate defendi. En ante impetum noſtrum terroribus jam feruntur, excelſa quærunt, tumulos capiunt, & ſerâ pœnitudine in campis munitiones efflagitant. Nota nobis ſunt, quam ſint levia Romanorum arma; primo etiam, non dico vulnere, ſed ipſo pulvere gravantur. Deſpicite eorum acies, Alanos invadite, in Veſegothas incumbite. inde nobis eſt citam victoriam quærere, unde ſe continet bellum. Non poteſt ſtare corpus, cui oſſa ſubtraxeris. Nunc conſilia, Hunni, nunc arma depromite. Cur fortuna Hunnos, tot gentium victores adſereret, niſi ad certaminis hujus gaudia præparaſſet? Non fallor eventu. hic campus eſt, quem nobis tot proſpera promiſerunt. Primus in hoſtes tela conjiciam: ſi quis potuerit Attilâ pugnante otium ferre, ſepultus eſt. His dictis accenſi, in pugnam cuncti præcipitantur.

Immanis pugnæ atrocitas.

Cap. 40.

3. Et quamvis haberent res ipſæ formidinem, præſentia tamen Regis cunctationem hærentibus auferebat. manus manibus congrediuntur. bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui ſimile nulla uſquam narrat antiquitas: uti talia geſta referuntur, ut nihil eſſet quod in vitâ ſua conſpicere potuiſſet egregius, qui hujus miraculi privaretur adſpectu. Nam ſi ſenioribus credere fas eſt, rivulus memorati campi humili ripâ prolabens, peremptorum vulneribus ſanguine multo provectus eſt; non auctus imbribus, ut ſolebat, ſed liquore concitatus inſolito torrens factus eſt cruoris augmento, & quos illic coëgit in aridam ſitim vulnus inflictum: fluenta mixta clade traxerunt. ita conſtricti ſorte miſerabili, ſorbebant potantes ſanguinem, quem fudere ſauciati. Hic Theodericus Rex, dum adhortans diſcurrit exercitum, equo depulſus pedibusque ſuorum conculcatus, vitam maturâ ſenectute concluſit. Alii verò dicunt eum interfectum telo Andagis de parte Oſtrogotharum, qui tunc Attilanum ſequebatur regimen. Hoc fuit quod Attilæ præſagio haruſpices priùs dixerant: quamquam ille de Aëtio ſuſpicaretur. Tunc Veſegothæ dividentes ſe ab Alanis, invadunt Hunnorum catervas: & penè Attilam trucidaſſent, niſi providus priùs fugiſſet, & ſe ſuosque illicò intra ſepta caſtrorum, quæ plauſtris vallata habebat, recluſiſſet. Quamvis fragili munimine, eo tamen quæſierunt ſubſidium vitæ, quibus paulò ante nullus potuerat muralis agger obſiſtere.

Theodoricus Wiſigothorum Rex occiditur.

Attila periclitatur & fugit.

Thoriſmūdus penè caſus.

4. Thoriſmund autem Regis Theoderici filius, qui cum Aëtio collem anticipans, hoſtes de ſuperiore loco deturbaverat, credens ſe ad agmina propria pervenire, nocte cæcâ ad hoſtium carpenta ignarus incurrit. quem fortiter dimicantem quidam capite vulneratò equo dejecit: ſuorumque providentiâ liberatus, à præliandi intentione deſiit. Aëtius verò ſimiliter noctis confuſione diviſus, cùm inter hoſtes medios vagaretur, trepidus ne quid incidiſſet adverſi Gothis, inquirens, tandemque ad caſtra perveniens, reliquum noctis ſcutorum defenſione tranſegit. Poſterâ die, luce ortâ, cum cumulatos cadaveribus campos adſpicerent, nec audere Hunnos erumpere; ſuam arbitrantur eſſe victoriam: ſcientesque Attilam nonniſi magnâ clade confuſum bello confugiſſe; cùm tamen nihil ageret vel proſtratus abjectum; ſed ſtrepens armis tubis canebat, incurſionemque minabatur. velut leo venabulis preſſus, ſpeluncæ aditus obambulans, nec audet inſurgere, nec deſinit fremitibus vicina terrere. Sic bellicoſiſſimus Rex victores ſuos turbabat incluſus.

Aëtius in caſtra nocte ſe refert.

Poſterâ die Romani ſe viciſſe vident.

Attilam obſident.

5. Conveniunt itaque Gothi Romanique, & quid agerent de ſuperato Attilâ deliberant. Placet eum obſidione fatigari, qui annonæ copiam non habebat, quando ab ipſius ſagittariis intra ſepta caſtrorum locatis, crebris ictibus arceretur acceſſus. Fertur autem deſperatis in rebus prædictum Regem adhuc & in ſupremo magnanimū, equinis ſellis conſtruxiſſe pyram; ſeſeque, ſi adverſarii irrumperent, flammis injicere voluiſſe: ne aut aliquis ejus vulnere lætaretur, aut in poteſtatem hoſtium, tantarum gentium dominus perveniret.

Theodorico Regi ſuo parentant Wiſigothi.

6. Verùm inter has obſidionum moras, Veſegothæ Regem, filii patrem requirunt; admirantes ejus abſentiam, dum felicitas fuerat ſubſecuta. Cumque diutiùs exploratum, ut viris fortibus mos eſt, inter denſiſſima cadavera reperiſſent; cantibus honoratum, inimicis ſpectantibus abſtulerunt. Videres Gothorum globos diſſonis vocibus confragoſos, adhuc inter bella furentia funeri reddidiſſe culturam. Fundebantur lacrymæ, ſed quæ viris fortibus impendi ſolent: noſtra mors erat, ſed Hunno teſte glorioſa. unde hoſtium putaretur inclinata fore ſuperbia, quando tanti Regis efferri cadaver cum ſuis inſignibus inſpiciebant. At Gothi Theoderico adhuc juſta ſolventes, armis inſonantibus regiam deferunt majeſtatem; fortiſſimuſque Thoriſmund benè glorioſus, ad manes cariſſimi patris, ut decebat filium, exſequias eſt proſecutus.

& Thoriſmundum filium ſufficiunt.

Qui ex Aëtii conſilio in regnum ſtatim redit.

7. Quod poſtquam peractum eſt, orbitatis dolore commotus, & virtutis impetu quâ valebat, dum in reliquis Hunnorum mortem patris vindicare contendit; Aëtium Patricium, ac ſi ſeniorem prudentiæque maturum, de hac parte conſuluit, quid ſibi eſſet in tempore faciendum. Ille verò metuens, ne Hunnis funditùs interemptis, à Gothis Romanorum premeretur Imperium; præbet hac ſuaſione conſilium, ut ad ſedes proprias remearet: regnumque quod pater reliquerat arriperet; ne germani ejus, opibus adſumptis paternis, Veſegotharum regnum pervaderent; graviterque

dehinc

dehinc cum ſuis, & quod pejus eſt, miſerabiliter pugnaret. Quo reſponſo non ambiguè, ut datum eſt, ſed pro ſua potiùs utilitate ſuſcepto; relictia Hunnis, redit ad Gallias (Aquitanias ſcilicet.) Sic humana fragilitas, dum ſuſpicionibus occurrit, magnâ plerumque rerum agendarum occaſione intercipitur. & mox: Thoriſmund ergo in campis Catalaunicis regiâ majeſtate ſubvectus, Toloſam ingreditur; ſicque regni initia moderatus eſt, ut nullius reperiret de regni ſucceſſione certamen.

Ut & Francorum Rex Meroveus.

Idem habet Greg. Turon. l. 2. cap. 7. fin. ſubditque de Francis: Simili & Francorum Regem Aëtius dolo fugavit. Hinc colligat Lector, quantum auxiliorum robur Romanis adduxerint hi duo Reges, quando eos tantopere timebat Aëtius. Illis autem recedentibus, ſpoliato campo, victor in patriam cum grandi eſt reverſus ſpolio.

Cæſorum eâ pugnâ numerus. *Jornandes Getic. c. 41.*

8. Sed rurſus Jornandes: In hoc famoſiſſimo & fortiſſimarum gentium bello, ab utriſque partibus centum ſexaginta duo millia cæſa referuntur: exceptis quindecim millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congreſſionem publicam, noctu ſibi occurrentes, mutuis concidêre vulneribus; Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. *Ita Jornand. At Proſperi Chronicon auctius*: In eo conflictu, quamvis neutris cedentibus, inæſtimabiles ſtrages commorientium factæ ſunt; Hunnos tamen eò conſtat victos fuiſſe quòd amiſsâ præliandi fiduciâ, qui ſuperfuerant ad propria reverterunt.

Attila victus redit ad propria,

Similiter Proſper Pithæi: Attila gravi clade inflictâ & acceptâ, ad propria recedit. *Idatius*: Bellum nox intempeſta diremit. Rex illic Theodorus proſtratus occubuit. Trecenta ferme millia hominum in eo certamine cecidiſſe memorantur. *Ita ille, cæſorum numerum ſupra Jornandem ferè duplo augens.*

cùm diu ſe intra caſtra continuiſſet, dolum timens.

9. *Jornandes*: Attila igitur diſceſſione cognitâ Gothorum, *credo ego & Francorum*; quod de inopinatis colligi ſolet, inimicorum magis æſtimans dolum, diutiùs ſe intra caſtra continuit. Sed ubi hoſtium abſentiâ ſunt longa ſilentia ſubſecuta; erigitur mens ad victoriam, gaudia præſumuntur, atque potentis Regis animus in antiqua fata revertitur.] *Jorn.* Attila, *ait Greg.* cum paucis reverſus eſt. *nempe ad propria, ut uterque Proſper paulò antè; in Scythiam nimirum, ut vires repararet. quod & ſequenti anno fecit, in Italiam tranſgreſſus.*

CAPUT V.

Meroveus in regno ſtabilitus, contra Romanos inſurgit. Attila in Italiam.

Annis Chriſti 452. & 453.

Meroveus in Regnum ex lato auxilio confirmatus.

1. SEd quod ad inſtitutum noſtrum maximè pertinet; Meroveus Francorum Rex, ab Aëtio non parum ſibi hac expeditione obſtricto dimiſſus, regnum ſibi ſuum haud modicè firmaverit. Quâ enim fronte Aetius illum poſt tam opportunum auxilium oppugnaſſet, & vel juniori Chlodionis filio adhuc imberbi quantumvis à ſe adoptato, poſtpoſuiſſet? Sed neque ejus, aliorumve in Gallia barbarorum oppugnandorum tempus erat; Attilâ adhuc vivente, furente, vires ardentiſſimè reparante, & proximo anno in Italiam graviùs ac periculoſiùs irrupturo? Potiùs illis quædam de novo oblata, ut quieſcerent; quam ablata, ne pugnando vires Romanorum diſtraherent. Unde Chlodionis liberorum nullus patris unquam ſceptra recepit. Non ſenior, victo tandem & mortuo Attilâ, à quo opem expectabat: Non junior, quem Aetius aliis occupatiſſimus, vixque triennio ſupervivens reſtituere nunquam commodè potuit. Et prudentiæ erat, privatum amorem publicæ utilitati poſthabere, eum qui rerum in Francis injuſtè an juſtè potiretur, cuivis hæredi in tanto periculo tantiſper antehabere, nec tam recens tam opportuni auxilii beneficium ventis & oblivioni ſubitò tradere.

Secluſo prudenter juniore Chlodionis filio.

Hinc rectè juniorem hunc filium Romam ad Valentinianum abs Aëtio miſſum tradit Priſcus; legationis quidem ſpecie, revera ut æmulo ab Merovei oculis amoto, pacatiorem illum inter tot Attilæ bella proximè ſubſequuta contineret. Unde noſtri Annales ultrà produnt, juniorem iſtum filium, Romæ deinceps ævum exegiſſe, uxorem duxiſſe, Senatores filios procreaſſe, qui ſub Zenone Imperatore & Theodorico Oſtrogotho Romam incoluerint, & novâ familiâ auxerint. Quæ omnia ex Annalibus noſtris tametſi rudioribus huc à me referri nemo mirabitur, ſi quàm cum hujus ævi ſcriptore tam fideli Priſco conſentiant, mecum advertere non gravatur.

Ille tamen Romanos impetere non deſtitit.

2. Sed ut Aëtium timor ab Merovei impugnatione deterruit; ita Meroveum nova iſta de Attilâ victoria, & Romanorum contra eumdem bellum in Italiâ reparantem longiùs à Belgis abductæ vires in conſuetam perfidiam impulerunt. quod & Thoriſmundo Viſigotho accidiſſe ex Proſpero & Sidonio mox dicemus. Lubricæ fallaciſque gentis Rex ipſe fallacior tam blandientem diffundendi regni occaſionem prætermittere non potuit. Nam *nimis utilem* eum *Regem* paſſim vocant Francorum hiſtorici. quomodo utilem, ſi regni limites non ampliaſſet?

Belgicam primam invadit.

Sed & in Belgicam Primam eum verſum, perſuadet mihi Sidonius, cujus verba inferiùs adferenda ad quod aptius quàm ad hoc tempus referam, poſt longam deliberationem non reperio.

Barrum capit.

Perſuadet item *Barrum* in Belgica primâ oppidum; hodie *Bar*, Winomodi cujuſdam Franci dominio, ut videtur, ſubditum, etiam antequàm in Thoringiam Childericus anno Chriſti circiter 457. fugeret, ut infrà videbimus. Neque Barrum Childericus, Merovæi ſucceſſor, priore regni ſui biennio, quod ante fugam exegit, ſed neque ullum aliud Romanorum oppidum cepiſſe videtur, quando illud omni luxuriæ genere tranſegiſſe dicit Gregorius.

Lib. 2. c. 12.

Igitur jam ante Childerici pater Meroveus illud Francorum juris effecerat. Multò anteriùs autem referre etiam vetor, ex eo quòd ante Attilam repulſum, pupillis adhuc Chlodionis ſtantibus, aut etiam ad Attilam Aëtiumque profugientibus, Meroveo invadendi ſtabiliendique magis regni neceſſitas, quàm propagandi libertas inerat. In Chlodionem verò victorias haſce referre, vetant Scriptores, qui illius arma verſus Somonam, aliâ plane regione converſa teſtantur. Inter annos igitur Chriſti 452. & 454. dum Aëtius primùm contra Attilam nimio plus occupatur; mox etiam cæditur, ſicut & Valentinianus; Belgicæ Primæ Borealiora à Meroveo

Francorum regno adjecta, iſtis tam probabilibus argumentis ſtatuimus, donec certius quippiam proferat dies.

Attila in Italiam irrumpit. Annus Chriſti 452.

3. Attilæ porrò in Italiam irruptionem, plures memorant. Nullus certiore credo fide, quam qui ſpectavit Proſper auctiore Chronico: *Herculano*, ait, *& Sperato Coſſ.* anno ſcilicet Chriſti 452. *Attila redintegratis viribus, quas in Galliâ amiſerat, Italiam ingredi per Pannonias intendit: Nihil Duce noſtro Aetio ſecundùm prioris belli opera proſpiciente. ita ut ne clauſuris quidem Alpium, quibus hoſtes prohiberi poterant, uteretur. hoc ſolùm ſpebus ſuis ſupereſſe exiſtimans, ſi ab omni Italiâ cum Imperatore diſcederet. Sed cùm hoc plenum dedecoris & periculi videretur, continuit verecundia metum: & tot nobilium provinciarum latiſſimâ everſione, credita eſt ſevitia & crudelitas hoſtilis explenda.* In eamdem ferè ſententiam Proſper Pithœi: *Inſperatâ in Galliis clade acceptâ furiatus Attila, Italiam petit: quam incolæ motu ſolo territi præſidio nudavêre.* Caſſiodorus in Chronico: *Attila redintegratis viribus, Aquileiam magnâ vi dimicãs introivit.*

Aquileiam, Ticinum, Mediolanũ, irrumpit.

imò ut Marcellinus, *excidit.* adeóque ut Paulus Diaconus *funditus eradit; Ticinum Mediolanúmque regias urbes excidit.* At Idatius & ipſe tum vivens: *Hunni*, inquit, *qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam civitatibus irruptis, divinitùs partim fame, partim morbo quodam, plagis cœleſtibus feriuntur. Miſſis etiam per Martianum principem, Aetio Duce, cæduntur auxiliis: pariterq́; in ſedibus ſuis* (Scythia nempè) *& cæleſtibus plagis, & per Martiani ſubiguntur exercitum. Et ita ſubacti, pace factâ cum Romanis, proprias universi repetunt ſedes.* Fuſiùs Jornandes, qui & hoc inſuper addit ex Priſco longè memorabilius:

Romam inde tendens à Leone Papâ comprimitur.

4. *Cùm Romam animus Attila fuiſſet accedere, ſui eum, ut Priſcus refert, removêre: non Urbi, cui inimici erant, conſulentes, ſed Alarici quondam Veſegotharum Regis objicientes exemplum, veriti Regis ſui fortunam; quia ille poſt fractam Romam diu non ſupervixerat. Igitur dum animo fluctuaret, placida ei legatio à Româ advenit. Nam Leo Papa per ſe ad eum accedit, in agro Venetûm Ambuleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione tranſitur. Qui mox depoſuit excitatum furorem, & rediens quà venerat, id eſt ultra Danubium promiſſâ pace diſceſſit. Illud præ omnibus interminans, graviora ſe in Italiam illaturum, niſi ad ſe Honoriam, cum portione regalium opum illi debitâ mitterent.*

5. *Ferebatur enim hæc Honoria, dum propter aulæ decus ac caſtitatem teneretur nutu fratris incluſa, clam Eunucho miſſo Attilam invitaſſe; indigno prorſus facinore, licentiam libidinis malo publico comparans.* Idem brevius ante Jornandem Proſper auctior: *Nihil inter omnia conſilia Principis ac Senatûs populíque Romani ſalubrius viſum, quàm ut per Legatos pax truculentiſſimi Regis expeteretur. Suſcepit hoc negotium cum viro Conſulari Avieno, & viro Præfectorio Trigetio Beatiſſimus Papa Leo: cujus ſummi Sacerdotis præſentiâ Rex ita gaviſus eſt, ut & bello abſtinere præciperet, & ultra Danubium promiſſâ pace diſcederet.* Ita teſtis oculatus Proſper. Unde Hunnos dixiſſe ferunt, Attilam à duabus tantùm feris victum, Lupo & Leone. Sigonius. Inter tot bella Concilium generale Chalcedonicum jubentibus Leone & Martiano contra Dioſcori & Eutychetis hæreſim habitum. ad quod tamen Belgarum Gallorúmve nullus per haſce Hunnorum incurſiones accedere potuit.

CAPUT VI.

Iterata Attilæ in Gallias contra Alanos Traſligerianos irruptio. Cædes illius, ut & Thoriſmundi VViſigothi.

Anno Chriſti 453.

Annus Chriſti 453 Secunda Attilæ in Gallias irruptio. Ex Jornand. Getic. c. 43.

1. SEcundam inde Attilæ in Gallias irruptionem Jornandes ſuggerit; neſcio quàm verè. nonnullis quidem ea ſuſpecta videtur, & cum priore miſcenda. ſi tamen vera, ad annum Chriſti 453. pertinet. Ego ex ejus fide huc transferam. *Reverſus*, inquit, *in ſedes ſuas Attila, & quaſi otii pœnitens graviterque ferens à bello ceſſare; ad orientis Principem Martianum Legatos dirigit, provinciarum teſtans vaſtationem, quod ſibi promiſſum à Theodoſio quondam Imperatore minimè perſolveret, & inhumanior ſolito ſuis hoſtibus appareret. Hæc tamen agens, ut erat verſutus & callidus, alibi minatus alibi arma ſua commovit. Et quod reſtabat indignationi, faciem in Veſegothos convertit. Sed non eumquem de Romanis reportavit eventum. Nam per diſſimiles anterioribus vias recurrens* (an Borealiores Germaniæ?) *Alanorum * partem trans flumen Ligerim conſidentem ſtatuit ſuæ redigere ditioni. quatenus mutatâ per ipſos belli facie, terribilior immineret. Igitur ab Daciâ & Pannoniâ provinciis, in quibus tunc Hunni cum diverſis ſubditis nationibus inſidebant, egrediens Attila, in Alanos movit procinctum. Sed Thoriſmund Rex Veſegotharum fraudem Attilæ non impari ſubtilitate perſentiens *, ad Alanos totâ ſubtilitate primus advenit, ibique ſupervenientis jam Attilæ motibus præparatus occurrit. conſertóque prælio, pene ſimili eum tenore, ut prius in campis Catalaunicis, à ſpe removit victoriæ, fugatúmque à partibus ſuis ſine triumpho remittens, in ſedes proprias fugere compulit. Sic Attila famoſus, & multarum victoriarum dominus, dum quærit famam perditoris abjicere, & quod prius à Veſegothis pertulerat abolere; geminatam ſuſtinuit, ingloriúſque receſſit.* Ita Jornandes.

* Nota partem; quia eorundem pars erat circa Valentiam, ut ſuprà ex Proſpero Pithœi notavimus.

* fortè præſentiens.

Cui favere videtur Gregorius Tur.

2. Neſcio an eamdem hiſtoriam tangere velit Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 7. fin. dum ait: *Thoriſmundus, de quo ſuprà meminimus, Alanos* (ſic enim in Pal. legitur, non ut vulgo *Alamannos*) *bello edomuit.* Si ad Alanós arma tulit, veroſimiliùs pro illis contra Attilam tulerit; quod Jornandes tot circumſtantiis exprimit. Ita Jornandem Gregorius utcumque ſuffulciret. Ceterùm, cùm ex Jornande audio *Attilam in Gallias per diſſimiles anterioribus vias recurriſſe*, non video, quâ id viâ fieri potuerit, quàm per Germaniæ Borealiora; nam non longè à Danubio priore irruptione receſſiſſe omnium opinio eſt. Et ſi per Illyricum hoc procinctu in Galliam Lugdunenſem intraſſet, potuiſſet ei breviùs in Helvetiis Sequanisve quàm in Alanis ultra Ligerim Thoriſmundus occurrere. Dicendum itaque foret Attilam Rhenum tunc ad Coloniam tranſiſſe, & per Francorum novum ac Belgicum Regnum in Lugdunenſem ſecundam tertiámve contendiſſe: ac conſequenter pacem prius cum Meroveo pepigiſſe pacificam ei regni poſſeſſionem, neglecto ſeniore

Chlodio-

Chlodionis filio, addixiſſe: ſicque tranſitum ac reditum innocuum impetraſſe. Ita nihil mirum ſi Meroveus nihil tum aut ab Aëtio aut ab Attilâ paſſus, regnum ſibi poſteriſque Meroveadis tantopere ſtabiliſſet. Hocque forte magis cum eo Attila pepigiſſet, quòd ille Romanos jam ruptâ fide impeterat, & regni cum iis pacti limites violentus exilierat. Hæc Alanicæ iſtius expeditionis occaſione occurrebant. aliis tamen difficultatum ſpinis obſita: quas examinare poteſt Lector. Certè Attilæ in Italiam certior expeditio obſtare videtur. Thoriſmũdus Toloſam victor egreſſus, *cùm ea moliretur* (ait Proſper auctior) *quæ Romana paci, & Gothica adverſarentur quieti, à germanis ſuis* fratribus, *quia noxiis diſpoſitionibus irrevocabiliter inſtaret, occiſus eſt. Poſt multas lites & bella* habet Turonenſis. Arelatum quidem ab eo obſeſſum, ſed eloquentiâ Ferreoli liberatum ſignificat Sidonius lib. 7 ep. 12. ubi vide Sirmundum. Mortuus eſt *tertio anno regni ſui*, addit Jornandes; ſuffragatur Idatius aliique. Theodoricus frater ei ſuccedit; cujus mores & habitum Sidonius Epiſtola 2. lib. 1. graphicè depinxit: & deinceps clareſcere occœpit.

Thoriſmũdus à fratribus cæſus. Anno Chriſti 455. *Ex Proſp. vulg. Turon. l. 2. c. 9.*

Attilæ mors.

3. Eodem anno Chriſti 453. *Attilam in ſedibus ſuis mortuum* tradit in auctiore Chronico Proſper, & cum eo Caſſiodori Victoriſque Tunnunenſis Chronica. Idatius tamen priore, Marcellinus ſequente referunt. Ego & plures & medio inſiſtentes ſequor. Tanti viri mortem juvat ex Jornande & Priſco audire. *Mors Attila*, inquit, *tam fuit utilis, quàm vita mirabilis. Qui, ut Priſcus hiſtoricus refert, extinctionis ſuæ tempore, puellam Ildico nomine, decoram valde, ſibi in matrimonium poſt innumerabiles uxores, ut mos erat gentis illius, ſocians; ejúſque in nuptiis hilaricato nimiâ reſolutus, vino ſomnóque gravatus, reſupinus jacebat. redundánſque ſanguis, qui ei ſolitè de naribus effluebat, dum conſuetis meatibus impeditur, itinere ferali de faucibus illapſus eum extinxit. noctu* addit Marcellinus. *Ita glorioſo per bella Regi, temulentia pudendum exitum dedit. Sequenti verò luce, cùm magna pars diei fuiſſet exempta* (ſeu cùm effluxiſſet) *miniſtri Regis triſte aliquid ſuſpicantes, poſt clamores maximos fores effringunt; inveniuntque Attila ſine vulnere necem ſanguinis effuſione peractam; puellámque* Idilco *demiſſo vultu ſub velamine lacrimantem. Tunc, ut illius gentis mos eſt, crinium parte truncatâ, informes facies cavis turpavêre vulneribus: ut præliator eximius non femineis lamentationibus & lacrymis, ſed ſanguine lugeretur virili. De quo id accidit mirabile, ut Marciano Principi Orientis de tam feroci hoſte ſollicito, in ſomnis divinitas aſſiſtens arcum Attila in eadem nocte fractum oſtenderet: quaſi quod gens ipſa eo telo multum præſumat. Hoc Priſcus hiſtoricus vera ſe dicit atteſtatione probare. nam in tantum magnis imperiis Attila terribilis habitus eſt, ut ejus mortem in locum muneris, ſuperna regnantibus indicarent.*

Get. c. 49.

Cum puellam duceret uxorem.

ex temulentia.

Attilæ parentalia.

4. *Cujus manes quibus modis à ſuâ gente honorati ſunt, pauca de multis dicere non omittamus. In mediis campis, & intra tentoria ſerica cadavere collocato, ſpectaculum admirandum & ſolemniter exhibetur. nam de totâ gente Hunnorum lectiſſimi equites, quo erat poſitus loco, in modum Circenſium curſibus ambientes, facta ejus cantu funereo tali ordine referebant: Præcipuus Hunnorum Rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortiſſimarum gentium dominus, qui inauditâ ante ſe potentiâ, ſolus Scythica & Germanica* (nota) *regna poſſedit; necnon utraque Romani orbis imperia captis civitatibus terruit, & ne prædæ reliqua ſubderentur, placatus precibus annuum vectigal accepit. Cúmque hæc omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hoſtium, non fraude ſuorum, ſed gente incolumi, inter gaudia lætus: ſine ſenſu doloris occubuit. Quis igitur hunc exitum putet, quem nullus æſtimat vindicandum? Poſtquam talibus lamentis eſt defletus, ſtravam ſuper tumulum ejus, quam appellant ipſi, ingenti comeſſatione concelebrant: & contraria invicem ſibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio celebrant. Noctuque ſecretò cadaver terrâ recondunt. cujus fercula primùm auro, ſecundum argento, tertium ferri rigore communiunt, ſignificantes tali argumento, potentiſſimo Regi omnia conveniſſe: ferrum, quo gentes edomuit; aurum & argentum, quod ornatum Reip. utriuſque acceperit. Addunt arma hoſtium cædibus acquiſita, phaleras variarum gemmarum fulgore pretioſas, & diverſi generis inſignia, quibus colitur aulicum decus. Et ut tot & tantis divitiis humana curioſitas arceretur, operi deputatos deteſtabili mercede trucidarunt. Emerſitque momentanea mors ſepelientibus cum ſepulto*, Hucuſque Jornandes.

& Elogium.

5. Proſper auctior: *Attilâ mortuo, magna primum inter filios ejus certamina de obtinendo regno exerta ſunt. Deinde aliquot gentium quæ Hunnis parebant defectus ſecuti, cauſas & occaſiones bellis dederunt: quibus ferociſſimi populi mutuis incurſibus contererentur.* Ita in genere Proſper; quæ Jornandes ſigillatim pluribus capitibus recenſet. Ac primùm de filiorum diſſenſione; *Dum inconſultè*, inquit, *imperare cupiunt cuncti, omnes ſimul Imperium perdidere. Gentes patri ſubditas ſibi dividi æquâ ſorte poſcebant; ut ad inſtar familiæ, bellicoſi Reges* hucuſque ſubjecti, *cum populis mitterentur in ſortem. Quod ut Gepidarum Rex comperit Ardaricus, indignatus de tot gentibus, velut viliſſimorum mancipiorum conditione tractari; contra filios Attilæ primus inſurgit*; & ceteras gentes ad ſecum inſurgendum accendit. *Bellum ergo in Pannoniâ juxta flumen Netad committitur, & poſt multos graveſq́; conflictus, favit Gepidis inopinata victoria. nam 30. fere millia tam Hunnorum quàm aliarum gentium quæ Hunnis ferebant auxilium, Ardarici gladius conſpiratorumq́; peremit. Ibi Attilæ major natu filius Ellac occiditur. Reliqui verò fratres ejus fugantur juxta littus Pontici maris, ubi prius Gothos ſediſſe deſcripſimus. Ceſſere itaque Hunni, quibus cedere putabatur univerſitas. Adeo diſſidium pernicioſa res eſt, ut diviſi corruerint, qui adunati viribus territabant.*

Attilâ mortuo magna inter filios ejus certamina.

Iorn. Getic. c. 50.

In quos Ardaricus Gepida, primus inſurgit; & vincit.

6. *Hac cauſa Ardarici Regis Gepidarum, felix adfuit diverſis nationibus, quæ Hunnorum regimini invita famulabantur; earum animos ad libertatem erexit. venientéſque multi per legatos ſuos ad ſolum Romanum, à Principe tunc Marciano gratiſſimè ſuſcepti, diſtributas ſedes, quas incolerent, accepere. Nam Gepidæ Hunnorum ſibi ſedes viribus vendicantes, totius Daciæ fines velut victores potiti, nihil aliud à Romano imperio niſi pacem & annua ſolemnia poſtulavere*, & impetravere. *Id Gothi cernentes, & Hunnos ſuas* (Gothorum ſcilicet) *antiquas ſedes occupare; maluerunt à Romano regno terras petere, quàm cum diſcrimine ſuo invadere alienas. accipientes Pannoniam, quæ in longâ porrectâ planitie habet ab Oriente Mæſiam ſuperiorem, à Meridie Dalmatiam, ab occaſu Noricum, à Septemtrione Danubium. Ornata patria civitatibus plurimis, quarum prima* ſcilicet ab ortu *Sirmis* ſeu *Sirmium*, *extrema Vindomina*, hodie Vienna Auſtriæ. Hæc & plura Jornandes. Quibus vides, Pannonias quas Aëtius ab Hunnis anno Chriſti 427. receperat, 12. aut 14. *cap. 52.*

Imitãtur alii Reges.

Quibus Martianus Imp. ſedes dat.

inde ferè annis ad Hunnos Attilamque rediiſſe; & pôſt ferè totidem in Gothorum poteſtatẽ deveniſſe. erant autem Oſtrogothorum iſtorum tres Reges fratres, qui diviſa Pannoniæ loca obtinuere, ſed conſilia unita tenuere: Walamir inter Scarniungam & aquam nigram fluvios; Theodemir juxta lacum Pelſodis, Widemir inter utrumque manebat. Et Attilæ quidem filii inopinatò ſuper Walamiri ſolum irruerunt; ſed & victi repulſique ſunt. Quod dum nuntius ab Walamir ad Theodomirem miſſus nuntiat, eodem die Theodericum ejus filium de Erelicuâ concubinâ natum reperit. Is eſt, qui deinde Rex Italiæ fuit; natus circa hos Chriſti annos 455. vel 456.

Oſtrogothi in Pānoniis.

CAPUT VII.

Aëtii funeſta cædes, ab ipſo Valentiniano.

Anno Chriſti 454.

Ex Proſpero Chronico Conſulari.

1. INterim anno Chriſti 454. *Aëtio Studióque Coss.* (ait Proſper Auctor) *inter Valentinianum Auguſtum & Aëtium Patricium, poſt promiſſa invicem fidei ſacramenta, poſt pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ convaluerunt: & unde fuit gratia charitatis augenda, inde exarſit fomes odiorum. incentore, ut creditum eſt, Heraclio Spadone* ſeu Eunucho; *qui ita ſibi Imperatoris animum inſincero famulatu obſtrinxerat, ut eum facilè in quæ vellet, impelleret. Cùm ergo Heraclius ſiniſtra omnia Imperatori de Aëtio perſuaderet; hoc unum creditum eſt ſaluti Principis profuturum, ſi inimici molitionem ſuo opere præoccupaſſet. Vnde Aëtius, dum placita inſtantiùs repetit, & cauſam filii commotiùs agit; Imperatoris manu & circumſtantium gladiis, inter palatii penetralia crudeliter confectus eſt. Boëtio Prætorii Præfecto ſimul perempto, qui eidem multâ amicitiâ copulabatur.*] Ita Proſper ex variis Manuſcriptis. Idatius autem, *Aëtius Dux & Patritius, fraudulenter ſingularis* (*ideſt ſolus*) *accitus intra palatium, manu ipſius Valentiniani Imperatoris occiditur: & cum ipſo per ſpatarium ejus aliqui ſingulariter intromiſſi jugulantur honorati.*

Ex Idatio.

Ex Procopio fuſiore. l. 1. Vand.

2. At Procopius ut hanc rem fuſiùs, ita & aliter narrat. *Maximus*, ait, *erat quidam è Senatoribus, è ſtirpe illius Maximi Tyranni, quem Theodoſius ſenior ſuſtulerat; pro quâ victoriâ Romani quot annis feſtum agunt. Huic uxor formoſiſſima ſimul & prudentiſſima erat; quâ Valentinianus incenſus cùm potiri cuperet, réſque admodum ardua foret, rem iniquam excogitavit. Maximum juſſit ad ſe in palatium venire: quocum talis colludens, auro certo propoſito, annulum ejus victor nactus eſt. Hunc clam ad uxorem mittit viri nomine, ut quam primum ſigno perſpecto in palatium, ſalutatum Imperatorem Eudoxiam veniat. Illa ſubitò paret. ac ſtatim in gynecæum longè à paratis ad id mulieribus deducta eſt. ubi Valentinianus occurrens vim ei attulit. Illa pôſt hæc mœſta domum regreſſa, calamitatem fatumq́; ſuum flere, virúmque magnopere deteſtari cœpit, ut qui occaſionem iſti rei dediſſet. Maximus dolore ingenti perculſus, de inſidiis contra Imperatorem ſecum meditabatur. Cùmque videret Aëtium tunc Maximum Ducum, qui paulò ante clariſſimam de Attilâ Maſſagetarum Scytharúmque Rege victoriam retulerat, iis conſiliis obſtare; ſtatuit ſuſpectum illum Imperatori reddere. Tempus quoque commodum tunc viſum, quod longè abeſſet* (an forte in Galliis, ao Illyrico?) *quod ſpes in eo potiſſima Romanorum eſſet; cum Eunuchis* (Heraclio præſertim) *agit; quorũ uti fidiſſimorum cuſtodiæ ſui cuſtodiam tradiderat Imperator, ut ei perſuaderent Aëtium rebus novis ſtudere. Imperator facilè credens, ſuſpectamque illius habens virtutem, mandat ut interficiatur. Fertur & proximum quemdam ex Romanis interrogaſſe, an Reip. foret utilis Aëtii mors? ille autem reſpondiſſe. Hoc ipſe videret bene an male: ſe tantùm ſcire, quod ſibi dexteram alterâ manum incideret. Nihilominus ſublatus Aëtius.* Modum cædis ex Proſpero jam & Idacio audivimus; quem & Marcellinus in Chronico ita deſcribit: *Indictione ſeptima Aëtio & Studio Coss. Aëtius Patricius, magna Occidentalis Reip. ſalus & Regis quondam Attilæ terror, à Valentiniano Imperatore cum Boëthio amico in palatio trucidatur. Atque cum ipſo Heſperium concidit regnum, nec hactenus valuit relevari.*]

Inde Imperii Occidentalis ruina.

3. In Procopio ootandum; *Aëtium* cùm ab Imperatore ad cædem vocatus eſt, *longe abfuiſſe*: haud dubiè aut in Galliis contra Barbaros aut Francos; aut in Illyrico. ut Pannonias poſt Attilæ mortem Imperio rurſus adjungeret. Suſpicionem de Illyrico juvat quod Marcellinus hoc eodem anno notat, *Attilam Aëtii hortatu, mulieris manu cultróque confoſſum.* Erat igitur Attilæ regno vicinus. Majorianum (poſtea Imperatorem) Aëtius paulò antè ab invidâ uxore perſuaſus, militiâ & aulâ exactum ad lares ſuos remiſerat, ut ex Sidonii carmine 5. v. 294. & ſeqq. iotelligimus. Hunc igitur cen ab Aëtio injuriâ gravi affectũ, eoque hoſtem acriorem, Valentinianus evocat, curam ei militiæ delegaturus, inſtanteſque motus ejus operâ compreſſurus. ut idem Sidonius ita canens.

Aëtius ex Illyrico Romam vocatus videtur.

Principis interea gladio lacrymabile fatum
Clauſerat Aëtius. Cujus quò tutiùs ille Valentinianus
Magna palatinis conjungeret agmina turmis,
Evocat hunc precibus.

Sed Majorianus, ut apparet, oon venit; quia antequam advenire poſſet, etiam Valeotinianus occiſus eſt; uti mox è Sidonio ſubdemus. Aëtio cæſo *Valentinianus*, ait Idatius, *Legatos mittit ad gentes. ex quibus ad Suevos* Hiſpaniam infeſtantes *venit Juſtinianus.* Si ad gentes omnes miſit, ut indefinita iſta Idatii locutio ſignificat, etiam ad Francos noſtros miſerit; cædis Aëtianæ rationem reddiderit, ut pactis ſtarent oraverit; renuentibus nova terrarum ſpatia conceſſerit. Aëtium ego quidem Stiliconis, Merovæi, & omnium, qui tyrannidem moliuntur, artibus uſum, vix dubito. quibus id ferè ſolemne, ut bella & barbaros undique concitent, quo ſui neceſſitatem Principibus legitimis impooant; & ſi reluctentur, exilium, captivitatem, aut etiam mortem inveh ant. Sane fiducia iſta & importuoitas, quâ *Aëtius ab Imperatore inſtantiùs pacta repetiſſe, & cauſam filii* (puto majoris, Gaudentii) *commotiùs egiſſe* ſcribit Proſper; ſimilem aliquam cum Barbaris conjunctionem, & fœderatiooem occultam, mihi quidem perſuadet. Eoque nomine, ſanè ſpecioſo, ab Heraclio Spadone inſimulatum, & ſuſpectum fuiſſe.

Suſpectus de ſocietate cum Barbaris.

4. Ac ut de Francis noſtris, qui propriè ad inſtitutum pertinent, ſolùm agam; ſatis è Sidooö

carm.

carm. 7. v. 380. intelligimus, Francos per hoſce annos, & hujus 454. maximè finem, ſibi in Belgicâ confinia infeſtaſſe. Nam cùm canit, *Francus Germanum primum, Belgámque ſecundum Sternebat*; licèt id ad bimeſtre Maximi, proximo ſequentis anni vere imperium referre videatur: quis tamen non aſſequitur, de ſolo incurſionum iſtarum fine agere? quando clarum eſt, Meroveum & Francos, tam exiguo temporis intervallo, duorum triúmve menſium, disjunctas provincias Germaniam primam & Belgicam ſecundam aggredi, vaſtare, & ex parte ſaltem ſibi ſubdere, vix potuiſſe. & quæ ſuperiore capite diximus, Meroveum etiam ante Attilæ necem moviſſe docent; quanto magis poſt ejus & maxime Aëtii, quem unicum timere poterat, mortem? Hoc igitur etiam anno Chriſti 454. ſaltem exeunte. Francus in commodum ſuum ſemper intentus, Romanos limites infeſtabat; & ſuos diffundere non ceſſabat. Eoque Sigebertus & alii Meroveum *Regem nimis utilem* appellant: & Ivonis Chronicon Francos ſub eo Metim incendiſſe prodit. Vereor certè, ut Belgicam primam ſeriò aggreſſus ſit; ſi non etiam ſibi ſubdiderit. Belgam quidem Secundum hîc tantùm memorat Sidonius; credo ob verſus ſui commoditatem: cur non & Primum tentaret, Germaniam Primam inter & Belgicam Secundam primò occurrentem, æquè ſubdi facilem?

CAPUT VIII.

Valentiniani Imperatoris cædes. Maximi ſucceſſio. Vnde Barbari in Gallias, Franci in Belgicâ irrūpunt. Avitus Magiſter militiæ.

Anno Chriſti 455.

ANNUS Chriſti 455. 1. FVneſtus inde Romæ annus, Chriſti 455. illuxit. quo *Valentiniano octavum & Anthemio Coſs. Indictione octava*, aiunt Proſperi, Caſſ. & Marcellini Chronica, ipſe Valentinianus Imperator occiditur; & mox cum illo ruit Occidentis Imperium. *Mortem Aëtii* (inquit Proſper auctior) *mors Valentiniani non longo poſt tempore conſecuta eſt: tam imprudenter non declinata, ut interfector Aëtii, amicos armigeróſque ejus ſibimet conſociaret. Qui concepti facinoris oportunitatem diſſimulanter aucupantes, egreſſum extra Urbem Principem, & ludo geſtationis intentum,* Valentinianus cæſus. *inopinatis ictibus confoderunt: Heraclio* (*ſpadone* Marcellinus & Jornandes) *ſimul, ut erat proximus, interempto.* Ita Proſper uterque. *Amicos* iſtos *armigeróſque Aëtii*, Marcellinus & ex eo Jornandes de regnorū ſucc. c. 100. *dolo Maximi Patricii* ſubmiſſos *Optilam & Tranſtilam Aëtii ſatellites* appellant; *duos barbaros Aëtii familiares* Idatius. *Occyllam Aëtii buccellarium* tantum, non duos nominat Gregorius Turon. lib. 2. cap. 8. fin. Ita vides *armigeros, ſatellites, familiares, buccellarios*, pro iiſdem hîc accipi; Scurras etiam Spartianus in Heliogabalo, & Lampridius in Alexandro; item alii *corporis cuſtodes, aſſeclas, contubernales* dicunt. *Buccellarii vocabulum Honorii Imperatoris temporibus tributum militibus, non Romanis ſolùm, ſed & Gothis quibuſdam*, ait Olympiod. apud Photium. Sane Ocylla & Transtila Barbarorum nomina ſunt. Locum cædis iſtius *extra Urbem* fuiſſe addit Proſper auctior: at Ulricianus & Chron. Alexandrinum, *ad duas Lauros. In campo Martio* Marcellinus, Caſſiodorus, & Turonenſis: & quidem *exercitu circunſtante*, notat Idatius; aut ut Turonenſis, *dum pro tribunali ſedens, concionaretur ad populum.* Diem denique ſolus Proſper Ulricianus ſeu Caniſianus notat *17. Kalendas Apriles*, ſeu 16. Martii: quod & in ſucceſſoris electione confirmat Innominati & incerti auctoris apud Onuphrium Chronicon. Natum 2. Julii Valentinianum anno Chriſti 419. ſuprà vidimus. Perierit igitur ætatis anno 36. ab Honorii avunculi morte, cui cum matre ſucceſſit, 32. De hac cæde ita Sidonius carm. 5. v. 305. 309. &c.

Extra urbē, ad duas lauros.

Die Martii 16.

Anno ætatis 32.

Principis interea gladio lacrymabile fatum
Clauſerat Aëtius. —— *Sed non ſit pœna moratur*
Sanguinis effuſi. numerum collegerat ergo
Non animum populi (Valentinianus ſcilicet)
ferri mala crimina ferro
Solvit, & in noſtram plus concidit ille ruinam.

Uſque ad Valentinianum, ut rectè Idatius in Chronico, *Theodoſii generatio tenuit principatum.* nempe per fœminas.

2. *Poſt interitum Valentiniani* (ait ſupradictus apud Onuphrium Chronographus) *levatus eſt Maximus Imperator XVI. Kalendas Apriles*; qui dies Martii 17. proximè Valentiniani mortem excepit; Feria quinta. *Maximus*, ait Proſper uterque, *vir gemini Conſulatûs, & patricia dignitatis ſumpſit Imperium.*] *nullo* ſcilicet, ut jam antè dixerat, *ex multitudine Regiâ, ad ultionem tanti ſceleris accenſo. Cúmque periclitanti Reip. profuturus per omnia crederetur; non ſero documento quid animi haberet, probavit. ſic quidem, ut interfectores Valentiniani non ſolum non plecteret, ſed etiam in amicitiam reciperet: uxorémque ejus Auguſtam* (Eudoxiam) *amiſſionem viri lugere prohibitam, intra pauciſſimos dies* (nota; non igitur eodem die ut Sig.) *in conjugium ſuum tranſire cogeret. Sed hâc incontinentia non diu potitus eſt.*] occaſionem ita exrit Procopius: *Maximus junctâ ſibi Eudoxiâ, cùm fortè antea prima uxor deceſſiſſet; ejus tandem amore dum unà cubaret, ſe faſſus eſt virum interfeciſſe. Illa prius exacerbata, & jam antè de viri ultione cogitans*, (nàm Maximus, ait Idatius, *in occiſorum per Valentinianum, & in ipſius Valentiniani interitum, ambitu regni, conſilia ſceleſta patrata contulerat.*) *multo magis ob hac verba & animum impudicum detectum exarſit. Ubi igitur illuxit, Carthaginem mittit; rogatum Gizerichum, ut viri necem ab impio tyranno interfecti ulciſci velit. Se quoque ab illo indigna pati; Imperium occupatum; omnia perditum iri. Addit ex officio facturum, ſi afflictis opem ferat, cùm in amicitiâ ſocietatéque Valentiniani eſſet. è Conſtantinopoli, nullam eſſe ſpem, Theodoſio jam extincto, & Martiano imperante.* Nec defuit Gizerichus, ut mox dicam. Ita Maximus ſua garrulitate viam ſibi ad interitum ſtravit. Verùm Idatius, Maximum non ſolum Eudoxiam duxiſſe, *ſed & filio ſuo ex priore conjuge Palladio, quem Cæſarem fecerat, Valentiniani filiam in conjugium tradidiſſe, ſcribit.*

Succedit Maximus Petronius eodem die 16. Martii.

Et Eudoxiā Valentiniani viduam coactā uxorem ducit. *Proc. Vand. l. 1.*

Quæ irata Genſericū Carthagine Romam vocat.

3. Sed Sidonium hîc, antequam progrediar audire juvat: *In arcem*, inquit, *præfectoriam patriciam*,

Ep. 13. l. 2. Maximi Elogium

conſularémque intrepidus aſcenderat; eóſque quos geſſerat magiſtratus, ceu recurrentibus orbitis expletus iteraverat. Cùm tamen venit omnibus viribus ad principalis abruptum, quandam poteſtatis immenſa vertiginem ſub corona patiebatur. Nec ſuſtinebat dominus eſſe, qui non ſuſtinuerat eſſe ſub domino. Denique require in ſupradicto vita prioris gratiam potentiam, diuturnitatem, éque diverſo principatus paulò amplius quàm bimeſtris originem, turbinem, finem, profectò invenies hominem beatiorem prius fuiſſe, quàm beatiſſimus nominaretur. Igitur ille, cujus anterius epula, mores, pecunia, pompa, litera, faſces, patrimonia, patrocinia florebant: cujus ipſa ſic denique ſpatia vita cuſtodiebantur, ut per horarum diſpoſitas clepſydras explicarentur: is nuncupatus Auguſtus, ac ſub hac ſpecie palatinis liminibus incluſus, ante crepuſculum ingemuit, quòd ad vota pervenerat. Cúmque mole curarum priſtina quietis tenere dimenſum prohiberetur, veteris actutum regula legibus renuntiavit, atque perſpexit pariter ire non poſſe negotium principis & otium Senatoris. Nec feſellerunt futura mœrentem. namque cùm ceteros aulicos honores tranquilliſſimè percurriſſet, ipſam aulam turbulentiſſimè rexit, inter tumultus militum, popularium, fœderatorum. Hæc Sidonius.

Maximus impar oneri.

4. Ubi noto ſub Maximo *tumultus militum, & fœderatorum.* nempe de more. Principum enim mutationes ſimilibus obnoxiæ; dum quiſque nondum firmato novo Principe, ſpe fortunæ melioris titillatur. *Milites*, ait Sirmundus in carmen. 5. Sidonii, v. 485. *propriè ſunt Romani, & à barbaris auxiliaribus fœderatiſque diſtinguuntur. Novella Valentiniani de reddito jure armorum; Magiſter militum Sigiſvultus tam militum quàm fœderatorum tuitionem urbibus ac litoribus non deſinet ordinare.* & rurſus pag. 30. ad epiſt. 8. lib. 1. *Fœderati, militum genus erant è barbaris gentibus, quæ pro Romanis Principibus militabant. In quibus faciles principes Gothi, qui à Conſtantino primùm conducti, fœderatorum inde nomen ſortiti ſunt.* Unde Epitome Novellæ Græcæ XI. *Γοτθ8ς φοιδερατ8ς*; & Novella 31. Theodoſii *Sarracenos fœderatos* memorant. Olympiodorus apud Photium pag. 69. init. *Fœderatorum*, ait, *nomen tributum incondita & è diverſis conflatæ multitudini.*

Quinam milites fœderati.

5. Ego tamen Sidonium hîc per *fœderatos*, gentes Barbaras, quæ diverſas Imperii partes ex pacto quodam & fœdere tenebant, etiam innuere ſuſpicor. Illæ etenim ſolis ſemper commodis ſuis intentæ, aliàs de fœdere nihil anxiæ; & Valentiniani maximeque Aetii, auditâ cæde, quieſcere non potuêre. Unde idem Sidonius in Aviti Panegyrico à verſu 361.

Barbari undique exurgunt.

Vixque tuo impoſitum capiti diadema Petroni,
(Maximus enim etiam Petronius dictus)
Illico Barbaries (ſcilicet omnis in Romanos inſurrexit) *nec non ſibi capta videri*
Roma Getis, telluſque ſuo ceſſura furori.

Mox quinam iſti fuerint in Galliis *rebelles* Barbari, recenſet; nempe Saxones, Franci, Alamanni.

Saxones.

Quin & Armoricus (inquit) *pyratam SAXONA tractus*
Sperabat (ideſt timebat.) *cui pelle ſalum ſulcare Britannum*
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Saxonas intelligit, tam eos qui Friſiam Hollandiámve noſtrates jampridem occupabant; quàm qui Britannos, ab iis paulò antè contra Pictos & Scotos advocati, mutato jam animo ſub jugum ſuum miſerant ac mittere non ceſſabant; ut pluribus Gildas & Beda. Utriſque enim facilis, obvius & proximus erat tractus Aremoricus, quem cum Britanniâ vaſtarent ac ſpoliarent. Francos jam Belgium hodiernum tenentes non impetebant; utpote ſibi irruptionum ſocietate conjunctos. Imò & Franci alios Romani Imperii fines ſimul irrumpebant. Subdit enim ecce Sidonius:

Franci, Germaniâ primam ſive Superiorem impetunt.

6. *FRANCUS Germanum primum, BELGAMQUE ſecundum Sternebat.* Francorum Rex, ut antè dixi, Meroveus erat, *nimis utilis*, nec ullam dilatandi regni occaſionem prætermittens: jam inde quidem ab Attilâ repulſo ferocior; maximè autem Aëtio primùm, mox etiam Valentiniano ſublatis in omnem audaciam effuſior. Ergo Rhenanâ Germaniæ Inferioris ſeu Secundæ ripâ jampridem ſuis indultâ, ad ſuperiorem ſive Primam commodè ſe vertit; ejuſque haud dubiè nonnulla ſibi loca ſuis contermina pervaſerit. *Belgicam* inde *Secundam* ab eodem impetitam canit Sidonius; nec Primæ mentionem facit; verſui credo quàm hiſtoriæ magis obſecutus. Quis enim credat Francos Germaniam primam, ſimul & Belgicam ſecundam invaſiſſe; interjacentem verò Belgicam primam eamque celeberrimam, intactam reliquiſſe? Belga primus, non æquè ut Secundus, Sidonii verſum claudebat: eâ igitur nec alia cauſa omiſſus: licet æquè, ſi non & magis ſub Merovei Francorumque jugum redactus. Accedunt argumenta, quibus id certò ſtatuimus. Primùm Gregorii Turonenſis Epitome poſterior cap. 9. & Aimoinus lib. 1. cap. 7. *Barrum oppidum* (illud credo, quod olim in Belgica primâ, hodie Lotharingorum Ducum eſt) Francorum, ſi non etiam Wiomadi ea in gente principis fuiſſe certò indicant; cùm Cheldericum Regem in regnum anno Chriſti 464. redeuntem à Barrenſibus ipſius Winomadi Franci juſſu receptum narrat. Quomodo enim oppidum, ſi Romanorum eo uſque, nunquam Francorum jam antè fuiſſet, Regi Francorum extorri prior occurriſſet, & ſe ejus ſtatim ditioni ſubdidiſſet? Francorum autem ſi jam antè fuit; vix à Childerico primùm ſubigi potuit; qui primo eoque modico, antequam expelleretur, regni tempore; non bello limitumque propagationi, ſed luxuriæ planè ſe dedit. A Meroveo igitur patre, viro ſtrenuo & utili, jam ante ſubactum, ut & Belgicæ primæ finitima ſi non & extrema Francis adjecta, oportuit.

Inde Belgicam Secundam, ſeu Remenſem.

Merovei in Belgicam progreſſus.

7. Accedit & ipſe Sidonius, qui ad Arbogaſtem Francum, Trevirorum ſua ætate, id eſt annis abhinc non multo ſupra viginti, Comitem, ita ſcribit: *Quirinalis impletus fonte facundiæ, potor Moſellæ Tiberim ructas: ſic barbarorum familiaris, quòd tamen neſcius barbariſmorum. par ducibus antiquis linguâ, manúque; ſed quorum dextera ſolebat non minùs ſtylum tractare, quàm gladium. Quocirca ſermonis pompa Romani, ſi qua adhuc uſpiam eſt, Belgicis OLIM ſive Rhenanis abolita terris, in te reſedit. quo vel incolumi vel perorante, etſi apud limitem ipſum latina jura ceciderunt, verba non titubant. Moſellæ potorem* Arbogaſtem ecce vocat: ergo in Belgicâ primâ degentem; quando fluvius iſte per illam fere ſolam totus fluit. Metenſem credo urbem jam tum Meroveus obtinebat, ſeu ei ab Aëtio ultrò traditam, quo adverſus Attilam belli ſocietatem iniret; ſeu aliqua ſimili occaſione Romanis ereptam. Quod ſi eſt, nihil mirũ & Arbogaſtē è Francorum optimatibus

Arbogaſtes Francus bene doctus.

Circa Moſellam, ac forte Metas incolens.

unum

unum nec infimum, primatiam regni Francici tum increſcentis urbem pro ſuo Rege incoluiſſe, & Muſis ibidem latinis operam dediſſe; ita *Moſellæ potorem, ut tamen Tiberim, ſeu lingua Rom. elegantiam ructaret.* ita *Barbarorum Francorum familiarem, ut neſcius eſſet barbariſmorum.* Vocula autem OLIM, 20. facilè ſi non & 30. annos jam elapſos dicit; quibus Belgicæ Primæ ſaltem præcipua à Romanis ad Francos translata fuiſſe neceſſe eſt. Non à Childerico Rege, cujus extremis annis (non ultra 20. regnavit) ſcribebat iſta Sidonius; quem primis luxuria otiumque demerſit, nedum ad regni productionem impulit. Igitur à Meroveo, quem Francorum regnum non produxiſſe modò, ſed & quaſi de novo fundaſſe, poſterosque Reges ab ſe ortos Merovingos ſeu Meroveadas denominaſſe nimis conſtat. Quare tametſi Belgam Primum à Franco hoc tempore impetitum non canat Sidonius; ex aliis tamen duabus provinciis illius latera utrimque cingentibus id ſatis inſinuatum ſibi perſuaſerit, metri maximè neceſſitate numeroque coactus.

Belgicâ Primam fortè ſtatim ab Attilâ victo Meroveus invaſit.

8. Nec tamen negare velim potuiſſe Belgicam Primam, mox ab Attilâ repulſo, à Meroveo appeti; eoque illius ut jam antè ſubditæ nullam à Sidonio mentionem hîc fieri. Sed neque aſſerere auſim, hanc Merovei in Germanum primum Belgamque ſecundum expeditionem, cæſo primùm Valentiniano ſuſceptam. potuit paulò antè inchoari; forteque Sidonius hîc de ejus continuatione fineque intelligit; quando Meroveus & Franci, tam exiguo duorum triúmve menſium intervallo, (uti mox dicam) tam diſſitas à ſe invicem provincias, Germaniam primam ad Rhenum, Belgicam ſecundam in Oceanum Sequanamque porrectas, *ſternere*, id eſt, ut opinor pervadere, & ex parte ſaltem ſibi ſubdere vix potuiſſe videantur. Inchoatam tamen Valentiniani cædes acuerit, cujus morte pacta cum eodem concepta, ſoluta crediderint, occaſione præſertim tanta magis magiſque titillati.

9. Sed Sidonium in iſto Barbarorum tumultu pergentem audire pergamus, v. 374.

Alemanni Sequanos & Helvetios invadunt.

——— Rhenúmque ferox Alamanne bibebas
Romanis ripis: & utroque ſuperbus in agro
Vel civis vel victor eras.

Civis in dexterâ, *victor* in ſiniſtrâ ſeu Gallicâ ripa. Alamannos & Suevos eoſdem ferè fuiſſe, ſuprà ex Gregorio Turon. lib. 2. cap. 2. aliiſque notavimus. & jampridem Suevi Rheno cum Vandalis perrupto, ex Galliis in Hiſpanias tranſierant, quas modò Idatio teſte vaſtare non deſinebant. Verùm non omnes Alemanni ſuas trans Rhenum ſedes ita deſeruerant, ut in iis nulli reliqui hoc tempore eſſent. Septentrionaliora ad Mœnum & Nicium Francis & Francorum parti Bructeris invadentibus dimiſerant: Meridionaliora verſus Dannubium adhuc retinebant, ubi adhuc modò Suevia ſternitur. unde in Helvetios ac confines Gallos irrumpebant, & ſibi adjungere nitebantur. De Gothis nulla hîc à Sidonio, ſed infrà fit mentio.

Avitus Magiſter militum dicitur à Maximo.

10. Tantis ergo motibus perculſus imperii principio Maximus, *mole curarum*, ut ſuprà Sidonius, ingemuit. Nec quicquam iis ſedandis conſultius viſum, quàm ut Avitum Arvernum, de quo toties ſuprà, Sidonii ſocerum, tunc privatæ vitæ redditum peditum equitumque per Gallias Magiſtrum diceret. Unde idem Sidonius v. 376.

——— Sed perdita cernens
Terrarum ſpatia princeps jam Maximus, unum
Quod fuit in rebus, peditúmque equitúmque Magiſtrum
Te ſibi, Avite, legit. collati rumor honoris
Invenit agricolam, flexi dum forte ligonis
Exercet dentes, vel pando pronus aratro
Vertit inexcoctam per pinguia jugera glebam.

Agebat ſcilicet ruri Avitus jam privatus, & Gallicâ Prætorii Præfecturâ non ita pridem abdicatus; quâ Albino primùm ut reor, tum Sidonii parenti deceſſerat, ut ipſemet Sidonius innuit ep. 6. lib. 8. *Audivi Nicetium* (ait) *adoleſcens, atque adhuc nuper ex puero, cùm pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præſideret: ſub cujus videlicet Magiſtratu Conſul Aſterius anni ſui fores votivum trabeatus aperuerat.* Fuit Aſterius Conſul anno Chriſti 449. quo eodem anno Sidonii patrem contigit eſſe P. P. Galliarum. Sidonium vero *adoleſcentem nuper ex puero.* Ruri tunc agens.

11. Simulac autem certus per Gallias rumor increbuit, Avitum à Maximo Imperatore militiæ Gallicanæ præfectum, tantum ſola viri fama potuit, ut concitatus barbarorum motus omnis tertium intra menſem illicò ſopiretur. Sic enim idem Sidonius v. 388. & ſolâ famâ, barbarorũ motus cõprimit.

Ut primùm ingeſti pondus ſuſcepit honoris,
Legas qui veniam poſcant, Alamanne, furoris.
Saxonis incurſus ceſſat (re vera igitur factus non ſolo metu) *Chattúmque paluſtri*
Alligat Albis aquâ. víxque hæc ter menſtrua totum
Luna videt.

Alemannorum, Saxonum, & Frãcorum.

Trium paulò antè gentium motus enumeraverat, Saxonum, Francorum, & Alemannorum. hic ſolos ex iis Francos non memorat; ſed Chattos eorum loco reponit: eoque eoſdem ac illos imò & illorum Principes facit. & ſanè Chatti Francorum pars magna, tunc etiam in Belgio regnabant, ut dixi. eorumque priſci ab Oriente fines ad Albim protenſi, antequàm eos Thoringi pervaderent. Quo pertinet & illud Sidonii carmine 23. v. 241. cum de Conſentii Narbonenſis legationibus agit.

Horum tũc fines trans & cis Rhenum.

Hinc ſi fœdera ſolverentur orbis,
Pacem te medio darent feroces
Chunnus, Sauromates, Getes, Gelonus.
Tu TUNCRUM & VACHALIM, Viſurgin, ALBIM,
FRANCORUM & penitiſſimas paludes
Intrares, venerantibus SICAMBRIS, ipſis ſcilicet Francis,
Solis moribus inter arma tutus.

Quibus omnibus haurimus, Francorum hoc ævo ditionem, trans Rhenum quoque ad Viſurgim Albimque porrectam: quam totam Meroveus obtineret, nullâ amplius filiorũ Chlodionis memoriâ; ne illius quidem natu majoris, qui ad Attilam confugerat. quemque periiſſe probabile eſt. Vereor quidem ne Sidonius hos motus intra tres menſes ſolâ Aviti famâ ſopitos hyperbolicè Poëticeque canat. Sed utcumque ſit, Francos hoc tempore pacatos, facilè inducor ut credam, ex Merovei ſenio, aut potiùs morbo; quando proximo anno deceſſiſſe ſat conſtat.

Wiſigothos etiam ſolâ Legatione componit Avitus.

12. Gothos certè non ſolâ Aviti famâ, ſed ſeriâ legatione compoſitos, canere pergit Sidonius v. 292. & ſeqq.

——— Jámque ad populos & rura feroci
Tenta Geta, protendit iter; quà pulſus ab æſtu

Oceanus, reſluum ſpargit per culta Garumnam. &c.
Hic jam diſpoſito laxantes frana duello
Veſorum proceres, raptim ſuſpendit ab irâ
Rumor, ſuccincto referens diplomate Avitum
Jam Geticas intrare domos; poſitâque parumper
Mole magiſterii, Legati jura ſubiſſe.

Subdit quomodo Meſſianum præmiſerit, moxque ipſe ſecutus ſit, Regem Theodericum adierit, cum quo & ejus fratre Friderico Toloſam inierit, ubi & fœdus ſolemniter paulò pòſt innovarit.

CAPUT IX.

Genſericus Romam capit & ſpoliat.

Eodem Anno 455.

Genſericum advocat Eudoxia, per quemdam Burgundionem.

Lib. 1. Vand.

1. SEd dum Toloſæ paci componendæ adhuc ſtudet, Maximum Imperatorem contigit immani genere calamitatis involvi. *Gizerichus* (ait Procopius) *iùm ab Eudoxia evocatus, tum avaritiâ imprimis permotus, opum ingentium ſpe, ingenti claſſe in Italiam adnavigat, Romam nullo adverſante facilè ingreditur.* Incautam & nihil ab Gizericho timentem Romam captam tradit Sidonius carm. 7. v. 441.

Interea incautam furtivis Vandalus armis
Te (ô Roma) *capit; infidóque tibi Burgundio ductu,*
Extorquet trepidas mactandi Principis iras.

Vandalos à quodam Burgundione furtim ductos canit: credo ab Eudoxia ipsâ cum epiſtolis (ut Marcellinus) ſubmiſſo; quiſquis tandem ille fuerit ſeu de ſcholâ protectorum, ſeu Eudoxiæ familiaris, aut alius. Unde Proſper auctior: *Maximus poſt alterum* (initi Imperii) *menſem, nuntiato ex Africâ Genſerici Regis adventu; multiſque nobilibus ac popularibus ex Urbe fugientibus; cum ipſe quoque, datâ cunctis abeundi licentiâ, trepidè vellet abſcedere; à famulis Regiis* (nota) *dilaniatus eſt, & membratim dejectus in Tiberim, ſepulturâ quoque caruit.*] Ita Proſper; & ex eo Caſſiodorus, Victor Tunnunenſis, & alii. *Maximum Romani fugientem inſectati, lapidibus obruunt, membratímque diſcerpunt.* ait Procopius. ac Jorn. Get. cap. 45. *Maximus fugiens a quodam Urſo milite Romano interemptus eſt.* Marcellini Chronicon: *Maximus tertio tyrannidis ſua menſe membratim Roma à Romanis tractus diſcerptúſque eſt.* *Tertio* ait, *tyrannidis ſua menſe*; aptè ad Sidonium, qui Maximi *principatum paulò amplius quam bimeſtrem* vocat. & ſuprà in Aviti Panegyrico, *vix ter menſtrua Luna.*

Unde Maximi cædes.

Epiſt. 13. l. 2.

Dies cædis anno 455.

2. Proſper Caniſianus Maximum tradit *occiſum 72. imperii die.* Quod ſi ſtat, cæſus fuerit 27. Maii. nam imperium iniiſſe 17. Martii ſupra ex Innominato apud Onuphrium vidimus: à quo advocati dies 72. in 27. Maii deſinunt incluſis extremis. Idem tamen Innominatus ait Maximum pridie Idus Junii cæſum; ſexdecim diebus ſeriùs; ac proinde tertio menſe completo, ſi quatuor dumtaxat dies addcientur. quod Sidonio minùs reſpondet; *principatum iſtum* paulò amplius *quàm bimeſtrem* vocanti. Victor Tunnunenſis Maximi imperio dies nonniſi 67. tribuit. qui in 22. Maii, & Dominicam quartam poſt Paſca incurrerent. At 27. Maii iſtius anni erat feria ſexta ante Dominicam quintam poſt Paſca. Pridie verò Idus Junias, erat dies ipſa Pentecoſtes. Nam *Paſca celebratum eſt VIII. Kal. Maii*, teſte Proſpero hic finiense; *cum S. Papa Leo XV. Kal. Maii* (ideſt octiduo citiùs) *potius obſervandum proteſtaretur.* &c. Unde nata occaſio Victorio Canonem ſuum cudendi. quem nos nuper edidimus, & commentario illuſtrare conati ſumus. Ceterùm cum Maximo filium quoque ejus Palladium cæſum puto; quando nulla illius in poſterum memoria; & filia Valentiniani natu major ei jugata, filio Genſerici nupſit.

Paſcha anni 455. juxta Proſperum & Victoriū à nobis editum.

3. Sed cum eodem Proſpero pergamus: *Poſt hunc Maximi exitum confeſtim ſecuta eſt multis digna lacrymis Romana captivitas. & urbem omni præſidio vacuam Genſericus obtinuit; occurrente ſibi extra portam S. Leone.* *Tertia die* à Maximi cæde *urbem ingreſſum* prodit Victor Tunnunenſis, & ipſe Africanus. Ea dies eſſet Maii 30. feria ſecunda ante Chriſti Aſcenſionem, quam modo Rogationum appellamus. Eo igitur die Romam ingreſſus eſſet Genſericus. *Ac Sancti quidem Leonis ſupplicatio* (rurſum Proſper) *ita eum Deo agente lenivit; ut cùm omnia in poteſtate ejus eſſent, traditâ ſibi civitate; igni tamen, & cæde atque ſuppliciis abſtineretur. Per 14. igitur dies ſecurâ & libera ſcrutatione omnibus opibus ſuis Roma vacuata eſt.* Dies iſti 14. ab 30. Maii ſeu feriâ ſecunda poſt Dominicam à Paſcate quintam, ad 12. Junii ſeu feſtum ipſum Pentecoſtes incluſivè decurrerent. quibus Genſericus Romam diripiens, *gazam omnem Imperatoriam, ſtatuas, & quæ erant Romæ decora, itémque Jovis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem dimidiam* (verba ſunt Procopii) *abripuit.* Vaſa item illa Templi Hieroſolymitani, quæ Romam Titus quondam adduxerat. & plura alia. Pergit Proſper: *Multáque milia captivorum, prout quiſque aut ætate aut arte placuerunt, cum Reginâ & filiabus ejus, Carthaginem abducta ſunt.*] Eudoxiam Valentiniani viduam, & duas ejus filias abductas teſtantur paſſim omnes. *Gaudentium Aetii filium* natu majorem adjungit Idatius; de juniore Carpilione, aut de adoptivo ejuſdem Aetii filio, Chlodione Rege Francorum genito, nulla mentio. cum ſanè diſſipatâ tunc Aetii domo alio tranſlatum neceſſe eſt. Duas autem Valentiniani filias, Eudociam & Placidiam vocant Procopius, Zonaras, & Priſcus pag. 144. & 145. At Chronicon Alexandrinum Placidiam & Honoriam. Nempe Eudocia dicta quoque Honoria; quod & Priſcus notat pag. 69. Eudoxia poſtmodum Honorico Genſerici filio; Placidia Olybrio Senatori pòſt Imperatori nupſit.

Genſericus Romam ingreditur, die tertio à Maximi cæde.

Qui precibus S. Leonis igne & cæde abſtinet.

14. dies etiā aſſignant Victor Tunnunenſis, & Iſidorus in hiſt. Vand. Uterque indubiè ex Proſpero.

Sed omnia diripit.

Multa captivorum milia Carthaginem abducit.

etiam Eudoxiam cū prole, & Aetii filio Gaudentio.

4. *Reverſo Carthaginem Gizericho* (ait Proſper Caniſianus) *poſt aliquot dies levatur in Imperium Avitus.*] unus ex Senatoribus, & civis Arvernus, addit Turon. lib. 2. cap. 41. *Gallus civis*, ait Idatius, *ab exercitu Gallicano & ab honoratis; primùm Toloſa, dehinc apud Arelatum Auguſtus appellatus.*] Quod verum eſt, & Sidonius ipſe fuſiùs proſequitur in Aviti Panegyrico ex quo hæc haurimus: erat adhuc Toloſæ Avitus, Legationem à Maximo ſibi impoſitam implens, ut ſuprà dicere cœperam; cum ecce, ait Sidonius, à verſu 452.

Avitus Imperator dictus.

Exilium patrum (Senatus Romani) *plebis mala, principe caſo*
Captivum imperium, ad Geticas rumor tulit aures.

Tum

Primùm Toloſæ, ubi Legatum agebat apud Regẽ Theodoricum.

Tum verò Theodericus Gothorum Rex concilio ſeniorum advocato, poteſtatem loquendi fecit. Ac Sidonius quidem Aviti gener, ita ſoceri orationem componit, quaſi ille Maximi mortem nondum, ut Gothi, accepiſſet, nedum Imperium tacitè ambiret; quod poſtremum tamen Turonenſis l. 2. cap. 11. indicat, nec refragatur Iſidorus. Sic igitur illum quaſi omnium adhuc ignarum, loquentem inducit:

—— Optaſſem patriis ſecurus in arvis
Emeritam, fateor, ſemper foviſſe quietem.
Sed dum me noſtri Princeps modo Maximus orbis
Ignarum, abſentem, procerum poſt mille repulſas,
Ad lituos poſt jura vocat; voluitque ſonoris
Præconem mutare tubis, promptiſſimus iſtud
Arripui officium, vos quo legatus adirem.
Fœdera priſca precor, &c.

Qui Avitũ ita alloquutur.

Ad hæc Theodericus Rex, fruſtra illum petere, cùm cogere poſſit. In pacem ſe jurare, ſi Auguſti nomen ſubire velit.

—— Quid lumina flectis? inquit.
Invitum plus eſſe decet, non cogimus illud,
Sed conteſtamur. Roma ſum te Duce amicus,
Principe te miles. Regnum non præripis ulli,
Nec quiſquam Latias Auguſtus poſſidet arces:
Quæ vacat aula, tua eſt. —— Dixit. pariterque
in verba petita

& in ejus verba jurat

Dat ſanctam cum fratre (Frederico) *fidem.*
Diſcedis, Avite,
Mœſtus (ſcilicet) *qui Gallos ſcires non poſſe latere,*
Quod poſſint ſervire Getæ, te Principe.

5. Ergo cùm ad cives ſuos alioſque Gallos, pacem ferens ille rediiſſet; cuncti hilares undique concurrunt, ſeu ex Alpibus Cottiis, ſeu ex provinciis ad mediterraneum mare porrectis, ſeu ex Rhenanis Pyreneiſque tractibus, ut expreſsè Sidonius. qui per Rhenum Belgas indubiè noſtros intelligit, nondum Francis ſubjectos. Eo igitur conventu, & quaſi generalibus Galliarum comitiis, Ugerni, caſtro Arelate vicino habitis, ut Sid. v. 372. unum è primatibus ita loquentem idem Sidonius inducit, à verſ. 532.

Tum Arelati, generalis quoque Gallorum conventus. Avitum eligit.

Quàm nos per varios dudum fortuna labores
Principe ſub puero (Valentiniano) *laceris terat*
aſpera rebus,
Fors longum, dux magne queri; cùm quippe dolentûm
Maxima pars fueris e patria dum vulnera lugens
Sollicitudinibus vehementibus exagitaris.
Hæc nobis inter clades, ac funera mundi,
Mors vixiſſe fuit. Sed dum per verba parentum
Ignavas colimus leges, ſanctúmque putamus
Rem veterem per damna ſequi; portavimus umbram
Imperii; generis contenti ferre vetuſti
Et vitia; ac ſolitam veſtiri murice gentem
More magis quam jure pati.
—— Quis noſtrum BELGICA rura,
Littus Aremoricum, Geticas quis moverit iras (ante
18. annos)
Non latet, his tantis tibi ceſſimus, inclyte, bellis.
Nunc jam ſumma vocant. dubio ſub tempore regnum
Non regit ignavus. poſtponitur ambitus omnis
Ultima cum claros quærunt. &c. *captivus, ut*
aiunt,
Orbis in Vrbe jacet; princeps perit, hic caput omne
Nunc habet imperium. petimus, conſcende tribunal,
Erige collapſos. Non hoc modò tempora poſcunt,
Vt Romam plus alter amet: ne forte rearis,
Te regno non eſſe parem. Et paulò pòſt, v. 565.
Non tibi centurias aurum populare paravit,
Nec modo venales, numeroſáque aſſe redempta
Concurrunt ad puncta tribus: ſuffragia mundi
Nullus emit. pauper legeris, quod ſufficit unum,
Et meritis dives. Patria cur vota moraris,
Quæ jubet ut jubeas? Hæc eſt ſententia cunctis
Si dominus ſis, liber ero.

quem primatum quidam ita hortatur, oratione aureâ.

Valentiniani Imp. ignavia.

Summum periculum, ſummum Ducem poſtulat.

Etſi pauperem, meritis tamen divitem.

Ita Sidonius, in primatis unius, quem effingit perſonâ. ſubditque *Tertium* inde *diem* imperio adeundo, cedo Arelati juxta Idatii Chronicon, dictum; cùm prior iſte conventus Ugerni fortè habitus eſſet. qui cùm illuxiſſet.

Concurrunt proceres, ac milite circumfuſo,
Aggere compoſito ſtatuunt, ac torque coronant
Caſtrenſi mœſtum, donantque inſignia regni.

6. Diem aditi ab Avito imperii, Incertus apud Onuphrium in Faſtos Chronographus, *ſextum Idus Julias* notat. quod ego quidem verum Toloſæ exiſtimo: Arelate non item; quo antequam Avitus adveniret, plures forte dies elapſi fuerint. Victor Tunnunenſis in Chronico, *Hujus ait, captivitatis* Romanæ *LXXV. die, Avitus vir totius ſimplicitatis in Galliis imperium ſumit.* Ante autem dixerat, *Maximum 67. dies imperaſſe:* ergo & 22. Maii obiiſſe. à quo dies 75. numerati, in quartum Auguſti; aut ſi triduum illud inter Maximi cædem & Genſerici in Urbem ingreſſum fluens adjicere lubet in ſeptimum deſinunt. qui rectè eo Chriſti anno 455. erat Dominicus, ſimilibus inaugurationibus aptiſſimus. Ita Gallia noſtra popularem Principem nacta exultabat; jamque barbaros ſe undique cingentes ſpe devorabat, neſcia futuri. Ceterum Viſigothorum maximè auxiliis innixus Avitus purpuram ſumpſerat, ita eorum quoque Regem Theodoricum Arelatem ſecum adduxerat; aut certè mox advocarat; ſi Marii Aventicenſis Epiſcopi Chronico fidimus: Sic enim ille: *Avito Imperatore levato ingreſſus eſt Theodericus Rex Gothorum Arelatem cum fratribus ſuis in pace.*

Dies initi ab Avito Imperii.

7. Ita evectus ad Imperium Avitus, Romam iter intendit; ſive ultrò, ut res poſcebat, ſive *à Romanis evocatus,* ut diſertè Idatius. Quo antequam pergeret, res haud dubiè Galliarum ordinaverit. Ac primùm quidem Meſſianum Patricium creavit, ſi Chronico Onuphrii fides. Prætorio verò Galliarum quem præfecerit, quem item Magiſtrum Militiæ, nondum comperi. Nam Egidium, de quo frequens deinceps mentio, neſcio an ante Majoriani imperium Gregorius Turonenſis admittat. Sigonius tamen admittit; forte benè. Ego Ecdicium tamen filium ſuſpicor. Contra Suevos interim Hiſpaniam graviter infeſtantes, Theodericum Regem Gothorum, pacis ſibi Romaniſque fœdere copulatum, à quo etiam ad Imperium incitatus fuerat, deſtinaſſe, ex Idatio diſcimus. Pacatas certè Gallias reliquiſſe videtur, cùm nullus ejus imperio Barbarorum motus appareat. Francos quippe, Saxonas, & Alamannos, ab eo Militum adhuc Magiſtro, & quidem minore quàm trium menſium ſpatio paulò antè compoſitos, ex Sidonio vidimus. Scilicet ſingulis quod jam occupaverant indulſerit. & barbarorum ſanè prudens id erat judicium, ut quæ bello recenter acquiſiverant, brevi aliqua pace lubentes ſtabilirent, novoque Imperio aſſueſacerent: donec ſe nova limitum diffundendorum

Qui Romã contendit, Meſſiano in Patricium evecto.

&Galliis tãtiſper compoſitis.

offerret occaſio, quam non facilè negligerent; ſidem parùm morati.

Sirmundi noſtri de Avito mente opinio.

8. Hîc Sirmundus noſter pag. 227. opinatur, Avitum cùm Romam abſcederet, iter per Treviros flexiſſe; ubi ea tùm contigerint, quæ de Lucii Senatoris conjuge narrat Aimoinus lib. 1. cap. 3. Cujus violatæ occaſione Franci à Lucio advocati, Treviros incenderint ſubverterintque. Quod probabiliter dici, nemo negaverit: præſertim cùm Gregorio Turonenſi, & ipſo Arverno, teſte, Avitum jam Imperatorem luxurioſè egiſſe conſtet. Sed nos id ſuprà in Jovinum retulimus, ſub quo & Lucius Senator celebris, & Treviri Imperio nondum prorſus avulſi, nec Franci in Belgicam adeo provecti. Nunc autem, ſi *Barrum* Belgicæ primæ auſtralius oppidum Francorum erat, quomodo Treviri non fuiſſent? Adde Avitum ipſis Imperii primordiis non videri ſtatim in luxuriam ſe projeciſſe, maximè in ipſo Francorum hoſtium confinio. ſed nec commodè autumno hujus anni reliquo Arelato primùm Treviros, tum etiam in Pannonias cum exercitu, tanto terrarum tractu iter facere potuiſſe; & rurſum ante Januarii proximi Kalendas Romam ad Conſulatus auſpicia ſe conferre. Non parum feſtinarit, ſi Arelato rectà in Pannonias, indeque Romam iter flexerit. Et quid Treviris reſtabat incendendum, poſt quadruplicem illius everſionem, in Salviani libris jam ab annis facilè duodecim editis memoratam: poſt Attilæ item tantam vaſtationem, ſi Aimoino quidem fides?

Nonnullas difficultates patitur.

Ego tamen Lectoris arbitrio rem relinquo; & hiſtoriam licèt antè narratam hîc repeto; quò omnibus ſatisfaciam. Verùm Sidonius hoc Aviti iter non Pannonicum, ſed iter dumtaxat in genere vocat; & de Romano capi poteſt; quaſi ſolo Romam adventu Pannonias Imperio reddidiſſet; phraſi poëticâ.

Et cujus ſolum amiſſas poſt ſæcula multa
Pannonias revocavit iter; jam credere promptum eſt
Quid faciet bellis. ô quas tibi Roma jugabit
Inflictu gentis aquilas! Quæ ſubjugationis ſpes, ſi Treviros tum perdidiſſet?

9. Porrò *Pannonias poſt ſæcula multa revocatas* canit: quia ſcilicet ab anno Chriſti circiter 377. vel 378. eas Hunni invaſerant. Ac licèt 50. ferè poſt annis, Chriſti 427. eas Romani, Marcellino Jornandéque teſtibus, recuperaſſent: non multò poſt tamen Attila receperat; imò, ut Priſcus, ex Romanorum pacto poſſederat: hocque mortuo, Oſtrogothi invaſerant. Ab his igitur ſi recepit, Avitus, non armis receperit; quomodo enim tam paucis diebus? ſed compoſitione aliquâ, aut potiùs initâ cum illis ſocietate & concordiâ. quod & Jornandes inſinuat, Getic. c. 50. fin. Sanè non ſine quadam pacis ſpe iter hoc Avitum ſuſcepiſſe, prona conjectura eſt. Nec opus fuit propterea in Pannonias illum excurriſſe: Potuit ex Italiâ in Urbe Roma, quodam novi Principis terrore, aut potiùs negotiatione, ſibi adjunxiſſe.

CAPUT X.

Aviti Conſulatus, & ad Vandalos Suevosq́; Legatio & abdicatio. Suevi ab VViſigotis in Hiſpaniâ devicti. VVarni & Heruli innoteſcunt. Meroveo Francorum Rege mortuo, Childericus filius ſuccedit. Ricimer & Marcellinus.

Anno Chriſti 456.

Anno Chriſti 456. Conſules ambo Orientales. ſolus Avitus [illegible] in Occidente.

1. ROMAM è Galliis cùm adveniſſet Avitus, Januarias anni Chriſti 456. Kalendas faſcibus ſuis conſularibus dedicavit. Joannes quidem & Varares in Oriente Conſules creati ſunt; & hodiè etiam in Faſtis veteribus ſoli leguntur. Aviti in Occidente Conſulatum, Sidonius in Panegyrico, & Idatius in Faſtis ſuis ſoli produnt: binique inſuper Romæ lapides antiqui apud Sirmundum. quos tu ibi lege. & is ſemper novorum Imperatorum mos fuit, ut primis ab inito imperio Januarii Kalendis Conſulatum inirent. Sed Aviti Conſulatûs rationem nullam hîc habendam plerique Faſtorum conditores exiſtimarunt; quod is incertus ac dubius Princeps viſus, & paulò poſt abdicatus. Ipſis Conſulatûs Aviti auſpiciis Panegyricum ei cecinit Sidonius, ejuſdem mox gener.

Cui Panegyricum Sidonius dicat, mox ejus gener.

2. Avitus ergo jam Romæ Conſul, quo ſuum ſtabiliret Imperium, Legatos ad Martianum deſtinat. *Per Avitum*, inquit Idacii Chronicon, *qui à Romanis & evocatus & ſuſceptus fuerat Imperator, Legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur Imperii.* & videntur admiſſi receptique; quando mox idem ſubdit Idatius: *Marcianus & Avitus concordes principatu Romani utuntur Imperii.* Sed Avitum Marcianus admiſerit, duobus jam non creatis modò Conſtantinopoli, ſed & agnitis in Oriente Conſulibus. unde & toto anno ſoli in Oriente nominari perſeverarint, ut & Avitus ſolus in Occidente: quamvis ante finem anni abdicarit.

Avitus à Martiano recipitur.

3. Neque verò ad Marcianum dumtaxat, ſed & ad pleraſque gentes Legatos, cùm adhuc Romæ eſſet, miſit. Ad Saxonas quidem, Francos, Alanos, & Wiſigothos, nullos miſit; quia illos jam, ante ſuum è Galliis abſceſſum pacaverat. De Vandalis autem ita Priſci excerpta, pag. 142. 143. *Avitus Romanorum Occidentalium Imperator ad Genſerichum Legatos miſit; qui monerent, ut fœderum pridem cum illo initorum* (nempe anno Chriſti 442.) *meminiſſet; & ut ea ſibi obſervanda ſtatueret. Sin minus, ſe & domeſtico exercitu, & auxiliariis copiis fretum, bellum apparaturum.* Hæc Priſcus: quæ tamen curæ Genſericho non fuêre: imò & Africæ cetera, quæ Valentiniano reliquerat, puta Mauritaniam utramque & Tripolitanam, tunc invaſit, ſibique in poſterum adjunxit; prorſus ut in Africâ Romani nihil deinceps reliquum habuerint.

Non item à Genſerico.

qui Mauritaniâ utrâque invadit.

Ita

Ita eodem fere tempore Britannia & Africa Romanis exciderint.

Nec à Suevis Hiſpanicas.

4. Hiſpania quoque deinceps animam agere cœpit: hactenus à Suevis Gallæciam maxime tenentibus miſerè lacerata; mox etiam ab Viſigothis, tametſi auxiliarium contra Suevos ſpecie primùm advenientibus, ſed mox in proprium commodum verſis, ſenſim occupata. De Legatis igitur ad Suevos ab Avito miſis, ita Idatius: *Per Avitum Auguſtum Fronto Comes Legatus mittitur ad Suevos. Similiter & à Rege Gothorum Theudorico, quia fidus Romano eſſet imperio, Legati ad eoſdem mittuntur; ut tam ſecum, quàm cum Romano Imperio, quia uno eſſent pacis fœdere copulati, jurati fœderis promiſſa ſervarent. Remiſſis legatis utriuſque partis, atque omni juris ratione violatâ, Suevi Tarraconenſem provinciam, quæ Romano Imperio deſerviebat, invadunt.* Pergit de Erulis aliqua ſubdere; ſed nos mox opportuniùs. jam Suevica proſequimur. *Legati Gothorum* (ait idem Idatius) *rurſum veniunt ad Suevos. Poſt quorum adventum Rex Suevorum Rechiarius, cum magnâ ſuorum multitudine, regiones provinciæ Tarraconenſis invadit: actâ illic deprædatione, & grandi ad Gallæciam captivitate deductâ Mox Hiſpanias Rex Gothorum Theudoricus, cum ingenti exercitu ſuo, & cum utilitate & ordinatione Aviti Imperatoris ingreditur. Cui cum multitudine Suevorum Rex Rechiarius occurrens, duodecimo de Aſturicenſi urbe milliario, ad flavium nomine Urbicum* (hodie *Orbego*, qui fluit inter civitates Legionem & Aſturicam, & cum Eſla Legionenſi, Durio hauritur) *tertio Nonas Octobris die, ſextâ feria* (igitur litera Dominicali G. ac proinde rectè hoc anno 456.) *inito mox certamine ſuperatur. cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſq; fugatis, ipſe ad extremas ſedes Gallæciæ plagatus vix evadit ac profugus.*] Idatius.

qui Tarraconenſem capiunt.

Mox & ipſi à Theodorico Wiſigotho victi.

Jornandes Idacio conformis.

5. Eadem fusè quoque narrat Jornandes Getic. cap. 44. ubi *Primò* Riciarium hunc Suevorum Regem, vocat Theudorici Regis cognatum. *Secundò*, eumdem ſcribit, non Gallæciam modò, ſed & Luſitaniam ad Tagum uſque tunc poſſediſſe; univerſamque Hiſpaniam occupare voluiſſe, ratum oportunè ſe *incompoſita initia tentaturum regnantis*, Aviti videlicet. *Tertio*, Theudorici cognati ſui legatione, orantis ne aliena tentare præſumeret, non modò non flexum, ſed & animo prætumido reſpondiſſe. *Si hic murmuras, & me venire cauſaris; Toloſam, ubi tu ſedes, veniam. Ibi ſi vales reſiſte.* *Quarto*, Inde irritatum Theudoricum, & *cum ceteris pacatum gentibus, in Suevos moviſſe, Burgundionum Reges Gundiacum & Hilpericum auxiliares habentem, ſibique devotos*: ac demum conſerto prælio gentem pænè ad internecionem proſtraviſſe; Regem navi fugientem, procellaque repercuſſum cepiſſe. Hæc ille.

Burgundionum Reges Theodorico Regi contra Suevos auxiliantur.

6. Inter quæ maximè noto *Burgundionum Reges Gundiacum*, ſeu ut alii *Gundericum*, & *Hilpericum*. Hinc quippe intelligimus gentem illam ita refloruiſſe, ut etiam nunc Reges haberet; qui veroſimiliter Catalaunico quoque contra Attilam bello interfuerint, Aëtio auxiliares; ei quippe Burgundiones auxiliares adfuiſſe (etſi Reges non nominentur) ſuprà ex eodem Jornande audivimus. Intelligimus item, Theudoricum hunc, qui Avitum in Imperium evexerat, ejuſdem *Aviti utilitate & ordinatione in Hiſpanias contra Suevos ingreſſum.* Quare & Burgundionum iſtos Reges Avito quoque junctos & fœderatos fuiſſe neceſſe eſt. Imò & ab Avito ipſo pacem illos certaſque in Galliâ jam ſedes accepiſſe. Quod & Marii Aventicenſis ſeu Lauſanenſis Epiſcopi Chronicon nuper à Chiffletio noſtro editum egregiè confirmat, cùm hoc rectè anno Chriſti 456. ita ſcribit: *Joanne & Varana Coss. Burgundiones partem Galliæ occupaverunt; terráſque cum Gallis Senatoribus diviſerunt.* Jam antè Proſper Pithœanus dixerat, *Sabaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda.* Dixerat inquam aut per anticipationem; aut quaſi tunc quidem id decretum fuiſſet: ſed huc uſque dilatum. Id autem tandem peregerit Avitus, ut imperium ſibi ſtabiliret, hinc Viſigothorum, illinc Burgundionum auxilio ſubnixus. Intelligimus denique horum Regum alterum, veriſimiliter quidem fratrum Tetracharum, Chilperici, Gundebaudi, Godemari, & Godegiſcli patrem extitiſſe. ut mirum non ſit, ſi magna deinceps gentis illius incrementa & facinora, & jam fixas ad Rhodanum & circa Genevam in Sabaudiâ ſedes lecturi ſimus.

In Sabaudia jam habitâtes.

7. Sed pergentem Idatium, teſtem oculatum & è Gallæcis Epiſcopis unum, jam ætate provectum, audiamus: *Theuderico Rege* Viſigothorum jam victore *cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente, quinto Kalendas Novembris die Dominico* (eadem litterâ Dominicali G ac proinde eodem anno 456. diebus poſt victoriam 23.) *Etſi incruenta, fit tamen ſatis mœſta & lacrymabilis ejuſdem direptio civitatis. Romanorum magna agitur captivitas captivorum; Sanctorum Baſilicæ effractæ; altaria ſublata atque confracta; Virgines Dei exin quidem abductæ, ſed integritate ſervatâ; Clerus uſque ad nuditatem pudoris exutus; promiſcuus ſexus cum parvulis de locis refugii ſanctis populus omnis abſtractus: Iumentorum, pecorum, camelorúmque horrore locus ſacer impletus. Rechiarius ad locum, qui Portucale appellatur, profugus, Regi Theuderico captivus adducitur. quo in cuſtodiam redacto*, & mox *menſe Decembri occiſo, ceteris, qui de priore certamine ſuperfuerant, tradentibus ſe Suevis, aliquantis nihilominus interfectis, regnum deſtructum & finitum eſt Suevorum.* Hucuſque Idatius. quem fuſiùs profero, ut ex iis quæ de Hiſpaniâ ſuâ narrat, nos de Gallicis noſtris obſcurioribus, poſſimus facere periculum. Jornandes tamen Get. cap. 44. paulò aliter; *Theudoricus*, inquit, *victor exiſtens, ſubactis pepercit, nec ultrà certamine ſævire permiſit; præponens Suavis, quos ſubjecerat, clientem proprium Athiulfum. qui brevi animum prævaricatione ex Suavorum ſuaſionibus commutans, neglexit imperata complere; potiúſque tyrannicâ elatione ſuperbiens, credidit ſe eâ virtute provinciam obtinere, quâ dudum cum domino ſuo* Theudorico *eam ſubjeciſſet.* Unde poſtea captus, capite plexus eſt, *Portucale, menſe Junio* anni ſequentis 457. ut cum Jornande Idatius. quos hîc fuſiores vide.

Bracaram Theodoricus diripit.

Rechiarium Suevorum Regê capit. eorumque regnum deſtruit.

Cui & Athiulfum Regem ſubſtituit.

Moxque rebellem capite plectit.

8. Id tamen non omittendum quod Jornandes diſertè notat, *Erat*, ait, *Athiulfus Warnorum ſtirpe genitus, longè à Gothicis ſanguinis nobilitate ſejunctus; idcirco nec libertati ſtudens, nec patrono fidem ſervans.* Erant WARNI, ſeu Warini, & Werini, ut ſuprà dictum, Saxonum, Anglorum Jutarumque ſocii; & cum iis Friſiam Hollandiam, Zelandiamque noſtrates jampridem occupaverant: Verùm Saxonibus & Anglis in Britanniam per hos annos tranſmigrantibus, regnum ipſi circa eadem Rheni oſtia novum erexerunt, ut ex Caſſiodori variis lib. 3. ep. 3. & Procopio lib. 4. de bello Gothico (in textu

Erat quippe Warnus.

Qui ſint Warni? Saxonum in Friſia Bataviaque ſucceſſores.

quidem

quidem Græco (nam Latinus interpres non bonâ fide, ſeu ex negligentiâ omiſit) & ſupra centum annos obtinuerunt, ut ex Fredegarii ad Turonenſem Appendice, capite 15. videre eſt. Illi igitur his annis innoteſcere cœpere, ut vides; ſicut & Heruli Warnis ad idem mare verſus Boream contermini: de quibus ita hoc eodem anno Idatii Chronicon: *De Erulorum gente ſeptem navibus in Lucenſi litore aliquanti advecti, viri fermè 400. expediti, ſuperventu multitudinis congregata, effugantur, duobus tantùm ex ſuo numero occiſis. Qui ad ſedes proprias redeuntes, Cantabriarum & Vardubiarum loca maritima crudeliſſimè deprædati ſunt.* Rurſum idem Idatius tertio poſt hunc anno, Chriſti 459. *Eruli*, inquit, *maritima conventûs Lucenſis loca nonnulla crudeliſſimè invadunt, ad Bæticam pertendentes.* Ea quibus Herulos mare aſſediſſe videmus; circa Amaſiæ, Viſurgis, & Albis oſtia. unde Sidonius ep. 9. lib. 8. *glaucu. Herulum genus vagantem, Imos Oceani coluiſſe receſſus* ſcribit. Ad Herulorum, ſicut & Warnorum Thoringorumque Regea 50. poſt hunc annis, Theodericus Oſtrogothorum in Italiâ Rex, litteras dedit ut Chlodovæum Francorum tunc Regem contra Alaricum Viſigothum moventem, à tergo aggrederentur: ut ibi videbimus. Regnum igitur ſuum Heruli circa hunc Chriſti annum 456. aut erigebant, aut Saxonibus Angliſque Britanniâ occupandâ diſtentis recenter ereaerant, & ex imis Oceani ſui receſſibus maritimas excurſiones, pro illis, intentabant. An Warni iis juncti fuerint quærerem, niſi Warnorum regnum adhuc debilius & in primis quaſi cunis adverterem.

Iiſdem confines Eruli.

Qui Cantabriæ maritima navibus vaſtant.

9. Hoc eodem anno 456. Franci moviſſe ſe non videntur, ſenis & experti Regis Merovæi funere, diſtenti. Nam profectò Childericum ejus filium iſto anno quàm tardiſſimè ſucceſſiſſe; duo maximè evincunt. Primùm Chlodovæi Childerico geniti ætas. Eum enim viceſimo ſeptimo Novembris, anno Chriſti 511. fatis abſumptum ſepultúmve; docent duo vetuſtiſſima S. Genovefæ Pariſienſis Kalendaria, ſeu ut ipſi vocant, obituaria: quæ P. Jacobus Sirmundus anno Chriſti 1609. me ſocio, cùm Pariſiis ſimul ageremus, primus (quod ſciam) deteait, & mecum in lucem emiſit. ceterique deinceps amplexi ſunt. Jam Chlodovæum ſtatim ab Aurelianenſi Concilio primo, quod *Felice Conſule*, ſeu anno Chriſti 511. habitum eſt, mortuum probat in Conciliis Gallicanis idem Sirmundus; Et Gregorius Turonenſis capite ultimo libri 2. *Chlodovei morientis ætatem totam, quadragintaquinque annos, Regni autem triginta fuiſſe* ſcribit. De anno Chriſti 511. quo fere completo mortuus eſt, deme ſolidos annua 45. reliquus erit annus Chriſti 466. quo proinde finiente natus fuerit Chlodovæus: aut ſi Gregorius annos hic non ſolidos, ſed labentes, ut plerumque ſolet, intelligit; circa priores anni 467. menſes ea nativitas obtigerit. Jam Childericus uno minimum ante filii generationem anno, decem certè menſibus cum Baſinâ uxore ad ſe è Thoringiâ profugâ cohabitaverit. Ergo Baſina, incunte circiter anno Chriſti 466. ad eum venerit. Ante Baſinæ adventum, Childericus regnum armis ab Ægidio receperat, firmaratque; igitur circa initium anni 465. vel finem 464. Rurſum exulavit Childericus in Thuringia, uſque ad annum exilii labentem octavum; ut expreſsè Gregorius lib. 2. c. 12. Ita ad annum Chriſti 457. jam adultum pervenie-

Meroveus Francorum Rex moritur, anno Chriſti 456.

Childericus patris Merovei ſucceſſor anno 456.

mus. aptiſſimè. Uno quippe aut paulò amplius anno Childericus imperaſſe, antequam ob petulantem laſciviam ejiceretur: ac proinde hoc anno Chriſti 456. regnum inire debuerit. Quod & 30. anni regni Chlodovei confirmant. Ii enim de 512. ſubducti, relinquunt labentem annum Chriſti 482. quo ipſe Patri ſucceſſerit, annorum dumtaxat 15. Ab iſto anno 482. labente, ad anteriorem æquè labentem 456. anni omnino 26. interfluunt; quot nempe univerſo Childerici regno pleriquе attribuunt. Alterum eſt, Ægidii Comitis Romani mors, quam in annum Chriſti ineuntem 465. incurrere video. Nam licèt Idatii Chronicon anno finiente 464. referre videatur, id tamen anticipatione refert; occaſione tunc victi ipſius Ægidii, quem paulò pòſt adverſam pugnam deceſſiſſe ſubjungit. Ita octo illi anni labentes, quibus Childerico expulſo Francis Ægidius imperavit, ab dicto Chriſti anno 457. ad 465. ineuntem aptè decurrunt.

10. Quare Merovæus annos octo dumtaxat, non, ut alii, decem imperaverit. Vir omninò acer & vigilans, qui Francorum Regnum in Germaniam Primam, Belgicam Primam & partem aliquam illius Belgicæ Secundæ, quæ trans Somonam jacet, diffudit; adeoque poſteris ſuis ſtabilivit, ut inde illi Merovingi ſeu Meroveadæ dicti, cum non ſuæ ſtirpis Regiæ modò, ſed & Francorum quadantenus primum Regem deinceps agnôverint. quando Pharamundus & Chlogio genti quidem ſuæ, ſed non liberis ſuis regnum tranſdidere. Ejus filius ſucceſſorque Childericus, ſtatim regni initio, metu à Romanis Imperatore carentibus vacuus, juventute laſciviens, otio, delitiis, luxoriaque tantoperè diffluere cœpit, ut intolerabilis ſuis effectus regno exturbaretur; quod ſequens annus demonſtrabit. Unde Turon. lib. 2. cap. 12. *Childericus*, ait, *cùm eſſet nimiâ luxuriâ diſſolutus, cœpit filias Francorum ſtuprosè detrahere. Illiq; indignantes de regno eum ejiciunt.*

Meroveus annos octo regnavit.

Ab eo Reges Meroveadæ ſeu Merovingi.

Childericus initio regni luxu diffluit.

CAPUT XI.

Avitus Imperio ſpóliatus à Ricimere, moritur. Quis fuerit Ricimer. Quis Marcellinus. Quis Pœonius?

Eodem Anno 456.

1. SEd quid interim Romæ, quid in Italia Avitus? Cùm Legati ab Genſerico nihil boni pacative retuliſſent, bellum in eum, ut minatus erat, apparavit. Neque Genſericus moratus eſt, Româ captâ tumidior. primus ipſe & reliquam, quæ Romanis adhuc parebat Africam invaſit, ſuamque fecit; & 60. inſuper naves verſus Italiam immiſit, mox à duce Ricimere fugandas. Sic enim Idatii Chronicon hoc adhuc anno 456. *Hiſdem diebus* (quibus menſe ſcilicet Octobri Theudoricus Suevos debellabat) *Rechimeris Comitis circumventione, magna multitudo Wandalorum, quæ ſe de Carthagine cum 60. navibus ad Gallias vel ad Italiam moverat,*

Genſericus in Avitum 60. navium claſſe movet.

Regi

Regi Theoderico nunciatur occiſa per Avitum. Heſychius Tribunus Legatus ad Theodoricum cum ſacris muneribus miſſus, ab Avito indubiè, *ad Galleciam venit, nuncians ei id quod ſuprà, in Corſicâ caſam multitudinem Wandalorum: & Avitum de Italiâ ad Gallias Arelate ſucceſſiſſe.* Ita Idatius. qui 60. naves iſtas ab Genſerico vel in Gallias vel in Italiam immiſſas dubiè ſcribit; ad illud credo alludens, quod etiam Procopius lib. 1. Vandal. pag. 188. notat, Genſericum ab Valentiniani morte maxime, utriuſque Imperii provincias tam aſſiduis per mare incurſionibus veris initio populatum; ut è Carthaginis portu ſoluturus çùm à nauclero rogaretur, quò tendere populabundus vellet, reſpondiſſe feratur; Quo Deus impulerit. Quò ventus itaque aut caſus impulerat, eò prædationem ſuam vertebat. hoc anno in Corſicam fortè delatus, eamque deprædans, à Ricimere cæſus eſt. Non igitur hæc prima Ricimeria de Vandalis victoria, Agrigentina illa Siciliæ eſt, de quâ Sidonius carm. 2. v. 367. hanc enim poſt, Majoriano ſi non mortuo certè imperante contigiſſe, Priſcus ſcribit pag. 144.

Quam Ricimer apud Corſicam diſſipat.

2. Hac victoriâ tumidior Ricimer, vires ſuas in Imperatorem Avitum convertere inſtituit. hoc magis, quo ille ab Senatu Româ ob luxuriam ejectus, tunc Placentiam aut in vicina ſe contulerat. Primùm igitur quo ſe præcipuis Aviti præſidiis expediret, adhuc *Joanne & Varare hujus anni Coſs. Meſſianum ejus Patritium* (ſaltem Gallicanum) *16. Kal. Junias occidi curat; tum Remiſcum* itidem *Patritium* (fortè Italicum) *in Palatio Claſſis*, Ravennæ credo. Denique *15. Kalendas Octobris captus eſt ipſemet Imperator Avitus Placentia, à Magiſtro militum Ricimere.* ut ait Innominatus Onuphrii Chronographus. Placentiam ultrò receſſiſſe Avitum Imperatorem, ibique Epiſcopum ordinatum ſcribit Jornandes Getic. cap. 45. & Caſſiodori Chronicon, *Placentia depoſuit Avitus Imperium.* Omnium diſtinctiſſimè Gregorius Turonenſis & ipſe Arvernus lib. 2. c. 11. *Avitus*, inquit, *Imperator luxurioſè agere volens, à Senatoribus ejectus* (credo Româ) *apud Placentiam urbem Epiſcopus ordinatur.* Fortè & Patricii ipſius herilem luxuriam imitati, cæſi primùm fuerint; Avitus inde Placentiæ juſſu Senatus à Ricimere apprehenſus, ut vitam ſervaret, ſubens imperium cum Epiſcopatu mutaverit: præſertim *Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio*, ut notat Idatius. *Comperto autem* (pergit Turonenſis) *quod adhuc indignans Senatus vitâ eum privare vellet, Baſilicam Sancti Juliani Arverni martyris cum multis muneribus expetivit. Sed impleto in itinere vitæ curſu obiit. delatúſque ad Brivatenſem vicum, ad pedes ante-dicti Martyris eſt ſepultus.* Ita Gregorius: cui ex parte conformis Idatius, *Avitum de Italiâ ad Gallias Arelatum ſucceſſiſſe* ſuprà dixit, circa menſem iſtius anni 456. Octobrem, quo Theodoricus Viſigothorum Rex in Gallæcia bellum gerebat. Ita Avitus ſi ab ſexto Idus Julias imperare cœpit, 70. dies ultra annum integrum imperaverit. Evagrius nonniſi menſes 8. ejus imperio tribuit; à Kalendis nempe Januariis, quibus Romæ receptus & Conſul dictus. Vitam tamen exeunte primùm hoc anno, aut ſequente ineunte terminaſſe, videtur; paulò ante Majoriani ſucceſſionem, de quâ mox.

& victoriâ tumidus in Avitum inſurgit.

Avitus ob luxuriam Româ & Imperio ejectus.

Placentiæ ordinatur Epiſcopus.

Inde in Arvernos fugiens.

In itinere moritur, circa Octobrem.

3. Nunc quis fuerit Ricimer, cujus hîc prima mentio, deinceps etiam futura frequentior, inquiſiſſe juverit. Sidonius carm. 2. Anthemii Panegyrico, duodecim abhinc annis Romæ dicto, v. 360. & ſeqq.

Quis fuerit Ricimer.

Genſericus, ait, *livet quod Ricimerem*
In regnum duo regna vocant: nam patre Suëvus,
A genitrice Getes. ſimul & reminiſcitur illud idem
Genſericus,
Quod Tarteſſiacis avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas, & juncti Martis Alanos
Stravit, & occiduam texere cadavera Calpen.

Mixtum audis Ricimeri genus, ſed regium utrumque: patre Suevo in Hiſpaniâ ſeu Gallæciâ principe, ſi non Rege: matre Viſigothâ, Walliæ regis filiâ. Valliam autem maternum ejus avum, Wandalos Alanis junctos in Bœticâ, quæ Tarteſſus eſt, anno Chriſti 418 ingenti clade affeciſſe, ſuprà ex Idatio retulimus, & qui tum vivebat Oroſio. Quare paulò pòſt in Aquitaniam ſecundam à Romanis admiſſus, quo ſe magis in novis firmaret ſedibus, finitimorum in Hiſpaniâ Suevorum Regum affinitate ſe munivit, datâ uni è Principibus eorum filiâ uxore; è quo conjugio filius iſte Ricimer, circa annum Chriſti 420. aut non multo pòſt prodierit. unde illum hoc anno ſupra tricenarium fuiſſe conſequitur. Adultus Romanorum militiam, ſub Aëtio maximè, ſecutus eſt; regno avi materni Gothico, patriſque Suevico privatus. ubi ſtrenui viri opera patrans, ad Magiſterium militiæ conſcenderat, ſive ab Aëtii morte, ſeu paulò pòſt; adhuc ſub Valentiniano, juxta Sigonium. *Invictus* ab Sidonio dicitur, eodem Anthemii Panegyrico, v. 352. & alio Majoriani v. 267. dicto anno Chriſti 458. exeunte: *Juvenus, grandis quem ſpiritus armat Regis avi.* nempe Walliæ.

Patre Suëvo in Gallæcia natus matre Wiſigothâ, Walliæ Regis filiâ vir Arianus.

Adultus Aëtium in bello ſecutus.

Unde factus Magiſter militum.

4. Aggerit recentiores majoréſque laudes Sidonius eodem Anthemii Panegyrico, verſ. 377.

Noricus Oſtrogotum quòd continet, iſte timetur.
Gallia quòd Rheni Martem ligat, iſte pavor eſt.
Quòd conſanguineo me Vandalus hoſtis Alano
Diripuit radente, ſuis hic ultus ab armis. nempe
hoc & 461. Chriſti anno.

Quibus vidimus Noricos adhuc anno Chriſti 468. quo dictus Anthemii Panegyricus, adhuc Romanorum fuiſſe, & Oſtrogothos in vicinâ Pannoniâ reſidentes cohibuiſſe: Rhenanum item imperii limitem ab ipſo ſeu contra Francos, ſeu contra Alamannos probè defenſum. ut non mirum ſit, ſi Jornandes Getic. c. 45. *Virum egregium, & penè tunc in Italiâ ad exercitum ſingularem* appellaverit. Verùm nimiâ potentiâ, ingenio barbaro abuſus, Avitum primùm hoc anno purpurâ exuit; tum Majorianum Severumque Imperatores ſuſtulit; denique nec Anthemio ſocero Româ captâ pepercit. needum tamen à Principum ſanguine deſtiturus, ni 40 poſt ſoceri necem die & ipſe interiiſſet. ut Sirmundus in Sid. pag. 188. Atque hæc de Ricimere Militum poſt Aëtium, ſed in Italiâ dumtaxat, aut ſaltem ibi præcipuè Magiſtro.

Francis aut aliis ad Rhenum barbaris formidatus.

Avitũ purpurâ exuit, & tres poſt eum Imperatores.

5. Fuit tamen eodem quoque tempore Marcellianus ſeu Marcellinus quidam, & ipſe in Occidente copiis militaribus accinctus. de quo ita Procopius lib. 1. Vandal. pag. 189. latinâ, græcâ 98. v. 22. *Erat per hæc tempora*, inquit, *in Dalmatiâ quidam Marcellianus, notus Aëtio: vir admodum probus, qui poſt Aëtium interfectum ad Imperatorem redire recuſavit. ſed res novas eâ parte molitus, multis ſibi adſcitis, ad eam evaſit potentiam, ut nemo reſiſtere auderet.* utrique imperio formidabilis. Sanè excerpta Priſci p. 68.

Marcellinus item copiis in Occidente præfectus.

Utrique imperio formidabilis.

Marcellinum quemdam, hunc reor, Romanis occidentalibus in ſuſpicionem veniſſe memorat, ne ſi copiis augeretur, in eos bellum transferret. uſque adeo, ut legatos ad Orientales mitterent, ut ſe à Marcellinu & Vandalis liberarent. Et ad Marcellinum quidem miſſum eſſe Philarchum, qui ei perſuaſerit, ne in Romanos arma moveret. Et rurſus ibidem pag. 144. Marcellinum Sicilia ceſſiſſe. quòd majorem exercitus ſui partem ei Ricimer abduxiſſet; militibus ejus, qui Scythæ ferè omnes erant, pecunias largiri volens. Ab hoc igitur Marcellino ſeu Marcelliano, eo interregno quod Avitum & Majorianum interfluxit, conjurationem dictam Marcellianam putat Sirmundus in Epiſtolam 11. lib. 1. Sidonii, pag. 36. 37.

Pæonius quidam Præfecturam Galliarú invadit.

6. Cujus occaſionem nactus Pæonius quidam, vir etiam in ſenectute novus, Præfecturam Galliarum arripuerit, poſt ereptum Avito imperium, & ante Majoriani auſpicia. Sic igitur Sidonius p. 26. *Cum de capeſſendo diademate conjuratio Marcelliana coqueretur, Nobilium juventuti ſignif erum ſeſe* Pæonius *in factione præbuerat. homo adhuc novus in ſenectute: donec aliquando propter experimenta felicis audaciæ, natalium ejus obſcuritati dedit hiantis interregni rima fulgorem. Nam vacante aulâ, turbataque Rep. ſolus inventus eſt, qui ad Gallias adminiſtrandas, faſcibus prius quam codicillis auſus accingi, menſibus multis tribunal illuſtrium poteſtatum ſpectabilis Præfectus aſcenderet.*&c.

In interregno Aviti & Majoriani.

Multi iſti hiantis interregni menſes, hoc ipſum innuunt; non illud prioris anni inter Maximi cædem & Aviti electionem; quod ne integri quidem menſis, ſed 28. dierum dumtaxat fuiſſe monuimus. Nec Avitus, cùm Arelatum rediit, Pæonio iſti obſtitit; jam nempe depoſitus, & Ricimere veriſimiliter ei favente. Unde vides, quanta per hoc tempus Reip. turbatio exiſteret; quanta Barbaris opportunitas irrumpendi, aut ſecuritas in jam partis luxuriandi. quod de Childerico Francorum Rege paulò antè ex Gregorio audivimus; & jam pervidendum.

CAPUT XII.

Majoriani Imperium. Ægidius militum in Galliis Magiſter, Francos, qui Regem Childericum ejecerant, ad Romanos cum Belgicâ reducit.

Ab anno Chriſti 457. ad 460.

ANNUS Chriſti 457. Canonem Paſchalem ſuum edit Victorius.

1. SEquitur annus Chriſti 457. Conſtantino & Ruſo Coss. edito Victorii Aquitani Lemovicis Canone Paſchali perilluſtris; quem Victorium nos nuper anno Chriſti 1633. poſt annos 1176. è tenebris eductum, typis Plantinianis publicum fecimus, & commentario pro viribus illuſtrare conati ſumus. Illum ὁ μακαρίτης P. Jacobus Sirmundus noſter, à quo Manuſcriptum Pariſiis acceperamus, non ingratum ſibi fuiſſe, pluſculis ad nos literis ante mortem humaniſſimè teſtatus eſt. uſque adeo, ut cum D. Cypriani Afri Canonem Paſchalem, Manuſcriptú Remis poſtea inveniſſet, ad nos manu ſuâ * tranſſcriptum æquè illuſtrandum edendumque tranſmiſerit; ut ſupra libro 6. cap 9. diximus. Quod hic moneo, quia Galliarum Eccleſiæ non paucæ, nec ignobiles, eo Victorii Canone deinceps ad Caroli Magni ævum uſæ ſint, ſicut ex primo Aurelianenſis quintæ Synodi capite, & ex Gregorii aliorumque teſtimoniis intelligimus. Ex illo Januarias hujus anni 457. Kalendas in feriam tertiam, Lunâ 20. Paſcha Chriſtianorum in ſecundum ſeu Pridie Kalendas Aprilis, luna item 20. incurriſſe docemur; litterâ proinde Dominicali F. qui omnes certiſſimi hujus anni 457. characteres ſunt.

* *nonagenarius.*

Marcianus Imp Conſtantinopoli moritur.

2. Hujus anni primordio moritur Conſtantinopoli Marcianus Imperator *bonis Principibus comparandus*, ait Marcellini Chronicon *his Coss. & Indictione X.* Quippe *cognitis*, ait Theodorus Lector, *quæ contra Romanam civitatem & Imperatrices ab Afris* ſeu Vandalis, *fierent, pro imperii majeſtate commotus ad bellum ſe paravit. Contigit autem, ut ad ſupplicandum in Campum cùm pedes ingrederetur, 26. Januarii diem obierit.* Imperaſſe *annos & menſes ſex* notat Marcellini Chronicon. Subſtitutus Leo Magnus Thrax, *menſe Peritio, 7. Idus Februarii*, addit Chronicon Alexandrinum. Et *regnat annos XVI.*

Succedit Leo Thrax 7. Februarii.

Majorianus Occidentis Imperator.

3. At in Occidente, poſtquam *Avitus Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, imperio ſimul & vitâ caruit*; Majorianus Imperator dictus, & quidem *Marciani juſſu*, ſi Jornandi Getic. cap. 45. fides; ſi verò eidem in Regnorum ſucceſſione creditur, cap. 101. *Leonis nutu*; quod & Marcellini Chronicon tradit. Potuit ſcilicet perfeciſſe Leo, quod cœperat Marcianus. Sanè productam, & quaſi interruptam Majoriani electionem, ſatis indicat, importuniùs intercuſans ipſius Marciani morbus ac mors, Leoniſque ſuffectio. Et varios productæ electionis dies profert Incertus apud Onuphrii Faſtos Chronographus, ita ſcribens: *Ricimer Magiſter militum* (qui vir omnium tunc potens, omnia quoque volvebat) *Patricius factus eſt pridie Kalendas Martias. Et factus eſt Majorianus Magiſter militum ipſo die*: mortuo ſcilicet jam Marciano, & Leonis ſucceſſione tum primum fortè nunciatâ. Poſt alterum inde menſem, *Levatus eſt Imperator Majorianus*, pergit idem auctor, *Kalendis Aprilis milliario ſexto* (ab urbe Ravenna ſcilicet) *in campo ad Columellas.* Kalendæ iſtæ Apriles rectè in ſecundam Paſchæ Feriam tum incurrebant, peraptam tantæ ſolemnitati diem.

primâ Aprilis propè Ravennam.

Unde Theodoricus Wiſigotus Emeritâ in Gallias redit.

4. Unde ſtatim aſſequimur, quid ſibi velit Idatius, dum ſcribit hoc anno: *Theudoricus adverſis ſibi nunciis territus, mox poſt dies Paſchæ, quod fuit II.* (non ut mendosè V. U. pro II.) *Kalendas Aprilis, de Emeritâ egreditur: & Gallias repetens, partem ex eâ, quam habebat, multitudine variæ nationis* (nempe Burgundionum, Romanorum, Gallorum, Hiſpanorum, Wiſigothorumque ſuorum) *cum Ducibus ſuis ad campos Gallæciæ dirigit*; qui Aſturicam Palentiamque civitates diripiunt. Nuntii iſti Theudorico adverſi de Majoriani novi Principis aſſumptione retulerant: cui ſcilicet non æquè ac Avito Theudoricus junctus eſſet. Quare ne fortè quid in regno ſuo Galliisve turbaret novus Imperator, Toloſam rediit, rebus ſuis coràm conſulturus.

Sed

Sed neque ſtatim pro Majoriano omnes Galliæ. uti mox.

Majorianus adhuc Magiſter militum Alemannos ſuperat. ad Alpes Rhæticas.

5. Majoriano autem antequam iniret Imperium, cum adhue Magiſter militum eſſet; menſe Martio toto, nonnulla cum Alemannis ad Alpes Rhæticas res fuit. Alemanni enim circitet nongenti, in campos Caninos circa *Belinſonam hodiernam*, Rhætorum jngis deſcenderant, & Romanos incolas populabantur. Contra illos Burconem Majotianus immiſit, qui, paucorum licet militum manu, populatores devicit & caturbavit, quemadmodum ex Sidonii carm. 5. v. 375. & ſeqq. diſcimus. Jam omnium ordinum plebis, Senatûs, exercitûs & collegæ Leonis ſuffragio creatus Imperator idem Majorianus (ſubdit Sidonius à verſ. 385.) firmiorem militum manum in Campaniam deſtinavit. Cùm enim ad illius littus Vandali claſſem applicuiſſent, novi principis exordiis adhue incertis, aliqmid tentaturi; ipſi in navibus hærentes, Mauros ſuos in ſecnros agricolas immiſerant. Romani repentè ſupervenientes, & Vandalos littori adbuc inſidentes, ac Mauros illos populatores aggreſſi; hos quidem in montes effugarunt: Vandalos autem ad eorum auxilium exciverunt. Unde acri prælio eommiſſo, victi Vandali ad mare navéſque ſe retulerunt: Mauri intercepti, & claſſis aditn excluſi, à Campanis ipſis quos caprivarant agricolis, captivi ſorte verſâ ducti ſunt. Inde in claſſem converſus Vandalos, Africæ recuperandæ comparandam, totus Majorianus incubnit: Princeps. ut ait Procopius lib. 1. Vandalico, *cunctis qui Occidenti præfuere, virtute anteferendus.* ſi virtuti quidem fortuna reſpondiſſet.

Mox Imperans Vandalos in Campaniâ.

In quos etiam claſſem parat.

Illius Magiſter militum in Galliis Ægidius.

6. Sed neque Gallica neglexit: ſtatim ut Imperium iniit, ſi non adhue Magiſter militum, *Ægidium* quemdam *ex Romanis, Gallis Magiſtrum militum dedit*; nt Gregorius refert lib. 1. cap. 11. Erat Ægidius bello juxta & pietate eonſpicuus. Bello quidem *multa viri ſtrenui & magnanimi opera edidiſſe*; teſtis eſt Priſcus in excerptis. Idatius autem virum non *inſignem duntaxat, & utriuſque militiæ Comitem*, ſed *& Deo bonis operibus, ut fama commendat, complacentem memorat.* Neſcio an non hunc quoque Ægidium deſcribat Sidonius, cum Majorianum ipſum in Panegyrico & carmine quinto alloquens, ita ſcribit verſ. 553.

Qui tibi præterea Comites? quantusq; Magiſter
Militiæ, veſtrum poſt vos qui compulit agmen,
Sed non invitum? dignus cui cederet uni
Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fulvius, arte Camillus.

An ea Italiâ nunc primùm in Gallias à Majoriano jam Imperatore creato ſubmiſſus ſit; an antè ſub Avito Aëtióve militaverit, & in Galliis hactenus agitaverit, non ſatis difinio. Nunc primùm ſubmiſſum, videtur ſignificare Gregorius, qnando illius ante Majoriani (non *Martiani*, nt ibi mendosè legitur) creationem non meminit. Contrà, Gallis noſtris ac Francis diuturno jam uſu notum, quæ ſequuntur inſinuant. Sed nihil impedit eumdem hactenus in Galliâ militantem, à novo Imperatore novam Magiſterii dignitatem accepiſſe. & Gregorius ipſe mox ſubdit, illum *ab Republicâ*, id eſt ut reor, ab Senatu Romano, cum Avitum expulit, deſtinatum. uti mox.

Gallis non ignotus.

Quos, ut & Francos, ad ſe allicit.

7. Moa igitur ut eum honorem iniit, tantâ ſe virtute pietatéque Gallis commendavit (niſi potiùs jam antè commendaverat) ut nullus non ſub ejus imperio vivere percuperet. proſſus ut etiam ad Francos, qui Regis ſui luxuriâ premebantur, ea cupiditas emanarit. Sic enim Gregorius l. 2. c. 12. *Childericus cum eſſet nimiâ luxuriâ diſſolutus*; quo ſcilicet eum & juventus petulantior, & pacis ſecuritas Romanis parum concordibus, impellebant; *filiaſqúe Francorum ſtuprosè detraheret: Franci ob hoc indignantes de regno eum ejiciunt. Comperto autem quod etiam interficere vellent, Thoringiam petiit; relinquens ibi hominem ſibi carum, qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire poſſet. dans etiam ſignum, quando redire poſſet in patriam. Id eſt, diviſere ſibi unum aureum: & unam quidem partem ſecum detulit Childericus, aliam vero amicus ejus detinuit, dicens: Quando hanc partem tibi miſero, partéſque conjuncta unum effecerint ſolidum; tunc tu ſecuro animo in patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam, apud Regem Biſinum uxoremq; ejus Baſinam latuit. Denique Franci hoc ejecto, Egidium ſibi, quem ſuperiùs Magiſtrum militum à Republica* (nota, veriſimiliter à Senatu Romano, quum Avitum expelleret) *miſſum diximus, unanimiter Regem adſciſcunt. qui ad annum octavum ſuper eos regnavit*, &c. Obiit Ægidius anno Chriſti, quamcitiſſimè, 464. eaennte, ut diſertè Idatius fine ejuſdem anni 464. Niſi forſan id ſolitâ anricipatione faciat; occaſione præviæ cujuſpiam narrationis: cum eum ad Vandalos, ejus anni Maio, Legatos per Oceanum miſiſſe, eoſdemque Septembri proximè rediiſſe ſcribit. Ponamus tamen annũ Chriſti 464. vaneſcentem, cum octavo iſto anno ineunte comparari. Ita Ægidius à Francis in Childerici locum aſſumptus fuerit circa æſtatem anni Chriſti 457. aliquot à Majoriani Imperatoris electione menſibus elapſis. eùm jam nno propè anno Militum in Gallia magiſter fuiſſet, ſi qnidem ab Senatu, ut dixi, ſtatim ab Aviti dejectione tranſmiſſus eſt, ut vehementer ſuſpicor. Quanquam diu etiam antè ſub Aëtio, ſecundâ ſortè, ut quondam Littorius, poteſtate militem duxiſſe, & ſuæ probitatis, virtutis, ac juſtitiæ pluſcula documenta dediſſe potuerit.

Childericũ luxuriantẽ Franci expellunt.

& Ægidium Romanum ſibi Regem adſciſcunt annis 8.

æſtate anni Chriſti 457.

Winomadus Childerici amicus in Gallia relictus.

qui Childericum ab Hunnis cũ matre captum liberaverat.

8. Porro amicnm illum Childerici, qui partem aurei retinuit, tametſi Gregorius non nominet, utraque tamen Francorum Epitome, cap. 7. & 11. Aimoinus lib. 1. cap. 7. & poſt eos ceteri, *Winomadum* appellant. Additque poſterior Epitome, *Francum fuiſſe Childerico præ ceteris fidiſſimum: qui eum etiam, cùm ab Hunnis unà cum matre captivus abduceretur, fugaciter liberaverat.* *Barri* (hodie *Barleduc* in Lotharingiâ, ni fallor; & ni Dominus Chiffletius ex nummis in ejus ſepulchro Tornacenſi inventis, aliud edat) Winomadum tunc egiſſe, anno illo Chriſti 464. videbimus. Quod ſi eſſet, potiorem Belgicæ Primæ partem Francorum ante hunc annum fuiſſe colligeremus; quando Childericus initio regni luxu diffluens, regno nihil addere commodè potuiſſe videtur. Merovæus igitur addidiſſet, nt ſuprà opinari ſumus. Addit rurſus eadem Epitome, *Winomadum Childerici amicum, Franci ſubregulum Egidio novo Regi faciunt.* ne ſcilicet externo & Romano ſoli parere viderentur. quod & ad Childerici revocationem non parum profuiſſe patebit.

Romani Belgicam totam recuperant.

9. Ita Romani nnius Ægidii probitate & induſtriâ, rurſus in Belgicæ late ſumptæ, ſi non totius omnino (quod ferè puto) ſaltem Borealioris, & minimum ab Somonâ Axonaque fluminibus, &

Vogeſo monte; ad Rhenum fereque Oceanum poſſeſſionem, ſine ſudore ſine ſanguine redierint: & ad octavum ineuntem annum deinceps retinuerint: Rhenanis omnibus civitatibus, Coloniâ præſertim, Treviris, Moguntiâ, &c. ut mox patebit, eorum præſidio munitis. An etiam ultra Rhenum præſidia extenderint, quæri poteſt. Nonnulli quidem antiquo Imperii limite tunc abunde contentos fuiſſe credunt. Aliis Childerici luxuria Tranſrhenanos quoque Francos non minus quam Belgicos, ad illius expulſionem commoviſſe videtur. unde Childericus nec apud eos ſubſtiterit, ſed in Thoringiam uſque fugerit. Utcumque res habeat, inſtituto noſtro ſatis eſt, Francos Belgium tunc cis Rhenum incolentes, omnes ad Romanos rediiſſe.

An etiam Franciam tranſrhenanam.

Ita videtur quia Childericus ultrà in Thoringiam fugit.

10. Quod & Sidonius, ut opinor tangit, cùm ſequentis anni fine à Majoriano Imperatore trium capitum remiſſionem poſtulans, carmine 13. illud ei quoque gratulatur:

& Sidonius idem innuit.

Sic ripa duplicis tumore fracto
Detonſus Vachalim bibat SICAMBER.

per *Sicambrum* enim Francum intelligi nemo neſcit; quod è Priſcis Sicambrorum maximè finibus in Gallias gradum Franci fecerint. Per *ripam* verò *duplicem*, tam Gallicam ſeu ſiniſtram, quàm barbaricam ſeu dexteram haud dubiè capit; cujus utriuſque poſſeſſione Franci hucuſque tumuerant. Nunc ad Romanos ab Ægidio reducti, & citerioris ſeu Belgicæ ripæ dominio exuti, ceu comâ ſuâ detonſi detumuerant; & ſolum Vahalim, citerius nempe Rheni cornu, bibere poterant. Maximè cum Warni poſt Saxonas ut dixi, alterum cornu jam tenerent, ut & inferiora fluminis ad Oceanum. Forte & Panegyrico Majoriani, v. 594. idem tangit; cum eum *mare magnum domuiſſe* canit. quid enim per *mare magnum* aptius quàm Oceanum capiamus, quem Franci tunc cis & trans Rhenum incolebant? Hoc idem procul dubio ſignificat in exceptis Priſcus, dum ait: *Gentes ditionis Romanorum accolas Majorianus partim armis, partim verbis ad deditionem compulit.* *Verbis* Francos per Ægidium; & alios per alium: *Armis*, Viſigothos, alioſque. ut ſequentia docebunt. Hæc quidem Sidonius anno Chriſti 458. exeunte, aut 459. ineunte ſcripſiſſe videtur, cum Ægidius à Francis jam inde ab anno 457. evocatus ac receptus eſſet.

Idem quoque Priſcus.

CAPUT XIII.

Motus in Gallia, ob novum Imperatorem Majorianum.

Eodem Anno 457. & 458.

1. ERat Viſigothorum Rex Theudericus, Avito cùm imperaret, arctiſſimè junctus. Unde nihil dubium, quin ejus dejectionem, noviſque Principis velut in ſui neglectum ſubſtitutionem, ægerrimè tulerit. quare & ſtatim de Hiſpaniâ rediit, ut dicere cœpimus, & in Romanos arma vertit. Nec pars Galliæ ei defuit. Lugdunenſes primi ferociſſimique rebellaſſe videntur ex Sidonio. eoque à Majoriani Ducibus obſeſſi expugnati, & præſidio frænati ſunt. Quin & Sidonium ipſum Aviti generum ejuſdem fuiſſe factionis primùm ex verſu 598. carminis quinti haurimus, cum ſe quoque veniam participatæ defectionis impetraſſe canit:

Theodoric' Wiſigothus in Romanos movet.

Eique favere viſi Lugdunenſes. ipſeque Sidonius. *Paneg. Majoriani v. 572.*

Memini cum parcere velles, Hic tibi vultus erat.

& rurſum in præfatione ejuſdem Carminis, v. 11.

Quibus tamen parcit Majorianus

Sic mihi diverſo nuper ſub Marte cadenti
Juſſiſti placido victor, ut eſſem animo.
Serviat ergo tibi ſervati lingua poëtæ,
Atque mea vita laus tua ſit pretium.

2. Quiſnam autem fuerit ille Majoriani Dux, qui Lugdunum Sidoniumque devicerit, etſi nemo dicat, facilè tamen ſuſpicor hunc Ægidium noſtrum fuiſſe; qui Francis anno illo 457. reductis; militique Romano junctis, proximè ſequenti 458. contra Lugdunenſes, Viſigothorum auxilio probabiliter animatos, moverit: expugnaverit, & juſto præſidio frænaverit, interim dum Majorianus adhuc in Italia, contra Vandalos alioſque occupatur. Ego quidem unde Gallis tanti animi, tantæ vires contra an poteſtatem hoſtem extiterint, niſi ab auxiliaribus Wiſigothis ac Burgundionibus hactenus Avito junctis & obſtrictis, non diſpicio.

ANNUS Chriſti 458.

3. His ergo geſtis, Majorianus, ordinatis in Italia rebus, Alpes asperâ hyeme, ſeu *tempore brumæ* (ut carm. quinto Sidonii habetur v. 510.) adhuc tamen Conſul anni 458. tranſiit. quod ibidem verſu ſecundo docet Sidonius, *Imperium jam Conſul habet.* Ad ejus adventū, aut non multo antè, Lugduno Gallisque pax & Sidonio venia data; urbſque ipſa, quæ præſidio militari frænabatur, Petri Epiſtolarum Magiſtri interceſſione, & datis obſidibus, libertati reddita. Sidonius igitur luculento eum Panegyrico excepit; in quo præter jam dicta, iſta canit.

Majorianus ex Italiâ venit in Gallias, adhuc Conſul.

quibus, ut & Sidonio veniam dat.

Qui ideo Panegyricû ei dicit. *Carm. 5. v. 572. &*

Petrus epiſtolarum Magiſter.

— *Attamen hic* (Petrus ſcilicet) *nuper, placidiſſime Princeps,*
Obſide percepto, noſtra de mœnibus urbis.
Viſceribus miſeris inſertum depulit hoſtem.
Et quia laſſatis nimium ſpes unica rebus
Venisti, noſtris petimus ſuccurre ruinis.
Lugdunúmque tuam, dum præteris aſpice victor,
Otia poſt nimios poſcit te fracta labores.
Cui pacem das, redde animum. bove, fruge, colono,
Civibus exhauſta eſt. ſtantis fortuna latebat,
Dum capitur, væ quanta fuit! poſt gaudia, Princeps
Delectat meminiſſe mali. populatibus, igni,
Etſi concidimus, veniens tamen omnia tecum
Reſtituis: fuimus veſtri quia cauſa triumphi,
Ipſa ruina placet — mox: *Quòd lumina flectis,*
Quodque ſereno miſeros jam reſpicis ore,
Exultare libet. memini cum parcere velles,
Hic tibi vultus erat; mitis dat ſigna venuſtas.
Annue: ſic veſtris reſpiret Byrſa tropæis.

4. Ita ibi Sidonius, qui eodem tempore carmen 13. ad eumdem Principem ſcripſit, quo trium capitum, ſeu trium tributorum quæ in ſingula capita indici ſolebant, remiſſionem poſtulat, ſic pangens:

Trium capitum ſeu tributorum remiſſionē poſtulat Sidonius.

Geryones nos eſſe puta, monſtrúmque tributum,
Hic capita ut vivam tu mihi tolle tria.
Has ſupplex famulus preces dicavit,
Reſponſum opperiens pium ac ſalubre,
Ut reddas patriam, ſimúlque vitam,
Lugdunum exonerans ſuis ruinis.
Hoc te Sidonius tuus precatur.
Sic te Sidonio recocta fuco
Multos purpura veſtiat per annos.
Sic luſtro imperii perennis acto,
Quinquennalia faſcibus dicentur.

Sic

Sic ripa duplicis tumore fracto,
Detonſus Vachalim bibat SICAMBER.

& impetrat.

Quid ſibi velint duo poſtremi verſus, anno priore dixi. Orat ergo Sidonius, ut ob beneficium quod Lugduno petit, eâ cœli donetur indulgentiâ Majorianus, quâ Francum ſeu Sicambrum ſibi jam ſubditum deinceps retinere, & diu pacatum Imperium regere poſſit. Et ſanè Majorianum 7. Idus Martii ſe Coſ. anno 458. publicæ indulgentiæ edidiſſe ſanctionem, qua tributa omnia in illum uſque annum non ſoluta, tametſi multiplicia, penitus relaxaſſe, in ejus Novellis tit. 8. legimus.

Majorianus ex Italia in Gallias venit Lugdunum.

5. Ceterùm in Panegyrici verſu 576. *Lugdunumque tuam dum præteris, aſpice victor*, notanda parentheſis illa, *dum præteris.* in Gallias enim ex Italiâ venerat Majorianus, ut rebus ibi ſtatim compoſitis, in Hiſpaniam, indeque in Africam tranſiret; Vandalos ingenti exercitu devicturus. quo reſpectans Sidonius ſubdit: *Annue: ſic veſtris reſpiret Byrſa*, ſeu Africa, *tropæis*. antea v. 351. & ſeqq. Romam induxerat Africæ loquentem, & à Majoriano Principe ſalutem pollicentem; ſi prius illum Gallias ordinare ſinat:

Galliis diu abfuerunt Imperatores.

Ex quo Theodoſius communia jura, fugato
Reddidit auctoris (Gratiani) *fratri* (Valentiniano ſecundo) *mea Gallia rerum*
Ignoratur adhuc dominis, ignaráque ſervit. quia nullum videt Imperatorem.
Ex illo multum periit. quia Principe clauſo, nempe Ravennæ,
Quidquid erat miſeri diverſis partibus orbis,
Vaſtari ſolenne fuit. quæ vita placeret,
Cùm Rector moderandus erat? contempta tot annos (ſcilicet 66. ab 392. ad 458. incluſivè.)
Nobilitas jacuit. pretium Reſpublica forti
Reddidit invidiam. Princeps hæc omnia noſter
Corrigit, atque tuum, vires ex gentibus addens,
Ad bellum per bella venit. nam maximus ipſe eſt,
Non pugnaſſe labor. terimus cur tempora verbis?
Pervenit & vincit.

In iis hæſit Majorianus ad Annum Chriſti 460.

6. Hæſit in Galliis Majorianus ab exitu anni 458. ad annum 460. Quo ſpatio non Gallos rebelles modò, ſed & Wiſigothos acriorem hoſtem pacavit. Theudoricus enim ab Ægidio repulſus non modò animum non demiſerat, ſed & ducem præſtantem Cyrilam è Bæticâ cum exercitu revocarat bellum vel à Gallis relictus continuaturus: ſed mox & ipſe prudentiore conſilio, *firmiſſima*, ut ait Idatius anno Majoriani tertio, qui eſt Chriſti 459. *pacis jura cum Majoriano ſanxit, Gothis in quodam certamine ſuperatis.* Quare rectè in excerptis Priſci, pag. 67. 68. legimus; *Majoriano Romanorum Occidentalium Imperatori, Gothi, qui in Gallia erant, ſocii confœderatíque facti ſunt. Et gentes ditionis Romanorum accolas partim armis, partim verbis ad deditionem compulit.* Francos *verbis* ad deditionem ab Ægidio Majoriani duce compulſos, ſuprà vidimus. Gothos primùm *armis*, tum etiam *verbis*, innuit Sidonius carm. 5. v. 562. & ſeqq. cum de Præfecto Prætorio Galliarum hæc dicit.

quos etiam pacat.

Qui dictat modò jura Getis (id eſt wiſigothis) *ſub Judice veſtro*
Pellitus raucum præconem ſuſcipit hoſtis.
Quid loquar hic illum, qui ſcrinia ſacra gubernat?
Qui cum civilis diſpenſet partis habenas,
Suſtinet armatæ curas: interprete ſub quo
Flectitur ad veſtras gens effera conditiones.

& in iis barbaros, Gothos, &c.

Per *gentem efferam*, an Gothicam ſolam, an etiam quamvis aliam intelligat, non definio. Aliàs certè compoſitas video, ne quid turbarum à tergo Majorianus in Vandalos movens relinqueret. & Burgundionum quidem Reges, Gundieucum & Hilpericum jam inclareſcentes, qui cum Theodorico Viſigothorum Rege in Hiſpanias contra Suevos, à triennio moverant, cum ipſo ſi non antè, in Gallias rediviſſe, & iiſdem fœderibus cum Romanis conveniſſe, ſat aſſequimur. Quid enim ſeparati potuiſſent? Alemannos iis vicinos biennio antehac per Burconem ſuperatos, deinceps quieviſſe, etiam ſine hoc generali Priſci teſtimonio conjiceremus. In Alanos Tranſligerianos, ſeu Armoricanos ſecundo poſt hunc anno paraſſe procinctum videbimus. Sed hoc tamen quieviſſe, ex Priſco neceſſum eſt, tametſi nonnulla diſcordiæ ſemina jam ſubeſſe potuerint. Britanni, qui ex Inſulâ ſuâ quotidie à Saxonibus expellebantur, in Armoricæ quoque partes per hoc tempus emigrabant: ſed Romanis amici erant, ad quos ceu patronos in Galliam confugiebant, quando eos jam labantes in Britanniam ſuam ad opem ferendam elicere non poterant.

Britanni à Saxonibus pulſi Britanniam Gallicam conſtituunt.

Majorianus bellum in Vandalos & Genſericum parat.

7. Ita pacatis undequaque Galliis Majorianus in Hiſpaniam, indéque in Vandalos ferebatur. Quem autem ſecum in eos traheret exercitum retexit Sidonius carm. 5. & v. 472.

Quos ſecū barbaros traxerit.

Agmen in arma rapis: nam quidquid languidus axis
Cardine Sithonio, ſub Parrhaſſe parturit urſa,
Hoc totum tua ſigna paret. Baſtarna, SVEVVS,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, ALANVS,
Bellonothus, Rugus, BVRGVNDIO, VESVS (id eſt Viſigothus) *Alites,*
Biſalta, Oſtrogothus, Procuſtes, Sarmata, Moſchus
Poſt aquilas venêre tuas. tibi militat omnis
Caucaſus, & Scythica potor Tanaiticus unda.

Moſchos ſeu Moſcovitas, eo etiam ævo.

Hos omnes in exercitum ſuum Majorianus adſcripſit, quo terram maréque repleret; Vandalos opprimeret, Romanum Imperium in priſtinum ſplendorem aſſereret. & feciſſet, ſi longior ei vita contigiſſet. Francorum tamen in hoc Indiculo nulla mentio, etſi Burgundio Viſigothusque nominentur. credo quia Francus tunc Ægidio Romanisque parebat, expulſo Childerico.

ANNUS Chriſti 460. Majorianus in Hiſpanias & Carthaginem Spartariam venit.

8. Ergo quarto imperii ſui anno, Chriſti 460. *Menſe Maio*, ait Idatius, *Hiſpanias ingreditur Imperator. Quo Carthaginenſem provinciam pertendente; aliquantas naves, quas ſibi ad tranſitum adverſum Wandalos præparabat, de litore Carthaginenſi commoniti Wandali per proditores* (Ricimerem haud dubiè, Severum, & ſimiles) *abripiunt. Majorianus à ſuâ ordinatione fruſtratus, ad Italiam revertitur.* Ita tamen ut in Galliis priore ſequentis anni parte adhuc fuerit. Iſta Idatius teſtis oculatus. Similiter & in Chronico ſuo Marius Aventicenſis: *Magno & Apollinare Coſs.* (hoc nempe Chriſti anno 460.) *Majorianus Imperator profectus eſt ad Hiſpanias. Eo anno captæ ſunt naves à Vandalis ad Elecem juxta Carthaginem Spartariam.* Nec diſſentit Procopius primo Vandal. fin. cùm Majorianum narrat, contra Vandalos maximo collecto exercitu, primùm in Liguribus conſtitiſſe; inde in Africam habitu diſſimulato trajeciſſe, Genſerici vires & animum coràm exploraſſe; mox in Liguriam reducem, exercitum terreſtri itinere (ergo per Gallias) ad Herculis columnas duxiſſe, indeque per fretum in

Sed claſſe perditâ, Italiam repetit.

Procopii narratio.

Africam tranſire,& contra Vandalos congredi cogitaſſe: *Tantâ*, inquit, *ipſius exercitus admiratione, ac voluntate; ut in certam ſpem venerint omnes, brevi ſe Africâ per eum potituros. Verùm ex morbo paulò poſt decedens, ab incœpto deſtitit; vir quàm ſuis mitis, tam hoſtibus formidoloſus.* Ita Procopius; Majorianum innuens etiam poſt proditam ſuam claſſem minimè deſtiturum fuiſſe, ſi morte præventus non fuiſſet. de quâ paulò pòſt. Nunc Eccleſiaſticum Belgicæ ſub Ægidio ſtatum conſiderare libet.

CAPUT XIV.

Eccleſiaſticus Belgicæ, ſub Ægidio Romano maximè, ſtatus.

Circa Annum Chriſti 460

Ægidius Gallias curat, pietate & omni virtute illuſtris.

1. AN in Hiſpanias quoque cum Majoriano tranſierit Ægidius, an Galliis tutandis inhæſerit, non reperio. Credo remanſiſſe; inchoatam pacem aluiſſe, firmaſſe. Nec dubito quin Eccleſiæ commodis, jam bellis liber, totus incubuerit; *vir*, ut Idatius, *Deo bonis operibus complacens*, vel ut Paulinus, *virtute quidem illuſtris, ſed moribus altis fideque clarior, major, & celſior.* unde & Sancti Martini invocatione, & conſtanti pietate victor. Ac primùm Belgium noſtrum, Francorum hactenus idololatriâ fœdatum, priſtino nitori reddere laboraverit. Quo fine ſuperſtites Epiſcopos animaverit, recrearit, & in priſtinam auctoritatem reſtituerit. Hinc reducta cum ſupremo Romæ Pontifice communicatio, & de Eccleſiæ diſciplinâ conſultatio. Is tunc adhuc erat *Leo* primus, ſeu *Magnus*, doctrinâ magnanimitateque non minus, quàm ſolidâ ſanctitate conſpicuus, rerum geſtarum gloriâ notiſſimus. E pluribus, quæ tunc haud dubiè tractata non dubito, una dumtaxat Leonis ſupereſt Epiſtola, quæ ad Belgas ſpectare videtur, numero 88. aliàs 82. data *ad univerſos Germaniarum atque Galliarum Epiſcopos.* Dum enim *Germanias* plurium numero nominat, utramque Ciſrhenanam Primam ſeu Superiorem, & Secundam Inferiorémve neceſſariò intelligit; Romano hujus ſæculi more, quo nullum in Germania tranſrhenanâ ſeu Barbaticâ legimus Antiſtitem, nullam Eccleſiam. ea Epiſtola ſic incipit:

S. Leo Magnus Pontifex Romanus.

Illius ad Galliarum & Germaniarum Ciſrhenanarū Epiſcopos epiſtola.

2. *Cùm in Dei nomine, in Romanâ Eccleſiâ Synodum Epiſcoporum, ſive cæterorum conſacerdotum, Chriſtique fidelium coadunatam habuiſſemus; & de ordinationibus illicitis, ſuper quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium ſermo pervenerat; atque de aliis neceſſariis Eccleſiaſticis negotiis tractantes, ſacróſque Canones relegentes, ſolerter egiſſemus: à multis lacrymabili vultu relatum eſt nobis: quòd quidam GERMANIARUM ac Galliarum urbium Epiſcopi, frequenter Chorepiſcopos* (*qui juxta Canones Neocæſarienſes, ſive ſecundùm aliorum decreta Patrum, iidem ſunt, qui & Presbyteri*) *vel Presbyteros deſtinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicaſque conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum, id præcepiſſe viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros, quod eſt canonicæ Regulæ contrarium; & ſtatim à ſæculari militiâ in Sacerdotale miniſterium delegatos atque promotos. Ergo ne ultra talis à vobis licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit, ſcientes, quia ſicut Chorepiſcopo vel Presbytero, illicita conſecratio eſt Altaris, ita & conſtitutio.* & mox: *Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio; quædam tamen auctoritate veteris legis; quædam nova etiam Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint. ſicut Presbyterorum, & Diaconorum, aut Virginum conſecratio: ſicut conſtitutio Altaris ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Eccleſias vel altaria conſecrare licet; nec per impoſitiones manuum fidelibus baptizandis, vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum Sanctum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontes ſignare, nec publicè quidem in Miſſâ quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis, qui ad exemplum & formam 70. diſcipulorum eſſe noſcuntur; vel Presbyteris qui eamdem geſtant formam: quoniam quanquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent.* &c. *Sed neque coram Epiſcopo licet Presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui reconciliare; nec eo præſente, niſi illo jubente, Sacramentum Corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coràm poſito populum docere, vel benedicere aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.* Hactenus Leonis Epiſtola, die & anno carens; eoque fortè mutila. Sed circa hoc tempus datam, convincit *Germaniarum* appellatio, quarum ſecunda ſaltem ſeu Inferior, vix ſub Leone Papâ, niſi poſthanc Ægidii reductionem, Romana fuit.

Chorepiſcopi tunc minimè Epiſcopi.

quia Pontificatus apicem non habebant.

Quid ex Leonis epiſtola colligatur.

3. In hac Epiſtola pleraque excuſſione digna ſunt. Primùm enim, ut de Chorepiſcopis, qui ſatis hic depinguntur, nihil dicam; apparet Epiſcoporum per hæc tempora magnam fuiſſe penuriam, qui Chorepiſcopis munia ſua delegare congerentur. Apparet item paucos illos Epiſcopos è tot bellis & barbarorum invaſione ſuperſtites, ut plurimùm è ſæculari militiâ in Sacerdotale miniſterium tranſlatos; eoque rudes & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros; nempe inter arma barbariemque natos & educatos; cùm aliorum copia non eſſet, ſilentibus inter bella diſciplinis omnibus. Rurſum, cum per Chorepiſcopos, non Epiſcopos, Altaria erigerentur, Baſilicæque conſecrarentur; ſatis aſſequi poſſumus, ſtatim in Belgio pace partâ, Romaniſque reſtitutis, ſacra omnia tanto numero reſtaurari cœpta, ut pauci qui ſupererant Antiſtites iis peragendis non ſuffecerint. Denique quod caput, & Catholico ſeu Orthodoxo ſolatium eſt longe dulciſſimum; videre licet hic antiquiſſimum & ante ferè mille ducentos annos *Chriſmatis, Confirmationis, Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis, ac Miſſarum uſum atque nomina, adeóque Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti confectionem.* quæ tamen omnia negant, ſpernunt, & conculcant hodierni noſtri Novatores, unius ut vides noctis fungi, ab omni Eccleſiæ antiquitate remotiſſimi.

Paucos & ignaros tūc in Galliis & Germaniis fuiſſe Epiſcopos.

De Belgicæ latè ſumptæ Epiſcopis.

4. Quinam autem hoc tempore, & quibus in Belgicæ Eccleſiis ſupereſſent Epiſcopi, juvat hîc inquirere. Colonienſis quidem Germaniæ ſecundæ Metropolis, poſt Evergiſtum, de quo ſuprà, ſucceſſores numerat *Aquilinum, Solinum, & Simonem.* In Tungrenſi poſt S. Servatium anno Chriſti 384. ut ſuprà vidimus, abſumptum, ſucceſſere *Agricolaus, Urſicinus, Deſignatus, Reſignatus, Sulpitius, Quirillus, Eucherius, Falco.* ad quem poſtremum

Colonienſes.

Tungrenſes

extat Sancti Remigii Remenſis Archiepiſcopi, de quo mox, Epiſtola, non multò poſt Chlodovæi Regis exceſſum, ſeu poſt annum Chriſti 511. data: quæ Diœceſeon Epiſcopalium ejus ævi limites Belgicos, cum hodiernis in pleriſque conſentire docet, ut in hujus Tomi fine videbimus. Eorum ergo Epiſcoporum nonnulli in Germania ſecunda noſtrate vivebant; & quia nimium latis diœceſibus imperabant, ſenioque, morbo, aut quovis alio caſu diſtinebantur, ſoli ſufficere non poterant: eoque Chorepiſcoporum miniſterio ſe ſublevabant.

Moguntini.

In Germaniâ Superiore, Moguntini quidem Antiſtites poſt Maximum ſeu Martinum, qui Colonienſi Synodo circa annum Chriſti 349. interfuit, recenſentur, *Sidonius, Sigiſmundus, Lupoldus, Nicetius, Marianus, S. Aureus. S. Eutropius, Adelbertus, Ratherius*, &c.

Vormatienſes.

Vormatienſes ſeu Vangiones mutili ſunt: & poſt *Victorem* Synodo Agrippinenſi præſentem, & usque ad tempora *S. Ruperti* primi Salisburgenſis Archiepiſcopi ſeu annum Chriſti præter propter 580. per annos ſupra ducentos, nonniſi tres nominantur, *Amandus, Carolus, Grotaldus*. reliqui aut per bella deſierunt, aut temporis injuriâ neſciuntur.

Spirenſes.

Nemetes ſeu Spirenſes æquè ignoti, quando poſt *Jeſſium* in eodem Agrippinenſi Concilio, non alium quam *Athanaſium* repræſentant, quem regnante Dagoberto circa annum Chriſti 630. magnificum S. Germano extra muros ſtruxiſſe cœnobium volunt.

Argentoratenſes.

Nec frequentiores Argentoratenſes, qui S. Amando primo ſuo Antiſtiti in Synodo Colonienſi præſenti, non alium ſubſtituunt quàm *Arbogaſtum Aquitanum*, circa annum Chriſti 650. humanis exemptum. Prorſus, ut nihil mirum ſit, ſi fere nullis in Germania ſuperiore Epiſcopis, Chorepiſcopos ſubmiſſos S. Leo conqueratur.

Trevirenſes, poſt Severum.

5. Belgicæ utriuſque Paſtores paulo numeroſiores reſtant. Trevirenſes maximè Metropolitani: nam poſt Severum Burgundionum in Germania Prima circa annum Chriſti 436. Apoſtolum; ſequuntur *Cyrillus, Jammerius, vel Himerius, Emerus, Marcus 2. Voluſianus, Miletus, S. Modeſtus, Maximianus, S. Fibicius, S. Aprunculus, S. Ruſticus, & S. Nicetius*, quem in Concilio Arvernenſi anno Chriſti 535. reperimus.

Metenſes.

Metenſes poſt S. Auctorem aut Victorem, qui in Synodo Colonienſi eſt, accenſent *Expletium, Urbitium, Bovolum vel Rivolum, Terentium, Heſperium*, qui eidem Synodo Arvernenſi anno Chriſti 535. intereſt.

Virdunenſes.

Virdunenſes primum Paſtorem agnoſcunt *S. Sanctinum*, & ipſum Agrippinenſi Synodo ſubſcriptum; tum *S. Maurum, S. Salvinum, S. Aratorem, S. Pulchronium ſeu Polychronium*, quem Chalcedonenſi Concilio Oecumenico anno Chriſti 451. interfuiſſe volunt, *S. Poſſeſſorem, S. Firminum, S. Vitonum*. *Deſideratum* qui Concilio Arvernenſi, 535. & Aurelianenſi quinto 549. ſubſcripſit. Hi omnes novem Epiſcopi, ducentos fere annos occupaſſe debent, ſi ſoli fuerunt; aut hiatum nullum admittunt: quem ego tamen admittendum, & Chorepiſcopis illis à S. Leone improbatis explendum exiſtimo.

Tullenſes.

Minus adhuc pleni *Tullenſes Epiſcopi*; qui ad *Auſpicium* Sidonio Apollinari circa annum Chriſti 480. celebratum, nonniſi quatuor accenſentur, *S. Manſuetus, Amon, Alcas vel Altha, & Celſinus.*

Remenſes poſt S. Nicaſium.

6. In Belgica ſecunda Remenſes Metropolitani ſuperſunt poſt S. Nicaſium Vandalica perſecutione martyrem, Baruchus, Barucius, Barnabas, Bennadius vel Bennagius, alias etiam Bennadius; quem ab hoc noſtro *ſilitum Magiſtro Ægidio* multa paſſum volunt. neſcio quàm benè; niſi forte malus ipſe fuerit; quando Ægidii virtutem ac pietatem tantopere extollunt omnes: Tum S. Remigius Francorum Apoſtolus; de cujus ingreſſu, non ſatis engnito, capite ſingulari, proximè ſequenti, accuratius exquiram.

Sueſſionenſes.

7. *Sueſſionenſes Epiſcopi* non adeò denſi ſunt. Duo quidem omnium primi, iidem qui Remenſes enumerantur. *S. Sixtus & S. Sinicius*, credo quòd nondum diviſæ eſſent iſtæ diœceſes. Sequuntur *S. Divitianus, Rufinus, Filianus, Mercurius* in Agrippinenſi Synodo, anno 449. Tum *S. Oneſimus, Lincenculus, Oneſimus* alter, *S. Edibius*, & *S. Principius*

S Principius S. Remigii frater.

S Remigii frater natu major; & ad quem Sidonius 14. libri octavi epiſtolam ſcribit, cujus etiam meminit Flodoardus lib. 1. cap. 10. ut paulò poſt hoc tempus floruiſſe conſtet.

Catalaunenſes.

Catalaunenſes S. Memmio D. Petri diſcipulo longè pauciores ſubnectunt, quam ut anni pluſquam 350. expleri poſſint. Non plures enim quàm 7 tanto temporis intervallo recenſent. Sunt ii, *S. Donatianus, S. Domitianus, Amabilis, Deſiderius, Sanctiſſimus, Provinctus*, vel *Provincius, S. Albinus*, S. Lupi Trecenſis, ut aiunt, diſcipulus, qui Andegavenſi Concilio anno 435. intereſt, & *S. Amandinus*, qui Turonenſis primo anno 461.

Sylvanectenſes.

Nec frequentiores *Sylvanectenſes*. Nam *S. Regulo* primo eorum Paſtori, quem & B. Dyoniſii Comitem, & S. Throphimi Arelati ſucceſſorem tradunt, ſubſtituunt, *Nicenum*, vel *Nicomum, Manſuetum, Venuſtum, Tanitum, Jocundum, Pretritum, Modeſtum, Levanianum*, qui Concilio Aurelianenſi primo anno 511. ſubſcribit.

Bellovacenſes.

8. Neſcio an Bellovacenſes ſint integriores: *S. Lucianus* à S. Petro miſſus. Inde *Thalaſius, Victor, Chanarus, Numitius, Lucerius, Liertius, Themerius, Bertiſilus, Rodomarus, Anſoldus, Robertus* aliàs *Rigobertus, Gogerinus* *S. Nicaſio* Remenſi, ut volunt, coætaneus circa annum 400. & 407. *Anſelmus, Mauritius, Himbertus, Clemeus*, cujus in S. Eligii vita l. 2. c. 56. fit mentio. Ita ab anno 407. ad 640. aut 650. ducentis, & quod excurrit annis, nonniſi quatuor recenſentur Epiſcopi.

Ambianenſes.

Ambianenſes æquè rari: *S. Firminus* tempore Diocletiani ab Rictiovaro martyrio affectus *S. Eulogius* in Agrippinenſi Synodo 349. *S. Firminus*, alter, ſed Confeſſor, *Leonardus, Andoenus, Edibius, Beatus* in Aurelianenſi quinta Synodo, anno 549. Ita annos ferè 240. nonniſi ſeptem explêſſent Antiſtites. *Beato* ſubſtituitur *S. Honoratus* ſub Pariſienſi Francorum Rege Childeberto, quem anno Chriſti 458. fato functum alibi oſtendo.

Veromandui ſeu Noviomenſes.

Veromandui, qui hodie *Noviomenſes* ſunt, *Hilarius, Martinus, Germanus, Maximus, Foſſenius, Alternus, Hilarius II. Domitianus, Remedius, Mercurinus, Promotus, Sofronius* in Concilio Aurelianenſi primo, anno Chriſti 511.

Sophronius.

Atque hi ſunt primorum Belgicæ, quæ hodie Franco paret, Epiſcoporum Indiculi, ſi veri, ſanè valde interrupti: ſi manci, ut credo, parum certi.

9. Superſunt in Belgio noſtrate hodierna Cathedrales quatuor Eccleſiæ, Atrebatenſis, Cameracenſis, Tornacenſis, & Taruanenſis ſeu Morinenſis. Duarum poſteriorum nulli hoc ævo comparent Antiſtites.

Cameracenſes ſeu Bavacenſes.

Cameracenſes ſeu Bavacenſes *Superiorem* ſub Conſtantini aut filiorum ejus imperio Nerviorum habent Epiſcopum; *Atrebatenſes*

Atrebatenſes.

Diogenem circa Vandalorum irruptionem: Inde ad S. Vedaſtum, utrique nullum. Defecerant ii nimirum tot ac tantis barbarorum eluvionibus; & Franci idololatriâ adhuc, ut plurimùm tenebantur; tametſi Chriſtianos fide ſuâ liberè frui permitterent. Nec niſi ab iis, qui rerum potiuntur, ſolent plerumque perdita catùs ave reſtitui. Ægidio Militum Magiſtro, viro tam pio, reſtituendi, credo, non defuiſſet animus, ſi per aſſidua bella licuiſſet. Dum undique Majoriano abſumpto impetitur, iis quæ pacem requirunt, & ſacris intendere non potuit. Alioqui ſimile quippiam in pacatiora tempora deſtinaſſe vix dubito.

10. Cæterùm ſi in utraque Germaniâ Ciſrhenanâ ſeu Belgica, hoc tempore tot Baſilicæ reſtituebantur, aut de novo erigebantur, altaria ſaltem per Chorepiſcopos ſacrabantur, & ſimilia Eccleſiaſtica munia Leone ipſo Papâ teſte, exercebantur; quid de reliquis Belgicis prima & ſecunda præſumendum? Nam has quidem minùs limitaneas, eoque tanto magis à Tranſrhenanorum Francorumque adhuc idololatrarum commercio mixtioneque ſecretas tunc extitiſſe, nemo non intelligit. Prorſus in utrâque Belgicâ ſtrictè ſumptâ ſub Treverenſi Remenſique Metropolitanis adeò ferventibus, adeò ſub Ægidio animatis, magnum tunc Fidei incrementum ſplendoremque fuiſſe, pœnè certa illatio eſt. ſtetitque iſt Fidei vigor ſaltem, ad octavum deinceps annum, quo & ipſe ſtetit Ægidius, & petulantior Rex Childericus procul à Belgica trans Rhenum in Thoringia ipſa verſabatur.

Quamdiu ſteterit Ægidius fides ſtetit.

11. Per Eadem tempora, frequentiores in Galliis habitæ Synodi, neſcio quid priſcæ pietatis, & accuratioris Paſtorum diligentiæ ſignificant. In Viennenſi quidem Gallia ſupereſt *Concilium Regenſe* Theodoſio Aug. XVII. & Feſto Coſs. anno Chriſti 439. *Arauſicanum primum* Cyro Conſule, anno 441. *Vaſenſe primum* ſequenti anno Dioſcoro Conſule. Nec multò poſt *Arelatenſe ſecundum*. Item *Andegavenſe* in novi Epiſcopi Thalaſii ordinatione, Opilione Coſ. anno Chriſti 453. *Arelatenſe tertium* circa annum 455. *Turonicum primum* Severino Conſule, anno 461. in quo præter Suffraganeos, ejus ſedis Antiſtites, comparet *Manſuetus Britannorum Epiſcopus*; eorum ſcilicet qui ex Britannia Inſula à Saxonibus pulſi in Gallias ad Romanos transfugiebant: comparent item ex Aquitania prima *Leo Biturica civitatis Epiſcopus*; è Lugdunenſi ſecunda, *Germanus Rotomagenſis*; è Belgicâ ſecundâ, *Amandinus Catalaunica*. denique *Venerandus* incertæ ſedis. Ei præeſt S. Perpetuus Turonenſis; argumento manifeſto ante annum ab S. Martini exceſſu ſexageſimum quartum quem tamen præfinit Gregorius ipſe Turonenſis libro 1. cap. 6. Miraculorum S. Martini) ſeu ante annum Chriſti 464. imò & ante 461. præfediſſe. ideòque potiùs 54. quam 64. Et anno à S. Martini exceſſu quinquageſimo quarto ſubſtituendum. Sic enim aptè poſt 30. regiminis illius annos, eodem quo Rex Wiſigothorum Euricus anno, nempe Chriſti 484. vivis exceſſerit: quod ipſe quoque Gregorius Turon. l. 2. hiſtor. Franc. capite 25. innuere, & cap. 26. ineunte ſatis inſinuat. Præeſt item idem Perpetuus Concilio Venetico, anno proximè ſequente 465. habito; cui tamen ſubſcribunt innominatarum ſedium Antiſtites *Paternus, Albinus,*

Synodi quæ in Galliis habitæ. *Vide Galliæ-cana Sirmundi Concilia.*

Athenius, Nunechius, & Liberalis. Pro quibus omnibus videnda Sirmundi noſtri Concilia Gallicana, cum antiquis Manuſcriptis, diligenter comparata. Belgicæ per hos annos Synodi nullæ ſuperſunt; ſed neque in aliarum provinciarum Synodis ulli Belgæ comparent Epiſcopi, ante Aurelianenſem primam, anno Chriſti 511. celebratam. & adhuc, qui Belgæ ibi ſunt, non è Belgio noſtrate hodierno & Burgundico ſeu Auſtriaco; ſed è Francico ſolo ſunt. non exili conjecturâ, noſtrates Eccleſias & Paſtores, ſæculo hocce jacuiſſe; aut Francorum jugo preſſos, alio pedem efferre nequiviſſe.

In quibus nulli parent Epiſcopi Belgæ ante Aurelianenſem primam.

CAPUT XV.

Executiuntur anni Vitæ & Epiſcopatus S. Remigii.

1. SIgebertus in Chronico, S. Remigii Epiſcopi primordia ab anno Chriſti 471. dumtaxat educit. Eumque plerique omnes deinceps ſine ſeriori examine ſecuti ſunt. Primus (quod ſciam) Baronius anno Chriſti 541. ex ſucceſſoribus ejus immediatis, Romano Flavioque, errorem animadvertit. Nam Flavium ipſum Synodus Arvernenſis, anno Chriſti 535. ſub Theodeberto Auſtraſiæ Rege, qui patri Theodorico anno priore 534. ſucceſſerat, ſexto Idus Novembris, Poſt Conſulatum Paulini Junioris habita, Flavium inquã, Remenſem Epiſcopũ inter ſubſcriptos exhibet Epiſcopos. Inter Flavium & Remigium Romanum adhuc Sedis iſtius Indiculi interponunt. Demus Romanum iſtum uno dumtaxat anno ſediſſe Flavium item anno ipſo 535. primum inniſſe; nec enim minùs dare poſſumus. Anno tunc Chriſti 534. die Januarii tertia circa Remigius [illegible] eſt die mortualis Remigius [illegible] annis 74. præfuiſſe, Hincmari & aliorum receptâ opinio eſt. De annis ergo jam reliquis 532. ſi dedis, 74. demamus, reliquus erit annus Chriſti 458. Ita eo anno labente Epiſcopatum Remenſem Remigius iniiſſe. Nec feriùs ſane, ex hoc quidem argumento potuit. Sed neque citiùs ex ſequente.

Sigebertus & aliorum opinio.

Paſſim jam rejecta.

2. Sunt in Hiſtoriæ Francicæ corpore, anno Chriſti 1613. Hanoviæ edito, in Gallicanis item Sirmundi noſtri Conciliis, tomo primo, aliquot Remigii ſuperſtites Epiſtolæ: & in iis Tertia, ad Heraclium, Leonem, & Theodoſium Epiſcopos data; quorum primus Pariſienſis & ultimus Autiſſiodorenſis, Aurelianenſi Synodo Primæ, anno Chriſti 511. ſub Chlodoveo Rege, menſe ante mortem ejus quinto celebratæ, ſubſcripti reperiuntur. Leo igitur inter duos illos intermedius, ejuſdem ævi eſſe debet: & certè in Epiſtola quam ſub Theodeberto Auſtraſiæ Rege, Childeberto Pariſienſi ejus patruo, apud eundem Sirmundum Tomo primo Conciliorum, paginâ 258. poſt annum Chriſti 534. uno forte anno, poſt Aurelianenſem primam Synodum annis facile 24. ſcribens, *ſenem ſe & infirmum* dicit. aptè ad duorum collegarum ætatem. In eâ Epiſtolâ ad hos Epiſcopos datâ Remigius, *annis*, ait *53. Epiſcopali ſedi præſideo.* Et mox mortuo jam Chlodoveo hanc ſe Epiſtolam dare ſignificat, cùm ſubdit: *Ego Claudium Presbyterum ſceleratum corruptu,*

Maximè ex epiſtola ipſiusmet S. Remigii.

præmio,

ptamio, ſed præcellentiſſimi Regis teſtimonio; qui erat non ſolum prædicator Fidei Catholicæ, ſed defenſor. Moxque: *Regionum præſul, cuſtos patriæ, gentium triumphator injunxit.* Iſtis quidem epithetis Chlodoveum Regem deſignari, nemo dubitare poteſt.

Scriptâ ſtatim à morte Chlodovei Regis.

3. Rurſum reùm ait, *qui erat*, eum tunc mortuum ſatis ſignificat. Mortuus eſt Chlodoveus anno Chriſti 411. Novembris die 27. ut eo anno probabo. Ante illum igitur iſtius anni diem non potuit hæc ſcripſiſſe Remigius; potuiſſet tardiùs, ſi prius argumentum non obſtaret. Demus anni ſequentis 512. exordio ſcripſiſſe: tunc ut ait, *quinquaginta tribus annis præſidebat;* ſi non completis, certè labentibus. De annis 511. ſolidis ſubducti 53. reliquos dant 458. Igitur eo anno, Epiſcopatum Remigius iniiſſet; non ante; quando ante Chlodovei mortem anni iſti 53. retro volvi ſupputarive nequeunt. Sanè Epiſtolam iſtam ſtatim ab exceſſu Chlodovei ſcriptam vero propius eſt. nam terni hi Epiſcopi diu jam clauſam animi acerbitatem primâ quavis occaſione, qualis erat mors Regis, evomere non diſtulerint. Adde illos eſſe planè hujus ævi, ut ex Concilio primo Aurelianenſi de duobus jam oſtendi; De Leone verò etiam probat, illius inter utrumque poſitio. ejuſdem item Aurelianenſi Synodo ſecundæ & tertiæ, annis Chriſti 43[illegible]. & 438. habitis addita ſubſcriptio, & quidem jam *ſenis & infirmi.* Theodoſium autem Autiſſiodorenſem paulò pòſt Chlodoveum etiam exceſſiſſe, probat Autiſſiodorenſium Epiſcoporum Catalogus; qui illum inter & Eleutherium è ſucceſſoribus unum, Synodo Aurelianenſi ſecundæ, anno 433. ſubſcriptum, tres alios interſerit. Et tamen ab anno 511. ad 533. nonniſi 22. interfluunt anni quibus tres totos Epiſcopos infulciri, ac proinde Theodoſii mortem, non multò pòſt Chlodovei, conſtitui neceſſe eſt. & potuit Eleutherius ante annum illum 533. ſedem Autiſſiodorenſem obtinuiſſe.

Quæ ingreſſum Remigii in annũ Chriſti 458. ferè certò rejicit.

4. Ita Remigius anno Chriſti 458. ineunte ſi non & priore exeunte (dies enim ordinationis ejus mihi incompertus eſt) ſedem Remenſem conſcenderit; Leone primo ſeu Magno Papâ, Majoriano imperante; ab Attilæ primâ in Galliam irruptione anno ferè ſeptimo; Ægidio Militum in Gallia Magiſtro, Belgicæ præſidente, & Francis ad Romanum Imperium vix biennio antè revocatis. Fuit Remigius Belga, Æmilii Comitis Laudunenſis, & Ciliniæ, filius; S. Principii Sueſſionenſis Epiſcopi frater natu minor. Quare anno Chriſti ferè 436. natus fuiſſet. paucis annis Sidonio Apollinari ætate poſterior; ſed Epiſcopatu fac[illegible] duodecim anterior. Ceterùm ut Sidonius educatio Arvernos & Lugdunenſem Primam; ſic & Remigii Laudunum ac Belgicam noſtram Secundam non parum illuſtravit; quantumque fide Chriſti & eruditione tum clareret utraque, abundè docet. Atque hanc noſtram de S. Remigii ætate, & ordinatione ſententiam ante 20. annos conceptam P. Godefridus Henſchenius noſter, in docta ſua De Trajectenſi Sede Epiſcopali Diatribe ad me benevolè tranſmiſsâ, uno fere anno prævertit; parvo diſcrimine; præſertim in re tam antiquâ, tam variis Scriptorum opinionibus hactenus involutâ.

CAPUT XVI.

Majoriani mors, Severi ſucceſſio. quem Ægidius in ulteriore Gallia non agnoſcens, diverſis bellis agitatur.

Anno Chriſti 460.

1. NUnc ad ſæcularia regredior. Jam Majoriani navalis trium annorum apparatus, quorumdam, ut ex Idatio dixi, proditione, ſi non in fumum certè in longum abierat. De quo præter di[illegible] ita etiam in excerptis Priſcus pag. 68. *Majorianus in Africam trecentis ferè navibus ſibi coactis, cum magno exercitu penetrare tentavit.* *Sed Vandalorum Dux Genſericus, primò legatos miſit, qui illum, ſi quæ eſſent inter eos controverſa, amicè tranſigere paratum eſſe dicerent. Quod ubi obtinere non potuit; Mauruſiorum terram, in quam ex Hiſpaniâ Majoriani navales copiæ appulſuræ erant, omnem igni ferroque vaſtavit, & quacumque ratione potuit afflixit, aquas etiam infecit.* Sed nihil illis opus fuit. proditorio primum navium incendio, ut dixi, tum morte [illegible], Majoriani expeditio ſucciſa. Et Genſericus incendii occaſione prudenter, ut ſolebat, uſus, *à Majoriano per legatos pacem poſtulat;* ait Idacius, anno Majoriani quarto id eſt Chriſti 460. & quantum ex Priſci reliquiis perſpicio, eâ impetratâ fœdus iniit.

Majoriani [illegible] ad [illegible] uſta.

2. Ad tanti belli exitum totus pependit Occidens nullo aut modico motu. Ubi metus ſolutus, viſa revireſcere Barbaries. Suevi ſolito more perfidiæ tametſi Maldram principem ſuum ingulatum menſe Februario vidiſſent, & à Sunerico Nepotianoque Comitibus vaſtarentur; tamen Aquæ Flavienſem urbem & conventum grandi evertunt excidio, Idatiumque Epiſcopum ſeptimo Kalendas Auguſti capiunt, & poſt tres Menſes liberum Novembri dimittunt. quæ fuſiùs narrat idem Idatius. In Galliâ Alanos (Armoricanos credo; quando Valentini Sambidiani cum Burgundionibus Sabaudis coaluiſſe videntur) hoc anno movere cœpiſſe, innuit Jornandes, uti mox. ſed ab Ægidio pacatos, aut tantiſper retentos exiſtimo.

[illegible] de [illegible] Genſerico [illegible]

Suevi [illegible] Gallæciam vaſtant.

[illegible] Alani Armoricani.

3. Severino igitur & Dagalaipho Coss. anno Chriſti vulgari 461. Leo primus Papa, merito & cognomine Magnus 3. Idus Apriles, nempe feriâ tertia majoris Hebdomadæ naturæ munus implevit, eique ſuffectus Archidiaconus Hilarus. cui jam ante Canonem ſuum Paſchalem conſecrarat Victorius Aquitanus. Majorianus Arelate priores hujus anni menſes egit; Circenſes, & epulum edidit, cui Severinus hujus, & Magnus prioris anni Conſules, una cum Sidonio aliiſque adfuerunt *Tunc in Alanos, qui Gallias infeſtabant movit procinctum.* ait Jornandes Getic. cap. 46. Alanos dubiæ [illegible] gentem, ante decennium Attilæ bello vidimus. Sive igitur ſuo id eſt barbarico more, ultro ex infelici Majoriani expeditione; ſive à Genſerico (qui Alanorum quoque ingenti ſecum multitudine in Africam tranſgreſſorum Regem ſe dicebat) ſolitis artibus contra Majorianum incitati; quod

Annus Chriſti 461. Leo Papa moritur. ſuccedit Hilarus.

Majorianus in Alanos Armoricanos, trans Ligerim movet.

magis reor; *Gallias infeſtabant.* Et Majorianum per Ægidium Militiæ Magiſtrum bellum apparaſſe, vix dubito, quo illos aut extingueret, aut ſicut Francos, Rege proprio, hoc tempore ſpoliatos, Romano Imperio planè ſubiiceret. ſicque infauſtam Africæ expeditionem Gallicana feliciore penſaret.

Sed prius in Italiam excurrit.

4. Sed prius in Italiam excurrere conſtituit fato longè infeliciore. Nam ut Idatius in Chronico: *Majorianum de Galliis Romam redeuntem, & Romano Imperio vel nomini res neceſſarias ordinantem, Rechimer livore percitus, & invidorum conſilio fultus, fraude interficit circumventum.* Enucleatiùs Anonymus apud Onuphrium Chronographus: *Depoſitus eſt Imperator Majorianus à Patricio Ricimere Dertonæ, 4. Nonas Auguſti; & occiſus eſt ad fluvium Hiram 7. Idus Auguſti.* Hunc exitum immaturum prorſus & indignum habuit Majorianus: cui, ſi diutiùs ſuperſtes extitiſſet, integram omnes Occidentalis Imperii reparationem augurabantur. Sed jam fatalis terminus aderat; & 12. vulturum a Romulo viſorum prognoſticon impletum erat: de quo Varro narrabat ea Vettio Augure ſe audiſſe, *ſi ita eſſent, ut traderent hiſtorici, de Romuli Urbis condendæ auſpiciis, ac duodecim vulturibus; quoniam CXX. annos incolumis præteriiſſet populus Romanus, ad mille ducentos perventurum.* Annus quidem iſte Chriſti 461. erat U. C. Varronianus ſupra milleſimum ducenteſimum quartuſdecimus. Verum tanta Imperii moles uno velut ictu diſſilire non poterat; ſenſim & per partes diſſolvi oportebat: nec tamen ſupra illum 1200. annorum numerum, plures quam 30. recenſuit. Supra Majoriani verò cædem, non niſi quindecim.

Ubi à Ricimere cæditur. Dertonæ, 7. Auguſti.

Ejus Elogium.

Apud Cenſorinum de die nat. c. 17.

Annis tantum 15. ante Imperii Romani finem peremptus.

Succedit Severus.

5. Majoriano Ricimer barbarus & Arrianus (ait Baronius) duorum jam principum ſanguine cruentus, *Severum natione Lucanum Romæ ſuccedere fecit in regnum.* & quidem juxta Onuphrii Anonymum, *13. Kalendas Decembris* poſt [illegible] Turonenſis Synodus inchoata; octavo poſt [illegible] rum Papam ordinatum die [illegible] oque dom[illegible]o; aptè ut inter Chriſtianos. Addit Idatius: *Auguſtum hunc à Senatu Romæ appellatum, anno Imperii Leonis quinto.* Ita inter Majoriani cædem, & Severi ingreſſum interregni dies omnino 104. interfluxerint; magno haud dubiè jam ruentis Imperii detrimento. Quomodo enim illud circumvallantes barbari tanta occaſione quieſcerent?

poſt interregnum dierum 104.

Romanorum a ſeipſis diſſenſio.

6. Sed neque ipſis inter ſe Romanis ſatis conveniebat. Primùm enim Ægidius Militiæ in Galliis Magiſter, Majoriani cædem ægerrime tulit; Severum Imperatorem nunquam agnovit, ei juxta ac Ricimero ejus creatori infeſtiſſimus. Unde Priſci excerpta pag 68. *Hic vir* (Ægidius, non ut ibi mendosè legitur, *Nigidius*) *magnum exercitum habebat ex Gallis, qui in Hiſpaniam moventes ſub Majoriano militaverant: & ob cædem Imperatoris, erat Romanis* (Ricimero ſcilicet, Severo, ac Senatui) *infenſus.* Exercitum ſcilicet Majoriani, quem in Hiſpaniam moverat, ſibi retinebat, [illegible] variis [illegible] gentibus [illegible] poſitum; Belgis item ſuis, ac denique Francis auctum, tanto [illegible] ſi [illegible] oribus, quo [illegible] ut ſubditis utebatur, quoque minus illi [illegible] ſſe cum Severo & Ricimere commodum ac ſocietatis intelligebat. Quin & Alanos tranſl[illegible] rat os, in quos Majoriani juſſu procinctum moverat, novo ſibi fœdere adeo conjunxit, ut eos non modo ſocios & auxiliares haberet, ſed etiam in Italiam contra Severianos immitteret.

Ægidii à Severo & Ricimere, ob cædem Majoriani

uti mox. Ita Gallia ulteriore, ſeu Borealiore, à Pictavis Viſigothorum conterminis ad Oceanum & Rhenum uſque ſibi aſſertâ; ad Auſtraliorem & citeriorem, puta Lugdunenſem primam & quintam, Viennenſes ſeu Narbonenſes omnes, & Aquitaniæ primæ reliquas Romanis civitates, Biturigas nimirum & Arvernos, oculos animumque convertit. & tentaſſe quidem ſi non & obtinuiſſe vix dubito.

7. Sanè in quadam illum Rhodani urbe his diebus obſeſſum, vixque Sancti Martini invocatione liberatum, intelligimus ex Paulino Petrocorio, dum lib. 6. vitæ & Miraculorum Sancti Martini, ita canit: à verſu:

Ægidius in quadam Rhodani urbe obſidetur.

Illuſtrem pietate virum; ſed moribus almis
Plus clarum, magnúmque fide quà celſior extat,
Ægidium (nota viri virtutes) *hoſtilis vallaverat*
agmine multo
Obſidio; objectis quæ mœnia ſepſerat armis,
Auxilia excludens, & clauſos viribus urgens,
Ut minus obſeſſis faceret diviſio robur,
Nec jungi ad bellum ſocialia caſtra liceret.
Verùm præſidio Domini (Martini) *dejecta fugantur*
Millia: & egreſſum portis bipatentibus agmen
Reſtaurat ſolidas ſecuro Principe (Ægidio) *vires.*
Interea trepida vicinia mœſta pavore,
Pallebat tanti proceris diſcrimine, & omnis
Anxia pendebat populorum cura paventûm:
Dum ſe quiſque putat ſimilem perferre procellam,
Inque uno nutat quidquid conſiſtit in uno.
Ergo aliquis forte ex illis, quos tetrior ira (id eſt
atra bilis)
Traxerat ad votum ſorbendi in cæde cruoris,
Præcipiti, ad nutum Domini (Martini) *quaſi turbine raptus,*
Præcedenſque citos tranſ flabra & nubila ventos,
Geſtorum ſeriem captivo è corpore prompſit:
Obſidione urbem Martino orante ſolutam,
Atque ipſi donaſſe Deum populúmque Ducemque.
Mox patuit manifeſta fides, ſeriemque probavit
Ipſe dies, eadem hora fuit, nihil ordine verſo,
Invitumque hoſtem nil fallere pœna coegit.
Ut Balaam cupiens domini maledicere plebem,
Extorquente Deo cœtum benedixit ovantem.
Haud alio, penituſque ipſo rerum ordine venit
Nuntius, illam urbem tantâ obſidione ſolutam,
Præcipitem Rhodanum molli qua ponte ſubegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas,
Ut ſiccum præberet iter, quod puppibus inſtat
Deſuper, & preſſo nutans via pendet in amne.
Hanc quoque præſenti ſociatus, Sancte, patrono
Eripis, & cogis trepidum, tua vota fateri,
Quæ nollet donata tibi. [illegible] reus attulit Euro
Ocyor admiſſa optata ſpecularia caſu.
Hac quoque [illegible] patefecit calculus horæ,
Ipſo, ut res docuit, completa & prodita puncto.

Multorum timores.

Sed dæmoniacus quidam obſidionem ſolutam narrat.

E cœlo coactus, ut Balaam.

8. Iſta omnia Paulinus Petrocorius ad Perpetuum Turonenſem his etiam annis Epiſcopum, quæ ſic Gregorius Turonenſis, libro primo Mirac. S. Martini cap. 2. in pauca contrahit: *Ægidius, cùm obſideretur ab hoſtibus, & excluſo à ſe ſolatio* (ſeu ſubſidio) *turbatus impugnaretur; per invocationem beati Martini fugatis ſubitá eruptione hoſtibus, liberatus eſt. Idque Dæmoniacus in medio Baſilicæ* (Sancti Martini ſcilicet Turonibus) *ipsâ horâ, quâ geſtum fuerat, eſt profeſſus, Sancti Martini obtentu hoc fuiſſe conceſſum.* Neuter Urbem, neuter hoſtem, neuter tempus determinat, quo obſeſſus Ægidius, & à reliquo ſuo

ſecluſus

Urbem iſtã Arelatum fuiſſe, putat Sirmundus. *In Epiſt. 12. l. 7. Sidonii, pag. 130.*

ſeclusſus e xercitu, tantum diſcrimen ſubjit. Solus Paulinus urbem ad Rhodanum ſitam, & ponte jonctam tradit. Uode Arelatum credidit Sirmnndus, non improbabiliter, refertqne ad Majoriani Imperium.

Quod ad examen revocatur.

9. Imprimis quoad tempus, poſt Majoriaoi necem referre malui; quia ſub Majoriano adhuc Imperatore nec Ægidius Princeps, nec in eo uno omnia outaſſe aut conſtitiſſe, commodè dici poteſt; ſuperiore ſemper & potiore Majoriano: poſt mortem longè commodiùs, cùm Ægidius in Galliâ, Severo Ricimeroque contemptis, rerum nnus fere potiretur; ab ulterioribus certè Gallis, ſpeciatim Toronenſibus, ſolùs agnoſceretur. Urbem verò, fateor Arelatum accipi commodè; præſertim cùm videam Paulinum hìc Auſonii veſtigiis inſiſtere, cùm de Arelato ita canit:

Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Ut mediam faciat navali ponte plateam.

Nec dubitem, quin cæſo Majoriano illius in Gallia Magiſter Militum Ægidius, Dominum ſuum & Imperatorem ulciſci certus, in gentis ſtatim caput oculos animnmque converterit, præſidioque, tùm fortè, ut ſæpiùs aliàs, præſens inſederit.

An potius Lugdunũ?

10. Lugdunum tamen, urbem æquè ad Rhodanum, æquè ponte ſupra eum celebrem, ſimul Gallis ulterioribus ac Francis, quibus tùm maximè nitebatur Ægidius, propinqniorem, eoqoe teneri faciliorem, non incommodiùs fortè caperemns. Sed utcumque de urbe ſit, boſtem hic Viſigothum ac Burgundionem, unà cum Gallis Viennenſibus, Sequanis ferè certus accipio. Unde enim potiùs tantæ, tamque ſubitæ Gallis, Majoriani tum exercitu nudatis, vires ac copiæ? Nempe Ricimer ac Severus Majoriani parricidæ, cùm Ægidium tantum virum tantisque pollentem viribus, non inſulsè ſibi adverſaturum prævidiſſent; bos illi boſtes quà prece, quà pretio jam ante paraverant, per ſe alioqui ſatis in Majorianum Ægidiumque ſtimulatos, & finium producendorum ſemper avidos. Simul Agrippinum in Gallias ſubmiſerant, æquè Gallum civem, Comitem, jamque antea ſub Valentiniano Imperatore etiam Militiæ Magiſtrum, ut in Aoiani Aurelianenſis Epiſcopi vita legimus; ad hæc Ægidio gentilibus eoque acrioribus odiis inimicum. Qui ut advenit, cum Theodorico Gothorum Rege ita pactus eſt, *ut quo ejus mereretur auxilia*, *Narbonam* illi, teſte Idatio, *tradiderit*. Unde & Sidonius hoc tempore florens, iſtaque oculis uſurpans, ſic ad Conſentium Narbonenſem recentiſſimè in Theoderici jura cum patria tranſlatum, ita pangit Narbonem alloquens verſu 69. & ſeqq.

Severus Imperator ac Ricimer Theodoricum Wiſigothum ſibi contra Ægidium aſſumunt.

ut & Agrippinum Comitem.

Narbonam Theoderico tradunt.

Hunc te (ô Narbo) *Martius ille rector, atque*
Magno patre prior, decus Getarum,
Romanæ columen ſalúſque gentis,
Theudoricus amat, ſibique fidum
Adverſos probat antè per tumultus.

Gunduico autem Burgundioni alias civitates.

11. Ecce nt accepto Narbone Theodoricus, ita Ricimero Severoque Romam teneotibus adhæſit; ut Romanæ gentis columen ſalusque dicatur à Sidonio; quem proinde cum ſuis Lugdunenſibus Severo junctum, Ægidio contrarium fuiſſe neceſſe eſt. Nec aliud de Gunduicó Burgundionum Principe judicandum. Theodorico ille contra Suevos ſub Avito Imperatore in Hiſpania auxiliaris fuerat, Majoriano poſtmodum ob Aviti abdicationem ac proinde Ægidio pariter infeſtus. tametſi pax inter eos poſtea coaluiſſet. Priſcas igitor ut ſuſcitarent iras Severus, Ricimer & Agrippinus, eò minùs laborarunt, quò & illi novas circa Sabaudiam ac Rhodaonm civitates ultro addiderunt, ſimul Magiſtri militnm dignitate, vel Agrippino Comite poſthabito, illuſtrarunt. quemadmodum ex Hilari Papæ nonâ ad Leontium Arelatenſem epiſtolâ hanrimus, Baſilio Cos. datâ, id iſt anno Chriſti 463. Severi Imperatoris ſecundo nodum evoluto.

CAPUT XVII.

Ægidii contra hoſtes magnanimitas, & bella.

Anno Chriſti 462. 463. 464.

Ægidius Galliam ulteriorem ſibi ſervat ac tuetur.

1. HIſce igitur hoſtibus acrioribus adverſum ſe immiſſis Ægidius, primũ Arelati Lugdunive ad Rhodanum obſeſſus, inde S. Martini ope, eruptione feliciter tentatâ, copiis auxiliaribus quibus illum boſtes excluſerant de integro junctus; *Citeriorem* Galliam, Viennenſem puta & Lugdunenſem primam, quintamque Severo reliquiſſe dimiſiſſeque videtur; *ulteriorem*, tres nempe reliquas Lugdunenſes, ac Belgicam totam cnm Francis ſibi tutiùs aſſertutus. & ab hoc maximè tempore Burgundioonm res, ſicut & Viſigothorum augeri cœptæ; nullo non eis indulto, adeóque ultro forſan oblato, qoo adverſus Ægidium primò, mox etiam contra alios auxilia ſuggererent.

Auxiliares Alanos & Saxonas ſibi adjungit.

2. Eò acrior Ægidius non Alanos modò nt dixi, ſed Britannos in Armoricam jam trangreſſos, ſibi ſat addictos, imò & Saxonas aut Saxonum quoſdam, quorum pars tum Britanniam tranſmarinam invadebat occupabátve, pars Oceanum, & varia illius littora, varias inſulas pyraterio incurſabat & infeſtabat, firmâ ſibi ſocietate adjunxit: quod præter iufirmitatem ſuam perſuadebat gentis obviæ propinquitas; maximè quæ Odonacrto Duci vago parebat. Fœdere igitur icto, Odouacer cum ſuis, *hoſte*, id eſt claſſe *navali* (ut prior Gregorii epitome cap. 8.) ex Oceano Ligerim flovium invectus, Andegavos nſque venit: civitatem eam ac vicinas pro Ægidio ceu auxiliaris ac fœderatus, pignorísve loco tenuit, & contra Gothos defendit. Unde & Ægidio poſtmodum mortuo, obſides de illis, etiam Gregorio Turonenſi lib. 1. c. 18. teſte, ſtatim accepit, tanquam eorum locorum Rectore aut Imperatore mutato, de incolarum fide parum certus.

Odoacrius Saxonum Dux, pro Ægidio. hoſte, *gallice* Oſt.

Genſericum quoque ſibi Ægidius adſciſcit.

3. Neque vicinioribns hiſce auxiliariis contentus Ægidins; ad longinquiores etiam Wandalos in Africam conſilia vertit: fœdus cum eorum Rege Genſerico, regnandi jam vetere, ſanxit: ut Severum ac Ricimerem ille ab mediterraneo mari; ipſe ab Alpibus Rhœticis per Alanos adgrederentur. quod & factum: nec enim Genſericus ſponte currens impellendus erat. Unde Priſci excerpta, p. 144. prorſus ad hæc tempora, qnia ſtatim à Majoriani cæde: *Genſerichus*, inquit, *cùm non ampliùs fœderibus cum Majoriano ſtare conſtituiſſet* (ejus nempe exceſſu ſolutis) *Wandalorum & Maurnſiorum* Africanorum *multitudinem*, *ad Italiæ Siciliæque vaſtationem immiſit*. *Marcellinus enim jam ante Inſulâ ceſſerat*

Qui quidnã tùc gereret, tradit Priſcus.

(quò nimirum eùm contra Wandalot Majorianus impulerat) *propterea quod majorem exercitûs ſui partem ei Richimerus abduxerat, & militibus ejus, qui ferè omnes Scythæ erant, pecunias largiri in animo habebat, quo illos à Marcellino deficere perſuaderet. Itaque Marcellinus Siciliâ exceſſerat; veritus tum inſidias, tùm verò ne ſi cum Richimero certandum foret,* (cui nimirum jam, ut Ægidius, hoſtis erat) *ſalvis ſibi Inſulæ opibus minimè ſe recipere poſſet. Miſſa eſt igitur ad Genſerichum legatio, tam à Richimero ut fœdera violaret; quàm ab Orientali Romanorum Imperatore* (Leone) *ut ab Italiâ & Siciliâ abſtineret, & regias mulieres redderet. Genſerichus verò, multis ad ſe, ex diverſis partibus* (nempe ut dixi, ab Ægidio & Wiſigothis) *Legatis miſſis, non antè mulieres liberavit; quàm majorem natu filiarum Valentiniani Eudoxiam Honoricho filio deſponderet.* de quo anno proximo. Ita pluribus adverſus Ricimerem & Severum munimentis ſe firmabat Ægidius.

Ad eum Ægidii legatio.

Annus Chriſti 462. Eclipſis Lunæ ex Idacio.

4. Igitur anno Chriſti 462. quem Idacius Æræ Hiſpanicæ *quingenteſimum* vocat: quo & *Eclipſin Lunæ ſexto Nonas Martias, feriâ ſextâ, pullorum cantu*, ſeu paulò pòſt mediam noctem contigiſſe, rectè ſcribit: & *Genſericum* addit *Valentiniani relictam*, ſeu viduam *Conſtantinopolim remiſiſſe; è filiabus ejus unam Gentoni* (aliàs Honoricho) *aliam Olybrio urbis Romæ Senatori jure matrimonij copulatam;* uti jam quoque ex Priſco audivimus; *Anno*, inquam, *462.* Ægidius, obſidione jam ſolutus, ſuiſque redditus; Alanis, ut dixi Saxonibuſque ſibi fœderatis, Italiam invadere inſtituit. Quod ut Ricimer & Severus averterent, non Burgundiones modò ſibi conciliarunt, eorum Rege Gunduico Militum Magiſtro in locum Ægidii conſtituto; ſed & Theodoricum Wiſigothorum Regem in ipſum priùs Ægidium immiſerũt; Narbona illi per Agrippinum Comitem & civem hoc eodem anno Chriſti 462. ultrò traditâ. quod, ut ſuprà monui, diſertè teſtatur Idacius. Pictavis item, quantum ego quidem video, ut vicinis ad ſiniſtram Ligeris ripam civitatibus, illi velut pignoribus oblatis: maximè poſtquam Odoacrium Saxonem ad ipſa loca per Ligeris oſtium adveniſſe aut advenire intelligerent. Ita *Ægidium* (ait Priſcus in Excerptis) *ab Italiæ bello appetendo avocavit ortum illi cum Gothis in Galliâ diſſidium. De conterminâ enim regione* (puta Pictonum & Ligeris accolarum) *cum illis certans, fortiter quidem bellum geſſit; in quo multa viri ſtrenui & magnanimi opera edidit;* ſed in Italiam ipſe tranſire non potuit.

Ægidii & Severi auxiliares.

Narbona Theodorico Wiſigotho traditur: ut in Ægidium moveat.

Annus Chriſti 463. Et movet: ſed infeliciter, fratre ſuo cæſo

5. Quæ fuerint autem iſta viri ſtrenui opera, Scriptorum inopia caligine obduxit. paucæ ſuperſunt reliquiæ. Idatius hoc tantùm, planè ad annum Chriſti 463. *Adverſus Ægidium Comitem utriuſque militiæ*, jam antè à Majoriano conſtitutum, & adhuc pro mortuo ſtantem, *virum ut fama commendat Deo bonis operibus complacentem, in Armoricanâ provinciâ Fretericus frater Theuderici Regis inſurgens, cum his cum quibus fuerat ſuperatus occiditur.* Ita ille, magnam cruentamque, ſed Ægidio felicem tangens pugnam, non ante annum Chriſti 463. initam; quando Hilarius Papa, ſeptimâ ſuâ ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum *Epiſtolâ, Nonis Novembris;* & quidem ut ex ſequenti ejuſdem epiſtolâ octavâ, *Severo Auguſto Conſule*, ſeu anno 462. datâ, *Fridericum magnificum virum*, planè hunc ipſum Theudorici fratrem, adhuc Narbonâ jam traditâ ſuperſtitem diſertè teſtatur. Locum pugnæ in Armoricanâ provincia, à Gothis ſolo Ligere fluvio diviſâ, Idatius notat. nempe, quod ex Priſco jam audivimus, cùm eſſet *de conterminâ regione certamen;* quod item confirmat ex Odouacrio Turonenſis lib. 2. cap. 18. quando eum *hoſte navali*, Gallicè *Oſt*, nempe per Ligeris oſtia, Andegavos pro Ægidio adveniſſe ſignificat.

6. Hæc jam ſtatueram: cùm Marii Aventicenſis Epiſcopi Chronicon è tenebris à Chiffletio noſtro recenter editum in manus venit; & hæc nobis conſona dicit: *Baſilio & Bibiano Coss.* hoc ipſo Chriſti anno 463. *pugna facta eſt inter Ægidium & Gothos; inter Ligerim & Ligerecinum*, amnes, *juxta Aurelianos. Ibique interfectus eſt Fredericus Rex Gothorum.* Liger fluvius ingens notiſſimus eſt: Ligerecinus, quaſi parvus Liger, hodie Gallicè *Loirette*, in Carnutibus ortus, per Dunum, Vindocinum, & Flexiam decurrens, Meduanæ primùm flumini, paulò ſupra Juliomagum Andegavorum, hodie *Angers*, mox paulò infrà Ligeri magno confunditur. Pugna igitur iſta inter hunc Ligerecinum parvum & Ligerim majorem, Aureliâ non procul, commiſſa, plane in ea Bleſenſis territorii parte, quæ ad Armoricam pertinet.

Propè Aureliam, juſtâ pugnâ.

7. Quare victor Ægidius, Ligeri majore tranſmiſſo, bellum in ipſam Gothorum ditionem intulit; & oppida primùm obvia obſidere cœpit. Inque iis Cainonem, hodie *Chinon*, in Turonibus ad Vigennam ſitum. De quo ita Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum cap. 22. *Fuit quidam religioſus, & virtutibus & nomine Maximus, noſtri Martini diſcipulus, qui ad caſtrum Cainonenſe urbis Turonicæ veniens, monaſterium conlocavit. Quod caſtrum, cùm ab Ægidio obſideretur; & populus pagi illius* (Gallicè, *de ce pays*) *ibidem eſſet incluſus; hoſtis* (Ægidius) *adverſus effoſſum à latere montis puteum, quem obſeſſi ad uſum habebant putei, obturat. Quod cùm antedictus Dei famulus, qui tunc cum reliquis intra caſtri munitionem concluſus erat, cerneret, videretque populum conſumi injuriâ, orationem fudit ad Dominum, ut reſpiciens populum, hoſtes improbos effugaret; & non pateretur eos ſitu ardore conſumi. Quod obtinuit. Nubes quippe ſubitò texerunt cælum; & deſcendit imber magnus de cælo, cum tonitruis & coruſcationibus ſuper caſtrum, duplum populis beneficium præbens; pluviâ arcens ſitim, fragoribus effugans hoſtem. ſicque obtentu Sacerdotis, fugatis adverſariis, populus fugatus à caſtro diſceſſit.* Hæc ibi. Quibus intelligimus, primò, circa Aurelianos & Turonas, ut dixi, bellum hoc geſtum. Secundò Cainonem non ab Ægidio, ſed à Gothis, aut iis juncto Severo adhuc ſtetiſſe: certo ferè inſuper argumento, Pictavos quoque, & finitimos, Gothorum veriſimiliter ceu Romanis ſubſervientium præſidiis, contra eumdem Ægidium inſeſſos. Tertiò denique, Ægidii milites hic hoſtes improbos appellari; quia ex diverſis gentibus, iiſque Ethnicis & barbaris, puta Saxonibus, warnis, Herulis, Alanis, Francis, aliiſque collectos. Nec plura de Armoricano hoc Ægidii contra Wiſigothos bello, hoc quidem anno Chriſti 463. reperio. Nam quæ idem Gregorius libro hiſtoriæ Franc. ſecundo, cap. 18. ſubdit, ad annos ſequentes pertinere videntur; quibus ea referemus. Atque hæc in Galliis Ægidius.

Unde Ægidius victor Ligerim tranſit.

& Cainonem obſidet.

8. In Italia enim nihilo minus Ricimerem & Severum Majoriani parricidas ulturus, ire ipſe, ſicut

Annus Chriſti 464.

optabat

Ægidius etiam in Italia Ricimerem ac Severum, Majoriani parricidas impetit.

optabat non potuit. Alanos tantum Armoricanos in eos loco ſuo prudenter immiſit. Qui ſi vincerentur, vile damnum; imò lucrum ſciebat; barbaris iſtis Galliarum parte levatâ. & quoniam Alpes, Cotiæ, Penninæ, Viennenſiſque tota à Severo ſtabant, & acri Burgundionum eidem fœderatorum præſidio tenebantur; per Helvetios ſibi adſcitos eos primum immiſiſſe videtur; unde mox Bergomi reperiuntur, ubi tamen ſiniſtram fortunam experti ſunt.

Alanis è Gallia immiſſis.

Nam Innominatus apud Onuphrium Chronographus, Caſſiodori, Marcellinique Chronica ſic ea de re loquuntur: *Ruſtico Olybrióque Conſulibus occiſus eſt Beorgor Rex Alanorum Bergomi ad pedem montis, octavo Idus Februarii.* haud dubiè à Severo & Ricimere ejus Patricio. Eſt id tempus anni à Chriſto 464. initium, nempe *6. Februarii.* Cumque vix ante annum priorem, nempe 463. Ægidius, eos immiſerit; vix ſupra hyemem unam, & ſi forte autumnum, Italiam, aut Italiæ potiùs extrema Alani vaſtare potuerint. Unde Jornandes Getic. cap. 45. *Ricimerem virum egregium & penè tunc in Italiâ ad exercitũ ſingularem, multitudinem Alanorum & eorum Regem Beorgum in primo ſtatim certamine ſuperatos internecioni proſtraviſſe* apte notat; tametſi id Anthemii juſſu factum mendosè addat; cum Severi potius, ex notatis Conſulibus, dicere debuiſſet. Si primo *ſtatim certamine ſuperati ſunt Alani*, Italiam neque diu vaſtare, neque multum inire potuerint. & qui cæſi non fuerint, domum in Armoricos cedierint: non ſine aliquo auctoritatis Ægidii detrimento.

Genſericus & Vandali in Severum ac Ricimerem inſurgunt.

9. Eum tamen timorem Romanis iſte barbaræ gentis ex Alpibus deſcenſus intulit: ut Priſcus ideo ſcribat, pag. 69. *Erant tunc temporis Romanorum res variis modis afflicta, hinc ab Africâ marive Wandalis, illinc*, à Galliis & Alpibus, *Ægidio imminentibus.* Proſſus, ut *Romani Heſperii legatos ad Orientales mitterent, ut ſeſe à Marcellino* (quem etiam ſibi probabiliter Ægidius adjunxerat) *& Vandalis liberarent. Et ad Marcellinum quidem Philarchus miſſus ei perſuaſit ne in Romanos arma moveret. Hinc ad Vandalos deflectens, nihil quicquam profecit, eóque rediit. Genſerichus enim non aliàs bellum poſiturum ſe minatus eſt, niſi ſibi Valentiniani & Aetii bona traderentur. Etenim ab Orientalibus* (pace nimirum cum iis factâ) *bonorum Valentiniani partem obtinuerat, Honoria* (ſeu junioris Eudoxiæ) *nomine, quæ Honoricho ejus filio nupſerat.* Quod idem infrà, pag. 145. ita explicat: *Italiam & Siciliam Genſerichus vaſtare non deſtitit: ſed multo magis poſt mortem Majoriani, cùm Olybrium ad Occidentis Imperium, propter affinitatem ex nuptiis, evehere cogitaret. Atque hanc belli* (pergit pag. 69.) renovandi occaſionem ſingulis annis *uſurpabat. Itaque ſimulac ver appetiit, infeſto exercitu Siciliam & Italiam invaſit* (anno opinor 463. quo & Ægidius Fredericum in Armoricana provincia prælio occidit, & Alanos trans Alpes impulit.) *Et urbes quidem Italorum præſidiis firmatas non facile oppugnavit; ſed oppida militibus deſtituta circumveniens & diripiens evertit. Nec enim ad omnia, quæ Vandalorum invaſioni patebant, tuenda ſufficere poterant Romani propterea quòd hoſtium multitudine* (Ægidii ſcilicet, Alanorumque è Galliis; & paulò antè etiam Marcellini in Sicilia, Suevorum in Hiſpania) *opprimebantur. Denique copiis navalibus carebant: quas cum à Romanis Orientalibus petiiſſent, non impetrarunt; quia fœdus cum Genſericho fecerant. Ea res, diviſa ſcilicet Imperii adminiſtrandi ratio, magno detrimento Romanorum Occidentalium rebus fuit.*

9. Unde mox ſubdit: *Legatio ab Italis* Conſtantinopolim ad Leonem Imperatorem *venit; quæ doceret, Res Italas ſtare non poſſe, niſi Vandalos & ipſi ſibi reconciliarent.* præſertim cum & ipſi jam cum Ægidio in Italos conſpirarent: ut ex Idatii Chronico haurimus; ad annum Chriſti 464. ita ſcribentis: *Menſe Maio Ægidii legati per Oceanum* (credo è Ligeris oſtio) *ad Vandalos tranſeunt. Et eodem curſu Septembri menſe revertuntur ad ſuos.* Genſericum ſcilicet incitantes, ut ſecum in Romanos bellare pergerent, nec adverſo Alanorum caſu frigeſcerent. Quo eodem anno, addit Idacius: *Decimo-tertio Kalendas Auguſti, Feriâ ſecundâ, in ſpeciem Lunæ quintæ, Sol de lumine ſuo ab horâ tertiâ in horam ſextam cernitur minoratus.* Ita Ægidius per ſe ſuoſque fœderatos, ſtrenui viri opera edebat; & Majoriani mortem vindicabat. Adeoque Ricimerem ac Severum, Gothos & alios in ſe concitavit; ut de Childerico Franco exule revocando, & contra eum in regnum reſtituendo conjurarint, & hoc ipſo Chriſti anno 464. reſtituerint, quod ſequens caput edocebit.

& cum Ægidio cõſpiraſſe videtur.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER DECIMVS-OCTAVVS.

Ab anno Chriſti 464. ad 477. & Genſerici mortem. Per annos fere 13.

CAPUT PRIMUM.

Childericus à Francis ſuis revocatur, Ægidium prælio ſuperat, qui paulò pòſt Sueſſione moritur.

Eodem Anno Chriſti 464.

Ægidius ob bella Francos tributis gravat.

ÆGIDIO contra tot tamque pertinaces ac validos hoſtes bellanti, tot quoque barbaros ſuis ſtipendiis alenti, nemo non videt ingenti opus fuiſſe ærario. Nec reliqua tamen erat ei ampla regio, intra aut paulò trans Rhenum ſcilicet, Oceanum, Ligeriſque inferiora concluſa. Ergo cum bellandi finis nullus eſſet, ſubditos immani vectigalium collatione gravare coactus, nihil mirum, ſi (quod Gregorii narrat poſterior Epitome cap. 11.) in ſingula Francorum capita, ſingulos primùm, tum etiam ternos aureos, quo tantis ſumptibus ſufficeret, indixerit. Quâ in re licet neceſſitati obſequeretur, imò & ſecuritati ſuæ proſpiceret, Francos ſibi exteraneam, & lubricæ ſemper Fidei gentem ita atterens, ut in rebellionem, etſi maximè optarent, exurgere non poſſent; odium tamen eorum aliorumque evitare non potuit. Nec recalcitrabant primo Franci: injuriarum & laſciviæ Childerici nondum immemores; cui ternorum illud aureorum vectigal adhuc poſthabendum cenſebant. Sed Ægidium Winomadus, ipſi quidem verbis in ſpeciem fidus, mente Childerico conjunctiſſimus; in Francorum gravamen impellere non deſiſtebat; gentem ſuperbam cõtumacemque dictitans, ac ni premeretur indubiè rebellaturam. cùm ut Ægidii odio rebellaret, maximè eniteretur. Sciebat Francos tanto tributorũ onere, externi Principis tædio ſenſim afficiendos, & in domeſtici quem expulerant memoriam deſideriumque revocandos.

etiam Winomadi hortatu, ut odium ei crearet.

2. Cum id tardius procederet, ulteriora ſuadet; Francos ceu rebelles etiam inſimulat; & niſi rebellionis auctores de medio tollat, præſens ei periculum quaſi certo vaticinio prædicit. & dicto citius, centum inutiles, ſibique ac Childerico infeſtiores, tanquam mali ſontes Ægidio offert, & ejus ſententiâ ceu majeſtatis reos gladio puniri curat. Suſpicax nempe eſt imperium; & acrius in externos; acerrimum in adverſis, quibus maxime contemni ſe putat. & Ægidius recenti Alanorum clade perculſus erat. Eâ ergo tot ſuorum jugulatione, tantâ *immanitate permoti Franci* (verba ſunt Aimoini) *Winomadum ab hoc conſilio immunem æſtimantes, querelam ei ſuam deponunt. Ille mirari ſe dicit variam eorum mutabilitatem; ut de ejus nunc crudelitate querantur, quem tanto ante præconio dignum judicaviſſent. ſimul hac oratione convenit: Quæ dementia, ut expulſo cive, dominatui vos ſuperbi ſubderetis advenæ? Sed infrenata, dicetis, ejus luxuria pudori fuit & indignationi. Ut quid ergo de hujus feritate queriminis, quem illi præferendum exiſtimaſtis? Spreviſtis Regem veſtra de gente creatum; qui benignus naturâ, benignior etiam abolitâ potuit eſſe laſciviâ. & elegiſtis Tyrannum, ob hoc maxime timendum, quod genus habeat externâ natione deductum. Animalia ſanè ratione carentia, ſui potiùs quàm externi Dominum expetunt generis: ſolis ciconiis alieni placent duces ſanguinis; quæ ventri dedita aliarum ſe tuentur periculo avium. Verum ſi conſiliis decreviſtis parere meis, redeundum in gratiam cenſeo; & placandum Principis animum expulſione offenſum. Durum certe judico, unius non poſſe perpeti luxuriam, & tantorum tamque nobilium civium perferre necem.*] Addit Epitome 2. cap. 11. *Non ſufficiunt tributa quæ ſoluitis? etiam ſuſtinetis, ut parentes veſtri ſicut pecora jugulentur?*

Ad cædem Francorum Childerico fidorum incitat.

Aimoin. l. 1. c. 7.

ex quâ tamen odium Ægidio auget.

3. *His illi animati verbis* (rurſum Aimoinus) *ſimul atrocitate facti permoti, quo primores regni perſumdari videbant, Winomado dixerunt: Pœnitet nos injuriarum, proprio Regi illatarum: quem ſicubi gentium inveniri poſſe ſciremus, ſupplicibus eum legatis revocaremus. Winomadus convenientia Regi Francorum perſentiſcens ſtudia; fidelem per puerum, dimidium ei dirigit aureum, cujus partem mediam abeunti dederat in ſignum. Legato, hæc illi dicere juſſit: Revertere jam nunc ut deſideratus Dominus, ac felix utere regno tuo. Quâ legatione Childericus acceptâ, ovans patriam repetit.* Hæc Aimoinus, eademque ſed breviùs Gregorius lib. 2. cap. 12. *Cùm Ægidius octavo anno ſuper Francos regnaret, amicus ille fidelis* Vinomadus, *pacatis occultè Francis, nuntios ad Childericum cum parte illâ diviſi ſolidi, quam retinuerat, mittit. Ille verò certa cognoſcens indicia, quòd à Francis deſideraretur, ipſis etiam*

Childerico reditum ſuadet.

& perſuadet.

regantibus, *è Thoringia* (mediatè an immediatè) *regreſſus; in regnum ſuum eſt reſtitutus.* Ita ille, & ex eo reliqui. quaſi Childericus à ſolis Francis ſuis, non etiam à Romanis revocatus, & in Ægidium impulſus fuiſſet.

Juvantibus tamen Ricimere & Severo Auguſto.

4. Sed ego tamen hic, ut dicere cœpi, Ricimerem ac Severum dormitaſſe non puto: illum præſertim, verſipellem barbarum, fraudibusque conſutum; qui Beorgi Alannrum Regis in ſe immiſſionem, pari Regis Francorum tam obviâ in Ægidium immiſſione ſibi penſandam & clavum clavo pellendum non dubitaverit. quo jam nutantem inimicum planè præcipitem ageret. Nec enim ignorare poterat, Ægidium Francis extraneum, Childericum gentilem eorum Regem adhuc extorrem ſupereſſe. Quis credat nullam non hoſtis opprimendi occaſionem rimanti, nunquam incidiſſe, ut Childericum in regni paterni repetitionem impelleret? Quis itidem Childericum ipſum tamdiu jam exulem, & nullas non reditus occaſiones rimantem; Ægidii ſtatum aſſiduè non exploraſſe; eoque cognito, ſibi cum tam acribus ſui ſupplantatoris inimicis fœdus & arma jungenda non vidiſſe? ego quidem illum ſeu advocatum ſeu etiam ſponte ad Ricimeris & Severi partes acceſſiſſe, vix dubito. Hujus certè opinionis ſcintilla quædam adhuc in Epitome ſecunda ſupereſt, tametſi aliquod circumſtantiarum mendis obvoluta, ac pæne extincta. Childericum enim ait Conſtantinopolim ad Mauritium Imperatorem contendiſſe; quò & winomadi puer, unà cum neſcio quibus Ægidii legatis, & medio illo aureo miſſus, præcurrerit: Childericumque re compertâ, ad Imperatorem dixiſſe: *Jube me ſervum tuum in Gallias ire; ego furorem indignationis ſuper Ægidio ulciſcar.* Ita multis muneribus à Mauritio donatum, in Gallias *evectu navali* revertiſſe. Si pro Mauritio, Severum; & pro Conſtantinopoli Romam reponere poſſemus, hiſtoriam planè veram haberemus, ſolitis hominum conſiliis undequaque conformem.

Et redit ille, ſeu terra ſeu mari, longo circuitu.

An evectu navali redierit in Belgium Childericus.

5. Neque tamen ego Conſtantinopolim hîc facilè expunxero, ſi pro Mauritio *Leonem* tantùm ſubſtituas. Nam Leonis plane conſiliis & viribus debiliores & ruentes per hæc tempora Romani, Severus ac Ricimer, inniti cogebantur. Ad hæc audio (nondum enim videre potui) in Childerici ſepulchro nuper Tornaci detecto, pluſcula Imperatorum Romanorum etiam Orientalium Numiſmata reperta, qui Childerico Regi coævi fuerunt: Valentiniani tertii Occidentalis, cujus extremo tempore Childericus valeſcebat, tametſi nondum, niſi fortè cum patre Meroveo Rex. Deinde trium Orientalium ejuſdem ævi Nummi inerant, Leonis ipſius, Zenonis, & Baſiliſci. Evidenti argumento, magnum cum iis Childerico fuiſſe commercium, mutuamque conſiliorum inter ſe rationem; Romanis Occidentisque Principibus plane labentibus aut jam lapſis. Quid mirum ſi ad illos potiùs, & maximè ad Leonem, Childericus, antequam rediret, excurrerit? Notat ecce ſecunda Gregorii Turonenſis Epitome diſertiſſimè, Childericum *in Gallias evectu navali* revertiſſe. non utique de nihilo. Et quid obſtat, quin Conſtantinopoli Childericus per mare Ægæum Ioniumque, Romam quoque ad Severum atque Ricimerem; inde per Tyrrhenum Maſſiliam; deniquè terrâ per Viennenſem & Lugdunenſem Primam, Barrum ad winomadum pervenerit? Nam Barrum hactenus quidem (nondum viſo excuſſoque Childerici ſepulchro) id omnes exiſtimaſſe videntur, quod hodie Ducis titulo vocant *Barleduc*, non procul à ſiniſtrâ Molæ ripâ, in extremis Occidentem verſus Belgicæ primæ finibus; & Lugdunenſi primæ longè quàm Rheno confinius. ut vehemens mihi ſuſpicio ſit, omnia ante Childerici reditum tam à Ricimere Severoque, quàm ab winomado, eo loci velut ex condicto parata, quo certiùs Ægidium, nihil tale cogitantem opprimerent. ut verè oppreſſerunt.

6. Commodiſſimè certè inibi Lugdunenſibus Viennenſibusque Gallis ac Burgundionibus adhuc à Severo ſtantibus Franci ſe conjungere poterant. Si quis opponat, Childericum *è Thoringia* (quod diſertè ſcribit Gregorius) *regreſſum*, rectiùs & breviùs Rheno, quàm ingenti per Conſtantinopolim Romamque. tum Maſſiliam, Viennam, Lugdunum ac Lingonas anfractu, iter facere potuiſſe; reſpondeo, Gregorium non dicere illum è *Thoringiâ* immediatè regreſſum; ſed mediante Italico excurſu, quo cum Ricimere certiùs omnia diſponeret. Si Rheno veniſſet, Barrum ignotus accedere debuiſſet, ne longius a Rheni limite per medios Ægidii ſubditos iter faciens ab ejuſdem milite opprimeretur. Colloquio prius cum Ricimere habito, & per ſocias jam ſibi, hoſtiles Ægidio terras, regrediens, tutiùs quia inexpectatus, & ſociis adjutus, patrium regnum inibat. Lector tamen in hoc dubio, quod volet eligat. Ego diſiectas hinc inde hiſtoriæ tabulas, quà poſſum colligo, & compingo.

An Winomadus Barri dominus.

7. Ceterum tranſiens hîc moneo, primum & tam ſubitum, tam decretum Childerici ad Barrenſe oppidum adventum, winomadum ejus fundi Comitem Dominúmve plane arguere; nec impotentem; ut qui exercitum ibi cogere aleréque potuerit. & vero ſuprà, *Francorum* illum ſub Ægidio *Subregulum* appellatum audivimus. Moneo rurſum, vero nos itidem argumento deduxiſſe, Belgicæ primæ potiorem partem ſub Merovæo Francis adjunctam; quando illam Childericus ſui regni primordiis, quibus luxu diffluebat, armis ſibi acquirere non potuiſſe conſtat: & modò poſt ſeptenne illius exilium winomadus Francus, Barri in ejus extremis tantopere firmatus occurrit. Sed jam de hoc prælio priſcos auctores audiamus.

8. Gregorius quidem ceterorum fons, tantùm *à Thoringiâ regreſſum* Childericum, *in regnum ſuum reſtitutum* ſcribit; nullâ prælii, ac ne Barri quidem mentione. At Aimoinus paulò enucleatiùs: *Childericus*, ait, *patriam repetens; è medio itineris mittit, qui Winomado adventum nuntiet ſuum; & edicat, ut ſibi feſtinatò occurrat. Quod ille junctis ſibi Francorum proceribus, maturatò implevit: & apud caſtrum, cui nomen Barrum eſt, ei occurrit. Præceperat porrò præfatus Dux Barrenſibus, ut cum ſummo honore Regem advenientem exciperent. Cujus ipſi præcepta parentes, honorificentiſſimè eum, obviam progreſſi, ſuſceperunt. Quod Rex pro omine accepit: gratanterq́ eorum obſequio uſus, tributum quod regni ejus dependebant partibus* (à Merovæi ſcilicet tempore) *liberalitate indulſit regiâ. Junctis itaque cum Winomado viribus, Childericus inde progreſſus, Ægidium acie ſuperatum, regno decedere compulit. Qui expulſus, Suæſſionem civitatem petiit, reliquoq́ quoad vixit tempore ibi deguit.* Ita Aimoinus. cui conformis Epitome 2. c. 11. *Childericus*, inquit, *à Barrenſibus receptus, eorum annuum*

Childericus à Barrẽſibus honorificè exceptus.

Qui mox Ægidium prælio vincit.

reditum publicos, pro receptionis initio, conſilio Winomadi benignè remiſit. deinde ab omnibus Francis reſublimatur in regno. Multaq́, prælia cum Ægidio egit. plures ſtrages ab ipſo facta ſunt in Romanis.

9. Barrenſem hanc pugnam, aut Childerici certè reditum, *anno* ex quo Francis Ægidius imperabat *octavo* contigiſſe, notat Gregorius. Ægidius vix ante ineuntem annum Chriſti 457. Gallis Magiſter militum datus videtur; nempe à Majoriano jam Imperatore, aut ſi fortè à Senatu & Rep. Avito jam expulſo, fine anni 456. quare vix ante annum Chriſti 464. qui à pulſo Childerico octavus eſt, Childericus redire potuerit. Sed neque multò pòſt; ſi diu inde non ſupervixit Ægidius; ſicut Idatii Chronicon exeunte iſto anno 464. mortuum ſciſcit, quem nos hic, ceu certiorem interim ſequimur; licèt non deſint, qui eam mortem ad ipſum Anthemii Imperium, toto ſeriùs triennio differant. Pauca certè deinceps de eo referunt hiſtoriæ: nec aliud ego reperio, quàm quod prior Gregorii refert Epitome, ad Rhenum Coloniamq́ue poſt Childerici reditum geſtum: *In diebus illis, Franci Agrippinam civitatem ſuper Rhenum ceperunt; vocaverunt eam Coloniam, multùmque populum Romanorum ibi à parte Ægidii acciderunt. Ægidius exinde per fugam elapſus evaſit.* Erat igitur adhuc ſuperſtes & præſens. Quæ ſequuntur de Treviris vaſtatis & ſuccenſis, neſcio an vivo Ægidio contigerint. Scilicet Ægidius præcipuas ſaltem Francici cis Rhenum regni, ad ſe reductas civitates præſidio muniverat idoneo, ut Francos tranſrhenanos, Thoringos maximè, ad quos Childericus aufugerat, eorum auxilio prohiberet, & in officio contineret. Verum innata genti tum adhuc Ethnicæ & infideli perfidia, novitatis amor, & ardens Regis popularis cupido, torrentis inſtar effuſa, omnia viri magnanimi conſilia peſſumdedit. Primarum urbium fortunam ſecutæ pleræq́ue minores reliquæ, Childericum eâdem quâ pepulerant levitate receperunt. Ac Treviros quidem, Mediomatricos, totamq́ue Belgicam Primam Childericum ſibi retinuiſſe, ex ſequentibus animadverto. At Coloniam Agrippinam, & cis transq́ue Rhenum finitima, Sygeberto cuidam, ut & Cameracum ac Nervios ſeu Hannoniam Ragnachario conſanguineis ſuis ſive ob navatam operam, ſive quâ aliâ causâ ceſſiſſe, ex Gregorio Turonenſi aſſeclisq́ue colligo.

Coloniam Treviroſq́ue recipit.

Quibus ille quoſdam ſibi auxiliares Regulos dediſſe videtur.

10. Ita undique exactus Ægidius, Sneſſionum munitam per hæc tempora fidamq́ue civitatem ſe recepit: nec multò pòſt, mœrore an veneno contabuit. Sic enim Idatius: *Ægidius moritur; alii dicunt inſidiis, alii veneno deceptus.* vir pius juxta ac generoſus, planeq́ue longiore vitâ, & majore imperio dignus. In eum haud dubiè, tanquam in parietem inclinatum fortiſſimè incubuerint, hinc Childericus & Winomadus cum Francis; Illinc Gothi ab eo nuper cæſi; & qui maximè ejus invidiâ urebantur Ricimer atque Severus cum Italis, Gallis ſuis, ac Burgundionibus; ut tanto oneri vir quantumvis animoſus per eſſe nequiverit. Gallum eum fuiſſe ſcribit Priſcus, in Galliis certè diu verſatum conſtat. nam uxorem Gallam, è Syagriorum familia, Lugduni totaque Galliâ celebri accepiſſe, teſtatur filius ejus dictus Syagrius: quem *Sueſſionum civitatem* hæreditario jure poſſediſſe ſcribit Aimoinus; ibiq́ue ſedem regni tenuiſſe addit prior Epitome cap. 8. per annos, ut ſequentia declarabunt, ſupra 20. Eſt quidem adhuc aliqua apud Turonenſem lib. 2. cap. 18. de Ægidii ad Ligerim & Andegavos præliis mentio; ſed quæ poſt Ægidii mortem maximè geſta ſint, ut ex eorum ſequentiumq́ue ſerie videtur. Certè Ægidius & ad Ligerim & ad Rhenum uno ſimul tẽpore adeſſe non potuit.

Ægidius victus Sueſſione moritur.

Quis ille fuerit.

Sirm. in Sid. ep. 5. l. 5. pag. 90.

CAPUT II.

Mortem Ægidii quæ ſecuta ſint? Quid Odoacrius Saxo, quid VViſigothi geſſerint.

Annis Chriſti 465. 466.

1. ÆGidio mortuo, uti & mox Imperatore Severo, non parva in Galliis facta mutatio. Nam Belgæ imprimis noſtri, quantumvis Romanis addicti, ſævienti fortunæ & Francis colla ſubdere, ac Childerici victoriæ partes ſequi coacti. Ita regiones, quas modò Geldriam, Brabantiam, Flandriam, Arteſiam, Picardiam, Veromanduos, Hannoniam ſeu Nervios, Namurcum, Lutzenburgum, Juliam, Coloniam, Treviros, Lotharingiam vocitamus, & finitimæ pleræque, Francici rurſum juris factæ; nunquam deinceps ad Romanos rediture. Paucæ è Belgica ſecundâ civitates Syagrio Ægidii filio relictæ; puta Sneſſiones, Remi, Catalannenſes, & è Lugdunenſi quarta Senones, Tricaſſes, & confines. quas ille ſupra vicenos ut dixi annos ſibi retinuit; nihil admodum movens, nullos barbarorum armis appetens, cujus ſaltem memoria ſit; pace contentus, & iis quas è patris naufragio colligere potuerat, tabulis. Pacem deinde eum cum Childerico feciſſe, arguit pacificum illius ad annos uſque vicenos imperium; donec à Childerici filio Chlodoveo pugna vinceretur, & ad Alaricum Wiſigothum fugeret; à quo & traditus eſt, ut ibi dicam. Ceterum quæ de Romanorum in extremâ Galliâ præſidiariis narrat Procopius libro Gothicorum primo pag. 267. eos nimirum cum Romam redire non poſſent ibi remanſiſſe, & patrios mores ad Procopii ipſius ætatem ſervaſſe; ad hæc tempora quam maximè ſerò referenda eſſent, ſi forte in prima Francorum irruptione ante annos 50. non eveniſſent. quod à nobis ibi monitum.

ANNUS Chriſti 465.

Belgæ Childerico redditi.

cum quibus Childericus pacifice agit.

2. Præter Francos, etiam Saxones & eorum Dux Odoacrius circa Ligerim in Lugdunenſi tertia, Romanum Ægidio mortuo lacerarunt imperium. Sic enim Gregorius (& poſt eum ceteri) lib. 2. cap. 18. *Mortuus, inquit, eſt Ægidius, & reliquit filium Syagrium nomine. Quo defuncto, Odoacrius de Andegavo & aliis locis obſides accepit.* Nimirum Odoacrius, cùm videret Francos mirâ levitate Childericum in regnum revocaſſe; ſibi quoque mortuo Ægidio, a quo vocatus erat, cujusq́ue ſtipendiis huc uſque militarat, non inſulsè timere cœpit: præſertim cum pleraque circum Andegavos Francorum ſibi ſubditorum impoſita eſſent haud dubiè ab Ægidio præſidia; quibus ille ſcilicet adverſus Severum atque Ricimerem, magis quàm indigenis Romano imperio aſſuetis addictisq́ue confideret. An verò civitates iſtas, à quibus obſides accepit Saxo,

At Odoacrius Dux Saxonum Andegavos ſibi aſſerit.

ſibi,

ſibi, an Syagrio Ægidii filio, Romaniſve ſervaverit, nondum definio. Sibi ſaltem ad tempus defendiſſe nihil dubito. hoc magis, quò Ægidii mortem, Severi Imperatoris exceſſus eodem anno 465. excepit: ut pro quo potius alio defenderet, etiam volens vix ſatis definire poſſet. Et reperitur poſtmodum in iſtis partibus bellum in Romanos Childericumque geſſiſſe; deinde eum hoc eodem Childerico Alanos Transligerianos ſubjugaſſe de quo infrà.

Wiſigothi quoque civitates, quas pro Romanis tuebantur.

3. De Viſigothis ita Idatius: *Ægidio deſiſtente*, ſeu defuncto, *mox Gothi regiones invadunt, quas Romano nomini tuebantur.* Gothis à Severo & Agrippino Comite urbes aliquot ſeu traditione, ſeu oppigneratione, ſeu ad defenſionem traditas, jam ante ex Idatio diximus. Has Theudoricus eorum Rex Ægidio abſumpto, invaſit, id eſt ſuas fecit, Severo præſertim iiſdem fere diebus excedĕte; & pluſquàm ſeſquianni interregno ſecuto. Quæ etſi non nominentur, facilè tamen conjecturâ aſſequemur, ſi confines illis eſſe debuiſſe meminerimus. Ante annos 27. Pictavos & Lapurdenſes Romanorum adhuc fuiſſe Notitia nos docuit. Hoc igitur anno, quàm tardiſſimè, in Gothorũ planè poteſtatem nullo negotio tranſierint, eorum præſidio jam inſeſſi, & à Romanis, Ægidio Principe ſeu Imperatore jam vacuis, quaſi derelicti. Et qui ex Notitia præſidio pro Romanis Pictavos inſederant Thaifali, nunc à Gothis dimiſſi, oppidum in Pictonum Nannetumque confinibus, etiamnum de ſuo nomine *Thiffauges* dictum incoluerint, è qua deinde gente viros etiam ſanctitate illuſtres memorat Gregorius Turonenſis, Senoch, Auſtrapium, &c.

Ut Pictavos & fortè Turonas.

Cainonem quoque in Turonibus oppidum, quod Ægidium paulò antè, eorumdem indubiè Gothorum ope repulerat, eadem fortuna exceperit; neſcio an non & ipſos Turonas, niſi de illis quoque ut *Andegavo finitimis*, obſides Odoacrius acceperit; aut præſidio præverterit. Scio & illos Gothorum regno tandem adjunctos; ſed quantum pervideo paulò ſerius.

Severus Imp. moritur.

4. Ægidii mortem, Severi Imperatoris proximè excepit. Innominatus Onuphrii: *Baſiliſco & Herminerico Coss.* (anno ſcilicet 465.) *defunctus eſt Imperator Severus, 18. Kalendas Septembres*, ſeu Auguſti 15. die dominico. addit Caſſiodorus, *veneno peremptum Romæ in palatio, Ricimeris fraude, ut dicitur.* ſed tunc vivens Sidonius carm. 2. v. 317. *natura lege mortuum* canit: *Auxerat Auguſtus natura lege Severus Divorum numerum.* & vetus inibi apud Sirmundum Indiculus; *Severus Romæ imperavit annis 4. ibiq́, religioſè vivens deceſſit.* Nec aliter Idatius, *Reverſi*, inquit, *legati Suevorum* à Theudorico Gothorum Rege, *obiiſſe nuntiant Severum imperii ſui anno quarto.* Sed ſi Ricimer duorum præcedentium ſanguine cruentus, hũc ſolitis artibus, Ægidio præſertim æmulo ſublato non ſuſtulit; effecerit ſaltem ut reliquâ hujus anni 465. parte, toto ſequenti, & tertii etiam priore trimeſtri Interregnum in Occidente fuerit, quo toto tempore quaſi regnaverit: licèt Genſerico quotannis populationes agente, & Barbaris Gallicis ut dixi, adeoque Burgundionibus non parva incrementa ſumentibus.

CAPUT III.

Childericus Rex reſtitutus, ex Baſinâ Chlodoveum gignit.

Anno Chriſti 465 466 467.

1. SEvero Imperatore extincto, Childericus initorum cum ipſo fœderum vinculo ſolutum ſe exiſtimaverit; eóque regni limites diffundere nullo ſcrupulo duxiſſet, ſi Ricimer, cui æquè obſtrictus erat, ſuperſtes non fuiſſet. Sed recepti regni primordia primùm firmanda erant. Priorem igitur annum 465. & nonnullos ſequentis 466. menſes, recipiendis adhuc urbibus & ordinando regno inſumptis: ſimul de uxore ducendâ liberiſque gignendis cogitant. Dum adhuc in Thoringiâ exularet, ait Gregorii prior Epitome cap. 7. & poſterior cap. 11. cùm Baſinâ Biſini Thoringorum Regis uxore, immemor regni per ſimiles libidines amiſſi, conſueverat. Hæc cùm audiſſet eum regno jam redditum, novo antiquæ libidinis deſiderio, *relicto viro*, licèt æquè Rege, *curſu veloci ad eum venit. Qui cum ſollicitè interrogaret*, addit Gregorius ipſe lib. 2. cap. 12. *quâ de causâ ad ſe de tantâ* (ſeu tam diſſitâ) *regione veniſſet, reſpondiſſe fertur: Novi utilitatem tuam, quod ſis valde ſtrenuus: ideóque veni, ut habitem tecum. Nam noveris, ſi in partibus tranſmarinis aliquem cognoviſſem utiliorem te, expetiſſem utique cohabitationem ejus. At ille gaudens, eam ſibi conjugio copulavit. Quæ concipiens peperit filium: vocavitq́, nomen ejus Chlodoveum. Hic fuit magnus, & pugnator egregius.* Ita Gregorius.

Annus Chriſti 465.

Childericus Baſinâ Thoringiæ reginam viro ejus adhuc vivo uxorè ducit.

2. Chlodovei natalis annus, ex ejus cùm mortuus eſt ætate, facilè ſe prodit. Diſertè quippe Gregorius lib. 2. cap. ult. annis eam 45. circumſcribit. In ſequentibus Chlodovei mortem in Novembris viceſimum ſeptimum diem, & annum Chriſti 511. incurriſſe demonſtrabimus. De annis 511. ferè completis, ſi 45. item completos demis, in Novembrem aut Decembrem anni 466. ſi labentes dumtaxat (ut plerumque ſolet Gregorius) in priorem anni 467. partem revolvêris: quo natus omnino fuerit Chlodoveus. Jam Childericus annum plus minùs cum novâ uxore ante filii ſuſceptionem cohabitarit. Igitur non ſeriùs anno Chriſti 466. ineunte, Baſina ad eum venerit. Cumque ſtatim ab Childerici reſtitutione veniſſe videatur; non multo priùs Ægidius vinci, nedum mori potuerit: ſicut neque multò tardiùs. Ita vides Chronologiam hic à nobis ſtatutam vacillare vix poſſe.

Annus nati Chlodovæi, eſt Chriſti ineuns 467

Annus Chriſti 466.

3. Ubi Chlodoveus natus ſit, nullibi legi. Mihi tamen Tornaci ad Scaldim genitum, prona conjectura, ſuſpicio vehemens eſt. Ibi enim regni ſui ſedem ſolúmve fixiſſe videtur, & Meroveus ejus avus, ut ſuprà vidimus; & maximè pater ejus Childericus, quando ejus ibi ſepulchrum, cum omni veſtis & armorum inſtrumento, ornatu, apparatuque regio, anno priore 1653. Maij menſis exitu, poſt tot ſæcula detectum eſt. ut ex libro Domini Chiffletii, Sereniſſimi Archiducis Leopoldi Archiatri juſſu de ea re mox edendo conſtabit. Accedit Gregorius Turonenſis; cùm libro 2. c. 40

Tornaci in Belgio natus videtur Chlodoveus.

ſcribit,

ſcribit, Chlodoveum à Chloderico Sygiberti Coloniæ Reguli, conſanguinei ſui filio Coloniam in auxilium contra patrem evocatum, *Scaldim navigaſſe*, Tornaco ſcilicet regni ſui Belgici ſede ſolióque *cum copiis* de more egreſſum. quorſum enim aliàs Scaldis ibi mentio; niſi Tornaci ſedem natalem incoleret, & arma inde copiaſque educere ſoleret? Ingens ea utique eſt Civitatis illius, totiuſque Belgii noſtri gloria; ex tanti Francorum Regis, Chriſtiani omnium primi, loco natali & priore ſaltem inhabitatione. Gloria, inquam, tanto major; quò duæ Regum Francorum priores cis Rhenum ſtirpes; Meroveadarum ſcilicet, ſeu Merovingorum, & Carolidarum Martellidarúmve, ex eodem noſtro Belgio ſuam ducunt originem. Martellidarum quidem è Jupiliâ, vico Leodii pœnè ſuburbano; quæ Carolum Magnum Occidentalis Imperii reſtauratorem produxit: Meroveadarum autem, vel ſaltem Chlodoveadarum jam Chriſtianorum, è Tornaco Belgii hodierni fere meditullio. Prorſus, ut ſicut *Belgas Gallorum omnium fortiſſimos* Cæſar appellat; ita & ex geminâ iſtâ Regum Francorum Ciſrhenanorum progenie, nobiliſſimos eminentiſſimóſque, ſine ullâ cujuſpiam injuriâ, ſi non invidiâ, dicere liceat. Tametſi negare quoque nequeamus; utriuſque ſtemmatis originem nubilo quodam adulterii fuſcatam. quando Chlodoveus ex matre priùs alteri adhuc vivo conjugata: Martellus ex Pipino Jupilienſi, Plectrudi legitimæ uxori adhuc ſuperſtiti conjuncto, & ex Alpaide ſuperinductâ, producti ſunt: Martelli inſuper productio S. Lamberti martyrio occaſionem ſuggeſſiſſe videtur. Regiis adeò ſtirpibus, ſimili nævo non ſemper intactis.

Ut & Carolus Martellus Jupiliæ prope Leodium.

4. Porrò quod ad Chlodovei nomen attinet, moneo, diverſimodè illud à diverſis olim elatum. Ipſemet Chlodoveus in Epiſtolâ, quam ad Gallicanos poſt victum Alaricum ſcribit Epiſcopos, apud Sirmundum noſtrum, primo Conciliorum tomo, pag. 176. Chlothovecum ſe nominat; quod etiam faciunt Epiſcopi, qui è Synodo Aurelianenſi primâ ad ipſummet ibidem ſcribunt. Rurſus apud eumdem pag. 153. Avito Viennenſi Epiſcopo, ipſi Chlodoveo baptiſmum gratulanti, eſt Chlodovecus; ut & Fortunato libro nono. In legibus Salicis legitur Lodoveus. Caſſiodoro & Jornandi eſt Luduin; aliis Ludovius. Agathiæ Chlotoæus. Recentioribus non paucis Ludovicus quod ad nos uſque perdurat: Linguâ hodiernâ Gallicâ non jam ſimilibus ac fortioribus ex imo gutture aſpirationibus; ſed extremis ferè labiis leniſſimè pronuntiari ſolitâ.

5. In ordinatione regni Childericus quietem ante omnia, tam intra quàm extra regnum, prudenter ſtabilivit. Intra quidem, omnibus tam Francis, quam Belgis paulò antè Romanis ſatisfaciendo. Nec enim dubium Francorum pleroſque, eâ tunc auctoritate & potentiâ ex rebus geſtis extitiſſe; ut niſi ſatiarentur, pacem ac quietem laturi non eſſent: ſeu illi jam antè in ejus expulſionem conſpiraſſent; ſeu fidelem illi in iſtâ reſtitutione operam præſtitiſſent. Ut igitur omnibus ſatiſfaceret, & eos arctiùs ſibi obſtringeret; memor clementiam imperium ineuntibus ſemper utilem, ſæpè neceſſariam; primates eorum territoriis auctos, ceu ſubregulos creaſſe videtur. Unde enim ſub finem regni Chlodovei; tam varii Coloniæ, Cameraci, Cenomannia alibíque reguli, commodiùs quàm hinc oriri poſſunt? Et quia ab hoc anno 465. ad 505. aut circiter, anni 40. interfluunt; qui ibi Reguli memorantur, Coloniæ Sigebertus, aut potiùs Sigeberti filius Chlodericus, Cameraci Ragnacharius, Cenomannis Rigomeres, non tam à Childerico nunc ipſi conſtituti, quàm de conſtitutorum poſteris eſſe videntur. Ita pacem intra regnum ſibi firmavit.

6. Extra verò ut idem obtineret, cum Ægidii filio Syagrio maximè agendum fuit. Illi igitur Sueſſionum, vicinarumque aliquot civitatum poſſeſſionem liberam ultrò reliquerit: quâ ille per annos ferè viginti potitus eſt; ad annum ſcilicet 486. quo à Chlodoveo ipſo pugnâ victus, & mox vita exutus. Sibi verò è Belgio quidem noſtro, quidquid in Orientem Rhenumque porrigitur, excepto Cameraco, & Coloniâ Agrippinâ reſervavit. Nam de ceteris extra Belgium hic non ago.

CAPUT IIII.

In Italia interregnum. In Galliis Amandi nova molimina, Anthemius imperat.

Annis Chriſti 466. 467.

1. ROmæ interim durabat Interregnum: ſeu Ricimere & aſſeclis nullum ſibi ſuperiorem admittentibus; ſeu aliis firmiorem Occidentalis Imperii jam labantis cum validiore Orientali rejunctionem ſperantibus. Rerum ſanè potiebatur Ricimer: ac licèt Genſericum mare ſemper infeſtantem comprimere non poſſet, alios tamen Barbaros utcumque continebat. De Vandalis ita Sidonius Carm. 2. v. 346.

Quid tunc Romæ geſtum.

——— Hinc Vandalus hoſtis
Urget, & in noſtrum numeroſâ claſſe quotannis
Militat excidium: converſoq; ordine fati,
Torrida Caucaſeos infert mihi Byrſa furores.
Præterea invictus Ricimer, quem publica fata
Reſpiciunt, proprio ſolus vix Marte repellit
Pyratam per rura vagum, qui prælia vitans,
Victorem fugitivus agit. Quis ſufferat hoſtem
Qui pacem pugnamq; negat? nam fœdera nulla
Cum Ricimere jacit. Ita ibi de Genſerico & Vandalis.

Quid cum Vandalis.

2. De ceteris Barbaris, & Occidentalis Imperii ſtatu, ſic verſ. 377.

& [illegible]baris.

Noricus Oſtrogothum quod continet, iſte timetur:
Gallia quod Rheni Martem ligat, iſte pavori eſt.
Quòd conſanguineo me Vandalus hoſtis Alano
Diripuit cadente (ocimpe ſub Beorgor) *ſuu hic*
ultus ab armis.

Iſta omnia Sidonius durante adhuc interregno, cum Roma novum Principem ab Oriente peteret. Quibus intelligimus: Primò, Noricum adhuc Romanorum fuiſſe, & vicinos in Pannonia Oſtrogothos repreſſiſſe. Secundò, Gallias in Rheni limite, barbaricum martem ſeu furorem ligare, puta Francorum & Alemannorum, qui tunc ſoli Rhenum infeſtare poterant: ſicque quod jam monui, Childericum hoc interregni tempore pacem cum

Romanis coluiſſe, ne quid contra Leonem patronum ſuum, aut contra Anthemium ab ipſo ſubmiſſum moveret.

Arvandi molitiones.

3. Verùm, ut à barbaris quieſcebat Gallia, ita à domeſticis graviter agitabatur. In ea quippe, quà Romanorum adhuc erat, Arvandus Prætorii Præfecturam huc anno cum maxima populatione exercebat. Eum enim *geminam præfecturam per quinquennium repetitis faſcibus rexiſſe* auctor eſt Sidonius teſtis oculatus, ep. 7. lib. 1. è geminis autem Præfecturis priorem *cum magna popularitate* per triennium ſub Severo maxime geſſit; mox aliquo intermedio ſecundam extorſit, in hoc maxime interregno, nullo cohibente, ideoque *cum magna populatione* per biennium. In eo *chartam ad Regem Gothorum ſcripſit* (ait Sidonius) *pacem cum Græco Imperatore diſſuadens: Britannos ſuper Ligerim poſitos impugnari oportere demonſtrans: cum Burgundionibus jure gentium Gallias dividi debere confirmans: & in hunc fere modum plurima inſana; quæ iram Regi feroci, placido verecundiam inferrent.* Imprimis per Græcum Imperatorem Sirmundus noſter *Anthemium* intelligit; Galatam & è Græcia à Leone miſſum. Quod verum eſſe poteſt, ſi Anthemium deſignatum dumtaxat, & nondum in Italiam advectum intelligimus. Nam pendente interregno litteras haſce ſcriptas, tempus & urbana Sidonii præfectura, ſatis indicant.

Imperator Græcus Anthemius,

aut Leo.

4. Poteſt tamen Leo quoque Orientis Imperator intelligi, nam licet ille procul à Gothis eſſet; nullo tamen Romæ tunc Imperatore, Galliarum, ut & Siciliæ Italiæque, curam gerebat, & claſſem in Vandalos apparabat. Quin & Gregorius Turon. de gloria Confeſſ. cap. 63. narrat Leonem Imperatorem filiâ ſuâ energumenâ ab Archidiacono Lugdunenſi, Romam ſeu novam ſeu veterem evocato, ſanatâ; ejuſdem Archidiaconi rogatu, tributum, in tertio circa muros urbis milliario, populis remiſiſſe; idque ſuo etiam tempore perſtitiſſe. quod nunquam aptiùs quàm ad hoc longiùs menſium fere 18. interregnum referre poſſumus; quo Leo ſolus Imperio Romano præerat. Quid ergo mirum ſi Sidonius per *Græcum Imperatorem* hic Leonem intelligit, à quo, etſi Anthemium Romam deſtinare moliretur, ſi nondum deſtinarat, pacem diſſuadebat Arvandus?

Annus Chriſti 466.

Euricus Rex Wiſigothorum cæſo fratre Theodorico.

5. Per *Regem Gothorum*, Euricum hoc eodem interregno, anno videlicet Chriſti 466. evectum intelligi puto. de quo ita Idatii Chronicon nono Leonis anno, qui eſt illi Chriſti 466. *Per Theudericum Salla legatus mittitur ad Remiſmundum Regem Suevorum. Qui reverſus ad Gallias, tum à fratre ſuo Eurico reperit interfectum. Euricus pari ſcelere quo frater* (nempe fratricidio) *ſuccedit in regnum. Qui honore provectus & crimine, legatos ad Regem dirigit Suevorum. quibus ſine morâ remiſſis, ejuſdem Regis,* Suevorum, *legati ad Imperatorem* Leonem, qui ſolus tunc erat, *alii ad Vandalos, alii ad Gothos diriguntur.*] De Regis Eurici in regnum ingreſſu, ita etiam Iſidorus in Chronico Gothorum: *Erâ D.III.* (is eſt annus Chriſti dictus 466.) *anno Leonis Imperatoris VIII.* (nempe expleto, ut etiam legimus in Idatio, unde ſua prompſit Iſidorus) *pari ſcelere quo frater ſuccedit in regnum annis XVIII.* expletis ſcilicet. Ita Iſidorus, qui etiam paulò antè Theudoricum annis 13. imperaſſe ſcripſerat. Jornandes quoque Getic. cap. 44. & 45. *Tertiodecimo regni ſui anno Theodericus occubuit. Cui frater Euricus prætupidâ feſtinatione ſuccedens ſævâ ſuſpicione pulſatus eſt.* Marii tamen Chronicon à Chiffletio noſtro nuper editum, ad ſequentem annum Theodorici necem refert: *Puſeo & Joanne Coss. Levatus eſt Anthemius Imperator. eo anno* (ſcilicet 467.) *interfectus eſt Theodericus Rex Gothorum,* Aquitanicorum ſcilicet, qui ſunt Wiſigothi, *à fratre ſuo Eutharico Toloſæ.* Quæ omnia hic congero, ut Eurici Regis exordium à quo ſequentia pendent, tanto certiùs ſtabiliatur. nempe anni Chriſti 466. diebus ultimis, quos pronihilo Marius duxerit, ut ſic eum cum Sidonio, Idatio, & Iſidoro conciliemus. Etſi hos, ego tunc viventes & ſcribentes Mario prætulerim.

6. Cùm hoc igitur Eurico rege novo, ut ejus gratiam aucuparetur; & cum *Burgundionibus jure gentium Gallias dividi debere* ſpargebat Arvandus. Ergo Burgundiones jam magni erant; quando Gothis eos in iſta partitione æquat Arvandus. Et erat tunc eorum Rex Gunduicus, ſedes quidem ſuas in Sabaudiâ ante 25. annos à Valentiniano & Aetio indultas, ab Avito autem traditas habens; ſed Magiſter militum à Severo Imperatore adverſus Ægidium dictus, etiam Lugdunenſem primam quintamque & Viennenſes omnes regens; eoque provincias illas, *jure gentium,* nempe tanquam derelictas, nullo in Occidente Imperatore ſuas facturus; reliqua trans Rhodanum in Oceanum & Ligerim uſque Eurico relicturus.

Cum Wiſigothis & Burgundionibus Gallias dividi debere.

7. *Trans Ligerim* verò, *Britannos,* qui ibi jam magno numero è Britanniis, quas Saxones occupare pergebant, tranſvecti agitabant; & in Romanos adhuc proni erant, *impugnari oportere demonſtrabat* Arvandus: & ut reor, Eurici viciniori regno adiiciendos. Non loquitur de Odoacrio Saxone, Audegavos & proxima loca occupante: forte quod cum Britannis & Syagrio Ægidii filio conjuncti eſſent; à quibus Arvandus Prætorio Galliarum præfectus non agnoſcebatur. Illos ergo omnes ſimul impugnandos cenſebat; ut eorum pars occidentalior nempe Lugdunenſis tertia cum propiore quartæ parte, Eurico & Viſigothis; Orientalior, puta reliqua Lugdunenſis quarta Senonia, & quod de Belgicâ reliquum Franci Syagrio reliquerant, Burgundionibus accederet. Cetera in Boream Francis & Childerico ceteriſque Francorum Regulis jam victoribus remitterentur. Nec dubium quin Eurico & Gunduico Regibus novis ſalivam ea propoſitio civerit, ut quæ maximè: barbaris nempe talium ultrò appetentiſſimis, & ſuâ ſponte in tam obviam prædam pendentibus. Sed in eo molimine juſſu Anthemii mox interceptus Arvandus, Romam miſſus, & judicio damnatus (ut fusè Sidonius epiſt. 7. l. 1.) in exilium deportatus eſt, ait Caſſiodori Chronicon, *Marciano & Zenone Coss.* anno nempe ab hinc tertio, Chriſti 469.

Britannos Gallicos impugnandos.

Galliarum partitio.

8. Paulò ante hæc, *Puſeo & Ioanne Coss.* anno Chriſti 467. Leo Imperator Senatus Romani legatione rogatus, ut Evagrius lib. 2. cap. 18. auctor eſt, Anthemium Imperatorem Procopii (alterius Procopii qui Valentis tempore purpuram hauſit, ſanguine oriundi) filium, Anthemii qui Stiliconis in ſecundo Conſulatu anno Chriſti 405. collega fuit, nepotem; Marciani paulò antè Imperatoris generum; denique anno Chriſti 455 cum Valentiniano Imperatore Conſulem, Romæ & Occidenti Principem miſit. Unde Idatii Chronicon, licet

Annus Chriſti 467.

Anthemius Imperator.

anno priore, quaſi nullam interregni curam habens, *De Conſtantinopoli*, inquit, *à Leone Auguſto Anthemius frater* (potius filius) *Procopii, cum Marcellino aliisque Comitibus viris electis, & cum ingenti multitudine exercitûs copioſi, ad Italiam Deo ordinante directus aſcendit. & octavo milliario de Româ Auguſtus appellatur, menſe Auguſto, anno Leonis Imperii VIII.* lege VIIII. & quidem completo. At Onuphrii Innominatus, *Puſeo & Joanne Coss.* anno Chriſti 467. *levatus eſt Imperator Dominus Anthemius Romæ, pridie Idus Aprilis.* feria tum Paſchæ quartâ. Unde quod Gelaſius Papa apud Baronium hîc ait, *Anthemium Romam ingreſſum, cum Lupercalia celebrarentur*, nempe Februarii 15. ita verum eſt; ut tamen Auguſtus nondum conſecratus eſſet; Romanis lætum Paſchale tempus in eam ſolemnitatem expectandum ſtatuentibus. *Iiſdem Coss.* Caſſiodorus, *Anthemius à Leone Imperatore ad Italiam mittitur: qui tertio ab Urbe milliario, in loco Brontotas ſuſcepit Imperium.* Marcellini Chronicō: *Indictione quintâ Puſeo & Joanne Coss. Leo Imperator Anthemium Patricium Romam miſit, Imperatorémque conſtituit. Ravenna civitatem terra motus deterruit. Simplicius Romæ Pontifex annis XVI* Jornandes de regn. ſucc. cap. 101. *Tunc Leo Anthemium, Divi Marciani generum, ex Patricio Cæſarem ordinans, Romæ in imperio deſtinavit.* Idem habet Chronicon Alexandrinum iiſdem Coss. & eâdem Indictione quintâ.

Sidonii hæc videntis narratio.

9. Sed ante omnes audiendus qui hæc paulò pòſt vidit Sidonius, in Panegyrico, quem proximis Januarii Kalendis ipſi Anthemio Conſulatum ineunti Romæ cecinit; ubi legationem Romanorum, pro Anthemio obtinendo poeticè exprimens, Romam ita Conſtantinopoli loquentem inducit, verſ. 480.

> —— *Anthemium concede mihi. ſit partibus iſtis* Orientis,
> *Auguſtus, longúmque Leo. mea jura gubernet* in Occidente
> *Quem petii.. patrio veſtiri murice*, ſeu purpurâ imperiali, *natam*
> *Gaudeat Euphemiam ſidus divale parentis*, Marciani.

Utrumque impetratum. Unde idem Sidonius eodem Panegyrico v. 26.

> ———— *Facta priorum*
> *Exuperas, Auguſte Leo. nam regna ſuperſtat*
> *Qui regnare jubet. melius Reſpublica veſtra*
> *Nunc erit una magis, quæ ſic eſt facta duorum.*

Ricimero filia Anthemii uxor deſtinatur.

10. Ut autem Ricimer non ægrè ferret, ſe Anthemio planè poſtpoſitum; imò arctiùs jungeretur, Romani eadem legatione Ricimero uxorem petierunt Anthemii & Euphemiæ filiam. Sic enim idem Sidonius v. 483.

> —— *Adjice præterea privatum ad publica fœdus:*
> *Sit ſocer Auguſtus genero Ricimero beatus.*
> *Nobilitate micant: eſt vobis regia virgo.* Anthemii ſcilicet filia.
> *Regius iſte mihi: ſi concors annuis iſtud,*
> *Mox Lybiam ſperare dabis. circumſpice tædas*
> *Antiquas, par nulla tibi ſic copula præſto eſt.*

Id quoque conjugium impetratum; quemadmodū idem Sidonius pluribus narrat; qui hoc anno Romam venit: de quo jam agendum.

CAPUT V.

Sidonii Romam adventus, & Urbis Præfectura. Genſericus Romanam claſſem diſſipat.

Anno Chriſti 468.

Annus Chriſti 468. Sidonius Romam venit, & fit Præfectus Urbis.

1. ANthemius Auguſtus, Romæ gratanter receptus, antequam bellum Vandalis cum Leone moveret; quò Galliarum quoque gratiam iniret, Sidonium Apollinarem Lugdunenſem Aviti nuper Imperatoris generum, anno adhuc 467. Romam ad ſe ſacris apicibus evocavit. Lubens obtemperavit Sidonius l. 1. ep. 5. & veredis publicis uſus, iter ingreſſus eſt, cujus ſeriem longâ amœnaque epiſtola proſequitur: ex quâ æſtate profectum aſſequimur. Priuſquam verò Urbis pomœria ſubiret, triumphalibus Apoſtolorum liminibus, quæ in Vaticano tum extra urbem erant, affuſus, omnem protinus ſenſit membris male fortibus exploſum eſſe languorem. Romam ingreſſus, *intervenit* (verba fere ejus ſunt) *nuptiis Patricii Ricimeris, cui filia perennis Auguſti, in ſpem publicæ ſecuritatis copulabatur.* quo tempore theatra & fora omnia perſonabant; ſtudia ſilebant, negotia & judicia quieſcebant, differebantur legationes. & jam quidem virgo tradita erat, nondum tamen ad mariti domum nupta migraverat. Ita fine Epiſtolæ quintæ. At nonâ addit:

Duo Romæ Senatores eminentiores.

2. *Poſt nuptias Patricii Ricimeris, id eſt poſt opes utriuſque Imperii eventilatas, tandem reditum eſt in publicam ſeveritatem, quæ rebus actitandis januam campúmque patefecit.* Interea Pauli Præfectorii laribus, doctrinâ & ſanctitate venerandis, exceptus, duos in Senatu Conſulares præ ceteris excellere animadvertit: *Gennadium Avienum*, credo Conſulem anni Chriſti 450. & *Cecinam Baſilium* anni 463. cui ſe maximè adjunxit. Apud quem dum aliquid de legationis Arvernæ petitionibus elaborat; *ecce Kalendæ Januariæ, quæ Auguſti Conſulis mox futuri repetendum faſtis nomen operiebantur.* Ergo Baſilii patroni hortatu, Panegyricum Anthemii compoſuit, proximis Kalendis feliciſſimè recitavit, & denique edidit. Nec ſucceſſu caruit. Egit namque cum Anthemio Baſilius, ut auctorem ejus Sidonium Præfectum Urbis conſtitueret; quod & factum hoc anno, *tempus propè poſt biluſtre*, quàm ſtatuam in foro Traiano meruerat, ut ſignificat in Sappluco Epiſtolæ ultimæ libri noni & ultimi. In eo munere hunc fere annum 468. Romæ tranſegit. quo bellum Africanum adverſus Vandalos tandem geſtum. de quo ut agere jam incipiamus; Priſcum prius audire lubet.

Genſerico bellum minatur Leo Imp.

3. Is igitur paginâ Excerptorum 148. *Leo Imperator*, inquit, *Genſericum per nuntium de Anthemii imperio certiorem fecit; eíque bellum indixit, niſi Italiam & Regnum liberas dimitteret. Rediit autem nuntius & retulit, nolle ipſum denuntiationi parére: imò eo magis bellum apparare, quod juvenes Romani fœdera tranſgreſſi eſſent.* Expeditionem navalem in Africam jamdiu parabat Leo; eoque bellum Genſerico minabatur. Unde Procopius primo Vandal. pag. 188. & 189.

Talem

Talem Genſerici audaciam Leo perosus, contra Vandalos moveco decrevit. Cujus exercitus terreſtris fertur ad centum milia fuiſſe: claſſis autem magnitudinem (mille centum tredecim navium ait Sigonius in Imperio Occidentali) *undecumque ex omni Græciâ collectam habuit: in milites & remiges ſumptus ingentes impendit; eò quòd contra barbaros procul incurſeſſent. Ei Baſiliſcum præfecit Verinæ conjugis fratrem, imperio tunc maxime fidum. Aſpar qui Leonem fecerat Imperatorem cum eſſet ſectâ Arianá, & metueret ne Leo victoria Vandalica ſucceſſu elatus, non æquus ei aut ceteris Imperii rebus foret; multa Baſiliſco diſcedenti mandaſſe, ac ut bellum duceret, ſuaſiſſe fertur. Leo verò jam Anthemium, Senatorem opibus ac genere illuſtrem, ad Imperium Occidentis ſuſcipiendum miſerat, ut Vandalorum bello auxilio foret. Genſericus* contrà *Olybrio item Senatori potentiſſimo pollicetur, ſi partes ſuas* adverſus Leonem *tueri vellet, ei Occidentis Imperium, ſimul cum Placidiâ Valentiniani filiâ* juniore, Eudoxiæ jam nurus ſuæ ſorore, *ſe daturum. Quo annuente fretus, majores aſſumpſit ſpiritus, audaciuſque omnem Imperii ditionem vexavit.*

& mari movet.

4. Tam ingens in Vandalos parata claſſis, ingentem ceteris etiam Barbaris metum incuſſit; ne Vandalis primùm victis, mox in ſe verteretur. Sic enim inter ceteros breviter Idatius: *Gothi qui ad Vandalos* ab Eurico Rege *miſſi fuerant, ſupradicta expeditionis rumore perterriti, revertuntur in celeri. pariter & Suevi, qui poſt legatos* eodem à Remiſmundo Rege ſuo miſſos, *more ſolito per diverſa loca in prædam diſperſi fuerant, revocantur.* Nec dubium quin & Franci eodem metu quieverint, & Alemanni, & Burgundiones, & reliqui. Ac ea quidem claſſis uno citius anno, ſolutura putabatur. Verùm, ut idem paulò antè Idacius, *expeditio in Africam adverſus Wandalos ordinata, Metabolarum commutatione, & navigationis inopportunitate revocata* ſeu dilata *eſt.* in anni Chriſti 468. ver dilata. Ei ut dixi præerat ſummus Dux Baſiliſcus; ita tamen ut Heraclium quemdam ei Leo Imperator adjunxerit; & Anthemius Marcellinum, bellis aliis navalibus in Sicilia contra eoſdem Vandalos jam antè inclytum. Sic enim Idatius anno 468. *Directus eſt Marcellinus pariter cum manu magnâ, eidem* Leonis *exercitui per Imperatorem Anthemium ſociatâ.* Hocque innuit Sidonius fine Panegyrici, v. 540.

Claſſe multis formidandâ.

Attamen ô Princeps Anthemi, *qua nunc tibi claſſis*
& arma
Tractentur, quàm magna geras, quàm tempore
parvo, ex quo ſcilicet Imperator es,
Si mea vota Deus produxerit, ordine cecto temporis
Aut geneto bis mox, aut ter te Conſule dicam.
nempe poſt victoriam.

Duce Baſiliſco & Marcellino.

5. Anni igitur 468. appetente vere, *Marcellinum* ait Procopius 1. Vandal. pag. 189. *qui eâ tempeſtate in Dalmatia erat*, ac priore anno Conſtantinopoli cum Anthemio venerat, ut ex Idatio audivimus, *Leo modis omnibus ſibi conciliatum, in Sardiniam miſit; ut eam à Vandalis liberaret. Quod breviter ac facilè factum. Heraclius interea è Byzantio cum parte claſſis profectus* & præmiſſus, *apud Tripolim* Africæ *cum Vandalis acie congreſſus, bene pugnavit, urbéſque facilè recepit. Inde dimiſſis navibus, terrâ cum exercitu Carthaginem verſus ire contendit. Ita benè ſe habebant belli primordia. Baſiliſcus autem cum totâ claſſe, ad parvum oppidum, 280. ſtadiis Carthagine remotum adplicuit: ubi Mercurii templum antiquitùs fuit. Unde ſi minimè cunctatus è veſtigio Carthaginem advolaſſet, ipſam procul dubio cepiſſet, Vandalóſque ſimul in ſervitutem redegiſſet.*

Claſſis Leonis in Africam tranſit.

6. *Genſericus autem, ubi Sardiniam ac Tripolim receptas audivit, ſimul Baſiliſci claſſem ingentem animadvertit, Leonem Imperatorem ut inexpugnabilem formidare cœpit. Sed tantam victoriæ occaſionem amiſit Ducis* Baſiliſci *ſive tarditas, ſive ignavia, ſive etiam proditio. Nam Genſericus Baſiliſci negligentiam animadvertens, hæc geſſit: Imprimis ſubditos omnes velociter cum quibus poteſt navibus armat, alias militibus implet, alias in ſpeciem vacuas producit; ut prope conſiſtentes, munitiones atque inſtrumenta neceſſaria ſubminiſtrarent. Simul Legatos ad Baſiliſcum mittit, rogatum, uti quinque adhuc dies prælio ſuperſedeat, donec conſilium expediret, cederéne Imperatori an repugnare deberet. idq; clàm præbitâ, ut fama fuit, exercitui Baſiliſci pecuniâ impetravit. idque fecit, ſperans proſperum eo temporis intervallo ventum oriturum, ut contigit. Baſiliſcus autem Aſpari, ut promiſerat, gratificatus eſt: ſive pecuniæ pretium rependens, ſive id ſibi meliùs exiſtimaverit. Certe petita faciebat, & quieſcebat in caſtris, hoſtium opportunitatem præſtolans.*

Quam Genſericus Baſiliſci proditione fruſtratur.

Ex textu Procopii græco.

7. *Vandali autem, quamprimùm iis ventus ſecundior quem hactenus expectaverant, afflavit; laxant vela; naves ſuas viris vacuas, igneis immiſſo, velíſque ſinuatis, in Romanos immittunt. Ita Romanorum claſſe facile incensâ, tumultus & clamor magnus inter eos ortus, naves inter ſe commiſſa, nullo ordine. & inſtabant Vandali, quaſque poterant demergebant, fugientes milites armis ſpoliabant. Ibi tamen Baſiliſci vicarius Joannes gnavam operam præſtitit. Cùm enim navem ſuam cinctam occupatámque videret, magnam hoſtium turbam in ipſis tabulatis occidit. donec expugnatâ nave, cum armis in mare cecidit. At Genzo Genſerici filius, fide ei datâ, ſervavit. Eum finem prælium habuit.* [Baſiliſcum cum prætoriâ nave, primum in fugam ſe dediſſe, auctor eſt neſcio unde Sigonius.] *Heraclius domum ſuam ſe recepit. Marcellinus dolo ſuorum occiſus eſt* [*in Sicilia; menſe Auguſto*, hoc eodem anno 468. ait Caſſiodori, & Innominatû Onuphrii Chronicô] & Marcellini Chro. *Ind. 6. Anthemio ſolo Conſule Marcellinus Occidentis Patricius, idémque paganus, dum Romanis* (Orientalibus) *contra Wandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliúmque fert, ab iiſdem dolo confoditur, pro quibus palam venerat pugnaturus.*

Imo & incendit.

Unde claſſiarii tumultus & fuga, ipſiusque Baſiliſci.

8. *At Baſiliſcus Byzantium reverſus, in magnum S. Sophiæ templum ſe recepit; & per Verinam Imperatricem periculum effugit; ac paulò pòſt, etiam ad Imperium, cujus cupiditate hæc geſſerat, pervenit. Nec multò pòſt, Leo imperator Aſparem & Ardaburium in palatio interfecit, quos ſibi mortem machinari cognoverat.* Hucuſque Procopius. Cui conformis Idatius: *Legati, ait, qui ad Imperatorem miſſi fuerant* (à Suevorum rege Remiſmundo, uno ante anno) *redeunt; nuntiantes ſub præſentiâ ſuâ magnum valde exercitum cum tribus ducibus lectis, adverſum Wandalos à Leone Imperatore deſcendiſſe; directo Marcellino pariter cum manu magnâ, eidem per Imperatorem Anthemium ſociatâ. Rechimerum generum Anthemii Imperatoris & Patricium factum. Aſparem degradatum ad privatam vitam, filium ejus occiſum: detectos adverſum Romanum Imperium Wandalis conſuluiſſe.* Hæc Idatius hoc anno Chronicon terminans. Aſparis tamen & filiorum necem tam Caſſiodori quàm Marcellini Chronicon ad annum Chriſti 471.

Aſpar & Ardaburius à Leone cæſi.

primùm refert. Vereor ut Ricimer quoque in Marcellini, cui ſemper infenſus fuit, necem conſpirârit. Atque hæc omnia de expeditione in Africam ſimul narrata voluimus. *Nunc ad Gallica redeamus.

CAPUT VI.

Anthemius contemnitur; à Patricio Romano, à Seronato, ab Eurico VVisigothorum Rege.

Annis Chriſti 4ϛ9 & 470.

Anthemius Imp. contemnitur. primùm à Patricio Romano

1. EA claſſis Romanæ diſſipatio, ut Genſerico magnos infudit animos; majorem apud ſuos exterosque peperit auctoritatem: ita multùm de novi Imperatoris Anthemii opinione detrivit: prorſus ut in barbarorum ille Romanorumque contemptum inciderit. Hinc plures, ut ſolet, in eum molitiones & conſpirationes. Primùm *Romanus* quidam *Patricius imperii fraudulenter ſategit arripere dignitatem*, ſed captus, *præcipiente Anthemio capite cæſus eſt.* ait Paulus Diaconus lib. 15. auctiore pag. 84. Grutteri. Idem habet Caſſiodorus, & ad *Severi Jordaniſque Conſulatum*, id eſt ad annum Chriſti 470. refert. Suſpicor id in Italiâ contigiſſe.

Tum à Seronato. Epiſt. 2. l. 2.

2. In Galliis non defuit *Seronatus*, quidam *ſæculi hujus Catilina*, ut vocat Sidonius, qui tunc *Aturribus*, ſeu adhuc Romanorum, ſeu Viſigothorum poteſtati ſubditis, è Novempopulania Arvernos adveniens, *ſanguinem fortunaſque miſerorum quas ibi ex parte propinaverat, ex aſſe miſcuit, & per dies ſpiritum diu diſſimulati furoris aperuit. Ructabat inter cives pugnas, inter barbaros literas. implebat quotidie ſylvas fugientibus, villas hoſpitibus, altaria reis, carceres Clericis. Exultans Gothis, inſultans Romanis, illudens Præfectis, colludénſque numerariis. Leges Theodoſianas calcans, Theodoricianáſque proponens: veteres culpas, nova tributa perquirit.* & mox: *Si nulla à Rep. vires, nulla præſidia; ſi nullæ, quantum rumor eſt, Anthemii Principis opes, ſtatuit ſe* (ad Ecdicium uxoris ſuæ fratrem, Aviti nuper Imperatoris filium ſcribit) *auctore Nobilitas ſeu patriam dimittere, ſeu capillos.* Hæc ibi Sidonius; qui ſub *Arvernâ Nobilitate* haud dubie ſe quoque intelligit; ac proinde aut patriam ſe relinquere, aut capillos tondere velle ſignificat, id eſt, ut ſuſpicor, Clericatum aſſumere. quod & hoc tempore fecit, uti mox.

Seronati in Gabalitanos crudelitas.

3. *Seronatus inde Gabalitanis* (rurſum Sidonius Epiſtola 13. libri quinti) *metu jam exanguibus è proximo illatus, ſingulos ſparſos inoppidatóſque nunc inauditis indictionum generibus exhauſit, nunc flexuosâ calumniarum fraude circumretivit: ne tum quidem laborioſas domum redire permittens, cùm tributum annuum dataviſſent.* Et mox: *In ſummâ, de Seronato vis accipere quid ſentiam? Ceteri affligi per ſupraſcriptum damno verentur; mihi latranis & beneficia ſuſpecta ſunt.* Ita vides quàm impunè per Gallias graſſarentur audaciſſimi latrones. Sed quis tandem hujus finis? dicit idem Sidonius: *Arverni amore Reip.*

Occiditur à Rep.

Seronatum Barbaris provincias propinantem, non timuere legibus tradere. Quem convictum deinceps Reſp. vix præſumpſit occidere.

Sid. l. 7. ep. 7.

Sidonius fit Ep[…]opus, anno ut videtur 470.

4. Hucuſque Sidonius; quem anni 469. exitu, aut ſequentis 470. initio quàm tardiſſimè, datum Arvernis Epiſcopum, Eparchii tum defuncti ſucceſſorem, infrà anno Chriſti 482. in ejus morte probabo. Renitentem & nondum Clericum ad Epiſcopi munus aſſumptum, teſtatur in ejus vitâ Sirmundus. Gregorius item Turonenſis lib. 2. cap. 21. addit eum *ex præfecto* nempe Urbis Romæ, *ſucceſſiſſe; virum ſecundum ſæculi dignitatem nobiliſſimum, & de primis Galliarum Senatoribus.*

Etiam Euricus Wiſigothorum Rex in Anthemium inſurgit.

5. Tanta Seronati audacia, & cum Gothis conjunctio; bellicum Eurici eorum Regis novi per hæc tempora motum indicare videtur. Quod & ex Jornande Getic. cap. 45. intelligimus. *Euricus,* ait, *Veſegotharum Rex crebram mutationem Romanorum Principum cernens, Gallias ſuo jure niſus eſt occupare. Quod comperiens Anthemius Imperator ante cædem ſuam patratam 11. Julii* anno Chriſti 472. auxilia *Britonum* ſuper Ligerim poſitorum, *poſtulavit. Quorum Rex Riothimus cum duodecim millibus veniens, in Biturigas civitatem* Gothis vicinam, *Oceano è navibus egreſſus, ſuſceptus eſt. Ad quas Rex Veſegotharum Euricus, innumerum ductans exercitum advenit, diuq; pugnavit.*

Bituriges impetit.

Nimirum Euricus, amoto jam terrificæ illius in Vandalos expeditionis metu, Anthemioque contempto, Bituriges, occupatis jam antè ut dixi Pictavis, naturæ quodam & vicinitatis ordine occupare moliebatur. Stimulabat præterea barbarica regni ad Ligerim ſaltem diffundendi cupiditas; nulla fœderum, nulla Dei cura. Nec deerat Ricimer popularis, in ſocerum Anthemium (ut mox dicam) commotior. quem Anthemius S. Epiphanio in ejus vita dicit, *etſi concitatione gentium nocere non potuerit, nocendi tamen fomenta ſuggeſſiſſe.* Non deerat item Genſericus Vandalorum & Alanorum in Africâ Rex; qui, ut Jornandes Getic. c. 47. *ſuis eum muneribus ad iſta committenda illiciebat; quatenus ipſe Leonis vel Zenonis inſidias, quas contra eum direxerant, præcaveret. Agebatq; ut Orientale Imperium Oſtrogotha, Heſperium Veſegotha vaſtarent; ut in utráque Rep. hoſtibus decernentibus, ipſe in Africâ quietus regnaret. Quod Euricus grato ſuſcipiens animo, totas Hiſpanias Galliaſq; ſibi jam jure propria* captabat.

A Ricimere & Genſerico incitatus.

Anthemius contra eum Riothimum Britannorũ profugorũ Regem Biturigibus præſidio imponit.

6. Hoc igitur tempore primum Biturigibus inhiabat: & occupaſſet haud dubiè, niſi Anthemius Britones è Britanniâ inſulà à Saxonibus pulſos, & in Gallias ſuper Ligerim aut jam antè admiſſos, aut quotidie de novo profugos, duce Riothimo in auxilium evocaſſet, & cum duodecim Britonum millibus præſidio Biturigibus impoſuiſſet; aut etiam fortè territorium iſtud cum indigenis incolendum indulſiſſet: prudenter ratus iis potius ſibi fidiſſimis, & à barbaris alieniſſimis, quàm Gothis offerendum. Hinc natum inter eos bellum, quod Anthemio (ut hic audis) adhuc ſuperſtite cœptum ne ejus quidem morte finitum, in Glycerii etiam imperium productum eſt. dum hinc Romani, hinc Odoacrius cum ſuis Saxonibus, hinc denique Franci Rege Childerico, Wiſigothos intra Ligerim continere volunt; & eorum contrà Rex Euricus Aquitaniæ Primæ & Secundæ reliqua in Septemtriónem ad Ligerim uſque, & ultra ſi poſſet, regni ſui limites porrigere magnâ cupiditate deſiderat. Certè Pictavos Aquitaniæ Secundæ maximè boreales, &

Romanis

Romanis diutiùs, fereque hactenus addictos, his demum aonis ſibi adjunxit; etſi de iis Gregorius ne meminerit quidem. De Biturigibus Aquitaniæ Primæ verſus Ligerim & Boream extremis, hoc quidem tempore, ſed valde jejunè confuſeque agere incipit; libro 2. capite 18. ſæpius ante memorato: nec finem narrat; ſolus Jornandes, de cebus Geticis cum pertexit, & ſub Glycerio contigiſſe inſionat, ut anno iſto 473. videbimus. Nam Euricum diu contra Riothimum Britonem ad Bituriges, diu inquam, pugnaſſe diſerte notat. Ita Anthemius qui Occidentis Imperio non parum profuturus ſperabatur, à pleriſque primò contemptus, deoique à genero Ricimere cæſus turbatum reliquit Imperium; à ſuis oppreſſus.

Contra quē diu pugnat Euricus.

CAPUT VII.

Ricimer denique in Anthemium ſocerum inſurgit, & Roma cadit. Succedit Olybrius.

Anno Chriſti 472.

1. VErùm Anthemium nullus æquè ut Ricimer gener contempſit, nullus adeò in exitium præcipitavit. Marcellino enim æmulo poſt infelicem Africanam expeditionem in Siciliâ (ut dixi) perempto, ad artes priſtinas reverſus hic barbarus jam metu vacuus, ſolita diſcordiarum ſemina jacere cœpit. quæ ex Ennodio hujus ævi ſcriptore in S. Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi vitâ depromere ſuadet amor veritatis, quo clariùs Imperii finem videamus. Ubi cùm Ennodius octavum Epiphanii Epiſcopi annum cum Nepotis Imperatoris primordiis comparet, prorſus Epiſcopatum iniiſſe vult anno Chriſti 467. Biennio igitur poſt, anno 469. Africanâ ſcilicet expeditione jam diſſolutâ, ſocerum generumque jam diſſidentes conciliaverit Epiphanius. Verba Ennodii: Jam *ſanctam Epiphanii converſationem, illa quæ licet in glorioſis actibus tardior eſſe ſolet fama, per univerſum mundum, & ad aures Ricimeris, qui tunc ſecundis ab Anthemio principe habenis Remp. gubernabat, detulerat. Nam Imperatore Romæ poſito, ſeminarium inter eos jecit ſcandali illa, quæ dominantes ſequeſtrat, invidia, & par dignitas cauſa diſcordiæ. Surrexerat enim tanta tabies atque diſſenſio, ut mutuò bella præpararent. & præterquam origo irarum proprios ſuggerebat ſtimulos, lis iſta circumſtantium conſilio nutriebatur. Nutabat ſtatim periclitantis Italia, & affligebatur ipſis diſcriminibus graviùs, dum expectabat futura diſcrimina.*

Annus Chriſti 469. S. Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi fama bona.

2. *Interea apud Ricimerem Patricium, Mediolani eâ tempeſtate reſidentem, fit collectio Ligurum nobilitatis: qui flexu genibus, ſoloque proſtrati, pacem orabant Principum, & ut ab ſcandalo utraque partes deſinerent, occaſiones gratiæ ab unâ precabantur offerri. Quid plura contexam? Mulcetur Ricimer; & velle ſe reparare concordiam, permotus multorum precibus pollicetur. Sed quis, aut potiſſimum legationis hujus pondus excipiet? quem tanta molis cura maneat? quis eſt qui Galatam concitatum revocare poſſit, & Principem? Nam ſemper cùm rogatur exuberat, qui iram naturali moderatione non terminat. Tunc uno omnes ore reſponderunt: Veſter tantummodo ad pacem declinetur aſſenſus. Eſt nobis perſona, nuper à Sacerdotium Ticinenſis urbis adſcita; cui eſt vultûs vita ſimilis, quem venerari poſſit quicumque, ſi eſt Catholicus & Romanus; amare certe, ſi videre mereatur & Græculus.* Noverat eum jam de famâ Ricimer. ſimul ergo accitum vidit, & elegit. Ita Epiphanius Romam petiit, ſæviente adhuc anni 470. hyeme.

Ricimer eū ad Anthemium pro pace mittit.

3. Suſpectam primo legationem hanc habuit Anthemius, tanquam callidâ generi arte procuratam. dubitavitque an Ricimero quidpiam indulgeret, quem intemperantem, & in conditionibus proponendis rationis terminum non tenere credebat. Sed ubi mellea Epiphanii verba excepit, *Inexplicabilis, ait, mihi, ſancte Antiſtes, adverſus Ricimerem cauſa doloris eſt; & nihil profuit maximis eum à nobis donatum fuiſſe beneficiis; conceſſa etiam pellito Getæ pro quiete communi filiâ. Quoties à nobis majoribus donis cumulatus eſt; toties gravior inimicus apparuit. Quanta contra Remp. bella præparavit? quantas externarum gentium per illum vires furor accepit? Poſtremò etiam ubi nocere non potuit, nocendi tamen fomenta ſuggeſſit. Huic nos pacem dabimus? hunc inteſtinum ſub indumento amicitiarum inimicum ſuſtinebimus, quem ad fœdus concordiæ, nec affinitatis vincula tenuerunt. Grandis cautio eſt, adverſarii animum cognoviſſe. Sed ſi in his omnibus Reverentia tua & vadis & mediator accedit, pacem quam poſcis negare non audeo. Me, ſtatumque Remp. tuis committo & commendo manibus: & gratiam, quam ſupplicanti & profuſo per ſe Ricimeri negare diſpoſueram, per te primus exhibeo.*

Annus Chriſti 470. Anthemii ad Epiphanium oratio.

concedens quod petebat.

4. *Ita Pontifex accepto etiam pro concordiæ firmitate ab Anthemio ſacramento, diſceſſit. feſtinans ad Liguriam reverti, quando Reſurrectionis Dominicæ tempus inſtabat; per quod macenatis jejuniorum cruce corporibus, carne frigidâ, ſpiritus hilaris recaleſceret: dum à Redemptore noſtro moriendo mors vincitur, & fidelis ſpei cibis anima ſaginatur. Viceſimo à ſe, cùm Romam egreſſus eſt, futurum Paſca dies promittebat. Tantâ tamen iter celeritate confecit, ut quartodecimo die improviſus & famam præveniens, Ticinum ingrederetur: comitibus ſane plurimis in viâ derelictis, quia nec abſtinentiam ejus ſuſtinere poterant nec laborem. Læta urbis tripudia attonito Ricimeri indicantur: pacem ſaltans conſono omnes ore clamitabant; exultatio infinita Provinciarum,* præcipuè Gallicarum: *& ſicut hominum mos eſt gratius habere quod redditur, quàm ſi omnino non pereat; dulcior erat concordia, quæ poſt litem revocabatur, & pax quæ jam deſperata contigerat.* Mediolanum itaque profectus, Legationis effectum renuntiavit. Fuit hoc anno Chriſti 470. Paſcha, Nonis ſeu quintâ die Aprilis. ſi viceſimo ante illud die Româ diſceſſit, Martii 17. diſceſſerit feria tertia poſt Dominicam 4 Quadrageſimæ jam 14. reditus die Ticinum pervenit, igitur 30. Martii, feriâ ſecundâ Majoris hebdomadæ.

Paſcha anni Chriſti 470. quinta Aprilis. Epiphanius Româ Ticinum ad Ricimerem venit.

& pacem impetrat, magno omnium præcipue Gallorum gaudio.

5. Sed non diu tenuit ea pax; ſecundo ab hinc anno, Chriſti 472. rupta. Utinam Ennodius hanc quoque hiſtoriæ partem texuiſſet! ſed tacet; quia Epiphanius huc non intervenit. Miſcella auctior Pauli Diaconi ita ſupplet: *Deinde barbaricâ perfidiâ fœdus Ricimer irrumpens (erat enim Gothus proſapiâ, materna) cum manu mox validâ in Urbem contendit, atque apud Anienis pontem* (qui Mulvius dicitur) *caſtra compoſuit. Diviſa itaque Roma eſt: & quidam favebant Anthemio; quidam Ricimeris perfidiam ſequebantur. Inter hæc Olybrius à Leone Auguſto*

Annus Chriſti 472. Ricimer pace ruptâ, Romam tēdit, ſocerū bello impetit.

Conſtan-

Interim Olybrius à Leone Romam Conſtantinopoli venit, novus Imperator.

Conſtantinopoli *miſſus*, credo ut pacem ſubſtitutus Anthemio reduceceret, *ad Urbem venit: vivóque adhuc Anthemio, regiam adeptus eſt poteſtatem, & Placidiam Valentiniani filiam duxit uxorem*, niſi paulò antè duxerat. Chronicum tamen Alexandrinum idem aſſerere videtur pag. 743. & 745. *Olybrius*, inquit, *Romam miſſus à Leone imperatore, coactus ibi, Imperator inauguratur, ducta uxore Placidia, illa à Vandalis è ſervitute liberata. Hi extruxerunt D. Euphemia Eccleſiam, quam Olybrii dixere. Genuit Olybrius ex Placidia Julianam, conjugem poſtea Ariobindi, magni illius Herois, qui in Perſide ſingulari certamine cum hoſte congreſſus eſt. Ex quibus natus eſt Olybrius junior.* Hæc in tranſitu.

Bilimer Galliarum Rector pro Anthemio.

6. Dum bellum hoc in Italiâ geritur, *Bilimer Galliarum Rector* (rurſum verba Miſcellæ ſeu Pauli Diaconi) *cognita adverſus Anthemium conſpiratione Ricimeris, Anthemio ferre præſidia cupiens, Romam properavit. Ibi cum Ricimere apud Hadriani pontem prælium committens, continuò ab eo ſuperatus atque occiſus eſt. Extincto Bilimere, mox victor Ricimer urbem invadens, quarto jam anno* (imo quinto expleto) *regentem jura. Imperii Anthemium gladio trucidavit quinto Idus Julias* (ait Innominatua Onuphrii, ſeu 11. Julii feria tertia.) *Præter famis denique morbique penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, inſuper etiam graviſſimè deprædata eſt; exceptis duabus regionibus, in quibus Ricimer cum ſuis manebat, cetera omnia prædatorum ſunt aviditate vaſtata. Sed non diutiùs de perfidia lætatus eſt Ricimer: nam poſt menſem tertium* (vix ſecundam) *excruciatus languoribus, & ipſe interiit.*] 15. *Kalendas Septembris*, ait idem Innominatus, ſeu 18. Auguſti, ſeu 39. die ab Anthemii cæde, incluſis extremis; quod Caſſiodorus *poſt 40. dies* expreſſit.

Eum Ricimer & Anthemium cædit.

Romam vaſtat.

mox & ipſe mortuus.

Succedit Olybrius.

7. *Mortuo Ricimere, ſubdit Miſcella, Olybrius Imperator Gundivarum ejus nepotem Patricium, quaſi gratias referens, efficit.* Et Innominatus, *quo anno Gundibalus* (ſic enim vocat) *Patricius factus eſt ab Olybrio Imperatore. Defunctus verò eſt Imperator Olybrius Romæ morte propria*, (addit Miſella) *10. Kal. Novembris*, ſeu 23. Octobris feriâ ſecundâ. *ſeptimo imperii menſe*, aiunt Caſſiodorus & Marcellinus in Chronicis. *dum 7. Menſes imperium geſſiſſet*, habet Miſcella; aut ut Jornandes Getic. cap. 45. *necdum octavo menſe in regnum ingreſſus.* Unde intelligimus, dictum illum Imperatorem Martio circiter exeunte, aut ineunte Aprili. Cumque ante Anthemii mortem pacatè non imperaverit, pacificus fuerit Imperator ab 11. Julii, quo ille cæſus, ad Octobris 23. quo Ricimer abſumptus, per dies dumtaxat 105. incluſis extremis, qui ſunt menſes tres, dies 12. Unde Ennodius in Epiphanii vitâ, *Defuncto Ricimere vel Anthemio, ſucceſſit Olybrius, qui in ipſis exordiis diem clauſit extremum.* Tam denſa Imperatorum funera, languens Imperium prorſus ad interitum deduxerunt.

paucis menſibus.

Quis fuerit Bilimer.

8. Ceterùm cum Bilimerem hic Galliarum Rectorem, & Gundibalum Patricium audiamus, quinam illi ſint inquirendum. Ac Bilimeris quidem, nullus quod ſciam præter Miſcellam hic meminit. Barbarum quempiam ſonat nomen; non Viſigothum, ut opinor; ſic enim ovem lupo credidiſſet Anthemius: Burgundionem potiùs arbitrarer, & Gunduico Burgundionum Principi, hactenus Militum in Galliis Magiſtro, per hæc tempora defuncto, ab Anthemio ſuffectum. ſic enim aptè & Galliarum Rector, & Anthemio benefactori opitulator eſſe potuerit. An Gundibalus ſeu potius Gundibaldus, & Gundivarus, unus idemque fuerit quæri poteſt. Ego non immoror. Gundibaldum quidem Burgundionem fuiſſe, ſequentia docebunt. *Filium Gundeuchi* teſtatur Gregorius lib. 2. cap. 28. *qui Rex Burgundionum fuit, ex genere Athanarici Regis perſecutoris.* quemque Militum pro Romanis Magiſtrum ex Hilari Epiſtola diximus. Fratres Gundobaldi tres ab eodem Gregorio memorantur, *Godegiſilus, Chilpericus, & Godomarus.* Ac ſicut Gundobaldus in Italia fortunam ſibi ſtruxit; ita Chilpericus in Galliâ, ubi illum Magiſtrum militum ſæpiùs ex Sidonii Epiſtolis infrà videbimus. Ita in Gallico Militum Magiſterio, Gundeucho ſeu Gunduico horum patri primum Bilimer, tum Bilimeri Chilpericus ſuffecti fuiſſent. Si quod notat paulò antè Miſcella, *Gundibalus Ricimeris nepos* extitiſſet; Gunduici ſeu Gundeuchi uxorem, Ricimeri ſororem fuiſſe intelligeremus; aut certè contrà, Ricimeri uxorem Gunduici ſororem extitiſſe. Adeo connubiis inter ſe copulabantur Barbari, magno Romanotum detrimento, majore cæcitate. ut mirum non ſit eos, ab iis extinctos, à quibus ſupinâ ignaviâ pendere volebant.

Quis Gundibalus.

CAPUT. VIII.

Glycerius Imperator. Euricus Rex novis Gothis auctus Biturigas occupat; quibus Sidonius Epiſcopum paulò antè dederat.

Anno Chtiſti 473.

Anno Chriſti 473. Glycerius imperat.

1. **P**oſt *Olybrii funus*, poſt menſium item quatuor & paulò ampliùs interregnum, Glycerius Domeſticus ſeu Domeſticorum Comes, *à Gundivare Patricio, totius etiam voluntate exercitus, apud Ravennam Imperator efficitur.* & quidem ut Innominatus Onuphrii, *III.* (potius IV.) *Nonas Martias*, ut ſit dies dominicus. nempe anno Chriſti 473. *Leone ſolo Coſ.* ut ipſe cum Caſſiodoro, & Marcellino Indict. XI. notat. *Glycerium Gundibaldo hortante Ravennæ ſumpſiſſe Imperium*, teſtatur etiam Caſſiodorus; & Marcellinus poſt Jornandem Get. câp. 45. *plus præſumptione quàm electione.* Quaſi dicerent, Glycerius, non ut Anthemius Olybriuſque à Leone Imperatore, legitimè electus ac ſubmiſſus; ſed Gundibaldi & exercitûs præſumptione ſubſtitutus cùm jam interregnum per 4. menſes, dies 12. aut 14. duraviſſet. Unde nihil eam militum præſumptionem moratus Leo, Nepotem non ita multò pòſt Imperatorem ipſe dixit, uti mox.

Poſt interregnum menſium quatuor & dierum aliquot.

2. Glycerio interim imperante, nova Oſtrogothorum è Pannoniis in Italiam ac Gallias inundatio contigit; quæ Galliarum ſtatum nonnihil immutavit. Sic enim Jornandes Getic. cap. 56. *Minuentibus deinde hinc inde vicinarum gentium ſpoliis, cæpit & Gothis victus veſtituſque deeſſe: & hominibus, quibus dudum bella alimoniam præſtitiſſent, pax cæpit*

Novus novorum Gothorum in Gallias adventus.

eſſe

eſſe contraria. Omnéſque cum clamore magno ad Regem Theodemir accedentes; Gothi, orant, quacumque parte vellet, ductaret exercitum. Qui accito Germano (fratre Widemir) *miſſáque ſorte hortatus eſt; ut ille in partem Italiæ, ubi tunc Glycerius regnabat Imperator, ipſe verò ceu fortior, ad fortius regnum accederet Orientale. quod & factum eſt. & mox Widemir Italiæ terras intravit: ubi extremum fati munus reddens, exceſſit rebus humanis; ſucceſſorem relinquens regni Widemir filium ſuum ſynonymum. Quem Glycerius Imperator muneribus datis, de Italiâ ad Gallias tranſtulit; quæ à diverſis circumcirca gentibus premebantur: adſerens vicinos ibi Veſegothas eorum parentes regnare. Quid multa? Widemir acceptis muneribus, ſimúlque mandatis à Glycerio Imperatore, Gallias tendit: ſeſeque cum parentibus jungens, unum corpus efficitur. Et ſic Gallias Hiſpaniáſque tenentes, ſuo jure defendunt; ut nullus ibi alius prævaleret.*

Duce Widemiro Patre & filio.

probante & hortante Glycerio.

3. *Theodemir autem frater ſenior cum ſuis tranſit Savum amnem; Naiſſum capit.* Theodericum filium, poſtmodum Italiæ Regem in Græciam præmittit. hic Ulpianam, & Meſtobis primùm; tum etiam Theſſaliæ civitates Heracliam atque Lariſſam ſuas facit. Theodemir quoque Naiſſo egreſſus Theſſalonicam obſidet; ſed ab Hilariano urbis præfecto legatione muneribusque lenitus, acceptiſque diverſis ad habitandum urbibus, compoſitâ pace quievit. Nec multò pòſt in urbe Ceris morbo abſumptus, Theodericum filium reliquit hæredem, quem Zeno tunc Imperator ad ſe evocans in filium adoptavit, Conſulem anni Chriſti 484. conſtituit; & denique contra Odoacriom in Italiam miſit. ut ſuo loco. Hæc omnia Jornandes. Nempe Ricimere, anno priore mortuo; quem hactenus unum præcipuè timuerant, juxta illud Sidonii, *Norticus Oſtrogothum quod continet, iſte pavori eſt*; Oſtrogothos novæ hujus incurſionis impetum cepiſſe, vero ſimile eſt.

Theodericus Oſtrogothus paulo poſt Rex Italiæ.

4. Sed ut in Galliis noſtris hæreamus; ſimulac Widemir ex Italiâ per Viennenſem in Aquitaniam venit, Viſigothiſque ſe junxit; animos Eurico eorum Regi mirè auxit: *innumerámque* ejus (quod Jornandes etiam ſupra, cap. 45. notabat tametſi confuſiùs) effecit exercitum. Quare nihil veritus Romanos & Biturigas, licèt duodecim millium Britannorum exercitu, duceque Riothimo feroces: civitatem eam rurſus & animoſiùs aggreſſus eſt. In Britannos igitur Biturigibus agitantes innumerum ſuum ductans exercitum, inopinatusque ſupervenicos, *Riothimum Britonum Regem* (verba Jornandis) *antequam Romani in eorum ſocietatem conjungerentur, ſuperavit. Qui amplâ parte exercitus amiſſâ, cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore fœderatam, advenit.* Locum pugnæ etiam indicat Gregorius Turonienſis libro 2. cap. 18. *Britanni de Bituricâ* civitate, Aquitaniæ Primæ Metropoli, *à Gothis expulſi ſunt; multis è ſuis apud Dolenſem vicum peremptis.* Dolenſis vicus nomen etiamnum retinet, vulgo *Bourg de Deol*; ad Angeris fluvii caput; gallicis circiter 13. leucis in Africum, ab Avarico Bituricenſium urbe diſiunctus: ubi Abbatia celebris eſt S. Benedicti, multorum per Gallias beneficiorum patrona.

Ita Euricus Rex aucto exercitu Biturigas capit.

Ex Jornande.

5. Ibi ergo Britannis primùm cæſis, Euricus urbem Bituricenſem invaſit & occupavit. Ita Bituriges anno Chriſti 473. nempe ſub Glycerio, fortè & 474. à Romanorum imperio tandem avulſi, in Wiſigothorum ditionem tranſierunt: donec pugnâ Vocladenſi in Pictavis, à Chlodoveo contra Alaricum Eurici filium, annis abhinc 34. commiſſâ, Francorum regno adjuncti ſunt; ſub quo etiam hodie per tot ſæcula degere pergunt. Unde colligo reſidua capitis iſtius Gregorii 18. & 19. inter annos 473. aut 474. & 482. quo Childericus Rex vivis exceſſit, planè referenda. Porrò Riothimus Britonum iſtorum Gallicorum Rex fuſus fugatuſque, cum ſuorum reliquis ad Burgundiones vicinos, qui tum adhuc Lugdunenſem Primam, & cetera trans Rhodanum pro Romanis tuebantur, confugit: Gunduico, ut dixi, Bilimereque jam mortuis; & Chilperico Gunduici filio militum Magiſtro patris loco regente.

Burgundiones adhuc Romanis fœderati.

6. Atque hæc omnia iſto uno Chriſti anno 473. geſta, unico priore capite ſimul junxi; ne civilem civitatis unius ejuſdemque ſeriem interrumperem. Alioquin Eccleſiaſtica quædam etiam Bituricenſia ante annum 473. intercurſant; quæ hic narranda cenſeo; ut Belgii noſtri ſtatum per hos annos Eccleſiaſticum, aliàs obſcurum, tanquam ex viciniâ & populari gentis conjunctione, quomodocumque poſſim eruere. Neque tamen hæc quantumvis primâ ſpecie externa, à noſtro tamen inſtituto lector ſtatim exiſtimare debet; quando populorum etiam diverſorum geſta, ita ſibi mutuo ſæpiùs immixta ſunt, ut unum ſine altero vix intelligi poſſit. Quod ſi ullibi, hîc maximè fit, in iſto Imperii Romani generali caſu ſupremaque ruinâ: cum omnes barbari in illud, uno velut humero in parietem inclinatum incumberent.

CAPUT IX.

Bituricenſem Epiſcopum novum Simplicium Sidonius eligi ſacrariq; curat. Quinam in eâ re iſtius ævi ritus.

Anno Chriſti 471.

1. QUoniam igitur in Biturigibus adhuc ſumus, antequam ab iis ad Arvernos cum Eurico tranſeamus; juvat Simplicii eorum per hoc tempus Epiſcopi electionem ex Sidonio audire; quo Eccleſiaſticum Galliæ ſtatum ex unâ iſta, velut ex ungue leonem, eliciamus. Biennio igitur circiter ante captum à Gothis Avaricum, nempe anno adhuc Chriſti 471. Eulodio Epiſcopo mortuo, Sidonius ad novi electionem, ipſe adhuc in eo munere novus, advocatus eſt. Verba ejus ad Agroecium Senonenſem Archiepiſcopum Epiſtolâ 5. libri 7. audiamus: *Bituricas decreto civium petitus adveni. Cauſa fuit evocationis titubans Eccleſiæ ſtatus: quæ nuper ſummo viduata Pontifice, utriuſque profeſſionis ordinibus ambiendi officii quoddam claſſicum cecinit. Fremit populus per ſtudia diviſus: pauci alteros, multi ſeſe non offerunt ſolùm, ſed inferunt. Tam præcipites animi ſunt plerique, tamque periculoſi; ut ſacroſanctam ſedem dignitatémque affectare, pretio oblato non reformident. & res jamdudum in nundinum miſſi, auctionémque potuit; ſi quàm paratus invenitur emptor, venditor tam*

Biturigibus Sidonius Simplicium paulo ante dederat Epiſcopum.

Annus Chriſti 471.

Adjutore Agroecio Senonenſi Epiſcopo.

deſperatam

deſperatus inveniretur. Proinde quaſo, ut officii mei novitatem (nota) *pudorem, neceſſitatem, ſpectatiſſimi adventus tui omnes contubernio, tutetis auxilio. Nec te, quanquam Senonia caput es, inter hac dubia ſubtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum: quia minimum refert, quod nobis eſt in habitatione diviſa provincia, quando in Religione cauſa conjungitur. His accedit, quod de urbibus Aquitanica Prima, ſolum oppidum Arvernorum Romanis reliquum partibus bella fecerunt. Quapropter in conſtituendo prafata civitatis Antiſtite, provincialium Collegarum deficimur numero, niſi Metropolitanorum reficiamur aſſenſu. De cetero quod ad honoris veſtri ſpectat prarogativam, nullus à me hactenus nominatus, nullus adhibitus, nullus electus eſt; omnia cenſura tua ſalva, illibata, ſolida ſervantur. Tantum hoc meum duco, veſtras invitare perſonas, expectare voluntates, laudare ſententias. & cum in locum ſtatumq́; Pontificis quiſque ſufficitur, ut a vobis praceptum, à me percedat obſequium.* &c.

Quid inde colligi poſſit, pro Epiſcoporum ejus ævi electione.

2. Hæc Sidonius, multa paucis de ſtatu Galliarum hujus temporis indicans: Clericorum ambitionem ac Simoniam: Bituriges ſolos cum Arvernis ex Aquitaniâ Primâ cum Arvernis reliquos; ac proinde Gabalitanos, & Velaunos ſeu Anicienſes Viſigothorum tunc fuiſſe; Senonas adhuc integros ſub Romanorum Imperio manſiſſe. Sidonium tunc in officio Epiſcopali novum extitiſſe: Epiſcoporum denique conſtituendorum eâ tempeſtate morem atque ritum. Scripſit & ad Euphronium Auguſtodunenſem Epiſcopum, ut vel adeſſe, vel ſenſum ſuum ſuper Simplicii electione edicere vellit: quem laudat, etiam Arrianis illum non vituperantibus. Unde videmus etiam Æduos hoc anno 471. ſub Romanis adhuc vixiſſe, Burgundione Chilperico eos nonniſi Magiſtri Militum titulo deſendente ſub Anthemio.

Epiſt. 11. l. 7.

Sidonii ad Perpetuum Turonēſem Epiſcopum epiſtola; de ingenti cōpetitorum numero. Ep. 9. l. 7.

3. De eâdem re, tametſi poſt electionem, ad Perpetuum quoque Turonenſem Epiſcopum ſcripſit; qui ab anno Chriſti 454. uſque ad 484. ſedit, per annos omnino 30. *Cùm me partium ſeditiones, ſtudia, varietates in diverſa captarent, ſic dictandi mihi materiam ſuggerebat injuria* (nempe concionem ad populum die electionis habendam) *quod tempus occaſio ſubtrahebat. Etenim tanta erat turba competitorum, ut Cathedra unius numeroſiſſimos candidatos nec duo ceepere ſcamna potuiſſent. Omnes placebant ſibi, omnes omnibus diſplicebant. Neque enim valuiſſemus aliquid in commune conſulere, niſi judicii ſui faciens plebs lenita jacturam, ſacerdotali ſe potiùs judicio ſubdidiſſet. Presbyterorum ſanè paucis angulatim fringultientibus, porrò autem palam ne muſſitantibus quidem; quia plerique non minus ſuum quam reliquos ordines pertimeſcebant. Igitur dum publicè totos ſinguli cavent; factum eſt, ut omnes non aſpernanter audirent, quod deinceps ambienter expeterent.* Hæc ad Perpetuum Sidonius; cui ſubdit concionem ſanè elegantem, tametſi, ut ait, *duabus vigiliis unius noctis aſtiva* (nota tempus anni) *dictatam*, & paulò pòſt ad Clerum & plebem Agroecio Senonenſi Archiepiſcopo præſente habitam.

Ejuſdem ad Bituriges ſermo ſeu concio.

Ex qua multa colligere licet.

4. In ea ad hiſtoriam maximè Eccleſiaſticam notanda occurrunt. *Primò*, Sidonium in Epiſcopali munere novum eſſe. *Secundò*, ei tamen, licèt adhuc incipienti, Pontificis eligendi mandatum ab omnibus arbitrium, etiam coram Archiepiſcopo Agroecio: *qui tamen inſtitutione, facundiâ, privilegio, tempore, atate praſtantior* ibi dicitur. *Tertiò*, *Sidonium ad Clericatum* (Epiſcopalem) *de ſaculari profeſſione tranſlatum.* *Quartò*, cum Spiritu Sancto in teſtem aſſumpto, non alium Epiſcopum elegiſſe, niſi *quem competentiſſimum credidiſſet, ſtatu ſatis ſupérque trutinato perſona, temporis, provincia, civitatis.* *Quintò*, *Simplicium hactenus ſacularem, abhinc Eccleſiaſtici ordinis habendum Comitem, ita utrique parti vel actu vel profeſſione reſpondere, ut & Reſp. in eo quod admiretur, & Eccleſia poſſit invenire quod diligat. Si Natalibus ſervanda reverentia ſit; parentes ejus aut Cathedris aut tribunalibus praſediſſe: illuſtrem in utraque converſatione proſapiam, aut Epiſcopis floruiſſe, aut Praſectis. Perſonam ejus tenere inter ſpectabiles principes locum. Eucherium & Pannychium viros illuſtres, haberi quidem ſuperiores: ſed ex Canone ad cauſam hanc non requiri, qui ambo ad ſecundas nuptias tranſiiſſent. Annos Simplicii eos eſſe, ut haberet efficaciam de juventute, de ſenectute conſilium, certare in eo naturam doctrina; cujus humanitas Civi, Clerico, peregrino, minimo, maximóque etiam ſupra ſufficientiam offeratur. Si neceſſitas arripienda legationis incumbat, non illum ſemel pro Biturigibus ſtetiſſe ante pellitos Reges* (Gothos) *vel ante Principes purpuratos* Imperatores. *Illum eſſe, cui tenebris ergaſtularibus conſtituto, multipliciter obſerata barbarici carceris divinitus clauſtra patuerint. Illum adhuc juvenem, militem, tenuem, ſolum, adhuc filiumfamilias, Eccleſiam Biturigibus extruxiſſe. Uxorem illi de Palladiorum ſtirpe deſcendere, qui aut literarum aut altarium Cathedras cum ſui ordinis laude tenuerint: fœminam omnino, qua reſpondeat Sacerdotii utriuſque familia, vel ubi educata crevit, vel ubi electa migravit. Filios utrumque bene & prudenter inſtituere; quibus comparatus pater inde felicior incipiat eſſe, quod vinceretur.* Denique ita concludit: *& quia ſententiam parvitatis mea in hac electione valituram eſſe jurâſtis* (*ſi quidem non eſt validiùs dicere ſacramenta quàm ſcribere*) *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Simplicius eſt, quem Provincia noſtra Metropolitanum, civitati veſtra ſummum Sacerdotem fieri debere pronuntio.*] Hunc Epiſcopalis electionis modum ita fusè huc retuli, ut quid in Belgicâ noſtra caſu pari contigerit, eliceremus. S. Remigius totius populi voce, omniumque Comprovincialium Epiſcoporum conſenſu electus eſt: hic Simplicius ab uno ſolo Comprovinciali: quia populus Clerusque diſcors, jus ſuffragii ſui in Sidonium juramento tranſtulerat.

Bigamos ad Epiſcopatū nōn admitti.

Simplicii in Epiſcopum electi laudes.

circa æſtatem anni Chriſti 471.

5. Ita Simplicius ad Bituricenſem Metropolim Sidonii electione promotus eſt: æſtate, ut notat Sidonius; anni ut puto 471. tum quia adhuc novus erat in Epiſcopali officio Sidonius, tum quia intra proximum biennium quàm tardiſſimè, Bituriges in Gothorum & Eurici poteſtatem venerunt, Romanis erepti. Cum Riothamo, dum eos adhuc præſidio inſideret, Sidonius hujus electionis occaſione, amicitiæ fœdera contraxit; & ad eum Epiſtolam nonam libri 5. ſcripſit, quâ cujuſpiam Arverni mancipia, Britannis clam ſollicitantibus abducta queritur, & reddi poſcit: Britannos illos *vocans argutos, armatos, tumultuoſos; virtute, numero, contubernio contumaces.* Itaque Ligerianum Romani Imperii limitem Viſigothis oppoſitum, tres maximè gentes tuebantur; Britanni, pars quidem Duce Riothimo Bituriges; pars altero Duce veriſimiliter Nannetas: Odoacrius Saxo cum ſuis Andegavos forte & Turonos, & vicina: Arvernos denique Burgundiones, ut ſæpiùs notat in Epiſtolis

Civitates Gallicæ Wiſigothos circumdantes.

Sidonius.

Sidonius. Probabiliſque eſt conjectura expacatâ hac Metropolitani electione, halcyonios quoſdam Euricum inter & Romanos fuiſſe dies, quibus tamen paulò pòſt Ricimeris & Anthemii diſcordiæ turbulentos ſubſtituerint; multo autem magis Widemir cum Oſtrogothis ſuis adjunctus; cujus ope Euricus Bituriga quantumvis munitos aggredi nihil veritus ſit; & ex iis in Arvernos etiam munitiores gradum fecerit: quos hoc & ſequenti anno 474. affligere, ſubinde & obſidere non ceſſavit; ut ex pluribus Sidonii patet epiſtolis, quas vide.

Gothica depopulatio, ex Sid. ep. 12. l. 6. poſt Biturigas captos, & adjunctos Widemiri Oſtrogothos.

6. Addam tamen hic ejuſdem Eurici in Catholicos Epiſcopos væſaniam, ex eodem Sidonio, ep. 6 lib. 7. ſcriptâ ad Baſilium Aquarum Sextiarum Antiſtitem, poſt Biturigas ſubjugatos, ante captos Arvernos: *Evarix*, inquit, *Rex Gothorum, quod limitem regni ſui, rupto diſſolutóque fœdere antiquo, vel tu'atur armorum jure vel promovet, nec nobis peccatoribus hic accuſare, nec vobis ſanctis hic diſcutere permiſſum eſt.* & mox: *Sed quod fatendum eſt, præfatum Regem Gothorum, quanquam ſit ob virium merita terribilis* (adjuncto Widemere) *non tam Romanis mœnibus, quàm legibus Chriſtianis inſidiaturum paveſco. Tantum, ut ferunt ori, tantum pectori ſuo, Catholici mentio nominis acet. ut ambigas ampliúſne ſuæ gentis, an ſuæ ſectæ* (Arrianæ) *teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc ſolum patitur errorem, quòd putat, ſibi tractatuum conſiliorúmque ſucceſſum tribui pro religione legitimâ, quem potiùs aſſequitur pro felicitate terrenâ. Propter quod diſcite citò, Catholici ſtatùs valetudinem occultam, ut apertam feſtinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani* (nota) *Eluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multóque jam major numerus civitatum, ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis* (*per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur*) *latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit.* &c. *Nulla in deſolatis cura Diœceſibus parochiiſque. Videas in Eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valvarum cardinibus avulſis, Baſilicarum aditus hiſpidorum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa* (*pro dolor!*) *videas armenta non modò ſemipatentibus jacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci. Sed jam nec per ruſticas ſolùm ſolitudo parochias: ipſa inſuper urbanarum Eccleſiarum conventicula rareſcunt. Quid enim fidelibus ſolatii ſupereſt, quando clericalis non modò diſciplina, verùm etiam memoria perit. Equidem cùm Clericus quiſque defungitur, ſi benedictione ſuccidua non accipiat dignitatis hæredem, in illâ Eccleſiâ Sacerdotium moritur, non Sacerdos. Atque ita quid ſpei reſtare pronunties, ubi facit terminus hominis finem Religionis? Altiùs inſpicite ſpiritualium membrorum damna: profectò intelligetis, quanti ſubripiuntur Epiſcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam. Taceo veſtros Crocum* Nemauſenſem *Simpliciúmque* (an Biturricenſem?) *collegas, quos Cathedris ſibi traditis eliminatos, ſimilis exilii cruciat pœna diſſimilis. Námque unus ipſorum ſe dolet non videre quò redeat; alter ſe dolet videre, quò non redit.* &c. *Agite, ut Epiſcopali ordinatione permiſſâ, populos Galliarum, quos limes Gothicæ ſortis incluſerit, teneamus ex fide, etſi non tenemus ex fœdere.*

Qui perſecutionem iſtam maximè paſſi ſint.

Epiſcopis cæſis, Baſilicis deſtructis.

7. Hæc omnia Sidonius, & ex eo Gregorius Turon. lib. 2. cap. 25. ſeriùs tamen narrans; quæ nos etiam ad Belgicam noſtratem hujus ævi Eccleſiam applicare poſſumus. Nam licèt Franci Arriani non eſſent, qui Catholicos perſequi vellent; Ethnici tamen ut plurimum erant; quibus etſi fidei Catholicæ tantum odium non inerat; contemptus & negligentia non aberat: quo fiebat, ut neque Epiſcopos defunctis ſufficere curarent; nec labantes temporis injuria Baſilicas erigerent. Ita terminus Epiſcoporum, finem religionis invehebat: quæ ſanè à primâ Vandalorum & Francorum irruptione, valde exilis & ægra in Belgio noſtro, ad Chlodovei uſque baptiſmum permanſiſſe videtur: nullis interim Epiſcopis, aut Taruanæ in Morinis, aut Nemetaci Nemetocennæve in Atrebatibus, aut Bavaci Cameracive in Nerviis, aut Tornaci in Menapiis: tantùm fortè Advatucæ in Tungris; qui ſoli Belgarum hodiernorum erant Epiſcopi. In reliqua Belgica Treviris duntaxat, ut Coloniæ, Metis item, Virduni, Ambiani, & Veromanduis, in Belgii noſtri extimis inerant veriſimiliter aliqui. Hæc de Eccleſiaſticis; nunc ad civilia, & annum Chriſti 474. tantiſper intermiſſum redeamus.

In Belgio noſtro ſub Francis, tùc Epiſcopi vix ulli.

CAPUT X.

Imperii Romani in Italia ſub Nepote magna inclinatio. Arverni in Galliis Eurico VViſigoto dediti.

Annis Chriſti 474. & 475.

1. IS fuit ſub Imperatoribus Anthemio, Olybrio, Glyceriòque tam Eccleſiaſticus quàm ſæcularis Aquitaniarum ſtatus, ea conditio uſque ad annum Chriſti 474. Sequebatur ut idem in Belgicâ latè ſumptâ præſtaremus, & Childerici Francorumque progreſſus inquireremus. Sed quia de eorum geſtis (quæ ſeptemdecim annorum intervallo, quot à Childerici reſtitutione ad ejuſdem mortem interfluunt, plurima illuſtriaque fuiſſe non dubitamus) pauca nobis reliquit Scriptorum inopia; reliquorum Imperatorum, qui bini tantùm ſuperſunt, Nepotis inquam & Auguſtuli geſta, priùs explicare conſilium eſt.

Annus Chriſti 474.

2. Jornandes de Reg. ſucc. cap. 101. *Occiſo Romæ Anthemio*, Olybrio defuncto; tametſi Glycerius ab exercitu & Gundibaldo Burgundione Patricio Imperator dictus eſſet; Leo Orientis Imperator quaſi jure ſuo, *Nepotem filium Nepotiani* (Militum in Hiſpania Magiſtri, & anno 464. mortui, ut ex Idatii Chronico haurimus) *copulatâ ei nepte ſuâ in matrimonio, apud Ravennam, per Domitianum clientem ſuum Cæſarem ordinavit. Qui Nepos regno potitus legitimo* (utpote à vero Imperatore ſubmiſſus) *Glycerium, qui ſibi tyrannico more regnum impoſuiſſet, ab Imperio expellens, in Salonâ Dalmatiæ Epiſcopum fecit*; vix anno imperii expleto. In Portu tamen Romano dejectum, ſcribit idem Jornandes Getic. cap. 45. & Innominatus Onuphrii: *Leone juniore Cos.* (anno ſcilicet 474.) *Dejectus de Imperio Glycerius in Portu urbis Romæ. Eo anno levatus eſt Dominus Julius Nepos 8. Kal. Julias.* Idem dicunt Caſſiodorus, & Marcellinus anno ſequente; qui addit, *Nepotem ſororis Marcellini Patricii*, nuper credo anno

Glycerius à Nepote imperio dejicit. à Leone miſſus.

Chriſti 468. in Siciliâ cæſi, *filium* extitiſſe. Et quia Marcellinus auctior libro 26. notat *Nepotem Patricium inopinatè cum exercitu ſuperveniſſe*; opinor eum primò Ravennam mari appuliſſe; ibique Cæſarem dictum inde Romam ſubitò profectum, Glycerium in portu Romano regiâ poteſtate exuiſſe, & Epiſcopum ordinari curaſſe; mox Junii 24. Imperatorem & Auguſtum *Romæ* (ut disertè Marcellinus etſi anno ſeq.) dictum.

& ejus Patricium Gundibaldum.

3. Glycerio dejecto, ejus quoque Patricius & promotor Gundibaldus, Italia (in qua biennium penè ſub hoc & Olybrio texerat) profugerit, & in Gallias ad Burgundiones ſuos, fratremque Chilpericum, Militum pro Romanis hactenus ibi Magiſtrum ſe retulerit. Hunc haud dubiè contra novum Imperatorem Nepotem incitare niſus fuerit: quod cùm non impetraret, primùm ei convixerit, patrimonii ſui ſortem obtinens. Mox mutato rerum Principumque ſtatu, de eo perimendo conſilia hauſerit, quæ & poſt annum, collecto trans Rhenum milite expleverit. Chilpericum quidem pro Nepote ſtetiſſe, ſequentia manifeſtè docent: ſcilicet muneribus & aliquot urbium conceſſione ut tunc ſolebat, ultro à Nepote devinctum. Quâ enim aliâ ratione Nepos ſtatim cum Eurico Viſigotho remotiore commercium habuiſſet & per legatos de quiete & pace in Galliis ſtatuendâ egiſſet, Burgundo viciniore contempto? Atqui illud aſſerit in Epiphanii vita Ennodius; ubi ſic legimus cap. 11.

Ennodii de Nepote narratio.

4. *Poſt Glycerium Nepos ad regnum acceſſit. Tunc inter eum & Toloſa alumnos Getas, quos ferreâ Euricus Rex dominatione gubernabat, orta diſſenſio eſt. dum illi* (Wiſigothi) *Italici fines Imperii, quos trans Gallicanas Alpes porrexerat Nepos, novitatem ſpernentes, non deſinerent inceſſere. E diverſo Nepos, ne in uſum præſumptio maleſuada duceretur, diſtrictiùs cuperet commiſſum ſibi a Deo regnandi terminum vindicare. Hinc utrimque cœperunt litium fomenta conſurgere. Et dum neutræ partes conceptum tumorem vincendi ſtudio deponunt, ſic exſuperabat cauſa diſcordia.* Hæc ibi; *novitate* Nepotis, ut ait; nulla de Burgundionum diſcordiâ mentione; ſine quorum etiam conſenſu nunquam ex Italiâ ad Gothos terrâ, niſi per Maſſilienſem Arelatenſemque provinciam tranſire potuiſſet Nepotis Legatus.

Qui ab Eurico Wiſigoto diſſentit.

5. *Attigerat jam beatiſſimus vir* Epiphanius *octavum in Sacerdotio* ſeu Epiſcopatu Ticinenſi *annum*, qui cum hoc Chriſti 474. componitur. *Cum repentè Nepotis animum ſummovenda diſſenſionis amor infudit; ut repulſo ſimultatis veneno ſervaret inter Reges caritas, quod tueri arma vix poterant. Evocantur ad conſilium Liguriæ lumina, viri maturitatis; quorum poſſit deliberatione labans Reip. ſtatus reviviſcere, & in antiquum columen ſoliditas deſperata reſtitui. tantique ad tractatum coiere ex juſſu Principis, quanti poterant eſſe Rectores. Seritur de ordinanda legatione ſermo: in beatiſſimum Epiphanium mentes omnium & oculi diriguntur.* Ille occaſionem laboris lubens amplectitur, ſpe effectum præcipit, ſuſcipit, & implet. Ticino egreſſus, *ſæpè torum viridantis ceſpite ſternens* (nempe nondum tranſactâ æſtate) Toloſam tandem, ubi Euricus tunc degebat, ingreſſus eſt. *Erat præterea ea tempeſtate conſiliorum Principis & moderator & arbiter Leo*, vir eloquentiſſimus; qui tamen Epiphanii Legati facundiam maximè ſuſpexit. Ad eum ergo Rex ut interpretem locutus, intemeratam ſe concordiam cum Nepote ſervaturum promiſit. Ita Epiphanius altero die Toloſâ egreſſus, per Medianas Inſulas, Stœchadas, Lerum, ipſamque nutricem ſummorum montium Lerinam, Ticinum rediit; Nepoti effectum peractæ legationis inſinuavit, creſcente laudum ſuarum cumulo. Hæc ex Ennodio.

Epiphanii ad Euricum Legatio, proſpera & reditus.

ANNUS Chriſti 475.

6. Verùm non diu tenuit ea pax. Euricus enim & Nepotis imbecillitatem, & Imperii Romani labantes vires conſiderans, novum regni ſui ut ad Ligerim ſic ad Rhodanum promovendi reſumpſit impetum. Quare interjectas gentes, ut rectè Sirmundus noſter in Sidonianam libri tertii Epiſtolam primam, rupto mox fœdere, ſi non ejuſdem anni 474. exitu, certè ſequentis 475. exordio, armis aggreſſus, earum Epiſcopos odio Catholicæ partis, homo barbarus & Arrianus, partim exilio partim ferro multat. quod Epiſtola 6. libri 7. Sidoniani ex parte ſaltem docet & nos ſuprà cap. 9. narramus. Arvernos, qui ex Aquitania Prima poſt captos Biturigas reliqui Romanis erant, obſidet; fortiter eos propugnante Ecdicio Comite Sidonii ſororio, & Militum Magiſtro; uſque adeo ut Euricum obſidionem ſolvere, & in hiberna diſcedere coëgerit. Pro quo vide Sidonium Epiſtola 3. lib. 3. Cum ecce Licinianus Quæſtor (de quo Sidonius lib. 3. Epiſtola 7. & lib. 5. ep. 16.) ad Gothos à Nepote Româ miſſus, Arvernos ex pacto dedi jubet, unius civitatis jacturâ reliquarum ſalutem redempturus. A Viſigothis ſcilicet auxilia, pacémve in Galliâ ſperabat Nepos.

Bellum nihilominus in Arvernos relaturus Euricus.

Quos ſtrenuè defendit Ecdicius.

Illi tamen tandem deduntur.

7. Sed quomodo, inquies, Arvernos dedere potuit Nepos, quos ex Sidonio carm. 12. Burgundionum præſidio tum inſeſſos conſtat? Id nempe eſt, quod ſuprà monere cœpi, adhuc à Nepote ſtetiſſe; & ſicut anno ante hunc ſecundo Anthemius Riothimum Britonum Ducem Biturigibus immiſerat; ita Nepotem Burgundiones Arvernis contra Euricum impoſuiſſe; imo & Epiſcopos nonnullos, puta Leontium Arelatenſem, Baſilium Aquæſextienſem, Græcum Maſſilienſem, Fauſtum Reienſem, & ſimiles, regendis Galliarum partibus iſtis, vicariâ poteſtate ſubſtituiſſe. De quo ita Sidonius ad dictum Baſilium ſcribit: *Tu ſacratiſſimorum Pontificum Leontii, Fauſti, Græci urbe, ordine, civitate medius inveniris. Per vos regni utriuſque* (Romani ſcilicet & Wiſigothici) *pacta conditioneſque portantur.* Et ſequenti ad Græcum Epiſtola: *Per vos legationes meant: vobis primùm, quanquam principe abſente, non ſolum tractata referantur, verùm etiam tractanda committuntur.* Ita prudenter Nepos ſuperiore iſta Epiſcoporum poteſtate, Burgundionum militarem unus utcunque frænabat; ne ſi ſoli imperarent, omnia in ſe verterent. Deditos autem Arvernos circa hujus anni 475. primordia, ſequentia docebunt.

Non obſtante præſidio Burgundionum.

Probantibus Provinciæ Epiſcopis.

8. Sed cùm Sidonius Arvernorum ipſorum Epiſcopus ab Imperio Romano invitiſſimus avelleretur; ſimul Barbari Regis in ſe ſuoſque iram vereretur, à quibus toties ille tamque pertinaciter repulſos fuerat; denique Arriani in Catholicos odium perhorreſceret; ad eoſdem Baſilium Græcumque concitatior, ad Græcum ita quidem ſcripſit: *facta eſt ſervitus noſtra pretium ſecuritatis alienæ. Arvernorum (pro dolor!) ſervitus! Qui ſi priſca replicarentur, audebant ſe quondam fratres Latio dicere, & ſanguine ab Iliaco populos computare. Si*

Ad quos Sidonius concitatior ſcribit.

recentia

recenſea memorabuntur, ut ſunt qui viribus propriis hoſtium publicorum arma remorati ſunt: cui ſæpe populo non fuit clauſo intra mœnia ... cum vi.. ipſis ipſe fieret oppugnatoribus poſitis intra caſtra terrori. Et mox: *Hoſtiane meruerunt inopia, flammis, ferrum, peſtilentia, pingues cædibus gladii, & macri jejuniis præliatores? Propter hujus tamen inclytæ pacis expectationem, avulſas murorum rimis herbas in cibum traximus; crebro per ignorantiam venenatis graminibus infecti? Pro iis tot tantiſque devotionis experimentis, noſtri (quantum audio) facta jactura eſt,* &c. *Cum in concilio convenitis, non tam cura eſt, publicis mederi periculis, quam privatis ſtudere fortunis. Quod utique ſæpe diuque facientes, jam non primi comprovincialium eſſe cœpiſtis, ſed ultimi. Ignoſcite afflictis, nec imputate mœrentibus; námque alia regio tradita ſervitium ſperat, Arverna ſupplicium.* Huculque Sidonii Epiſtolæ.

Quibus cõditionibus Arverni dediti.

9. Quibus porro conditionibus dediti ſint Arverni, nemo dicit. Ex dictis Epiſtolis duæ intelliguntur; prima ut *civium ſanguis riveret, quorum eſſet moritura libertas.* Secunda ex Epiſtola ad Græcum, *ut Epiſcopali ordinatione permiſſâ, populos Galliarum, quos limes Gothicæ ſortis incluſerit, teneamus ex fide (credo Catholicâ) etſi non tenemus ex fœdere.* Urbem tamen ita deditam, duo præcipui nobilioresque incolæ, Ecdicius atque Sidonius ſibi invicem ſororii, qui eam hactenus Romanis ſtrenuè defenderant relinquere & alio ſe conferre ſtatuerunt. *Præerat Arvernis* popularibus ſuis, ait Jornandes Getic. c. 45 *Romanorum Dux Decius* (melius Sidonius Ecdicium appellat) *nobiliſſimus Senator, & Aviti dudum Imperatoris* item Arverni *filius. Hic diu certaverat cum Wiſigothis* (ut magnificè narrat Sidonius Epiſtola 3. libri 3.) *nec valens anteſtare, relictâ patriâ maximeque urbe Arvernate hoſti; ad tutiora ſe loca collegit.* ad vicinos nempe Burgundionas, Romanis adhuc junctus; eoque Eurico ſuſpectos. unde ab eorum periculosâ familiaritate illum revocat eâdem Epiſtola Sidonius.

Ecdicius & Sidonius ſolum vertũt.

10. *Quod audiens Nepos Imperator, præcepit Decio, relictis Galliis, ad ſe venire: in locum ejus,* Militum ibi Magiſtri, *Oreſte Magiſtro Militum ordinato.* & contrà Ecdicio pro Oreſte in Patricium aſſumpto. ut idem indicat Sidonius Epiſtola 16. libri quinti. quod hoc eodem anno Chriſti 475. *Zenone Orientis Imperatore ſolo Conſule,* ait Anonymus apud Onuphrium Chronologus. Oreſtem ipſum id ægrè ferentem, ad Imperium à Nepote ad ſe, *5. Kalendas Septembris* ſive Auguſti die 27. die transferendum impulit, ut ſequenti mox capite dicam. Unde paret Arvernos initio hujus anni deditos. Sidonius verò Ecdicii ſororius, quintum jam annum Arvernorum Epiſcopus, æquè ſolum vertere coactus, quo ſe contulerit, infrà capite proprio narrabimus. Euricus interim Rex victor, Victorium Arvernis eorum loco impoſuit. qui ibi annos VI. non IX. ut Gregorius lib. 2. cap. 20. permanſit. Vide Sirmundum noſtrum, in Sidonium ad ejus Epiſtolam primam libri tertii.

CAPUT XI.

Quid Burgundionum Principes, quatuor fratres, hoc tempore in Galliâ geſſerint. Ex Sidonii Epiſtolis.

Eodem Anno Chriſti 475.

Gundibalus & fratres ejus regnũ ſibi aſſerut

1. QUia de Gundibalo Burgundione frequentem ſub Glycerio & Nepote mentionem fecimus; pauca hic de illo, & fratribus ejus inſeremus; quæ viam ad Galliarum inverſionem ſternere cœperunt; plura inferius ſuo loco reddituri. Nepotis Imperatoris expulſio, forte & ſequentium Tyrannorum intruſio, nonnullam in Galliâ Lugdunenſi, Viennenſique rerum mutationem induxit. Ecdicius imprimis in Italiam vocatus, tranſire tunc non potuit; privatam apud Burgundiones vitam duxit; bonis operibus, pauperum eleemoſynis, utique Deo deditus, ut Gregorius Turonenſis narrat lib. 2. hiſt. Franc. cap. 24. Deinde quatuor fratres Burgundionum Principes, Chilpericus, Godomarus, Gundibaldus, & Godegiſilus, filii Gundeuci; ſequentis invaſoris Oreſtis imperium agnoſcere noluerunt: ſed quas pro Romanis regebant circa Ararim Rhodanumque provincias, in quatuor partes ſeu Tetrarchias ſibi interim regendas diviſerunt. ſaltem donec Nepos reſtitui fortè poſſet.

Ex Sidonii epiſtolis.

2. Plura hujus rei in Sidonii Epiſtolis argumenta ſuperſunt. Ac primum Epiſtola ſexta libri quinti ad Apollinarem Thaumaſti fratrem ſibi conſanguineum: *Cum primùm,* inquit, *æſtas deceſſit autumno* (anni quantum diſpicio 474. *& Arvernorum timor,* (ne obſiderentur ab Eurico ſcilicet, fugato jam Nepote) *potuit aliquantiſper ratione temporis,* hyemis imminentis, *temperari, Viennam veni; ubi Thaumaſtum germanum tuum molliſſimum inveni. Timebat enim ne quam tibi calumniam turbo barbaricus, vel militaris continuaret improbitas. Námque confirmat, Magiſtro militum Chilperico, victorioſiſſimo viro, relatu venenato quorumpiam ſceleratorum, fuiſſe ſecreto inſuſurratum, tuo præcipuè machinatu, oppidum Vaſionenſe, partibus novi Principis* (nota) *applicari. Sed quid hinc tibi cuiſque ſuſpicionis incutitur, raptim doce, recurſu familiarium pagmatum: ut vobis ſollicitudinis aut præſentia mea opportunitas pereat. Curæ mihi peculiariter erit, ſi quid tamen cavendum exiſtimabis, ut te faciat gratia impetrata ſecurum, aut explorata iracundia cautiorem. Vale.*

Quæ varia docent.

3. Ubi primò notandum, Arvernos ſaltem ab expulſo Nepote, id eſt ab æſtate ſeneſcente. & autumno ineunte, novam à Gothis obſidionem veritos; donec incumbente hyeme, metus ejus abſciſſit. Secundò novum tunc fuiſſe Principem; utique Romanorum: quia aliarum gẽtium non Principes, ſed Reges dici conſueverant: ut benè hic Sirmundus noſter. Qui quidem Princeps nullus hic Oreſte commodior occurrit: quando ab Olybrio & Glicerio, quos Gundibalus Burgundio promovit, non videntur diſſenſiſſe Burgundiones; neque à Nepote,

Oreſtes novus Romæ Princeps. neſcie tamẽ adhuc Nepos.

ut jam ex Epiphanii legatione vidimus. Oreſtem verò cur, vivo præſertim adhuc Nepote, reciperent, nulla cauſa ſuberat, Pannonium genere hominem, Attilæ quandoque Notarium, licèt *virum ſapientiſſimum* Procopius appellet: Unde in Italiam Attila mortuo reverſus, Patriciam dignitatem obtinuerat.

Procop. l. 1. Gothic.

4. Firmat hæc omnia proximè ſequens ejuſdem Sidonii Epiſtola 7. lib. 5. ad Thaumaſtum ipſum Apollinaris fratrem: *Indagavimus tandem*, inquit, *qui apud Tetrarcham noſtrum* (nempe Chilpericum, diviſo jam inter reliquos tres fratres patrimonio, neſcio an non & regimine.) *germani tui, & è diverſo partium Novi Principis amicitias criminarentur: ſi tamen ſodalium ſagacitatem clandeſtina delatorum non ſefellere veſtigia. Hi nimirum ſunt, ut idem coram poſitus audiſti, quos ſe jamdudum perpeti, inter clementiores barbaros, Gallia gemit. Hi ſunt quos timent etiam qui timentur. Hi ſunt, quos hæc peculiariter provincia manet, inferre calumnias, deferre perſonas, afferre minas, auferre ſubſtantias. Hi ſunt, quorum laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias.* Et infrà: *Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certiùs amant; & ignaviâ pariter conſcientiâque trepidantes; cùm ſint in prætoriis leones, in caſtris lepores; timent fœdera, ne diſcutiantur; bella ne pugnent. His motibus obruunt virum, non minus bonitate, quàm poteſtate præſtantem. Sed quid faciat unus* (Chilpericus ſcilicet) *undique venenato vallatus interprete? quid, inquam, faciat, cui natura cum bonis, vita cum malis eſt?* & mox: *Sanè quod principaliter medetur afflictis, temperat Lucumonem noſtrum Tanaquil ſua* (Chilpericum ſcilicet uxor benigna) *& aures mariti viroſâ ſuſurronum face completas, opportunitate ſalſi ſermonis eruderat. Cujus ſtudio ſcire vos par eſt, nihil interim quieti fratrum communium* (Apollinaris & Thaumaſti) *apud animum communis patroni* (Chilperici Sidonio quoque peramici) *juniorum Cibyratarum venena nocuiſſe; neque quicquam Deo propitiante nocitura: ſi modò, quamdiu præſens poteſtas Lugdunenſem Germaniam regit, noſtrum ſuúmque Germanicum præſens Agrippina moderetur. Vale.*

Quinam fuerint accuſatores Apollinaris.

Homines mali, maledicti, ſeditioſi.

Chilperici uxor benigna; & ut puto Chlotildis mater.

5. Ex his etiam pluſcula certiùs inferri poſſunt. *Primò*, Chilpericum hoc anno cum tribus ſuis fratribus, Godemaro, Gundebaldo; & Godegiſclo Burgundionibus, patrimonium ſaltem ſuum, ſi non & regimen, in 4. partes diviſiſſe. Quodque hinc *Secundò* efficitur, Gundebaldum in Gallias ex Italia, ſimulac Glycerium Nepos extruſit, reduſſe, & jam Tetrarchiam ſuam iniiſſe. *Tertiò* ideo novi Romanorum Principis Oreſtis aut Auguſtuli amicitias ſuſpectas fuiſſe, quòd ab eo Tetrarchæ diſſentirent. *Quartò* Chilpericum Tetrarchiam ſuam in Lugdunenſi primâ, & Viennenſi Prima juxta Rhodanum, ſaltem uſque ad Druentiam & Vaſionem, habuiſſe; eoque dici à Sidonio, jam Tetrarcham *noſtrum*, jam *communem Patronum*; quia ſcilicet Arvernis Sidonii diœceſanis Lugduno ejuſdem patriæ, & Viennæ fratrum Apollinaris & Thaumaſti (ad quos hîc ſcribit) natali ſolo imperabat. unde & *Lucumonem* ſeu Tarquinium quaſi Regem, & *Germanicum* quaſi Cæſarem etiam vocat. *Quintò* addit denique prudenter, *quamdiu præſens poteſtas Lugdunenſem Germaniam regit*: quia ſcilicet adhuc incertum erat, quò poteſtas ea verſura eſſet, adhuc nova & oriens; ab Oreſte quidem divulſa; nondum apertè à Nepote: qui licèt extruſus, adhuc tamen ſuperſtes reſurgere, & Italiam Galliasque recipere facilè poterat. *Lugdunenſem* verò *Germaniam* nominat, quòd à Germanis Burgundionibus ea tum regeretur. Adde Nepotem, cùm extruſum ſe videret, non potuiſſe prudentiùs agere, quàm Gallias Burgundionibus, id eſt præfectis à ſe ibidem conſtitutis, contra æmulum Oreſtem commendare, donec fortuna melior affulgeret.

Burgundionum Principes Tetrarchæ.

Nepoti junctis; ab Oreſte averſi.

Lugdunenſis Germania; quia à Burgundionibus Germanis, tunc regebatur.

6. Huc quoque facit Epiſtola 5. lib. 5. ejuſdem Sidonii ad Syagrium Conſulis pronepotem, qui (ut ibi dicitur) Lugduni cum Burgundionibus verſans, linguam eorum Germanicam magnâ facilitate didicerat: tantaque eloquentiâ exprimebat, ut Burgundiones ipſi coram eo loqui vererentur. Interpretabatur eorum Epiſtolas, ab iis arbiter & diſceptator mutuis negotiis deſumebatur. novus Burgundionum Solon erat in legibus diſſerendis. Ac licet corporibus illi ſenſuque rigidi eſſent indolatileſque; amplectebantur tamen in eo, & diſcebant *ſermonem patrium, cor latinum*. Ita Sidonius. Ad quid *cor* illud *latinum* in Burgundionibus, niſi ut Nepoti Romanóve Imperio fideles ſtarent, provincias ab eo creditas ſincerè ſervarent, ſibi non adſcriberent? quod & facere viſi, quamdiu quidem Nepotis reſtituendi ſpes fuit. Eâ perditâ, in ſe ſuamque poteſtatem verterunt omnia; ſaltem ad Druentiam uſque fluvium. nam quæ illum inter & mare mediterraneum interjacent, aliquot locorum iſtorum Epiſcopis, puta Arelatenſi, Aquæ Sextienſi, Maſſilienſi, & ſimilibus Nepos quamdiu vixit, commiſiſſe videtur; ne ſi ſolis Burgundionibus omnia fideret, Barbaris in commodum proprium ea vertendi ſitim accenderet. ut infrà fuſiùs.

Syagrius Burgundionibus gratus.

quibus ſermonem latinum infundebat, cor latinú.

CAPUT XII.

Auguſtuli ſub Oreſte patre breve & pœnè ſupremum Imperium.

Eodem Anno Chriſti finiente 475. & 476. ineunte.

1. ARvernos ergo tandem ſolo poſt Biturigas biennio, Eurico Wiſigothorum in Aquitaniâ Regi dedi juſſit Nepos, pacem in Galliis, civitatumque aliarum inibi redemptionem unius alteriúsve jacturâ, planè ſperans. Quin ut id tanto certiùs aſſequeretur, etiam Turonos ac Nannetas ad Ligerim eadem viâ, ſi non antè, eidem importuno Regi concedi mandavit; quò tandem illius inſana cupiditas Ligeri terminata conquieſceret: ſimul facilè advertens eas civitates in poſterum Arvernis jam Biturigibusque captis non facilè ſe tutari, imò ne ad eas quidem pertingere poſſe. Ita jam Euricus regnum Ligeris ſemicirculo, ab ejus oſtiis ad Carnutum verſus Occidentem extrema ſemi-cinxerat; cetera à Ligeri in Boream & Oceanum, Childerico Francorum, & Odoacro Saxonum Regibus demiſerat, non ignarus eos inter ſe Romanis inde pulſis, ſuo commodo committendos, ut contigiſſe nos infrà oſtendemus.

Cum Arvernis etiam Turonos videtur Eurico tradidiſſe Nepos, forte etiam alios.

Verùm

Nec pacem tamen impetravit.

Verùm, tantum abeſt, ut pacem ab Wiſigothis & quietem Nepos, & qui eum proximè exceperunt Imperatores inde obtinuerint; ut potius tanquam eis ſitim acuiſſent, cetera pariter abſorbenda propinaverint, viam inſuper Barbaris aliis in Italiam ſtraverint, ut ſequens docebit hiſtoria.

Imò ab Oreſte imperio dejectus eſt.

qui Romanus, & Senator clarus.

2. Cùm enim Arvernis, quos Ecdicius tam diu ſtrenuéque propugnaverat, deditis, hunc ad ſe Romam meritis ejus penſandis, & Patriciatum collaturus evocaſſet, Oreſtem contrà tunc Patricium Militum magiſtrum ſubſtituendo, copiis Romanis quadantenus & exercitu ſpoliaſſet; ille neſcio quid doli aut illatæ ſibi injuriæ ſuſpicatus, ipſummet Imperium priùs haurire decrevit. Nec eo jam indignus videri poterat Oreſtes. Nam genere Romanus & Senator jam antè: legationibus inſuper non paucis illuſtris, Pannoniam regionem ad Savum fluvium ſitam, utpotè ortu Pannonius, incolebat, cùm eam Aëtius ex fœdere prius inito, Attilæ conceſſit. Unde deinceps Attilæ ſubditus, Notarius item & ab epiſtolis ejus extiterat. Quin & ab eo ad Theodoſium Imperatorem Conſtantinopolim Legatus, cum Ecdecone quodam Scythâ magnis rebus geſtis celebri, ait Priſcus in Excerptis, ſubmiſſus fuerat. Attilâ morte abſumpto in Italiam redierat, & Patriciam dignitatem Imperio jam proximus obtinuerat. Quam hoc tempore Nepos, ut dicere cœperam in Ecdicium Arvernum conferre moliebatur. Quare ipſe ſuſpicacior atque commotior, ſuſcepto exercitu, Româ velut in Gallias egrediens, Ravennamque ingreſſus ibique remoratus, filium ſuum Romulum Auguſtum, licèt adhuc puerum, Imperatorem dicit. Ita Jornandes. Addunt alii, filium hunc ab eo ſuſceptum ex uxore Petovionenſi (quæ urbs in eadem Pannoniâ ad Dravum fluvium jacet) filiâ Romuli ſub Valentiniano tertio Comitis, multis item legationibus cogniti ſuſceptum; Romulumque Auguſtum primò dictum (quod & Baronius ex Nummis probat, avi ſcilicet materni nomine) non Momyllum; ut mendosè apud Evagrium lib. 2. cap. 16. legitur: non item Auguſtulum; quod ei nomen poſtea ex contemptu ob pueritiam viriumque defectum vulgo afflictum eſt.

Pater Auguſti, ſeu Auguſtuli.

Nepos in Dalmatias fugit.

3. Ravennæ igitur Oreſtes cum exercitu conſtitutus, filium ſuum Romulum, *Imperatorem dicit; quo comperto Nepos Imp. in Dalmatias fugit*, ait Jornandes in Geticis. Et Innominatus apud Onuphrium Chronologus, *Zenone Conſule*, hoc anno Chriſti 475. *Intravit Ravennam Patricius Oreſtes cum exercitu; & fugavit Nepotem Imperatorem ad Dalmatias, quinto Kalendas Septembris*, ſeu Auguſti die 27. unde apparet Arvernos anni primordio deditos. *Eodémque anno levatus eſt Auguſtulus Imperator Ravennæ à Patricio Oreſte patre ſuo pridie Kalendas Novembris*, duobus totis poſt Nepotis fugam menſibus; & cum Genſerico Rege, ætatis jam & regni vetere, Vandalorum in Africâ Rege ſocietatem inivit. In Dalmatiâ Nepos Salonæ privatus egit, ad annum uſque Chriſti 480. quo Viatoris & Ovidæ Comitum inſidiis, in villâ ſuâ Salonis vicinâ, cæſus eſt, Romanorum ultimus Auguſtus: toto interim præcedente quinquennio, reſtitutionis ſui ſpe fruſtrà ſe ſuſtentans. uti mox fuſiùs.

Auguſtulus Imperator.

In Oriente varii Imperatores.

4. Leoni quippe Magno, à quo in Occidentis Imperium immiſſus fuerat, vitâ functo, Leo puer ejus ex filia nepos, ad paucos menſes ſucceſſerat; iſque eodem anno 474. moriens, Zenonem patrem ſuum, Leonis magni generum, Imperatorem ſecum dixerat. Zeno cùm reliquam anni iſtius 474. partem, & annum fere ſequentem 475. imperaſſet, hyeme exeuntis iſtius anni, à Verinâ ſocru, & Baſiliſco ejus fratre regno pulſus, cum Ariadne uxore ſuâ profugus in Iſauriam unde ortum ducebat, ſeſe retulerat, *Indictione tertiadecima*, ait in Chronico Marcellinus. Nec ante decimumoctavum exilii ſui menſem reſtitui potuerat: Baſiliſco interea Conſtantinopoli imperante. unde & ejus aurei Nummi in Childerici ſepulchro nuper Tornaci reperti ſunt; certo ſocietatis eorum, mutuique commercii argumento. Anno demum 477. Zeno Imperio redditus: ut fuſiùs auctores Græci. Tantâ igitur Orientalium Principum mutatione, quid mirum ſi Nepos nihil ab iis opis haurire potuerit? Imò novus ei graviorque tyrannus ſupervenit Odoacer, Romanis plane externus ac Barbarus. ſub quo Romanum concidit Imperium. de quo jam dictum eo.

Zeno, & Baſiliſcus.

CAPUT XIII.

Odoacer Herulus Italiæ regnum ab Oreſte in ſe transfert.

Anno Chriſti 476.

Annus Chriſti 476.

Baſiliſcus Conſtantinopoli Tyrannus, pulſo Zenone.

1. JAm annum Chriſti adultiorem 476 percurrebant Conſules Baſiliſcus tyrannus & Armatus; ſibi primum, Imperio Romano ſupremum. Dum enim Oreſtes ſub filii ſui Romuli Auguſti, per contemptû Auguſtuli nomine in Italiæ Romanorumque principatu ſecurus agit; illud Velleii Paterculi veriſſimum ſubitò experitur, *Initium calamitatis eſſe ſecuritatem*: tametſi eum Procopius ipſo libri primi Gothicorum limine, *virum* appellet *ſapientiſſimum. Zenone*, ait, *Byzantii imperante*, imò jam exulante, & Baſiliſco ejus expulſore locum occupante; quin & Conſulatum Armato collegâ anno Chriſti 476. gerente, *Auguſtus Occidentis tenebat Imperium; quem & Auguſtulum idcirco Romani vocabant; quia puer admodum Regnum ſuſceperat, quod utique illi Oreſtes pater vir quidem ſapientiſſimus gubernabat. Romani verò paulò antè, Sciros, Alanóſque, & Gothicas alias hujuſmodi nationes in ſocietatem adſciverant*: Romano nempe jam milite elumbi planeque remiſſo. Sub Gôthicis autem gentibus omnes ferè trans Iſtrum Barbaros comprehendere ſe, notat libro primo Vandalico ineunte Procopius: quâ etiam acceptione Odoacrem, Gothorum Regem vocat in Chronico hoc anno Marcellinus. & eâdem ego hîc, Odoacrem Turcilingum, Scirum, & Herulum, gentium certe iſtarum Ducem, appellare audebo. Hic cum iis gentibus non hoc primùm, ſed præteritis annis in Italiam militaturus advenerat, *juvenis ſtaturâ procerus*, & qui dum ad S. Severinum Noricorum Apoſtolum, ad Danubium ſanctitatis nomine celebrem, *pro merenda benedictionis intuitu* cum ſociis acceſſiſſet, *ſeque ut humile tectum intraret, inclinaſſet, viliſſimis tunc licet pellibus coopertus*, ab eo audire meruerat, *Vade, vade ad Italiam, multis cito plurima largiturus.* Pergit Procopius:

Romæ Auguſtulus Imperator.

Odoacer Oreſten, & filium ejus Auguſtulû Imperio detrudit.

2. Romani

2. *Romani ab Alaricho Attaláque Gothorum* iſtorum *Ducibus* (nam Odoacer nondum tanti erat) *ingentia tunc ſunt mala perpeſsi: barbarorum præſertim florentibus in Italiâ rebus*; quos pro auxiliaribus hoſtes experiebantur. *Nam Romanorum adeo principum eâ tempeſtate defecerat dignitas; ut ſub decente ſocietatis & fœderum nomine, à peregrinis vim & barbaris paſsi, ita violarentur; ut impudenter ac nefariè ad pleraque cogerentur inviti; cùm illi æquum ducerent, omnibus Italiæ agris ut ſibi cederetur, quorum tertiam ante partem Oreſtem Gothis juſſerant impartiri. cúmque ille ſtatim id ſe facturum negaret, eum interfecêre. Erat autem inter Italos* jam dictus *Odacer, Oreſtis quondam armiger; qui Gothis omnia pro eorum arbitrio executurum ſe obtulit, ſi Romanorum Principem ſe conſtituerent. Hoc pacto cum ſibi tyrannidem comparaſſet, Auguſtulo ipſo Imperatore in privati hominis morem vivere ſine ullâ aliâ offenſione permiſſo, ac tertiâ agri Italici parte barbaris indultâ; cúmque iis ſocietate firmiùs initâ. tyrannidem ad annum uſque decimum ſtabilivit.* à Nepotis ſcilicet poſt quartum abhinc annum interitu: ultra quem decem adhuc totos annos id eſt in univerſum facilè quindecim regnare perrexit. In eamdem ferè ſententiam anonymus apud Onuphrium Chronographus, *Baſiliſco iterum & Armato Conſulibus anno Chriſti 476. Indictione decima-quarta* (addit Marcellinus) *levatus eſt Odoacer Rex decimo Kalendas Septembres.* ſeu 23. die Auguſti, Dominicâ. Oreſtes Patricius, ut ſe ſervaret, Ticini ſe claudit, ait in Epiphanii vita Ennodius. Inſequitur Odoacer; Ticinum occupat ac diripit. ibique captum Oreſtem tandem *Placentiæ quinto Kalendas Septembres*, ſeu Auguſti 28. feria ſexta inſequente, perimit. *Eodémque anno*, addit Innominatus, *Paulus ejus frater Ravennæ, pridie Nonas Septembres occiſus eſt. Oreſte extincto*, addit Ennodius & ex eo Miſcella, *deprædationis impetus conquievit.*

Quis ille?

Odoacer Placentiæ cæſus.

3. Jornandem hic in rebus Geticis audire juverit. *Auguſtulo à patre Oreſte Ravennæ Imperatore ordinato, non multò pòſt ODOVACER Turcilingorum Rex, habens ſecum Scyros, Herulos, diverſarúmque gentium auxiliarios, Italiam occupavit; & Oreſte interfecto, Auguſtulum filium ejus de regno pulſum, in Lucullano Campaniæ caſtello exilii pœnâ damnavit. Sic Heſperium Romanæ gentis Imperium, quod ſeptingenteſimo nono Urbis conditæ anno, primus Auguſtorum Octavianus Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit: Anno deceſſorum prædeceſſorúmque regni quingenteſimo vigeſimo ſecundo: Gothorum deinde Regibus Romam Italiámque tenentibus.* Ita Jornandes, hic à nobis examinandus.

Imperii Romani FINIS. ſub Odoacro & Auguſtulo.

4. Ab anno primùm U. C. 709. Auguſtorum ſeu Imperatorum regnum incipit; non malè ſi annum Urbis Varronianum intelligit, qui eſt Julianæ correctionis ſeu Julianus primus. Verùm Octavianus nullum Romæ tunc, utpote ſuperſtite adhuc Julio Cæſare, tenebat Imperium. Ab anno ſequente 710. Varroniano, quo Julius Cæſar Idibus Martiis interemptus eſt, quàm citiſſimè tenere cœpit. Ab eo anno etiam incluſo, ad hunc U.C. 1229. item Varronianum completum, qui eſt Chriſti ut dixi, quadringenteſimus ſeptuageſimus ſextus, anni non plures interfluunt, quàm 519. extremis etiam incluſis. cum tamen Jornandes hîc 522. diſertè ſupputet; trium omnino annorum exceſſu: unius autem adhuc defectu ſi ad mortem Nepotis, & annum Chriſti 480. extendit. Melius itaque dicemus, Occidentis Imperium deſiiſſe, anno Julianæ correctionis ſive Juliano 521. Annum tamen 522. exprimit Jornandes; quod & à primo Octaviani Conſulatu utcumque dici poteſt. Ex quo autem idem Octavianus à Senatu anno U. C. Varroniano 727. Januarii 17. dictus eſt *Auguſtus*, anno 502. Ita ut Romani finis Imperii propriè, in annum Julianum 525. Chriſti Dionyſianum 476. A verâ autem Chriſti Nativitate quadriennio citiùs, nempe in 480. A Chriſti Paſſione in 446. referendus ſit.

Quot annos illud ſteterit.

5 Atque hic finis fuit Imperii Romani toto orbe celeberrimi, Europæ, Aſiæ, Africæ partes longè potiores complexi. Italiam primum obtinuit: tum in Græciam ſe, Aſiam minorem, ad Euphratem uſque, in Ægyptum denique præcipua regni Macedonici membra; nec non in Africam, item utráque Mauritaniam; Hiſpaniam, Galliaſque omnes, & in iis Belgium noſtrum, ad Rhenum uſque & Alpes, ſpatio immenſo ſuperfudit: limites ſuos aut amnibus latis profundiſque concluſit: ac licèt ſic in varias partes, quaſi diverſa membra diſſectos; mari mediterraneo nihilominùs intermedio, tot inſulis portubuſque diſtincto, velut quodam cingulo conjunxit conſtrinxitve. Et hoc tamen tantum, tam firmum Imperium, quod Æternitatē Ammiano multiſque aliis ſpondere videbatur, fumo vix abſimilis evanuit.

Romani Imperii finis & elogium.

6. Sed eo nunc extincto, quis in Galliis noſtris Belgioque ſtatus, quis eas continuò ſtatimque rexerit, dicam breviter. Rexerunt Barbari ipſi paulò antè advenitii, ſtipendiarii, aut mercenarii; modò Dominorum ſuorum è ſervis famulíſque victores. A Septentrione & oſtiis Rheni, in Meridiem Orientemque gradum faciam. Primi ibi Saxones è Cimbricâ Cherſoneſo primùm egreſſi, & per oram maris Oceani ad Friſios uſque delati, cúmque iis juncti, ut dixi; cis Rhenum Bataviam, Menapiorum Morinorumque litus jam occupabant, Saxonicum à ſe inde dictum. Paulò interiora, & jam mediterranea Franci invaſerant; ſub Childerico eorum cis Rhenum Rege quarto: (nam Pharamundus Chlodio, Merovéuſque jam vivis exceſſerant) regnum quotidiè promovebant; & jam ab Rheno per Ubios, Tungros, Nervios, Atrebatea, Ambianos, Armoricanos Rhedonas Oſiſmios. Andegavos, Aurelianóſque, cum Odoacrio Saxonum quorumdam Rege, ſibi denique fœderato, ad Ligerim uſque, & Regni Wiſigothici confinia vincendo pervenerant. Quin & Rhenum propiùs, Treviros, Mediomatricos, Leucos, Belgicamque Primam obtinebant.

Quod poſthac tenent in Galliâ Barbari, in variis Provinciis varii.

Saxones in Batavia & littore Armoricano, ab iis Saxonico.

FRANCI in Belgio, & ſenſim uſque ad Andegavos & Ligerim.

7. Inter Belgicam Primam verò & Aurelianos, regnabat annos jam duodecim Ægidii filius Syagrius, è Romanis reliquis Dux unus, patris hæres: Remorum, quos annis tum ſeptem-decim Remigius regebat Epiſcopus, Sueſſionum, Veromanduorum, Meldorum, Catalaunorum, Trecenſium, & ſi fortè Autiſſiodorenſium, confiniumque ad Ligerim uſque, ſeu Princeps, ſeu Rex; creſcentem in dies Francorum circum ſe potentiam, quaſi nubem gravidam capiti ſuo imminentem, & jam jamque erupturam non immeritò, non inſulsè formidans: eóque haud dubiè Barbarorum aliorum ſocietate jam diu ſe muniens: Wiſigothorum maximè ceu potentiorum, & Regis eorum Eurici; quando

Syagrius Ægidii fil. Sueſſione.

anno

anno poſt hunc 476. undecimo, à Rege Francorum Chlodoveo juſta pugnâ victus ad Alaricum Eurici filium, velut ad uſitatum aſylum profugit. An cum Childerico Franco priùs fœdus etiam inierit; an & quæ bella geſſerit; an Paulum Comitem cum Romanis contra Odoacrium Saxonem Childericumque miſerit; & pleraque talia quæri poſſent; & è Scriptoribus, ſi plures ac clariores ſupereſſent, erui poſſent. Nunc omnibus abſumptis, cujuſque meditationi & conjecturæ relinquuntur.

Wiſigothi à Ligeri ad montes Pyrenæos & Hiſpaniæ partem.

8. Trans Ligerim ad Pyrenæos uſque montes ac mare Mediterraneum, latè dominabantur Wiſigothi, Eurico Rege in dies validiore; & *modo gentium tranſmarinarum* (ut ait Sidonius epiſtola 3. libri octavi, puta Vandalorum Saxonumque Britannicorum) *corda terrificante*; *modò de ſuperiore cum Barbaris ad Vahalim trementibus* (id eſt Francis) *fœdus innodante*, *cen victore*: *modò per promota limitem ſortis*, ſeu Imperii Romani jam extincti fines, *ut populos ſub armis*, *ſic arma frænante ſub legibus*: & jam Rhodani fluminis inferiora, in quibus Galliarum caput Arelatum, pervadente, ſi nondum obtinente: eóque præ ceteris in Galliâ Hiſpaniáque Barbaris longè potentiſſimo.

Ab Arari Rhodanoq; ad Alpes Burgundiones.

9. Adhuc inter Wiſigothos & Rhenanum Imperii limitem, & ad Alpes Italicas, non modicum, nec debile regnum erigebant erexerántve Burgundiones; ſub quatuor Principibus, iiſque fratribus, Gundeuci filiis, Romanorum hactenus amicis atque fœderatis, quin & Militum in Gallia Italiaque Magiſtris. ſed mox inter ſe, quando Regnum non patitur duos, nedum plures, committendis, ſi nondum commiſſis. Nam ex quo Romanorum in Italia defecerant Imperatores; eo conſortio jam exuti, ſui juris evaſerant.

In Provinciâ Maſſilienſi, quatuor maximè Epiſcopi.

10. Præter hos, primò cum ipſis, quatuor erant trans Druentiam in Provincia Maſſilienſi præ ceteris Epiſcopi, Leontius Arelatenſis, Græcus Maſſilienſis, Baſilius Aquæſextienſis, Fauſtuſque Rejenſis: qui pro Nepote Auguſto cum Burgundionibus hucuſque lteterant; & multa in iſtis Galliæ partibus geſſerant gerebantque; ut ſuprà vidimus. donec & ipſi ſi non ab Eurico, ejus certè filio Alarico ſub jugum tantiſper miſſi ſunt. Ita Regebantur tum Galliæ, & plures annos modicâ mutatione regi perrexere: donec in plenam Francorum omnia devorantium ditionem victi in multa ſæcula tranſierunt; uti ſequens ediſſeret hiſtoria.

CAPUT XIV.

Sidonius exul Burdegalæ diverſorum Barbarorum, & in iis Francorum ad Euricum Regem Legatos deſcribit. nos excutimus.

Anno Chriſti 476. 477. &c.

Sidonium Euricus caſtro Liviano claudit.

1. SIdonium Arvernorum Epiſcopum Romanis addictiſſimum Euricus victor in urbe tam ſuſpectâ relinquere tutum non duxit: ſed ſolum vertere coactum, Liviani caſtri Carcaſſionem inter & Narbonam ſiti mœnibus aliquamdiu concluſit: ut ep. 3. lib. 8. legimus. Ibi animus ejus curis æger nunc per nocturna ſuſpiria, nunc per diurna officia diſtrahebatur. Ad hoc cùm fatigatum ab excubiis ad diverſorum crepulaſcens hora revocaſſet; vix dabatur luminibus inſtratis parvula quies. Nam fragorem illicò movebant vicinantes impluvio cubiculi ejus (ſic enim ipſe loquitur) duæ quæpiam Gethides ſeu Wiſigothæ anus, quibus nihil unquam litigioſius, bibacius, vomacius erit. Mora cum aliquanta Liviani tenuit, donec Leonis illuſtris viri, qui Eurici Quæſtor erat, interceſſione ſolutus, Burdegalam ad Euricum ipſum ſpecie legationis advenit, ubi duos & amphùs menſes ſeu caſu ſeu arte detentus eſt. Ipſe quidem ab Eurico otii defectu audiri ſe non potuiſſe, canit Hendecaſyllabo Epiſtolæ 9. lib. 8.

Unde liberatus Burdegalam venit.

Nos iſtic poſitos ſemelque viſos
Bis jam menſtrua Luna conſpicatur.
Nec multùm Domino vacat vel ipſi
Dum reſponſa petit ſubactus orbis.

quaſi ſcilicet ipſe orbem, aut ſaltem Gallias omnes ſubjugaſſet.

Ubi Lampridius Poeta verſibus eum ſolatur.

2. Ad Sidonium, cùm primùm Burdegalam venit, Lampridius ejus intimus, Rhetor Burdegalenſis & Poëta eximius, tum fortè Burdegalâ abſens, amico congratulaturus, carmen miſit; verſus ejus viciſſim repetens, nimirum ne exilio triſtem ſolaretur. Remiſit Epiſtolam Sidonius cum carmine, lib. 8. ep. 9 oppido elegantem; & quod ad perſpiciendam aulæ Gothicæ majeſtatem & auctoritatem, diverſarumque gentium ſtatum non modicam facem adlucet. Quare nos illius, quoniam ad inſtitutum maximè facit, ſingula excutiemus.

Ipſe Eurici aulam deſcribit, diverſis gentibus frequentatam. Primò Saxonibus.

3. De Saxonibus ante omnes ita canit:

Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum ante ſalo ſolum timere.
Cujus verticis extimas per oras
Non contenta ſuos tenere morſus
Altat lamina marginem comarum.
Et ſic crinibus ad cutem reciſis,
Decreſcit caput, additúrque vultus.

De quo Saxone agat, non adeo liquidum. Jampridem Saxonas Rheni oſtia incoluiſſe, & Belgicæ ſecundæ Armoricæque *Litus Saxonicum* denominaſſe; inde ab anno Chriſti 429. & 438. id eſt, annis ante hunc pluſquam 40. in Britanniam ab incolis contra Pictos & Scotos tanquam auxiliares primùm advocatos, mox ex auxiliaribus hoſtes effectos, inſulam illam ſui juris effeciſſe, ſupra memoravimus. Saxonas igitur Sidonius an ex Britanniâ, an ex Rheni oſtiis (ubi quoſdam adhuc reliquos jam fuiſſe vix dubium) advectos intelligat, non ſatis definio. De illis Britannicis intelligere, forſan ſuadeat locus ille Epiſtolæ 3. lib. 8. ſequenti anno ſcriptæ, *Rex inclytus* Euricus *modo corda terrificat gentium tranſmarinarum.* nam licèt Sirmundus hic *gentes tranſmarinas* capiat Vandalos; vox tamen, *terrificat*, magis *Saxonas tranſmarinos* donotat, tanquam adhuc hoſtes: Vandali cum ſuo Rege Genſerico jampridem arctâ cum Eurico ſocietate in Romanos juncti fuerunt. Agebant tamen alii ſub Odoacrio Saxones ad Ligerim, jam inde à Majoriani cæde in auxilium contra Ricimerem & Severum ab Ægidio aciti. Hi ſanè ad Euricum commodè dici poſſunt legationem miſiſſe, de

Maximè tranſmarinis & inſulanis, ſeu Britannicis.

Vel Odoacrianis ad Ligerim.

Ligeris territorio, limiteque finiendo acturi, vel de ſubſidio, pacéve tractaturi. Nec enim unquam deeſt inter vicinos de confinibus contentio. Quicumque fuerint, eorum certè comas deſcribit Sidonius; quas ſuprà nos excuſſimus. Nam comam in ſupremo capitis vertice colebant, quam & laminâ ad capillorum radices, ne diffluerent, comprimebant ſeu, ut Sidonius, *altabant*: atque ita in altum ceu turriculam educebant: crinibus imis, qui fronti & utrique auriculæ contigui erant, ad cutem uſque receſis, ut ſic decreſcente capite, facies augeretur.

Franci item in Eurici aulâ frequentes agebant.

4. Pergit de Francorum etiam Legatis, & eorum quoque Cæſarie pangere, in hæc verba:

Hic tonſo occipiti ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.

In Wiſigothorū morem capillati.

Francos ecce canit ab Eurico victos, & in ſubjectionis indicium, cæſariem quam in fronte & ſincipite vulgo geſtare ſolebant, *retrorſum eliciuſſe*, ſeu in occipitium demiſiſſe; quaſi in Gothorum mores pariter ac ſervitutem tranſiiſſent. Quod ipſum etiam Sidonius ipſe, epiſtolâ tertiâ libri octavi ita confirmat: *Ipſe Rex inclytus*, Euricus, *modò corda terrificat gentium tranſmarinarum*; Saxonum ſcilicet & Vandalorum; *modò de ſuperiore cum barbaris ad Vachalim trementibus, fœdus victor innodat*, id eſt cum Francis jam cis Rhenum incolentibus; *modo per promotæ limitem ſortis*, ſeu per Imperii Romani fines, *ut populos ſub armis, ſic frenat arma ſub legibus*. Ita ibi Sidonius: mos etiam quod de Francorum comis retrorſum in occiput averſis addit, ita de Sigiſmere regio juvene, tunc ſponſo Eurici filiam ambiente æquè confirmat epiſtolâ viceſimâ libri quarti, cùm illum comâ rutilâ fulgentem ſecuribusque miſſilibus armatum, Francum ſignificat. Nec aliter certè Francorum Legati in Eurici conſpectum prodierint, quando eos adeò minutè diſpexit Sidonius; ſeu quò gratiores eſſent, ac faciliùs quod petebant, humilitate, morumque illorum expreſſione obtinerent; ſeu quia Legati ex ipſis Francorum Principibus eſſent, quibus in occipitio crinium flagella crebriora denſioráque tergum verberabant, ut diximus. nam Legatos ex primatibus & ſenioribus eligi ſolitos nemo neſcit. Eos igitur Sidonius videns in occipitio vulgarium Francorum more capillatos, in ſubjectionis ſignum comam mutaſſe crediderit; ratus aut ex Francorum Principibus non eſſe, aut fortè etiam moris Principum Francorum ignarus. Nam cùm Francos in genere deſcribit, Majoriani Panegyrico, verſ. 240. in fronte ac ſyncipite probè comatos, in occipitio raſos deſcribit; nullâ Principum illorum diverſâ mentione.

Heruli.

5. Sequitur in Sidonii Hendecaſyllabo:

Hic glaucis HERVLVS genis vagatur,
Imos Oceani colens receſſus,
Algoſa propè concolor profunda.

Ab imis & remotiſſimis Oceani receſſibus, id eſt ut reor à Chauchis ipſis Cimbricæ Cherſoneſo contiguis, quâ modo Bremenſis diœceſis, Oldemburgi Comitatus, & Friſiæ Borealiora, ad Eurici aulam ventitabat Herulus, per Aquitanicum mare vagari, Saxonum more ſolitus. quamquam iis modo, ſicut & Saxonibus, Euricum ad claſſem ſuam & navalem, quem parabat, exercitum uſum potiùs exiſtimo, de quo mox. Apud Caſſiodorum lib. 3. ep. 3. Theodoricus Oſtrogothus Italiæ Rex, Herulorum, Warnorum, & Thoringorum Regibus ita ſcribit: *Recolite Eurici ſenioris affectum, quantis vos juvit ſemper muneribus; quoties à vobis proximarum gentium imminentia bella ſuſpendit. Reddite filio ejus* (Alarico) *gratiam, quam tantum agnoſcitis veſtris utilitatibus attributam.* Nimirum pacto cum iis fœdere jungebatur Euricus, & ut ipſorum utilitatibus invigilabat, ita varios hauriebat ex eorum ſocietate fructus, eorum auxiliis ſive Oceano ſive terrâ ſæpiùs innitebatur. Ea erat barbarorum inter ſe omnium contra Romanos conſœderatio. Erat & alia tunc Herulorum ad Danubium in Sarmatiæ & Daciæ partibus eluvies. de quâ non agit modò Sidonius. Maritimos dumtaxat deſcribit, & *Algoſo propè concolores Oceano*; quòd in mari fere nati, & pyraticam aſſiduè ut Saxones exercentes, velut humani piſces eſſe viderentur. Ceterùm ut Herulos hoc tempore & Thoringos, ita & Warnos ſub Regibus agitaſſe ex hac Caſſiodori epiſtola, 30. ferè annis abhinc ſcriptâ, intelligimus. & verè Saxonibus in Britanniam ex hodiernæ Hollandiæ locis migrantibus, ſucceſſerant; regnumque ſuæ gentis novum inibi fundaverant; ab Eurico ad fœdus invitati, tanquam qui Francos, ſi fortè in Viſigothos inſurgerent, aut cedere nollent, à tergo commodiſſimè poſſent impetere. Ita non de Romanis modò barbari, ſed de ſeipſis mutuo diffidebant.

Quos Euricus ut & Warnos & Thoringos fovebat.

6. Pergit Sidonius:

Hic Burgundio ſeptipes frequenter,
Flexo poplite ſupplicat quietem.

Burgundiones.

Hæc verba ſatis certò ſignificare videntur, Burgundionas aliquâ jam tum Remp. per ſe conſtituere cœpiſſe: & ut eam firmarent promoverentque, Eurici Regis amicitiam ambiiſſe. Si enim Genevæ dumtaxat & Tarentaſiæ, id eſt primis ſuis in Sabaudiâ ſedibus adhuc latuiſſent; non erat, cur ab Eurico quietem ſupplicarent, à quo procul adhuc abjuncti, & Rhodano fluminum impigro muniti, nondum infeſtari tam commodè potuiſſent. Nunc eam petentes, innuunt Viſigothis jam conterminos fuiſſe circa Rhodanum, quâ ille Lugdunenſem primam ab Aquitaniâ primâ dividebat. Ac licèt, ut monui, nondum à Nepote planè receſſiſſe videri voluerint; contra Odoacrum tamen Barbarum, novum Italiæ invaſorem, fortè & contra Francos jam vicinantes munire ſe volebant, & quietem pacemque ab Eurico non imprudenter poſtulabãt; maximè, ſi jam & ipſi de illâ Galliarum parte, quam Nepotis nomine hucuſque rexerant, ſibi adſcribendâ cogitarent, de Nepotis viribus in poſterum deſperantes. An impetrarint, neſcio; non diu certè pax ea, ſi fuit, tenuerit, aut non ſatis firma.

7. Nam epiſtola 3. lib. 9. ad Fauſtum Reienſem Epiſcopum, Burdegalæ adhuc in exilio ſcriptâ, ita loquitur: *Ad præſens cautiſſimum reor, per has maximè civitates, quæ multum ſitu ſegreges agunt, dum ſunt gentium motibus itinera ſuſpecta, ſtylo frequentiori renuntiare; dilatáque tantiſper mutui ſedulitate ſermonis, curam potius aſſumere conticeſcendi.* plurimis, certis, & neceſſariis cauſis. *quarum iſta calculo primore numeratur; quòd cuſtodias aggerum publicorum nequaquam tabellarius tranſit irrequiſitus: qui etſi periculi nihil, utpote crimine vacans, plurimum ſane perpeti ſolet difficultatis, dum ſecretum omne gerulorum pervigil explorator indagat. quarum ſi forte reſponſio*

quantu-

quantulumcumque ad interrogata trepidaverit, quæ non inveniantur ſcripta, mandata creduntur, ac per hoc ſuſtinet injuriam plerúmque qui mittitur & qui mittit invidiam. Plúſque in hoc tempore, quo æmulantium invicem ſeſe pridem fœdera ſtatuta regnorum, denuo (nota) *per conditiones diſcordioſas ancipitia redduntur. Præter hoc, ipſa mens noſtra domeſticis hinc inde diſpendiis ſauciata jacet. nam per officii imaginem vel verius neceſſitatem, patior hic incommoda peregrini, illic damna proſcripti.*] Cùm ait *æmulantia* tum *ſeſe invicem* fuiſſe *regna*; vix de aliis quàm Burgundionibus & Gothis, aut ſi fortè Francis, intelligere poteſt; addens *fœdera pridem inter ea ſtatuta, denuò per conditiones diſcordioſas ancipitia reddi*, Romanos ſimul & Burgundionas cum Gothis *pridem* conveniſſe ſignificat, nunc *denuò* diſſentire. De Burgundionibus tamen neſcio quid hic magis innuit; quin de Romanis mox ſeparatim ſcribit; & de Burgundis jam alibi dixit, *quamdiu præſens poteſtas Lugdunenſem Germaniam regit.* quaſi illi in hac Galliarum parte verè regerent. Sed de Burgundionum regno plura mox.

Barbarorū regna ſibi diffidentia.

8. Sequitur in Sidonio:

> *Iſtic Oſtrogotus viget patronis:*
> *Vicinóſque premens ſubinde Chunos,*
> *His quod ſubditur, hinc ſuperbit illis.*

Oſtrogothi, ſeu qui cum Widemir jam antè venerant; ſeu qui cum Theoderico agitabant.

Oſtrogothos canit Viſigothis vigere patronis; iisque ſubdi; tametſi Chunorum in Pannoniâ ſubjugatione ſuperbirent. Alludit ad Oſtrogothos, qui tertio ante hunc anno, duce Widemiro, ex Pannoniis Italiaque in Gallias authore Glycerio tum Imperatore tranſmigraverant; & unum corpus cum Viſigothis effecerant. Hi licet Hunnos jam antè viciſſe, & eorum jugum excuſſiſſe meritò gloriarentur ac ſuperbirent; Viſigothis tamen modò ſubditos ſe gaudebant.

Imò Romani ipſi ab Eurico opē petebant contra Boreales Barbaros.

9. Tantam hanc aulæ Gothicæ gloriam etiam Romani non parum augebant, ab Eurico Rege contra ſeptemtrionis gentes opem poſtulantes. Nam ſubditur.

> *Hinc Romane tibi petis ſalutem.*
> *Et contra Scythicæ plagæ catervas,*
> *Si quos Parrhaſis urſa fert tumultus,*
> *Eorice, tua manus rogantur;*
> *Ut Martem validus per inquilinum,*
> *Defenſet tenuem Garumna Tybrim.*

Nullæ novæ Romam hoc anno premebant ab Aquilone gentes: Oreſtes tantùm cum milite ſuo maxime Aquilonari, Scyro, Alano, Gothoque, ut ait Procopius, Italiam impunè pacateque, priore hujus anni 476. ſemeſtri tenuerat: Poſteriore Odoacer cum Rugis Herulisque ſuis, Oreſte cum fratre Paulo cæſis, Romam invaſerat ac tenebat; ipſe Barbarorum Rex. Hic *contra Scythicæ plagæ catervas*, quibus fere ſolis inſiſtebat, opem ab Eurico non magis quàm contra ſe petebat. Nepòs igitur ab iis ejectus (& ſi qui præterea cum eo Romani) hic à Sidonio deſcribitur; *ſalutem* ab Eurico *petens*: *Salutem*, inquam, tanquam qui eam perdidiſſet. ut *Garumna*, id eſt Gothicum in Aquitania regnum, inquilino jam Marte validum, *Tibrim* ſeu Romam, ac *tenue* ſeu moriens ejus Imperium contra immanes Barbaros defenſaret.

& veriſimiliter Nepos paulò antè Imperator, adhuc ſuperſtes.

10. Denique quod nobis quidem obſcurius eſt, Gothis autem omnium glorioſiſſimum, ipſi etiam Parthi ſeu Perſæ, longè à Galliâ ſiti, manus Eurico ſupplices pro pace tendebant.

Denique etiam ipſi Perſæ Euri ſocietatem ambieban

> *Ipſe hic Parthicus Arſaces precatur,*
> *Aulæ Suſidæ ut tenere culmen*
> *Poſſit fœdere ſub ſtipendiali.*
> *Nam quòd partibus arma Boſphoranis*
> *Grandi hinc ſurgere ſentit apparatu,*
> *Mœſtam Perſida jam ſonum ad duelli*
> *Ripâ Euphratide vix putat tuendam.*
> *Qui cognata licet ſibi aſtra fingens*
> *Phœbeá tumeat propinquitate,*
> *Mortalem hic tamen implet obſecrando.*

De bellico hoc navalique Eurici in Perſas apparatu, ſolus (quod ſciam) meminit Sidonius. Nec verò immediatè in Perſas factum exiſtimo. Cur enim Euricus, tot aliis barbaris undique cinctus, in eos tam longe ſemotos arma moveret? & tamen Sidonius, ſi Eurici gratiam non palpat, bellum hinc illos timuiſſe, diſertè canit. Exiſtimo igitur Euricum, Zenoni occulto fœdere junctum, navales aliquot copias Narbone & aliis, quos jam occuparat, maris mediterranei portubus apparaſſe, ut cum in *Boſphoranas partes* ſeu Conſtantinopolim reduceret; & inde in Perſas fortè molientem juvaret. Id Perſa veritus ſocietatem & fœdus cum Eurico paciſci cupiebat, orabatque ne Orientis Imperatorem contra ſe unquam juvare vellet: ſed eum potiùs invaderet. Quod Sidonius poëticè, ne dicam adulatoriè, augens, eum ſibi regnoque ſuo adeo timuiſſe canit, ut ſtipendiale fœdus offerret. Sed mœſtus animus, oviumque ſuarum Paſtor Epiſcopus cupidior, ad Eccleſiam ſuam redire cupiebat.

Qui claſſer in partes Orentis, molin videbatur.

11. Atque hic erat Gothicæ aulæ ſtatus, cùm Sidonius patriâ extorris, Livianoque carcere liberatus, Burdegalam ut ſui in integrum reſtitutionem impetraret, advenit. Quò & paulò antè Euricus ſe Tolosâ contulerat, varias non à meridie tantum & Oriente, ſed & à Septemtrione terrâ marique legationes commodiùs auditurus. Jam enim non parum regni vires auxerat, in eamque potentiam evaſerat, ut omnes ferè gentes illius ceu Gallicani Hiſpanique fere Monarchæ ſocietatem ambirent. Beavit nos tantâ rerum cognitione, etſi illi dura, nobis tamen hac parte fœlix Sidonii peregrinatio. Qui tandem Leonis, quem illuſtrem Eurici quæſtorem fuiſſe diximus, interceſſione, ut ſuis aliquando redderetur Arvernis obtinuit; nullâ deinceps à Romanis, quorum imperium jam corruerat ſpe; nullo à Gothis; ſub quibus degebat, metu. Et reliquum inibi vitæ, quod annorum fere ſex fuit, ſat tranquillè peregit: prorſus ut anno proximè ſequenti ſeptem Epiſtolarum libros ediderit. Ceterùm ſi annos non ſex modò, ut dixi, ſed & triginta, uſque ad Voeladenſem Chlodovei Franci de Alarico Eurici filio victoriam ſupervixiſſet, celerem Monarchiæ hujus Euricianæ finem vidiſſet: & tantam illius in Francicam tranſmutationem ſtupuiſſet. Adeo nihil in terrâ ſtabile.

Quanta inde Wiſigothorum & Eurici potentia.

BELGII ROMANI
ECCLESIASTICI ET CIVILIS,
LIBER DECIMVS-NONVS.

Ab anno Chriſti 477. ad 496.
Per annos fere 20.

CAPUT PRIMUM.

Genſerici mors. Zenonis in Imperium reſtitutio; & ad eum Auguſtuli Odoacriq; Legatio. Sidonius priores 7. Epiſtolarum libros edit. Burgundionum Regum Tragœdia.

Anno Chriſti 477.

LECTORI ſat ſcio, non minus quàm mihi, ex tanti Imperii tam immani caſu; tantæ molis adeò ruentis, tam horrendo fulmineoque fragore, ambæ jam diu tinniunt aures, ſi non & animus. Sed animum tamen utcumque colligamus, & ad finem uſque Romano-Belgicæ duremus hiſtoriæ.

Annus Chriſti 477. Poſt Conſulatum Armati & Baſiliſci

1. Sequitur annus Chriſti vulgaris 477. multis rebus geſtis inclytus; eoque accuratius à nobis exequendus: tametſi nullis Conſulibus, ſed *poſt Conſulatum* Baſiliſci & Armati tantùm notatus. Odoacri Tyrannide jam preſſa Roma, Conſtantinopolis autem Zenonis imminente reditu ſuſpenſa, Conſulum creationem neglexerunt.

Genſerici mors, & anni Regni.

2. Imprimis anni initio, necdum evoluto Januario, Genſericum Vandalorum in Africâ Regem tandem fato abſumptum, ex Proſperi Canuiani fine diſcimus. Sic enim ibi: *Poſt Conſulatum Theodoſii XVII. & Feſti* (is annus eſt Chriſti 439.) *Geiſericus Wandalorum Rex Carthaginem ingreſſus eſt die XIV. Kalendarum Novembrium.* ſeu 19. Octobris. *Qui regnavit eamdem Africam civitatem anno XXXVII. menſibus III. diebus VI.* Hi dies ac menſes ad annos 37. additi, & ab Octobris 19 anno Chriſti 439 deducti; in hunc annum 477. & Januarii 25. aut 26. deſinunt. Quæ tam accurata temporis ſupputatio prorſus amplectenda: præſertim cùm Victor Uticenſis annos item 37. Genſerici regno tribuat à captâ Carthagine, etſi dierum menſiumque minutias omittat. Similiter Jornandes in Annalibus apud Cuſpinianum: *Anno* (inquit) *477. Geiſericus Rex Vandalorum poſt 37. & paulò plus invaſæ Carthaginis annos, tandem moriens tyrannidi finem fecit.* Quare Procopius libro primo Vand. cum Geiſericum à captâ Carthagine regnaſſe ſcribit annos ἕνεα καὶ τριάκοντα 39. aut pro ἑπτὰ ἐννέα dixit, λζ pro λθ aut utrumque extremum eo numero comprehenderit; licet utriuſque nonniſi dies pauci fuerint. Antequam moreretur, fœdus cum Zenone (credo nondum exule) ſine ullâ temporis præſcriptione iniiſſe, teſtatur Procopius; quod & ſucceſſores Anaſtaſius Juſtinuſque ſervaverint. Sed & Oratores ad Odoacrum jam Italiæ Regem de pace miſiſſe, illiuſque impetrandæ gratiâ, Siciliam ei tributario jure conceſſiſſe, ſcribit Sigonius. Genſerico patri ſucceſſit Hunerix ſeu Huonericus filius Arrianus, Catholicorum poſtea perſecutor acerrimus: cum quo Euricum pacta priſtina ſervaſſe non dubito.

Zeno Imperio redditus Baſiliſcum expellit.

3. At in Oriente Zeno rurſum imperio redditus Baſiliſcum expulit. de quo ſic Candidi apud Photium eclogæ: *Patricius Magiſter, qui cum Verinâ conſuetudinem habebat, indignante ipſo Baſiliſco perit. Eapropter Verina concepto in fratrem* Baſiliſcum *odio; Zenonem opibus ad recuperandum Imperium adjuvit, licet ideo extrema à fratre perferret. Cum Baſiliſci deinde uxore Zenonide adulteratus Armatus, ad ſummam pervenit potentiam: adeo ut tandem ei bellum quod adverſus Zenonem gerebatur, creditum fuerit. Ubi amborum copiæ* (addit Procopius 1. Vand.) in conſpectu fuere, *Armatus*, Zenonis promiſſis illectus, *Zenonis Ducibus ſe cum toto tradidit exercitu. Baſiliſcus Conſtantinopoli accepto cladis proditioniſque nuntio, protinus in templum confugit. ubi captus ab Acacio Præſule Conſtantinopolitano, quòd in Eutychianam ſectam inclinaſſet, Zenoni traditus eſt. Zeno reſtitutus, Baſiliſcum cum uxore ſimul & filiis in Cappadociam mittens hyemis tempore, juſſit neque veſte neque victu juvari. Ex quo breviter unà ſe complexi corporibus, collacrymantes miſerè perierunt.* Lyminis id factum habet Marcellini Chronicon: ſed priore anno; ſequenti contrà Chronicon Alexandrinum. utrumque malè. ut ex accuratiore S. Euthymii Abbatis vitâ conſtat: *Quintò* ab Euthymii morte *anno moritur Anaſtaſius* Hieroſolymorum *Patriarcha jam incipiente menſe Januario. Zeno verò reverſus ab exilio, victo Baſiliſco, recuperat Imperium.* Obiiſſe S. Euthymium *20. Januarii, Sabbatho, anno Leonis Imperatoris 16. Mundi 5560. Chriſti 465.* eadem

Qui cum uxore in Cappadociâ frigore & fame moritur.

Apud Surium Ian. 20. 76.

Zenonis reſtitutus certus annus Chriſti 477

vita

vita cap. 72. teſtatur. Qui omnes characteres certò ſunt anni vulgaris Æræ Chriſti 473. quàm Græci octo annis totis ſubſequi ſolent; ut alibi oſtendo. Ab vigeſima Januarii die anni Chriſti 473. ad hujus 477. Januarium, quatuor ſunt añi completi, & init quintus, quo Zeno reſtitutus. Rurſus Baſiliſcum *annum unum & octo menſes imperaſſe* tradunt Procopius, Victor, & dicta vita. *Biennium*, labens ſcilicet, tribuunt Evagrius & Chronicon Alexandrinum. Quæ accuratiùs expendo, ut certiùs ſequentia conſignem;

Odoacri & Auguſtuli ad Zenonẽ reſtitutum Legatio.

4. De quibus ſic Malchi Eclogæ pagina 185. *Auguſtus* ſeu Auguſtulus *Oreſtis filius, ut audivit Zenonem iterum Orientis imperium, expulſo Baſiliſco recuperaſſe; ſenatum veteris Romæ legationem ad Zenonem mittere coegit: quæ illi ſignificaret, Urbem Romam proprio Imperatore non indigere. Unum quidem Imperatorem, ſed communiter illis utriuſque Imperii fines tutandos eſſe. Odoacrum ſibi prapoſitum aſſumpſiſſe, idoneum qui ſalvas res faceret. Illum quippe & ſcientia Reip. adminiſtrandæ & rei militaris peritiâ praſtare. Itaque orare, ut illum Zeno Patriciatus dignitate ornet, & Italicam diœceſin regendam committat.* Vides Odoacrum, etc hoc quidem anno, invaſæ tyrannidis ſecundo Auguſtulum expuliſſe, ſed ejus adhuc nomine imperaſſe, ceterorum more barbarorum, quos ornamenta Auguſtalia ſemper puduit attrectare. Sed pergit Malchus: *Profecti ſunt igitur ex Senatu veteris Romæ viri, qui has ſermones Byzantium deferrent. Iisdem diebus venerunt & à Nepote nuntii, qui Zenoni reſtitutum congratularentur Imperium: & ipſum obteſtarentur, cum eaſdem calamitates, quas Nepos expertus eſſet, ut omni operâ & ſtudio illum in recipiendo imperio prompto & alacri animo adjuvaret: pecunias, exercitus, & alia quæ opus forent ſuppeditaret, quæ illi reditum ad priſtinam fortunam elaboraret. Hæc qui dicerent Nepos miſit.*

Item Nepotis exulãtis.

5. *At Zeno his qui venerant hæc reſponſa dedit: Senatoribus quidem illos ex duobus qui ab Oriente Imperium ſuſceperant, Nepotem expuliſſe, Anthemium occidiſſe. nunc quid ſibi facto opus eſſet, illos dixit perſpicere, Imperatore enim ſuperſtite non aliam debere valere ſententiam, quam illum amplecti, & illi adhærere. Ad ea verò quæ Barbarus* Odoacer *nuntiarat, rectè & juſtè facturum, ſi à Nepote Imperatore Odoacer patriciatus dignitatem ſuſciperet: eam illi miſſurum, niſi Nepos prævenerit. hortari ſimulac eam adeptus fuerit, ut cultum Romanis convenientem aſſumat & uſurpet. Se quoque confidere, fore ut Imperatorem qui illum hoc honore affecerit, ſi quidem juſta facere voluerit, obſervet & colat. Sed tamen in literis regiis, quibus Odoacro eam dignitatem mittere voluit, eum Patricium nominavit. Quæ Zeno cùm Nepotis ſtuderet, ex ſuis, Nepotis malorum commiſeratione duci, & propria caſu communis hominum ſortis ingemiſcere edoctus, faciebat. Eo quoque illum impulit Verina, quæ Nepotis uxori, cujus erat conſanguinea, favebat.* Hactenus Malchi Eclogæ.

Quid utrique Zeno reſpondent.

Odoacrum Patricium nominat.

6. Quibus intelligimus, præter dicta, Odoacrum tùnc ne Romanum quidem habitum, nedum Auguſtalem aſſumpſiſſe: ſed per Legatos Senatores, pro ſe apud Zenonem orantes, paulatim ad Imperium adrepere molitum, non vi ſed Senatûs adprobatione & poſtulatione. Unde rurſum aſſequimur, quod jam monuimus, nullum ei hactenus in Gallos imperium fuiſſe; ac ne ullam quidem eorum curam, quando per hoſce Legatos Italicam dumtaxat diœceſin ſibi à Zenone poſtulari curat. Interim ſui forte contemptum periculúmve metuens, aut, ſi Jornandem Getic. cap. 46. audimus, ut *terrorem ſuum Romanis indicaret*, hoc eodem anno 477. P. C. *Baſiliſci & Armati, Brachilam Comitem* (barbarum quempiam nomen indicare videtur) *Ravennæ quinto Idus Julias occidit*, aiunt Innominati & Marcellini Chronica; Jornandes quoque ſuprà, qui Brachilam ab Odoacro *mox initia regni ſui*, peremptum ſcribit. Scilicet non deerant in Italiâ, qui Odoacro regnum inviderent, aut nondum ſatis firmatum concuterent. Atque hæc in Italiâ.

Cùm multũ tamen in Gallos imperium.

7. Non dubito, quin & è Galliâ, legationes quoque miſerint regnantes ibi Barbari, Franci maximè & Francorum Rex Childericus; in cujus ſepulchro nuper detecto, aurei Zenonis ipſius Nummi, ut & Baſiliſci reperti: ut è D. Chiffletii editione certius haurire licebit. Barbaros ſanè Romanorum Imperatoribus, à ſe præſertim non alienis, crebros honores, ut ſua ſtabilirent, detuliſſe, alibi capite ſingulari demonſtravi. & docent ſubinde, quæ ſuperſunt Sidonii Epiſtolæ. de quo jam agendum.

A Francis quoque ad Zenonem probabiliter Legati.

CAPUT II.

Quid Sidonius Arvernos reverſus egerit. Et de Victorio Comite Arverno.

Anno Chriſti 477.

Sidonius reverſus ſeptẽ priores Epiſtolarum libros edit; anno 477.

1. REverſus in Epiſcopatum Sidonius, priores ſeptem Epiſtolarum libros hoc eodem anno Chriſti 477. publicos fecit. Sane non ante ſuum ab exilio reditum eos evulgaſſe, fidem abunde faciunt ejus Epiſtolæ, 10. & 22. libri quarti, & tertia octavi. In quâ *Cùm primùm* (ait) *reduci mihi aliquid otii fuit, impolitum hunc, ſemicrudúmque, & tanquam muſteum librum, plus deſiderii tui, quàm affici mei memor obtuli.* Sed neque ſeriùs edidiſſe, diſcimus ex Epiſtola 11. lib. 9. ad Lupum Tricaſſinum Epiſcopum. ubi cum dixit libros iſtos ſeptem Lupo ſe miſiſſe, ut ad alium poſtea Epiſcopum perferrentur; addit, eumdem Lupum *jam per quinquennia decem*, ſeu per annos 50. Epiſcopatum tenere. quinquageſimum autem Lupi Epiſcopi annum, cum hoc Chriſti 477. ſaltem ex parte comparari & in eo evolvi, probat ejus vita, quæ ſecundum illius annum cum primâ S. Germani Antiſſiodorenſis in Britãniam excurſione, ſeu anno Chriſti 429. (ut ſcribit in Chronico Proſper) componit.

S. Lupus Trecenſis Epiſcopus, annos jam 50.

2. Illum porrò alterum Epiſcopum, ad quem litteras ſuas per Lupum tranſmitti volebat Sidonius, putavi primùm Remigium Remenſem eſſe poſſe, ad quem ſcilicet nuntio Arvernis tendenti rectum per Tricaſſes iter erat; ſimul eâdem hac Epiſtolâ teſtatur Sidonius, ad eum Epiſcopum unas dumtaxat ſe dediſſe literas; & una tantùm ad Remigium eſt Epiſtola ſeptima libri noni. Verùm quia nulla ad eumdem Remigium inter 7. priores libros extat, de quibus hìc quæſtio; eſt autem

una

Auſpicius Tullenſis Epiſcopus.

una ad Auſpicium Tullenſem, decima libri ſeptimi; magis inducor ut credam de eo loqui Sidonium. Quod ſi eſt, conjicerem Francos inter & Syagrium Ægidii filium, Romanorum in Belgicæ ſecundæ Senoniæque continibus Rectorem, pacem tunc nonnullam perſtitiſſe. aliàs enim quodnam Trecas inter ac Tullum commercium?

3. Ceterum Epiſtolâ 10. lib. 4. ad Felicem, cum dixiſſet ſe poſt *peregrinationis*, ſeu exilii *adverſa*, *hunc* Epiſtolarum *libellum terminaſſe*; *reducis* quoque *patroni* mentionem infert: id eſt Victorii Ducis, Savarone & Sirmundo noſtro interpretibus.

De Victorio Comite Arverno.

Hunc autem ab Eurico Wiſigothorum Rege ſuper ſeptem civitates præpoſitum; & ſuper Arvernos jam ſibi deditos impoſitum, dicit Turonenſis lib. 2. cap. 20. de quo item Epiſtola penultima ſeu 17. libri ſeptimi, qui primæ hujus editionis poſtremus eſt, ſic ad Voluſianum fratrem ſcribit:. *Næniam ſepulcralem ſancto Abraha diu functo inſcripſi, cùm tuâ tractus auctoritate, tum principaliter ampliſſimi viri Victorii Comitis devotione præventus: quem jure ſecularì patronum, jure Eccleſiaſtico filium excolo ut cliens, ut pater diligo.* Mortuum Atrahamum hunc die Junii 15. teſtatur Martyrologium Romanum. indubiè non ſeriùs quàm hoc Chriſti anno 477. quo ſeptem iſtos Epiſtolarum libros Sidonius edidit; forte etiam priore: certè cùm Epiſtolam hanc Sidonius edebat, recenter mortuum eſſe neceſſe eſt.

De quo quæ ſcribit Turonenſis, benignè capienda.

4. Quare benigna interpretatione juvandus Gregorius Turonenſis, cùm ſuprà ſcribit, Victorium Comitem Arvernis impoſitum anno Regis Eurici XIV. qui cum Chriſti 479. & 480. concurrit, id eſt annis poſt Arvernos deditos facilè quatuor; cùm Sidonius Arvernis captis ſtatim impoſitum ſatis indicet; Eurici ſcilicet Regis ineunte XI. non XIV. Credo autem cùm ſolis Arvernis tribus aut quatuor fere annis præfuiſſet, eum è Comite ſeu unius civitatis Rectore, Ducem factum ſeu, ut ait, *ſuper ſeptem civitates præpoſitum*, anno ejuſdem Regis XIV. Chriſti 480. Cumque Euricus anno Chriſti 484. ſeu ut Iſidorus tradit, *erâ Hiſpanicâ 522.* fato functus ſit, anno regni ſui 18. completo, & labente 19. Victorius autem quatuor ante Eurici mortem annis ob luxuriam exactus ſit, ut idem expreſsè ſuprà Gregorius; planè anno Eurici 14. vertente, Chriſti 480. exactus fuerit, quod forte Gregorius exprimere voluit. Quod autem addit, Victorium *Arvernis præfuiſſe annis novem*, rurſum memoriæ lapſus videtur: quando ab Arvernis anno Chriſti 476. captis, ut dixi, ad 480. nonniſi ſolidi quatuor inteſfluunt. Verum tamen eſt, annis novem vertentibus ante Eurici mortem, Victorium Arvernis recenter captis impoſitum; quod & Gregorius in animo habuerit. Unde caput illud lib. 2. 20. ita legendum cenſebam. *Euricus Victorium Ducem ſuper 7. civitates præpoſuit anno XIV. regni ſui.* poſtquam ſcilicet jam antè Comes Arvernis annos aliquot præfuiſſet. *Fuit autem Arvernis annis IV.* non IX. Niſi malis, *Fuit autem Arvernis annis IX.* ſcilicet ante Eurici obitum impoſitus. Quæ ſint autem *ſeptem illæ civitates* quibus impoſitus, non exprimit. Conjicio fuiſſe, quas ſibi recenter adjunxerat Euricus; nempe Turonas, Biturigas, Arvernos, Gabalos, Velaunos, Nemauſenſes, & fortaſſe Helvios, aut Ruthenos, omnes in Gothici regni finibus ſitos. niſi quis ſolius Aquitaniæ primæ 7. populos capere malit.

CAPUT III.

Gundebaldus Burgũdionum Rex fratres ſuos Chilpericum & Gundomarum necat.

Anno Chriſti 477.

1. PORRO ſi priores ſeptem Epiſtolarum libros non tardiùs quàm hoc Chriſti anno 477. Sidonius luci dedit; neceſſe eſt, quæ in iis hiſtorica memorantur, ante hunc annum, aut eo ipſo certè quàm tardiſſimè contigiſſe. Quoniam igitur Epiſtola octava libri quinti de tragicis Burgundionum Tetrarcharum motibus, licèt tectè, etiam ipſo interprete Sirmundo, agere videtur; hîc de iis quædam aptè tangemus. Chilpericum Burgundionem Militum Magiſtrum, ſecundo ante hunc anno in Lugdunenſi Prima, Sequanis, & Viennenſi: in Italia autem Gundibalum ſeu Gundebaldum ejus fratrem uſque ad Nepotis imperium, ſeu annum Chriſti 474. florentes inſpeximus. Nec opinor Sidonium de tanta fratrum iſtorum diſſenſione tam liberè ſcripturum fuiſſe, ſi Burgundionas iſtos adhuc patronos præſidiarióſve Arvernis habuiſſet, ac nondum ad aliud regnum, civitatis ſuæ deditione, tranſiiſſet.

Quid de Burgundionum Tetrarchis è 7. prioribus Sidonii libris colligi poſſit.

2. Puto igitur iſtam ad Poëtam Secundinum Epiſtolam hoc anno, paulò poſt reditum ab Sidonio datam; cùm quas ille Satyras in fratres iſtos Tetrarchas (ut & Sirmundus nobiſcum opinatur) diſtrinxerat, ita laudat: *Deus bone! quid illic meſſe ſalis, leporis, piperataque facundia ſummiſè tacitus inſpexi! niſi quod ferventis fulmen ingenii, & eloquii ſalſa libertas, plus perſonis fortè, quàm cauſis impediebantur. ut mihi non figuratiùs Conſtantini domum vitámque videatur vel pupugiſſe verſu gemello Conſul Ablavius, vel momordiſſe diſticho tali, clàm palatinis foribus appenſo.*

Secundini Poetæ in eos Satyræ.

Saturni aurea ſæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

Quia ſcilicet prædictus Auguſtus iiſdem ferè temporibus extinxerat conjugem Fauſtam calore balnei, filium Criſpum frigore veneni. Tu tamen nihilo ſegniùs operam ſaltem facetis Satyrarum coloribus intrepidus impende. Nam tua ſcripta, noſtrorum vitiis proficientibus Tyrannopolitarum locupletabuntur. Non enim tam mediocriter intumeſcunt, quos noſtra judicia, ſæcula, loca fortunatos putant; ut de nominibus ipſorum quandóque reminiſcendis ſit poſteritas laboratura. Námque improborum probra, æquè ut præconia bonorum, immortalia manent. Hæc Sidonius: ita ſcilicet, ut iſthæc mala nondum expleta ſignificet: nempe in plures annos producta. *Nota ſunt* (ait hîc Sirmundus noſter) *tragica funera regiæ domûs: in quâ Gundebaldus duorum fratrum ſanguine manus imbuit; Chilperici & Gundemari: quorum ipſe armis, regni parte anteà fuerat ejectus. Chilperici etiam conjugem Sidonio ſuprà laudatam aquis obruit. Hoc igitur eſt argumentum, quod comparat cum Conſtantiniano.*

Conſtantini M. conjux & filius Criſpus eodem tempore extincti.

3. Quamdiu Nepos in Imperio perſtitit; imò quamdiu etiam ab Glycerio dejectus, ſpem reſtitutionis ab Zenone Imperatore ſibi affini oſtentavit;

qustuor

Nepotis reſtitutione deſperatâ, Euricus & Childericus, item Burgundiones regna ſua promovent.

quatuor fratres Burgundionum Principes Gundeuchi proles, nihil moviſſe videntur. Ubi Zeno primùm Verinæ ſocrus ſuæ, & Baſiliſci fratris ejus inſidiis Conſtantinopoli expulſus eſt; mox Italiam quoque Odoacer, Oreſte cum filió pariter excuſſo, invaſit; atque ita ſi non omnis, proxima certè Nepotis reſtituendi ſpes evanuit: ad hæc Euricus Wiſigothus, & Francus Chilpericus regni ſui limites non parum in Galliâ promovere viſi: tum vero Burgundos fratres dira provinciarum, quas pro Nepote tueri videbantur, ſibi adjungendarum cupido inceſſit. Quâ in re cum rara fratrum quoque gratia ſit, non habuit cupido concordiam. Chilpericus & Gundomarus juncti, in Gundobaldum & Godegiſclum diſcordes inſurrexere. De quo ita Vignierius in Chronico Burgundico.

Gundobaldus Burgundio fratrem ſuum Chilpericum cum uxore & prole maſcula occidit.

4. *Convenit inter omnes, diuturnam inter Gundicarii* (ſeu Gundeuchi) *filios, qui regnum patris* (in Sabaudiâ ſcilicet, circa Genevam; quam & Childericum tenuiſſe ex S. Lupicini vitâ diſcimus) *in quatuor Tetrarchias diviſerunt, concordiam non permanſiſſe: ſed ex regnandi libidine ſimultates primum ortas, inde odia, poſtremo bellum. In quo Gundebaldum juncto ſibi Godegiſclo fratre, in Chilpericum Gothomarumque fratres, Transrhenanorum gentium auxilia ſubnixos, arma moviſſe, & ab iis in Æduorum finibus acie devictum, & pro caſo creditum fuiſſe tradunt. adeo ut veluti confecto bello exercitus dimiſſi ſint. Sed cum paulò pòſt comparuiſſet, tantum populorum concurſum habuiſſe; ut fratres ſecuros & nihil tale opinantes potuerit in urbe Viennâ obſidere; eáque expugnatâ comprehenſos ad necem adigere, cum omni maſcula ſobole. vitam enim Childerici filiabus condonavit, juniorémque illarum Chrotildem nomine, eleganti formâ & indole virginem, Chlodovai Francorum Regis ſponſam futuram, in aulâ ſuâ regaliter educari voluit.* Hæc Vignerius in Chronico, anno Chriſti 451. præmaturè, cum quatuor fratrũ horum pater Gundeuchus adhuc viveret: & nondum Burgundionum princeps eſſet.

De quibus Gregorius Turon.

5. De his omnibus breviùs quidem, ſed certiùs ita Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 28. *Gundobaldus Chilpericum fratrem ſuum interfecit gladio, uxorémque ligato ad collum lapide aquis immerſit. Hujus duas filias exilio condemnavit: quarum ſenior mutatâ veſte Mucuruna, junior Chrothildis vocabatur.* Eadem narrat utraque Epitome cap. 11. & 17. ſed poſterior addit: *Gundobaldus duos Chilperici filios gladio trucidavit, duas filias exilio condemnavit, quarum ſenior nomine Sedeleuba, mutatâ veſte ſe Deo devovit: junior Chrothildis vocabatur; quam ille* (addit epitome prior) *domi retinuit.* Idem Aim. lib. 1. cap. 13.

Chrotildis ſervata, & quando nata.

Ceterum hæc omnia non uno geſta anno certum eſt; in duos minimum excurrerint. ante quos Chrotildem Chilperico natam oportuit, quando anno Chriſti exeunte 492. id eſt vix 15. poſt hunc annis, Chlodoveo uxor data. Cumque patris illius Chilperici uxorem tantopere laudet Sidonius Epiſtolis 7. libri 5. & 12. ſexti, ceu piam, & S. Patienti Archiepiſcopo addictiſſimam; nihil mirum ſi illius filia Catholica, & non, ut pater, Arriana fuerit.

Quando natus Sigiſmũdus Gundebaldi filius.

6. Chrotilde paulò ſeniorem fuiſſe patruelem ejus Sigiſmundum Gundobaldi filium, hinc etiam intelligimus. Quippe Theodoricus Italiæ Rex, mox ut in eam venit, ei filiarum unam matrimonio junxit, ut Jornandes Getic. cap. 58. circa eumdem annum 491. vel 492. eam etiam affinitatem ul[...] a[...]biente Gundobaldo, qu[...] [...]ribus contra Childericum Fra[...] munimentis m[...]eret. Atque ex hor[...] du[...]rum fratrum Chi[...]erici Gundobaldique ætate & conjugio, mors denique patris eorum Gundeuchi non multò poſt Anthemii primordia ſeu annum Chriſti 467. colligi poteſt; quando Bilimer ejus loco Galliæ præfici potuit. junioribus ſcilicet adhuc & per ætatem immaturis Gundeuchi filiis Chilperico & Gundobaldo, quàm ut in eâ Præfectura patri ſuccederent. Sed neque quippiam vetat, quin Bilimer Gundeuchi frater extiterit, quando in Legibus Burgundionum, titulo tertio Gundobaldus non *patris* tantùm, ſed & *patruorum* ſuorum mentionem ingerit. Ex patruis autem iſtis, cùm nonniſi unus apud Jornandem Getic. cap. 44. Chilpericus Gundeuci frater appareat, quidni Bi[...]er aptè jungi poſſit?

Gundebaldus circa Lugdunum Rex, ad annos 39 Godegiſilus Genevæ.

7. Chilperico, Gundomaróque trucidatis, Gundobaldus cum Godegiſclo fratre, Burgundionum regnum circa Ararim Rhodanumque ſtabilivit; & tam cum fratre quàm ſolus, novem ſupra triginta deinceps annos, ad annum uſque Chriſti 516. tenuit ut in ejus exceſſu videbimus. Comprehendebantur autem eo regno, Lugdunenſis prima, & quinta ſeu Maxima Sequanorum; exceptâ Orientali Helvetiorum parte, quæ ab fluvio circiter Arolâ ad Rhenum tunc ab Alemannis occupabatur. juxta illud, quod in SS. Lupicini & Romani vitâ legimus: *illa Jurenſis deſerti ſecreta, quæ inter Burgundiam Alamanniamque Aventicæ adjacent civitati.* Continebantur item Viennenſis Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta; ſaltem ex parte, ut jam oſtendam. Illius tractûs pars occidentalior, quæ ad Ararim Rhodanumque illuſtres fluvios jacet, nempe Lugdunenſis & Viennenſis Primæ totæ; ſaltem ad Druentiam fluvium, aut Avenionem uſque Gundobaldo; reliqua pars Orientalior Godegiſclo obtigiſſe videtur: quando hunc *Genevæ ſedem ſtatuiſſe*, Gundobaldum Lugduni egiſſe, teſtatur in Epiphanii vitâ Ennodius.

CAPUT IIII.

Provincia Maſſilienſis in quorum poteſtatem inciderit. Nepos occiſus.

Anno Chriſti 480.

Provincia Maſſilienſis diu pro Nepote.

1. Quæ Druentiam inter & mare mediterraneum porriguntur, ſupra monui diutiùs firmiúſque pro Nepote (ſi non & pro Auguſtulo) certè pro Romanis ſtetiſſe: eóque belli cauſam Gothos inter & Burgundiones præbuiſſe colligo; dum illa velut prædam primo rapienti expoſitam ad ſe quiſque rapere feſtinat. Ac bellum quidem iſtud obſcurius eſt: ſed quomodocumque ſe habuerit; non videntur Galli illi Druentiâ maríque concluſi, ante Nepotis interitum, ab Romanorum imperio divulſi; non certè in Viſigothorum jus poteſtatémque traducti. Anno quippe Chriſti 480. primùm, ſeu, ut in Chronico Marcellinus, *Indictione tertia Baſiliſco ſolo Coſ. Nepos, quem dudum Oreſtes*

Annus Chriſti 480.

Qui tandem in Dalmatiâ cæſus.

Imperio abdicaverat, Viatoris & Ovidæ Comitum inſidiis, haud longè à Salonis ſua in villâ occiſus eſt: & quidem ut eodem anno addit Innominatus *ſeptimo Idus Maias*. Malchus apud Photium. *Nepotem*, ait, *à Glycerio, quem ille pro Imperatore Epiſcopum* Salonitanum *conſtituerat, inſidiis petitum denique periiſſe.* ſive Glycerius id vindictæ cupidine per ſe; ſive ab Odoacro etiam, qui ſecuritatem ſuam nonniſi Nepotis interitu metiretur, impulſus effecerit.

2. *Poſt interemptum Romanum Cæſarem Nepotem* (ſubdit apud Photium Candidus) *& ejus ſucceſſorem Auguſtulum expulſum* (nempe eodem tempore) Odoacer, quo verè ſecuréque regnaret, & Nepotem trucidari curavit, & Auguſtulum hactenus Imperatoris ſpecie ſervatum tandem, *in Lucullano Campaniæ caſtello exilii pœnâ damnavit*, ut Marcellinus ait, & ex eo Jornandes Gothicor. capite 46. Ita *Odoacer Italiâ atque ipsâ adeò Urbe potitus eſt.* ϗ στασιαζόντων αὐτῷ τῶν δυσμικῶν Γαλατῶν, id eſt, *& tumultuantibus, diſſentientibus, ſeditionem illi moventibus Gallis; Legatione ab ipſis, aliâque ab Odoacro ad Zenonem miſſâ, in Odoacrum magis Zenonis animus inclinavit.* Scilicet Gallos iſtos Arelatenſes, quos Provinciales modò vocamus, maluit Zeno Romæ, tametſi abs Odoacro oppreſſæ, junctos retinere, quàm ſibi ut ante relictos & imbecilliores, Burgundionum Viſigothorumque rapacitati exponere. Interim patet, quàm à Barbarorum dominio Galli iſti abfuerint, quando potiùs quàm ut illud ſubirent, ad Orientis etiam Imperatorem, quantâvis terrarum intercapedine à ſe disjunctum, legationem mittere, eique tanquam Romano ſubdi maluerint.

& Auguſtulus in Lucullanum Campaniæ relegatus.

Zeno Imp. provinciam Maſſilienſem Odoacro adjudicat.

3. Sed neque tamen eos Odoacer, ut alieniores, quoſque nonniſi magno præſidio continere poſſet, retinere operæ pretium duxit; Italiâ Dalmatiâque contentus. Sic enim Procopius primo Gothic. *Quamdiu Romanis Reſp. eadem ipſa manſit, ad Rhodanum fluvium Imperator in Gallos imperio potitus eſt. Ubi verò hanc Odoacer in tyrannidem vertit, tum demùm Viſigothi, Tyranno hos ipſo cedente, univerſam ad uſque Alpes, quæ Gallos à Liguribus diſterminant, Galliam ſuæ ditionis fecere.* Cur Odoacer Viſigotis potiùs, quàm Burgundis vicinioribus tranſdere maluerit, nullibi lego. Crediderit vafer barbarus, utiliores ſibi Italiæque ſuæ ad Alpes vicinos plures, quàm unum fore: ut ſi quid mali alter inferre moliretur, per alterum qui vicini incrementa non ferret, retundi poſſet. Adde Gundebaldo Burgundionum modò Regi, non defuiſſe clandeſtina cum Italis, apud quos diutiùs cum poteſtate egerat, commercia conſiliáve; nondum tantæ, tam fertilis amœnæque provinciæ memoriam excidiſſe: ſed & nondum Glycerius mortem obierat, quem ille ab annis vix ſeptem ad Imperium maximè provexerat. Tutior igitur & gratior Odoacro Wiſigothorum viſa vicinia.

Qui eam Wiſigothorũ Regi Eurico trãſdit.

Et cur.

4. Non tulere Burgundiones, quam jam ſpe devorarant, ita ſibi eripi provinciam, præſertim ſibi confiniorem, maritimam, oppidóque opportunam. bello igitur eam vindicare adorti. quod Jornandes & Iſidorus, etſi paucis, ita ſignificant: *Euricus Rex Veſegotharum, Romani regni vacillationem cernens, Arelatum & Maſſiliam propriæ ſubdidit ditioni. & totas Hiſpanias Galliaſq; ſibi jam jure proprio tenens, ſimul quoque & Burgundiones ſubegit:* ſeu ab ea provinciâ invadendâ bello arcuit; *Arelatiq; degens decimo-nono anno regni ſui vitâ privatus eſt.* Iſidorus: *Euricus in Gallias* ex Hiſpaniâ ſuperiore jam ſubactâ *regreſſus, Arelatum & Maſſiliam urbes capit, ſuoq; regno utramque ſubjecit.*

Euricum Burgundiones bello impetunt. ſed vincuntur.
Iorn. Get. cap. 47.
Iſid. Chron.

5. Ita ergo Hiſpaniæ potior pars, & tota Auſtralis Gallia, à Romanis avulſa, in Viſigothorum Burgundionumque poteſtatem conceſſit: Borealior autem ejuſdem Galliæ pars, ab Ligeri in Oceanum Rhenumque porrecta, in Childerici Francorum Regis filiique Chlodovæi jus ſenſim devoluta eſt. Niſi Warni Saxonum in Britanniam tranſgreſſorum ſedes Hollandicas Friſicáſque tunc obtinuerint, & ad annum uſque Chriſti 595 tenuerint. ut ex Gregorii Turonenſis Appendice, cap. 15. intelligimus. Syagrius quoque Ægidii filius & hæres, regnum Sueſſionenſe ad Chriſti annum uſque 486. retinuit.

Euricus barbarorum in Galliis potentiſſimus.

CAPUT V.

Childerici Regis, & Francorum in Belgica, Lugdunenſiq; Secundâ, Tertiâ, & Quartâ progreſſus, ac mors.

Ab anno Chriſti 466, ad 482 ineuntem.

1. EX quo Ægidium victum ad mortem adegit redux ab exilio Childericus Francorum Rex anno Chriſti 464. expirante; aut ineunte 465. vix à limite regni promovendo, vix vario cum variis bello abſtinuit, per annos omnino ſeptemdecim, quibus Ægidio ſuperſtes fuit. Atque utinam iſta ejus bella accuratiùs à nobis, ut ad inſtitutum maximè ſpectantis, pernoſci poſſent! efficerem profectò, ut non Provinciarum modò, ſed & ſingularum civitatum triſtes ab Imperio Romanorum avulſiones enucleatiſſimè narrarentur. Nunc quando omnia fere, tempus & Scriptorum penuria nobis invidit, ſuperſtites paucas è naufragio tanto tabulas colligam, & in unum hiſtoriæ corpus redigere pro viribus enitar. Quem in finem quoque priùs Romanorum, Viſigothorum, Burgundionum, ceterorumque Barbarorum res per hæc tempora geſtas priùs contexere viſum; ut cum iis paulò clarioribus Francica noſtratiáque obſcuriora comparata, nonnihil lucis haurirent.

Childericus Francorum Rex poſt Ægidii mortem annos adhuc 17.

2. Primùm ergo quid de Childerici geſtis ſcribat univerſim Gregorius lib. 2. cap. 18. audiamus: *Igitur Childericus Aurelianis pugnas egit. Odoacrius verò cum Saxonibus Andegavos venit. magna tùm lues populum devaſtavit. Mortuus eſt autem Ægidius, & reliquit filium Syagrium nomine. Quo defuncto* (465.) *Odoacrius de Andegavo & aliis locis obſides accepit. Britanni de Bituricâ à Gothis expulſi ſunt, multis apud Dolenſem vicum peremptis:* anno 473. *Paulus verò Comes* (nempè Syagrii Romani) *cum Romanis ac Francis, Gothis bella intulit, & prædas egit. Veniente verò Odoacrio Andegavos, Childericus Rex ſequenti die advenit; interemptóque Paulo Comite, civitatem obtinuit.* poſt annum ferè 476. imperio jam Romæ finito, ſub Odoacro Rugo. *magno eâ die incendio domus Eccleſiæ concremata eſt.* Iſta omnia Gregorius toto cap. 18. libri 2. & mox cap. ſeq. 19. *His ita geſtis, inter Saxones atque Romanos bellum geſtum eſt* (credo ab anno

De illo quid iſtis annis narret Turonenſis etſi cõfuſè.

Chriſti 477. ad 480.) *Sed Saxones terga vertentes, multos de ſuis, Romanis inſequentibus, gladio reliquêre. inſulæ eorum, cùm multo populo interemptæ, à Francis captæ atque ſubverſæ ſunt. Eò anno menſe nono terra tremuit* (anno Chriſti 477. ex Chron. Alexand.) *Odoacrius cum Childerico fœdus iniit* (circa annum 480. & ſequentem 481.) *Alamannosq;* (lego *Alanos*) *qui partem Italiæ pervaſerant ſubjugarunt.* Nec plura de Childerici rebus. tantum cap. 27. ſubdit: *His ita geſtis, mortuo Childerico* (anno 482. ineunte) *regnavit Chlodovæus filius ejus pro eo.* Iſta Gregorius, ac poſt eum Epitome, & Aimoinus. omnia ſanè nimis ſuccinctè, confusè, hiulcè.

Narratio Gregorii in ordinem redigitur.

3. Imprimis Ægidii mortem in priorem anni Chriſti 465. ferè partem incurriſſe; Britannos de Bituricâ à Gothis pulſos, captamque civitatem circa annum 473. ſuprà vidimus. Ita inter binas haſce, eadem licèt narratione ferè junctas hiſtorias, octennium interfluxerit. Cùm igitur ante utramque, ſcribit Gregorius, *Childericum Aurelianis pugnas egiſſe;* planè prævertere ſe ſignificat, volens ſcilicet ad Francorum geſta redire. Quomodo enim Ægidio vixdum ad Barrum anno Chriſti 464. exeunte, victo, & poſt aliquot menſes abſumpto, potuit è Belgicâ Primâ, vel è viciniâ, Chidericus Aureliam uſque ſaltum facere, & ductis etiam copiis pugnas agere? nondum compoſitis regni vixdum recuperati rebus: vixdum Coloniâ Agrippinâ, vix Treviris, vix tot aliis urbibus, quas præſidiis inſederat Ægidius, receptis? Syagrio Ægidii filio, etiam poſt patris mortem Sueſſionas ac vicina loca tenente, nec facilè quieturo? Planè ὕστερον πρότερον hic agnoſcendum, & ſuo ordini commodè reddendum.

4. Donec igitur aliunde radius aliquis abditæ veritatis affulgeat, opinari malim; Childericum è Belgicâ Aureliam non antè excurriſſe; quàm Ægidio jam mortuo; Colonienſi deinde regione Sygeberto, Cameracenſi ſeu Hannoniâ Ragnachario, eorúmve deceſſoribus relictâ; tum populis Somonam inter ac Ligerim ſeu fœdere ſeu vi ſibi adjunctis, cunctiſque à tergo ſecuris; in Euricum Wiſigothosque limitem ſuum promoventes, liber ſe vertere; Pariſios item fortè diutiùs obſidere, & ſibi tandem adjungere potuerit. Sic enim in S. Genovefæ virginis vita legimus:

Pariſienſes fame affliguntur.

5. *Pariſienſes, poſt diuturnum belli graſſantis excidium, cùm aliquot annis gravi obſidione preſſi fuiſſent, diriſſimâ fame afflicti ſunt. Nam illa anterior belli ſævientis immanitas, quæ extra urbem erant ſita vaſtaverat: at poſterior clades, ipſa hominum viſcera depaſcebat. Tantâ igitur miſerorum calamitate permota beatiſſima Genovefa, navim conſcendit, ut aliunde afflictis civibus alimoniam compararet. Cumq; Sequanam fluvium navigaret, & adverſo ſuperato flumine, ad locum quemdam perveniſſet, in quo arbor excreverat, quæ in ima propendentibus ramis naves quaſdam pernicioſi gurgitis præcipitio implicuerat,* precibus ſuis eam excidit. *& paralyticâ deinde quapiam in vicinâ urbe ſanatâ, Trecas profecta eſt, ubi cæcos, & perplures alios diverſorum morborum cruciatibus penè exanimes, ſigno crucis impreſſione ſanavit. Frugibus inde comparatis onuſtisq; navibus undecim, Pariſios repetit, civesq; fame confectos & decolores ad priſtinum corporum ſtatum & robur alimentorum ſuppeditatione reduxit.* & mox: *Aliquanto poſt Genovefa proficiſcens, Aureliam forte venit, ubi Claudiam Fraterna filiam propè jam exanimem,* ſanitati ſu-

Juvat S. Genovefa.

h... t. Inde prono Ligeris curſu Turonas de... ..æmoniacos plurimos liberavit. *& ſancto Sacerdoti Martino officium venerationis perſolvit.* Hæc ibi. Quibus intelligimus Childericum, dum adhuc Pariſios obſidione premit, nondum Aureliam cepiſſe; quomodo enim Genovefa Romanam adhuc civitatem incolens Lutetiam, Aureliam ſi Francorum fuiſſet, aut Turonos ire præſumpſiſſet? Quare geſta hæc mihi videntur ante Bituriga ab Eurico ſubjugatos; circa annum Chriſti 471. ſi non ante. Tricaſſes item, & quidquid hos inter ac Pariſios lavat Sequana, Romani adhuc ſub Syagrio Ægidii filio retinebant.

Quæ Aureliam & Turonos venit.

6. Sed in Childerici tandem poteſtatem venêre Pariſii, deditione quantum perſpicio; nullo admodum notabili civium aut Fidei Chriſtianæ damno. Sic enim in eadem ſanctæ Virginis vita, quamvis paulò antè, ordine temporum ſcilicet inverſo: *Childericus Francorum Rex tametſi non eſſet Chriſtianâ Religione initiatus, Virginem hanc ſanctiſſimam ſingulari veneratione proſecutus eſt. Nam cùm aliquando quoſdam reos capitis pertinaci animi ſententiâ decreviſſet occidere, ne ſancta Genovefa precibus poſſet flecti ad miſericordiam, urbe egreſſus juſſit portas occludi. Id ubi Genovefæ nuntiatum, mox illis veniam precatura abiit; portæq; obſeratæ ei, ſtupefactis cuſtodibus, quaſi ad quoddam jubentis imperium, reſeratæ ſunt. ſicq; captum carpens iter, ubi ad Regem pervenit, ne miſeri illi capite plecterentur, obtinuit.* Iſta omnia Genovefæ, ſanctitate hoc ævi celeberrimæ, vita. ſatis innuens Lutetiam Pariſiorum non tam vi quàm fame & deditione in Childerici Francorumque poteſtatem deveniſſe.

Pariſii Childerico Regi dediti.

7. Circa annum Chriſti 473. cùm Bituriges Euricus, fuſis ad Dolenſem vicum Britannis ab Anthemio in ſubſidium advocatis, ſubjugaturus eſſet, Aureliam venerit Childericus, ſeu ab Imperatore Romano, ſeu ab Syagrio Sueſſionenſi jam fœderato contra Viſigothos omnia pervadentes accitus: ſeu per ſe inductus, quo gentem tam potentem intra Ligerim comprimeret. Quod & obtinuit: quippe ultra Ligerim verſus Belgicam nihil unquam, niſi fortè Turonos, pervaſiſſe videntur Gothi. Nam quæ Aureliæ ad Occidentem ſunt, ipſaque Aurelia Childerico; quæ indidem ad Orientem, cum totâ Lugdunenſi Quartâ, tantiſper remanſere Syagrio; quem Burgundionibus ſemper confœderatum, quo ſe contra Gothos Francosque tueretur, exiſtimo.

Poſt Bituriges Eurico deditos, Aureliam veniſſe videtur Childericus.

8. Inde Childericus Turonas Andegavósque devolutus, rurſum cum iiſdem Gothis ad manus venit. Huc enim verba illa Gregorii Turonenſis refero: *Paulus verò Comes* (Romanus aliquis mihi ignotus) *cum Romanis ac Francis, Gothis bella intulit, & prædas egit.* Sed demum tam ipſe quàm Franci victi, Turonas eis in victoriæ præmium cedere coacti ſunt, tanquam ad Aquitanicam Ligeris ripam ſitos. Nam & huc Gothorum quoque de Francis victoriam revoco, de qua Sidonius aliquoties in epiſtolis. Ac primùm tertia libri octavi: *Rex inclytus* Euricus, *modo corda terrificat gentium transmarinarum; modò de ſuperiore cum barbaris ad Vachalim trementibus fœdus victor innodat; modò per promota limitem ſortis, ut populos ſub armis, ſic frænat arma ſub Legibus.* Barbari iſti ad Vachalim trementes, Franci omnino noſtri ſunt, etiam interprete Sirmundo, pag. 137. quos etiam Sicambros de more

In Andegavos ſe vertit.

Cum Eurico fœdus innodat.

vocat, carmine Epiſtolæ nonæ libri octavi; quod ad Lampridium ſtatim ab exilio redux, anno Chriſti 477. miſit.

Ab eo priùs victus.

Hic tonſo occipiti, ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es (nota) *elicis retrorſum*
Cervicem ad veterem novos capillos. de quo nos etiam ſuperiùs egimus.

Childericus igitur à Gothis victus, fœdus cum iis jam antè inierat, iiſque Turones ultro reliquerat. circa annum Chriſti 474. quo tempore Perpetuus Turonenſis Epiſcopus, civitatis ſuæ periculum videns, jam haud dubiè aut in Viſigothorum aut in Francorum manus ruituræ; jejunia illa ſua indixit, quæ fusè memorat in eo Gregorius hiſt. lib. 10. cap. 31. & ultimo. Childericus Turonibus neglectis Andegavos ſe contulit, eos, ex fœdere credo, ſibi tranſmiſſos occupaturus; & Romanos jam debiliores cum ſuo duce Paulo deserturus. Unde aptè Gregorius: *Veniente Odoacrio Andegavos, Childericus Rex ſequenti die advenit, interemptóque Paulo Comite civitatem obtinuit. magna eâ die incendio domus Eccleſiæ concremata eſt.* Nempe Childericus primùm initâ cum Romanis duce Paulo Comite, ac Saxonibus Odouacrianis ſocietate, in Gothos arma verterat. Quos ubi fortiores ſenſit; pace ut dixi, cum illis factâ; Andegavos venit, quo etiam tanquam ad ſuos Odouacrius pridie ſe retulerat. Ibi conjuratione novâ ſeu cum Odouacrio, ſeu per ſe initâ, (neque enim Francis iſtis barbaris magna fidei cura) Paulum Comitem interemit; & civitatem illam Romanis ereptam ſibi Odoacrióve adſcripſit.

Turonos ei relinquit, Andegavos obtinet.

Lib. 2. c. 18.

8. Verùm ut iſta cum Odoacrio in Romanos conſpiratio maximè pacta fuiſſet; de quo nihil aſſero; non diu certè inter æmulos hoſce reliquos amicitia conſtitit. Subdit enim ſubitò Gregorius: *His ita geſtis, inter Saxones atque Romanos bellum geſtum eſt. Sed Saxones terga vertentes, multos de ſuis, Romanis inſequentibus, gladio reliquêre. Inſulæ eorum cum multo populo interfecta, à Francis capta atque ſubverſa ſunt. Eo anno menſe nono terra tremuit.* Mira hiſtorici confuſio, mirum chaos. Credo Childericum arte Romanos ac Saxonas inter ſe commiſiſſe, quo ſolus ipſe omnia pervaderet. unde Saxonum ſuperatorum inſulas idem ipſe cum Francis ſuis cepit atque ſubvertit. Inſulas illas egò quidem non Zelandicas Hollandicáſve exiſtimo; è quibus gradum jampridem in Britanniam fecerant Saxones, Warnisque reliquerant, ut ſuprà memoravi; ſed illas quæ vel in Oceano è regione Normandiæ hodiernæ, & Conſtantiæ maximè civitatis ſunt: vel quæ in ipſo Ligeri plurimæ ſternuntur. Tam enim Oceano quàm Ligeri Saxones illi Odouacrii tum potiebantur.

Bellum inter Romanos ac Saxonas Odoacrianos.

Lib. 2. c. 19.

9. De Oceano certè abundè teſtatur Sidonii ad Mammatium Epiſtola lib. 8. ſexta, hoc plane tempore data: *Ecce ſubitus à Santonis nuntius, conſtanter aſſeverans, nuper vos claſſicum in claſſe cecinisse: atque inter officia nunc nautæ, modò militis, litoribus Oceani curvis inerrare contra Saxonum pandos myoparones: quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas. ita ſimul omnes imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari. Hoſtis eſt omni hoſte truculentior. improviſus aggreditur, prævisus elabitur. ſpernit objectos, ſternit incautos: ſi ſequatur intercipit, ſi fugiat evadit. ad hoc exercent illos naufragia, non terrent. Eſt eis quædam cum diſcriminibus pelagi non notitia ſo*lum, *ſed familiaritas. Nam quoniam ipſa. ſi qua tempeſtas eſt, hinc ſecuros efficit occupandos, hinc proſpici vetat occupaturos; in medio fluctuum ſcopulorúmque confragoſorum, ſpe ſuperventûs læti periclitantur. Prætereà, priuſquam de continenti in patriam vela laxantes, hoſtico mordaces anchoras vado vellant; mos eſt remeaturis, decimum quemque captorum per æquales & cruciarias pœnas, plus ob hoc triſti quàm ſuperſtitioſo ritu, necare: ſupérque collectam turbam periturorum, mortis iniquitatem ſortis æquitate diſpergere. Talibus eligunt votis, victimis ſolvunt: & per hujuſmodi non tam ſacrificia purgati, quàm ſacrilegia polluti, religioſum putant cædis infauſtæ perpetratores, de capite captivo magis exigere tormenta, quàm pretia.* Iſta Sidonius de Saxonibus ſeu Odovacrii ſeu aliis, Oceani tum imperio potientibus, Inſularum maxime, quæ in ipſo hac illacque circa Galliæ littora, variæ licèt parvæ ſternuntur occupatarum beneficio.

Saxones etiam Oceanum infeſtant.

Quo anno terra tremuerit?

10. Subdit Gregorius, eo iſthæc anno geſta, quo *menſe nono* ſeu Novembri *terra tremuit.* Terræ motum unum Marcellinus in Chronico, ad annum Chriſti 480. ſeu Indictionem tertiam refert; & octavo quidem Kalendas Octobris ſignat; ſed ad 40. dies extendit, qui ad Novembris initium excurrere poſſunt. ſi tamen (quod putat Baronius) non fallitur in die Marcellinus. nam qui 24. Septembris celebratur Conſtantinopoli terræ motus, non ſub Zenonis, ſed ſub Theodoſii junioris imperio, & anno Chriſti 446. contigiſſe ſat conſtat, nempe Procli Patriarchæ Conſtantinopolitani tempore, ut rectè advertit Baronius. Cedrenus in Annalibus Terræ-motum unum ponit anno Chriſti 477. menſe Septembri, qui eſt nonus à Januario. & cum Cedreno etiam Sigonius de Imp. Occid. lib. 15. Hunc puto à Gregorio intelligi, etſi ille plerumque annum à Martio inchoet.

Baron. anno Chriſti 480. fin.

11. Sequitur in eodem Gregorio: *Odouacrius cum Childerico fœdus iniit: Alanóſque* (non Alamannos) *qui partem Italiæ pervaſerant, ſubjugarunt.* Mira barbarorum iſtorum mobilitas: inter ſe modò hoſtes, modò ſocii ſunt, ad omnem proprii commodi auram inflexi. Cùm à Romanis in Gallia jam prope extinctis nullum ſupereſſet periculum; contra Alanos (qui Armoricorum terras ſub Eocharich Rege & Aëtio, abs annis jam circiter 40. adepti fuerant; & licèt nuper ſub Ricimere Italiâ, amiſſo Rege Beorgor, exacti; nondum tamen viribus in Armoricanâ provinciâ ceciderant) conſpirarunt, Childericus, & Odoacer Saxo, eóſque tandem ſub jugum miſerunt. Alenconium (quaſi Alanorum conventum) & finitima tenuiſſe Alanos iſtos, ſuprà docui. In illius ergo tractûs parte victor Odouacrius, Childerico Rege volente, ſedem cum Saxonibus ſuis aliquando fixerit. Unde apud Turonenſem lib. 5. cap. 27. ad annum Chriſti 578. id eſt centum poſthac annis *Saxonas Baiocaſſinos* legimus. Caroli item Calvi Capitularia in hoc eodem Normandiæ tractu Otlingam Saxoniæ memorant. Denique Felix Nannetum ad Ligeris extrema Epiſcopus, apud Fortunatum Poëtam lib. 3. carm. 9. Saxonas non paucos baptizaſſe canitur, circa annum Chriſti 570. quamquam hi Saxones ab Chlotbario Rege eorum, Thoringorumque tum victore, captivi in Gallias cum S. Radegunde recentiùs adduci potuerint, & circa Namnetas Pictavoſque cum illâ collocari.

Odoacrius & Childericus fœderati Alanos ſubigunt.

Hinc Saxones Baiocaſſini, & Othlinga Saxonica.

CAPUT

CAPUT VI.

Franci adhuc Ethnici, in fidem Chriſti proni.

Iiſdem Annis.

Childerici cum vicinis pax.

1. ATque hæc ſunt Childerici omnia ad mortem uſque geſta: quæ quò facilliùs ad felicem exitum perduceret, duo maximè ſibi ſervanda prudenter inſtituit. Primùm cum Barbaris ſeſe undique cingentibus, dum Romanos Septemtrionalibus Galliis exigit, pacem amicitiamque arctè ſervare, ne pluribus ſimul hoſtibus diſtraheretur. Unde Rex poſthac Italiæ Theodoricus Oſtrogothus, apud Caſſiodorum lib. 3. var. ep. 4. finiente, teſtatur, *Gentes ſub Ludoini* ſeu Chlodovæi Francorum Regis *parentibus longa pace floruiſſe.* Alterum non minus ſanctè prudentérve ſervavit Childericus, ut Chriſtianam fidem, jam Belgis Galliſque ceteris caram inveteratamque, licèt gentilis ipſe, ullâ in re læderet impediretve. Hac enim re non id modò obtinuit, ut ob eſſæ Gallorum civitates ei ſe lubentes dederent, ſed etiam aliæ longè adhuc ab ejus finibus abjunctæ, ultro in illius ſe juſ ditionemque tranſdere geſtirent.

Fidem Chriſti non turbat eoque à Chriſtianis amatur.

2. Probant id plurium in Galliis Epiſcoporum afflictiones; qui ſolâ in Francos inclinationis ſuſpicione, tam à Gothis quàm à Burgundionibus in exilium protruſi ſunt. A Burgundionibus quidem, Aprunculus Lingonum Epiſcopus, juxta Turonenſem lib. 2. cap. 23. finiente: *Cum jam,* inquit, *terror Francorum reſonaret in his partibus, & omnes* (Galli) *eos amore deſiderabili cuperent regnare; S. Aprunculus Lingonicæ civitatis Epiſcopus apud Burgundiones cœpit haberi ſuſpectus. Cumque odium de die in diem creſceret, juſſum eſt, ut clàm gladio ferireture. Quo ad eum perlato nuntio, nocte à caſtro Divionenſi* hodie Dijon in Lingonicâ diœceſi *per murum demiſſus, Arvernos advenit; ibique* Sidonio anno Chriſti 482. mortuo ſucceſſor datus. Qua in narratione, Belgicam omnem primam Francorum tunc fuiſſe plane innuitur, ut Lingonibus ii confines, & Burgundionibus tunc Lingonas obtinentibus timori eſſe poſſent.

Idque probat S. Aprunculus Lingonenſis Epiſcopus.

3. A Viſigothis autem eâdem ſuſpicione binos Turonenſes Epiſcopos, S. Perpetui ſucceſſores exactos, Volutianum & Verum idem Gregorius lib. 2. cap. 26. & lib. 10. cap. 31. ſeu ultimo, teſtis eſt. Similiter & de Quintiano Rutenenſi lib. 2. cap. 36. *Multi jam tunc,* ait, *in Galliis Francos habere dominos ſummo deſiderio cupiebant. Unde factum eſt ut Quintianus Rutenorum Epiſcopus per hoc odium ab urbe depelleretur. dicebant enim ei, quia deſiderium tuum eſt, ut Francorum dominatio poſſideat terram hanc.* quare *cogitaverunt eum* Gothi *perfodere gladio. Ille de nocte conſurgens Arvernos advenit; ibique à S. Eufraſio Aprunculi ſucceſſore benignè ſuſceptus eſt,* circa annum Chriſti vulgarem 508. Scio tres hoſce Epiſcopos non ſub Childerico, ſed ſub ejus filio ſucceſſoreque Chlodoveo floruiſſe. Eum tamen innuit Gregorius in hoc patriſſaſſe, & quod ille inceperat, continuaſſe. Bini que priores ſub Chlodoveo adhuc ethnico vixêre; Francis ab Andegavorum Aurelianorumque parte conterminis. Quintianus autem eodem Chlodoveo jam baptizato, totumque decennium Chriſtiano, Arvernos advenit, Alarico & pugnâ Vocladenſi ſuperato cæſoque, & Arvernis in Chlodovei ditionem recenter adductis. Sed hæc tamen omnia non alienos à Catholicâ Chriſti fide Francorum animos, imo etiam ab hæreticis averſos, validè probant. Probant & ea quæ ſuprà de Childerici in S. Genovefam, neſcio an non & in S. Remigium, officiis atque cultu diximus.

Item Voluſianus ac Verus Epiſcopi Turonenſes.

&S. Quintianus Rutenenſis Epiſcopus.

4. Neque verò Religionem noſtram Franci non turbarunt modò; ſed & illorum pluſculi, iique primates, etiam ſub Regibus illis Ethnicis, palàm amplexi ſunt. Nota ſunt Francorum Principum antiqua nomina Bauto, Baudes, & compoſita Merobaudes, Mellobaudes, Hariobaudes ſeu Chariobaudes; item Arbogaſtes, Hildegaſtes, Neuvigaſtes, & ſimilia, de quibus nos ſuprà frequentius. In Sidonio duæ ſuperſunt Epiſtolæ: prior. 17. libri 4. ad Arvogaſtem, poſterior 16. lib. 7. ad Chariobaudem, utrumque Chriſtianum, hunc etiam Religioſum & Abbatem; in hæc verba: *Sidonius Chariobaudi Abbati ſalutem: Facis ô unice in Chriſto patrone, rem tui pariter & amoris & moris, quod peregrini curas amici, literis mitigas conſolatoriis. Atque animam mei ſic ſemper recorderis, ut ſollicitudines ipſius angore ſuccidue concatenatas, qui exhortator attenuas, interceſſor incidas. De cetero libertos tuos, cauſis quas injunxeras, expeditis, reverti puto: quos ita ſtrenuè conſtat rem peregiſſe, ut nec eguerint adjuvari. Per quos nocturnalem cucullum* (tanquam Religionem profitenti, ut Apodemiæ ſcribit Ennodius ep. 17. lib. 9.) *quo membra confecta jejuniis, inter orandum cubandumque dignanter tegâre, tranſmiſi; quanquam non opportunè ſpecies villoſa mittatur hieme finitâ, jámque temporibus æſtatis appropinquantibus. Vale.* Ecce etiam è Francis Monaſteria conflata, quibus Francus item Abbas Chariobaudes præerat; & ſtimulos ad virtutem addebat.

Imò plures Franci Chriſtiani.

Ut Chariobaudes Abbas.

5 Altera ad Principem Francum, eumque Laicum Arvogaſtem, eum quoque doctrinâ & Chriſtianâ imbutum fide docet; licèt Moſellanæ alicui provinciæ impoſitum ex Sidonio ipſo, & Trevirorum Comitem ex Epiſtola non ita pridem in lucem eruta. Juvat hic Sidonii ad eum litteras exſcribere. *Sidonius Arvogaſti ſuo ſalutem: Eminentius amicus tuus, Domine Major, obtulit mihi quas ipſe dictaſti literas liberatas, & gratiæ trifariam renidentis cultu refertas: quarum utique vietuenrm caritas prima eſt, quæ te coëgit in nobis vel peregrinis, vel jam latere cupientibus humilia dignari: tum verecundia, cujus inſtinctu dum immeritò trepidas, meritò prædicaris: tertia urbanitas, quia te ineptire faceti ſſime allegas: & Quirinalis impletus fonte facundia, potor Moſellæ Tiberim ructas: ſic barbarorum* Francorum *familiaris, quòd tamen neſcius barbariſmorum: par Ducibus antiquis linguâ manûque; ſed quorum dextera ſolebat non minus ſtylum tractare quàm gladium. Quocirca ſermonis pompa Romani, ſi qua adhuc uſpiam eſt, Belgicis olim ſive Rhenanis abolita terris, in te reſedit: quo vel incolumi, vel perorante, etſi apud limitem ipſum Latina jura ceciderunt, verba non titubant. Quapropter alternum ſalve rependens, granditer lætor, ſaltem in illuſtri pectore tuo vaneſcentium literarum remanſiſſe veſtigia: quæ ſi frequenti lectione continuas, experiere*

& Arvogaſtes Princeps laicus, iſque ſanè doctus.

Ad eum Sidonii epiſtola.

Lingua Latina in Belgicis Rhenaniſque terris per Arvogaſté ſervata.

Literas ſpiritales a Sidonio petit.

per dies, quanto antecellunt belluis homines, tanto anteferri ruſticis inſtitutos. De paginis ſane ſpiritalibus vis ut aliquis interpres improbus garriam, juſtius hæc poſtulabuntur a Sacerdotibus loco propinquis, ætate grandævis, fide claris, opere vulgatis, ore promptis, memoriâ tenacibus, omni denique meritorum ſublimium dote potioribus.

Remittitur ad vicinos Belgas Epiſcopos;

Nàmque ut Antiſtitem civitatis veſtræ Trevíricæ *relinquam, conſummatiſſimum virum, cunctarumque virtutum conſcientia & famâ juxta beatum; multo opportunius de quibuſcumque quæſtionibus tibi interrogantur inclyti Galliarum Patres & Protomyſtæ; nec ſatis poſitus in longinquo Lupus,* Trecẽſis Epiſcopus; *nec parum in proximo Auſpicius* Tullenſis; *quorum doctrinâ abundantis eventilanda nec conſultatio tua ſufficit. Proinde quod ſuper hâc precum parte non parui, benignus quidem, ſed & juſtius ignoſce: quia ſi vos imperitiam fugere par eſt, me quoque decet vitare jactantiam. Vale.*

Auſpicium Tullenſem, & S. Lupum Trecenſem.

6. Hæc ad Arvogaſtem Chariobaudemque Francos Sidonius; ante editos anno Chriſti 477. (ut dixi) priores 7. Epiſtolarum libros, imò & ante Arvernos I[illegible] de[illegible]tos; eoque non ſeriùs anno Chriſti 475. aut 474. Docet autem, ut vides, Arvogaſtem non Marti modò, ſed & Muſis deditum, ad Moſellam in Belgica Primâ habitaſſe, non procul ab Auſpicio, Tullenſium haud dubiè Antiſtite: ad quem item Epiſtolam decimam libri ſeptimi ſcripſit. Quin & hujus etiam ad hunc eumdem Arbogaſtem prodiit nuper Epiſtola, inter Francorum alias plures. quam & hic reddere conſilium eſt:

Auſpicii Tullenſis Epiſcopi ad eumdem Arvogaſtẽ epiſtola.

Præcelſo & ſpectabili his Arbogaſto Comiti
Auſpicius qui diligo; Salutem plurimam.
Magnas cœleſti domino rependo corde gratias,
Quod te Tullenſi proximè magnum in urbe vidimus.
Multis me tuis actibus lætificabas anteà:
Sed nunc feciſti maximo me exſultare gaudio.
Major enim ſolus apparuiſti omnibus,
Ut poteſtatis ordinem illuſtri mente vinceres.
Cui honor debitus majore nobis gaudio;
Nondum delatus nomine, jam eſt collatus meritis.
Plus eſt enim laudabilem virum fulgere actibus,
Quàm prætentare lampada ſine ſcintilla luminis.
Sed tu qui totis gradibus plus es quàm eſſe diceris,
Erit credo velocius ut reddant merita.

Arbogaſtis pater Arigius, in cũctis nobilis.

7. *Clarus etenim genere, clarus & vitæ moribus,*
Juſtus, pudicus, ſobrius, totum illuſtris redderis.
Pater in cunctis nobilis fuit tibi Arigius:
Cujus tu famam nobilem renovas, aut ſuperas,
Sed tuus honor ejus eſt, ejuſq; tibi permanet,
Et geminato lumine es tu præclarus omnibus.

Mater adhuc ſuperſtes ab omnibus laudanda.

Cujuſq; nemo dubitet felicitate præſtitum,
Ut ſupereſſet genitrix tibi, laudanda omnibus,
Quæ te ſic cunctis copiis replet & ornat pariter,
Ut ſis abundans uſibus, & ſis decorus actibus.

Ipſe Treviroꝛum Auguſtæ Præfectus.

8. *Congratulandum tibi eſt, ô Treviroꝛum civitas,*
Quæ tali viro regeris, antiquis comparabili.
De magno origo ſemine tibi deſcendit tui nominis;
Certe virtutis ejus eſt, ut Arbogaſtis legitur.

Ab Arbogaſte magno ortus, & ei cõparãdus.

Scribantur in Annalibus hujus triumphi pariter,
Sicut & ejus ſcripti ſunt, quem ſupra memoravimus.

Sed Fide Chriſtiana præferẽdus.

Sed hoc addamus meritum huic, qui vere major eſt,
Quod Chriſti nomen invocat Religioni deditus,
Fuit in armis alacer ille antiquus, verum eſt;
Sed infidelis moritur, & morte cuncta perdidit.
Hic autem noſter ſtrenuus, belligeroſus, inclytus,
Et quod his cunctis majus eſt, cultor divini nominis.

Ad eũ monita Auſpicii, ut gratias Dei conſervet.

9. *Nunc autem, fili ſapiens, quæſo dignanter accipe*
Tui cultoris paginam, quam ex amore porrigo.
Pretium depoſco, cupias collatas tantas gratias
In te conſerves integras, & bonis multis affluas.

Ut fugiat avaritiam, & rapacitatem,

Unum repelle vitium, ne corda pura inquinet,
Quod eſſe ſacris ſcribitur RADIX MALORVM OMNIVM,
Cupiditatem ſcilicet, quæ in aliminos deſævit.
Nec ſæva parcit rabiem quorum amore paſcitur,
Hos, inquã, ſemper devorat famem edendi perferens,
Et velut ignis addito ſuccenſa creſcit pabulo.
Sed hæc non ita dixerim, quod te hoc damnem crimine,
Tamen depoſco diligens, ut nec ſcintilla videreres.
Quam ſi forte improvidus quandoq; ſuſcitaveris,
Cito flagrabit nimium augendum incendium.

quæ tot Primates perdidit.

Tende per mundum oculos, cerne primates ſæculi,
Aut interire cupidos, aut in periclis vivere.
Corradunt, quærunt, inhiant, velut canes avidi;
Et hæc nec ipſi poſſident, ſed nec relinquunt poſteris.
Tamen non generaliter iſta de cunctis dixerim:
Sed ut paucorum dedecus ſit multis emendatio.

Hortatur ut eam repellat eleemoſynis.

10. *Tu autem vir eximie, Judex multorum providus,*
Tui repente pectoris ſecreta judex perſpice.
Hujus ſi ullam ſenſeris parvam veneni guttulam,
Dulci perfunde oleo, ne ſerpat in viſceribus.
Nec hoc ignoras oleum pro tuâ ſapientiâ,
Quod eſt cunctorum pauperũ mercatum eleemoſynã.
His te exerce ſtudiis, hæc cuncta bona perage,
Ut mea tibi maneant, & perſeverent gaudia.
Nam parum eſſe noveris, ſi quiſquam nulla rapiat,
Et obdurato pectore ſua præcludat viſceris.
Non multum ſibi conſulit, qui ſic evitat rabiem
Cupiditatis, ut ſimul incurrat avaritiæ.
Nam iſta duo crimina velut cognata genere,
Et geminata ſpecie, nimis conjuncta permanent.
Hæc qui ſectantur miſeri, hoc unum diſtat vitium,
Quod horum unus malus eſt, & alius alter peſſimus.
—— Unde mi cara dignitas, tu quoq; o fili unice,
Sic ab alienis abſtine, ut tua ſanctis tribuas:

Voce & votis omnium ſucceſſor deſtinatus Jamblycho Treviroꝛũ Epiſcopo Metropolitano.

11. *Illudq; ſuper omnia memor in corde retine,*
Quòd te jam Sacerdotio præfiguratum teneo,
Hanc quaſi ſerva gratiam, & illius creſce meritis.
Ut prælocuta populo vox cœlo ſacra veniat.
Sanctum & primum omnibus, noſtrumq; Papam JAMBLYCHVM
Honora corde, dilige, ut diligaris poſtmodum.
Cui quidquid tribueris, tibi in Chriſto te paras.
Hæc recepturus poſtmodum, quæ ipſe ſeminaveris.

12. Ait ecce Arbogaſtem verum Chriſti cultorem, etſi ab Arbogaſte altero Ethnico, qui Eugenii tyranni partes contra Theodoſium Magnum, Valentinianumque anno Chriſti 392. ſecutus eſt, originem duceret. uſque adeò, ut voce populi, quæ ſæpè Dei creditur, Sacerdotio aliquando ornandus videretur. Epiſcopum Trevirenſem Jambilychum tunc fuiſſe canit, primum omnium ſeu Archiepiſcopum & quaſi Patriarcham; quem & *noſtrum* appellat, quia Tullenſi ſedi ut & ceteris Belgicæ Primæ præpoſitum. Et tamen qui ſuperſunt hodie Trevirenſium Antiſtitum Indiculi, nullum hoc nomine præferunt; ut vel hinc mutili & confuſi intelligi queant. Magnum certè iſtum fuiſſe Paſtorem, Sidonius quoque indicat, cùm illum ſupracitatâ ad eumdem hunc Arbogaſtem epiſtola, *conſummatiſſimum virum, cunctarum virtutum conſcientiâ & famâ juxta beatum*, deprædicat. Ut nihil mirum ſit, tot alios hujus ævi Belgii noſtratis Epiſcopos æternâ

oblivione

oblivione ſepultos; quando tantus vir, tantæ ſedis Antiſtes, tanta famâ, tot in citis conſummatiſſimus, vix ad nos ſui memoria pertingere potuit.

Hinc Fidei Chriſtianæ ſelix in Belgicâ ſtatus apparet.

13. Ceterùm, ut è divertic'lo in viam redeam, ex his omnibus apparet quod monere cœperam, Francos pleroſque, etiam ante Chlodovæi baptiſmum, Chriſti ſidem amplexos palamque profeſſos; & eo quidem numero, ut Procopius lib. 1. Gothic. p.267. cùm de primo Francorum cis Rhenum ingreſſu, primâ cum Arborichis Gallis ſocietate agit, *utroſque Chriſtianæ Fidei ſectatores* exiſtimaverit: licèt Reges adhuc idololatria cœcarentur. Cumque iſtæ omnes Arbogaſtis hùjus virtutes, circa annum Chriſti 474. ut dixi, ſi non & 472. inter Belgas Primos ac Treviros, eluxerint; id eſt annis ante Chlodovæi baptiſma ferè 25. cogitet Lector, quantus jam inde, ſi non etiam antè, fuerit in Belgis Fidei Chriſtianæ fulgor: tot Trevirorum & Belgicæ excidiis non modò non extinctus aut remiſſus, ſed & veriſimiliter auctus. ut capite ſequenti magis expando.

CAPUT VII.

Rurſus Eccleſiaſticæ Belgii res, ex Sidonii ad Auſpicium Tullenſem, ad Principium Sueßionenſem, ad Remigium Remenſem Epiſcopos, Epiſtolis. Sidonii finis.

Ex Sidonii epiſtolis magna & certa lux.

1. SEd quoniam Belgii res Eccleſiaſticas perſorium inquirimus, eas ubicumque odorari licet, eruere juvat. Quæ igitur ſuperſunt in Sidonio ad Belgicos Antiſtites, ſeu ut ipſe vocat Papas, Epiſtolæ, commodè hic tranſcribentur, facemque Lectori nonnullam allucebunt. Prima procedat ad Auſpicium Tullenſem, de quo hactenus actum. Ea eſt ejuſmodi libri ſeptimi decima:

Prima ad Auſpicium.

Sidonius Papæ Auſpicio ſalutem: Si ratio temporum regionúmque pateretur, non per ſola officia verborum amicitias ſemel initas excolere, curarem. Sed quoniam fraternæ quietis voto ſatis obſtrepit conflictantium procella regnorum; ſaltem inter diſcretos ſeparatóſque, literarii conſuetudo ſermonis iure retinebitur, quæ iampridem tantitatis obtentu merito inducta, veteribus annuit exemplis. Supereſt, ut ſollicito veneratori culpam raræ occurſionis indulgeas: quæ quò minus aſſiduè conſpectûs tui ſacroſanctâ contemplatione potiatur, nunc periculum de vicinis timet, nunc invidiam de patronis. Sed de his illa hæc etiam multa ſunt. Interim Petrum Tribunicium virum portitorem noſtri ſermonis inſinuo, qui idipſum ſedulo expoſcit; quique quid negotii ferat, præſentanto compendioſius poteſt intimare memoratu. cui præter quod in vobis eſt opis, intuitu paginæ præſentis accedat. manente reſpectu nihilominus æquitatis; contra quam nec magis familiarium cauſas commendare conſuevi. Memor noſtri eſſe dignare Domine Papa.

Barbarorũ regna in Galliis conflictantia.

2. Scripta eſt hæc Epiſtola circa annum Chriſti 474. cùm Arverni adhuc Romani Burgundionum confœderatorum præſidio tenerentur; quos & ideò *patronos* appellat. Vicini autem à quibus ſibi periculum timet, Viſigothi erant. juxta illud ſcilicet Epiſtolæ 4. lib. 3. *Proximi Gothis, ſuſpecti Burgundionibus, nec impugnantium ira, nec propugnantium caremus invidiâ. Regna* verò *conflictantia quæ fraternæ voto caritatis obſtrepebant*, Francorum intelligit & Burgundionum Romanis ut dixi tum adhuc confœderatorum. qui cùm inter ſe tunc conflictarentur; Sidonius temporum regionumque ratione ab Auſpicio ita ſe diſcretum ſeparatumque ſcribit, ut vix literarii conſuetudinem ſermonis cum illo retinere, nedum, quod magis optaret, eum ſæpiùs inviſere, poſſit. Magnum virum Auſpicium fuiſſe neceſſe eſt, qui & à Sidonio tantopere coli, & Arbogaſti Comiti tanta auctoritate ſcribere veluti pædagogus ſacer auſus ſit. Unde, & ex ipſo Trevecenſi Archiepiſcopo Jamblycho paret, quanto adhuc fidei virtutumque Chriſtianarum decore floreret Belgica Prima: cui nec Meteuſis nec Virdunenſis intermedii deerant Antiſtites.

Secunda ad Principium Sueſſionenſem.

3. Secunda ejuſdem Sidonii Epiſtola eſt libri octavi decima quarta, ad Principium Sueſſionenſem Epiſcopum, Sancti Remigii Remenſis Archiepiſcopi fratrem primogenitum; quo tempore Syagrius Ægidii filius in eadem Sueſſionum civitate Romanos ibi reliquos adhuc regebat. Ea talis eſt: *Sidonius Domino Papæ Principio Salutem. Jam diu nobis, Papa venerabilis, etſi necdum veſter vultus aſpectus, tamen actus inſpectus eſt. Namque ſanctorum diffuſa laus meritorum, ſtringi ſpatiis non eſt contenta finalibus. Hinc eſt, quod quia bonæ conſcientiæ modus non ponitur, nec bonæ opinioni terminus invenitur. Quæ loquor falſa cenſete, niſi profeſſioni meæ competens adſtipulator acceſſerit, ſatis in illo quondam cœnobio Lirinenſi ſpectabile caput* (an Abbas?) *Luperum Maximorúmque concellita, & parſimonia ſaltibus conſequi affectans Memphiticos & Palæſtinos Archimandritas: is eſt Epiſcopus Antiolus. Cujus relatu, quis pater vobis* (nempe Æmylius) *quíque qualéſque vos fratres* (tu ſcilicet, Remigius, & S. Lupi poſtea Sueſſionenſis Epiſcopi pater) *qui morum prærogativa Pontificatu maximo ambo fungamini, ſollicitus cognoſcere ſtudui, & gaudens cognoviſſe me memini. Cui patri quondam videlicet vos habente, vix domus Aaron Pontificis antiqui meritò comparetur: quem licet primum in medio plebis trepidæ, ſanctificationis oleo legiferi fratris dextera perfuderit, filios ejus in ſimilis officii munia vocans; tamen ipſius ſuper Ithamar & Eleazaro felicitatem, Nadab & Abiu fulminibus afflati decoloravere: quorum quamlibet interemptorum credamus abſolvendas animas, punitas tamen ſcimus eſſe perſonas. Vos verò caltuti paginam altaris, nihil ut audio offertis ignis alieni: ſed comitantibus victimis caritatis caſtitatiſque, fragrantiſſimum incenſum thuribulis cordis adoletis. Ad hoc quoties jugum legis cervicibus ſuperbientium per vincula prædicationis adſtringitis, tunc Deo tauros ſpiritualiter immolatis. Quoties conſcientia luxuriantis fœtore pollutos, ad ſuaveolentiam pudicitiæ, ſtimulis correctionis impellitis; hircorum vos obtuliſſe virulentiam Chriſtus ſibi computat. Quoties hortantibus vobis in quocumque compuncto, culpas ſuas anima pœnaliter recordata ſuſpirat: quis vos ambigat paria turturum, aut binos pullos columbarum, quæ duplicem ſubſtantiam utriuſque hominis noſtri tam numero quàm gemitu aſſignant, myſtico litaſſe ſacrificio? Quoties veſtro monitu obeſũ quicumque corpus, æſtuantemq;*

Pulchræ Allegoriæ ex veteris Noviqne teſtamenti ſacrificiis.

turgidi ventris aruinam, crebro jejuniorum decoquendam igne torruerit; nulli dubium eſt, vos tunc ſimilam frixam in quadam continentiæ ſartagine confecturos. Quoties aliquem mentis perfidæ figmenta ponentem, ſanam reſpondere doctrinam, fidem credere, viam tenere, vitam ſperare ſuadetis; quis vos dubitet in hujus emendatione converſi; qui jam ſit liber ab hæreſi, liber ab hypocriſi, liber à ſchiſmate; purgatiſſimum propoſitionis panem, cum ſinceritatis & veritatis azymis dedicaturos? Poſtremò quis neſciat, quidquid legis diebus figuraliter immolabatur in corporibus, quod totum ad gratiæ tempore manifeſtè vos offeratis in moribus? Atque ideo Grates uberes Deo refero, *quod ſecundùm veſtræ paginæ qualitatem, facilè agnoſco Antiſtitem ſuprafatum, de vobis cum magna dixerit, majora tacuiſſe. Quapropter nemo dubitaverit, qui bonus es cùm judicaris, & melior cùm legeris: eſſe te optimum cùm videris. Meghetius Clericus, veſtræ gerulus eloquii, rebus ex ſententia geſtis, quia tuorum apicum detulit munera, meorum reportat obſequia: quem ſaltem juvemus voto, quia te forſitan non valemus. Per quem obſecro impensè, ut ſitim noſtram frequenter literis literatis, amico germani* (ipſe & Remigius) *tu frequentiùs, irrigetis. Sed ſi difficultas itineris interſitis reſultat optatis, vel aliquoties pro ſupplicibus ſupplicate. Majus eſt autem, ſi nobis tribuere digneminis raris interceſſionibus ſalutem, quàm ſi crebris affatibus dignitatem. Memor noſtri eſſe dignare domine Papa.*

Meghetius clericus Sidonii Principióque internuntius.

4. Hæc Epiſtola cum o[illegible] avi ſit libri, poſt 7. priores editi; poſt annum quoque 477. ſcripta fuerit: quo tempore Euricus Viſigothus cum Syagrio reliquorum in Auſtraliore Belgicâ Secundâ & vicinâ Senoniæ Orientali parte Romanorum Duce, pacem habebat: unde & nonnullum, Romanos iſtos inter & alios Viſigotho ſubjectos, intercedebat commercium. Quare alterâ ſeu ſecundâ, ad eumdem Principium Epiſtolâ, duobus aut tribus pòſt annis datâ, libri noni octavâ, *junctas abjunctaſque regiones* appellat, *junctas* non quia Gallicas tantum, ſed & pace fœderatas: *abiunctas*, non ſitu modò, ſed jam etiam legibus ac principatu regnóve. Ea autem ſic habet. *SIDONIVS DOMINO PAPÆ PRINCIPIO S. Quamquam nobis non opinantibus, deſiderantibus tamen, literas tuas reddidit gerulus antiquus,* Megethius. *idoneus inventus, cui jure reperta credantur officia, quandoquidem prima ſic detulit. Igitur affatu fecundo, vel potius benedictione donatus, ipſe quoque repeto alterum ſalve, obſequia combinans, numeris æquata non meritis. Et quia, domine Papa, modo vivimus junctis ab junctiſque regionibus; conſpectibuſque mutuis ſi[illegible] diſſociatæ ſi a habitationis inhibemur; orate, ut optabili religioſóque deceſſu, vita præſentis angoribus atque onere perfuncti cùm judicii dies ſanctus obſulſerit, cum Reſurrectionis agminibus veſtris famulaturi, vel ſub Gabaonitica ſervitutis occaſione jungamur; quia ſecundum promiſſa cœleſtia, quæ ſpoponderunt filios fidei de nationibus congregandos, ſi nos reos pœnis ſolvitur, dum vos beatos gloria manet, etſi per actionum differentiam, non tamen per locorum diſtantiam dividemur. Memor noſtri eſſe dignare, domine Papa.* Hæc ad Principium Sueſſionenſem, nondum à Romanis in barbaros tranſlatum Sidonius; cùm adhuc Syagrius Romanus auſtraliores è Belgica ſecunda populos, Sueſſionas, Remos, Catalannos; è Senonia verò Senonas, Tricaſſas, & Autiſſiodorenſes, fortè & vicinos nonnullos obtineret, cum Eurico Burgundionibúſque arctè contra Francos ſibi imminentes confœderatus, tametſi cum Francis quoque ipſis pacem palàm coleret, & ſervare niteretur.

Iterata ad Principium epiſtola.

Belgæ & Arverni junctis abjunctíſque regionibus.

6. Eodem anno & tempore, ſeu per eumdem gerulum Megethium, ſeu per alium, Sidonius ad Principii fratrem Remigium Remenſem dedit Epiſtolam, ejuſdem libri noni ſeptimam in hæc verba: *SIDONIVS DOMINO PAPÆ REMIGIO SALVTEM. Quidam ab Arvernis Belgicam petens,* (*perſona mihi cognita eſt, cauſa ignota, nec refert*) *poſtquàm Remos advenerat, ſcribam tuum ſeu bibliopolam, pretio ſeu ſuæ officioq; demeritum, copioſiſſima velis nolis declamationum tuarum ſchedia emunxit. Qui redux nobis atque oppidò gloriabundus* (*quippe perceptis tot voluminibus*) *quidquid detulerat, quamquam mercari paratis* (*quod tamen utrimque nec erat injuſtum*) *pro munere ingeſſit. Cura mihi è veſtigio fuit, iiſq; qui ſtudent, cùm meritò lecturi eſſemus, plurima tenere, cuncta tranſcribere. Omnium aſſenſu pronuntiatum, pauca nunc poſſe ſimilia dictari. Etenim rarus aut nullus eſt, cui meditatio par aſſiſtat diſpoſitio per cauſas, poſitio per literas, compoſitio per ſyllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in teſtimoniis, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis. Structura verò fortis & firma, conjunctionúmque perſacrarum nexa caſuris inſolubilibus: ſed nec hinc minùs lubrica & lævis, ac modis omnibus erotundata: quæq; Lectoris linguam inoffenſam decenter expediat, ne ſalebroſas paſſa juncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorſus & ductilis; veluti cum cryſtallinas cruſtas, aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe ſi nihil eum rimoſis obicibus exceptum tenax fractura remoretur. Quid plura? non extat ad præſens vivi hominis oratio, quam peritia tua non ſine labore tranſgredi queat ac ſupervadere. Unde & propè ſuſpicor, Domine Papa, propter eloquium exundans atque ineffabile* (*venia ſit dicto*) *te ſuperbire. Sed licet bono fulgeas ut conſcientia, ſic dictionis ordinatiſſimæ; nos tibi tamen minimè ſumus refugiendi, qui bene ſcripta laudamus, etſi laudanda non ſcribimus. Quocirca deſine impoſterum noſtra declinare judicia, quæ nil mordax, nihilque minantur increpatorium. Alioqui ſi diſtuleris noſtram ſterilitatem facundis fœcundare colloquiis, aucupabimur nundinas involantum, & ultro ſcrinia tua, conniventibus nobis ac ſubornantibus, effractorum manus arguta populabitur. Inchoabiſque tunc fruſtra moveri ſpoliatus furto, ſi nunc rogatus non moveris officio. Memor noſtri eſſe dignare, domine Papa.*

Sidonii ad S. Remigiũ epiſtola.

Cujus declamationes ad Sidonium allatæ.

paucis comparandæ.

Imò cæteris omnibus excellentiores.

7. Cum hæc & poſterior ad Principium epiſtola, libro 9. Sidonii inſit, paulo ante mortem, ut jam dicam, edito; planè anno Chriſti 481. poſterior eſſe non poteſt. quo quidem anno, ex iis quæ ſuprà dixi, Remigius annum Epiſcopatus agebat aut compleverat 23. ætatis 45. ſi ut tradunt, annorum viginti duorum ad Epiſcopatum aſſumptus eſt. Nec multos pauciores exigit annos Sidonii epiſtola, ut hominem à tanta eloquentiâ, à tam acri judicio, tanto zelo laudare poſſit. Sed in ejus eloquentiam maximè excurrit, & edita tum declamationum opera; quæ jam non comparent. quorumque nec Hincmarus, nec Flodoardus meminerunt. Cætera ejus pleraque ſcripta ad mortẽ uſque elucubrata, Colvenerius in Flodoardi lib. 1. capitéque 12. recenſet, paginâ 26. & 27. Porrò ex tantorum Paſtorum virtute ac doctrinâ, Fidei Catholicæ in Belgicâ

S. Remigii tunc ſcribẽtis ætas.

ejus alia opera apud Colvenerium.

vigor

Unde Belgii ſtatus Eccleſiaſticus colligi poteſt.

vigor facilè intelligi poteſt; non eâ modo quæ Romanis adhuc ſub Syagrio reliqua erat, quamque Principius ac Remigius incolebant; ſed & quæ Auſpicio Tullenſi Epiſcopo, & Comiti Treverorum Arbogaſti Franco ſubdita vicináve erat: tametſi ſub Childerico Francorum Rege adhuc Ethnico degeret. Ex quo in Belgium quoque hodiernum par ſuſpicio penetrare poteſt, eidem Regi tunc obnoxium: etſi alii quoque ſubreguli intercurſarent.

Annus Chriſti 481. Sidonius edit librum epiſtolarum ſuarum nonum, ſeu ultimum.

8. Ceterùm, quod dicere cœperam, fine anni Chriſti 481. aut etiam Januario 482. nonum ſeu ultimùm Epiſtolarum ſuarum librum publico dediſſe Sidonium; duæ præſertim illius probant Epiſtolæ. Primùm enim duodecima ad Oreſium Hiſpanum Tarraconenſem, qui ſub Viſigothorum quoque regno ut Sidonius agitabat, ait ſe jam *in ſilentio* Epiſcopatus *decurriſſe tres olympiadas*, ſeu annos 12. ii juxta nos ab anno Chriſti 470. incluſivè deducti, in hunc item 481. incluſivè terminantur. In decima-tertiâ ad Tonantium Ferreoli filium, cùm dixiſſet *ſe tunc ſi unquam, maxime proſario loquendi genere diſtrictum occupatúmque*, carmen quoque mittit, *ante annos*, ut ait, *circiter 20.* compoſitum *Majoriani Auguſti temporibus*, cùm ille varios undique Poëtas acciviſſet, credo Arelatum, ubi & Sidonium adfuiſſe ſuprà vidimus anno Chriſti 461. à quo labente viceni ſupputati anni, in hunc 481. item labentem deſinunt. Ita fine iſtius, librum hunc novum apparabat, & tempore hiberno ex Firmini (cui librum dedicat) voto ſe compegiſſe, priuſquam duodecimus Numæ menſis, id eſt Februarius evolveretur, ad eum Epiſtolâ ultimâ ſcribit. Hyemem autem hanc ſupremam illi fuiſſe, jam docebo, ut editio ultra differri non poſſit; ſed neque citiùs, ſi tres Epiſcopatûs Olympiades, & viceni iſti ab Imperatore Majoriano anni juſtè ſupputentur.

Annus Chriſti 482. Sidonii Apollinaris mors.

9. Anno demum 482. Sidonius fato ceſſit, 12. Kalendas Septembris, ſeu 21. Auguſti; qui quidem dies apud Arvernos exinde anniverſariæ ejus memoriæ dicatus eſt, & tumulo inſcriptus. licèt Martyrologium Romanum Auguſti viceſima tertia referat, diem credo ſepulturæ, aut ſi fortè tranſlationis alicujus memorans. Jam Gregorius Turonenſis libro 2. cap. 23. aptè notat, *diem Dominicum poſt ſancti viri tranſitum imminuiſſe*, ac proinde Sabbatho deceſſiſſe: quod in 21. Auguſti anno iſto 482. incurriſſe docet nos litera Dominicalis C. Savaro, Sirmundus noſter, & qui eos ſequuntur, in annum 488. differunt; non animadvertentes litteras ejus anni Biſſextilis geminas C. B. fuiſſe; quarum poſterior B. non C. à 20. Februarii ad Auguſtum, & finem anni decurrerit. Sed & quæ ſuprà ex Epiſtolis illius extremis protulimus, facilè convincunt illum hunc annum non exceſſiſſe. Hæc de Sidonio accuratiùs monere viſum, ſcriptore caliginoſi hujus ævi clariſſimo, qui ipſis ruentis in Gallia Imperii Romani, ineuntiſque barbarici confiniis, & quaſi Orizonte, non exilem, non incertam nobis exhibuit hiſtoriæ materiam.

Francorum in Gallia regnum ſub Childerico deſideratū

10. *Interea* (ait Gregorius lib. 2. cap. 23.) *cùm jam terror Francorùm reſonaret in his partibus, & omnes eos amore deſiderabili cuperent regnare; Sanctus Aprunculus Lingonicæ civitatis Epiſcopus apud Burgundiones cœpit haberi ſuſpectus. Cúmque odium de die in diem creſceret, juſſum eſt ut clàm gladio feriretur. Quò ad eum perlato nuntio, nocte à caſtro Divionenſi per murum demiſſus, Arvernos advenit, ibique juxta verbum Domini, quod poſuit in ore S. Sidonii, undecimus datur Epiſcopus.* Nempe Lingones tum Burgundionum quidem erant, ſed Francis verſus Belgicam primam confines; quam proinde jam antè à Francis ſi non ſub Meroveo, certè ſub ejus filio Childerico occupatam fuiſſe neceſſum eſt.

CAPUT VIII.

Childerico Chlodoveus filius Francorum Rex ſuccedit. Syagrium prælio ſuperat & perimit. Thuringos vincit. Theodericus Oſtrogothus Italiam occupat.

Ab anno Chriſti 482. ad 499.

Eodem Anno 482. Childericus Francorum Rex moritur.

1. EOdem anno Chriſti 482. ſaltem naſcente, Childericus Francorum Rex, adhuc ethnicus, tametſi Chriſtianis non infenſus, terris non minus quàm Sidonius, ereptus. Id ex filii morte, & 30. ejus in regno annis efficitur, ut ſuprà diſi, rurſumque infrà probabo. Annos regni Childerici variè varii definiunt. Viginti quatuor dumtaxat ei indulgent prior Epitome cap. 9. Ado, Aimoïnus lib. 1. cap. 12. Urſpergenſis, Gaguinus, & Tilletius ſcriba. At 26. Sigebertus, auctor perantiquus Manuſcriptus S. Dionyſii apud Belleforeſtium, Guiſius noſter, Tilletius Epiſcopus, Fauchetius & alii omninò veriùs. Nam cùm ab anno Chriſti labente 456. ejus initium certiſſimis argumentis advocaverimus, & ad hunc 482. item labentem ex filii morte pertigerit; planè 26. regni annum attigerit, ſi nón impleverit. Fuit Childericus vir omnino magnus, militaris, acer, induſtrius, & ex quo regno redditus eſt, non injuſtus. In Venerem & adulteria antè maximè cum Baſina Thoringi Regis hoſpitis ſui conjuge, juſto pronior. quod tamen in Ethnico adhuc & infideli Principe, minùs quàm in Chriſtiano grave, quibuſdam forte videri poſſit. Regnum in Lugdunenſi Secundâ Rotbomagenſi, & Quartâ Senonenſi, in Tertia denique Turonenſi ad Ligerim uſque porrexit, Alanos ibidem extinxit, Saxonas Odouacrianos ſibi tunc auxiliares circa Baiocaſſes collocavit, Chriſtianos ſuis legibus vivere permiſit.

Tornaci ſepultus.

2. Ubi ſepultus fuerit, nemo quod ſciam ante annum Chriſti 1653. ſcivit. Rorico Ambiani mortuum, alii alibi credebant. Anno demum iſto 1653. poſt 101 ſæcula, Maii menſis exitu, Tornaci in Belgio ſepulchrum ejus plane regium, dum ædes aliquot vetuſtate fatiſcentes prope S. Brictium à fundamentis deſtruuntur, magnâ antiquariorum admiratione juſta & gaudio, feliciſſimè detectum eſt. Inerant plures adhuc Regis exuviæ, gladius, haſtile, arma, ſingula ut plurimùm aurea. Nummi item aurei Romanorum Imperatorum quatuor, unius Occidentalis Valentiniani tertii ſeu

ultimi;

ultimi; Trium ſunt 4. Orientalium, Martiani, Leonis, Zenonis, adeoque etiam Baſiliſci tyranni; qui omnes Childerico ipſi fuere coævi. Omnia accuratè collecta, & Bruxellas ad Sereniſſimum Archiducem Leopoldum Belgii Gubernatorem transmiſſa ſunt: qui ea per Dominum Chiffletium archiatrum ſuum, judicio variâque eruditione conſpicuum, typis figuriſque regiâ majeſtate in publicum mitti, curat; ſi nondum hoc menſe Octobri 1654. quo hæc ſcribo, curavit. Ceterùm non tantùm ſub illis 4. Romanorum Auguſtis Orientalibus vixit Childericus; ſed & in Occidente ſub Glycerio, Nepote, Oreſte & Auguſtulo, adeoque etiam Odoacre Herulorum Rege, Imperii everſore; ad cujus regnum fere medium, Zenonis item annum octavum fere completum, Chriſti 482. pervenit; quo & deceſſit.

Succedit filius Chlodoveus.

3. Ei Chlodoveus filius, ut dixi, Tornaci è Baſina Thoringâ natus ſucceſſit, ex aſſe hæres; annorum tunc dumtaxat quindecim; ut ex ejus nativitate ſuprà memoratâ, & ex 45. annorum ætate cùm anno Chriſti finiente 511. mortuus eſt, intelligimus. Unde quatuor prioribus regni annis pace contentus, nihil movit, donec adoleſceret, & interim Regum finitimorum potentiorumque metu, ſolitâ rerum mutabilitate, liberaretur. Maximo timori erat Euricus Viſigothus, vetus regni, multiſque victoriis & provinciarum acceſſionibus terribilis ac formidandus. Hujus ſe patrocinio arctoque fœdere tuebantur (aliàs infirmiores) Syagrius atque Burgundio. Childerico biennium ſolidum ſupervixit Euricus; & anno tandem regni 18. completo, labente 19. Chriſti 484. ſeneſcente, moriens, regnum Alarico filio, erâ (ut Iſidorus in Chron. Goth. notat) 522. reliquit: adhuc juveni, ut apparet, & minus experto.

Eurici Wiſigothi mors.

4. Chlodoveus igitur vaſto animo totam Galliam amplexus, ceteros in eâ Barbaros extinguere ſenſim inſtituit. Syagrium primò viciniorem debilioremque ſibi propoſuit: ac toto etiam Chriſti anno 485. in belli apparatu conſumpto, tàdem 486. viceſimum jam ætatis agens annum, regni quintum magnis in eam viribus movit. Gregorius lib. 2. cap. 27. *Anno*, inquit, *quinto regni Chlodovei, Syagrius Romanorum Rex, Ægidii filius, ad civitatem Sueſſionas, quam quondam ante annos 20. ſuprà memoratus Ægidius tenuerat, ſedem habebat. Super quem Chlodoveus cum Ragnacharie parente ſuo, quia & ipſe regnum Cameraci in Belgio hodierno tenebat, veniens, campum pugnæ præparari depoſcit.* Ragnacharius ergo ante annum hunc Chriſti 486 Cameraci regnabat; fortè & ante illum etiam pater ejus; ſeu è Chlodionis poſteris unus, ſeu cognatus & affinis. Quod moneo pro aliis Francorum etiam cis Rhenum Regibus, Chlodoveo Childericoque quaſi collegis; ut etiam ſupra tetigi. Sed pergat Gregorius: *Nec Ægidius pugnam provocatus diſtulit, ac reſiſtere metuit. Itaque inter ſe utriſque pugnantibus, Syagrius eliſum cernens exercitum, terga vertit, & ad Alaricum Regem Toloſam curſu veloci perlabitur.* Hic addenda, quæ idem Gregorius lib. 2. cap. 41. de Chararico quodam alio Francorum Rege ditionis incertæ, narrat: *Quando enim Syagrio pugnavit Chlodoveus, ad ejus auxilium evocatus Chararicus, eminùs ſtetit, neutram adjuvans partem; ſed eventum rei expectans; ut cui eveniret victoria, tum illo & hic amicitiam colligaret.* quæ res ei poſtmodum exitio fuit. Interim Gregorium pergentem ſudiamus: *Chlodoveus verò ad Alaricum mittit, ut Syagrium redderet: alioqui noverit ſibi bellum ob ejus retentionem inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret (ut Gothorum pavere mos eſt) vinctum legatis tradidit. Quem Chlodoveus receptum, cuſtodiæ mancipari præcepit; regnoque ejus accepto (quod annos 20. tenuerat) eum clàm gladio feriri mandavit. Eo tempore multæ Eccleſiæ* (quas Ægidius ſcilicet & Syagrius viri boni & Orthodoxi etiam auxerant) *à Chlodovei exercitu deprædatæ ſunt; quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus.* Idem narrant duæ Epitomæ, Aimoinus lib. 1. cap. 12. Ivo in Chronico, & qui eos ſecuti.

Annus Chriſti 486. Syagrius Romanorum Sueſſione Rex à Chlodoveo victus.

Ad Alaricũ Wiſigothũ fugit.

A quo deſertus, occiditur.

poſt annos regni 20.

5. Ea victoriâ Chlodoveus reliquum totius Belgicæ latè ſumptæ, puta Sueſſionas, Remos, Catalaunos ſibi adjunxit; è Lugdunenſi autem Quartâ ſeu Senoniâ, Sennonas, Tricaſſas, Autiſſiodorenſes, & ſi quid aliud ab Aurelianis ad Lugdunenſem Primam Ægidio tum ſubfuerit. Ita Belgicâ tum universâ Romani in perpetuum exacti, poſt annos ex quo Cæſar eam inierat omnino 542. poſtquam autem Vandali ceterique barbari in eam anno Chriſti expirante 406. irrumpere cœperant, annis rectè 80. Tantum temporis exegit tam vaſtæ molis, id eſt Imperii Romani tantopere ſtabiliti ruina, quæ nonniſi ſenſim & membratim diſſolui potuit. Ægrè ſcilicet à tam nobili, tam diffuſo, tam univerſo divellebantur Imperio ſubditi; ægriùs ad tam arctos novi, exilis, adeoque barbarici regni fines inducebantur. Nec malè tamen res vertit divina providentia: Sub Francis mox Chriſtianis Belgæ fœliciter agitarunt, ut diutiùs, ita & ſæpè fœliciùs. Ceterùm ſi quam ex heroicis hiſce veterum Francorum geſtis, Franci hodierni ſibi vindicant laudem; ut verè vindicare poſſunt; non indignabuntur, credo, ſi hic lectorem moneo, primam illius partem eamque vetuſtiſſimam Belgis noſtris, ante Celtas ſeu Lugdunenſes, Aquitanos, & Narbonenſes ſeu Viennenſes obtigiſſe. apud Belgas quippe quatuor primi Reges Faramundus, Chlodio, Meroveus, & Childericus vixerunt, exceſſerunt, ſepulti ſunt. quintus idemque illuſtriſſimus Chlodoveus ibi natus, ac verè Belga, gradum indidem ad ceteras provincias fecit; tametſi Pariſiis apud Celtas exceſſerit, ibique ſepulcrum adhuc hodie extans invenerit. Ita quantumvis modò Franci non dicamur, Franci tamen ante hodiernos extitimus: Et Francorum nomine facilè jam cedimus, ex quo in tanto vetuſtius illuſtriuſque Belgarum, velut poſtliminiò, redivimus.

Unde Chlodoveus regnum ſuum valde auget.

Romani Belgica univerſa exacti.

Belgæ à Romanis ægrè divulſi.

Qui fortè Franci jure potiori, certè antiquiores, quã ceteri Gallorum, dici poſſint.

6. In Galliis igitur hi tum fuere Reges: Childericus ac Franci, ab Rheno ad Ligerim & Aurelianos uſque; inde cis Lingonas etiam ac Sequanos lineâ ad Rauracos excluſos regnum extenderunt. Viſigothi trans Ligerim in Pyreneos & mare Mediterraneum, rurſumque ab Oceano in Rhodanum, imò & ultra, Druentiam inter & mare, quin & in Hiſpanias regnum ſuum diffuderant: Burgundiones Lingonas, Æduos, Seguſianos, Sequanos, Occidentales Helvetios, & Viennenſem ad Durantiam & Alpes uſque retinebant: Alemanni quoque ſeu Suevi, nonnulla cis Rheni ſuperiora pervaſerant, ſui juris effecerant; Romanis nihil omnino reliquum fecerant. Stetitque ut plurimum ea Galliæ una facies ad annum Chriſti 507. per annos 21. donec Chlodoveus Alaricum prælio

Qui tunc Reges in Galliis uſque ad pugnam Vocladenſem.

prælio Vocladenſi ſuperatum occideret.

Eccleſiæ Belgicæ reſtitutæ.

7. Interim bello Syagrii finito, non defuere ſuo Belgarum Antiſtites officio. Quas militaris furor vaſtarat aut expilarat Eccleſias, in integrum reſtituere ſategerunt. Remigius imprimis ceterorum Patriarcha: qui cùm ſub Romanis hucuſque per annos 27. Romanus & ipſe vixiſſet; alios 47. ſub Francis ſuperfuit. alter quaſi Janus ſive Noe, qui ante poſtque diluvium vixerit. Nec ceſſavit, donec Francos ipſos ab infelicibus idolorum vepretis ad læta Chriſti paſcua caulasque traduceret, & è Barbaris quaſi Romanos novos, eoſque ſanctiores efficeret. Ac tum quidem illi nonnulla, licèt nondum tanta, ſubera cum Chlodoveo neceſſitudo. ſed eam brevi majorem fecit occaſio.

Urceus quoque Eccleſiæ redditus.

8. *De quadam Eccleſiâ* (ait Gregorius lib. 2. cap. 27. (Remenſem vocant poſterior Epitome, Aimoïnus, Hincmarus in Remigii vitâ. & alii paſſim) *Urceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis hoſtes abſtulerant, cum reliquis Eccleſiaſtici miniſterii ornamentis. Epiſcopus autem Eccleſiæ illius* Remigius juxta eoſdem, *miſſos ad Regem dirigit; poſcens ut ſi aliud de ſacris vaſis recipere non mereretur, ſaltem vel urceum Eccleſia ſua reciperet. Hæc audiens Rex ait nuncio: Sequere nos uſque Sueſſionas; quia ibi cuncta quæ acquiſita ſunt, dividenda erunt. Cùmque mihi vas illud ſors dederit, quæ Papa poſcit adimplebo. Dehinc adveniens Sueſſionas, cuncto onere prædæ in medio poſito, ait Rex, Rogo vos, ò fortiſſimi præliatores, ut ſaltem mihi vas iſtud* (hoc enim de urceo ſuprà memorato dicebat) *extra partem concedere non abnuatis. Hæc Rege dicente, illi quorum erat mens ſanior, aiunt: Omnia, glorioſe Rex, quæ cernimus tua ſunt: ſed & nos ipſi tuo ſumus dominio ſubjugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur facito: nullus enim poteſtati tuæ reſiſtere valet. Cùm illi hæc ita dixiſſent; unus levis, invidus, ac cerebroſus, cum voce magnâ bipennem,* quæ & Franciſca dicebatur, ait Hincmarus, *urceo impulit, dicens, nihil hinc accipies, niſi quæ ſors vera largitur. Ad hæc obſtupefactis omnibus, Rex injuriam ſuam patientiæ lenitate coërcuit: acceptúmque urceum nuntio Eccleſiaſtico reddidit, ſervans abditum ſub pectore vulnus.*

Annus Chriſti 487. Urcei raptorē Chlodoveus ſecuri mactat.

9. *Tranſacto verò anno, juſſit omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, oſtenſuram in campo Martio ſuorum armorum nitorem. Verùm ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percuſſorem. cui ait: Nullus tam inculta, ut tu, detulit arma: nam neque tibi haſta, neque gladius, neque ſecuris eſt utilis. & apprehenſam ſecurim ejus in terram dejecit. At ille cùm paululum inclinatus fuiſſet ad colligendum eam, Rex elevatis manibus, ſecurim ſuam capiti ejus defixit: Sic, inquit, tu apud Sueſſionas in urceo illo feciſti. Quo mortuo reliquos abſcedere jubet. Magnum ſibi per hanc cauſam timorem ſtatuens. Multa deinde bella victoriáſque fecit.* Hæc Gregorius, & ex eo ceteri.

Hincmari de Urceo narratio.

10. Hincmarus tamen in Sancti Remigii vitâ, qua occaſione urceus ille raptus fuerit, ita narrat: *Erant Franci, ſicut & Rex illorum, fanatici & pagani. Attamen audientes miracula quæ fiebant per beatum Remigium, reverebantur eum: & licet pagani, diligebant illum, in quo lux celeſtis gratiæ omnibus reſplendebat. Et Rex illorum libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat, & à multis nequitiis ſe cohibebat. Erat enim S. Remigius vir ſapiens atque ſanctiſſimus, egregiè Rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis viſum reſtituens, mortuis vitam reparans, dæmonia ejiciens, omniúmque infirmitatum languoribus medelam præbens.*

S. Remigii virtutes.

Tranſitum autem Rex faciens ſecus civitatem Remorum, per viam quæ uſque hodie, propter barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur; noluit eamdem civitatem introire, ne ab exercitu ſuo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem & conſcientiâ ipſius, pars quædam indiſciplinatorum, quoniam non erat poteſtas temporalis inhabitantium civium, *quæ eis reſiſteret, eamdem civitatem intravit, & urceum illum cum ceteris capuit.* Iſta Hincmarus, quibus Remos non captos, tunc ſed deditos intelligimus, quos & Chlodoveus Remigii reſpectu benignè tractaverit; ut nihil mirum ſit, ſi urceum reddiderit: & ei ſemper deinceps amorem honorémque detulerit.

Annus Chriſti 491. 492. Chlodoveus bellum in Thoringos movet. & vincit.

11. Poſt hæc Chlodoveus quid fecerit, non lego. Tantùm notat in genere Gregorius lib. 2. c. 27. fin. *Multa deinde bella victoriaſq; fecit. Nam decimo regni ſui anno: Thoringis bellum intulit; eoſdemq; ſuis ditionibus ſubjugavit.* Decimus iſte Chlodovei annus, cum Chriſti partim 491. partim 492. concurrit. Eorum igitur altero, poſteriore maximè, *Thoringos ſuis ditionibus ſubjugavit.* ſeu potiùs, ut exiſtimo, tributarios reddiderit. Nam integri adhuc & potentes diu poſt hæc tempora reperiuntur. Unde apparet Chlodoveum etiam ultra Rhenum ea poſſediſſe, quæ ab ipſo Rheno ad Thoringos uſque, Lupiam inter ac Mœnum, aut paulò ultrà, porriguntur. Thoringi autem tunc, ſicut & hodie, inter fluviorū Viſurgis ac Salæ ſuperiora incolebant; circa flumen Oneſtrudem, qui Salâ hauritur; & ab Occidente Francis, ſeu Francorum genti præcipuæ, Chattis inquā etiam hodiernis, vicini agitabāt: quibus eam fundi partem jam olim; certè ante Chlodoveum, eripuerant: veriſimiliter, ut dixi, circa Vandalorum & aliorum Barbarorum, aut Attilæ vaſtationem. ſeu ab iis, aut eorum exemplo excitati; ſeu à Romanis aliiſque Francorum inimicis, quò & illi à tergo reprimerentur, inſtigati. & adeò quidem inſtigati; ut qui manantem eorum inde in Chattos omnes crudelitatem, in obſides item eorum, in filios ac filias, in puellas ampliùs ducentas, in omnem denique eorum ſubſtantiam, apud Gregorium eo capite ſeptimo libri tertii legerit, non poſſit non præ admiratione ſtupere. Interim Thoringos iſtos propter hæc & ſimilia, Chlodoveus anno regni ſui decimo, Chriſti 492. aut ſub jugum ſuum miſit, aut tributo ſubjecit.

CAPUT

CAPUT IX.

Theodoricus Oſtrogothus Italiam ingreditur: Odoacrem vincit & occidit. Affinitatem cum Francis & Burgundionibus contrahit.

Ab Anno Chriſti 489. ad 494

1. PAulò ante Thoringicum bellum, Theodoricus Oſtrogothus, Theodemiri filius, Conſtantinopoli priùs à Zenone Imperatore in filium adoptatus, Conſul item anno Chriſti 484. cum Venantio ordinarius creatus, ſtatuâ Equeſtri ante ædes Palatii donatus, Zenoni confœderatus; obtentâ ab eo cum ſuis in Odoacrem movendi facultate, Indictione 12. Euſebio Probinóque Coſs. anno Chriſti 489. *optatam intraverat Italiam*; aiunt Marcellini, Caſſiodori, & Innominati Chronica. *Et ſoſſatum pontis Sontis quinto Kalendas Septembris attigerat*, addit ſolus Innominatus. Sontius ſive Iſontius amnis eſt, Forum Julium à Carnis dividens; hodie *l'Iſonzo*, Goritiam Gradiskiamque præterfluens; nec procul Aquileia in Adriaticum ſe mare exonerans. Ibi ergo *Odoacer ad Sontium pugnam parans, victus cum tota gente, fugatus eſt; & fugit de Foſſato Veronam. Ubi eodem anno repetito conflictu, rurſus vincitur;* ſi Caſſiodoro quidem & Innominato fides. Anno ſequente 490. *Longino ſecundùm & Fauſto Coſs. ad Adduam fluvium*, non Ducam ut in Caſſiodoro mendosè, *Odoacer tertiò ſuperatur*. Caſſiod.

Annus Chriſti 489. Theodoricus in Italiam ingreſſus.

& terna de Odoacre victoria.

2. *Theodericum à Veronâ digredientem, Mediolanum* (nempe poſt Adduenſe prælium) *perveniſſe* ſcribit in Miſcella Paulus Diaconus. *Ibi dum conſiſteret* (ſubdit) *magna ad eum multitudo militum credo ab Odoacro transfugarum, pluresque Italiæ populi convenere. Sed paucis interjectis diebus, rurſum dedititius exercitus, Tuffa quodam inſtigante, Odoacri ſe partibus reddidit. Quæ res Theodericum in tantum perterruit, ut ſe ſuúmque exercitum* Mediolano relicto, *apud Ticinenſem urbem muniret.* Ita Miſcella ex Ennodio in Epiphanii vitâ, cùm ait: *Dedititii exercitus mutationem cùm Theodericus Rex principali ſollicitudine cognoviſſet; continuò omnem illam, quam totus oriens vix ſuſtinuit, manum contraxit, atque ad Ticinenſis civitatis anguſtiam contulit*; ſcilicet ut anguſtiore munitioreque loco tutior eſſet. *Talium rerum varietates* (pergit Miſcella) *Burgundionum Rex Gundobadus adſpiciens; Liguriam cum ingenti exercitu ingreſſus, cuncta quæ reperire poterat pro voluntate diripiens, infinitam ſecum ad Gallias captivorum multitudinem abduxit.* Ita Miſcella: neſcio an non per anticipationem, quando commodiùs eam populationem Gundobadus inſtituiſſe videtur, occupato ad Ravennam contra Odoacrum Theoderico. Niſi fortè id jam antè Odoacro adhuc circa Veronam bellante contigerit.

Theodoricus Ticini ſe munit

3. *Theodericus itaque aliquamdiu intra munitiones* Ticinenſes *exercitum retinens; deinúmque ibi relictâ matre, ſororibus, univerſaque vulgi multitudine; nihil planè dubius de Epiphanii Epiſcopi ſanctiſſimi fide,* (*tranſacto Pado*, addit Jornandes) *cum expeditis armatorum cuneis, ad Odoacris obſidionem, Ravennam perrexit. Dúmque eo loco, cui Pinetum nomen eſt* (*Pineta* vocat Jornandes Getic. cap. 57. unde hæc Miſcella deprompſit) *tertio ferè à Ravennâ milliario caſtra poſuiſſet; per continuum penè triennium Odoacrem obſedit.* Miſc. *Quod cernens Odoacer*, ait Jornandes ſuprà, *intùs ſe in urbe communivit. indeque ſubreptitiè noctu frequenter cum ſuis egrediens, Gothorum exercitum inquietabat: & hoc non ſemel & iterum, ſed frequenter, & penè toto molitus trienni. ſed fruſtrà: quia cuncta Italia dominum jam dicebat Theodericum, & illius ad votum res illa publica obſecundabat. Tantum ille ſolus cum paucis ſatellitibus & Romanis qui aderant, & fame & bello quotidie intra Ravennam laborabat.* Jornand.

Ravennam & in eâ Odoacrem obſidet toto triennio.

4. Anno 492. *Regreſſus eſt Rex Theodericus ad Ravennam, & venit ad Foſſatum palatioli quarto Kalendas Septembris*, ait Innominatus apud Onuphrium. Mox Anno 493. *Albino V. C. Coſ. facta eſt pax inter Theodericum Regem & Odoacrem tertio Kalēdas Martias.* cùm priùs nihil proficiens Odoacer, veniam miſsâ legatione ſupplicaſſet, addit Jornandes. *Et ingreſſus Ravennam Rex Theodericus* (rurſum Innominatus) *tertio Nonas Martias Odoacrem* (*inſidias ſibi molientem*, ait Caſſiod.) *in palatiolo cum commilitonibus ſuis interemit. Tertióq;*, addit Jornandes, *ſui in Italiam ingreſſûs anno*, nempe 491. durante adhuc Ravennæ obſidione, *Zenonis Imperatoris* jam morientis *conſulto, privatum habitum, ſuæq; gentis veſtitum reponens, inſigne regis amictûs, quaſi jam Gothorum Romanorumq; regnator, adſumpſit. Extincto autem Odoacre, Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus* (ait rurſum ex Epiphanii vitâ Miſcella) *in Gallias ad Gundobaldum* Regem Burgundionum *pro captivis redimendis directus; exceptâ innumera multitudine, pro quibus pretium tribuit; ſex millia captivorum, ob ſolam ſanctitatis ſuæ reverentiam conceſſa, ſecum reduxit.*] Anno Chriſti 494. quam hiſtoriam fuſiſſimè in Epiphanii vitâ Ennodius exequitur, notans Gundebadum Lugduni, Godegiſelum ejus fratrem Genevæ egiſſe: Avitum Vienenſem, Ruſticium Lugdunenſem Epiſcopos extitiſſe.

Annus Chriſti 492. & 493. Odoacer ſe dedit.

& à Theodorico occiditur.

Epiphanius ad Gundobadum Burgundionem Legatus, captivos multos in Italiam reducit.

5. Neque captivorum dumtaxat curam Theodericus habuit; ſtabiliendi quoque per diverſa connubia regni ſalubres ac prudentes cogitationes iniit. Unde Jornandes Getic. cap. 58. *Miſſa, ait, legatione ad Lodoin* (ſeu Chlodoveum) *Francorum Regem, filiam ejus Audifledam ſibi in matrimonio petit. quam ille gratè libenterque conceſſit: filios ſuos Chedepertum, & Heldepertum, & Thudepertum credens hâc ſocietate cum gente Gothorum inito fœdere ſociari.*] Primùm *Audefledam*, quam Lodoini ſeu Chlodovei *filiam* Jornandes hîc, Gregorius Turonenſis lib. 3. cap. 31. *ſororem* appellat. omnino veriùs. Anno quippe Chriſti 494. nonniſi 28. annorum eſſe potuit Chlodoveus, habens jam filium Teodericum, ait Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 28. fin. qui & cap. 31. proximo meminit cujuſdam Albofledis, quam & ſororem Chlodovei vocat; ſuper cujus cum eo baptizatæ moxque mortuæ obitu conſolatoriam ſcripſit S. Remigius Epiſtolam adhuc ſuperſtitem; quæ eam virginem deceſſiſſe disertè tradit. Itaque lector expendat. Rurſum hujus matrimonii tempore, tres memorat Jornandes

Diverſæ Theodorici affinitates.

Cum Chlodoveo Francorũ Rege.

Chlodovei filios, non ſatis Gregorio conſormes, Chedepertum, Heldepertum, & Thuidpertum, Chuldepertus & Heldepertus idem nomen eſt; nempe Childebertus Pariſiorum poſtea Rex. Seniorem autem illo Chlodomerem Jornandes hic omittit: cujus tamen nativitatem Gregorius c. 29. proximè poſt primogenitum *Iguomerem* in albis mortuum, ſubdit. Quem autem *Thuidepertum* vocat, *Theodoricum* ante Chrotildis conjugium de concubinâ editum nominat Gregorius cap. 28. ut dixi. Planè ut otioſè vitioſeque videatur hæc io ſcripta retuliſſe Jornandes, ſicut & alia non pauca: cautè proinde legendus.

6. Pergit autem: *Sed non adeo pacis ad concordiam profuit iſta conjunctio. quia ſæpenumero propter Gallorum terras graviter inter ſe decertati ſunt. Et nunquam Gothus Francis ceſſit, dum viveret Theodericus. Antequam autem de Audofledâ ſobolem haberet* (an igitor Amalaſuenta Theoderici filia, ex hac Audofledâ?) *naturales ex contubinâ, quas genuiſſet adhuc in Mœſiâ, filias habuit; unam nomine Thuidigotho, & aliam Oſtrogotho. quas mox ut in Italiam venit,* (nota) *Regibus vicinis in conjugio copulavit; id eſt unam Alarico Veſegothorum, & aliam Sigiſmundo Burgundionum.* Oſtrogotham Sigiſmundo tunc datam, aut certè promiſſam & pactam, cùm Epiphanius pro captivis ad Gundobaldum à Theoderico venit, anno Chriſti 494. putat Sirmundus pag. 52. in illam Panegyrici Ennodiani verba: *Concedat tamen divinitatis aſſenſus, ut ſolidatum inter nos fœdus longâ ætate ſervetur.* Mox rurſum: *Et ut in plenum ſuam progeniem dilataret, Amalafridam germanam ſuam, matrem Theodahati, qui poſtea Rex fuit, Africa Wandalorumq; Regi Traſemundo* (qui regnum iniit Septembri anni Chriſti 496.) *conjugem direxit: filiamq; ejus neptem ſuam Amalabergam Thuringorum Regi conſociat Hermenfredo.*

Cum Alarico Wiſigothorum.

Cum Sigiſmûdo Burgûdionum.

Cum Traſamundo Vandalorû in Africâ Rege.

CAPUT X.

Chlodovei & Chrotildis conjugium, & ex eo proles. Illuſtris & Chriſtiana Chlodovei de Alemanis victoria.

Ab anno Chriſti 493. ad 496.

1. SEd antequam ea deſtinaſſet connubia Theodericus, cùm adhuc Odoacrem Ravennæ obſideret, certè vixdum occidiſſet, contigit in Belgicâ noſtrâ Chlodovei Regis Franci cum Chrotilde, Chilperici Burgundionum Regis, à Gundobaldo fratre trucidati filiâ, felix conjugium. De quo ita Greg. lib. 2. cap. 28. *Chlodoveus dum legationem in Burgundiam ſæpiùs mittit* (ut inter finitimos Reges ſolet) *Chrothildis puella reperitur à legatis ejus. Qui cùm eam vidiſſent elegantem atque ſapientem; & cognoviſſent, quòd de regio eſſet genere: nunciaverunt hoc Chlodoveo Regi. Nec moratus ille, ad Gundobaldum legationem dirigit, eam ſibi in matrimonio petens. Quod ille recuſare metuens, tradidit eam viris.* legatis. *Illique accipientes, puellam Regi velociùs repræſentant. Quâ viſâ Rex valde gaviſus ſuo eam conjugio ſociavit. habens jam de concubinâ filium. nomine Theodoricum.* poſtea Metenſem ſeu Auſtraſiæ Regem.

Chrotildis filia Chilperici Burgundionis filia.

2. Initum hoc conjugium non ante eam hyemem quæ annum Chriſti 592. clauſit, & 593. aperuit, duo maximè probant. Primùm quia poſt bellum Thuringicum, quod ab Chludoveo anno regni decimo geſtum ſuprà vidimus. decimus autem ille cum anno Chriſti partim 591. partim 592. concurrit. Rurſum Chrothildis ante mariti baptiſmum, quem in Chriſti natalem anno 596. exeunte incurriſſe ibi oſtendam, duos ei filios genuerat, *Ignomerem & Chlodomerem.* quorum procreatio facilè triennium admittit. Ita Chrothildis annorum præter propter 17. fuerit: circa 475. annum in lucem edita.

Chlodoveo Francorum Regi nubit, ANNO Chriſti 493.

Nata Chrotildis anno Chriſti 475. Nupta anno vitæ ferè 17.

3. Ceterùm conjugalis hujus hiſtoriæ plures circumſtantias addunt utraque epitome, & Aimoinus; quas hic expendere operæ pretium eſt. Fuſiùs epitomæ, ſed barbarè narrant. nos ex illis unam, eamque paulò puriorem conflabimus. Erat Chlodoveo quidam à conſiliis *Aurelianus ex Romanis* (ait poſterior epitome 2.) ei bene fidus ac perfamiliaris; ingenio & induſtria ſingulari. *Hunc ille ad animum Chrotechildis explorandum præmiſit. qui ſolus ad inſtar mendici, peram dorſo ferens, veſte deformi abiit; annulum Chlodovei dumtaxat, quo fidem obtineret, ſecum portans. Genevámque civitatem iniit, ubi tunc Chrotechildis cum germanâ Sedeleuba* (Mucurunam ſupra vocavit Gregorius) *ſedebat.* Scilicet tunc ad alterum patruum Godegiſclum Genevæ agitantem, ut ex Epiphanii vita vidimus, advenerant. erat dies dominica, eoque ad Eccleſiam & ad Miſſarum ſolemnia Chrotildis proceſſerat. Aurelianus ergo cum veſte pauperculâ, ante baſilicam in pauperum medio conſedit. Sacris peractis Chrothildis egreſſa, cœpit ea more eleēmoſynam erogare pauperibus. Et Aureliano quidem, cùm ad eum perveniſſet, aureum unum in manum ingeſſit. at ille, pallio ejus ſuper brachium reducto, manum ejuſdem oſculatus eſt. Illa pudore virgineo ſuffuſa, ubi domum repetiit, mendicum illum ad ſe duci curavit. & præſenti, Cur, inquit, mi homo, pauperem ſimulas. aut cur pallio reducto manum meam oſculatus es? Grande, domina mea (reddit ille) tibi verbum nunciaturus adveni, ſi ſecretum non negas. eo dato; Chlodoveus Rex Francorum dominus meus, inquit, deſiderat te ſuo ſociare conjugio; ecce annulus ejus & cetera ornamenta ſponſalia. Illa gaudens receptis omnibus, Licitum, ait, non eſt Chriſtianam pagano nubere. ut Dei tamen voluntas eſt, ſic fiat. Tu verò pro tui laboris munere centum hoſce ſolidos, & annulum meum accipe & tace: ad Dominum tuum ſubitò revertere, nuntia, ſi me vult; per legatos à patruo meo Gundobado poſtulet quamprimùm: Aredium enim illi à conſiliis infimum, Conſtantinopoli (quo miſſus eſt) reducem expecto; cujus conſilio, ſi prius redierit, haud dubiè hæc omnia diſſipabuntur. Ille ad Chlodoveum omnia refert.

Aurelianus paranympho.

4. *Anno inſecuto* (rurſus prior epitome cap. 12.) *Aurelianum ipſum Legatum ad Gundobaldum mittit & Chrothildem, ſuam uti vocabat ſponſam repetit.* Gundobaldus ea poſtulatione commotior; Belli ſcilicet occaſionē quærit adverſum me Chlodoveus:

Aurelianus à Gundobado Chrothildē Chlodovei ſponſam repetit.

cui nota non eſt neptis mea. & tu terram meam exploraturus adveniſti. Renuntia domino tuo mendaciter te locutum, cùm ſponſam illius neptem meam appellaſti. Aurelianus nihil territus: Sic, inquit, mandat dominus meus: Vel locum ei aſſigna, ubi ſponſam ſuam recipiat; vel cùm exercitu ſuo tibi occurrit. At ille, quocumque (inquit) & quandocumque volet occurrat; non imparatum, non pavidum reperiet; in caput ejus recidet, toties ab eo crudeliter effuſus tot innocentium ſanguis. Ita in præſens illi. Sed qui ei à conſiliis erant, Chloduvei vires furoremque veriti, manifeſtum periculum repræſentantes, ut potiùs poſtulata concederet, effecerunt. Ergo Chlodovei legati, ſolidum ac denarium de more Francorum offerentes, puellam Chlodoveo deſponſant. procuratorias Cabilloni nuptias inſtituunt: iiſque peractis, Chrothildem vehiculo, quod baſternam appellabant, imponunt. At illa Aredii jam reditu præcognito, ut equo potiùs imponeretur, obtinuit; ſicque majore celeritate ad Chlodoveum perreait.

Ille primò recuſat.

Mox concedit.

5. Jam Maſſiliam appulerat Aredius, ubi cùm hæc omnia comperiſſet, & velociſſimo curſu ad Gundobaldum accurriſſet: Non eſt, inquit, ô Rex hoc amicitiæ pignus; ſed certiſſimum inimicitiæ perpetuæ ſeminarium. In memoriam potiùs reducendum fuerat, te Chrotildis genitorem, germanum tuum Childericum, trucidaſſe; matrem ejuſdem lapide ad collum ligato merſiſſe; duos ejus germanos in puteum projeciſſe. Quid enim? an ſi unquam prævaluerit, ulturam non credis? Militem expeditum actutum ſubmitte, qui reducant. Id longè faciliùs ac ſecuriùs, quàm quod tibi poſtmodum imminet. Fecit Gundobaldus. Sed jam Chrotechildis Vileriacum pagi Tricaſſini vicum, ubi tum Chlodoveus agitabat, attigerat, ac Burgundionum manus effugerat. Quin & antequam Burgundiæ finibus exiret, Francis à quibus educebatur, perſuaſit, ut per duodecim leucas quaquaverſum Burgundionum terras vaſtarent, incenderent, & expilarent. Quod cùm permittente Chlodoveo factum vidiſſet; Gratias, inquit, tibi ago, Deus omnipotens, quod initium vindictæ de genitoribus & fratribus meis adſpicio. Chlodoveus acceptam ſponſam, Sueſſione ſibi copulavit. Hæc Epitomata, nec multò ſecùs Aimoinus.

Aredius Cõſtantinopoli redux diſſuadet.

Sed jam Chrotildis Burgundiæ finibus exierat.

Igitur nuptiæ Sueſſione inſecutæ.

6. Fuit hoc conjugium gratiſſima futuræ lucis aurora; feliciſſimus ac perennis Franciciæ gentis ad Chriſti fidem converſæ fons. Nec enim ex eo ceſſavit unquam beata illa decoraque Burgunda, donec maritum adhuc idololatram, Chriſto non tam velut uxor, quàm mater pareret. Idipſum primâ thalami nocte ante omnia vehementer urſit; nec niſi mariti ſæ loco patrorum ultionem verecundè ſuggeſſit. & poſteriùs quidem facilè maritus addixit: prius tum quidem contempſit; poſtmodum aliâ occaſione vel invitus impleturus.

Quæ ad Chlodovei converſionem via.

Epit. c. 12.

7. Sed ad Gregorium Turonenſem redeamus. *Igitur ex Chrothilde Reginâ habuit filium primogenitum. Quem cum mulier baptiſmo conſecrare vellet, prædicabat aſſiduè viro*, Nihil eſſe quos coleret Deos, qui neque ſibi neque aliis ſubvenire poſſent: Saturnum à filio ſceptris exutum; Jovem ſpurciſſimum ſtuprorum patratorem, qui ne à ſororis quidem abſtinuerit concubitu; Martem Mercuriumque Magos potiùs quàm Deos. Quanto ſapientius cæli terræque conditorem coli, hominis effictorem, altoremque benevolentiſſimum? Sed nihil adhuc tum ille movebatur. *Interea Regina fidelis filium ad baptiſmum exhibet; adornari Eccleſiam velis præcipit atque cortinis: quo faciliùs vel hoc myſterio provocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem Ignomerem vocitaverunt, in ipſis ſicut regeneratus fuerat albis obiit. Quâ de cauſa commotus felle Rex, non ſegniter increpabat Reginam, dicens: Si in nomine Deorum meorum puer fuiſſet dicatus, vixiſſet utique: nunc autem, quia in nomine Dei veſtri baptizatus eſt, vivere omnino non potuit. Ad hæc Regina, Deo, inquit, omnipotenti creatori omnium gratias ago, qui me non uſquequaque judicavit indignam, ut de utero meo genitum regno ſuo dignaretur adſciſcere. Mihi autem dolore hujus cauſa animum non attingitur; quia ſcio in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos.*

Lib. 2. c. 29.

Quæ inde proles.

Primo Ignomer, qui baptizatus ſtatim obiit.

8. *Poſt hunc verò genuit alium filium* (ergo circa annum Chriſti ineuntem 495.) *quem baptizatum Chlodomerem vocavit. & hic cum ægrotare cœpiſſet, dicebat Rex. Non poteſt aliud fieri, niſi & de hoc ſicut & de fratre ejus contingat: ut baptizatus in nomine Chriſti veſtri protinus moriatur. Sed orante matre, Domino jubente convaluit.* Hæc Gregorius, de liberis à Chlodoveo antequam baptizaretur, id eſt ante annum Chriſti 496. ſuſceptis. Poſt baptiſmum jam fidelis duos alios genuit. Childebertum atque Lotharium, quorum uterque diu à patris morte regnum ſuum adminiſtravit, ut in Gregorio videre eſt. qui pergit cap. 30. *Regina verò non ceſſabat prædicare, ut Deum verum cognoſceret, & idola negligeret. Sed nullo modo poterat ad hæc credenda commoveri: donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur: in quo compulſus eſt confiteri neceſſitate, quod prius voluntate negaverat.* Factum id anno Chlodovei Regis 15. teſtatur in S. Remigii vitâ Hincmarus capite 34. qui cùm anno Chriſti 496. concurrit.

Secundus filius Chlodomer.

Chrotildis maritum ad Chriſti fidem urget.

& bello Alemãnico obtinet.

CAPUT XI.

Chlodovei de Alemannis victoria. quâ ad Chriſtum converſus.

Anno Chriſti 496.

1. GAlliarum partem illam quæ in Orientaliore Helvetiâ eſt, jamdudum invaſerant & renebant Alemanni. unde in vitâ SS. Lupicini & Romani Abbatum legimus, *eos communi conſenſu eremum petiiſſe: & accedentes ſimul inter illa Jurenſis deſerti ſecreta, quæ inter Burgundiam Alemanniamq; ſita aventicæ adjacent civitati, tabernacula fixiſſe.* primumque ambi Monaſterium condidiſſe, quod etiamnum *Romanſmunſter* inter Juram montem, & urbem *Iverdum* ſeu Ebrodunum in agro Aventico nuncupatur. *Secundum, Condatiſcone,* ſeu Condate in hodierno Burgundiæ Comitatu, quod jam Sancti Claudii, vel S. Augendi Eugendive, Sancti Romani diſcipuli, hodie *S. Claude* dicitur. *Tertium* denique *intra Alamanniæ terminum.* Eaque ſi non ſimul omnia, illorum ſaltem unum aliquod circa annum Chriſti 470. erexerant: quando ibidem

SS. Lupicini & Romani Monaſteria.

Primum in agro Aventico Helvetiæ.

Secundum, S. Eugendi, hodie S. Claudii in Comitatu Burgundiæ.

Tertium, in Alemanniâ.

ſubditur,

ſubditur, *Lupicinum jam ſenem factum* (juvenis autem eremum inierat) *ad Chilpericum Burgundiæ Regem*, Chrotildis haud dubiè patrem, *acceſſiſſe, qui tunc apud urbem Janubam* ſeu Genevam *habitabat*: & ab eo *trecentos tritici modios, totidemque vini menſuras, & centum inſuper aureos annuos in fratrum ſuſtentationem impetraſſe*. Jam tum ergo eam Galliarum partem quæ Aventico ad Orientem obtenditur, occupaverant Alemanni. Quin & paulò inferiora cis Rhenum, puta Triboccos, fere Argentoratum uſque, invaſiſſe pene mihi certum: quando Franci Burgundioneſque Romanis jam deficientibus nova ſibi regna condebant: & Argentoratenſem tractum, aliis vicinioribus occupandis intenti, tam ſubito ſibi adjungere non poterant.

Quæ nunc à Rheni ſuperioribus ad Argentoratum porrecta.

2. Hi igitur Alemanni, regno jam ab Alpibus ad Triboccos ſeu Alſatios propagato tumidiores; finitimam à Septemtrione Chlodovei Francorumque ditionem invadere nihil veriti, Rhenique curſum ad Gallicam ripam populando ſecuti, Germaniam Primam ſeu Superiorem & Secundæ proxima irruperant; ac *Tolpiacum* uſque (hodie *Zulg* in diœceſi Colonienſi) pervenerant. Tantam injuriam non tulit ætate totque victoriis ferocior Chlodoveus; ſed exercitu, quem ſemper expeditum habebat actutum collecto, eis ad Tolpiacum occurrit, & junctis cum Sygeberto Colonienſi Rege item Franco, copiis, *anno regni ſui quintodecimo*, ait in vita S. Remigii Hincmarus, capite 34. ingenti prælio conflixit. *Factum eſt autem* (ait Gregorius lib. 2. cap. 30.) *ut confligente utroque exercitu, vehementer caederentur. atque exercitus Chlodovei valde ad internecionem incipit ruere. Quod ille videns, elevatis ad cælum oculis, compunctus corde, commotus in lachrymis, ait: JESU CHRISTE, quem Chrotildis prædicat eſſe filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te ſperantibus tribuere diceris; tuæ opis gloriam devotus efflagito: ut ſi mihi victoriam ſuper hos hoſtes indulſeris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probaſſe ſe prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer.* * *Invocavi enim Deos meos: ſed ut experior, elongati ſunt ab auxilio meo. unde credo eos nullius eſſe poteſtatis, qui ſibi obedientibus non ſuccurrunt. Te nunc invoco, & tibi credere deſidero, tantùm ut eruar ab adverſariis meis.* Hæc Aureliano ſupra memorato ſuggerente à Chlodoveo prolata, notat prior Francorum epitome, cap. 15. *Cúmque hæc diceret* (pergit Gregorius) *Alamanni terga vertentes in fugam labi cœperunt. Cúmque Regem ſuum cernerent interemptum, Chlodovei ſe ditionibus ſubdunt, dicentes. Ne amplius quæſumus pereat populus: jam tui ſumus. At ille prohibito bello, coarctatoque populo, cum pace regreſſus eſt.*

Annus Chriſti 496.

Alemanni Germanias Ciſrhenanas populantur, Tolpiacum uſque.

Ubi pugna magna, anno Chlodovei 15. Chriſti 496.

Chlodoveo primum adverſa.

* *baptizabor.*

Mox poſt Chriſtum invocatum proſpera.

3. Cæſo Alemannorum Rege, qui non nominatur; Chlodoveus tantâ victoriâ non ſegniter uſus, in ipſos Alemannorum fines Rhenique ſuperiora ſtatim ſe contulit: gentemque ſe dedentem, totam ad citeriorem Belgicamque Rheni ripam, ſuam fecit: quod Gregorius duobus tantùm verbis exprimit: *populum coarctavit*; ſeu damno finium Ciſrhenanorum mulctavit; reliquos illius trans Rhenum fines tributo oneratos, ſuis adhuc legibus tenere permiſit; idque maximè Theoderici Regis Italiæ affinis ſui precibus: qui pro gentis reliquiis ſupplices ad eum litteras miſit. quas apud Caſſiodorum Var. lib. 2. ep. 41. adhuc legimus.

4. *Luduin* (aliàs *Ludovico*) *Regi Francorum Theodericus Rex: Glorioſa quidem veſtræ virtutis affinitate gratulamur*; (igitur tunc Audofledam duxerat Theodericus) *quod gentem Francorum priſcâ ætate reſidem feliciter in nova prælia concitaſtis, & Alamannicos populos cauſis fortioribus inclinatos, victrice dexterâ ſubdidiſtis. Sed quoniam ſemper in auctoribus perfidiæ reſecabilis videtur exceſſus (quia primariorum plectibilis culpa omnium debet eſſe vindicta) motus veſtros in feſſas reliquias temperate. Quia jure gratiæ merentur evadere, quos ad parentum veſtrorum defenſionem reſpicitis confugiſſe. Eſtote illis remiſſi, qui noſtris finibus celantur exterriti. Memorabilis triumphus eſt, Alamannum acerrimum ſic expaviſſe, ut tibi eum cogas de vita munere ſupplicare. Sufficiat illum Regem cum gentis ſuæ ſuperbiâ cecidiſſe. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim ſervitio ſubjugatam. Nam ſi cum reliquis confligis, adhuc cunctos ſuperaſſe non crederis. In talibus cauſis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella provenerunt, quæ moderato fine peracta ſunt. Is enim vincit aſſiduè, qui novit omnia temperare: dum jucunda proſperitas illis potiùs blanditur, qui auſteritate nimia non rigeſcunt. Cede igitur ſuaviter genio noſtro, quod ſibi gentilitas communi remittere conſuevit exemplo. Sic enim fiet, ut & meis petitionibus ſatisfeciſſe videamini, nec ſitis ſolliciti ex illâ parte, quam ad nos cognoſcitis pertinere. Quocirca ſalutantes gratiâ, honore, & affectione quâ dignum eſt, illum & illum Legatos noſtros ad excellentiam veſtram conſuetâ ſbacitate direximus; per quos & ſoſpitatis veſtræ indicium, & ſperata petitionis conſequamur effectum. Quædam verò quæ ad nos pro veſtris utilitatibus pervenerunt, per harum portitores verbo vobis inſinuanda commiſimus: ut cautiores effecti, obtentâ poſſitis victoriâ conſtanter expleri. Veſtra ſiquidem ſalus noſtra gloria eſt; & toties regnum Italiæ proficere judicamus, quoties de vobis læta cognoſcimus. Citharœdum etiam arte ſuâ doctum, pariter deſtinamus expetitum, qui ore manibúſque conſonâ voce cantando, gloriam veſtræ poteſtatis oblectet. quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum judicaſtis magno opere dirigendum.* Hæc Theodericus ſane diſertè fuſeque.

Theodorici Oſtrogothi litteræ pro Germanis ad ſe profugis.

5. Ubi cùm dicit, Alemannos victos ad ſuam defenſionem confugiſſe, nec non ſuis finibus celari jam exterritos; ab Ennodio quoque confirmatur; cùm in Panegyrico finiente, *à Theoderico Alamanniæ generalitatem intra Italiæ terminos ſine detrimento Romanæ poſſeſſionis incluſam* ſcribit. Per generalitatem tamen nonniſi partem capiendam, ſat docent varia Alamannorum genera hic clarè diſtincta: Primum eorum qui ad Theodoricum confugientes, in Italiâ ſub ejus tutelâ delituere: quique magno numero Alpes tranſgreſſi, ceteriſque in Germania & Galliâ extra Italorum conſpectum relictis, generalitatis ſpeciem exhibebant: De his ergo ſolis intelligit Ennodius, & Italiâ ſine ullo vel Romanorum vel Chlodovei detrimento clauſos dicit. Alios non tangit; quia in Theodorici Italiæve conſpectum non venerant; & quorum aliqui tributo duntaxat onerati, ſuis legibus juriſque relicti, ut nuper Thuringi, ſub Regibus adhuc vivebant: unde nihil mirum ſi eos Procopius & Agathias *liberos* appellent. Alii qui planè ſub jugum miſſi, Chlodoveique regno adjuncti, ſuis in poſterum Regibus legibuſque ſpoliati, Francos

Tria Alemannorum victorum genera:

Primum in Italiam profugorum.

Secundum in antiquis trans Rhenū ſedibus tributo oneratorum.

Rectores Duceſque ſibi impoſitos ſemper tulerunt.

6. Hi ab Argentorato vel circiter, ad Curiam & Rheni ferè fontes; rurſumque in Helvetiâ à Rheno ad Urſam fluvium hodie *Rus*, ut minimùm forte & uſque ad Arulam, pertinuerint. Eo terrarum tractu Comitatus tres erectos, Tigurinum hodie Durgow; Lentienſem Lintzgow, Rhenum inter & Danubium; & Rhætiam denique Curienſem, tradit Schudus cap. 10. pag. 33. Sed & Guilimannus in Helveticis, lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 6. *Tota*, inquit, *Alemannia*, quæ Francis hoc prælio ſcilicet obvênit, *partim fiſco, partim belli Ducibus & iis quorum operam præcipuam Chlodoveus eo bello expertus fuerat, adſignata. Omnibus, etiam non magnis ejus partibus, quo magis in officio continerentur, Comites dati. Qui verò cunctis in univerſum præeſſet, Dux nominatus, quandoque Alemanniæ, quandoque Sueviæ. propterea quòd maxima inter Alemannos Suevorum pars à Scriptoribus & inſtrumentis* ſeu Tabulis publicis *dicitur. Curiales ſedes Alemanniæ, Rancuillæ poſita. ibi qui judiciis præeſſent, Comites ſexdecim conſtituti.* Ideo Guillimannus lib. 1. cap. 2. pag. 421. & 431. Victorem Curienſem Comitem ſub Chlodoveo, & filiis agnoſcit.

7. Hæc autem omnia maximè firmantur ex S. Fridolini vitâ apud Surium & eumdem Guilimanum. Is quippe in Rhætiam, & Curiam urbem ante Chlodoveum Francum adveniſſe dicitur; & Claronam hodie *Clarus* ſupra Tigurum, ad Chriſti fidem adduxiſſe: Chlodoveum poſt devictos Alemannos Claronam Urſo & Laudolfo fratribus dediſſe, qui eamdem paulò pòſt S. Fridolino remiſerint. Rurſus S. Fridolinum ſub eodem Rege Chlodoveo Monaſterium *Sekingen* ad Rhenum paulò ſuprà Baſileam ædificaſſe, ibique ſepulrum teſtatur ejus vita cap. 35. Schudus quoque Pyrminium narrat Chlodovei liberorúmve ejus authoritate, multorum in Helvetiâ Monaſteriorum patrem extitiſſe; ut majoris Augiæ, hodie *Riknow* in lacu Conſtantiæ; item Fabarii ſeu Pfavers ad lævam Rheni ripam, è regione Meinfelt.

8. Hos igitur Alemannos Helveticos regno ſuo tunc Chlodoveus adjunxit, nam Helvetiorum in Occidentem reliqui ad Juram montem Burgundionum erant. Neque probabilitate caret, quod rerum Vindelicarum lib. 8. pag. 336. in 4. notat Velſerus, Chlodoveum è Tranſrhenanis quoque Alemannis eos ſibi addidiſſe, qui inde Franconiæ nomine ad Mœnum hodie cenſentur. eos enim diu ante Sueviæ ſeu Alemanniæ partem fuiſſe nimis conſtat. Nos quidem ſuprà, Francones hodiernos à Francis priſcis, nomen & jugum accepiſſe monuimus, cum Vandali & Suevi in Gallias irrumperent, & Thoringi Francos, à tergo premerent. quod ſi verum eſt, nihil prohibet, quin & id modò firmarit Chlodoveus: ſi falſum, nunc certè factum id fuerit; quando in poſteriora tempora differri nequit. Nihil rationi tam conſonum, quàm Francorum coloniam in ſolum victum deductam.

Velſeri de Franconiâ opinio.

BELGII ROMANI

ECCLESIASTICI ET CIVILIS,

LIBER VIGESIMVS.

A Chlodovei Baptiſmo ad ejus mortem, ſeu ab anno Chriſti 496. ad 411. Per annos fere 15.

CAPUT PRIMUM.

Chlodoveus à S. Vedaſto catechizatur, à S. Remigio baptizatur.

Anno Chriſti 497.

TANTIS rebus componendis, ordinandis, ſtabiliendis, noo potuit minus quàm ver, & æſtatem totam anni Chriſti 496. fortè & autumni proximè inſecuti, primordia inſumpſiſſe. Igitur autumoo jam labente, ex Alemannis in regnum ſuum Sueſſionemque redire inſtituit: quo itinere, Tullum Leucorum hodiernæ Lotharingiæ civitas illi occurrebat: ubi Vedaſtus noſter divinis ſe contemplationibus imbuebat. Juvat Albini Flacci verba ex Vedaſti vitâ apud Surium 6. Februarii cap. 2. proferre.

Vedaſtus nepos S Lupi Treceſſis. aut *Waſſeburg. l. 2.*

2. *Hac*, inquit, *accepta victoria Regi populóque ſuo cauſa fuit ſalutis aterna. & ne lucerna, S. Vedaſtus ſub modio lateret abſconditus. Igitur ſuperatis hoſtibus, & rebus in pace compoſitis, & Alemannis ſua ſubjectis ditioni, Rex ovans cum laude triumphi ad patriam rediit. & ut fidelis tanta ſibi gloria largitori ſponſor appareret, feſtinavit ſervorum Chriſti ſacrâ ablbus pradicatione, & ſancti baptiſmi ablui ſacramentis. Venit autem ad Tullum oppidum; ubi ſanctum agnovit Vedaſtum laudabili religione ſoli Deo ſervire; & dulciſſimos contemplativa vita carpere fructus. Hunc verò ad ſanctum Remigium, Chriſti cariſſimum Sacerdotem, ad Remorum properans civitatem, ſibi ſocium aſſumpſit: quatenus per ſingulos itineris ſui greſſus, ſaluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, & Catholica fidei firmis inniteretur fundamentis: ut paratus fide & virtutum ſcientiâ, à tanto Pontifice,* S. Remigio ſcilicet, *ſpirituali ablueretur lavacro, & ab illo donis celeſtibus confirmaretur, quod ab iſto divina prius proveniente gratiâ, Evangelicis ceptum fuerat pradicationibus. Hic ad fontem vita feſtinantem deducebat Regem; ille in fonte ſalutis aterna venientem abluebat. Ambo prope pari pietate pares, hic doctrinâ fidei, ille baptiſmatis undâ. utrique aterno Regi Regem temporalem munus obtulerunt acceptabile. Hi ſunt dua olive, & duo candelabra lucentia, à quibus Rex prafatus in via Dei eruditus, miſerante Deo, portam aterna lucis ingreſſus, cum fortiſſimâ gente Francorum credidit Chriſto. & facta eſt gens ſancta, populus acquiſitionis, ut annuncientur in eo virtutes illius, qui eos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum.*

Chlodoveus Tulli, quà tranſibat, S. Vedaſtum reperit.

eumque per iter Remēſe ſibi Catechiſtam aſſumit.

Quem ideò cum S Remigio aliquatenus huc confert Albinus.

3. Ut igitur Dominus JESUS pergens Hiericho ad confirmanda fide ſuâ corda, cuidam cœco lumen reddidit oculorum: Ita & S. Vedaſtus per cujuſdam illuminationem cœci, fidem quam verbo prædicavit, in corde Regis miraculo confirmavit: ut Rex ipſe intelligeret, tam ſibi neceſſarium cordis lumen, quàm cœco oculorum illuſtrationem. Jam venerat Rex cum maximo populi comitatu ad pagum *Vungiſe*, prope Reguliacam villam, ſuper Axonæ ripas ſitam; cùm ecce illi pontem tranſeunti cœcus obviat; qui cùm à prætereuntibus intellexiſſet, Vedaſtum Chriſti ſervum in eodem iter agere comitatu, clamavit, Sancte & electe Deo Vedaſte, miſerere mei. non aurum poſco, ſed ut mihi lumen reſtituas oculorum. Senſit vir Dei virtutem ſibi adeſſe ſupernam; & effuſus in preces, dexteram cum ſigno crucis poſuit ſuper oculos cœci, dicens: Domine JESU, qui aperuiſti oculos cœci ad te clamantis, aperi & iſtius oculos, ut intelligat populus iſte præſens, quia tu es Deus ſolus faciens mirabilia in cœlo & in terrâ. Mox ille cœcus lumine recepto gaudens perrexit viam ſuam. In eoque loco, tempore ſequenti, à religioſis viris ædificata eſt Eccleſia, in teſtimonium miraculi iſtius: in qua orantibus & credentibus uſque hodie beneficia præſtantur divina. Igitur Rex à viro Dei evangelicis apprimè imbutus diſciplinis, & hoc miraculo in fide confortatus; nihil moratus in viâ ad S. Remigium properavit, ut ab illo baptiſmatis ablueretur fonte. Cum quo aliquantis moratus eſt diebus, ut Eccleſiaſticis ſatisfaceret ſanctionibus, & pœnitentiæ priùs ablueretur lacrymis.

Vungiſe vicus. & Reguliaca villa ad Axonam fluvium.

Cæco Vedaſtus lumen reddit. in ſimbolū Chlodovei illuminati.

4. Sed ad Reginam Chrotildem prius Regem adveniſſe, Gregorius Hincmarusque teſtantur: hic quidem ſic: *Reverſus*, ait, *in Franciam Rex ad Reginam ſuam, narravit ei qualiter per invocationem nominis Chriſti victoriam meruit obtinere. Acta ſunt hac anno decimoquinto Chlodoveo regnante.* Gregorius autem ex quo etiam ille: *Tunc Regina* (inquit) *accerſiri clàm S. Remigium, Remenſis urbis Epiſcopum jubet, deprecans, ut Regi verbum ſalutis inſinuaret, &*

Chlodoveus ad Chrothildem Reginam primo venit. quæ Remigium accerſit *Lib. 2. c. 31.*

quæ à Vedaſto cœpta erant ſua auctoritate firmaret. *Quem Sacerdos accerſitum, ſecretiùs cœpit inſtigare, ut Deum verum factorem cœli & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque ſibi neque aliis prodeſſe poſſunt. At ille ait: Libenter te ſanctiſſime pater audiam. ſed reſtat unum; quod populus qui me ſequitur, non patitur relinquere Deos ſuos. Sed vado, & loquor eis juxta verbum tuum. Conveniens autem cum ſuis, priuſquam ille loqueretur, præcurrente potentiâ Dei, omnis populus pariter adclamavit: Mortales Deos abjicimus, pie Rex, & Deum, quem Remigius prædicat immortalem ſequi parati ſumus. Nunciantur hæc Antiſtiti. qui gaudio magno repletus, juſſit lavacrum præparari.* Iſta Gregorius.

Chlodoveus Frācos ſecum ad Fidem perducit

5. Paucula addit Hincmarus: *Remigius Regem & populum. qualiter diabolo & operibus ac pompis ejus abrenunciare, & in Deum credere deberent, apertis & brevibus verbis inſtruxit. Et quia dies Sancti Paſcha imminebat, jejunium ſecundum Chriſtianorum conſuetudinem eis indixit. Die verò Paſſionis Dominicæ, quem Paraſceven uſus Eccleſiaſticus vocat, pridie ſcilicet quàm baptiſmi gratiam Rex & populus ejus percepturi erant, Remigius ac Regina in oratione pernoctarunt; Epiſcopus ante altare S. Mariæ multas effundens lacrymas; Regina in oratorio S. Petri juxta domum regiam.* in quam *cubiculo Regis contiguam* expletâ oratione, Epiſcopus cum Rege & Regina procedens, dum illum monitis rurſum ſalutaribus inſtruit, repente lux tam copioſa totam replevit Eccleſiam, ut claritatem Solis vinceret: ſimul audita vox: Pax vobis, Ego ſum, nolite timere, manete in dilectione meâ. Inde loci recedenti, incredibilis ſuavitatis ſucceſſit odor. Et Pontifex Deo plenus prophetico ſpiritu cuncta vel eis vel ſemini eventura prædixit: qualiter eorum poſteritas regnum eſſet propagatura, Sanctam Eccleſiam ſublimatura, victorias contra alias gentes adeptura; niſi fortè viam veritatis reliquerint. &c. Iſta Hincmarus. in hoc uno falſus, quod Sabbathum Paſchatis diem baptiſmi putavit; qui fuit Natalis Chriſti, ut ex hujus ævi ſcriptore Avito eloquentiſſimo, doctiſſimo, ſanctiſſimoque Viennenſium Epiſcopo mox videbimus: & quod de Quadrageſima dicit, de Adventu potiùs dicendum erat.

Lux inſtar Solis Eccleſiam cœlitus replet.

Geſta hæc non in Paſchate, ſed Natali Chriſti quod feſtum Hiſpani Paſcha etiam appellant.

6. Pergit Gregorius, à quo ceteri: Parato lavacro: *Velis depictis adumbrantur plateæ, Eccleſiæ cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totúmque templum baptiſterii divino reſpergitur ab odore. talemque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, ut æſtimarent ſe Paradiſi odoribus conlocari. Rex ergo, prior popoſcit ſe à Pontifice baptizari. Procedit novus Conſtantinus ad lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum, ſordentéſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus. Cui ingreſſo ad baptiſmum, ſanctus Dei ſic infit ore facundo: Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.*] Sicambrum vocat ecce Chlodoveum Remigius; quia Franci ut ſupra monui, è tractu transrhenano, quem incoluerant olim Sicambri in Gallias tranſmigrarant. Quod ignorare non poterat Remigius. *Erat enim* (rurſus Gregorii verba) *Epiſcopus egregiæ ſcientiæ, & Rhetoricis* ſeu humanioribus *adprimè imbutus ſtudiis: ſed & ſanctitate ita præclarus, ut Sylveſtri virtutibus æquaretur. eſt enim nunc liber vitæ ejus, qui eum narrat mortuum ſuſcitaſſe.*] Utinam ſupereſſet adhuc iſte liber! plura & certiora de tanto Pontifice, de tanto baptiſmo ſuggereret.

Eccleſiæ ornatus.

Chlodoveus Sicamber collum demittere jubetur,

7. *Igitur Rex* (Greg.) *omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; delibutúſque ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti. De exercitu verò ejus baptizati ſunt amplius tria millia. Baptizata eſt & ſoror ejus Alboſledis, quæ non poſt multum tempus migravit ad Dominum. Pro quâ cùm Rex contriſtaretur, S. Remigius conſolatoriam miſit Epiſtolam, quæ hoc modo ſumpſit exordium: Angit me, & ſatis angit veſtræ cauſa triſtitiæ, quod bonæ memoriæ germana veſtra tranſiit Alboſledis. Sed de hac re conſolari poſſumus, quia talis de hoc mundo migravit, ut recordatione ſuſpici magis debeat quàm lugeri. Illius enim vita fuit, quod adſumpta creditur à Domino, quæ à Deo electa migravit ad cœlos. Vivit veſtra fides: etſi eſt conſpectus deſiderio recepta. Chriſtus implevit, ut benedictionem virginitatis acciperet; quæ ſacrata non eſt lugenda quæ fragrat in conſpectu Domini flore virgineo, quo ſcilicet & coronâ tecta, quam pro virginitate ſuſcepit. Abſit ut à fidelibus lugeatur, quæ bonus Chriſti odor eſſe promeruit; ut per eum, cui placet, auxilium poſſit conferre poſcentibus. Domine meus, repelle de tuo corde triſtitiam, animo ritè compoſito regnum ſagaciùs gubernate, erectiora ſumentes ſtudio ſerenitatis conſilia. Læto corde membra conforta: mœroris torpore diſcuſſo, acrius invigilabis ad ſalutem. Manet vobis regnum adminiſtrandum, & Deo auſpice procurandum. Populorum caput eſtis, & regimen ſuſtinetis. acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre conſueverunt. Eſto ipſe tuæ animæ conſolator, vigorem illius providentiæ continens ingenita. ne triſtitia candorem tuæ mentis ſubducat. De ejus præſente tranſitu, quæ choris eſt juncta virgineis, ut credo, Rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam veſtram, commendo familiarem meum Presbyterum Maccolum, quem direxi. Quæſo ut tanti habeatis ignoſcere; quòd qui occurſum debui, exhortatoria deſtinare verba præſumpſi. Tamen per harum bajulum ſi jubetis ut vadam, contemptâ hyemis aſperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos, auxiliante Domino, pervenire contendam.* Hactenus Remigii Epiſtola, à Gregorio quidem inchoata, ſed ex antiquis Manuſcriptis ſuppleta. Alboſledis & Audefledo, penè eædem voces, ſi eumdem perſonam deſignant, fuerit quidem illa Theoderico Oſtrogoto Italiæ Regi deſponſa, ſed virgo prius obierit. nec Chlodovei filia, ſed ſoror extiterit. Facilè tamen poſſunt eſſe diverſæ.

& Deum unum trinúmque confeſſus baptizatur,

& cum eo Frāci 3000.

Item Alboſledis ſoror, quæ adhuc virgo moritur

Unde epiſtola S. Remigii conſolatoria.

8. Pergit Gregorius lib. 2. c. 31. fin. *Converſa eſt & alia ſoror ejus Lanthildis nomine, quæ in hæreſim Arrianorum dilapſa fuerat. quæ confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum Sanctum, chriſmata eſt.* Magnus ergo tum fuit in Belgicâ Arrianorum numerus, ingens authoritas; qui in ipſam Regiam irrepere, & tanti Regis ſororem ad ſe trahere potuerint. Sed S. Remigium brevi tantam belluam ſuccidiſſe proclive eſt opinari.

Baptizata & alia ſoror Lanthildis, Arriana.

CAPUT

CAPUT II.

Chlodoveum in Natali Christi non Paſchate baptizatum.

Docet Aviti Viennenſis ad Chlodoveum epiſtola planè divina.

1. CEterùm Chlodovæi baptiſmum, non, ut hic ſciſcit Hincmarus, Paſcate (quod ſequente Chriſti anno 497. in ſextam Aprilis incurrit) ſed ipſo Chriſti Natali hoc eodem anno 496. expirante contigiſſe, clarè ex ſuperſtite Aviti Viennenſis Epiſcopi tum viventis, & Regi ipſi gratulātis epiſtolâ ſpiritu Dei plenâ haurimus; quàm primus Sirmundus noſter nuper publico dedit, & Tomo primo Conciliorum Gallicorum, paginâ 153 mox intexuit; in hæc verba: *Avitus Viennenſis Epiſcopus Chlodovecho Regi: Veſtra ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores, ſententiis ſuis, variis opinione, diverſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. At dum ſtatus noſtros æternitati committimus, dum quid recti unuſquiſque ſentiat, futuro examini reſervamus, etiam in præſentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Invenit quippe tempori noſtro arbitrum quemdam divina proviſio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis, veſtra fides noſtra victoria eſt. Solent pleriſque in hac eadem cauſa, ſi pro expetendâ ſanitate credendi, aut Sacerdotum hortatu, aut quorumcumque ſodalium ſuggeſtione moveantur, conſuetudinem generis & ritum paternæ obſervationis opponere. Ita ſaluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis cuſtodiâ inutilem reverentiam ſervant, confitentur ſe quodammodo neſcire quid eligant. Diſcedat igitur ab hac excuſatione, poſt talis facti miraculum, noxius pudor. De toto priſcæ originis ſtemmate, ſolâ nobilitate contenti, quidquid omne poteſt faſtigium generoſitatis ornare, proſapia veſtra à vobis voluiſtis exſurgere. Habetis bonorum auctores, voluiſtis eſſe meliorum. Reſpondetis proavis quòd regnatis in ſæculo: inſtituitis poſteros, quòd regnatis in cælo. Gaudeat ergo Græcia,* Conſtantinopolis & Oriens, *habere ſe Principem Legis noſtræ; ſed non jam, quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari: quòd non deſit & reliquo orbi claritas ſua.*

Baptiſmus in Chriſti Natali collatus.

2. *Siquidem & occiduis partibus in Rege non novo, novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Nativitas inchoavit: ut conſequenter eo die ad ſalutem regeneraret ex undâ vos parcat, quo* NATUM REDEMPTIONI NOSTRÆ COELI DOMINUM MUNDUS ACCEPIT. *Igitur qui celeber eſt* NATALIS DOMINI, SIT ET VESTRI: QUO VOS SCILICET CHRISTO, QUO CHRISTUS ORTUS EST MUNDO: *in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis.*

3. *Quid jam de ipſa glorioſiſſimâ regenerationis veſtræ ſolemnitate dicatur? cujus miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecit, ut ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos poſt hanc expectationem, jam ſecuros veſtri, ſacra nox reperit. Conferebamus namq́, nobiſcumq́, tractabamus, quale eſſet illud, cùm adunatorum numerus Pontificum* (plures igitur aderant Epiſcopi) *manus ſancti ambitione ſervitii membra regia undis vitalibus conſoveret. cùm ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput. cùm ſub caſſide crines nutritos, ſalutaris galea ſacræ unctionis indueret. cùm intemeratiſſo tegmine loricarum, immaculati artus ſimili veſtium candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, Regum florentiſſime, faciet, inquam, indumentorum iſta mollities, ut vobis deinceps plus valeat rigor armorum: & quidquid felicitas uſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas.*

Aſſiſtētibus S. Remigio aliis quoque Epiſcopis.

Hortatur Avitus, ut fidem gentibus ulterioribus gētibus nondū corruptis inſerat.

4. *Vellem verò præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram, vel obſervantiam præteriret. Numquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatione vidiſtis? an fortè humilitatem, quam jam dudum nobis devotione impenditis, qui nunc primum profeſſione debetis? An miſericordiam, quam ſolutus à vobis adhuc nuper populus captivus* (Alemannus, an Gallicus?) *gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo? Unum ergo eſt quod vellemus augeri: ut quia Deus gentem veſtram* Francicam *per vos ex toto ſuam faciet, ulterioribus quoque gentibus,* in Boream ſcilicet Orientemque Franciæ objectis, *quas in naturali adhuc ignorantiâ conſtitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis, fidei ſemina porrigatis. Nec pudeat pigeatq́, etiam directis in rem legationibus, adſtruere partes Dei, qui tantùm veſtras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitùs imperio ſervituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potius gentem, quam Principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi vindicet totis quos honorum gradibus attollitis. Conſtat vos eſſe, quo communis uno Solis jubare omnia perfruuntur. vicina quidem plus gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuum præſentibus diademate, abſentibus majeſtate.*

5. *Succeſſus Felicium triumphorum, quos pro vos regio illa* Belgo-Francica *gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos Felicitas: quotieſcumque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen Catholicæ Religionis affectuum ſervat in vobis cura miſerendi: & in apice rerum omnium gubernacula continente, non minus eminet ſanctitas quam poteſtas. Ex quâ utique factum eſt, ut dirigi ad vos ſervi veſtri, viri illuſtris Laurentii filium principali oraculo juberetis. Quod apud Dominum meum, ſua quidem gentis Regem* Gundobaldum, *ſed militem veſtrum obtinuiſſe me ſuggero. Nihil quippe eſt, in quo ſervire non poteſt: commendat dilectum. Congaudi miſſo, invidi vos viſuro. eius minus computandum eſt ad utilitatem, parentis proprio reſtitui, quam patri omnium præſentari.* Huculque Avitus elegantee.

Aliquoque Epiſcopi Chlodoveo gratulati.

6. Nihil dubium quin & aliis ſeu Burgundionum, ſeu Viſigothorum Epiſcopis Orthodoxis ora tanti Regis converſio reſeraverit. Mirum ni & Anaſtaſii Romani Pontificis par acceſſerit congratulatio. Sed hujuſmodi monumenta tempus edax rerum nobis invidit. Porrò Baptiſmi iſtius in urbe Remenſi locum, nemo dubitaret Cathedralem S. Mariæ Baſilicam extitiſſe; id disertè tradente ipſo Hincmaro, Aimoino, & Frodoardo: niſi una S. Nicetii Trevirenſis Epiſcopi ad Chlodoſvindam Chlodovei ipſius ex filio Lothario neptem data epiſtola diceret, Chlodoveum coram S. Remigio *humilem ad Domini Martini limina cecidiſſe, & baptizari ſe ſine morâ permiſiſſe.* Iſtis enim verbis, quidam

putant, Chlodovæi baptiſmum, Turonis ad S. Martini limina contigiſſe. Verùm ſi Lector verba diligenter excutiat, videbit mecum, nihil iſtis aliud indicari, quàm Chlodoveum Remis in eâ S. Martini Baſilicâ, ad S. Remigii pedes cecidiſſe, baptiſmumque petiiſſe. quæ ad portam Collaticiam, aliàs Baſilicarem ſita, in S. Remigii teſtamento memoratur; baptiſmum autem ipſum licèt ibi petitum; in principe tamen Remorum S. Mariæ templo de more collatum.

Dona Chlodovei etiam ante Baptiſmum S. Remigio data.

7. Ceterùm Chlodoveus antequam baptizaretur, cùm adhuc infidelis Syagrium Romanum prælio ſuperaſſet, & ſibi ditionem ejus adjunxiſſet; multa S. Remigio ſummæ jam tum auctoritatis Epiſcopo obtulerat, ſeu viri ſanctitate illectus, ſeu quò certiùs eo ſibi conciliato, ceterorum ex eâdem Syagrii ditione Romanorum animos demereretur. Multo verò plura poſt baptiſmum obtuliſſe, ex ejus teſtamento, velut ex ipſo fonte depromimus: *Villas*, inquit Remigius, *quas mihi dominus illuſtriſq; memoria Ludowicus Rex (quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi) cùm adhuc paganus Deum ignoraret, ad proprium tradidit; locis pauperioribus deputavi: ne forte, cùm eſſet infidelis, cupidum terrenarum rerum me arbitrari poſſet, & non potiùs ſuæ ſalutem animæ, quàm exteriora ab ipſo bona requirere. Quod & admiratus, intercedere me pro quibuſcumque neceſſitatem patientibus, & fidelis & ante fidem, benigne liberaliterq; conceſſit. Et quia ex omnibus Epiſcopis Galliarum, pro fide & convocatione Francorum potiſſimùm me laborare cognovit; dedit mihi Deus tantam gratiam in conſpectu ejus, virtúſque divina; quæ per Spiritum me peccatorem plurima ſigna ad ſalutem præfatæ gentis Francorum operari fecit: ut non ſolùm ablata omnibus Eccleſiis regni Francorum reſtitueret; ſed etiam de proprio gratuitâ bonitate plurimas ditaret Eccleſias. Neque priùs de regno ejus, quantum paſſus eſt Eccleſia Remorum jungere volui; donec ut hoc omnibus Eccleſiis adimpleret, obtinui. Sed neque poſt baptiſmum, niſi Codiciacum & Juliacum. ſuper quibus jam dictus puer ſanctiſſimus & unanimus mihi Clodowaldus, & incola loci illius multiplicibus Xeniis gravati, obnixè deprecantes, quod Regi debebant, Eccleſiæ meæ ſolvendum me petere compulerunt. Quod idem piiſſimus Rex gratanter accipiens, promptiſſimâ voluntate largitus eſt.*

Alia item in Septimania, Aquitania, Auſtria, &c.

8. Pergit enumerare alia bona quæ Chlodoveus & nunc & poſtea indulſit, nempe *in Septimaniâ & Aquitania* (victis Viſigothis;) item *in Auſtriâ ſive Toringiâ*, victis Thuringis. Et paulò antè alia Germanica bona nominat, *Bernam* cum duobus villis *Piſcofesheim* vocatis, item *Caſlo & Gleni*, & alia tam in Voſago, quàm circa, extra, & ultra Rhenum, ſive ab eodem Rege tradita, ſive pretio comparata. Mox: *Crucinacum verò & Faram, ſive villas quas ſanctiſſima virgo Chriſti Genoveſa à Rege Chriſtianiſſimo Ludovico, pro compendio itineris ſui, cùm Remenſem Eccleſiam ſæpiſſimè viſitare ſoleret, adipiſci promeruit, alemoniyſqùe ibidem Deo famulantium deputavit, ſicut ab eâ ordinatum eſt, ita confirmo*, &c. quæ tu vide.

CAPUT III.

Belgicos Epiſcopatus reſtituit S Remigius.

Circa aut paulò poſt annum Chriſti 500.

Quæ Epiſcopales in Belgio noſtro ſedes inſtauraverit Remigius.

1. QUod ſuprà Avitum Viennenſem ad Chlodoveum ſcripſiſſe audivimus, ut *ulterioribus quoque gentibus* adhuc idololatris, *de theſauro cordis ſui. Fidei ſemina porrigeret*: nihil opus fuit S. Remigio ſponte ad ſimilia currenti in memoriam revocare. Defecerant jampridem in Belgio noſtro tot Barbarorum eluvionibus quatuor Epiſcopatus, jam inde ſub Conſtantino Magno, ejúsve filiis, ut ſuprà viſum, erecti; Bavacenſis Nerviorum ſeu Cameracenſis, Tornacenſis, Atrebatenſis, atque Morinenſis ſeu Taruanenſis: & hucuſque ſub naſcente quoque Francorum imperio neglecti, priſtinum ſplendorem nondum recipere potuerant. Attinebant illi quidem ad Belgicæ ſecundæ Archiepiſcopum, ſanctum ſcilicet Remigium: eoque nullus dubito quin de eorumdem ille inſtauratione ſæpiùs jam antè cogitaverit. Sed cùm ipſe ſub Syagrio adhuc & Romanis in Belgica reliquis ageret, eóque Francis Syagrii æmulus Ethniciſque ſuſpectior eſſet; nunquam deſiderio ſuo ſatisfacere potuerat. Ubi & Syagrius abſumptus, & Chlodoveus Chriſto genitus eſt; ad Paſtores in borealiore ſua provinciâ reſtituendos, fidemque inibi vel augendam vel inſtaurandam, ſeriò oculos animumque convertit: quà pollebat apud novum Conſtantinum auctoritate benè uſurus. Sanè hanc noſtrarum Eccleſiarum παλιγγενεσίαν ac reparationem nemo antiquorum ſcriptorum eſt, qui ad hunc Francorum Apoſtolum & Patriarcham non referat.

Atrebatenſem.

2. De Atrebatenſi quidem, ipſummet Remigium in teſtamento audire juvat. *Eccleſiæ Atrebatenſi*, inquit, *cui Domino annuente Vedaſtum fratrem meum cariſſimum Epiſcopum conſecravi, ex dono jam dicti Principis* Ludouvici *villas duas in alimoniis Clericorum deputavi, Orcos videlicet & Sabucetum* (Ourton & Souché exiſtimant) *quibus etiam pro memoriâ nominis mei ſolidos viginti dari jubeo.* Ac licèt hic de tempore, quo facta iſta conſecratio, nullum verbum inſit; non diu tamen à baptiſmo contigiſſe, & ratio ipſa, & Remigii jampridem ad id anhelantis zelus ac facultas; & Epiſcoporum inſtauratorum ætas ſatis evincunt. Cur enim Remigius rem tam neceſſariam, tantopere deſideratam & quæſitam, adeóque jam ad manum ultróque ſe ingerentem diſtuliſſet, Rege etiam veroſimiliter urgente, Chriſtianis denique ibidem adhuc reliquis, manus haud dubiè tendentibus? Ait in S. Vedaſti vita Alcuinus: *Reverſurus ad ſua Chlodoveus ſanctum Vedaſtum beato commendavit Remigio: qui* Vedaſtus *ibi* Remis *moratus, vita meritis & virtutum claruit exemplis, omnibus amabilis, omnes ad ſe venientes æternæ vitæ paſcens alimento. prorſus, ut cum celeberrimâ vulgaretur famâ, Remigio viſum ſit, tam præclaram Chriſti lucernam ſupra candelabrum ponere;* & Paſtorem *Atrebatenſi Eccleſiæ* jamdio viduatæ gementique concedere. Baldericus quoque lib. 1. cap. 7. Vedaſtum Remis *per aliquod temporis detentum* ſcribit.

Quo tempore, quo anno? ferè quingenteſimo.

3. Moram quidem ab Chlodovei baptiſmo non longam Remia egiſſe, multa probant. Primùm Baldericus in Chronico Atrebatenſi Cameracenſive, ante annos ſexcentos ſcripto, id innuit his verbis lib. 1. c. 7. *Favente igitur Rege Chlodoveo, Vedaſtum Remigius ordinatum Epiſcopum ad Evangelizandum Cameraco & Atrebato dirigit urbibus. Liquet ergo quod hoc iſtı, quanto impenſius paternas ſedes amaverat, tanto probatioru vita Paſtorem eò loci delegaverat. Ibi enim præter ceteras ſedes, ut paulò ſuperiùs dictum eſt, ſpecialiùs verſabatur: ideòque majori gratia ductus, paſtorali regimine parochiam ditare conabatur.* Si Vedaſtum Atrebatibus Cameracoque Paſtorem *majore gratiâ*, curavit; igitur aliquandiu ante mortem curaverit, quam in annum Chriſti 511. incurriſſe, validè monſtrabo. Quamdiu autem ante mortem, tametſi nemo diſertè determinet; annorum tamen illorum aliquo, qui baptiſmo quam morti vicinior fuerit, id effectum, pluſcula evincunt. Primò Regis novo ſuſceptæ fidei muſto ferventis ardor. tùm S. Remigii ingens de Eccleſiarum in Belgio proſtratarum inſtauratione ſolicitudo. A Chlodovei Baptiſmo, ſeo anno Chriſti 496 expirante, ad ejuſdem mortem ſeu annum Chriſti præcipitantem 512. anni interfluunt plùs 15. Quis credat Chlodoveum, tanti animi zeliq́ue Regem, Vedaſto, tanti beneficii ſolutionem tot annos diſtuliſſe? Quis credat Vedaſtum tantum vineæ Dei cultorem à S. Remigio tot annos otiosè detentum? campis præſertim Belgicis ad meſſem jam albicantibus. Unde aptiſſimè idem Baldricus lib. 1. cap. 4. *A Beato Remigio* (inquit) *& Rege noviter* (nota *noviter*) *baptizato, B. Vedaſtum huic noſtræ urbi directum cognovimus.* Paulò pòſt Chlodovei baptiſmum, planeq́ue circa annum Chriſti vulgarem 501. ſedem Atrebatenſem Vedaſtus iniverit.

Nota Cameracum & Atrebatum paternas fuiſſe Chlodovei ſedes. ex Balderico.

Eoque in Epiſcopales ſtatim ab ejus baptiſmo, electas.

4. Verùm, cùm Cameraco æquè ut Atrebato Remigius Vedaſtum deſtinaſſe dicatur Epiſcopum; cur ipſe Vedaſtus Atrebati potiùs jacente tum urbe, quàm Cameraci Regiâ ac florente, in quâ & olim Chlodio, & jam Rachnacarius ſedem habebant, domicilium fixit? Nimirum quia *Cameraci Rex Ragnacharius* (ſic enim appellat Turon. l. 2. c. 42.) etiam poſt Chlodovei baptiſmum, priſtinæ cum ſuis idololatriæ contumacior, utpote vitâ contaminatiſſimus, inhæreret; ut expreſsè Flodoardus hiſt. Rem. lib. 1. c. 13. finiente; & ex eo Baldericus l. 1. c. 4. Ragnacbarium autem Chlodoveus nonniſi poſt Alaricum Viſigothorum Regem anno 407. peremptum confeciſſe, ſat ſignificat Turonenſis lib. 2. cap. 42. & 37. Igitur ante id tempus degebat Atrebati Vedaſtus Epiſcopus. Ad hæc cur Vedaſtus in S. Remigii teſtamento, Epiſcoporum omnium primus ſubſcripſiſſe reperitur, niſi quia omnium in eo munere antiquiſſimus? Sanè ante Genebaudum Laudunenſem ſubſcribit, ante Medardum Noviomenſem Veromandenſémve, & ante Lupum haud dubiè Sueſſionenſem. Concilio primo Aurelianenſi decima Julii anno Chriſti 511 ſubſcriptum; ac proinde ante eam Synodum jam pridem Epiſcopum. Quæ quidem contra Sigebertum & aſſeclas clarè militant, qui Vedaſti initium in annum Chriſti 531. magno Metachroniſmo differt; ut & alia nonnulla in eo Chronico. Contra eos item, qui hæc Vedaſti initia ad annum Chriſti 507 revocant, quo Chlodoveus Rex bellum in Alaricum & Wiſigothos occepit: Ragnachario adhuc Cameraci pacatè regnante, & nonniſi poſt Alaricum debellato: niſi ordinem hiſtoriæ perverrat Gregorius Turonenſis, Scriptor hac in re ceteris omnino, ceu ſenior, anteferendus.

Cur Vedaſtus a S. Remigio datus Atrebato potius quā Cameraco Epiſcopus.

Contra Sigebertum.

5. Revocemus igitur S. Vedaſti exordium ab anno Chriſti circiter 500. Sedit 40. annos teſte Alcuino. ergo circa annum Chriſti 540 deceſſerit. Quod apertè confirmāt Atrebatenſes Tabulæ manuſcriptæ vetuſtiſſimæ, tam Cathedralis quàm Vedaſtinæ Eccleſiæ; quæ primam Corporis S. Vedaſti tranſlationem à S. Autberto factam diſertè notant, anno ab ejus morte 118. eam autem Tranſlationem anno Chriſti 657 celebratam, ibi validè probabo. & ſi de annis labentibus 657. tollas 118. in hunc annum Chriſti 540 neceſſariò revolvêris. igitur Vedaſtus anno ſedis 40 deceſſerit; ac proinde anno Chriſti 500. ſedere cœperit.

Quo anno Epiſcopatū Atrebatenſem iniit S. Vedaſtus.

6. Jam duobus ejus ſucceſſoribus, *Dominico* & *Vedulpho*, & vacantis Sedis intervallis, annos paulò plures quàm uni Vedaſto concedamus, puta inter 44. & 46. nam Vedulphum quidem diutius ſediſſe, ſatis arguit inſtituta ab eo Sedis hujus ad Cameracenos tranſlatio. Ita S. Gaugerici, qui Vedulfum excepit, initium in annum Chriſti præter propter 586. incurrere videbimus. ut ſic juxta Sigeberti Chronicon anno Chriſti 594. florere poſſit. Nam ante id tempus Gaugerici initia minimè promovenda tria concludunt, ex ipſius vitâ deprompta. *Primùm* Magnericus Trevirenſis Epiſcopus ei adhuc puero tonſuram, & poſtmodum etiam Diaconatum contuliſſe dicitur. atqui Magnericum Treviris ante annum Chriſti 563. non præfuiſſe, ex Nicetii deceſſoris ejus vitâ & morte certum eſt. ut alibi probo.

7. *Alterum* & præcipuum eſt, Gaugericum à Childeberto Rege (utique Sigeberti Auſtraſii filio) Cameracenſem Epiſcopum nominatum. quod ante annum Chriſti 585. fieri non potuit; quando Cameracum ut & Tornacum ad Sueſſionenſe regnum attinuiſſe vel ſola Topographia docet; & regni iſtius poſſeſſionem ante eum Chriſti annum 585. non adiiſſe Childebertum ex Turonenſi lib. 7. cap. 33. & alibi conſtat. *Tertium*, quo tempore S. Gaugericus Cameracenam ſedem iniit, *Waldo* quidam ejus loci Comes, id eſt ex ejus ſæculi uſu Gubernator, fuiſſe dicitur. atqui hic ille eſſe videtur, quem Gregorius lib. 7. cap. 43. & ſup. ſæpe, *Waddonem* vocat; vultq́ue ad Brunichildem Childeberti Regis matrem transfugiſſe anno ejuſdem Regis decimo, qui eſt Chriſti 585. Aptè ergo Gaugerici initium eo vel ſequenti anno 486. ſub *Waldone* ſeu *Waddone* ſtatuitur. Et quia tunc regnum Sueſſionenſe à Sigeberto ad Chilpericum; mox à Chilperico per Guntchramnum ad Childebertum Sygeberti filium circa initium anni 585. transferri contigit: ut ex Turonenſi lib. 7. cap. 33. fin. colligimus; non improbabile eſt, Cameracenam Sedem diutiùs à Veduphi morte vacare potuiſſe. maximè cùm idem Turonenſis lib. 6 cap. ultimo: *Chilperici regnantis tempore* ſcribat, *paucos quodammodo Epiſcopatum Clericos meruiſſe.* quaſi Epiſcopatus ille aut vacare ſineret, aut ſæcularibus ſibive adſcriberet.

Si tunc puer adhuc erat Gaugericus, vix ante viceſimum inde annum fieri potuit Epiſcopus.

8. Sed neque multò tardiùs quàm eo Chriſti anno 586. Gaugerici primordia differri poſſunt: eum quippe Vita teſtatur ab Igidio ſeu Ægidio

Remorū Archiepiſcopo conſecratum; & Ægidium Turonenſis lib. 10. c. 19. depoſitum notat, Novembri, anni Childeberti Regis decimi-quinti, qui eſt Chriſti 590. ab illo 586. quo primùm Gaugericus iniit, vix toto diſtans quadriennio. Ita aptè circa annum Chriſti 500. inſtaurata Atrebati Sedes.

Tornacenſem.

9. Idem etiam clariùs & certiùs de Tornacenſi aſſeritur. S. Medardum Tornacenſium proximè poſt S. Eleutherium Pontificem, paulò ante mortem Lotharii primi Regis ſeu ſenioris vita functum octavâ Junii, vita ejus clarè docet; & Turonenſis lib. 4. cap. 19. ergo ex inſtitutâ à nobis temporum ratione anno Chriſti 561. quo Lotharium exceſſiſſe infrà validè probabo. Medardum autem ab Eleutherii morte annos 15. præfuiſſe, id fertè ſcribit in ejus vita Fortunatus. & adſtipulantur vetuſtiſſima Tornacenſis Eccleſiæ monumenta. De 561. tolle 15. reliquus erit annus Chriſti 546. quo & Eleutherius vicesimâ Februarii deceſſerit. Jam Eleutherium 45. ſaltem labentes annos ſediſſe, octo ſcilicet Blandinii, 37. Tornaci; aut ut Molanus 9 Blandinii, 36. Tornaci omnes conſentiunt; ac proinde non ſeriùs anno Chriſti 502. inierit. Ante illum, adhuc Theodorum quemdam Antiſtitem Blandinii, vico Tornacenſibus finitimo, ſediſſe memorant eadem vetera Tornacenſis Eccleſiæ monumenta, ceterique Scriptores. ſed addunt, paucis diebus præfuiſſe: quodque ſuperbiùs ageret, ſpiculo divino, hoc eſt ictu tonitrui peremptum interiiſſe. Ita circa annum Chriſti quingenteſimum primum, ipſe, non minùs quam Vedaſtus ab S. Remigio Tornacum poſt Chlodovei baptiſma, miſſus fuerit, & interruptam iſtam Eccleſiam inſtauraverit.

CAPUT IIII.

Objectionum quarumdam ſolutio.

Joannes Cognatus Tornacenſis Eccleſiæ hiſtoricus diligens.

Duo opponit Ex variis Scriptoribus.

1 HÆc adeo probabilia, tantopere ſibi, vitæ Sancti Remigii, Francorumque hiſtoriæ conſentientia, cùm anno Chriſti 412. in noſtra de primis Tungrorum Epiſcopis diſputatione cap. 6. Leodii, parvo diſcrimine, edidiſſemus; Joannes Cognatus Tornacenſis Canonicus, vernaculam illius Eccleſiæ tunc hiſtoriam texens; duobus maximè argumentis improbare conatus eſt. Primùm, Auctor eorum, quæ Sigeberti Chronico addita, & à Miræo noſtro diverſo charactere prudenter edita ſunt. Abbas item S. Martini Tornacenſis Herimannus; Mejerus, & Marchantius in Flandricis, Eleutherii Pontificis exordium in annum 484. diſertè conferunt. Iis, inquit ille, potiùs quàm Bucherio danda fides. Alterum ex ipſo Fortunato deſumit; cum de Medardo ſic in ejus vitâ ſcribit cap. 18. *Utrumque ovile paſtor egregius, conſilio, & auctoritate comprovincialium Epiſcoporum, tempore Hormiſdæ Papæ, ſub S. Remigio tunc temporis Remorum Archiepiſcopo, aſſenſu Regis & Curialium, ac utriuſque plebis acclamatione, tandem ſuſcepit.* Hormiſdam Pontificem Romanum ſedem ab anno Chriſti 514. ad 523. tenuiſſe, Baronius, Onuphrius, Sigonius, & auctiores omnes conſentiunt. Eo igitur annorum interfluxu, Medardus jam Eleutherii ſucceſſor, *utrumque ovile regendum* ſuſceperit. Ponamus ultimo Hormiſdæ anno Chriſti 523. ſuſcepiſſe, utrique Epiſcopatui præfuerit annis omnino 38. ſi Medardus anno 561. ut ſupra diximus, exceſſerit, ſi autem, quod Cognatus magis ex Sigeberto amplectitur, anno 564. annis omnino 41. Non ergo quindecim duntaxat annis *utrumque ovile rexerit*; quod Fortunatus à ſe diſſentiens ſcripſiſſe videtur. Hæc Cognatus, quæ hic ex more meo non refellerem, niſi Lectorem ex eâ opinione in graviora devolvi viderem.

Auctor antiquos Scriptores ſibi ſemper præponi vult, certis caſibus.

2. Imprimis quod ad Auctores antiquos attinet; nullos non mihi præferri volo, ſi de ſui, non tanto anterioris ævi rebus ſcribunt. Si autem de rebus ante ſeptingentos annos geſtis ex ſe, ſine ullo ejus ævi teſte, ſine validâ ratione ſcribunt; ſi quod in mentem venit, velut è tripode proferunt, neque aliis dubitandi quærendique facultatem relinquere volunt; parcant, ſi non acquieſcimus. Quis neſcit laudatos hic à Cognato Scriptores annis fere ſeptingentis Eleutherio poſteriores? Quis non videt veteris eos hiſtoriæ parum gnaros, & à veritate ſeque ipſis aliquando devios? è multis ſaltem pauca excuti patiatur æquus & veritatis (quam unam mihi propono) amans Lector.

Non potuit S. Eleutherius ſedem Tornacenſem inire anno Chriſti 484.

3. Aiunt primò Eleutherium ſedem iniiſſe Tornacenſem anno Chriſti 484. Quo illius ævi vel proximi auctore? ex ſimili enim id hauſiſſe debent, qui poſt 700. annos id tradere auſi ſunt. Ut illos invenerim, ſuſpicor (nec enim legi) ex Sidonii Epiſtola 11. libri ſexti, Eleutherio Papæ inſcriptâ, in eam opinionem inductos. Sciebant per ea tempora vixiſſe Sidonium, & Eleutherium iſtum Tornacenſem ſuum crediderunt: Igitur anno Chriſti 484. Epiſcopatum iniiſſe pronuntiarunt. Hunc opinionis fontem, & quidem honorificum credo. Cognatus certè libr. 1. cap. 47. pag. 256. ita videtur exiſtimare, cùm Epiſtolam illam Gallicè verſam Lectori exhibet, & ad hunc noſtrum Eleutherium datam, ſine ulla hæſitatione pronuntiat. Ego quidem qui Belgii noſtri antiquitates, Eccleſiaſticas præſertim, undique venor, ita eſſe maximè pervelim. Verùm & patriæ & cujuſvis amori ſemper anteferenda veritas. Sidonium ipſum 12. Kal. Septembris terris exemptum teſtatur ſuperſtes adhuc ejus Epitaphium, & annua Arvernorum ſolennitas. Addit Turonenſis lib. 2. cap. 23. *Pridie Dominica, qua poſt ſancti viri tranſitum imminebat*, hoc eſt Sabbatho mortuum. Ergo littera Dominicali C. quæ cum in Chriſti annum 482. rectè incurrat eo quoque anno Sidonium fato functum evincit. Quam in rem ſuprà, lib. 19. cap. 7. plura protuli. Quomodo igitur Sidonius anno 482. mortuus, *Eleutherio Papa* Tornacenſi ſcriberet, qui juxta Cognatum & alios iſtos auctores nonniſi anno 484. hoc eſt biennio pòſt, factus eſt Epiſcopus? Quanto autem minus id potuit, ſi ut veritas habet, nonniſi anno 502. factus? Vide quid ſit in hoc tam vaſto Chronologiæ mari tam ſolutè ſine certâ cognitâque characterum Cynoſurâ navigare.

Ex anno mortis Sidonii, & literâ Dominicali.

4. Rurſus, anno iſto 484. Tornacum Chlodoveo, imò & Ragnachario juxta Cognatum quoque ipſum, idololatris adhuc ſuberat: nullum Sedi aut urbi iſti cum Remigio Archiepiſcopo ſuo ſacrum profanúmve, ſine ſuſpicione ſaltem ac periculo, comercium erat: Romam barbarus &

Ex eo quòd idololatris adhuc ſubeſſet Tornacum,

tyrannus

tyrânus Odoacer obtinebat: provinciæ omnes Romam inter ac Belgicam mutuâ barbarorum invadentium æmulatione vexatæ & à ſe ipſæ divulſæ erant. Qua ratione ſub Principibus idololatris novi erigi potuerunt Epiſcopi? Ait ecce Cognatus lib. 1. cap. 42. finiente, pag. 236. Superiorem inter ac Theodorum nullos Tornaci fuiſſe Paſtores, quod idololatræ Vandali Francique rerum eo intervallo potiti ſunt. An non anno 484. ante Chlodovei Francorumque baptiſma duodecimo vel tertiodecimo pari idolorum ſuperſtitione Franci tenebantur? & ut in Chriſtianos Chlodoveus, ſicut & pater Childericus, benignior exiſteret; quid de Ragnachario Cognatus dicet, quem Tornaco quoque imperaſſe, vult, & tamen etiam à Chlodovei baptiſmo contumacem idolorum cultorem, ex Hincmaro Flodoardóque diſertè agnoſcit? Quâ porro ratione tot intermedias Romæ Belgicæque provincias, à tot barbaris ſibi mutuò diffidentibus ut dixi divulſas, Eleutherius ſine manifeſto periculo, cum Romam pro Epiſcopatu (ut volunt) ſe contulit, his trajicere potuit? ecce quàm gratis, quàm ſolutè, ut dixi, ſimilia produntur: quàm Lectori ad alia properanti fucum facere poſſunt. Lectorem ego quidem meum pluris æſtimo: & nonniſi ea certiore, aut probabili auctoritate rationéve mihi fidem habere volo. quæ ſi illi deeſſe videatur, rejici non recuſo.

Etiam ipſius Cognati confeſſione.

Ex tribus Eleutherii Romam itineribus.

5. Ad hæc, Romana S. Eleutherii jam Epiſcopi itinera terna Scriptores iidem conſcaunt. Primùm, anno ordinationis illius decimo, ſub Anaſtaſio ſummo Pontifice, alterum quartodecimo, ſedente Symmacho: tertium 25. ſub Hormiſdâ. Turbatè omnia. Si Eleutherii primus annus fuit Chriſti 484. ergo decimus eſt Chriſti 494. forte & ex parte 495. Annis 494. & 495. Romæ ſedebat Gelaſius juxta Baronium, Onuphrium, Sigonium & alios. nec Anaſtaſius ante ſeneſcentem annum 496. Sedem iniit. Quomodo biennio antè illum adiit Eleutherius? Anaſtaſius biennio ſedis nondum evoluto, Novembri anni 498. exceſſit. ſucceſſit Symmachus annis ferè ſexdecim. & anno Chriſti 514. Julii 19. mortuus, ſedem Hormiſdæ reliquit: quam ille ad Auguſtum anni 523. tenuit. Eleutherius igitur anno Pontificatus ſui decimoquarto, Chriſti 498. & 499. Symmachi Papæ primo Romam ad eum proficiſci potuit: ſed ſuo 25. qui eſſet Chriſti 509. aut 510. in Hormiſdam Romæ ſedentem incurrere non potuit. Vides humanos Scriptorum iſtorum lapſus. Quare Cognatus trium horum itinerum annos ita caſtigat, lib. 1. cap. 46. pag. 253. & 265. & primo quidem itineri annum Eleutherii Epiſcopi non decimum, ſed 12. aut 13. ſecundo 14. aut 15. aſſignat. tertium autem non 29. ſed nunquam ante 30. aut 31. contingere potuiſſe dicit. Quis hîc quæ in nos intorquet verba, in ipſum jure non retorqueat? potiùs nimirum ſenioribus iſtis Scriptoribus, quàm recentiori Cognato credendum. Quod ſi in viam eos ſe reducere ſcribit, patiatur & alios idem conari; & (quod nos ei lubentes indulgemus) cur id faciant, probabilibus rationibus & argumentis ediſſerere.

& ex annis Pontificum Romanorum.

Etiam ex Cognati placito ſtabilitus.

6. Quid verò, ſi ne ſic quidem ſatis eos in viam reducit Cognatus? Ait ecce Eleutherium tertio Romam ad Hormiſdam adveniſſe, anno Pontificatus ſui, non 25. ſed 39. vel 40. Chriſti 522. aut 523. Quo tempore addit, S. Stephani protomartyris os humerale, & S. Mariæ Ægyptiacæ cranium, Tornacum ſecum retuliſſe. Baronius tam in Martyrologio quàm in Annalibus, Mariam Ægyptiacam ſcribit ſub Juſtino ſeniore maximè floruiſſe. Juſtinus imperium ab anno Chriſti 518. ad 527. obtinuit. Si tunc Maria Ægyptiaca floruit, quomodo non mortua dumtaxat, ſed tanto jam tempore ſepulta dicitur, ut oſſa ejus carne primum otiosè nudari, tum Romam è Paleſtinâ devehi, denique tanto intervallo Tornacum anno Chriſti 523. medio fere adhuc Juſtini imperio, transferri potuit? Annus Eleutherii juxta Cognatum 25. quem illi tranſlationi priores Scriptores attribuunt, cum Chriſti 509. & 510. concurrit, octo totis ante Juſtinum annis. Ita neque illi neque Cognatus à Chronologiâ ſatis inſtructi eſſent. Statuant potiùs nobiſcum poſtremam hanc Eleutherii peregrinationem poſt annum Chriſti 540. non ſub Hormiſdâ, ſed Vigilio; ſecundam ſub Hormiſdâ, primam ſub Symmacho; in nulla impingent abſurda: quæ nimius antiquitatis amor inducit.

Ex reliquiis S. Stephani, & S. Mariæ Ægyptiacæ Tornacum allatis.

Quibus annis aptè ſtatuantur Romanæ Eleutherii profectiones.

7. Denique S. Eleutherii mortem in annum Chriſti 529. referunt auctores antedicti. conſequenter illi quidem, quando illius Epiſcopatui 44. annos ſolidos 45. labentes indulgent. Hos quippe ſi ab anno 484. advoces, in 529. devolvêris. Cognato ne iſta quidem placent. annos Eleutherio nonniſi 40. dat, quorum octo Blandinii, Tornaci tantum 32. exegerit. Ad id ab ipſo ſe Fortunato adigi ſcribit. qui in Medardi vita cap. 18. *Utrumque* (ait) *avile Paſtor egregius, conſilio & auctoritate Comprovincialium Epiſcoporum, tempore Hormiſdæ Papæ, ſub S. Remigio tunc temporis Remorum Archiepiſcopo, aſſenſu Regis & Curialium, ac utriuſque plebis acclamatione, tandem ſuſcepit; & ut utrique Eccleſiæ Cathedralis ſemper honor maneret, benignè conceſſit.* Si *tempore Hormiſdæ Papæ* Medardus *utrumque avile ſuſcepit*; ſane ante Auguſtum menſem anni 523. quo jam Hormiſdam deceſſiſſe diximus, Tornacenſem poſt Eleutherium Sedem inivetit. Et cùm capite 19. ſubdit, *Quindecim annis commiſſam ſibi divinitus inſediſſe Cathedram*; corrigendus ex priore ſententia eſt, & pro quindecim annis, 40. reponendi. Ita Cognatus cap. 61. pag. 201. & 302. Qui proinde S. Medardi Chronologiam hanc texit: Primò, pag. 295. fin. *Veromandenſem eum creatum Paſtorem anno Chriſti 473.* (undecim ſcilicet ante Eleutherii ordinationem à ſe quidem ſtatutam, annis) eodem nempe die & anno, quo germanus ejus frater Gildardus Rotomagenſis factus Epiſcopus. Secundo (pag. 276.) cùm jam Medardus annos Eccleſiæ Veromandenſi ſeu Noviomenſi præfuiſſet quinquaginta, anno demum 523. Eleutherio in Tornacenſi ſucceſſit. Tertio (pag. 302.) utrique ſimul Eccleſiæ annos adhuc ut minimum 40. ſuperfuit, anno denique Chriſti 564. vel 565. rebus humanis exemptus. Ita quartò (eadem pag. 302.) Medardus in univerſum fuerit Epiſcopus annos 90. vixerit 120. Hæc ille, hactenus inaudita, ne dicam à veritate aliena.

Ex anno quo mortuus S. Eleutherius.

S. Medardi Chronologia, ex placito Cognati ordinata.

8. Imprimis Medardi Veromandenſem Epiſcopatum ante annum Chriſti 511. advocare, manifeſtò eſt contra Synodum Aurelianenſem primam; anno illo Chriſti 511. *Felice Conſule, ſexta Idus Julias ſub Chlodovecho Rege habitam:* ut diſertè ipſa Synodus. In eâ quippe ſubſcriptus legitur è Medardi deceſſo-

S. Medardus ante Synodum primā Aurelianenſem ſedere non potuit.

ribus

Ex Sophronio deceſſo re illi ſubſcripto.

ribus unus *Sophronius Veromandenſis Epiſcopus*, & quidem inter poſtremos, credo quia adhuc junior. Rurſus Sofronium inter & Medardum veteres ejus Eccleſiæ Indiculi Allomerum quemdam interponunt. Quomodo igitur Medardus annis ante Synodum 38. ante deceſſorum Sophronii & Allomeri mortem ſuprà 40. ſi non & 50. potuit eſſe Veromandenſis Epiſcopus? An in unam eamdemque Eccleſiam ternos eodem tempore infulciemus Epiſcopos? Vides halucinationem. Neque Synodo tantùm, ſed & Fortunato ipſi quoque idem adverſatur. Percurrat mecum diligens Lector Medardi vitam; & hæc notabit: Capite 9. Medardus fit Sacerdos, & adhuc eſt capite 13. cum Rex Clotarius exercitum movens Somonam fluvium violenter tranſit. Dumque cum prædâ, Epiſcopo Eccleſiæque Veromandenſi ablatâ, revertitur, inter Noviomum & Iſaram, equi prædam vehentes toto triduo moveri non potuere; donec Medardi Sacerdotis adhuc Salentiaci in domo paternâ agentis abſolutione ſolverentur. Clotarius Chlodovei Magni filius erat, Sueſſionenſis Rex: eoque Noviomi dominus; Chlodoveum autem exeunte Novembri anni 511 (Cognatus 514. exiſtimat) terris exemptum, infra probabo. Ergo Fortunato quoque ante eum diem non fuit Epiſcopus Medardus; planè conformiter ad dictam Synodum

& ex ipſo Fortunato in Medardi vitâ.

Ex Chlotarii Regis annis.

9. Sed & Chlotarius tunc aliquot annorum Rex erat, prorſus ut ante ſextum vel ſeptimum, circiter ab Chlodovei morte annum, Veromandenſem Epiſcopatum non videatur iniiſſe Medardus. Ita certè in eadem vitâ pergit innuere Fortunatus: dum capite 15. primum Veromandenſis Epiſcopi (nempe Allomeri, Sophronii qui Synodo Aurelianenſi primæ interfuit, ſucceſſoris) & quidem ut ibi dicitur, *qui per aliquot annorum curricula rexerat*, exceſſum refert; mox Regis & optimatum aſſenſu, ac plebis acclamatione Medardi ſucceſſionem ſubdit. Ita aptiſſimè *tempore Hormiſda Papa*, nempe inter annos Chriſti 514. & 523. quibus ille ſedit *ſub Remigio Metropolitano*, Veromandenſem Eccleſiam Medardus regendam (quod maximè Fortunatus intelligit) poſtmodum etiam Tornacenſem, ſuſceperit. Nam priorem Eccleſiam ſolam diutiùs rexiſſe Medardum, & Cognatus ipſe fatetur, dum pag. 302. Veromanduis ſolis annos cum omnino 50. præfuiſſe disertè ſcribit; & verò Cognato longè potior Fortunatus; dum capite 16. Medardum à Veromanduis primùm Sedem Noviomum tranſtuliſſe; tùm *Noviomi Eccleſiam*, utique Cathedralem eóque perilluſtrem, *conſtruxiſſe*, *eam feliciſſimè gubernaſſe*, denique Eleutherio Tornacenſi tum mortuo ſucceſſiſſe, capite 18. narrat. quæ omnia juſtam aliquot annorum, intercapedinem exigunt. Cui nos quidem annos non cum Cognato 50. ſed 25. præter propter commodiſſimè largimur: ſicque ad annum Chriſti 546. quo mortuum ſtatuimus Eleutherium, aptè ad S. Remigii à Chlodovei baptiſmo geſta, pertingimus: Allomero Medardi deceſſori immediato, qui *per aliquot annorum curricula rexiſſe* dicitur, octo vel 9. annos dare poſſumus, & Medardi ſedem ab anno Chriſti 521. vel 522. tempore Hormiſdæ Papæ & S. Remigii ritè advocamus.

10. Ab eo anno 546. ad 561. quo Medardi mortem, paulò antè Clotarii Regis ſcilicet, ut eſt in vitâ, figimus; quindecim intercurrũt anni; quibus Fortunatus capite 19. Medardum non tantùm *Flandros ad fidem informaſſe*, ſed & *commiſſam ſibi divinitus inſediſſe Cathedram* bis notat; utique Tornacenſem de qua ibi Flandrorum occaſione loquitur: præſertim cùm Veromandenſem Noviomenſémve facile 40. non multo certè pluribus annis, obtinuerit. Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius eſt, Fortunati verba, *Utrumque ovile tempore Hormiſda rexit*, &c. longè certiùs ex poſterioribus *annis iſtis quindecim* explicanda vel etiam corrigenda, quam annos quindecim ex Hormiſdæ Remigiique tempore pro utroque ſimul ovili. Nam ex Cognati ſenſu multò plura eaque clariora Fortunati verba narrationesque confundimus; & vero directè in ipſam Aurelianenſem Synodum primam incurrimus. ex poſteriore omnia liquidiſſimè conciliamus, ipſi Fortunato longè magis, Synodo per omnia conſentimus; in nulla certè abſurda incidimus, quæ Cognatus volens nolens incurrit.

Unde anni quindecim S. Medardi in ſede Tornacenſi, advocanda.

11. Ex ſuâ enim ſententiâ ſequi fatetur, (pag. 302.) Medardi Pontificatum univerſum in annos omnino 90. vitam etiam in 120. propagaram. Parum felix conſequentia. Remigii Sedem in annos 47. dumtaxat extenſam, vitam in 96. omnes antiqui Scriptores fere ut prodigium memorant. Medardi Remigio coævi Epiſcopatum annis juxta Cognatum totis ſexdecim, vitam etiam 30 diffuſiorem, nemo veterum miratus eſſet, nemo litteris mandaſſet, omnes velut conſpiratione, Cognato tanto poſteriori lauream iſtam reliquiſſent? Quanto ſimpliciùs liquidiuſque tot alia Fortunati verba ſaniora, tantæ Synodo conformia, veritate ſubnixa, nobiſcum ſequeretur: paucula alia aut Fortunato minùs attento humanitus excidiſſe, aut abs alio inſulta diceret: tot ſe difficultatum, & ἀσυςάτων tricis non involveret: Medardum nobiſcum ex Fortunato ipſo Synodoque agnoſceret, non ultra annos ut ſummum 49. univerſim; imò ſi ſub Hormiſdâ primùm Veromandenſis Epiſcopus factus (quod omnino Fortunatus, ſi ſibi contrarius non eſt, intelligit) non multùm ultra 40. Epiſcopum eſſe potuiſſe: denique *annis quindecim* Eleutherio ſuperſtitem, *utrumque ſimul ovile*, non jam ampliùs ſub Hormiſda, neque ſub Remigio; ſed Vigilio, Pelagio, Joanneque tertio Pontificibus Romanis; Remorum autem Mappinio Ægidioque rexiſſe ſateretur. Atque hæc paulò fuſiùs, accuratiusque, veritatis, quæ non parum hic obfuſcabatur, amore, non reprehendendi cupidine dicta; eoque Lectori gratiora ſunto, quò rariora, & Belgicas antiquitates non parum intricatas illuſtrantia. Nos certè præclaros Cognati conatus, Eccleſiaſtico Canonicoque digniſſimos valdè laudamus; agnitæ veritati præferre non poſſumus.

Miræ, ex Cognati ſententiâ conſequentiæ.

Quales in noſtrâ opinione nullæ.

12. Nec illud hîc omittendum. In vitâ Medardi, cap. 2. dicitur illi *conſodalis* Eleutherius; ac *ſimilis ſimilem, puer puerum, ſocius conſocium dilexiſſe*. Sic enim eos ætate fere pares intelligimus; niſi forte quòd Medardus adhuc puer Eleutherium Epiſcopum fore prædixit, eo paulò junior extiterit. Eleutherium quidem anno Chriſti 502. Epiſcopatum ſub Chlodoveo Symmachoque iniiſſe; Medardum autem ſub Clotario & Hormiſdâ, eoque non ante 514. exeuntem, aut etiam paulò ſeriùs iniviſſe jam diximus. Quo fit, ut vix ſtare queat, quod

SS Eleutherius & Medardus ætate ferè pares.

Medardus paulò junior.

Non ſenior, ut ex Cognati placitis deducitur.

Cognatus lib. 1. cap. 57. pag. 288. ſcribit, *Medardum Eleutherio jam ſene Tornacum non veniſſe modò, ſed & prædicaſſe, ordines contuliſſe, Eccleſias ſacraſſe; quòd Epiſcopales ejuſmodi functiones nimio ille ſenio obire non poſſet.* Si ætate ferè pares, quomodo alter altero tanto ſenior? Imò ex ipſius Cognati placitis Medardum Eleutherio ſeniorem fuiſſe deducitur. Nam & undecim totis annis antè, Eleutherium inducit Epiſcopum: & in morte, quam anno Chriſti 563. contigiſſe ſancit, annorum 120. facit; cùm Eleutherium morientem anno (ut putat) 523. nonniſi 76. efficiat. Ab anno 523. ad 563. anni 40. interfluunt. De 120. igitur Medardi annis, deme 40. reliqui erunt 80. quot annorum fuiſſe neceſſe erit Medardum cùm Eleutherius 76. annorum decederet. Ergo quatuor totis annis ſenior Eleutherio Medardus etiam ex Cognati calculis extiterit. Quomodo juniori ob nimiam ſenectutem tulit opem ſenior? ob morbum quidem aut accidens aliquod potuerit; non certè ob grandiorem ejus ætatem. Adeo falſa falſis rarò, veris vera ſemper coaleſcunt.

Concluſio. Belgicos Epiſcopatus à S. Remigio poſt Chlodovei baptiſmum reſtitutos.

13. Stet igitur tot Barbarorum Eluvionibus interruptos Belgii noſtratis Epiſcopos, ſeu Atrebati Cameracique, ſeu Tornaci, nonniſi à Sancto Remigio, Francorum poſt Chlodovei baptiſmum Apoſtolo reſtitutos: indeque ad hæc tempora continuâ, eâque feliciſſimâ ſerie propagatos. Idem haud dubiè è Morinorum Epiſcopis eruceremus, ſi plures nobis illorum reliquiæ ſuppeterent. Nec tamen quæ ſuperſunt illius ac Remenſis Eccleſiæ monumenta, alium à Sancto Remigio Sedis hujus inſtauratorem agnoſcunt.

CAPUT V.

Reſtitutæ à S. Remigio Diœceſes, eædem quæ ſub Romanis, ad Patrum uſque noſtrorum memoriam.

Epiſcopatus reſtituti, iidem qui ſub Romanis.

1. **V**T Belgicos noſtrates Epiſcopatus non novos Remigius erexit, ſed priſcos dumtaxat atque Romanos reſtituit; ita neque novos eis limites, ſed antiquos & qui ſub Romanis extiterant addidit. Taruanenſi ſolitos Morinorum, Tornacenſi Menapiorum, Cameracenſi Nerviorum, ut & Atrebatenſi quos ſub Romanis habuerant fines reddidit. TUNGRENSEM ipſe non attigit, ut qui numquam defecerat, continuatis ab Sancti Servatii deceſſu inſequentium Epiſcoporum, nullo hiatu, ſucceſſoribus. & ſi defeciſſet, non tam ipſe immediatè reſtituiſſet, quàm ad Germaniæ Inferioris Metropolitanam Colonienſem retuliſſet, nè in meſſem alienã falcem importunius & audacius immittere videretur. Et hæc tamen Diœceſis nihil prorſus ab antiquâ demutavit, ſimul tam pro ſe, quàm pro noſtratibus aliis, quæ Remigio Remenſibúsque ſuberant Archiepiſcopis, non invalidum ſuggerit argumentum.

Etiã TUNGRENSIS.

Quod docet Remigii ad Falconem Tungrenſem Epiſcopum epiſtola.

2. Extat in Gallicanis Sirmundi noſtri Conciliis, paginâ 295. & alibi, quarta ad Falconem Tungrenſem hujus temporis; à S. Servatio nonum Epiſcopum, Sancti Remigii epiſtola; eum ſatis acriter reprehendens, quòd vel ipſo Epiſcopatûs ſui primordio, Juriſdictione in Moſomenſem Eccleſiam, Remenſi ſemper ſubditam, uſurpatâ, *jus ingredi tentaſſet alienum: nimiumq́, citò pennis tenerulis evolans, cùm adhuc ſua neſciret, jam aliena pervaderet: ſimul Canonum adhuc ignarus eos præproperè tranſgrederetur, antequam diſceret. Aut ſi Eccleſiarum ſtatuta noſſet, tantò graviùs, tantóque periculoſius priſcorum magnificorúmque Pontificum decreta calcaret. Caveret, qui aliena præſumeret, ne quod habere videretur, amitteret.* Remigii ſunt iſta, & plura quæ ſequuntur verba, quæ nimis clarè nos inſtruunt, Remenſis Tungrenſiſque Diœceſeon confinia tunc uti nunc, circa Moſomum ad Moſam oppidum, ferè concurriſſe: ac proinde abs anno illo Chriſti præter propter 513. ad hunc uſque 1654 expirantem per annos 1150. nihil mutationis accidiſſe. Quod & de vicinis præſumendum Eccleſiis.

Diœceſeos Tungrenſis ſeu LEODIENSIS antiquæ amplitudo.

3. Magnam certè Belgii noſtri etiam hodierni partem, jam inde à Romanis, uſque ad Patrum noſtrorum memoriam, ſeu annum Chriſti 1559. quo novi in illo creati Epiſcopi, Tungrenſes ſeu Leodienſes obtinuiſſe; tum ex Diœceſeon finitimarum antiquis limitibus; tum verò ex ipſa Leodienſis Eccleſiæ priſcâ ſereque perpetuâ, quod ſciamus, partitione, ſat conſtat. Quam proinde hic, ſicut & in ſuperioribus Cameracenſem Tornacenſemque, exhibere, quando ad Belgicam antiquitatem maximè ſpectat, conſilium eſt. Illam nos ab Reverendo Domino Chapeavillio magno tum Leodienſis Eccleſiæ Vicario, cùm hiſtoriam illam ſimul ante annos 43. ordinaremus, accepimus; ſicut & Cameracenſem. nec vetuſtiorem ſciebamus; tametſi vix dubium, quin ex variis tot annorum caſibus, tot barbarorum eluvionibus aliqua, ſed modica intercurſarit variatio. Quod proximè accedit, proponimus.

4. Partitio igitur ſeu Diviſio eccliſta. Continebat jam olim, præter proprium ſuum Leodienſe territorium, ſanè non modicum, Brabantiæ partes tertias facilè binas; eam item Hannoniæ laciniam Orientalem, quæ Bellomontenſi, Chimacenſique agro concluditur; Namurcenſem Comitatum univerſum; Lutzenburgenſem Ducatum, ad amnem uſque Simoënta ſeu *Semoy*; tùm quidquid inde à Bullonienſi oppido, ductâ ad Baſtoniam lineâ, mox ulterius in Septemtrionem Stabuletum, Aquiſgranum, Gelekirkam, Glabbeekam, Venlonamque productâ; inde ſecundo Moſæ defluxu paulò infrà Sylvam-ducis Steenbergam uſque, tum Scaldis eum rivum qui Zelandiam Brabantiamque diſterminat: ad hæc lineâ novâ à *Sant-vliet* Hoochſtratam, Turnhoutam, ad Demeræ Dilæque confluxum, Lovanium, Nivellas, Thudunium Sabi adſitum, Bellomontio confine demùm inflexâ. Tanta erat Tungrenſis Epiſcopatus amplitudo.

Et partitio in 7. vel 8. Archidiaconatus.

5. Rurſum totus iſte terrarum tractus in Archidiaconatus ſeptem, quorum ſere ſinguli Epiſcopatum per ſe hodie conſtituerent, diſtinguebatur. Quorum primus per Brabantiam latè porrectus, Kempiniam univerſam complectebatur; dempto ſolum Antuerpienſi Cameracenæ Diœceſeos Archidiaconatu, ut ſuprà libro octavo, cap. 11. §. 4. monui. Jam Kempinienſis ille Archidiaconatus ſeptem Decanatibus continebatur

& Decanatus univerſim 26.

Moſam fere inter ac Demetam: erantque, *Beeckrenſis*; *Curckenſis*, *Wancelenſis*, *Eychrenſis*, *Beringenſis*, & ultra Moſam etiam *Zittardienſis*, & *Waſſenburgenſis*. continens Eccleſias 361. ſeu ferè 400. Secundus Leodii Archidiaconus idem adhuc qui olim, eſt Haſbaniæ, habens Concilia ſeu Decanatus tres, S. Trudonis, Tungrenſem & Trajectenſem; Parœcias univerſim 295. Tertius Brabantiæ numerabat tunc Decanatus 4. Lewenſem, Lovanienſem, Geldonienſem, Hozemontenſem; Parœcias 213. Quartus Hanoniæ, Decanatibus præerat quinque, Audaneoſi. Gemblacenſi, Fleruecenſi, Florinenſi, Thudinienſi: Parœcils 283. Quintus Famennæ, Decanatus tres adhuc ſupputat, Cymacenſem, Gredenſem, Rupefortenſem.

Parochiarū numerus

Parœcias univerſim 127. Sextus Condruſii, Decanatus quatuor: S. Remacli Officienſem, Cennaconſem, Ha[illegible]richenſem; Parœcias 226. Septimus etiamnum eſt Ardennæ, cum Decanatibus tantum duobus, Bastonicenſi & Stabulenſi, Parœcijs 125. Denique adnumeratur etiam octavus Civitatenſis, ſeu Leodienſis, cum Parœciis intra muros 24. & duabus insuper extra, Sanctæ Walburgis & S. Fidei. Prorſus ut omnes Leodienſis Eccleſiæ Parœciæ, ad bis mille ante novos Epiſcopatus, proximè accederent.

Trium Diœceſeon circa Moſomum concurſus.

6. Jam ut ad id quod intendimus, revertamur, Bullonium Simoenſi fluvio adjacens oppidum, diœceſis etiam hodie Leodienſis, paucis milliaribus a Moſomenſi diſtat, Moſæ unde nomen hauſit, adjacenti: Cumque Moſomium idem vix uno milliari Ivodio poſtremâ Trevirenſis Eccleſiæ parœciâ diſſitum ſit, trium eo fere tractu Diœceſeon ut hodie, ita & olim ſub Falcone Remigioque concurſus erat. Quare nihil mirum ſi in tantâ Epiſcopatuum viciniâ, tùm, veriſimiliter non adeo diſtincta, novus adhuc Epiſcopus Falco, ne quid de ſuis finibus amitteret, ſimul ut incolarum iſtorum ignorantiam diſcuteret, Moſomenſes excolere aggreſſus ſit; quos haud dubiè poſt S. Remigii monitum, non illibenter ei reliquerit. Interim nos docet, vix aliam iis confiniis tunc, quàm quæ modò eſt, fuiſſe diviſionem: quodque ulterius inde conficitur, eoſdem ſub Romania, ſub Remigio, & noſtro denique hoc ævo conſtantes Epiſcopatuum permanere limites.

Qui adhuc hodie.

Ex Archidiaconatu Kempinienſi plures Epiſcopi novi.

7. Id inſuper adjungo quod ad Tungrenſis Leodienſiſve Diœceſeos amplitudinem iſtam pertinet; plures ex eâ, ante annos ferè centum, ex Romani Pontificis auctoritate, Philippi item ſecundi Hiſpaniarum Regis Belgiique Principis poſtulatione, deciſos recentiores Epiſcopatus: nempe Buſcoducenſem, & Ruræmundanum ferè integros; Antuerpienſis item atque Mechlinienſis medietates pœne ſolidas, ex ſolo ferè illo Kempinienſi Archidiaconatu; Namurcenſem denique totum ex Hannonico maximè profluxiſſe. Et Leodienſi tamen hodiernæ diœceſi tantumdem adhuc remanere; ut in mea de primis Tungrorum Epiſcopis diſputatione capite primo, ante annos 43. oſtendi.

TREVIRENSIS Epiſcopatus diviſio,

8. Leodienſi Diœceſi ad Meridiem confinis eſt TREVIRENSIS; ab Occidente & Moſâ, in Orientem Rhenumque porrecta, longior quàm latior. Stenacum ſive Sathanacum, vulgo *Stenay*, ad Moſam oppidum eſt, Trevirenſis ab eâ parte Diœceſis primum, & in Meridiem maximè porrectum. Ab eo linea, juxta, ſed extra dexteram Moſæ ripam, Moſomio oppido (quod hodie Remenſis diœceſis eſt) ad lævam relicto, ducatur verſus Septentrionem ad Cstum (hodie *Cher*) fluvium, inter Ivodium Trevirenſe, & Douzy Remenſe oppida: ducatur, inquam, ad flumen uſque *Semoy*, paulò ſuprà Bullonium Leodienſis Epiſcopatus oppidum. Inde verſus Ortum æſtivum, ſupra *Neufchaſtel*, uſque ad alium fluvium Suram, vulgo *Sour*, qui à fonte ad vicum *Bourchet*, Trevirorum Epiſcopatum à Leodienſi dividit: Inde paulò ſuprà Baſtoniam ad Auſtrum per vicos *Eppedring*, *Pytendorf*, *Willeſweiller* (nam *Eſchebeiller* Leodienſis eſt) inde *Weiller*, & ſupra Vianden, *Nurburg*, *Pruim*, *Gerenſtein oppidula*, ad fontem uſque amnis *Aer*, qui in Rhenum ad *Sinzich* totus Diœceſis Colonienſis influit. A Siozich adverſo jam Rheno *Andernach*, *Engers*, *Confluentiam*, *Boppardiam*, S. Goariafanum, Weſaliam ſuperiorem Baccharac aſcendamus. Hinc reductam in Occidentem lineam, verſus S. Vendelinum paulò ſuprà Tholeyam Monaſterium, ad Moſellam porrigamus, paulò ſuprà Rutelenſem Abbatiam, quæ Trevirenſis adhuc eſt Diœceſis; mox uſque ad vicos *Rouveroy* & *Sorbei*, ſupra *Othain* amniculum, qui Marvillam alluit, ſitos, inſequentes alios *Jamau*, *Loupy*, *Juvigny* includamus, & ad Moſam denique paulò ſuprà *Stenay* deſinamus. Ita totum Epiſcopatus Trevirenſis circuitum implevimus.

& Circumſcriptio.

Archidiaconatus quinque.

9. Jam totus iſte terrarum tractus, Archidiaconatus quinque, complectitur; quorum primus, titulo S. Petri tres ſub ſe Decanatus habet. Trevirenſem, Preſpordienſem, Kylburgenſem ad fluvium Kyl. *Trevirenſis* omnium Primus, Majore ſeu Metropolitanâ decoratur Eccleſiâ, Collegiatis tribus, Monaſteriis Benedictinis quinque; uno Carthuſianorum Sancti Albani; Teutonicis Domibus duabus, & unâ S. Joannis Hieroſolymitani, Parochiis in univerſum 24. Secundus Decanatus *Preſpordienſis*, præter Monaſterium Eberardi de Cluſâ tribus leucis Auguſta Trevirorum verſus Waſruch diſſitum, & duo Monialium, habet Parochias 42. Tertius *Kylburgenſis*, Abbatias habet tres, Epternacenſem, Prumienſem, & Hymmerothenſem; Collegiatas Eccleſias duas, Prumienſem & Kylburgenſem; Monaſteria tria, Prumienſe, S. Thomæ, & S. Helenæ. Parochias 84. Secundus Archidiaconatus Moſam inter & Moſellam Titulo S. Agathes in *Longuiono* oppido, quà utrumque amnis Cari caput confluit, ſitus eſt. Septem illi Decanatus ſubſunt: *Luxemburgenſis*, *Arlunenſis*, *Merchſcenſis*, omnes Germanicæ linguæ: quatuor alii Gallicæ, *Bazalle* juxta Moſellam, *Longuionenſis*, *Juvignienſis*, & Moſæ adhærens *Ivodienſis*. Sub Ivodienſi Monaſterium Aureæ Vallis, *Orval*: Collegiata Eccleſia Ivodienſis; Prioratus 4. *Longlier*, *Chiny*, *Muno*, & *Sathanaci* ſeu *Stenay*. Parochiæ 42. Sub *Juviniacenſi*, Monaſterium unum ibidem, unus Prioratus in Vallibus; Parochiæ 32. Sub *Longuionenſi* Prioratus duo, Marvillenſis & Congenſis. Eccleſia collegiata una, Longuioni. Parochiæ 42. Sub *Bazallenſi* vulgo *Bazalle* Parochiæ 27. Et hi Decanatus ſunt Gallici quatuor, totius Diœceſeos ab eâ parte maximè Meridionales. Tres alii ſunt Septentrionales & linguæ Germanicæ. *Luxemburgenſis* habet Abbatiam *Munſter* in ſuburbio ſuo inferiore: Monaſteria

Monialium

Monialium tria, S. Spiritus Luxemburgi, Bonaviæ, & *Dieffrdingen*, Gallicè *Differdanche*. Parochias 40. Sub *Arlunenſi* Decanatu Monaſterium Clari fontis; Parochiæ 34. Sub *Mirchſenſi* Monaſterium Mariæ-vallis, & Fratrea Sanctæ Trinitatis in Viennâ.

10. Tertius (aliis quintus) Archidiaconatus eſt Sancti Mauritii in *Tholeiâ* vulgo Tholey, ubi Monaſterium eſt S. Benedicti, ultra montes qui Diœceſin Trevirenſem à Palatinatu, verſus S. Vendelinum dividunt, Diœceſi quidem Trevirenſi Meridionalis, Moſellæ autem, imò & Saræ flumini Orientalis. Habet ſub ſe quatuor Decanatus, Wadrelenſem, Marcetenſem, Perlenſem, & Remichenſem. Sub Wadrelenſi eſt Monaſterium ipſum S. Mauritii in Tholeiâ; Parochiæ 41. Sub Marcetenſi Monaſteria duo, in *Mediolacren*, & *Franlutern* in Lotharingiâ Germanicâ, non procul *Walderſing*. Parochiæ 41. Sub tertio *Perletenſi*, Monaſteria duo, in *Rntel* unum Charthuſianorum ad Moſellam infra *Sirck*; & *Wadgaſſen* ad Saravum fluvium ſupra *Walderſingen*. Parochiæ 44. Sub quarto Remichenſi Parochiæ 26.

11. Quartus Archidiaconatus (aliis Tertius) eſt Tituli S. Caſtoris in Cardonâ, & in urbe Confluentina. Tres continet Decanatus *Cellenſem*, *Vechtendungenſem*, & *Boppardienſem*. Cellenſis, totus Superioris Diœceſis, habet ſub ſe Monaſteria duo, *Merla*, & *Mergenburg*: Eccleſiam Collegiatam unam in Cardona, præter Canonicos in Springerabachi Monaſteria Monialium duo, Mariæ in porta Angelica, & Stuba. Parochias 60. *Vechtendungenſi* ſubjacent Eccleſiæ Collegiatæ tres; Confluentiæ duæ, Sancti Caſtoris, & Sancti Florini: tertium extra urbem nomine *Munſtermenfeldt*: Monaſteria tria Lacenſe, Monialium in Rode, & in Inſula ſuperiore. Una Domus Teutonica Confluentiæ: Parochiæ 25. Tertius Decanatus Boppardienſis habet Eccleſias in *Weſel* duas unam B. Mariæ Virginis; alteram D. Martini; unum Monaſterium Monialium; Præbendatos in Boppart: Parochias decem.

12. Quintus (aliis ſecundus) Archidiaconatus, Tituli S. Lubentii, in *Dieckirg*, Diœceſis Inferioris; habet ſub ſe Decanatus ſex. Primus eſt *Engere* ad & trans Rhenum; Secundus *Marenſelt*, tertius *Wetzlar*, *Heiger*, *Kirchdorff* ſive *Kirchburg*, & *Dieckirch*. Sub *Engers* ſunt Monaſteria quinque, *Seyn*, *Walender*, *Wolversberg*, *Beſſelergen*, & *Rommenſdorff*. Parochiæ duodecim cum multis aliis Altariſtis. Sub Decanatu *Marenſſeltz*, Monaſteria duo, *Arreſtein* & *Schonau*, eaque intranea: Extranea itidem duo, *Crovare* & *Brunnenburg*. Parochiæ internæ duæ; intra Rhenum credo; externæ 25. Sub Decanatu *Wetzlar*, qui totus extraneus eſt, & Diœceſis Inferioris, Eccleſiæ Collegiatæ duæ, *Wetzlarienſis* & *Wilburgenſis*: Monaſteria duo, *Ardenberg* & *Schiſenburg*: Parochiæ 62. Decanatus *Heiger*, totus extraneus, ſine ullâ ſpecificatione Parochiarum: Quod etiam fit in Decanatu *Kirchdorff* credo, quia jam inter hæreticos. Decanatus *Dickirchenſis* habet Eccleſias Collegiatas duas, in *Lympurg* & *Dickirch*: Parochias undecim. Totus eſt Diœceſis Inferioris, extranei territorii. Habet Eccleſiam Collegiatam unam *Scobemunden*; Monaſteria duo, *Beſſelog* & *Seligenſtat*. Parochias 17. Atque hæc ſunt, quæ de Treverenſi Diœceſi ab amicis accepi, quæque ad Belgicam ſaltem cis Rhenum attinent.

COLONIENSIS Epiſcopatus

13. Trevirenſem Epiſcopatum à Septentrione, ſecundum Rheni defluxum, COLONIENSIS excipit, ex quo fluvium *Aer* ſibi adjunxit ad *Zinſig*, vicum ſtativis olim Romanis inclytum. Ab eo loco procedit cum Rheno Diœceſis: Coloniam, Noveſium, *Sancten* ubi quondam duæ Romanorum Legiones Quinta & Undeviceſima contra Tranſrhenanos excubabant in caſtris, quæ Vetera dicebantur, & in monte hodie *Vorſtenberg* appellato ſita erant, ut ſuprà dixi. Accedebant reliqua inferiora, Neomagum uſque Geldriæ caput; & ut credo, ad primùm Vahalis cum Moſâ concurſum, ſeu Inſulæ Bommelianæ principium. Inde reflexo in Meridiem itinere & Moſâ jam adverſo, linea fere in Keſſel uſque recurrit; & ſecundum Orientalem Leodienſis Epiſcopatus limitem, à nobis ſupra deſcriptum, per Malmundarium Cœnobium, aduſque Sancti Viti oppidum, Ducatui Luxemburgenſi adſcriptum, in Meridiem protenditur: ac denique in Orientem per Trevirenſis Diœceſis confinia ſupra memorata, in Rhenum ad Aræ fluminis oſtium, & Zenzich oppidum terminatur. Cis Rhenum quidem: Nam quæ trans Rhenum Colonienſis modò Diœceſis ſunt, Imperio Romano extera tunc erant.

Ultrajectẽſis.

14. De ULTRAJECTENSI Epiſcopatu, tametſi & ipſe majore ſui parte extra Rhenum profiliat, quia tamen ad Belgium noſtrum hodiernum attinet, ad hujus libri calcem fuſiùs agam; & quo modo ita coaluerit, exponam.

CAPUT VI.

Chlodovei contra Burgundiones bella.

Annis Chriſti 500. & 501.

Chlodoveus poſt baptiſmum bella gerit.

1. CHlodoveum ſuſcepta Chriſti fides nihil à bellorum ſtrepitu promovendoque regni limite dimovit. imò in confines populos tanto ſpecioſiùs impulit, quanto Arrii labe infectos. Nec verò bellum optanti deeſt unquam occaſio; etiam ultrò ſe offert. Ultrò certè tunc ſe contra Burgundiones obtulit. circa annos Chriſti 499. & 500. Gregorium Turonenſem lib. 2. cap. 32. audiamus.

ANNUS Chriſti 500. Primum in Burgundiones.

2. *Tunc Gundobaldus & Godegiſclus* (ſic enim ſcribunt Manuſcripti omnes Ennodii apud Sirmundum in Epiphanii vitam, pag. 68.) *fratres, regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Maſſilienſi provinciâ retinebant*, lege, *ſine Maſſilienſi provinciâ*: hanc enim tunc Viſigothorum fuiſſe, quæ ſuperiùs inferiuſque dicuntur evincunt. Gundobaldus Lugduni, Genevæ Godegiſclus ſedem habebant, ut in Epiphanii vitâ Ennodius. *Erant autem tam illi fratres Reges, quàm populi eorum* Burgundiones, non ipſi Galli indigenæ, *Arriana ſecta ſubjecti. Cùmque ſe invicem impugnarent*; ut in regno fratrum quoque gratia rara eſt; *audiens Godegiſclus Chlodovei Regis victorias, miſit ad eum legationem occultè dicens: Si mihi ad perſequendum fratrem*

Quorum Reges Gundobaldus & Godegiſclus fratres, diſcordes.

meum præbueris auxilium, ut eum bello interficere, aut de regno ejicere poßim, tributum tibi, quale tu ipſe velis injungere, annis ſingulis diſſolvam. Quod ille libenter accipiens, auxilium ei, ubicumque neceßitas poſceret, repromiſit. Et ſtatuto tempore contra Gundobaldum exercitum commovit, Annum Marius Aventicenſis exprimit, nempe *Patricio & Hypatio Coſs.* qui in annum Chriſti vulgarem 500. incurrunt.

Chlodoveus cædē Chilperici ſoceri ſui ulturus, in Gundobaldū movet.

3. *Quo audito Gundobaldus, ignorans dolum fratris miſit ad eum dicens: Veni in adjutorium meum; quia Franci ſe commovent contra nos, & regionem noſtram adeunt ut eam capiant, ideóque ſimus unanimes adverſus gentem inimicam nobis: ne ſeparati invicem, quod aliæ gentes paſſæ ſunt, perferamus. At ille, Vadam, inquit, cum exercitu meo, & tibi auxilium præbebo. Moventeſque ſimul hi tres exercitum, id eſt Chlodoveus contra Gundobaldum, & Godegiſelus cum omni inſtrumento belli, ad caſtrum cui Divione nomen eſt* (hodie Dijon) *pervenerunt. Confligenteſque ſuper Oſcaram fluvium,* qui Divionem prætèrlabitur, hodie *Ouſche, Godegiſclus Chlodoveo conjungitur: ac uterque exercitus Gundobaldi populum atterit. At ille dolum fratris, quem non ſuſpicabatur, advertens, terga dedit. Fugámque iniit, Rhodanitidéſque ripas percurrens, Avenionem urbem ingreditur,* ubi, ait Marius Aventicenſis in Chronico, *Latebram dedit.* urbem ſcilicet regni ſui ad Meridiem extremam, à Francis certè maximè remotam, & Druentiæ adſitam ut ſi urgeretur, trajecto dumtaxat flumine in Alarici Viſigothorum Regis regio ac tutela eſſet; indéque ſi opus foret, vel Toloſam ad illum, vel Ravennam ad Theodoricum Oſtrogothum effugeret. *Godegiſclus verò obtentâ victoriâ, promißâ Chlodoveo aliquâ parte regni ſui, cum pace diſceßit: Viennamq; triumphans, tanquam ſi jam totum poßideret regnum, ingreditur.* Sic & Marii Chronicon: *Godegeſclus fratrem ſuum Gundobagaudum fugavit, & regnum ipſius tantiſper obtinuit.* ſtatimque ſubjungit:

Hicque primo victus.

Avenionem fugit.

4. *Eo anno, reſumptis viribus, Viennam cum exercitu circumdedit, captaque civitate, fratrem ſuum,* qui ibi victor agebat, *interfecit.* Ita Marius *eodem anno,* Chriſti nempe quingenteſimo, quo victus erat Gundebaldus. Sed Gregorius Turonenſis ejuſdem libri 2. cap. 32. ante eam Viennæ obſidionem nonnulla de Chlodoveo inſerit; priùs ideò audiendus: *Auctis adhuc Chlodoveus Rex viribus, poſt Gundobaldum abiit; ut eum de civitate extractum interimeret.* ſeu minimè ſe victorem ratus, quamdiu hoſtis ſupereſſet; ſeu quod in fratrem Godegiſclum aliquid adhuc moliretur; uti mox patuit, cùm eum Viennæ obſedit. *Quod Gundobaldus audiens, timore perterritus metuebat, ne ei mors repentina ſuccederet. Habebat tamen ſecum virum illuſtrem Aredium, ſtrenuum atque ſapientem ad quem ad ſe accerſitum, ait: Vallant me undique anguſtiæ, & quid faciam ignoro; quia venerunt hi barbari ſuper nos, ut nobis interemptis regionem totam everiant. Ad hæc Aredius ait. oportet te lenire feritatem hominis hujus, ne pereas. Nunc ergo ſi placet in oculis tuis, ego a te fugere, & ad eum tranſire confimulo. Cúmque ad eum acceſſero. ego faciam ut neque te, neque hanc evertat regionem. Tantum ut quod tibi per meum conſilium demandaverit, implere ſtudeas; donec cauſam tuam Dominus proſperam facere ſuâ pietate dignetur. Et ille, Faciam, inquit, quæcumque mandaveris. Hæc eo dicente, valedicens Aredius diſceßit & ad Chlodoveum Regem* obſidentem *abiens, ait: Ecce ego humilis ſervus tuus, piißime Rex, ad tuam potentiam venio*

Aredius ſimulare vult ad Chlodoveum transfugium.

Aredii pro Gundobaldo ſtratagema.

relinquens illum miſerrimum Gundobaldum. Quia ſi me pietas tua recipere dignatur, integrum in me famulum atque fidelem, & tu & poſteri tui habebitis. Quem ille promptiſſimè colligens, ſecum retinuit. Erat enim jocundus in fabulis, ſtrenuus in conſiliis, juſtus in judiciis, & in commiſſo fidelis.

5. Ita per dies pluſculos, conſilio diſſimulato, ſimulac Chlodoveum obſidionis tædio languentem vidit; de eâ ſolvendâ, calliꝺè agere cœpit. De quo ſic Gregorius: *Denique Chlodoveo cum omni exercitu circa muros urbis reſidente, ait Aredius: Si dignanter, ô Rex, gloria celſitudinis tuæ paucos humilitatis meæ ſermones velit accipere, conſilio licet non egeatis, tamen fide integrâ miniſtrabo, idemque vel tibi, vel civitatibus per quas tranſire deliberas, congruum erit. Cur, inquit, retines exercitum, cum loco firmiſſimo tuus reſideat inimicus? Depopularis agros, prata depaſcis, vineas diſſipas, oliveta ſuccidis, omneſque regionis fructus evertis: interim illi nocere nil prævales. Mitte potius legationem, & tributum, quod tibi annis ſingulis diſſolvat, impone: ut & regio ſalva ſit, & tributa diſſolventi perpetuò dominueris. Quòd ſi noluerit, tunc quod libuerit facies. Quo conſilio Rex accepto, hoſtem patria redire jubet ad propria. Tunc miſſâ legatione ad Gundobaldum, ut ei per ſingulos annos tributa impoſita reddere debeat, jubet. At ille & de præſenti ſolvit, & deinceps ſoluturum eſſe ſe promittit.* Hactenus Gregorius. in hoc uno cum Procopio conveniens, quod *Burgundionem victum narrat in ultimas terras ſuas fugiſſe* (nempe Avenionem) *ubi fugienti pleraque erant & validiora ad receptum præſidia: quæ ſola ei ſaluti fuere: ceterum hoſtem potitum.* Sed Procopium a Gregorio diſſidentem, hic audire profuerit; ex lib. 1. Goth.

quo Chlodoveum Avenionis obſidione amovet.

Gundobaldus Chlodoveo tributarius.

Procopius de hoc bello Burgundico paulo diverſa narratio.

6. *Odoacro cadente Thuringi Viſigothique Germanorum* (ſeu Francorum) *vires auctas jam veriti* (*nam Franci & hominum multitudine & robore prævalebant, uſque adeo ut finitimos eum... apertiùs violarent*) *cum Theoderico Oſtrogothorum in Italia Rege, ut fœdera jungerent, ſummo ſtudio petebantur. Sed Theodericus eorum repudiatâ ſocietate, cum his tamen conjugia facere haudquaquam dedignabatur. Tunc itaque Viſigothorum Duci Alarico Teudetuſam filiam ſuam deſpondit adhuc virginem: Hermenefrido autem Thuringorum Principi Amalabergam Amalafridæ ſororis filiam nuptui tradit. Quo factum, ut Franci, alienam in ſe violentiam veriti, a Theoderico* (forte Alarico) *ne hunc* Theodericum *bello per id tempus inceſſerent, abſtinendo, Burgundiones oppugnatum mox ierint.* credo ut debiliores; & quia Godegiſclus clam invitabat. Chlodoveus tamen, quò Theodericum non irritaret, ſed potiùs ſibi devinciret; illum in belli partem, & regni Burgundici diviſionem priùs invitandum duxit. Sic enim pergit ibidem Procopius:

Thoringi & Wiſigothi cum Theoderico Italiæ Rege contra Francos junguntur,

ſed affinitate tantum.

7. *Inter Francos deinde & Oſtrogothos in Burgundionum malum fœdus pactionéſque fiunt: hac lege; ut utrique in hos copias mitterent: & utri eorum, alteris in expeditionem euntibus, Burgundionum gentem evertentibus, & ipſorum terras in ſuam poteſtatem redigentibus, à conventis deficerent; victores ipſi ab his, qui ſecum non militaſſent, certum auri pondus acciperent. Sic bello res captas utrique communes fore. Germani igitur ſeu Franci, ingentibus copiis, pro initis invicem conventionibus, adverſus Burgundiones jam prodeuntibus; Theodericus verbo quidem ad expeditionem ſe præparare; de induſtria tamen tempus in belli eventum extrahere, futuram fortunam opperiri. Vix tandem exercitu miſſo, Præfectis imperat, iter ut ſegniter facerent.*

Nam Oſtrogothi cum Francis in Burgundiones arma jungunt dolose, ut videtur.

Bellum infert Theodorico.

ſi Fran-

ſi Francos victores viderint, tunc prorſus iter accelerarent; ſin contra victos, haudquaquam ultra progrederentur. credo ne aſſinem ſibi jam fœderatumque Burgundionem Gundobaldum irritaret; Francis potius ceu potentioribus ac periculoſioribus malè volens.

Francis in Burgundiones verſis & victoribus.

8. *Franci interea cum Burgundionibus ſoli manus conſeruêre. & cum bellatum naviter eſſet, magna utrimque fit cædes: nam pede collato ad multum diei geſtum eſt prælium. Sed Franci demum hoſtes in fugam actos, in ultimas illorum terras fugarunt,* nempe Avenionem: *ubi fugientibus pleraque eáque validiora ad receptum præſidia ſalutis fuêre. Ceterùm Franci potiti. Hac intellectâ Gothi victoriâ, quàm celerrimè ad ſocios victores accurrunt. & ab his increpiti, quòd prælio non adfuiſſent, locorum difficultates cauſabantur; paratos ſe pactam pro pœnâ pecuniam ſtatim dependere. eâ ergo depensâ, terras ex hoſte captas, ut conventum antea fuerat, cum victoribus partiuntur. Quâ in re cognita Theoderici prudentia eſt, qui ſine ulla ſuorum jacturâ, modico auro perſoluto, hoſtium ſibi loca paraverit. Hac viâ Gothi Germanique Galliæ ſunt in partem potiti.*

Theoderici Oſtrogothi vafrities.

Quid è Burgundionum regno Gothis, quid Francis obtigerit, nec Procopius nec alii dicunt. Oſtrogothis nihil commodè obtingere potuerit, niſi quod Alpibus Italiæque, in qua agebant, contiguum erat: cujuſmodi erant Alpes Cottiæ, aut aliæ. Similiter & Francis obvenerint veriſimiliter Lingones, Nivernenſes, & finitimi; unde & Godegiſclum victorem, Viennæ non Lugduni agitaſſe, notat ſupra Gregorius Turonenſis. præterquam quod tributo ſe illis tam Godegiſclus quàm Gundobaldus obſtrinxerint. Atque hæc omnia, *ante bellum à Chlodoveo adverſus Alaricum intentatum,* mox diſertè ſubdit Procopius; & ex eo Sigonius, Papyrius & alii.

Novum Burgundionum Regū inter ſe bellum. eodem Anno Chriſti 500.

9. Sed non diu res eo ſtatu manſere. Quippe *eodem anno* quo *Gundobagaudus* primùm victus Avenione latebat, ait Marius in Chronico, *ipſe reſumptis viribus, Viennam cum exercitu circumdedit: captâq; civitate fratrem ſuum interfecit.* Quod non ſine Chlodovei contemptu fecit. De quo ita Gregorius lib. 2. cap. 33. *Gundobaldus reſumptis viribus, jam deſpiciens Regi Chlodoveo tributa promiſſa diſſolvere contra Godegiſclum fratrem ſuum exercitum commovit; eúmque apud Viennam civitatem incluſum obſedit. Verum ubi minori populo alimenta deficere cœperunt; timens Godegiſclus ne ad ſe uſque fames extenderetur, juſſit expelli minores populi ab urbe. Quo facto expulſus eſt inter ceteros artifex ille ab urbe, cui de aquaductu cura manebat. Ille verò indignans quod fuerat ejectus ab urbe cum ceteris; ad Gundobaldum furibundus vadit; indicans qualiter civitatem irrumpens, ultionem exerceret in fratrem. Illo igitur duce, exercitum Gundobaldus per aquaductum dirigit; & multis cum ferreis vectibus præcedentibus, ſpiraculum illius lapide magno concluſum, vectibus illis per magiſterium artificis repellit, & in civitatem introit. Illis autem,* Godegiſclianis ſcilicet, *de muro ſagittantibus* contra Gundobaldianos obſidentes; hi qui per aquæductum irruperant, *terga premunt. Datóque de medio civitatis ſono buccinæ, obſidentes portas capiunt; apertiſque iis pariter ingrediuntur. Cúmque inter duas has acies populus urbis ab utroque exercitu cæderetur, Godegiſclus ad Eccleſiam hereticorum confugit: ibique cum Epiſcopo Arriano interfectus eſt. Denique Franci qui apud Godegiſclum erant, in unam ſe turrim*

Quo Godegiſclus à fratre Viennæ obſeſſus,

& denique cæſus.

congregant & Gundobaldus juſſit ne uni quidem ex ipſis aliquid noceretur. ſed adprehenſos eos Toloſæ in exilium ad Alaricum Regem (cujus ſcilicet ſocietate & ope juvabatur) *tranſmiſit: interfectis Senatoribus Galliæ Burgundionibúſque, qui Godegiſclo conſenſerant. Ipſe verò regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in ſuo dominio reſtauravit.* Credo armis primùm: mox etiam Theoderico Italiæ ſimul & Alarico Viſigothorum Regibus ita adnitentibus; ut Chlodoveus pacem dare coactus fit: præſertim cùm & ipſe Theodericus à ſe Gundubaldo parta reddidiſſet: Unde ſubdit Gregorius: *Burgundionibus leges mitiores* Gundobaldus, nempe jam pacificus, *inſtituit; ne Romanos,* Gallos ſcilicet paulò antè Romano imperio ſubditos, *opprimerent.* Eas leges *Lugduni datas Abieno Conſule,* anno 501. *quarto Kalendas Maii, anno regni ſecundo;* ex quo ſcilicet Monarchiam Burgundicam Gundobaldus obtinuerat; Codex ipſe legum Burgundicarum teſtatur aptiſſimè.

Gundobaldus Burgundionum monarcha.

& Legiſlator.

10. Nullo inde Chlodovei bello Gundobaldus impetitus eſt. imò tantâ videtur illi amicitiâ ſocietateque conjunctus, ut cum illo in belli contra Alaricum Wiſigothum partem venerit, ſtrenuamque in eo operam navaverit. quod ſequentia manifeſtant. Hinc quod in Turonenſi de crebris illius cum Avito Viennenſi Epiſcopo colloquiis, ac de Arrianâ hæreſi diſputationibus ſubditur; plenam quietem & ſolidam in regno confirmationem evincit. De quo ſic Gregorius cap. 34. *Cùm autem cognoviſſet aſſertiones hæreticorum nihil eſſe à ſancto Avito Epiſcopo Viennenſi; Chriſtum filium Dei, & Spiritum Sanctum æqualem Patri confeſſus, clam ut chriſmaretur expetiit. Cui ait Sacerdos, Si verè credis hoc, quod nos ipſe Dominus edocuit, exequere. Ait autem: Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cælis. qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, &c. Tu vero cùm ſis Rex, & a nullo adprehendi formides, ſeditionem populi paveſcis, ne creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc ſtultitiam; & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe, &c. Si ad bellum proficiſcaris, tu præcedis & caterva ſubſequuntur: Unde melius eſt ut te præcedente cognoſcant veritatem, quàm te pereunte permaneant in errore. Iſtâ ille ratione confuſus, tamen uſque ad exitum vitam in hac inſaniâ perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri. Magna enim facundia erat tunc temporis Beatus Avitus.*

Imò & Chlodoveo junctus.

Fereque ex Arriano Catholicus.

S. Avitus Viennenſis Epiſcopus, valde eloquens.

11. *Namque inſurgente hæreſi apud urbem Conſtantinopolitanam, tam Eutychetis quam Sabellii, quæ docet nihil divinitatis habuiſſe D. N. Jeſum Chriſtum; rogante Gundobaldo Rege, ipſe contra eas ſcripſit. Extant exinde nunc apud nos Epiſtolæ admirabiles; quæ ſicut tunc hæreſim oppreſſerunt, ita nunc Eccleſiam Dei ædificant. Scripſit etiam homiliarum librum unum, de Mundi principio, & de diverſis aliis conditionibus libros ſex verſu compaginatos: Epiſtolarum libros novem, inter quas ſupradictæ continentur Epiſtolæ. referens in quadam Homilia quam de Rogationibus ſcripſit, has ipſas Rogationes, quas ante Aſcenſionis Domini triumphum celebramus, à Mamerto ipſius Viennenſis urbis Epiſcopo, cui & hic eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe, dum urbs illa multis terreretur prodigiis. Per cunctas inde provincias diſperſa facti fama, ceteros Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide. Quæ uſque nunc in Chriſti nomine per omnes Eccleſias in compunctione*

Contra Eutychetis & Sabellii hæreſim ſcribit.

Ejus varia opera à Sirmundo noſtro edita.

cordis & companétione ſpiritus celebrantur. Hæc Tnion.

ANNUS Chriſti 502. S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ab Alarico Wiſigotho relegatus.

12. Ceterùm reſtitutus Gundobaldus ad tantam pervenit potentiam, ut etiam Viſigothis ſui terrorem incuſſerit. Cùm enim anno Chriſti 502. Cæſarius Arelatenſis dictus eſſet Epiſcopus, *poſt aliquos ſuis Epiſcopatus dies*, ait in ejus Vitâ Cyprianus illius Diaconus, ad Alaricum delatus eſt, quod natus in *Galliis*, nempe Cabillone Burgundionum orbe, *ditionem & urbem Arelatenſem Burgundionibus prodere conaretur.* Unde & Burdegalam relegatus eſt. Sed mox innocens repertus, & in Sedem remiſſus, *Synodum Agathenſem quinto Kal. Sept. Meſſala Cos. anno Alarici Regis 22.* qui eſt Chriſti 506. habuit. In ea comparent plerique Druentiam inter & mare Epiſcopi; ut ipſe *Cæſarius*, item *Julianus Avennica* (quod miror, niſi ex occaſione viciniæ venerit) *Victorinus Forojulii, Pentadius de Dinia, Marcellinus de Sanctio, Agroecius de Antipoli.* Aquitaniarum plerique omnes, & *Verus Turonicus* tametſi exul, *per Leonem Presbyterum.* Dixi autem me mirari Avennicæ Epiſcopum, cum Viſigothis hîc comparere; quia Avenionem Gundobaldi Burgundionumque paulò antè vidimus: ſicut & undecim poſt hæc annis, Chriſti 517. in Epaonenſi videmus *Agapito Cos.* habitâ. Ibi enim *Salutaris Avennica* ſubſcribit, item *Philagrius Cabellica, Valerius Segeſterica, Catullinus Ebredunenſis*, qui omnes Epiſcopi ad Druentiam fluvium ſunt. ut fluvium illum appareat, à dextra Burgundionum, à ſiniſtra Gothorum fuiſſe. Notandum verò maximè pro Francorum limite, eadem Epaonenſi ſubſcripſiſſe *Gregorium Lingonenſem, & Tauricianum Nivernenſem Epiſcopos.* ut eos conſtet tunc Burgundionum quoque fuiſſe non Francorum.

ceu Burgundionibus ſaveus.

Reſtitutus, Synodum Agathenſem habet. ANNO Chriſti 506.

Cui interſunt varii Epiſcopi.

S. Quintianus Rutenorū Epiſcopus, ceu Francis victoribus ſavens, exul.

13. Ceterùm Gregorius cap. 36. cùm Quintianum Rutenorum Epiſcopum narrat à Rutenis expulſum, quòd eos Francorum ditionibus ſubjugare vellet; putavi ſubinde pro *Francorum*, reſtituendum *Burgundionum.* longè enim à Rutenis diſſiti tum erant Franci. Sed adverti, Francos Avenionem uſque Gnodobaldum inſecutos; aptéque eo tempore Rutenis ac Viſigothis Francorum terrorem incuti potuiſſe. quo etiam metu binos Turonorum Epiſcopos Voluſianum ac Verum Viſigothi in exilium emiſerunt; ut pluribus Turon. li. 10. cap. ultimo.

CAPUT VII.

Chlodovei in Alaricum VViſigothorum Regem expeditio.

Anno Chriſti 507.

ANNUS Chriſti 507. Chlodove° ob potentiā vicinis Regibus ſuſpectus. Lib. 2. c. 35.

1. SUſpecta jam erat Chlodovei potentia; Regéſque vicinos magno ſui metu percellebat: prorſus ut illi aut mutuis inter ſe adverſus illum fœderibus jungerentur: aut omni eum officii genere devincire ſtuderent. Inter hos Viſigothorum Regem Alaricum extitiſſe, teſtatur Gregorius: *Alaricus*, ait, *Rex Gothorum cùm videret Chlodoveum Regem gentes aſſiduè debellare; Legatos ad eum dirigit, dicens: Si frater meus velit, inſederat animo, ut nos Deo propitio pariter videremus. Quod Chlodoveus non reſpuens, ad eum venit. Conjunctiq; in Inſulâ Ligeris, quæ erat juxta vicum Ambacienſem territorij urbis Turonicæ, ſimul locuti, comedentes pariter ac bibentes, promiſſâ ſibi amicitiâ pacifici diſceſſerunt.* Viſigothorum quidem tunc erat Turonica civitas, & Ambacia: ſed vicina iſta Ligeris Inſula haud dubiè, in Gothici Francicique regni confinio jacebat, neutrius fortè dominio ſubjecta. unde neuter altri decoliſſe videri poterat: quaſi prior & timidior acceſſiſſet. Nec adeò tamen profuit ad concordiam illud colloquium; quando Rex uterque ex parvâ contentione verborum ad arma proſiliit.

Unde Alarici cum eo ad Ambaciam colloquium.

Nullo fructu. quia mox ſe impetunt.

Theodoric° Italiæ Rex eos conciliare nititur, diverſis epiſtolis.

2. Theodericus Italiæ Rex utrique affinis, utrumque ad priſtinam concordiam reducere niſus eſt: ratus haud dubiè quod res erat, eò graviorem ſibi victorem fore, quò potentiorem. ergo literas & Legatos ad eos miſit: quas refert Caſſiodorus lib. 3. Variar. ad Alaricum quidem in hæc verba: *Alarico Regi Viſigothorum Theodericus Rex. Quamvis fortitudini veſtra confidentiam tribuat parentum veſtrorum innumerabilis multitudo; & Attilam potentem reminiſcamini Viſigothorum viribus inclinatum: tamen quia populorum ferocia corda longâ pace molleſcunt; cavete ſubitò in aleam mittere, quos conſtat tantis temporibus exercitia non habere. Suſtinete, donec ad Francorum Regem Legatos noſtros mittamus, & litem veſtram amicorum judicia amputent. Inter duos nobis affinitate conjunctos nolumus aliquid tale fieri, unde unum minorem contingat forſitan inveniri. Non vos parentum fuſus ſanguis inflammat: non graviter urit occupata provincia. adhuc de verbis parva contentio eſt. facillimè tranſigetis, ſi non per arma veſtros animos irritetis.* Ad Chlodoveum autem ſic: *Luduin Regi Francorum Theodericus Rex: Miramur animos veſtros ſic cauſis mediocribus excitatos, ut cum filio noſtro Alarico Rege duriſſimum velitis ſubire conflictum: ut multi qui vos metuunt de veſtra concertatione lætentur. Ambo eſtis ſummarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leviter regna veſtra quaſſatis, ſi datô partibus libertate confligitis. Impatiens ſenſus eſt, ad primam legationem protinus arma movere. à propinquis quod quæritur, electis Judicibus expetatur. Abjicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium. jure patris vobis interminor, & amantis. Ille nos & amicos noſtros patietur adverſos, qui talia monita crediderit eſſe temnenda. Quamobrem ad Excellentiam veſtram Legatos noſtros miſimus: per quos etiam ad fratrem veſtrum filium noſtrum Regem Alaricum ſcripta noſtra direximus, ut nullatenus inter vos ſcandala ſeminet aliena malignitas ſed in pace perſeverantes controverſias veſtras amicis arbitris finiatis.* Nihil iſtis litteris, nihil Legatis effecit Theodericus; Alarici an potiùs Chlodovei contumaciâ.

Tum ad Luduin ſeu Chlodoveū Francum.

Etiam ad Gundobaldum Burgundionē.

3. Quare Theodoricus ne quid intentatum relinqueret, adhuc ad Gundobaldum Burgundionum Regem alios Legatos cum litteris miſit; ſi quid fortè per illum utrique vicinum proficeret. Sed nec ille quicquam præſtitit, ſeu auctoritatis defectu, ſeu, quod poſtmodum eluxit, in Chlodoveum pronior. *Gundobado Regi Burgundionum Theodericus Rex. Legatos noſtros ad fraternitatem tuam mittimus ut ſi filio noſtro Alarico viſum fuerit, ad Regem Francorum cum conjuratis nobis gentibus eant: ut cauſa, quæ inter eos vertitur, amicis arbitris reſcindatur. Convenit enim tantos Reges non inter ſe lamentabiles rixas quærere, ut de ſuis nos poſſint caſibus fauciare.*

Quamobrem fraternitas veſtra, adhibita mecum ſtudio, eorum utatur vero ... concordiam: quia nemo poteſt credere, ſine noſtra voluntate illos ad hæc prælia perveniſſe, niſi omnino pateat, nos potiùs, ne ad eo ſlictum veniant, contendiſſe.

Denuque ad Warnorum Herulorúmque Reges contra Chlodoveum

4. Cùm h... ibus nihil flexus Chlodoveus, bellum in Alaricum moliri pergeret; nova quoque conſilia Theodericus tentare non deſtitit. Francis trans Rhenum à Septentrione Warni ſeu Guarni & Heruli, ab Orientem Thuringi confines erant; jam ſatis potentes, & geſtis militaribus inclyti. Hos in pertinaciorem Chlodovæum incitare litteris ſimilibus inſtituit. *Herulorum Regi, Guarnorum Regi, Thuringorum Regi Theodericus Rex,* tribus ſcilicet regibus iſtis tres quidem, ſed eodem tenore ſermoneque reſcripſit. *Superbiam divinitati ſemper exoſam perſequi debet generalitatis aſſenſus. Nam qui vult opinabilem gentem voluntariâ iniquitate ſubvertere, non diſponit ceteris juſta ſervare. Peſſima conſuetudo eſt, deſpicere veritatem. Credit ſibi omnia cedere, ſi elatum contigerit in abominabili certamine ſuperare. Et ideo vos, quos conſcientia virtus erigit, & conſideratio deteſtabilis præſumptionis accendit; legatos veſtros una cum meis & fratris noſtri Gundibadi Regis ad Francorum Regem Ludovicum deſtinate: ut aut ſe de Viſigotharum conflictu conſideratâ æquitate ſuſpendat, & leges gentium quærat; aut omnium patiatur incurſum, qui tantorum arbitrium judicat eſſe temnendum. Quid quærit ultra, cui offertur abſoluta juſtitia? Dicam plane quod ſentio. Qui ſine lege vult agere, cunctorum diſponit regna quaſſare. Sed melius eſt, ut inter initia, pernicioſa reprimatur aſſumptio, ut ſine labore perficiatur omnium, quod certamen eſſe poterat ſingulorum. Recolite namque Eurici ſenioris affectum; quantis vos juvit ſemper muneribus; quoties à vobis proximarum gentium imminentia bella ſuſpendit. Reddite filio ejus gratiam, quam tantum agnoſcitis veſtris utilitatibus attributam. Nam ſi tanto regno aliquid prævaluerit, vos aggredi ſine dubitatione præſumet. Quapropter excellentiam veſtram Epiſtolari ſermone ſalutantes, per legatos noſtros illum & illum præſentium portitores, verbo vobis aliqua dicenda commiſimus. ut vos, qui noſtrum ſequimini Deo juvante diſpoſitum, unus complectatur aſſenſus: & foris hoc agatis, ne in veſtris provinciis dimicare poſſitis.*

Caſſiod. l. 3. var. ep. 3.

Qui in bello gerendo pertinacior.

Eurici Wiſigothi nupera in Warnos Herulosque beneficia.

Fruſtra omnia.

5. Hæc ad ternos iſtos Reges Theodericus, quibus ſanè moveri, & maturè ſibi providere debuerint. Se tamen moviſſe non videntur; adeo viciooe omnes continebat Chlodovei Regis acrior felixque potentia. Sed eos fortè ipſe aut fœdere prævenerat; non ignarus ſibi, dum Alaricum impetit, à tergo imminere poſſe, periculumque creare: aut ſuos ab ea parte limites validis præſidiis inſederat. Quare nullo ab iis metu, totis propè viribus in Alaricum, quantumcumque fremente Theoderico, movere non ceſſavit, donec eum vitâ primùm, mox poſteros ejus etiam regno exuerit. Adeo vaſtum ejus animum occuparat aut dira novi regni libido, aut ardens in Arrianos Gothos odium. Hoc enim unicam aut præcipuam belli cauſam memorat Gregorius l. 2. c. 32. dum ſcribit: *Chlodoveus Rex ait ſuis: Valde moleſtè ferò, quod hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio, & ſuperatis redigamus terram in ditionem noſtram. Cúmque placuiſſet omnibus hic ſermo commovit exercitum.*

quia Chlodoveus Arrianis averſus.

6. Sanè S. Remigio non diſplicuiſſe bellum hoc teſtatur illius ad Chlodoveum ipſum hoc tempore ſcripta Epiſtola: *Domino inſigni & meritis magnifico, Chlodoveo Regi, Remigius Epiſcopus. Rumor ad nos magnus pervenit, adminiſtrationem vos ſecundam rei bellicæ ſuſcepiſſe. Non eſt novum, ut cœperis eſſe, ſicut parentes tui ſemper fuerunt. Hoc inprimis agendum, ut Domini judicium à te non vacillet, ubi tui meritis, qui per induſtriam humilitatis tuæ, ad ſummum culmenis pervenit. quia quod vulgo dicitur, ex fine actus hominis probatur. Conſiliarios tibi adhibere debes qui famam tuam poſſint ornare. Et beneficium tuum caſtum & honeſtum eſſe debet; & Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum conſilia ſemper recurrere. Quod ſi tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius poteſt conſtare. Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri; ſi potiùs eſt quam erudies, ut omnes te ament & timeant. Juſtitia ex ore veſtro procedat; nihil ſit ſperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, ut nullus exinde triſtis abſcedat. Paternas quaſcumque opes poſſides, captivos exinde liberabis, & à jugo ſervitutis abſolves. Si quis in conſpectu veſtro venerit, peregrinum ſe eſſe non ſentiat. Cum juvenibus jocare, cum ſenibus tracta, ſi vis regnare, nobilis judicari.*] Hæc ad Chlodoveum Remigius: quæ ille ſanctè præſtitit in hoc bello, ut ſcripta ad Epiſcopos in hanc rem Epiſtola teſtatur, quam Sirmundus noſter rectè ab Synodi primæ Aurelianenſis textu avulſam, priori potiùs S. Remigii ſubnectendam duxit, quam ibi vide. Tom. 1. Conc. Gall. pag. 176.

Nec S. Remigius improbat.

7. Franci igitur (ait Procopius primo Gothic.) Theoderici nullâ ratione habitâ, & priore illâ ejus formidine neglectâ, adverſus Alaricum & Viſigothos duxerunt exercitum. Pictavos tendunt (verba Turon. lib. 2. cap. 37.) ubi tunc Alaricus commorabatur. Sed quoniam pars Francorum per territorium Turonicum tranſibat, pro reverentia B. Martini dedit edictum, Ut nullus de regione illâ aliud, quàm herbarum alimenta aquamque præſumeret. Quidam autem de exercitu, invento cujuſdam pauperis fœno, ait, Nonne Rex herbam tantùm præſumi mandavit, & nihil aliud? Et hoc inquit, herba eſt. non enim erimus tranſgreſſores præcepti ejus, ſi eam præſumimus. Cumque vim faciens pauperi, fœnum vi abſtuliſſet; factum pervenit ad Regem. Qui dicto citiùs eo perempto, ait: Et ubi erit ſpes victoriæ, ſi Beatus Martinus offenditur? ſatisque fuit exercitui, nihil ab hac regione præſumere. Ipſe verò Rex direxit nuntios ad beatam Baſilicam, dicens: Ite, & forſitan aliquod victoriæ auſpicium ab æde ſanctâ ſuſcipietis. Tunc datis muneribus quæ loco ſancto exhiberent ait: Si tu Domine adjutor mihi es, & gentem hanc incredulam, ſemperque æmulam tibi, meis manibus tradere decreviſti; in ingreſſu Baſilicæ S. Martini dignare propitius revelare, ut cognoſcam quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus juxta imperium Regis, dum ſanctam ingrederentur Baſilicam, hanc antiphonam ex improviſo primicerius qui erat incepit: Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum: ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti. Quod ſatellites audientes, & Dño gratias agentes, & vota beato Cōfeſſori promittentes, læti nuntiaverūt Regi]

In Pictavos, per Turonas movet Chlodove[us].

Quibus in honorem S. Martini noceri prohibet.

& ipſi ſe ducunt.

Turonos igitur ultro Chlodoveo ſe dediſſe, dicendum eſt; quando nulla ejus in illos vis apparet.

Ille ad fluvium Vigennam hæret.

8. Porrò ille cùm ad fluvium Vigennam cum exercitu adveniſſet, per quem locum tranſire deberet, penitus ignorabat. intumuerat enim ab inundatione pluviarum. Cumque illâ nocte Dominum deprecatus fuiſſet, ut ei vadum quò tranſire poſſet dignaretur oſtendere; mane facto, cerva miræ magnitudinis ante eos nutu Dei flumen ingreditur. illaque vadante, populus quò tranſire poſſet, agnovit. Veniente autem Rege apud Pictavos, dum eminus in tentoriis commoraretur: pharus ignea de Baſilicâ S. Hilarii egreſſa, viſa eſt ei tanquam ſuper ſe advenire; ſcilicet ut lumine beati Confeſſoris adjutus Hilarii, liberiùs hæreticas acies, contra quas ſæpe idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret. Conteſtatus eſt autem omni exercitui, ut nec ibi quidem, aut in viâ aliquid ſpoliarent, aut res cujuſquam diriperent. Pergit narrare de S. Maxentio Abbate, quomodo cellam egreſſus, ut prædas impediret, pene unius gladio percuſſus ſit; ni manus hujus primo diriguiſſet. Maxentius manum ſanavit, & monaſterium eo miraculo à vaſtatione liberavit.

donec vadum Cervæ indicio reperit.

Pictavos etiam conſervat,

in honorem S. Hilarii.

CAPUT VIII.

Prælium Vocladenſe. Chlodovei victoria; & quæ eam ſecuta.

Annis Chriſti 507. 508.

Alaricus Chlodoveo ad Pictavos ſe opponit.

1. INterea *Viſigothi* (interſerit hîc Procopius primo Gothic. pag. 268.) *poſtquam Germanos* ſeu Francos *circa Pictavos* (non Carcaſſionem, ut vulgo legitur) *caſtra habere certiores ſunt redditi; confeſtim iis obviam eunt; & poſitis caſtris quieti ſe continent. Sed cùm temporis plurimum contriviſſent; tædere cœpit inertiæ; ægrè ferre per hoſtes ſua loca vaſtari, & in prædam omnia agi. Alaricum proinde contumeliâ & probris inceſſere, & quod hoſtes reformidaret odiſſe: ſuis Ducis cunctationem & ſegnitiem criminari: identidem affirmare, poſſe ſe, & ſolos quidem, Germanos bello pervincere. Unde ſuorum importunitate victus Alaricus, etſi haud dum præſentibus Oſtrogothis, quos à Theoderico petierat & expectabat, cogitur in aciem deſcendere.* Procopius.

donec à ſuis ad pugnam cogitur.

Pugna in campo Vocladenſi.

2. Pergit Gregorius: Chlodoveus cum Alarico in campo Vocladenſi, decimo ab *urbe Pictava milliario convenit*, & conflixit *ſuper fluvium Clinno*, addit Epit. 1. cap. 17. qui etiamnum dicitur *Clain*; Pictavosque urbem præter lapſus ac Vigennæ junctus, tandem Ligerim Turonas inter & Andegavos init. *Et confligentibus his eminus, reſiſtunt comminus illi. Cùmque ſecundùm conſuetudinem Gothi terga vertiſſent, ipſe Rex Chlodoveus victoriam Domino adjuvante obtinuit. Habebat autem in adjutorium ſuum, filium Sygiberti claudi, nomine Chlodericum. Hic Sygibertus pugnans contra Alamannos apud Tulbiacenſe oppidum, percuſſus in geniculo claudicabat. Porro Rex fugatis Gothis, cùm Alaricum Regem interfeciſſet; duo Gothi ex adverſo ſubitò advenientes, cum contis utraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ, quàm velocis equi, ne periret exemptus eſt. Maximus ibi tunc Arvernorum populus, qui cum Apollinare*, Sidonii Epiſcopi filio *venerat, & primi qui erant ex ſenatoribus corruerunt. De hac pugnâ Amalaricus filius Alarici in Hiſpaniam fugit, regnúmque patris ſagaciter occupavit.* Hucuſque Gregorius.

quâ vicit Chlodoveus; & Alaricum interfecit.

Maximus ibi Arvernorũ cædes, cum Apollinare Sidonii filio.

3. Iſidorus in Chronico Gothorum: *Rexit Alaricus annis 23. Cúmque à pueritiâ vitam in otio & convivio peregiſſet, tandem provocatus à Francis, in regione Pictavenſis Urbis prælio inito, extinguitur. Eo interfecto regnum Toloſanum occupantibus Francis deſtruitur. Era DXLV. anno 17. Anaſtaſii Imperatoris. Geſelicus ſuperioris Regis ex concubinâ filius, Narbonæ Princeps efficitur, & regnavit annis quatuor.* Steterit Toloſanum iſtud regnum annos omnino 88. ſi ab anno Chriſti 419. quo Wallia inductus eſt, ad hunc uſque 507. deducitur, quem ſcilicet & Alarici annus 23. & Anaſtaſii Imperatoris 17. & era 545. certo deſignant. Porro ex duobus Alarici filiis, Amalaricus, legitimus ex Theoderici Regis filiâ Oſtrogotho genitus, Hiſpaniam occupavit, ibique regnum Viſigothorum inſtauravit. Alterum ex concubina nothum, *Viſigothi qui prælio ſuperfuerant, Geſalicum ſpurium Alarici filium Principem ſibi dicunt; quod Amalaricum ex Alarico & Theoderici filiâ natum* (ait cum Iſidoro Procopius) *puer admodum eſſet.* & Galliis inſuper relictis in Hiſpaniam fugiſſet. Geſalicus igitur in Galliâ primùm Narbonæ manſiſſe videtur; *ſicut genere viliſſimus, ita & infelicitate & ignaviâ ſummus.* à Gundebaldo Burgundionum Rege inde mox exactus.

Toloſanũ Wiſigothorum regnum quo anno deſierit nempe 507.

4. Partâ quippe victoriâ Vocladenſi Chlodoveus, victrices copias ſuas, quò celeriùs reliqua belli patraret, trifariam diviſit. Unâ earum parte Chlodoveus ipſe è Vocladenſi campo profectus, quæ ex Aquitanico Gothorum regno Oceanum attingebant, invaſit, Burdegalam uſque penetravit; ſuam fecit; *& hyemem ibi agens* (verba Gregorii) *cunctos theſauros Alarici à Toloſâ auferens, Engoliſmam venit. Cui Dominus tantam gratiam tribuit, ut in ejus contemplatione muri ſponte corruerent. tunc excluſis Gothis urbem ſuo dominio ſubjugavit.* Alteram virium partem *Theoderico filio ſuo* ex concubinâ, ut ſuprà, jam antè ſuſcepto, tradidit; *cúmque* ad Orientaliora, *Per Albigenſem ac Rutenam civitatem ad Arvernos direxit. Qui abiens urbes illas à finibus Gothorum, uſque Burgundionum terminum, patris ſui ditionibus ſubjugavit.* Omnem videlicet Aquitaniam primam in quâ præter populos nominatos, inerant quoque Bituriges, Lemovices, Cadurci, Gabali, & Velauni. Tertiâ copiarum parte, confœderatâ magis quàm propriâ, Narbonam & finitima pervaſit, Duce Gundobaldo Burgundionum Duce, quem ſeu ante ſeu poſt Vocladenſe prælium, in ſuas partes velut ad prædæ participationem attraxit; revera ut hoſtes ſuos inter ſe callidè commiſſos, mutuis bellis attereret. Id enim ut minimum, exigit Iſidorus, cùm *Narbonam à Gundobaldo Burgundionum Rege direptam; & Geſalicum inde, cum multâ ſui dedecore, & ſuorum clade exactum apud Barcinonam ſe contuliſſe* memorat: *ubique moratum, quouſque regni faſcibus à Theoderico, fuga ignominiâ, privaretur, & in Africam ad Vandalos transfugeret.* anno regni ſui quarto, ut antea dixeras, Chriſti 510. ut Victoris Tunnunenſis marginalia ſuggerunt, *Boetio V. C. Conſule.*

Burdegalã & Toloſam capit Chlodoveus, & Engoliſmã.

Theodoricus ejus filius Albigenſes, Rutenos, Arvernos; uſque ad Burgundiones.

Gundebaldus Burgundionũ Rex, Chlodoveo auxilians, Narbonem capit.

Unde pulſus in Africam fugit.

5. Geſalico Narbone depulſo, ſub initia anni

Chriſti

Annus Chriſti 565. Theodoricus Carcaſſonam, Gũdobalus Arelatum obſediſſe videntur.

Chriſti 508. Chlodovei filius Theodoricus, & Gundobaldus uterque victor, ita (quantum perſpicio) convênere; ut Carcaſſonam Theodoricus cum Francis, hic cum Burgundionibus ſuis Arelatum obſiderent. Arelatenſem certè Maſſilienſemque provinciam Burgundioni velut in victoriæ præmium relictam, res ipſa & terræ ſitus arguit. Quid enim Burgundo optabilius, quid utilius, quam regnũ à Druentiâ fluvio in mare producere? *Carcaſſionem* autem *urbem à Francis Alarico caſo ſtatim obſeſſam*, diſertè tradit Procopius; additque rationem, *quod in eâ conditas eſſe regias opes accepiſſent, quas Alaricus quondam ſenior* (ante annos 97.) *cùm Romam cepiſſet, abſtulerat. in iis Salomonis fuiſſe pretioſiſſimam ſupellectilem, ſpectatu digniſſimam; ut quam ingentis pretii gemmis ornatam Romanos Hieroſolymis olim advexiſſe ferebant.* Sed Alarici theſauros Toloſa ablatos monuit paulò antè Gregorius. Et ego Procopium nonnihil hic turbari turbareque video.

Theodoricus Italiæ Rex in Francos victores exercitum mittit.

6. Dum hæc in Galliis fiunt, Italiæ Rex Theodericus Oſtrogothus, generum Alaricum à Chlodoveo & Francis oppreſſum ægerrimè ferens; ne tanta vitium acceſſione ſibi graviores evaderent, ſimul popularibus ſuis Viſigothis opem laturus; *Venantio juniore & Celere Coss.* (ait in Chronico Caſſiodorus, id eſt hoc anno Chriſti 508.) *contra Francos deſtinat exercitum*: & ut apud eumdem Caſſiodorum var. lib. 1. ep. 24. legitur, Gothos ſuos monet, *ut in Dei nomine, more ſolito, armis, equis, rebuſque omnibus neceſſariis ſufficienter inſtructi, octavo die Kalendarum Juliarum in Gallias moverent.*

Junii die 24.

quod & factum. Eo nuntio Franci, *Carcaſſionenſem obſidionem trepidanter ſolverunt* (ait Procopius ſuprà) *indéque profecti, Galliarum eam, quæ præter Rhodanum flumen eſt, & in mare vergit, regionem occupant.* Nempe eam quæ modò *Provincia* dicitur (nam reliqua fere in Occidentem in Oceanumque Aquitanicum vergentia jam Chlodoveus occupaverat) quamquam nec eam totam, ſed Arelato vicinam, quam jam antè Burgundiones obſidebant.

Burgundiones & Frãci Arelatum obſident.

Exiſtimo igitur Theodoricum Chlodovei filium cum Francis ſuis prudenter ab Carcaſſionis obſidione receſſiſſe; ut Oſtrogothis Rhodani trajectum impediret; ratus ſi impediret, Carcaſſionem ſibi eripi non poſſe. Cumque per Arelati pontem trajectum illum fieri debere intelligeret, Burgundionibus, qui eam urbem premebant, ſe jungendum duxit, unâ & eadem operâ trajectu Gothos prohibiturus, & Burgundiones in cœpto opere firmaturus. Niſi ſorte ipſo Oſtrogothorum adventu Burgundiones primùm advocarit. ſicque ambo juncti Arelatum circumdederint, ne Oſtrogothi Rhodanum trajicerent. Utcumque ſit, id certè tangit in Cæſaris vitâ Cyprianus: *Francis & Burgundionibus urbem Arelatenſem obſidentibus, Alarico Rege fortiſſimo Chlodoveo Rege in conflictu perempto, Theodericus Italiæ Rex miſſis Ducibus ſuis in eam provinciam ingreſſus erat.*

Ibbas præcipuus Theodorici Dux, Tolum ſecundarius. Caſſiod. l. 8. ep. 10.

7. Theoderici Oſtrogothi Dux præcipuus erat Ibbas, ſive Ibbam: minus ſecundarii præcipui aliquot alii, in quibus Tolum. de quo apud Caſſiodorum libro 8. epiſt. 10. ita Atalaricus Rex: *In expeditione Gallicana inter Duces directus, & prudentiam ſuam bellis, & pericula promptiſſimus ingeſſit. Arelate eſt civitas, ſupra undas Rhodani conſtituta, quæ in Orienti proſpectum tabulatum pontem; per nuncupati fluminis dorſa tranſmittit. Hunc & hoſtibus Francis capere, & noſtris defendere neceſſarium fuit. Quapropter excitata ſunt Gothorum Francorumq; validiſſima eâ tempeſtate certamina. Affuit illis dubiis rebus audacia candidati,* Tolis ſcilicet; *ubi tantâ cum globis hoſtium concertatione pugnavit; ut & inimicos Francos à ſuis deſideriis amoveret, & vulnera, factorum ſuorum ſigna, ſuſciperet.*

Tolis virtus

Quibus verbis acriter ad eum Arelati pontem pugnatum intelligimus: & Francos eo coactos abſcedere.

Prælium ad Arelati pontem.

Unde non adeo (ac nonnulli putant) improbabiliter, ſcribit Jornandes Getic. cap 58. *Theodericus non minus trophæum de Francis per Hibbam ſuum Comitem in Galliis acquiſivit: plus triginta millibus Francorum in prælio caſis.* Prælium illud, hoc ipſum ad Arelati pontem eſt; quo Franci victi, provinciam illam, ut & Narbonenſem vicinam cum eâ Novempopulanæ parte, quæ Pyreneo ſubditur, Oſtrogothis Theodericoque reliquerunt, pace factâ.

quo victor Theodoricus, provinciam Maſſilienſem & Narbonenſem ſibi acquiſivit.

Unde Caſſiodorus in Chronico, *Theoderici Domini noſtri exercitus Gallias Francorum deprædatione confuſas, victis hoſtibus ac fugatis, ſuo acquiſivit Imperio.* Gallias inquam, non omnes, ſed Maſſilienſem, dumtaxat Arelatenſem, Narbonenſem, & Novempopulanam Pyreneo adſitam; nam reliquas Francis lubens reliquit. *Eos enim illis totâ depellere non poſſet* (ait Procopius primo Gothic. pag. 268.) *ut ſibi haberent, quæ jam occupaſſent, permiſit. Ipſe verò reliquam Galliarum partem*, mari & Pyrenæis adjacentem, *recuperavit.*

Et tráſitum in Hiſpaniã.

Ita Arelatum à Viſigothis poſt annos circiter 28. ad Oſtrogothos tranſiit, quò etiam poſt illud ad pontem prælium innumeram captivorum multitudinem à Gothis victoribus reductam, teſtatur Cyprianus; quos Cæſarius primùm aluerit, mox etiam Eccleſiæ ſuæ pecuniâ, vaſiſque diſtractis redemerit, ingenti charitate. ut nullus de Oſtrogothorum victoria ſuperſit dubitandi locus. uſque adeo, ut paulò poſt Hibbam Narbonam regere videamus, apud Caſſiod. cap. 4. ep. 17. per quem etiam Geſalicum Barcinone & ex tota Hiſpaniâ expulit, *Boetio V. C. Conſule*, ut produnt Marginalia Victoris Tunnunenſis: id eſt, anno Chriſti 510. Indictione tertia, anno ab Alarici cæde tertio, ſeu jam evoluto ſeu labente.

Nova inter Chlodoveũ & Burgundiones diſcordia.

8. Ceterùm paulò pòſt, Chlodoveum inter & Burgundionem Gundobaldum novam diſcordiam bellumque exortum ſat teſtatur apud eumdem Caſſiodorum lib. 8. ep. 10. Atalaricus Italiæ Rex; cum de ſupradicto, Tolum iterum ad Gallias miſſo ſic loquitur: *Mittitur, Franco & Burgundio decertantibus rurſus* (nota) *ad Gallias tuendas; ne quid adverſa manus præſumeret, quod noſter exercitus impenſis laboribus vindicaſſet. Acquiſivit enim contendentibus abſque ullâ fatigatione provinciam: & factum eſt quietum commodum noſtrum, ubi non habuimus bellicâ contentione periculum.*

Cui ſe commodo ſuo miſcuit Theodoricus.

Quod quid fuerit, quia non ita ad inſtitutum pertinet, Lectori excutiendum relinquimus. ſat enim conſtat Francos pluries cum Burgundis decertaſſe. Tantùm hoc pro futuro tango, quomodo Wiſigothi cum Am[illegible] in tutelam Theoderici Oſtrogothi delapſi, poſt ejus mortem à Gothis Italicis avulſi ſint.

Unde Galliarum Hiſpaniarumq; partem regit.

9. Sic enim Procopius primo Goth. pag. 269. Theodoricus Carcaſſione liberata, & Galliis ſuo acquiſitis imperio, *celerrimè Ravennam revertitur: præfectiſque & maximis copiis continenter in Gallias & Hiſpanias miſſis, imperium ipſe re ac facto adminiſtrando tenebat.*

tenebat. idque ut ſibi perpetuò ſtabiliret providens, earum provinciarum Principes juſſit, vectigal ut ſibi deferrent. Quo opportunè accepto, ne avaritiæ videretur intentus, Gothorum VViſigothorumq; exercitibus munera in annos ſingulos mittere, eorumq; ſibi animos conciliare inſtituit. Unde temporis progreſſu factum, ut Gothi VViſigothique quando ſub unius imperio eſſent (fuerunt autem annos omnino 15. ab anno Chriſti 511. ad 526.) *terraſq; eaſdem haberent, liberos ſuos mutuis affinitatibus junxerint.* Procop.

Per Theodem armigerû ſuum.

10. Hæc ut intelligantur Jornandes interſerendus, Geticorum cap. 58. *Theodericus Theodem armigerum ſuum poſt mortem Alarici generi, tutorem in Hiſpania regno Amalarici nepotis conſtituit.* Per huoc igitur omnia iſta gerebat. *Erat Theodis* (iterum Procopius) *vir Gothus* (Oſtrogotus videlicet non Wiſigothus) *eúmque Theodericus ut exercitui* (ceu nepotis tutor) *præeſſet miſerat. Is fœminam ex Hiſpaniis nobilem in conjugem duxit, valde opulentam, ut quæ in pleraque Hiſpaniæ loca haberet Imperium, ex quibus ad duûm millium ferè contractâ hic militum manu, viq; ſatellitum ſtipatus, verbo quidem Theodorici permiſſu Gothis tunc præerat, re tyrannum agebat. Cujus rei Theodoricus etſi non neſcius eſſet, veritus tamen ne ſibi in poſterum cum ſervo prælium eſſet ineundum; & Franci ſibi obſiſterent; vel adverſum ſe Viſigothi res fortè novando quippiam molirentur; haudquaquam Theodim poteſtate privavit, ſed tunc ut ductare pergeret exercitum juſſit, cum eſſet in bellum eundum: ſeorſum verò cum Gothorum primoribus, qui tum fortè apud Theodim erant, egit, ut litteras illi darent, moneréntque eum, juſtè & è prudentia ſua dignitate facturum, ſi ad Theodoricum ſalutandum ſe conferret. Theodis verò Theoderici juſſa exequi ſe, præſcribat. & annuum vectigal nondum illi depenſum parabat: Ravennam verò concedere nolebat, nec ſibi ſcribentibus id pollicebatur. Theodoricus interea ex humanis decedit,* ſecundo Septembris anno Chriſti 526. cùm Wiſigothos eo modo annis quindecim rexiſſet. *Tum Amalaricus jam vir factus &* ducta Childeberti Franci ſorore, (credo circa annum Chriſti 522.) *Galliam* (Theodi etiam haud dubiè aſſenticote) *cum Gothis & Atalarico Theoderici nepote partitur, ut eam partem quæ cis Rhodanum eſt, illi ſortirentur, quæ ultra VViſigothi; ita tamen ut vectigal à Theodorico imperatum minimè deinceps penderetur, & res omnes Amalarico ſublata reſtituerentur. Ceterùm quando hæ nationes affinitate inter ſe coierant, data viris ſingulis optio, ut uxores vel ſequerentur, vel ad ſe domum traducerent. Et fuere qui traduxerunt, fuere & qui traducti.* Ita accuratè Procopius, de Oſtrogotorum Wiſigothorumque divulſione. Atque hæc de Oſtrogothorum ad tempus in Septimaniâ dicta ſufficiant. Nunc ad Chlodoveum noſtrum.

CAPUT IX.

De Patriciatu, Conſulatu, & Diademate Chlodovei. Quomodo Auguſtus dictus?

Ad annum Chriſti 508.

1. CHlodoveus victor *Turonos ex Aquitaniâ regreſſus, multa Baſilicæ S. Martini munera obtulit,* ait Gregorius cap. 37. & mox cap. 38. *Igitur, ab Anaſtaſio Imperatore codicillos de Conſulatu accepit. Et in Baſilicâ B. Martini tunicâ blatteâ indutus eſt & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc aſcenſo equo, aurum argentúmque, in itinere illo. quod inter portam atrii & Eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis manu propriâ ſpargens, voluntate benigniſſimâ erogavit. Et ab eâ die tanquam Conſul & Auguſtus eſt vocitatus. Egreſſus autem à Turonis, Pariſios venit; ibique Cathedram regni conſtituit. Ibi & Theodericus* filius *ad eum venit.* Idem narrant prior epitome, & Aimoinus lib. 1. cap. 22. Ab eo anno 508. adhuc uſque expirantem 1654. perſtat Pariſiis regia regni Francici ſedes; Tornaco primùm, ut ſuprà monui, tum Sueſſioneeò tranſlata.

Anno Chriſti adhuc 508. Chlodoveus in S Martini Baſilicam Turonenſem munera.

Et Sedes Regia Pariſius.

2. Mirantur nonnulli, quid ſibi Conſulatus hic Chlodoveo delatus velit, quem Faſti nulli, nullæ Inſcriptiones, nulla veterum monumenta memorent. Putant igitur à Chlodoveo recuſatum, qui cùm Orthodoxus eſſet, dignitatem ullam ab hæretico Imperatore recipere noluerit. Papyrius Maſſo non tam Conſulatum, quàm *Patriciatum* Chlodoveo oblatum exiſtimat, prout titulus capitis hujus Gregoriani præ ſe fert, *De Patriciatu Chlodovei*, & repræſentat ipſius Chlodovei Epitaphium ab Aimoino relatum, quod S. Remigii eſſe putat.

Qualis fuerit Chlodovei Conſulatus.

——— *Rex Chlodoveus, & idem*
PATRICIUS, *magno ſublimis fulſit honore,*

3. Verùm quis credat *Patriciatus* dignitatem, quam multi privati ſub Imperatoribus obtinebant, & quam Gundobaldus adhuc privatus, ſeu nondum Burgundionum Rex, ante annos 35. geſſerat; tantò jam ſuperiori Chlodoveo pro re magnâ & inuſitatâ delatam? Scio pluſquam ducentis poſthac annis Carolum Martellum & Carolum Magnum, Patricios ab Romanis Pontificibus appellatos, & quaſi novâ dignitate auctos: Sed de Martello nullus id mirabitur, qui privatum adhuc eum tunc fuiſſe meminerit: Carolo autem Magno jam Francorum Regi, & facilè Chlodoveo noſtro potentiâ tunc æquali, imò & ipſi Martello noſtro tam hujus ævi Patriciatus eo nomine, quàm nova quædam dignitas offerebatur, quâ illi & Italiæ protectionem ſuſciperent, ac pedem in Imperii & Auguſtæ majeſtatis dignitatem inferrent. ut apud Fredegarium cap. 110. Aimoinum, & Vitæ Caroli Magni ſcriptores facilè videre eſt. Neque verò hoc Anaſtaſii Imperatoris ſæculo, ſolebant aurum argentúmve in populum ſpargere Patricii. Conſulibus id antehàc aliquando licuerat, ſed cum mo-

An Patriciatus?

qualis in Carolo Martello, in Carolo Magno?

Imò longè ſuperior.

rem jam Martianus ſpecie prodigalitatis abrogaverat, L. 11. Cod. de Conſulibus. Denique neque Patricio, neque Conſuli fas erat, vertici diadema ſeu coronam imponere, quod hic à Chlodoveo factum videmus.

Utpote cũ coronâ, purpurâ, equis.

4. Fauchetius, antiquitatum Francicarum l. 2. cap. 22. rectè paulu plura admittens, Chlodoveo ultra Patriciatum, etiam regni inſignia ab Anaſtaſio ſubmiſſa ſcribit. quæ ſcilicet & olim Senatus, & jam Imperatores Regibus amicis ac benè de Rep. meritis offerebant. cujuſmodi præcipuè erant corona, veſtis purpurea, equi, & ſimilia. Ita in Livii lib. 30. & 44. Maſſaniſſæ Numidæ, & Balano Gallo legimus à Senatu, duo ſagula purpurea, togam purpuream, equos phaleratos ſubmiſſos. Joſephus Orig. Judaic. lib. 18. cap. 8. finiente, *Caius*, ait, *Agrippam impoſito in caput ejus diademate Regem conſtituit.* Similiter teſte Suetonio & Dione, *Tiridati Nero apud roſtra precanti, deductâ tiara, diadema impoſuit.*

Ipſe Chlodoveus illi Anaſtaſii voluntatem ex ſe non parum adjecit.

5. Enimverò tametſi idem hic Anaſtaſius indulserit; ego tamen Chlodoveum ultra tranſgreſſum exiſtimo; credoque, eâ quidem occaſione ſtimulatum, ſupremam & velut *imperialem* ſuam toto regno *poteſtatem* denotare, eique novam auctoritatem addere voluiſſe. quando ceremonias omnes ab Imperatoribus in ſui inauguratione obiri ſolitas ſigillatim hic & ordine expreſſit. Purpuram ſumpſit, coronam & diadema ſibi impoſuit, loco tribunalis equum inſcendit, aurum ſparſit, populi acclamationes, approbationes, & plauſus excepit. quodque omnium caput, hæc non tam ab Anaſtaſio, quàm ab S. Martino, cœloque haurire videri voluit. Singula examinemus.

Inaugurationes imperiales expreſſit.

Purpurâ.

6. Primùm vix in ullam Imperatorum inaugurationem ſine purpuræ injectione incurres; in nullam, ſine ejuſdem ſpoliatione abrogationem. Commodus Imperator apud Julium Capitolinum Clodium Albinum Cæſarem creans, *Ut tibi*, ait, *inſigne aliquod imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem, me præſente, & ad me, & cum mecum fueris. habiturus & purpuram, ſed ſine auro: quia ita & proavus meus Verus, qui puer vitâ functus eſt, ab Hadriano, qui eum adoptavit, accepit.* Eutropius lib. 9. fin. Diocletianum accuſat, quòd *primus ornamenta gemmarum veſtibus calceamentiſque indiderit. Nam prius*, ſubdit, *Imperii inſigne in chlamyde purpureâ tantùm erat: reliqua communia.* Hinc aptè Agathias lib. 3. *Chlamydem*, inquit, *purpuream haudquaquam fas erat Lazorum Regem geſtare, ſed albam duntaxat.* quod & Chronicon Alexandrinum anno Juſtini ſenioris quarto, qui eſt Chriſti 522. confirmat. Chlodoveus ergo imperialis hujuſce moris probè gnarus, *in Baſilicâ S. Martini tunicâ blateâ* ſeu purpureâ *ſe induit & chlamyde*, ait Gregorius ſuprà. Et nimirum paulò antè Rex Italiæ Thodericus ad exemplum præcurrerat; cum teſte Caſſiodoro epiſt. 2. l. 1. Var. & alibi *blattâ* ſe induit; aut ut Jornandes ait, *Zenonis Imperatoris conſulto, privatum habitum, ſuæq; gentis veſtitum deponens, inſigne regii amictus* (purpuram ſcilicet) *quaſi jam Gothorum Romanorumq; regnator adſumſit.* Nihil enim Theoderico ſe debere jam Chlodoveus exiſtimabat: neque certè debebat.

Diademate.

7. Secundum Imperatoris inſigne, *diadema verticis* Chlodoveus *impoſuit.* ait idem Gregorius. de quo pluſcula & involuta notanda occurrunt. Primùm ſeptem primi Romanorum Reges in antiquis etiam Conſularis ævi Nummis, diademate omnes redimiti comparent. Diadema igitur, ceu inſigne regium, Romanis jam in libertatem aſſertis, non minus, quàm Reges, odioſum extitit. nec tam citò in uſum rediit. De Caligula certè narrat Suetonius, c. 22. *cum audiſſet forte Reges, concertantes apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis, non multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemq; principatus in regni formam converteret.* Adeò ecce ab exactis Regibus diadematis uſus exoleverat, adeò in odium verterat: ut ne quartus quidem Imperatorum ac Cæſarum idemque immaniſſimus, illud reſumere præſumpſerit. Ejus igitur loco priores Imperatores coronas præſertim laureas gerebant, ſubinde & aureas; ceu militares, ac triumphales, in Rep. quoque uſurpatas. juxta Plinium lib 33. cap. 2. & 3. & A. Gallium lib. 5. cap. 7. qui ait, *Quæ antiquitus e lauro erant coronæ, poſt fieri ex auro cœptæ.* Pompeio quidem Magno a Tribunis plebis aureæ in Theatro coronæ geſtandæ jus indultum: Cæſari quintum triumphanti, *illata in theatro diſtincta radiis corona gemmis auroque inſignis: qui honor alias Diis tribui ſolebat.* Teſte Floro lib. 4. & Dione cap 44. *Auguſto Cæſari ex provincia redeunti currus cum coronâ aureâ decretus*, apud Velleium lib. 2. & Caſſiodorum *Sentio ac Lucretio Coſs.* Galbæ item à Tarraconenſibus aurea corona oblata; Probo à Galliarum civitatibus: ab Regibus Sarracenis Juliano Apoſtatæ: ab Senatu Conſtantinopolitano Theodoſio juniori; ut Suetonius, Vopiſcus, Amm. l. 23. Chron. Alexandr. anno octavo Theodoſii & plerique Nummi teſtantur: ſive coronis iſtis illi ut triũphatores, ſive in poteſtatis inſigne uterentur.

8. Verùm Imperatores jam Chriſtiani, omiſſis coronis laureis & ſimilibus, quas ceu Diis ſacras Chriſtiani omnes, Tertulliano autore, averſabantur; intactum ſuperſtitione diadema reſumpſerunt, coronis ſuis aureis adjunxerunt: adeoque ſibi peculiariter addixerunt ut ne ſuis quidem Cæſaribus permiſiſſe videantur. Scribit certè Ammianus l. 20. Julianum Cæſarem cum Pariſiis Auguſtus diceretur, juſſum diadema proferre; negaſſe ſe unquam habuiſſe: eóque militem quempiam nomine Maurum, *abſtractum ſibi torquem, quò ut draconarius utebatur, capiti Juliani confidenter impoſuiſſe.* Ejuſmodi ergo diadema Romanum vertici ſuo Chlodoveus impóſuit, ut in ſucceſſorum ejus Nummis quibuſdam cernimus: quoque ſupremam, independentem, & Auguſtam poteſtatem ſuam oſtentaret, non ab Anaſtaſio, ſed de S. Martini altari, & Epiſcoporum haud dubiè convocatorum quaſi Dei manibus, aſſumpſerit: quod & ejus ſucceſſores imitati, cùm ſe *A Deo coronatos* publicis edictis teſtati ſunt. Scio diademata diverſi generis extitiſſe, ſcio & immutata, ſcio & communia evaſiſſe. ut fusè Codinus Curopolates cap. 6. §. 33. & 34. his verbis: *Sciri oportet illud quod nunc Stemma dicitur, olim dictum Diadema. Id autem erat, laſa vitta, ex unionibus & margaritis: poſita quidem in Imperatoris fronte, ſed circa cerebrum retro ligata: unde & Diadematis, quaſi dicas ligamenti, nomen obtinuit. Quod paulatim mutatum evaſit tale, quale hodie viſitur, & Stemma nominatur. Porro quod nunc vocatur Diadema, olim zona militaris dicebatur, inſigne honoris.* Credo ego hodierna galerorum noſtratum cingula, ſeu vittas, modorum diverſiſſimorum, à Diademate ortum habere.

Eóque ſine ulla ſuperſtitione

habere. adeo etiam in plebeios gliſcens arrogantia, principum veſtitus exprimere amat. Sed Chlodoveus Romanorum ſuâ ætate Imperatorum morem affectarit, & in ſignum Regiæ & Imperialis ſuæ poteſtatis aſſumpſerit.

Equi, ceu tribunalis inſcenſione.

9. Eodem fine tertiò, non tribunal quidem, ut Romani, ſed *equum aſcendit.* neſcio an & illum ab Anaſtaſio acceptum; *& aurum argentúmque* (verba Gregorii ſunt) *in itinere illo, quod inter portam atrii & Eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis* (qui ad hujuſmodi ſolemnitatem undique frequentes accurrerant) *manu propriâ ſpargens, voluntate benigniſſimâ erogavit.* In hodiernorum quoque Principum ſupremorum & Imperatorum inaugurationibus nondum exolevit iſte mos; jam inde à Romanis ut vides hauſtus. ita tum ſolis Imperatoribus peculiaris, ut Marcianus (quod antè monui) Conſulibus illum interdixerit; titulo quidem & prætextu nimiæ profuſionis; reapſe tamen, ne plebis gratiam captarent & aſſequerentur, aureis hujuſmodi miſſilibus facilè capi flectique ſolitæ. Sportulas tamen Conſulares, quæ amicis novi honoris causâ poſtea miſſæ, Juſtinianus indulſit; ſed idem quoque Conſulatûs dignitatem Imperiali deinceps adnexuit. Hujuſmodi auri ſparſiones Cantacuzenus lib. 1. & Codinus cap. 17. inter uſitatas inaugurationum Imperialium ceremonias accenſent, *Epicombia* nuncupant adduntque: cùm Imperator ad Eccleſiam coronandus accederet, aut jam coronatus palatium repeteret, *in veſtibulo Templi, ſeu Magnæ Eccleſiæ*, cujuſpiam è domeſticis ſuis manu, auream, argenteam cupreamve monetam in populum ſparſiſſe; cùm item poſtero die palatiorum aliorum poſſeſſionem iniret, idem feciſſe: denique eorum dierum altero ſingulis aulæ Militiæque ſuæ viris, ad Imaginis Sancti Georgii pedem partes aureas effudiſſe. Id igitur & Chlodoveo noſtro eâdem ratione & auctoritate uſurpandum viſum.

Crebris denique populi acclamationibus Vivat Rex.

10. Verùm ſupremam illam poteſtatem nihil adeo adprobare firmareque videbatur, ac ſpontanea, alacris, & ſæpiùs repetita plebis acclammatio. Id enim ſpeciem certam adumbrare videbatur lubentiſſimæ electionis & adprobationis in Principes, quæ plebi jure naturæ competere videtur: Sic enim etiam primas eorum invaſiones, adeoque tyrannides, in juſtam gubernationem præfecturamque transferre; & quidquid hactenus egerunt, æquum ratumque decernere certum eſt. Unde videmus legitimos quoque Principes, qui juſtâ longâque ſucceſſione regnum inivere, acclamationes hujuſmodi ac maxime *Vivat Rex*, ſemper ambiiſſe. & datas magnopere æſtimaſſe; tanquam certa juſtæ dominationis indicia. Ut de ſacris libris nihil proferam, Valentinianus primus Imperatór Joviano mortuo dictus eas excepit, teſte Ammiano lib. 26. cùm *In unum quæſito milite omni, progreſſus in campum, permiſſúſque in tribunal aſcendere celſius ſtructum* (equum aſcendit, ut dixi. Chlodoveus, tanto fortè viſibilior, & militarior) *comitiorum ſpecie, & utilitate præſentium ſecundiſſimâ, ut vir ſerius, RECTOR pronuntiatur IMPERII. Mox principis habitu circumdatus & coronâ, Auguſtúſque nuncupatus eſt, cum laudibus amplis* (acclamationibus ſcilicet) *quas novitatis potuit excogitare dulcedo.* Sic Aimoinus lib. 3. cap. 35. *Mauritius, ait, purpurâ indutus, diademate redimitus, ad Circum proceſſit; & adclamatis ſibi laudibus; largitus populo, ut moris eſt, muneribus, in Imperium confirmatus eſt.*

Vivat Auguſtus.

11. Ita Chlodoveus à populo præſente crebris & iteratis vocibus acclamante, *tanquam Conſul*, ait Gregorius, *& Auguſtus eſt vocitatus*; Nec a populo tantùm, occaſione pecuniæ ſparſæ; ſed & à Clero ob pietatem fidemque Orthodoxam. & omnia iſta moribus antiquis ac Romanis, obire maluit; quò Gallis novis ſuis ſubditis, à Romano tum primùm Imperio avulſis gratior eſſet. à quibus item Romanas & hactenus in Auguſtorum inaugurationibus uſurpari ſolitas adclamationes & adprobationes tanto lubentiùs hauriebat. Unde nihil quoque mirum, ſi cum Auguſto CONSUL quoque dictus: quando Imperatorum eâ ætate nullus purpuram capeſſebat, qui proximè ſequentibus Januarii Kalendis Conſulatûs, faſcibus non procederet ornatus: prorſus ut & paulò pòſt Juſtinianus Conſulatum Imperiali apici conjunxerit. nam ut rectè Sidonius, Majoriani Panegyrico,

—— Decora omnia regni
Accumulant faſces, & Princeps Conſule creſcit.

Quaſi novus Occidentis Imperator.

12. Ceterùm Auguſtalem hanc dignitatem ſive ultrò Chlodoveus ambierit, ſive Anaſtaſius, ſive populus motu proprio detulerit: nihil adeo admiratione dignum. Jam defecerat Occidentis Imperium; & ab Orientali Gallos ſejungebat non morum minus quàm locorum intercapedo. quis dubitabit, quin Gallicam Nobilitatem, plebem, & Clerum ipſum titillarit innata cupido tot jam annos uſurpati amatique Imperii reſtaurandi, in perſonâ maximè tanti Regis, unici tot inter barbaros Orthodoxi? Et Chlodoveum eòdem ſatis impellebant, tot jam tantæque partæ victoriæ: & plus terrarum ſibi jam ſubditarum, quàm pleriſque ante ſe Auguſtis obtigiſſe noverat. Galliam ferè totam tenebat, Burgũdiones annuo vectigali clientes effecerat; trans Rhenum bonam Germaniæ partem ad Viſurgim & Thuringorum uſque confinia poſſidebat; Thuringos & Alemannos eodem tributi jugo premebat; & plurium adhuc meliorumque proxima fereque certa ſpes arridebat, à nemine ipſe pendebat. Quidni mortuum occidentis Imperium in ſe reviviſcere poſſe crederet? Quidni ejuſdem amicitiam & ſocietatem oblatâ Imperii participatione Anaſtaſius Imperator ambiret, quâ contra Regem Italiæ Theodericum jam inſoleſcentem, & Illyrici provinciis inhiantem maturè ſe muniret?

Iſque ſolus tunc Orthodoxus.

Pariſios novi Imperii Sedem conſtituit.

13. Quidquid ſubfuerit, *Chlodoveus ab eâ die tanquam Conſul & Auguſtus eſt vocitatus.* & Turonis, ubi iſta apud præcipuum Galliarum tutelarem, S. Martinum patraverat, egreſſus; *Pariſiis Cathedram regni conſtituit.* ratus id quod erat, & dignitatem ſuam auctam, & novum erectum in Occidente IMPERIUM. Quod & ſucceſſoribus perſuaſum fuiſſe videtur; quorum aliqui in quavis è tribus familiâ, Auguſtali ſe & dignitate & nomine non indignos cenſuerunt. Imò & id ipſis vovet in teſtamento ſuo S. Remigius; cùm ait: *Ex ipſo, Chlodoveo, Reges & Imperatores procedant, qui in præſenti & in futuro, juxta utilitatem Domini, ad augmentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, virtute ejuſdem in judicio & juſtitia confirmati, regnum obtinere atque augere valeant.* Theodoricus Chlodovei ſecundi filius Atrebatenſi Sancti Vedaſti Cœnobio bona *imperiali edictis* dare, & *per Imperialem celſitudinem* ſancire ſe ſcribit. In ſecunda Regum Carolidarum proſapiâ

Adrianus

Unde Francorum Reges pleriſque AUGUSTI & IMPERATORES dicti.

Adrianus quartus Papa, & Fredericus primus Imperator anno 1155. confirmant Eccleſiæ Leodienſi bona, à Chriſtianiſſimis IMPERATORIBUS *Pipino* (Regi iſtius familiæ primo) Karolo, Ludovico, Lothario, &c. data. Sub tertiâ, & ultimâ Capetidarum in quibuſdam anni Chriſti 996. Tabulis, dicitur *Robertus divinâ ordinante clementiâ Rex Francorum ſemper AVGVSTVS.* In aliis apud Tilletium anni Ludovici tres, ſextus, ſeptimus, & octavus, *Franciæ Imperatores Auguſti* vocantur. Philippi quoque Primus ac Secundus, *Auguſti* dicti, & poſterior quidem adeo vulgariter, ut nec hodie quidem alio cognomine notus ſit.

CAPUT X.

Chlodoveus quoſdam Francorum Regulos, ſibi conſanguineos, extinguit, Sygibertum & filium ejus Coloniæ; Chararicum cum filio; Ragnacharium Cameraci cum fratribus.

Circa Annos Chriſti 509. 510.

Chlodovei magna in regno dilatando cupiditas.

1. NOn ferebat Chlodoveus, jam Galliarum ferè Monarcha, plures adhuc, vel ſub ſe, eſſe Francorum ſuorum Regulos. eos igitur quomocumque extinguere inſtituit. erat primùm Coloniæ Rex Sygibertus quidam claudus, ætate provectior: qui Chlodoveo contra Alamannos apud Tulbiacenſe oppidum, anno Chriſti 491. opem tulerat; & eo prælio *percuſſus in geniculo claudicabat.* ut Gregorius Turon. lib. 2. cap. 37. Huic erat filius nomine Chlodericus, qui & ipſe patris loco in Chlodovei adjutorium contra Alaricum pugnâ Vocladenſi venerat: & de eo benè meritus videbatur. Longæva patris ætas, quò minus regnaret, obſtabat: eoque illum quoddam patris faſtidium jam ceperat. Et Sygibertus quidem pater, quando regnare cœperit, incertum eſt. Sed ſi, ut probabile eſt, poſt Ægidium à Childerico reduce victum, & Coloniam receptam, regnum velut infidelis operæ præmium inierit, ſupra quadraginta annos regnum obtinebat. Ita filius ætate jam maturus patri ſuccedere ardebat: nec modum tamen vivo patre explicabat. Chlodoveus ejus rei non ignarus, faces ardenti ſuggerere non neglexit.

Sygibertus claudus Coloniæ Rex & filius ejus Chlodericus.

Eos Chlodoveus interficit committit.

2. *Cùm enim* (ut Gregorius Turon. lib. cap. 40.) *apud Pariſios* jam otioſus victor *moraretur, miſit clam ad illum dicens: Ecce pater tuus ſenuit, & pede debili claudicat. Si ille moreretur, rectè tibi cùm amicitiâ noſtra, regnum illius redderetur.* Scilicet tam Sygebertus ille quàm ceteri Reguli ſub Chlodoveo Rege Principes, nonniſi clientelari ſeu beneficiario jure regna ſua poſſidebant, nonniſi dicto ad dominum Sacramento, & clientis editâ profeſſione inibant. *Chlodericus* ergo Sygiberti filius, Chlodovei Domini ſui illicio, *ſeductus, patrem molitur occidere. Cúmque pater egreſſus de Coloniâ civitate, tranſacto Rheno, per Burconiam* (lego Buchoniam, Fuldenſis hodie ditionis) *ſylvam ambulare diſponeret meridie in tentorio ſuo obdormiit. Filius immiſſis percuſſoribus ibidem interfecit, tanquam regnum illius poſſeſſurus. Sed Dei judicio, in foveam, quam patri hoſtiliter fodit, incidit. Miſit igitur nuncios ad Chlodoveum regem, de patris obitu nunciantes, atque dicentes: Pater meus mortuus eſt, & ego theſauros cum regno ejus penes me habeo. Dirige tuos ad me. & ea quæ tibi de theſauris illius placent, bonâ voluntate tranſmittam. Et ille, gratias, inquit, tuæ voluntati ago: & rogo ut venientibus noſtris patefacias cuncta, ipſe deinceps poſſeſſurus. Quibus venientibus, iſte patris theſauros pandit. Qui dum diverſa reſpicerent, ait: In hanc arcellulam ſolitus erat pater meus numiſmata auri congerere. Immitte, inquiunt illi, manum tuam uſque ad fundum, ut cuncta reperias. quod cum feciſſet, & eſſet valde declinis, unus elevatâ manu bipennem cerebro ejus incliſit. & ſic quæ in patrem egerat, indignus incurrit.*

& filius patrem occidit.

Filiũ Chlodoveus.

3. *Quod audiens Chlodoveus, interfectos ſcilicet Sygibertum & filium ejus, in eundem locum* (credo Coloniam, ubi Theſauri erant) *adveniens, convocat omnem illum populum, dicens. Audite quid contigerit. Dum ego per Scaldem fluvium navigarem, Chlodericus filius parentis mei, patrem ſuum inſequebatur; verbo ferens, quòd ego eum* (patrem ſuum) *interficere vellem. Cúmque ille Sigebertus per Burconiam ſylvam fugeret, immiſſis ſuper eum latrunculis, morti tradidit & occidit. Ipſe quoque dum theſauros ejus aperit, à neſcio quo percuſſus interiit. Sed in his ego nequaquam conſcius ſum. nec enim poſſum ſanguinem parentum meorum effundere, quod fieri nefas eſt. Sed quia hæc evenerunt, conſilium vobis præbeo, ſi videtur acceptum; convertimini ad me, ut ſub meâ ſitis defenſione. At illi iſta audientes, plaudentes tam palmis quàm vocibus eum clypeo evectum, ſuper ſe Regem conſtituunt. Regnúmque Sygiberti acceptum cum theſauris, ipſos quoque ſuæ ditioni adſcivit. Proſternebat enim quotidie Deus hoſtes ejus ſub manu ipſius, & augebat regnum ejus: eò quòd ambularet recto corde coram eo, & faceret quæ placita erant in oculis ejus.* Hucuſque Gregorius. Magnum fuiſſe oportet Sygeberti regnum ſi in Buchoniam ſeu Fuldenſem ſylvam à Coloniâ protendebatur. ſi item Scaldem attingebat; quod illa Chloderici cum Chlodoveo per eum navigatio utcumque innuit. Plane videtur Auſtraſiæ regnum boreale fuiſſe. Nam Nervios, ſeu Hannoniam hodiernam & finitima, Auſtraſiæ poſtmodum regno concluſa: Ragnacharius, uti mox dicam, obtinebat; Belgicam verò primam ſeu Lotharingiam hodiernam Chlodoveus ipſe. Unde & Alemannos ad Tolbiacum cum illo Sigeberto deviceat. Ceterùm Scaldim Chlodoveus non navigarit, niſi circa Tornacum, Gandavum, & Antuerpiam; vix puto circa Valentianas.

Qui Coloniam adveniens, regnum iſtud ſuo adjungit.

4. Certè Chlodoveum Tornacum ad S. Eleutherium aliquando veniſſe, eum de peccato quodam occulto, quod ne ſacrâ quidem exomologeſi expiare auſus eſſet, conſuluiſſe; & hauſto ab eo remedio pœnitentiâ tandem deleviſſe, teſtantur vetera Tornacenſis Eccleſiæ monumenta; ante Henrici Canonici revelationes tradita receptaque. Id hoc tempore, hacque occaſione factum nihil prohibet. Imò favet tempus, octo quippe annos

Quod peccatum S. Eleutherius Tornacenſis Epiſcopus ipſi Chlodoveo detegit.

ſedem Epiſcopalem Blandinii fixiſſe Eleutherium, omnium conſtans eſt traditio. Si primus Eleutherii annus cum Chriſti 502. concurrit, ut ſupra validè ſtatuimus; octavus cum 509. concurrat neceſſe eſt. Ita anno Chriſti 510. Blandinio Tornacum domicilium tranſtulerit Eleutherius. aptiſſimè ad hunc Tornacenſem Chlodovei excurſum: quo, poſtquam Pariſios regni Cathedram conſtituiſſet, Scaldim noſtrum cum iſto Chloderico parente ſuo navigarit: Ita vides quàm liquidè fluat, quam ſuis locis disjecta reddat, ſemel benè ſtatuta Chronologia. Sed pergentem Gregorium proſequamur.

Charaticus ... tem Rex Francus à Chlodoveo captus, & occiditur.

5. *Poſt hæc ad Chararicum Regem dirigit. Quando autem cum Syagrio pugnavit* (anno Chriſti 486. annis ante hunc circiter 24. aut 25.) *hic Chararicus evocatus ad auxilium Chlodovei, eminus ſtetit, neutram adjuvans partem, ſed eventum rei expectans, ut cui eveniret victoria, cum illo & hic amicitiam colligaret. Ob hanc cauſam contra eum indignans Chlodoveus abiit. Quem circumventum dolis, cepit cum filio: vinctoſque totondit. Et Chararicum quidem presbyterum, filium verò ejus Diaconum ordinari jubet. Cùmque Chararicus de humiliatione ſuâ conquereretur & fleret, filius ejus dixiſſe fertur: In viridi ligno hæ frondes ſuccisæ ſunt, nec omnino areſcunt: ſed velociter emergent ut creſcere queant. utinam tam velociter qui hæc fecit intereat! Quod verbum ſonuit in aures Chlodovei; quòd ſcilicet minarentur ſibi cæsariem ad creſcendum laxare, ipſumque interficere. At ille juſſit eos pariter capite plecti. Quibus mortuis, regnum eorum cum theſauris & populis acquiſivit.* Cujus regionis Rex fuerit iſte Chararicus, incertum. Sunt qui Treviris, ſunt qui Morinis imperaſſe volunt. Certè vel in Belgica, vel in Secundâ Tertiâve Lugdunenſi regnaſſe, id unum arguit, quòd antè victum Ægidium, nihil in Galliis Franci extra illas provincias habuerint. Utcumque fuerit, tam patrem quàm filium Chriſtianos fuiſſe intelligimus; cùm attonſos, & ſacris Ordinibus initiatos audimus.

Quis iſte Charaticus?

6. Rurſum Gregorius: lib. 2. cap. 24. *Erat autem tunc Ragnacharius Rex apud Camaracum; tam effrenis in luxuriâ, ut vix vel propinquis quidem parentibus indulgeret.* Is quoque contra Syagrium pro Chlodoveo pugnaverat, ut ſuprà. *Habebat Farronem conſiliarium, ſimili ſpurcitiâ lutulentum: de quo fertur, cum aliquid cibi aut muneris, vel cujuſlibet rei allatum fuiſſet, dicere ſolitum: Hoc ſibi ſuóque Farroni ſufficere. Pro quo re Franci maximâ indignatione tumebant. Unde factum eſt ut* Chlodoveus *miſſis* ad eos magis impellendos corrumpendoſque *aureis ſive armillis ſive baltheis* (*ſed totum erat adſimilatum auro; cum eſſet æreum deauratum, ſub dolo factum*) *tanquam proditores tentaverit; ut ſuper eum inimicarentur. Igitur, cùm exercitum contra eum* (credo ex pacto) *commoviſſet; & ille ſpeculatores plerumque ad cognoſcendum tranſmitteret; reverſos nuntios interrogat: Quàm valida hæc manus foret? Qui reſponderunt, tibi tuóque Farroni maximum eſt ſupplementum.*

Ragnacharium ... Cameracenſem Chlodoveus ...

Quis ille?

7. *Veniens itaque Chlodoveus, bellum contra eum inſtruit. At ille devictum cernens exercitum ſuum, fugâ labi parat, ſed ab exercitu comprehenſus, ac ligatis poſt tergum manibus, in conſpectum Chlodovei unà cum Richario fratre perducitur. Cui ille, cur inquit, humiliaſti genus noſtrum, ut te vinciri permitteres? Et elevatam ſecurim capiti ejus defixit. Converſúſque ad fratrem ejus, ait: Si tu auxilium fratri tuo tribuiſſes alligatus utique non fuiſſet. ſimiliter & hunc ſecuri percuſſum interfecit. Poſt quorum mortem, cognoſcunt proditores eorum, aurum quod à Rege acceperant, eſſe adulterum. Quod cùm Regi dixiſſent, ille reſpondiſſe fertur: Meritò tale aurum accipit, qui Dominum ſuum ad mortem propriâ utilitate deducit. Hoc illis quod viverent, debere ſufficere, ne male Dominorum ſuorum proditionem luituri, inter tormenta deficerent. Quod illi audientes, optabant gratiam adipiſci; illud ſibi adſerentes ſufficere, ſi vivere mererentur.*

... zlio vin... à Chlodoveo; & ... tradi... occi...

8. *Fuerunt autem ſupradicti Reges propinqui hujus* Chlodovei: *quorum frater Rignomeris nomine, apud Cenomaniam civitatem ex juſſu Chlodovei interfectus eſt. Quibus mortuis, omne regnum eorum & theſauros Chlodoveus accepit. Interfectíſque & aliis multis Regibus, vel parentibus ſuis primis, de quibus zelum habebat ne ei regnum auferrent, regnum ſuum per totas Gallias dilatavit. Tamen congregatis ſuis, quadam vice dixiſſe fertur de parentibus, quos ipſe perdiderat; Væ mihi! qui tanquam peregrinus inter extraneos remanſi; & non habeo de parentibus, qui mihi, ſi venerit adverſitas, poſſit adjuvare. Sed hoc non de morte horum condolens, ſed dolo dicebat: ſi forte potuiſſet adhuc aliquem reperire, ut interficeret.* Hucuſque Gregorius.

Rignomeres Cenomaniæ Rex etiam cæſus.

Ita Chlodoveus ſolus regnat.

9. Quod ad bellum contra Ragnacharium Cameracenſem Regulum attinet; ſic de eo Hincmarus in vitâ S. Remigii: *Multi Francorum exercitus necdum ad fidem converſi, cum Raganario ultra Sommam fluvium aliquandiu degerunt. donec Chriſti gratiâ cooperante, Rex Ludovicus glorioſis potitus victoriis, eumdem Raganarium flagitiis turpitudinum inſervientem, vinctum à Francis, ſibi traditum occidit. & omnem Francorum populum per B. Remigium ad fidem converti & baptizari obtinuit.* Idem narrat Flodoardus hiſtoriæ Remenſis lib. 1. cap. 13. fin. & Chronicon Cameracenſe Baldrici, lib. 1. cap. 4. quod addit, *loca illa trans Sommam fuiſſe Cameracum; ubi Ragnacharius cum magnâ Francorum parte adhuc in infidelitate aliquandiu moratus ſit; donec illo caſo populus ejus omnis non tam per B. Remigium quàm S. Vedaſtum converteretur ac baptizaretur. Nunquam enim,* inquit, *S. Remigium in noſtris partibus verbum Dei populo prædicaſſe audivimus: ſed ab illo & à Rege noviter baptizato, huic noſtræ urbi ad convertendam gentem directum B. Vedaſtum cognovimus. Quare illum hujus negotii auctorem credimus.*

Hincmari de Ragnachario narratio.

Qui trans Somonam habitaſſe dicuntur, reſpectu Remorum.

10. Jam decimum Vedaſtus Atrebatenſis Epiſcopatûs agebat aut expleverat annum, cùm Ragnacharius à Chlodoveo peremptus, ut ex dictis patet. Unde & ratio pateſcit, cur Atrebatum primùm ab S. Remigio; quemadmodũ ipſe in ſuo teſtamento diſertè tradit non Cameracum ſubmiſſus ſit Vedaſtus; nimirum quia Cameracum adhuc premebat incredulus iſte ſpurcúſque Ragnacharius, qui fidei prædicationem non admittebat. Eo demum mortuo Cameracum primùm iniit Vedaſtus, & fidei ſemina jaciendo, Francos ibi degentes adhuc idololatriæ tenebris obſitos, fortè & Gallos incolas ad Chriſti lumen adduxit; & Nerviorum Eccleſiam, primo Bavacenſem mox Cameracenſem tum jacentem, ſi non mortuam, ſicut & paulò antè Atrebatenſem, inſtauravit priſtinoque ſeu ſimo nitori reſtituit.

Cur Vedaſtus Atrebatum, & Cameracum S. Remigio miſſus ſit.

Cur Sedem Atrebato Cameracũ non tranſtulerit?

11. Cur tunc ſedem ſuam hactenus Atrebati fixam eò non tranſtulerit, quod annis ferè 50. poſtmodum, Vedulphum feciſſe legimus, non immeritò quæri poſſet. Nam cum hactenus Ragnacharii Regia fuiſſet, populo ac divitiis Atrebatum tunc dirutum ac deſertum multo præverſiſſe neceſſum eſt. Ad hæc Cameracum Atrebates inter ac Nervios ſeu Hannones hodiernos fere medium, commodiorem utriuſque diœceſeos Paſtori ſedem offerebat, & ad ſubita neceſſariaque promptiorem. Sed enim ſemper gratior eſt, qui vulnam aperit fœtus; & quod magno primùm amore peperimus licet informe, juvat ſemper inſtar urſi lambere, donec in eo Chriſtus plenius efformetur. Nec tamen negaverim iſtius generis cogitationibus atque deſideriis pulſatum ſæpiùs Vedaſti animum; ſed ſecutâ mox Chlodovei morte cohibitum.

Quia Chlodoveo mortuo, diverſi utrobique Reges.

12. Eò quippe terris erepto, diverſis Regibus Chlodoveo ſuccedaneis, Nervii & Atrebates obtigerunt; illi quidem Auſtraſiæ Regi Theoderico, hi juniori omnium fratri Clotario Sueſſionenſi, ad cujus regnum Atrebates, Morini, ac Tornacenſes, id eſt, quidquid ad ſiniſtram Schaldis ripam jacet, ſemper attinuiſſe videmur; ut patet in Turonenſi ſæpiùs: pro Teruanna quidem lib. 5. cap. 19. pag. 104. ver. 42. pro Tornaco autem lib. 4. cap. 45. & 46. Quo tempore ſatiùs Vedaſto viſum nihil movere, ne ſi Cameracum ad Theoderici regnum ſedem transferret, Clotario ſtomachum moveret, & Atrebatenſi primo domicilio privaretur. Stetit Auſtraſiæ regnum ſic ab Sueſſionenſi diviſum, etiam ſub Theoderici filio Theodeberto, & nepote Theodoualdo ad annum Chriſti 554. à Vedaſti morte 14. Quare nihil mirum ſi neque Vedaſtus, neque ſucceſſor ejus Dominicus, ſedis tranſlationem tametſi commodiorem tentare auſi ſint. Vedulphus demum proxime Dominicum inſecutus, Theodouàldo ſine liberis anno illo 554. mortuo, & Auſtraſiâ proinde ad Chlotarium ipſum Sueſſionenſem jam ante Regem delapsâ, ut Turonenſis lib. 4. cap. 9. transferendi facultatem, & commodam ſub uno rege, nullius æmulatione, occaſionem nactus, quod deceſſores optaverant, exequi non omiſit. Ea tranſlationis unica ac vera delatæ peractæve cauſa: nulli hucuſque animadverſa, non certè ſcripto tradita, quod ſciam.

Illis mortuis Vedulphus tranſtulit.

Ragnacharium non videri de ſtirpe Chlogionis.

13. Porrò ſunt, qui de Chlogionis ſtirpe Ragnacharium hunc ac fratres ejus ortos exiſtiment. & multa in hanc rem afferunt, neſcio quam bene. Ego pilam ceu claudus ſuſtineo. Stirpémne tantopere ſibi periculoſam, Meroveus ei primum rebellis, tum Chilpericus ac Chlodóveos poſteri, mediis regni ſui viſceribus tamdiu conſiſtere permiſiſſent? Et illa patris aut avi ſcilicet immemor, regnum perditum recuperare nunquam tentaſſet, nullum motum dediſſet?

CAPUT XI.

Aurelianenſis Synodus prima ab Chlodoveo procurata. Chlodovei mors.

Anno Chriſti 511.

Cur Synodum Aurelianenſem primam Chlodoveus convocarit.

1. IAm Chlodoveus victoriis inclytus annum ætatis 45. vitæ ſupremum attigerat; cùm de Galliarum ſuarum Epiſcopis in unam Aureliæ Synodum congregandis, & formandâ adhuc tenerâ Francorum Eccleſia ſeriò cogitavit. Stimulabat otioſum profundâ pace Remigius, ut quæ infidelitas & nunquam interrupta bella nondum permiſerant, inveterata vitia eraderentur. Unde in ejus vitâ Hincmarus, *Tunc*, inquit, *per conſilium Reginæ ſuæ* Crotildis *fecit Eccleſiam in honore Apoſtolorum Petri & Pauli in Pariſiorum civitate: & per conſilium B. Remigii in Aureliana civitate, Epiſcoporum Synodum convocavit; in quo conventu multa utilia conſtituta fuere.* Ea Synodus à Sirmundo noſtro plenior edita, habita dicitur *ſub die ſexto Idus Julias, Felice V. C. Conſule.* hoc eſt anno Chriſti vulgari 511. Indictione quarta. Eaque prorſus ipſa eſt, quam Baldricus in Chronico Cameracenſi cap. 8. Viennæ habitam; & *ad quam Galliarum Epiſcopos à B. Mamerto* ejus urbis Antiſtite convocatos, penè omnes conveniſſe ſcribit, ſed errore. Quomodo enim Galliarum Epiſcopi, ſub Chlodovei regno conſtituti, Viennam Burgundicæ tum adhuc ditionis civitatem conveniſſent? Non magis certè, quàm ad hanc Aurelianenſem Burgundionum Epiſcopi: quorum hic nulli comparent. Sed & Mamertus ante aliquot annos Iſicio, Avitoque deceſſerat; nec Vedaſtum noſtrum unquam vidit Epiſcopum.

Synodi tempus.

In Chlodovei non Burgundionum regno.

2. Baldricum in errorem impulit Canon hujus Synodi 27. ubi de Rogationibus ita decernitur: *Rogationes, id eſt Litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum jejunium in dominicæ Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur. per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat. quo triduo omnes abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis utantur.* Hunc Canonem cùm Baldricus Rogationum à Mamerto in ejus primum diœceſi inſtitutarum imitatione, audiſſet editum; exiſtimavit Synodum, quæ hæc decrevit, Viennæ quoque ſub Mamerto habitam. unde dicit: *Epiſcopi communi conſilio decreverunt ſervari jejunium, quod triduo ante Aſcenſionem Domini, uſque nunc per omnes Galliarum Eccleſias agitur.* Ad hanc igitur Synodum, ait idem Baldricus paulò antè, *Epiſcopi Galliarum pene omnes convocati, B. Remigium, utpote divini eloquii eruditiſſimum, & præſtantioris gratiæ privilegio facundiſſimum, venire petierunt. At vir ſanctus ſenio gravis, cùm corporis imbecillitate teneretur, beatum illuc Vedaſtum vicariæ ſollicitudinis cooperarium direxit.* Neque Remigius tamen, neque Vedaſtus ei Synodo ſubſcripſiſſe repetiuntur; tametſi Hincmarus Remigii

Quod tamē Baldricus exiſtimat, deceptus.

Inter Epiſcopos qui ſubſcripſiſſe jam repetiuntur, neque S. Remigius neque Vedaſtus comparent.

conſilio ab Chlodoveo convocatam diſertè tradat. Ego Epiſcoporum ſubſcribentium Indiculum, etiam qui à Sirmundo noſtro è tot Manuſcriptis editus eſt, mutilum exiſtimo; ſicut alios ante Sirmondum editos fuiſſe videmus.

Synodus ipſa à Chlotovecho ſe coactam dicit.

3. Ceterùm Synodus ipſa à Chlodoveo ſe vocatam, ita teſtatur initio: *Domino ſuo, Catholicæ Eccleſiæ filio, Chlotovechoglorioſiſſimo Regi, omnes Sacerdotes quos ad Concilium venire juſſiſtis. Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, ut ſacerdotalis mentis affectu, Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos, in unum colligi juſſeritis; ſecundum voluntatis veſtræ conſultationem, & titulos quos dediſtis, ea quæ nobis viſum eſt definitione reſpondimus: ità ut ſi ea quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe judicio comprobantur, tanti conſenſus Regis ac Domini majori auctoritate ſervandam tantorum firmet ſententiam Sacerdotum.* Multi ibi Canones editi, ex quibus Lector veteris Eccleſiæ noſtratis ſtatum perſpicere poterit, ſi legere grave non fuerit. In iis eſt quintus, qui de Eccleſiarum ſeu veterum pauperiorum ſeu novarum dotatione ſic loquitur: *De oblationibus vel agris, quos Dominus noſter Rex Eccleſiis ſuo munere conferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus Deo inſpirante contulerit; ipſorum agrorum vel Clericorum immunitate conceſſâ, id eſſe juſtiſſimum definimus, ut in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur, & Clerici ad adjutorium Eccleſiaſtici operis conſtringantur. Quòd ſi aliquis Sacerdotum ad hanc curam minus ſollicitus ac devotus extiterit, publicè à Comprovincialibus Epiſcopis confundatur. Quod ſi nec ſub tali ſe confuſione correxerit; donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus.* Decimus Canon Clericos ab hæreſi verè converſos, & morum probitate inſignes, præcipit ad officium ab Epiſcopis, cum impoſitæ manus benedictione ſuſcipi; ſimiliter baſilicas, quas in ſua perverſitate Gothi hactenus habuerant, ſimili quo noſtræ innovari ſolent, ordine conſecrari. Decimus nonus Abbates Epiſcopis, Monachos Abbatibus ſubeſſe, vagos Monachos ſeverè puniri jubet. Viceſimus tertius, Eccleſiæ bona præſcribi non poſſe ſciſcit. Viceſimus quartus ante Paſchæ ſolemnitatem non Quinquageſimam ſed Quadrageſimam teneri vult. Viceſimus quintus nulli civium Paſchæ, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ (id eſt Pentecoſtes) ſolemnitatem in villâ celebrare licitum dicit, niſi in infirmitate. Viceſimus ſextus, Populum ante completam Miſſam egredi vetat. Quæ omnia & ſingula quàm hodiernis Eccleſiæ Romanæ ritibus conſentiant, quàm à Novatorum dogmatibus diſſentiant, nemo non videt.

Dotantur Eccleſiæ pauperiores.

Synodi Canones præcipui.

Quinam Epiſcopi, & è quib.[9] Provinciis ſubſcribant.

4. Subſcribunt Epiſcopi, qui quidem in Manuſcriptis ſuperſtites ſunt, è Lugdunenſi prima nullus, quia erat illa tum non Chlodoveo, ſed Burgundionum Regi ſubjecta. E Secunda Rothomagenſi, *Gildardus Rothomagenſis, Litharedus Oxomenſis, ſeu Sagienſis, Maurufio Ebroicinus, Leontius Conſtantienſis, Nepos Abrincantinus, deſunt Bajocaſſinus & Lexovienſis.* E Tertiâ Turonicâ, *Licinius Turonicæ Metropolitanus, Principius Cenomannicus, Euſtochius Andegavinus. Epiphanius Nannetenſis Melanius Redonenſis Modeſtus Veneticus.* ceteri verſus Occidentem & Oceanum Epiſcopi deſunt, quia Britannis credo ſubjecti. E Quartâ Senoniâ, *Aventinus Carnotenſis, Heraclius Pariſienſis, Euſebius Aurelianenſis, Camilianus Tricaſſinus, Theodoſius Antiſſiodorenſis.* deſunt Nivernenſis, Meldenſis, & Senonenſis ipſe Metropolitanus; ſeu æger tum impeditúſve; ſeu ſedes vacaret. Quidquid ſobfuerit, Leo mox, ſi non ante æger ut dixi, ſedem eam rexit, uti paulò infrà oſtendam. Ex Aquitaniâ primâ, *Tetradius Bituricæ Metropolitanus, Eufraſius Arvernorum, Boetius Cadurcenſis, Quintianus Ruthenenſis.* Ex Aquitania Secunda *Cyprianus Burdegalenſis Metropolitanus,* ante omnes Epiſcopos ſubſcribit; an ut Præſes, an quia ætate & Epiſcopatu provectior? *Adelphius Pictavenſis, Petrus Santonicus, Lupicinus Ecoliſmenſis, Chronopius Petrocoricus.* deeſt Agionenſis. Ex Tertiâ Novempopulanâ, *Leontius Eluſanus Metropolita, Nicetius Auſcenſis, Sextilius Vaſaticus.* nec plures, quia ceteri aut Viſigothis adhuc forte ſubditi: aut etiam nulli, aut in regnorum confiniis bello detenti. Ex Belgicâ ſecundâ. *Livanius Sylvanectenſis, Lupus Sueſſionicus, Edibius Ambianenſis, Sofronius Veromandenſis.*

S. Medardus huic Synodo non adfuit; quia nondum Epiſcopus.

5. Cùm audis Sofronium Veromandenſem; Medardum quoque ſucceſſorem intelligis nondum hoc anno Chriſti 511. fuiſſe Epiſcopum. Cumque inter eum & Sofronium Allomerus adhuc in Indiculis intercurſet, planè nonniſi poſtremis Hormiſdæ annis, circa Chriſti annum 521. primum inierit, quod unum exprimere voluit in ejus Vitâ Fortunatus, licèt de utriuſque Sedis regimine primâ fronte loqui videatur. Quomodo ergo annis antè pluſquam 40. ſeu anno Chriſti 473. fuit Epiſcopus, ut Cognatus noſter immani prochroniſmo cenſet? Sed neque verum eſſe poteſt, quod poſt alios probat, Medardum & Gildardum eodem die & anno ſacratos Epiſcopos; quando hic Gildardus quidem non item Medardus reperitur Epiſcopus. Hinc vide quàm Chronologia noſtra Cognatianâ certior incedat. Omnes hujus Synodi Epiſcopi, 32. dumtaxat ſubſcripti ſuperſunt; non ſupereſt Remigius ſaltem per Vedaſtum noſtrum ſubſcriptus, ut tradit Baldricus; non Vedaſtus ipſe, non Eleutherius Tornacenſis; ex Germaniâ item Primâ Secundâve, nullus; ne Tungrenſis quidem, aut Colonienſis; non Trevirenſis aut è ſuffraganeis ejus ullus. quos omnes velut ex condicto defuiſſe quis credat? æquè præſertim uni Regi Chlodoveo ſubjectos. Aut mutila eſſe Synodi hujus exemplaria, aut illos ægritudine impedimentóve aliquo abfuiſſe, aut Sedes vacaſſe neceſſe eſt.

Mors Chlodovei certa Novembris 27. anno Chriſti 511.

6. Ceterùm à decimâ Julii, quâ Synodus habita, ad Chlodovei mortem, dies dumtaxat 139. interfluxêre. Ejus enim exceſſum vetera Sanctæ Genovefæ Pariſienſis (ubi ille ſepultus eſt) ſchedia ſeu Obituaria in 27. Novembris incurriſſe teſtantur, quæ ipſe vidi; cùm anno Chriſti ineunte 1609. ſocio ac ductore P. Jacobo Sirmundo noſtro, diem iſtum primi (quod ſciam) deteximus, & evulgavimus. Hoc autem Chriſti anno 511. contigiſſe, multa præter *Felicem* ejus anni *Conſulem* evincunt; ut quintus à Vocladenſi bello annus, & à Sancti Martini morte ſupra centeſimum duodecimus, qui ab Novembris undecimâ hujus anni fluere incipit. Nam cur minus annum hunc 512. completum cum Sigeberto & aliis intelligam, facit imprimis Gregorii mos, qui labentes ut plurimùm annos intelli-

git, non completos ut putavit Scaliger. Quod facile admittet, qui Gregorium attentè mecum excuſſerit; & conſequentia evincunt. Deinde ſi in annum Chriſti 512. mortem Chlodovei differo, annos inſequentium Regum loco ſuo luxari neceſſum eſt. Luxabuntur enim anni 23. Theoderici Chlodovei filii, & in Auſtraſiâ ſeu Metenſi regno ſucceſſoris; quem ante ver anni Chriſti 534. mortuum, ex Caſſiodori Epiſtolis validè oſtendit Baronius. Luxabuntur item 37. illi, quos ab exceſſu Chlodovei, ad exceſſum Theodeberti eodem Theoderico geniti, fluxiſſe vult in calce libri quarti Gregorius; ut & 29. alii, quos ab hujus Theodeberti tranſitu, ad Sigeberti Regis Auſtraſiaci, nepotis illius interitum ſupputat. qui ſi labentes capiantur, liquidiſſimè fluunt; ſi completi, maximè turbant, ut videre potes in Tabulis. Luxabitur denique initium Childeberti junioris, Sigeberti filii, quod in annum Chriſti expirantem 575. & quidem in Chriſti Natalem diem, ſeu Decembris viceſimum quintum incurrere, infrà validiſſimè demonſtrabo; imò jam antè in noſtra de primis Tungrorum Epiſcopis diſputatione demonſtravi. Qui omnes characteres ut aliorum ſupputationes ſummopere convellunt, ita noſtram mirificè ſtabiliunt.

Ex plurimis ejus & dicti & anni characteriſmis.

7. Certum ecce eſt Childeberti junioris initium Natali Chriſti, anno exeunte 575. Ab hoc ad Theodoberti mortem annos 29. retrò ſupputat Gregorius libro quarto finiente. rurſumque à Theodeberti tranſitu, ad Chlodovei mortem annos alios 37. Ex 37. & 29. completis anni conſiunt 66. qui de 575. item completis dempti, relinquunt 509. quo obiiſſet Chlodoveus: ut ſciſcit Scaliger, & qui eum ſequuntur. Atqui Chlodoveus Synodum Aurelianenſem habuit adhuc anno Chriſti 511. in Julio, ut ante vidimus. Anni igitur iſti 29. & 37. non completi ſed labentes dumtaxat & ad paucos dies inchoati capiendi; ut ſcilicet annos non 66. ſed 64. & dies inſuper 30. conficiant. nec enim plures ab 27. Novembris anni 511. quo mori primùm potuit Chlodoveus, ad Natalem Chriſti anni 575. expirantis, quo certiſſimè junior Childebertus iniit, interfluunt.

Maximè è certiſſimo Childeberti Regis junioris initio.

8. Non me fugit Sigebertum & Aïmoinum Chlodovei mortem in annum Chriſti 514. ſub Hormiſda Papâ rejicere. Sed neque tamen à nobis illi prorſus diſſentiunt. Sciendum enim additos vulgaribus Euſebii & Proſperi Chronicis à Chriſto annos, non eoſdem ac vulgares noſtros ſeu Dionyſianos, quibus hodie utimur, exiſtere: verum triennio illos antevertere, ut ſuperiùs fusè clarèque probo; & omnes docti jam agnoſcunt. Ita qui iſtis Proſperi, Chronicis, Aimoino item & Sigeberto annus eſt Chriſti 514. nobis & vulgari ſeu hodiernæ Chriſti Æræ triennio tardiori, eſt tantùm 511. binique iſti in ſpeciem diverſi anni, in unum eumdemque communem 5224. Periodi Julianæ concurrunt; Cyclo Solis 16. Lunæ 18. Indictione quarta, tantumque à diverſis capitibus arceſſuntur, aut ipſo ſupputationis decurſu, malè alicubi unitate augentur. Hinc vulgata illa Hormiſdæ Papæ ad Chlodoveum Epiſtola, quam Hincmarus in Remigii vita recitat, jure doctiorum pleriſque ſuppoſititia videtur, ut quæ triennio poſt obitum Chlodovei ſcripta fuiſſet. Et Gregorius Turonenſis, licet Chlodovei magnus Encomiaſtes, illius ne per umbram quidem meminit. rectèque Sirmundus noſter è Conciliorum ſuorum Codice rejecit. Solâ Hormiſdæ Pontificis mentione falluntur Aimoinus & Sigebertus; cùm Symmachi potiùs dicere debuiſſent: ſi Baroniana quidem Pontificum Romanorum enumeratio non fallit.

Aimoïni & Sigeberti lapſus.

9. Sed de Chlodovei morte Gregorium audiſſe juverit. *His ita tranſactis*, ait, *Chlodoveus apud Pariſios obiit: ſepultúſque eſt in Baſilicâ SS. Apoſtolorum, quam cum Chrothilde Reginâ ipſe conſtruxerat.* hodie Sanctæ Genovefæ dicitur. Idem habet & plura Flodoardus, Hiſtoriæ Remenſis lib. 1. cap. 15. finiente, ex Hincmaro, *Mortuus eſt Ludovicus Rex in pace, ac ſepultus in Baſilicâ S. Petri, quam Pariſiis ædificaverat. Eodémque momento quo ſpiritum emiſit, revelante Spiritu ſancto, B. Remigius Remis poſitus eum obiiſſe cognovit, & aſſiſtentibus ſibi manifeſtavit.* Ita Sancti Patres filiorum, quos Chriſto genuerunt, funera divinitùs pervident; ut ſi quid in iis expiandum ſuperſit, ſuis ad Deum precibus eluant. In Chlodoveo nonnulla expianda ſuperfuiſſe vix dubitabit, qui pleroſque ejus actus non adeo cœleſtes expenderit. Pergit verò Gregorius: *Migravit autem poſt Vocladenſe bellum anno quinto*, nimirum inchoato, ut ſuprà oſtendi. *Fuerúntque omnes dies regni ejus, triginta anni. ætas tota quadraginta quinque anni*, ſemper labentes. *A tranſitu ergo S. Martini*, ſeu 11. Novembris, anni Chriſti 400. *uſque ad tranſitum Chlodovei Regis, qui fuit undecimus annus Epiſcopatus Licinii Turonici Sacerdotis, ſupputantur anni* CXII. nempe per quindecim dumtaxat dies inchoati. *Chrothildis autem Regina, poſt mortem viri ſui, Turonos venit: ibique ad Baſilicam Sancti Martini deſerviens, cum ſummâ pudicitiâ atque benignitate in hoc loco commorata eſt, omnibus diebus vitæ ſuæ; raro Pariſios viſitans.* Hucuſque Gregorius, ſecundum hiſtoriæ ſuæ Francicæ librum claudens; & cum illo nos Tomum hunc noſtrum.

Gregorii Turonenſis de Chlodovei morte narratio. Lib. 2. c. ult.

Hincmari item & Flodoardi.

10. Atque ita Tomus Belgii noſtri primus abſolvitur, Anno Periodi Julianæ 5124. Olympiadis 322. tertio. Æra Hiſpanicâ 549. Anno à verâ Chriſti Nativitate 515. à Dionyſianâ ſeu vulgari quâ hodie paſſim utimur, ſupra quingenteſimum undecimo. Novembris die 27. Chlodoveo Regi ſupremo.

CAPUT XII.

Diœceſis Vltrajectina antiqua.

Quomodo primùm coaluerit.

1. Libris noſtris ſuperioribus, maximè decimotertio cap. 8. §. 45. diximus; *Saxonibus eorúmque fœderatis Friſionibus cis Rhenum irrumpentibus, non aliam Belgicæ extremæ partem relictam, quàm quæ Batavorum eo ævo, Toxandrorum, & Menapiorum* (hodie Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæque contigua) *erat: illinc Oceano ſcilicet, hinc Armoricis Belgíſque eorum latera prementibus. Unde factum, ut littus iſtud Armoricum hucuſque dictum, deinceps Saxonicum appellaretur.* Cumque Saxones ulterius inde cum Anglis, Friſiorumque parte in Britanniam trajeciſſent; ſolum iſtud à ſe primò occupatum, Warnis æquè ſociis reliquiſſe; qui & ipſi novum inibi

nominis ſui regnum erexerint, & ab anno Chriſti ferè 449. ad 595. totos ferè 150. annos propagarint donec à Childeberto juniore, Auſtraſiæ Burgundiæque Rege delerentur. ut fuſiùs nos eodem libro 13. cap. 1. §. 9. ex Fredegarii Appendice Gregorio jungi ſolitâ, capite 15. diximus.

2. Warnis ergo tum deletis, Regnum iſtud Warnicum, ex Saxonico priùs ortum, à Friſiis ibidem magna ſui parte remanentibus exceptum, vetus Friſiæ nomen quaſi poſtliminiò recepit; vetere tamen paulò jam ampliùs & porrectius, nempe cis Rhenum ab extremo Borealique Menapiorum Flandrorúmve latere; quod modo quatuor Ambachtorum, Officiorum, ſeu Præfecturarum terram dicimus; per oras inde verſus Aquilonem maritimas, uſque ad, imò & ultrà Amiſiam flumen, in annos adhuc fere centum Chriſti 690. propagaretur. quo denique S. Willebrordus Anglo-Saxo, vir Apoſtolicus, cum ſociis decem adveniens, Chriſti Fidem induxit; & novum ſenſim vaſtumque Friſiæ recẽtioris Epiſcopatũ ULTRAJECTINUM ad Patrum uſque noſtrorum memoriam erexit; nec niſi hæreſis demum evertit.

Eccleſiæ Ultrajectinæ circuit⁹.

3. Continebat igitur ea Diœceſis quidquid ab illis Flandriæ, quatuor Ambachtis ad Amiſiam uſque fluvium Oceano hauſtum extenditur; quidquid item inde ſurſum in Meridiem redeundo, Groningano Tranſiſalanoque territorio, per *Drent* & *Twent*, uſque ad Embrikam oppidum, dexteræ Rheni ripæ paulò ſuprà ejus divortium, adſidens, comprehenditur: quidquid denique Rheno defluente, Vahali, veterique Moſæ fluxu, per Zelandiæ Brabantiæque confinia; uſque ad & ultra brachium Scaldis Occidentale, quod *Honte* modo dicitur, & quatuor illa Flandriæ Ambachta concluditur. Plures eo tanto tantæ Diœceſeos tractu infuiſſe Archidiaconatus, nihil dubito. ſed eos necdum ſcire me contigit. Decanatus ſoli nobis illi ſubmiſſi. A Flandriâ incipiam, & in Septemtrionem progrediar.

Parœciæ in Flandria.

4. Primus occurrit quatuor iſtorum Ambachtorum Decanatus, Eccleſiis duabus ſupra triginta memorabilis: quarum nomina ſunt iſta: *HVLST*, *Houtenſſe*, *Oſſenre*, *Henſdıik*, *Paulepolder*, *AXEL*, *Polder van Namen*, *Meert* aliàs *Sudorp*, *Zoeſtenblide*, *Samſlac*, *Alendyk*, *Ottener*, *Triniat*, *Aſſener*, *Winkel*, *Wachtebeke*, *Cluſa*, *Artenvelde*, *Nyrkerk*, *Pretboom*, *Hertingen*, *Vroemdyk*, *Moerkerk*, *Willamsken*, *Steelande*, *Boechaut*, *Prera*, *Eccleſia S. Laurentii*, *Weſwale*, *BIERVLIET dua Eccleſia*, *Condkerk*. Iſtæ ſunt quatuor officiorum in Flandria Parœciæ, Decanatibus geminis Tornacenſibus antiquis contiguæ, Ardenburgenſi & Waſiæ. de quibus nos ſuprà, lib. 8. cap. 11. §. 5.

In Zelandia.

5. Qui ſequuntur in Septemtrionem Decanatus, in Zelandia ſunt: Decanatus Sudbevelandt, Eccleſias complectens omnino 46. in quibus *GOES* & *Reymerſwal*. Decanatus Scaldiæ, ſeu *Schowen* Eccleſiarum 31. quarum eminentiores *Zirickzee*, *Duvelandt*, *Browershaven*, &c. Decanatus Walachriæ Eccleſiis 52. illuſtris; in quibus *Middelborch*, Armuyden, Vliſſingen, &c. In *Porſele*, Eccleſiæ novem. In Dominio de *Putten*, decem. In Dominio de *Voem* 13. quarum præcipua BRIEL. Ita in totâ Zelandiâ Eccleſiæ fuiſſent minimùm 158. aut 160.

In Hollandia.

6. In HOLLANDIA Decanatus *Sunthollandt* Eccleſiarum erat 31. Quarum illuſtriſſima DORDRACUM. tum Cleinſlidrecht, Groteſlidrecht, Alvlaes, Alblaſerdan, Monſterkerck, Follenſen, Almſvoet, Eemskerck, Arnoulſwerde, Stremonde, Roden, Papendrecht, Riderkerck, Carneſſe, Carendrecht, Riiſoerde, Henricienkerck, Oudelamskerck, Eccleſia Danielis, Dorkerſloot, Leyderkerck, Pendrecht, Ammekerck, Donelkerck, &c. In Decanatu *Scyedam* Eccleſiæ duodecim: Rotterdam, Scyedam, Vlardingen, Oudſchie, Kercl, Vleſwic, Hildegerſbergh, Berkel, Suevenhulen, Cralingen, Yſelmonde, Scoen-yelo.

7. In Decanatu *Rynlandt* Eccleſiæ 56. Quarum præcipuæ ſunt: LEYDEN, ſeu Lugdunum Batavorum, hodie Academiæ ibidem olim Nova Eccleſia B. Mariæ. Heghebant, Lederdorp, Alphen, Sande, Woude prope DELFT, Saſſevem, Neertighent, Oeſtgheeſt, Condkerck, Eghkerwoude, Oerde, Slupic, Reuwiſc, Notorp. WASSENAR Antiqua Eccleſia de DELF, Benchuſen, Catwick. Reynſborch, Sgravenſandt, HAOGA Comitis, Nova Eccleſia in DELF, &c. Hic & ſuperior Decanatus, mihi videntur ſiti ut plurimùm in antiquis Caninefatibus.

8. Decanatus *Kener* .. Eccleſias cõtinebat 58. Quarũ emiuentiſſima erat HARLEM; Edam, Monekedam, ALCMAER in Watterlandia, Soterdam, EGMUND, Berghen, Scoerle, Lymmen, Aſſendelf, Rietwic, Perten: In *Texalia* Wammes ſive weſtende, wael, Borch, Oeſtende, Crommenye, warmeer, PURMEER, Gronchuſen, Scroede, Deka, Merken, &c.

9. In Præpoſitura Weſtfriſiæ verſus Septemtrionem & lacum *Zuyderzee*, Eccleſiæ erant 60. Quarum urbanæ erant Medeubliec, Eynchuſen, HOERN, &c. aliæ ruſticæ, in quibus *Warnerhof*; warnorum nomen fortè retinens. *Broec*, &c. Atque hactenus Hollandia, maximè maritima. Nunc Trajectenſem ſeu Ultrajectinam civitatem, Ditionemque, quæ undique ferè Hollandiâ ipsâ circumdatur, & confinia inſpiciamus.

In Trajectenſi civitate & Ditione.

10. In ipsâ Civitate Trajectenſi, ad Rheni brachium Septemtrionale ſitâ, quinque inerant Canonicorum Collegia. Primarium & Cathedrale erat S. Martini, vulgo *den Dom*. Aliæ Collegiatæ erant, S. Salvatoris antiquiſſima, adeoque ipſius S. Wilibrordi; S. Mariæ, S. Joannis, & S. Petri. Adhærebat ei & Archidiaconatus, qui in Goyenland, & circa *Amſterdam* porrigebatur; Eccleſiarum omnino 27. in quibus Eccleſia civilis in ipſo Trajecto, Eccleſia S. Iacobi ibidem, S. Nicolai & S. Gertrudis. Bunnic, Ameronghen, *Amersforde* oppidum ditionis Ultrajectinæ, Quderenſtel, Nyerenſtel. AMSTERDAM, &c. erat & Chorepiſcopatus Eccleſiarum octo.

11. Iam tres Eccleſiæ Collegiatæ priores, ſuas habebant Præpoſituras, & plures ſub illis Eccleſias. Sancti Salvatoris Præpoſitura Eccleſias ſub ſe cenſebat 72. In iis præcipuæ erant VVick propè Duerſteden, Vianen, Iſelſtein, Monforde, Oudewater, worden, &c. Infrà Iſalam & Lecham fluvios, Schoenhoven, Nieport, Gouda, &c. Iuxta Vechtam fluvium, qui in lacum Zuyderzee ad Muyden, in Goyenlandia influit, Naerden, &c. In Præpoſitura Sanctæ Mariæ Collegiatæ in ipſo quoque

Trajecto Eccleſias numerabat 20. Præpoſitura S. Joannis ibidem ſolas ſex ;| Midrecht, Willeneſſe, Snevenhoeven, Cudelſterc, Thaman,& Abconde. Decanatus item erat Wendrichen Eccleſiarum 15. Quæ omnes fere erant in Ditione Ultrajectinâ, vel circa illam. Quia tamen certus non ſum, eas ſigillarim recenſeo : VVendrichem, Capella ibidem. Riiſſwic, Ghieſſen, Andels, wcandels, wediich, wercbuſen, Ennichoven, Muulkerc, Almkere, Nyealmkere, weeiken, wetkendam, Slewie, Driel.

Friſia hodierna.

12. Sequebatur ut de FRISIA hodiernâ, ex Provinciis 17. Belgicis unâ, trans lacum Zuyderzee ſitâ, aliquid diceremus, quando ea tota ejuſdem Ultrajectenſis Epiſcopatus erat; cujus caput etiamnum eſt *Leuwardia*, civitas nunc Epiſcopalis; *Franiker* Academia Friſiorum, *Sneca Sloten*, & aliæ pleræque : ſed earum Eccleſiarum nullus numerus, nullus Decanatus in Schediis meis eſt, credo quia inutilis. Cùm nactus fuero, ediſſeram.

13. Friſiam excipiunt Groningana & Tranſiſalana, duæ è ſeptemdecim Provinciis Belgicis ditiones ſeparatæ. De Groningæ Decanatibus aut Eccleſiis, nihil ſeorſim dicunt ſchedia mea ſub Decanatu *Drenchta*, quæ pars eſt Tranſiſalanæ, contineri videntur. Sic enim lego : In Decanatu Drenchtæ, Eccleſiæ 52. Gaſſelr, Oederen, Sleen, Roſenwinkel, Iſlworſt, Sucwolde, Almlo, Kockayen, Scoenbeke, COEVORDEN, Emnee, Rolde, Beylem, Gheven, Dalem, Rivien, Sunclever, Elden, Tunenglo, Blederen, Norch, Sunerch, Vrees, Dedzee, Dielleren, Roden, Borch, waſperven, Rodenwolde, Blidenſtein. Eccleſia S. Martini in GRUNINGEN pro parte D. Bertoldi, & D. Ludolphi, Eccleſia B. Mariæ ibidem, Noorilaer, Haren, Broec, Engerwolde, Criſpenwolde, Middenwolde, Nooriik, wolſberge. Noortsheere, Venhuſen STEENWIC, Vollenhoe, Eſlo, Steenwikwont, Calderbeen. In Scillincwarf Gliet. hoem, Iſelham, VVeſterheſſel, Oeſterheſſel, Bleeſdiie, Paeſchele, Scarwonde, &c. Sub Præpoſitura *Aldenzellenſi*, ſeu *Twent.* in eâdem *Tranſiſalanâ* Eccleſiæ 22. Aldenzele ſeu Oldenzeel, Bornen, Oetmerſem, Almlo. Breſenbeen, Hakeſberge, Laer, Ennuchen, Ulſen, Delden, GOER, Merclo, Diepenhem, Holten, Leſſere. Werſele, *Enſchede*, Veltbuſen, Enghelo, VVarderden, Riſſen, &c.

In Tranſiſalania, & Zutphania.

14. In Præpoſiturâ DAVENTRIENSI Eccleſiæ 48. Eccleſia B. Mariæ Daventrienſis, Eccleſia B. Nicolai, VVichmonde, Steevren, Angherlo, Vorden, Drompt, DOESBORCH, Roderlo, Keppel, DOTECHEM, LOCHEM, Antiqua Eccleſia ZUTPHANIÆ, Nova Eccleſia ibidem, Hummel, Wold, Oeſt, Almen, Hallendoren, Batman, wilſem, Sallic, Euze, Emelwonde, Hemys, Heyms, Scapherſt, Cor, Hamme, Hardenberch, Dalmeſſen, winmen, Raels, weſcpe, wye, SWOLE, HASSELT, Iſelmund, CAMPEN, Nyebroec, Granſberghe, Maſtbroec, &c.

In Præpoſitura Embricenſi.

15. In Præpoſiturâ *Embricenſi*, ad dexteram Rheni nondum diviſi ripam, quæ eſt in Ducatu GLIVIÆ, Eccleſiæ numerantur 18. Quarum duæ ſunt Embricæ, antiqua una, altera S. Martini, Dimen, Ghenderinghen, Necterden, Kelle : Wele, Brienen, Overellen, Nederelten, Weſtervoorde, Groelen, Diedem, SEVENAR, Echem, Sedem. Malborch. Theborg. Berghe, &c.

In Geldria, ac primo in Velua,

16. Iſalâ deìn flumine trajecto, occurrit Decanatus *Velue* in Geldria; Eccleſias continens 41. Quarum præcipuæ ſunt Renen, VVagheninge, Hueſilen, Renwick, Heteren, Oeſterbeke, ARNHEM, Velp, Reden, Oſterlo ſeu Aenſtoer, Ellinghen, Spankeren, Halle, Vaeſſem, HATTAM, Varachten, Hollanderbroec, Elborch, Limſpeer, HARDARWICK, Ermalen, Pinren, Garderen, Voerchuſen, Cootwick, Elſpück, Epe Apeldoren, Heerde, Beneveldt, Ede, Bernichem, Nyekerc, Deceton; & pluſcula interſerta.

Decanatus Batuæ,

17. Confinis ei in eâdem Gueldria, ſed jam intra duo Rheni diviſi cornua, Decanatus BATUÆ. Eccleſias continebat 32. ab ipſo divortii principio. In illis erant ad cornu dexterum, *Hueſſen*, &c. uſque ad vicum *Inghen*. Ad ſiniſtrum, quod Vahalis dicitur, Hulhuſſen, Bemmael, uſque ad Iſendoren, &c. Hinc dexterum Rheni cornu in Lecham fluvium derivatur : ubi jam novus incipiebat Decanatus, ſeu Præpoſitura, quam ſchedia mea *Arnehemenſem* vocant, credo quia adhuc in Geldria, & ſub illo capite. Inerant Eccleſiæ omnino 74. In quibus *Tielwert*, & *Bommelerwert*, ſeu inſula tota BOMMEL, uſque ad *Gorcum*, & *Merwe*. Paulò interiùs BUEREN, Aſperen, Leerdam, Arkel, è regione Gorcum. Ad dexterum autem Rheni cornu, in Lecham fluvium, paulò ſuprà vicum Doreſtadienſem jam dirivatum, jacent CULENBORG, Vianen, Nieuport, fere uſque ad Dordracum. Denique Dominium HUESDEN, quod Præpoſituram iſtam Arnehemenſem cum ſuis 74. Eccleſiis ab eâ parte claudebat, continebat Eccleſias undecim, Herpt, Hueſden, Wick, Aelborch, Doeveren, Echem, Veen, Meduwen, Heeſbeem, Babilonier-broec, Ghenderen. Atque ita totus Diœceſis Ultrajectinæ circuitus antiquus expletur; Eccleſiarum Parœciarúmve facilè 800.

& Præpoſitura Arnehemenſis,

In dominio de Hueſden.

Indiculus : non eſt perfectiſſimus.

18. Fateor interim Indiculum iſtum ad me miſſum, non videri adeo exactum; & poſſe multa clariùs diſtinctiuſque dici. Si exactior obtingat, edere potero. Qualiſcumque tamen eſt, dicebatur ex veteribus Joannis Wael, Canonici Trajectenſis ſeu Ultrajectenſis rationibus anni Chriſti 1406. eductus, quem tamen hìc, ne tædium parerem, breviaſſe me fateor.

Anno Chriſti 1559 Epiſcopus Ultrajectin. in Archiepiſcopum erectus,

& quinque ſub eo novi Epiſcopi.

19. In erectione novorum Epiſcopatuum Belgicorum, anno Chriſti 1559. Ultrajectenſis Epiſcopus in Archiepiſcopum erectus eſt; & quinque novis præfectus Epiſcopatibus. quorum urbes & oppida tantùm recenſebo. Ipſi Trajectenſi Archiepiſcopo immediatè ſubduntur, Gouda, Dordracum, Roterodamum, Delfi, Leyda, Brila, Schidamum, Oudewatria, Scoonhovia, Woerda, Major pars Hollandiæ, & pars Geldriæ, cum toto territorio Trajectenſi. Suffraganei ejus Epiſcopi ſunt : Primus *Harlemenſis* adhuc in Hollandia; cujus oppida numerantur, Amſtelrodamum, Edamum, Munikendamum, Horna, Enchuſia, Alcmaria, &c.

20. Secundus in Friſia *Leuvardienſis*, cui oppida ſubjacent, Dockum ubi S. Bonifacius martyrio affectus : Bolvordia, Sneca, Stavria, Franikera, &c. *Groningenſi* tertio Epiſcopo novo, ſubeſt totum Groningenſe territorium. *Daventrienſi* Campi, Swolla, & oppida Tranſiſalanæ. *Middelburgenſi*

denique præter ipſum Zelandiæ caput Middelburgum ſubduntur urbes Armuya, Vliſſinga, Ziricꝁzea, Goeſa, Tols, & reliquæ Zelandicæ. Atque ita totus Diœceſeos Ultrajectinæ circuitus antiquus expletur; Eccleſiarum Parœciarumque facilè 800. ſi non & plurium.

Diœceſis Ultrajectina hodie fere tota ſubeſt hæreſi.

21. Ceterùm tam vetus iſta Diœceſis quàm novæ ſex inde patrum, noſtraque ferè memoriâ, natæ, hæreſi prævalente jam extinctæ, novæ etiam vixdum adhuc ortæ præfocatæ ſunt prorſus ut qui annus ferè nativitatis earum fuit, idem extiterit & mortis. quodque lugendum magis, in natione alioquin ingenuâ planeque ſincerâ. Et ſcio, mecum ingemiſcis, Catholice Lector; tanto magis, quanto immanior plurium hæreſeon colluvies, velut aggeribus ruptis in eam ſe diœceſin infudit. Quid ſi jam reviviſceret primus ejus Apoſtolus, Fidei Apoſtolicæ ſator integerrimus Willibrordus? eùm vineam ſuam tot ſudoribus plantatam, tot miraculis roboratam, tam diuturna ſucceſſione (annorum non minus mille) confirmatam, adeo nunc direptam everſamque conſpiceret? In tantâ mœroris occaſione, quis à Deo non quæreret gemebundus, *Domine, Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet Zizania?* & Zizania quidem quæ tempore meſſis extremæ in faſciculos alligata combuſturum te prædixiſti. Meliora ô Deus, meliora Pater miſericordiarum, qui non vis mortem peccatoris; ſed ut magis convertatur & vivat.

22. Pareat Lector, ſi & hoc addo, ex Tertulliano de præſcriptionibus capite 32. *Si quæ hæreſes audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut videantur ab Apoſtolis tradita, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum; evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum; ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris (qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint) habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatum refert: ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.* Sicut Ultrajectina Willibrordum à Sergio, è Romanis Petri ſucceſſoribus uno, ordinatum edit. *Proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.* Tertull.

Quæ ab Apoſtolis deduci non poteſt.

ANAKEPHALEOSIS,

SEU

RECAPITULATIO BELGICORUM

SUB ROMANO IMPERIO POPULORUM.

CAPUT PRIMUM.

LIBRIS ſuperioribus, maximè octavo cap. 11. §. 3. dixi civiles me Nerviorum, aliarumque gentium Belgicarum confines terminos paulò accuratiores daturum: totâ jam BELGII Romani hiſtoriâ completâ, id nunc

Plinii verba maximè notanda.

exequar. Ante omnia Plinii verba libro quarto, cap. 13 præ oculis ſemper habenda: *Exeundum eſt*, inquit, *è Riphæis montibus, & Cimbricâ Cherſoneſo, ut extera, ſeu maritima Europa dicantur. & litus Oceani Septemtrionalis in lævâ* (audis *extera* in litore eſſe?) *donec perveniatur Gades, legendum.* Mox ſub capitis finem addit: *Totum autem hoc mare ad Scaldim uſque fluvium, Germanicæ accolunt gentes*, à Germanis nimirum ortæ, & Germanicè loquentes; licèt eas mox capite 15. ea Belgio noſtro hodierno recènſeat: *In ipsâ Batavorum Inſulâ, centum millia paſſuum longâ, Friſios, Cauchos, Caninefates, Marſacos, qui inter Helium Flevùmque ſternuntur. Ita appellantur oſtia, in qua effuſus Rhenus à Septemtrione in lacus, ab occidente in Moſam ſe ſpargit: medio inter hæc ore, modicum nominis ſuo cuſtodiens alveum.* in Hollandiâ hodiernâ, ubi Flevum hodie dicitur *Te Vlie*, ad maritima Zuyderzee. Ad ſiniſtram Rheni medii ripam, verſus Septemtrionem, Friſia Germaniæ jam regio porrigitur, iis fere ſpatiis, quibus hodie videmus. Certior adhuc Bataviæ ſitus eſt, inter bina Rheni, qui Galliam à Germaniâ dividit cornua. Prorſus ut pro primâ ſpatii dimetiendi metâ commodè tutoque capi, & in Occaſum inde, Meridiemque progreſſus inſtitui poſſit; quem Plinius capite 17. à Toxandris ceu Batavorum Inſulæ contiguis orditur.

Batavorum ſitus inter duo Rheni cornua maximè certus.

2. *A Scaldi*, pergit, *incolunt extera* ſeu litoralia, *TOXANDRI, pluribus nominibus. Deinde Menapii*, hic ab Auguſto coarctati (nam Julius ejus pater, ſub initium Commentarii quarti, per Brabantiam hodiernam ad Rhenum uſque produxerat) *Morini, Oromanſaci juncti pago qui Geſſoriacus*, hodie Bononienſis, *appellatur*, ad dexterum Cantii ſeu Cantiæ, fluvii Teutonicè quondã *Kent*, nunc *Canche* Gallicè, latus. Tum *Britanni*, ex eodem flumine & cõfinibus, in obviam Oceani inſulam Britanniam cum nomine ſuo tranſgreſſi; ut libri primi capite primo dixi. *Ambiani, Bellovaci, Haſſi.* hodie veriſimiliter *Hen*, Belgarum ab ea parte extremi, & Lugdunenſi Secundæ Nervicaniſque jã cõtigui, in Archiepiſcopatu Rothomagenſi, licet paulò citrà Sequanam. Nec ultrà, Gades verſus, eo Belgicæ litore procedit Plinius: ſed in Ortum Belgicæ interiores ſeu Mediterraneos iter relegens ita ſubdit: *INTROSSUS autem*, non jam ampliùs in *Exteris* ſeu Maritimis, *Caſtologi, Atrebates, Nervii liberi, Veromandui, Suecones, Tungri, Sunuci, Betaſii, Treviri liberi antea* (nempe ante Veſpaſianum) qui Rhenum jam attingunt. Secundo inde Rheno, *Ubii Colonia Agrippinenſis, Gugerni, Batavi: & quos in inſulis diximus Rheni.* Ita Plinius, plures quidem alios interſerens populos, ſed ad Belgium noſtrum nihil attinentes.

Populi Belgici, inter Rhenum ac Sequanam.

3. Jam maritimos, ſeu *Extera incolentes*, examinemus. *Toxandrorum* limites ſuprà libro quinto, capite 14. §. 4. ſatis definivi; nempe intra Scaldis oſtia, intra Oceanum, Batavos & Moſam ſurſum, uſque ad oppoſitos Demeræ fontes; deinque intra ipſum Demeram, donec Scaldi ad Rupelmundam miſceatur, jam Rupela ſeu Rapula dictus. *Menapios* ſimiliter libro priori, capite 12. intra ſiniſtram Scaldis Inferioris ripam, intra Oceanum, uſque ad Neoportum Flandriæ hodiernæ portum, primoſque Morinorum terminos concluſi; in mediterranea verò lineâ à Neoporto Cominium uſque oppidum Liſæ fluvio adſitum, imo & ad Scarpum amnem ex Atteſiâ Duacoque in Scaldim ad Mortaniam influentem, porrexi, indeque ſiniſtra Scaldis ripâ per Tornacum gentis caput, per Gandavum, ad Oceanum uſque reduxi. Quem terrarum tractum uſque ad erectos novos Epiſcopatus, ſacra eorum Diœceſis obtinuit. ut fuſiùs libro octavo, capitibus undecimo, & quartodecimo, alibique demonſtravi. Ceterùm in hac Plinii maritimâ deſcriptione, nulla prorſus eſt de Nerviis ad mare mentio; ſed neque locus illis huculque ſupereſt ullus.

Primo Toxandri.

Menapii.

4. Sequuntur *Morini, hominum* ab hac continentis parte *extremi*: & ad Oceanum à Neoportu per Dunquerquam, *Mardik* ſeu *Marcis* in litore Saxonico, per Gravelingam, Caletum, *Witſand* (quem portum Iccium facit Camdenus non improbabiliter) per Bononiam ſeu Geſſoriacum, uſque ad amnem Cantium ſeu Cantiam, mari ſe ad vicum hodiernum *Eſtaples* infundentem; ſequentibus proximè ea Plinio *Britannis*; quos ſupra libro primo cap. 5. Britanniæ vicinæ inſulæ ſuum, ſicut & Cantio ejus primo promontorio Kentii amnis ſui nomen, migratione ſuâ, dediſſe dixi. Ibique deſiiſſe videntur Morini; niſi *Pontivus* pagus ſeu ditio, Gallicè *Ponthieu* ipſis quoque adjunctus fuerit, ut quibuſdam non male videtur. Morinorum porrò caput, omnium conſenſu fuit, ſemper *Taruenna*, Civitas Epiſcopalis nec parvæ Diœceſis; in tres novas poſt Carolum quintum Imperatorem

Morini.

diviſæ, in Bononienſem ſcilicet, Audomarenſem, & Iprenſem. Quæ ſequuntur Belgicæ ad mare Civitates, Ambiani, & reliqoæ ad Rothomagenſem uſque Epiſcopatum, jam extra Belgium ſunt, & nihil ad inſtitutum noſtrum.

Mediterranei primùm Atrebates.

A Cantii amnis fonte ad Scaldim

5. Cum Plinio igitur iter noſtrum per *interiora* ſeu Mediterranea relegamus. Primi ab eo nominantur Caſtologi, jam incomperti. Tum ATREBATES, ac NERVII. Atrebates ab ipſo Cantiæ amnis fonte, aut non procul ineont; & Morinos inter atque Ambianos ad Scaldis uſque fontea ac ſuperiora, Valencenas, & Scarpæ amnis cum Scaldi confuſionem, expanduntur: adeò preſsè, ut quidquid intra Valencenas ipſas ad ſiniſtram Scaldis ripam extenditur, Atrebatenſia adhuc hodie, uti ſemper, Diœceſeos Eccleſiaſticæ ſit; ſicut & intra ipſum Tornaci pomerium; inter binos confinea Epiſcopos Tornacenſem ipſum & Cameracenſem, ab omni ævo accidiſſe videmus. Adeo conſtanter fluvius iſte nomine ſuo Teutonico *diviſionem* & ſignificat & facit; & quidem à fonte ipſo ad Oceanum uſque, per intercurſantes ipſique adſitas quaſvis urbes. Atrebatibua ipſis, ſeu eorum Regi Comio, Julius Cæſar ipſe libro 7. ob ejus *fidelem utilémque operam Morinos ſe attribuiſſe*, diſertè ſcribit. Nec tamen ideo Morinos Atrebatibus immixtos aut confuſoa rectè quis dixerit; quod nonnulli de Menapiorum gente Nerviis adjunctâ, ſine auctore, ſine ratione, dicere videntur; de quo plura moa in Nerviis. Morini certè quantumvis Atrebatibua à Cæſare attributi, peculiarem ſemper inclytumque per ſe populum ad nos uſque conſtituerunt: quod & de Menapiis mihi quidem certum eſt.

6. Porrò quod Valencenas inter ac Scaldis ortum ſpatium à ſiniſtra ejus ripa ſurſum interjacet; ſicut adhuc hodie ad Arteſiæ noſtræ ſive Atrebateſiæ juriſdictionem civilem attinet; ita ab ævo Romani Imperii ſemper, & à Conſtantini filiorúmve ejus ætate etiam in ſacris Eccleſiaſticisque attinuit; gratâ tutâque juriſdictionis utriuſque conjunctione, quò altera alterius auxilio fulciretur. Quod non in Belgio ſolùm noſtro; ſed & totâ Galliâ inſtitutum ratio ipſa ſat evincit; & jam ante nos Beatua Rhenanus, Scaliger, Nicolaus Samſon aliique plures ſapienter adverterunt, egoque longâ pertinacique ſtudiorum experientiâ quaſi manu palpavi. Erant tum eo terræ tractu, duo Diœceſeos Atrebatenſis Eccleſiaſticæ Decanatus, Valencenenſis, ac Bollomanſenſis, ambo Scaldim ipſum ſuperiorem attingentes, & ſolo Scaldi à Cameracenſi divulſi. Bellomanſenſis etiam (hodie Beaumè) ipſas urbis Cameracenæ portas attingebat, Curasque ſeu Parochias pluſquam 50. continebat; imò etiamnum 54. in ſola Atrebateſiâ ſeu contractiùa Arteſiâ, recenſet. Verùm cùm anno Chriſti 1094. Romanua Pontifea Urbanus ſecundus Atrebatenſem Epiſcopatum, à Cameracenſi, poſt annorum facilè 534. conjunctionem, divelleret; Cameracenſea Bellomanſenſem iſtum Decanatum ſuæ civitati tam contiguum commodumque fortiſſimè retinuerunt; ne ſimile quippiâ quod Tornaci Valencenisque videbant, paterentur incommodum. Nec Atrebatenſes diu contenderunt: digiti potiùs unius, quàm totius corporia abſciſſione prudenter prælatâ. tametſi hinc factom videamus, ut Atrebatenſis eâ parte Epiſcopatua vix gracili tenuique radio Scaldim ineptè jam attingat, quem

Diœceſes ſacræ & profanæ ſub Romanis eædem.

antea tota penè ſui latitudine ab ipſis primis fontibus ad Scarpum, amnē Atrebatenſem faucibus illius abſorptum, complectebatur. Redde illi Decanatum abſciſſum, pleniorem omnino quadratiorémve videbis. ut ſupra libro octavo capite undecimo, §. ſexto dixi.

CAPUT II.

De NERVIIS, & Cameracenſi Epiſcopatu.

Nervii ad dexteram Scaldis ripam; uſque ad Demeram.

7. IAm Atrebates atque Menapios ad ulteriorem dexteramque Scaldis ripam NERVII verſus Orientem excipiebant; Belgarum non minùs quàm duæ præcedentes, inclyta gens: Hannoniâ hodiernâ fere totâ, Bruxellenſi Aloſtenſique agris integris, aduſque Demeram fluvium Mechliniamque porrecti. Nam ultra Demeram ad Oceanum uſque *Toxandri*, ut ſupra diximua, incolebant; nullo unquam proprio, quod ſciam, ſub Romanis Epiſcopo decorati, quandò via ante annum vulgarem 690 ſeu ante Sancti Lamberti, Hubertique Tungrenſium Epiſcoporum tempora, Chriſti religione conſtanter imbuti videntur. Et Cameracenſes tamen ejuſdem aut paulò anterioris ætatis Antiſtites, in partem laboris ac fructûs iſtius advenerunt; Antuerpienſem ſuum Archidiaconatum ex Curis ſeu Parochiis ibidem Chriſto adjunctis 97. id eſt fere centum; ſicut & Tungrenſes ſuum Kempinienſem haud paulò majorem, ex Decanatibus ſeptem, Parœciis indidem 361. compoſuerunt; & ad novos Epiſcopatus erectos retinuerunt. Ne ad ipſum Oceanum utrique Chriſti fidem extenderent, Saxones Warnis, Friſiiaque conjuncti, obſtiterunt; ſinus Aremoricum (in cujus parte, Toxandri agitabant) jam inde ante Diocletianum infeſtantes, mox etiam ſucceſſivè incolentes; barbaræ tum, nimiumque ritibus Ethnicis addictæ gentes omnes, & à Chriſto alienæ.

A Demerâ uſque ad Oceanum Toxandri.

partim à Leodienſibus, partim à Cameracenſibus converſi.

8. Ceterùm quæ fuerit antiqua primaque (quantum ſcire fas eſt) Cameracenſis Epiſcopatûs partitio, ſupra libro octavo, capite undecimo ſatis dixi. Et ex illâ civiles Nerviorum ſub Romanis, poſt ordinationem Auguſti, limites colligere poſſumus; quando ſub illis profanas ſacraſque gentium Gallicarum Diœceſes eaſdem ut plurimùm, extitiſſe jam vidimus. Ut igitur Atrebates atque Menapii lævam Scaldis ripam à primis illius fontibus ad Oceanum uſque, ſic Nervii dexteram ad Demeram amnem Mechliniamque verſua Septentrionem obtinebant; verſus Orientem verò, per Hannoniæ Franciæque hodierna fere confinia, ad oppidum uſque ſaltem Chimacum, ſi non etiam primitùs ultra, porrigebantur. unde reducta in Boream Demeramque linea circa ejuſdem Demeræ Diliæque Lovanienſis amnis confluxum terminabatur. Is fere tum erat Nerviorum Auguſtæorum tractus; Hannonienſi hodierno, ut dixi, Bruxellenſi Aloſtenſique agris concluſus. Ita tamen ut hodierna Hannonia quaſi cor ejus extiterit: in quâ ſcilicet Bavacum, quod ſemper ab antiquis Romanorum Scriptoribua *Nerviorum* κατ' ἐξοχὴν, ceu caput appellatur; Fanum-Martis item Nerviorum,

Atreb. & Men. ad lævam Scaldis ripam totam etiam Tornaci.

Cameracum;

Cameracum; Tornacenſis item civitatis pars facilè tertia, Tranſſcaldana ſeu Bricciana, quæ nobis nuper Childerici primi Francorum Regis ſepulchrum detexit; ut fusè Chiffletius in ſua Anaſtaſi. *Sabis* denique *Fluvii*, ab ipſo Julio Cæſare libro ſecundo Nerviis adſcripti, ſaltem ſuperiora comprehendebantur.

Nervii Ciceroni parum noti.

9. Nerviorum gentem nomenque Julius Cæſar primus Romanis aperuit; antea uſque adeo ignotum, ut Cicero ad Quinctum Fratrem libro 3. Epiſtola 8. ſcribat, *Ubi iſti ſint NERVII, & quàm longe abſint, neſcio.* tametſi poſt eos à Cæſare ad Sabim internecione penè deletos anno jam tertio, U. C. ſeptingenteſimo Varroniano, id ſcriberet. Quæ fuerit autem illa ad Sabim pugna, tantaque victoria, & qua Sabis parte patrata, hic me dicturum promiſi ſuprà, libro 3. cap. 8. §. tertio. & jam facio. Cæſaris de eâ re narratio diligenter hic à Lectore ex libro ejus ſecundo, repetenda. *Ambianorum*, inquit, *fines Nervii attingebant. homines feri, magnæq; virtutis; qui reliquos Belgas increpitarent incuſarentq; quod ſe populo Romano dedidiſſent, & patriam virtutem projeciſſent. ſe neque legatos* ad Cæſarem *miſſuros, neque ullam conditionem pacis accepturos.* In eos igitur ille ex Ambianis movit. haud dubiè, ut ex ſequentibus apparebit, ſecundum adverſum Somonæ ſeu Samaræ fluminis Ambianenſis decurſum; ut ex ſequentibus apparebit, quando neque Scaldis, ſupra cujus fontes ſcilicet incedebat, neque alterius ullius fluvii in itinere occurrentis mentionem ante Sabim infert. Nam primùm ſubdit: *Cùm per Nerviorum fines triduo iter feciſſet, inveniebat ex captivis, Sabim flumen ab caſtris ſuis, non amplius millia paſſuum decem abeſſe; trans id flumen, omnes Nervios* (nota) *conſediſſe; adventúmque ibi Romanorum expectare, unà cum Atrebatibus & Veromanduis finitimis ſuis. Nam his utriſque perſuaſerant, ut eamdem belli fortunam experirentur: expectari etiam ab his Atvaticorum copias, atque eſſe in itinere: mulieres, quique per ætatem ad pugnam inutiles viderentur, in eum locum conjeciſſe, quo propter paludes exercitui aditus non eſſet.* Hucuſque verba Cæſaris; benè expendenda.

Locus Cæſariani contra Nervios prælii.

Ad Sabim Hannoniæ amnem.

Cæſar in Nervios nō per Atrebates, ſed per Somonæ Scaldiſque fontes ivit.

10. Imprimis *Atrebatibus atque Veromanduis finitimis ſuis perſuaſerant Nervii eamdem belli fortunam experiri.* Cæſar ergo per Atrebates exercitum ſuum minimè trahebat; cur enim hi, ſi ab Cæſaris tranſitu vaſtarentur, ſua primùm non defenderent; ſed iis relictis, trans Sabim, in medios Nervios ſe reciperent, cùm eos ad ſe potiùs advocare deberent? Omnino Cæſar ad Scaldis Somonæque fontes rectà tendebat, Atrebatum fines nonniſi ad lævam ſubradens, ut ab Ambianis jam *deditis* & amicis, comeatum ſuum tantò faciliùs hauriret: & ſtatim in Nervios belli auctores trans Scaldis ſuperiora pervaderet; Bavacum eorum caput inpeteret: bellum ita primo impetu patraturus. In eo itinere addit, iter per *Nerviorum fines triduo ſe feciſſe*: nempe à Caſtelleto, & ipſo Scaldis fonte, per extrema Cameraceſii Veromanduorumque confinia, ad Sabis ipſius originem procedebat, modicis dierum itineribus, & toto triduo; ne militem periculosè mox conflicturum fatigaret; quæ fere decem paſſuum millia ſunt. Inde ad Sabis eum locum, è cujus ulteriore regione Nervii cum ſociis Cæſaris adventum expectabant, acceſſit. Qui quidem à me non poteſt adeo præfiniri; niſi per otium, & vacuos à militibus prædonibuſque dies; quos nec

Bavacum verſus tendens.

hæc tam diuturna duraque viginti jam annorum bella hucuſque nanciſci non potui, tametſi ſæpè deſideraverim. Cæſaris interim iſta deſcriptio ſufficiat.

11. *Loci natura hæc erat, quem noſtri caſtris delegerant. Collis ab ſummo æqualiter declivis, ad flumen Sabim* (*quod ſupra nominavimus*) *vergebat: Ab eo flumine* ſeu trans id flumen, *pari acclivitate collis naſcebatur adverſus huic & contrarius, paſſus circiter ducentos: infimus apertus; ab ſuperiore parte ſylveſtris; ut non facilè introrſus perſpici poſſet. Intra eas ſylvas hoſtes in occulto ſeſe continebant; in aperto loco, ſecundum flumen, paucæ ſtationes equitum videbantur. Fluminis erat altitudo circiter pedum trium.* Notat denique inferiùs *flumen* ibi *fuiſſe latiſſimum, altiſſimis ripis, locum belli ſubeundum fuiſſe iniquiſſimum.* Ex iis quæ ſubinde per Sabis ripas tranſeundo notare potui; eo ſpatio quod inter fluvioli è Maricolenſi Monaſterio defluentis, Sabiſque confluxum; per Barlemontium, Pontem Sabis, & Altimontenſe Cœnobium, aut vicum *Sainct Remy mal batu*, forte à Nerviorum cæde ita dictum, intercurſat: ego quidem eam pugnam accidiſſe non dubito. Nam ibi pleraſque Cæſaris circumſtantias perſpexi: fluminis Altiſſimas ripas, altitudinem trium ſæpè pedum aut circiter; latitudinem tamen non modicam; colles binos utrinque ſibi adverſos & contrarios: ſylvam à Nerviorum ibi latentium parte, benè denſam & magnam, *Mormaliam* nomine; quæ vel 60. militum millia, bene compacta præſertim, occuleret, maximè Cæſaris ævo ſylveſtriore. Et aptè iſta ſylva Sabim inter ac Bavacum Nerviorum, gentis tum caput, interjacet, quod maximè prælii cupidior Cæſar adpetebat.

Quæ natura loci, in quo pugna facta.

Inter Maricolenſe & Altimōtenſe cœnobia. ad Sabim.

12. Ex quibus omnibus certò conficitur, quod volumus; & prælii locum ibi fuiſſe. & Hannonios potius quàm Tornacenſes eſſe Nervios. Imò, quantumvis adhuc ſylvæ illæ Cæſaria, Sabi è collibus imminentes, ſimiré Mormalia; præciſior item pugnæ locus inquiri poſſet; Sabiis tamen jam nunc *in finibus Nerviorum amnis* à Cæſare poſitus, quin Hannoniorum hodie, nulla ratione Tornacenſium ſit, nemo non videt. quandò ab horum agris Scaldique fluvio ſibi occiduo, tanto magis abſcedit, quanto magis defluit; donec Namurci, Tornaco benè procul, Moſæ faucibus hauriatur; nullam planè Tornacenſis Epiſcopatûs, ſeu antiqui ſeu novi partem attingat. Unde ſupra libro 8. cap. 11. & ſequentibus; argumentum pro Tornacenſibus Nerviis nullum proferre potui, niſi quam eorum nonnulli nominis poſſeſſionem urgent, & quam tamen ſub Romanis nullā fuiſſe oſtendi, nullam item media ætate; quæ autem ab anno 1000. aut 1100. prætenditur, nunquam pacifica fuit à pleriſque doctioribus ſemper Impugnata. quin etiam à Tornacenſibus ultrò agnita, cum tranſcaldanam & facilè tertiam urbis ſuæ partem, Nerviorum Bavacenſium Cameracenſiumque Epiſcōporum, non ſuam ſemper fuiſſe, & nunc adhuc eſſe, fateri coguntur. Ego tamen quæſtionis deciſionem Lectori relinquo, ut dixi, ne cui vim inferre velle videar. Addo inſuper, ſi quis meliora clarè proferat, in ejus me ſententiam pedibus manibuſque ſemper conceſſurum. Et quidam amici proferre conati ſunt, quæ & ego non minus amicè perpenſum eo: quando ea libro octavo, capite undecimo, & ſequentibus, non expedi; ſed in hujus Tomi finem rejeci, totâ

Unde Hannonii potius Nervii.

Ut & Cameracenſis Diœceſis.

Quod tamē Lectoris judicio relinquitur.

 jam

jam Belgii Romani hiſtoriâ completâ, Lectorique probè cognita.

CAPUT III.

Prolata quædam ab amicis pro Tornacenſibus argumenta expenduntur.

Argumenta pro Tornacenſibus Nerviis propoſita.

13. DUo vel tres amici ſingulares, ad quos Problematicam iſtam Diſſertationem, examinandam cenſendamque ultro tranſmiſi; nonnulla circa illam dubia, & pro Tornacenſibus Nerviis argumenta peramicè propoſuerunt; quæ non minus amicè, perattentéque diu expendi, nec mea tamen ab iis convelli, animadvertere potui. Lector, cui ea omnia ſincerè propono, judicare poterit.

Nerviorum æſtuaria. Prima objectio.

14. Unus ex iis hoc propoſuit: Cæſar *Nerviorum Æſtuaria paludéſque* nominat diſtinctis vocabulis. æſtuaria propriè ſunt maris: ad illud ergo pertinuerint Nervii. Niſi Cæſarem linguæ latinæ parentem, latinè tamen neſciſſe dicas. Facilis & quidem gemina ad hoc eſt reſponſio. Prima, non ſemper æſtuaria mari prorſus adhærent; ſatis eſt ſi à maris etiam remotioris æſtu naſcantur. Nervios ego non Hannoniâ ſolâ concludo, ſed & ad Aloſtenſem Bruxellenſemque agros, Demeramque fluvium extendo. ad quem, præſertim Rupelmundam inter ac Mechliniam, maris ipſius æſtum quotidie fundi refundique, vel pueri qui ea incolunt navigantque loca, non ignorant. Et ignoraret hoc amicus? & ſi æſtuaria inde orta diceret, latinè non loqueretur? Latinè non loquitur doctiſſimus ac vetuſtiſſimus Auctor de mirabilibus Scripturæ, apud Auguſtinum Tomo tertio, cùm ante annos mille ſcribens, libro primo capite ſeptimo, voces *Ledo* & *Malina* (unde Gallicum noſtrum *Maline*) pro maris acceſſu receſſuque uſurpari dicit? Quod etiam Molanus in S. Rumoldi Mechliniæ tutelaris vitâ, prima Julii die non tacet. Utrumque per otium conſulat Lector; neque contra latinam linguam, neque contra veritatem peccaſſe me fatebitur.

uſque ad Demeram & Mechliniam.

Malina pro maris acceſſu receſſuq; apud Scriptorem de mirabilibus Scripturæ.

15. Altera reſponſio, & à Metaphora, & à Catachreſi benè latinâ duci poteſt. Quot auctores hominem proſperitate fortunæ vehi ſolitum, æſtu ſecundo navigare, dicunt, non latinè modò, ſed & elegantiſſimè? Amicus ipſe noſter Vendelinus, & eo nihilo inferior Nicaſius Fabius, Tornacenſis utecque Canonicus longè digniſſimus, uterque antiquitati deditiſſimus, ſcripto mihi affirmarunt; notaſſe ſe cum in Hannoniâ degerent, circa Guiſlenepolim ac Condatum oppida depreſſiora, non hyeme ſolùm, ſed pluvio quovis tempore, ingentem aquarum vim ſæpiùs aggregari, quæ maris inſtar fluctibus æſtuet reciprocis. Quidni eam aquarum aggregationem *Æſtuaria* Cæſar, vel ſola eâque latinâ catachreſi, vocare potuerit, in quæ ſenes, mulieres ac pueros Nervii noſtri, tametſi Hannoniâ ſolâ finirentur, conjecerint?

Æſtus & æſtuaria ſæpè metaphoricè & catachreſticè dicuntur.

etiam ex aquis pluvia congregatis.

16. Nec magis urget ſecundum amici argumentum, quo Nervicanum litus à Paulino Nolano, Epiſtolâ ad Victricium Rothomagenſem circa annum Chriſti 400. Epiſcopum, memoratum, adeo Nerviorum Belgicorum eſſe credit, ut vicinorum Morinorum implicatione ceu nodus Gordius Alexandrum ipſum vinciat; ego autem ſola negatione, ceu deſperationis pleniſſimus diſſimulem ac declinem. Ego verò nunquam deſperavi, ſed nec ullam deſperationis cauſam à tam debili telo video. quod adhuc non in me, ſed in Plinium ipſum, & Imperii Notitiam intorquetur. Plinium jam aliquoties in medium protuli, populos omnes Belgii noſtri maritimos, ſeu ut vocat *exteros* exteriuſve poſitos ordine recenſentem lib. 4. c. 17. Batavos, Toxandros, Menapios, Morinos, Britannos, Ambianos, Bellovacos, Heſſos, omnes paulò cis Sequanam in extremo Rothomagenſi Epiſcopatu, deſinentes. Nulla prorſus Nerviorum mentione, magno contrà planeque negante ſilentio. Inter quos, oro, Nerviorum noſtratium littus amicus inſulciet? Omnino nullibi; quin ipſe potius eò deſperationis adigitur, ut Menapios, gentem celeberrimam, & ſub Julio Cæſare Nerviis etiam multo ampliorem ſi non & potentiorem, Nerviorum clientes, imò etiam partem, adeoque Nervios ipſos Nervicanum Paulini litus incolentes, vocare cogatur. Quo auctore, quâ ratione? omnino nulla. Quare ut gratis dicitur, ita gratis negatur. Neque verò Nervios Plinius ſolùm à mari arcet; ſed & *extrorſus* poſitis gentibus opponit; adeóque *introrſus* ſeu in mediterraneis eos diſertè locat; cùm eodem capite 17. libri quarti ſubdit; *Introrſus autem Caſtologi, Atrebates, Nervii. Veromandui*, &c.

Secunda objectio. Nervicanus tract⁹ à Belgico Nerviorum diverſus.

Nervios Plinius non maritimos, ſed mediterraneos facit.

17. Plinio conformis eſt Notitia Imperii; quæ tractum Nervicanum maritimum, ab Occidentali Galliarum promontorio Gobæo legens, Blabiam quidem, Venetos, Oſiſmios, *Aletum*, hodie *S. Malo*; Abrincatas, Conſtantiam, Bajocaſſes, enumerat, ſed in Rothomagenſi diœceſi finit, Plinianis Belgarum ad mare populis ex adverſo occurrens, & eodem fere loci puncto deſinens. Tantum verò abeſt ut à fine Rothomagenſis diœceſis, Nervicanum iſtud litus ad Morinos jam vicinos, aut ad Menapios Nerviorum, ut ait amicus, clientes ac partem extendat, ut contrà potiùs in Aquitaniam vertatur, & ſubdat; *extenditur tamen tractus Armoricani & Nervicani limitis, per Provincias quinque, Aquitaniam primam & ſecundam, per Senoniam, per Lugdunenſem Secundam & Tertiam*, quæ hodie ſunt Normandia & Britannia Gallicæ: In Belgicam verò nulla ratione extendit; quia illam ad Nervicanum vel contractiùs Nervicum litus, nullo modo pertinere, Plinio conformis, agnoſcit. Ac proinde neque Paulinus noſtrates Belgicoſque Nervios hic intelligit; ſed Nervicanos eos ſolos qui in Normanniâ hodiernâ etiam hodie Archiepiſcopatui Rothomagenſi, tanquam Provinciæ Metropolitano ſubduntur; & à Victricio tunc Archiepiſcopo ad Chriſti fidem amoremque colebantur: non Nervii noſtri qui ad eam Provinciam neque Eccleſiaſticè neque civiliter attinebant: ut cuivis eam Epiſtolam attentè legenti perſpicuum eſt.

Notitiæ Imperii conſentiens.

Nervicani Epiſcopi ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi.

& ſub ipſo Victricio.

18. Tertiam adhuc objectionem propoſuit idem amicus; Nempe, unum quidem eumdemque primùm fuiſſe Nerviorum atque Menapiorum Epiſcopum; ſed Tornaci non Cameraci Bavacive reſediſſe; donec diviſio fieret. Semper recurrit eadem quæſtio. Quo id auctore, quâ ratione? Si idem de Cameraco dicerem, an crederet? Quæ gratis aſſeruntur, gratis negantur. Demus tamen

Tertia objectio. Epiſcopum Tornacenſem primò fuiſſe Menapiorum ſimul & Nerviorum.

amico,

Refellitur.

amico, quod gratis ſupponit: Peto poſt factam diviſionem, cui potiùs adſcribendum Epiſcopi Nerviorum nomen? Tornacensine, qui inde nullum prorſus Nervici nominis in totâ ſuâ diœceſi, ne Tornaci quidem, veſtigium proferre poteſt, an Cameracenſi Bavacenſive, qui etiamnum plura profert? Imò qui Tornacenſis ipſius urbis tertiam facilè partem ſibi retinuit, ſecum abſtulit, ſibi hucuſque retinet. cùm Bavaci Cameracive nullam prorſus Tornacenſis unquam habuerit.

Chiffletii lius, qui Tornacum tranſſcaldanũ Nerviorum vocat.

19. Quare non poſſum hîc Dominum Chiffletium non laudare, qui Childerici Regis ſepulchrum nuper inventum, *Tornaci Nerviorum* inventum dicit, Nempe civitatis eâ parte quæ ad dexteram Scaldis ripam & ad S. Briccium, verè Nerviorum eſt, ac ſemper fuit; Cameracenſi Epiſcopo ſubdita: non in alterâ ad lævam, licèt majore & Epiſcopali; quæ jam ex fluvii diviſione non Nerviorum, ſed Menapiorum planiſſimè eſt; vel ſolo teſte Philippo ab Eleemoſyna Bonæ Spei in Hannonia Abbate, & S. Bernardi ætati coævo, in vita Sancti Amandi cap. 20. Quam eamdem urbis Tornacenæ diſtinctionem diviſionemque agnoſcit in ſuo præcepto Chilpericus Rex, cùm Teloneum ipſius Eccleſiæ Tornacenſi largitur *tam ultra quàm citra fluvium SCALT;* imò eandẽ formulam uſurpat etiam hodie duplex ejus Magiſtratus, cùm in unum congregatus edicta ſua, *deça & dela l'Eſcaut* ſervari mandat: de quo, ut & de Chilperico iſto Rege, plura inferiùs

Ciſſcaldanũ eſt Menapiorum.

Bavacum ad Vandalos uſque ſtetit integrum.

Neque demum verum eſt quod adhuc urget amicus, Bavacum ſub Gallieno Imperatore à Chroco Germano deletum. unde ab eo ſaltem tempore utriuſque Diœceſeos Epiſcopus Tornaci reſederit: quando annis adhuc poſt Gallienum facilè 150. Bavacum integrum ac florens, primariæ urbis inſtar, ab auctore Tabulæ Peutingerianæ, ſub Honorio & Theodoſio juniore Imperatoribus, repræſentatur. Quæ omnia denique certò concludunt, Bavacenſem Epiſcopum Tornacenſi nunquam ſubjectum unitúmve fuiſſe; ſed utrique peculiarem ſemper ac proprium, à Conſtantini Magni aut filiorum ejus ætate, extitiſſe Epiſcopum.

Quis ſit Chilpericus Rex donationis Tornacenſis auctor.

20. Ceterùm D. Chiffletius, cui plurimum defero debeoque, veniam dare ne gravetur; ſi Chilpericus Rex, Donationis hujus auctor, non primus nomine, Tornaci à fratre Sigeberto obſeſſus; ſed ſecundus tantùm mihi videatur. Nam primus ſecundi hujus annus cum Chriſti 715. & Indictione terriadecimâ liquidiſſimè componitur. quod primo commodè aptari non poteſt. Rurſus Chraſmaro Noviodunenſi Tornacenſique Epiſcopo fit iſta Donatio, quem omnes antiqui Manuſcriptique Tornacenſium Epiſcoporum Indiculi, ad Hilperici ſecundi tempus ea priorum ac poſteriorum ſerie conſtanter referunt. Tertio denique dies emortualis Chilperici, hujus Donationis auctoris, longè certiùs liquidiúsque ſecundo quàm primo convenit. Nam Eccleſia Tornacenſis adhuc hodie obitum Chilperici ſui celebrat quinto Kal. Apriles; ad hunc ſecundum aptiſſimè; cùm primus circa Septembrem anni 584. mortuus omnino videatur, ex Gregorii Turonenſis libro ſexto, capite 45. & 46. quæ ſunt iſtius libri capita duo poſtrema. Secundus verò Chilpericus circa finem Martii ſeu circa diem obitus ſui quotannis etiam hodie in Eccleſia Tornacenſi recoli ſolitum, defunctus & Noviomi ſepultus ſit, ex Annalibus Pithœanis, poſt annos

Videtur eſſe eo nomine ſecundus.

regni ſui ſex, & menſes aliquot. Id amore veritatis hic monere viſum; Lector quod volet ſequi poterit. ſicut & in omnibus meis fieri deſidero, nullius omnino quàm veritatis tandem agnoſcendæ cupidior, ut ſequenti capite ingenuè facio. Deſideravi ſæpè, & conatus ſum donationem iſtam Chilperico primo adſcribere. nunquam liquidè potui.

CAPUT IV.

De NERVIORVM nomine, Tornacenſibus adſcripto.

Amici obſervatio.

21. HUjus anni 1654. menſe Junio poſtremo, Problematicam meam de Nerviorum Epiſcopo, tametſi jam libro Belgii mei octavo, capitibusque 11. 12. 13. 14. cuſam, ad plures amicos ultrò tranſmiſi; Cenſuras eorum ſincerè expetens; ne vel falli, vel aliquem meritò offendere poſſem. Varii varia ſcripſerunt; quæ ego omnia diligenter excuſſi; excuſſis partim ut potui reſpondi, partim etiam aſſenſus ſum, & ut petierunt, explicui. Nicaſius Fabius inter ceteros mihi familiaris & intimus, Canonicus Tornacenſis meritiſſimus & humaniſſimus, literaturæ politioris & Antiquitatis ſtrenuus indagator, de Henrico Tornacenſi circa annum Chriſti vulgarem 1140. Canonico, cujus tertium-decimum libri mei octavi caput 5 mentionem facit, me ita monuit:

Opinio de Henrico Canonico Tornacẽſi.

& monitio.

22. Diligentia tua, quantum video, in Manuſcriptum quemdam Codicem incidit, cujus initium S. Eleutherii Vitam primùm; mox Tornacenſium Epiſcoporum ſeriem, uſque ad Epiſcopi proprii reſtitutionem, ſeu annum Chriſti 1146. denique finis, Tornacenſis urbis originem exhibet. cujus auctorem Herimannum S. Martini Abbatem credidit. Ego tamen non puto: quando ibi capite 39. auctor ita ſcribit: *Hoc etiam ſilendum non arbitror, quod ab Epiſcopo Tornacenſi Heidilone mihi relatum eſt: Quadam cæca & muta mulier, in die depoſitionis S. Eleutherii, ante altare adducta obdormivit.* &c. Heidilo anno Chriſti 880. vivebat: Herimanno 260. totis annis ſenior. Herimannus igitur nec ejus Manuſcripti nec iſtius vitæ S. Eleutherii auctor eſt. Sed neque Herimannus iſtam Tornacenſium Epiſcoporum ſeriem, neque Tornacenſis urbis originem texere potuit; quando auctor ipſe ita ſcribit: *Cùm jam Simon fere 24 annis Pontificatum tenuiſſet; nullámque omnino diminutionis,* ſeu dividendi Epiſcopatus *ſuſpicionem haberet; contigit ut Concanonicus noſter Henricus viſionem ſupra ſcriptam videret: nobiſque eam referens, inter cetera prædixit, quod Eccleſia noſtra intra non multum tempus, proprium eſſet Epiſcopum habitura.* ſeu receptura. Rurſum mox *Lambertum Blondum juvenem Concanonicum* item *noſtrum* appellat, *& cum literis Abbatis Clarevallenſis* (S. Bernardi) *Romam petiiſſe* ſubdit.

Hermannũ Abbatem non eſſe auctorem Manuſcripti de Henrico.

23. Idem in Origine urbis Tornacenſis, ita loquitur: *De Tornaci primâ conſtructione, ſive deſtructione, quidam apud nos liber habetur. Quæ quidem ſcriptura, nobis, ſeu majoribus noſtris nunquam antehac viſa vel audita, vel ipsâ ſaltem litera ſuperficie digeſta; alicubi locorum inventa; uni tantùm Tornacenſium Clericorum adoleſcentulo, per Spiritum Sanctum nuper*

Neque de origine Tornaci.

eſt revelata, hoc modo : Quidam adoleſcens Concanonicus noſter, nomine Henricus, Paſchali tempore, &c. Ut verum fatear, addit hic Fabius noſter, turbatiora ſunt, hæc maléque conſuta. Quomodo enim ea ſcriptura *per Spiritum Sanctum revelata, ſi alicubi locorum inventa?* Addo ego ex Chronici Gemblacenſis auctario, à me fideliter libri octavi capite 13. §. primo & ſecundo, citato. Quomodo *Henricus Vitam S. Eleutherii Tornacenſis Epiſcopi, notitia hominum tradidit, & corde tenus dictavit*, jam ante ſub Heidilone vulgatam : Nemo negaverit, parum iſta ſibi cohærere; ut in fabulis ſimilibus fieri ſolet. Unde Fabius noſter, meritò mirari pergit, quomodo Joannes Cognatus, in hiſtoria ſua Tornacenſi, ſcribere potuerit *Vitam S. Eleutherii ex ore Henrici Canonici* in extaſim rapti dictantiſque, ab Herimanno aliiſque collectam? Niſi fortè intelligat, priùs quidem ſub Heydilone ſcriptam, ab Henrico deinde ea revelatione auctam. Sed tum quis addita à germanis diſtinguet?

Sed alterum quemdam, eadem tamen ſcri bentem nō inſulsè.

24. Quidquid ſubſit, Fabius noſter, ut Henricum iſtum à fabulis iſtis liberet, alterum ejus loco ſufficit, Anonymum; eadem fere hoc modo ſcribentem. *Commentitia ſcriptionis hoc genus in Belgicâ hac noſtrâ, ſæculo decimo definiente, cœpiſſe, mihi certum eſt. Nam cùm Normanni florentiſſimas has regiones rapinis, cædibus, flammis, per medium abunde ſæculum, afflixiſſent; illatam civitatibus agris, & ipſis literarum monimentis cladem præteritorum temporum eſt oblivio ſubſecuta. Adeo ut pace orbi redditô, dum in ſuas plerique origines inquirunt, in anilia commenta delapſi ſunt. Ita Hugo Tullenſis Leucis ſuis. Lucius Tungrenſis Tungris item ſuis; alii complures Bavacenſibus, Cameracenſibus, Morinis vaniſſimas origines impoſuerunt.* Quin & noſtrum hocce Tornacum ſuum etiam habuit Palephatum; qui de Gaulo Rege Tornacenſium (à quo Galliæ nomen inditum) ejusque filiis Achifero & Buſcalo ingens conſcripſit volumen τῶν ἀπίςων Qualia ſunt.

Tornaci origo nullius fidei.

25. *Tornacum à Tullo Hoſtilio Romanorum Rege primùm conditum ; & Hoſtiliam nominatum ; poſtea à Tarquinio Priſco ob rebellionem deletum. Reparatum tamen, & ſecunda Romana nomine nobilitatum. Artaxerxem quoque Perſarum Regem ab extremis Aſia cum ingenti exercitu veniſſe, Hoſtiliam obſediſſe, expugnaſſe, incendio deleviſſe. Nervium verò potentiſſimum Ducem, Perſas prælio ſuperaſſe, Regem interfeciſſe; Hoſtiliam reſtituiſſe, & de ſuo nomine Nerviam appellaſſe. & innumera ejuſmodi anilia deliramenta, quibus Buſcoli famigerabilis hiſtoria inquinatur.*

Quam tamen ſequūtus quidam male feriati.

26. Quam ſecutus, tanquam nudæ veritatis decumanum teſtimonium, malè feriatus quidam *Chronographus Tornacenſis Anonymus*; (qui circa annum Domini 1146. *Henrico ſcilicet noſtro coævus*, Chronicam Tornacenſem, ut vocat, ſcripſit) auſus eſt ſimilia figmenta admiſcere *Revelationibus Henrico Tornacenſi Canonico factis*, (quas adprobare vel improbare noluit, Senonenſis anno 1145. habita Synodus : *cui & S. Bernardus* interfuit, ſed neque unquam Tornacenſis Eccleſia probavit, Synodo Senonenſi conformis) quaſi fabuloſa illa Tornacenſis urbis origo, multis retro ſæculis incognita, *revelante B. Eleutherio, demum notitia mortalium traderetur.* Ab hoc *irreligioſo Tornacenſis Chronici conditore, Hoſtilia nomen, mox Nervia, quaſi Servia à Servio Tullio Romanorum itidem Rege, tandem à Turno Tornaci vocabulum, quiſquilia mera apud plurimos in hac uſque tempora valuerunt : ad puras putas nugas, riſu diffluentibus eruditis.* Ita Anonymus Henrico Canonico ferè ſuppar certè ſerius auctor; fabulas iſtas non ineptè carpens; non item ab iis, quæ libro octavo capite 13. dixi; non denique ab intentione meâ recedens : quæ tantùm indagat, onde & quando Nervici nominis poſſeſſio recentior Tornacenſibus emerſerit. ſive ab Henrico Canonico, ſive à quovis alio. ut per ſingula Fabii noſtri membra decurrenti patet.

27. Quippe duo priora, Vitam S. Eleutherii ſcilicet, Heidilonis tempore ſcriptam ; tum adjunctam ibidem Tornacenſium Epiſcoporum ſeriem, jam non tango. Vita iſta S. Eleutherii, Henrico antiquior, ſit vera, per me licet; imò & talem opto; quando nondum à me viſa. Conſtat, ſat ſcio, S. Eleutherium ſanctè vixiſſe, nec dubito quin ante annum Chriſti milleſimum, Tornacenſis Eccleſia nobiliſſima, Patroni ſui Vitam nondum adulteratam, eoque fortè breviorem, habuerit, & in lectionibus matutinis lectitarit. Non ignorabat certè ſuum Eleutherium Chlodoveo primo Francorum Regi Chriſtiano, & quidem Tornaci, meâ ſententiâ, nato, convixiſſe : cui & occultum crimen apeſuiſſet (haud dubiè iſtud ipſum parricidium, quod Regi Coloniæ Sigiberto Chlodericus ejus filius, Chlodovei ipſius hortatu, intulerat) eaque manifeſtatione Chlodoveum ad pœnitentiam adduxiſſe; & ſimilia ſatis certa. Sed cùm fateatur Anonymus Fabii noſtri ſcriptor, vir gravis ac ſerius, pluſcula figmentis, ſi non ab Henrico Canonico, ſaltem ab aliquo alio, nobis incognito, Vitæ iſti antiquiori ſuperaddita; quis ea ſuperaddita, à primis veriſque diſcernet? Similiter Tornacenſium Epiſcoporum ſeriem, in Manuſcripto inventam, admitto; hoc magis, quò Chraſmarum inter eos Epiſcopos, circa Chilperici Regis ſecundi, non primi tempora, ſeu circa annum Chriſti vulgarem 715. & Indictionem decimam-tertiam verè recenſet. Iſta, inquam, duo mēbra non nego, non tango. licèt quidam nonnulla in S. Eleutherii Vitâ mecū mirentur.

Vitam S. Eleutherii Tornacēſis Eccleſia habuit antiquitus ſinceriorem.

28. Unicam Tornacenſis urbis, originem, tertio poſtremoque loco poſitam; eique Nerviorum nomen circa, certè vix ante annum Chriſti 1140. affictum, urgeo, mihique favere dico. Neque enim D. Catullius, qui pro Tornacenſibus Nerviis ſcripſit, Henrico Canonico, Herimannoque S. Martini Abbate vetuſtiorem teſtem profert, qui Tornacenſes Nervios appellet. Quorum aliorumque ſimilium auctoritas, quanta nobis eſſe debeat, narrationes fabuloſæ, de iis jam allatæ, ſatis probant : præſertim ſi cum Romanis Mediiſque Scriptoribus, à me libro octavo, cap. 11. & 12. prolatis, comparentur. Quare ſtat ſemper, quam hic intendo, concluſio, Tornacum non magis ætate mediâ recentiſſimaque, quàm Romanâ & primâ, verè ſolideque dictum, videri aut eſſe Nerviorum. Stat item, teſtes iſtos fabuloſos, Philippo ab Eleemoſynâ, Bonæ Spei in Hannoniâ Abbati, eodem Sancti Bernardi Henricique Canonici ævo ſcribenti, & Tornacum Menapiis, non Nerviis adſcribenti, nullo modo comparandos, nedum præferendos; nedum denique nominis Nervici poſſeſſionem recentiſſimam, ſaltem pacificam, Tornaco adſcribendam. Grates interim magnas ago amico illi, qui hæc tam benevolè propoſuit; & proponendo me in opinione confirmavit.

Nerviorum nomen parum certè Tornacenſibus adſcriptū : Servia quaſi Nervia.

29. Atque

29. Atque hæ de hodierno Nerviorum priſcorum Epiſcopo, ad argumenta item quæ amici à me rogati, peramicè propoſuerunt, dicta ſufficiant. libero ſemper cuivis relicto judicio, ut toties repetii. Interim memor ſemper ſit Lector, Scaldim in Belgio noſtro populos Epiſcopatuſque jam inde ab Auguſto Conſtantinoque aut filiis diviſiſſe; & à ſiniſtra quidem ripâ, ex ipſo fonte, ad Scarpum confluentem, Atrebates primùm, inde Menapios ad Oceanum uſque alluiſſe. A dextrà autem ad Demeræ receptionem & Rupelmundam, Nervios, inde ad Oceanum Toxandros ſubraſiſſe; & Archidiaconatum Antuerpienſem Diœceſeos Cameracenæ ab occaſu; Kempinienſem Tungrenſis ſeu Leodinæ ab ortu continuiſſe. maritima denique Saxones, primùm, tum Warnos, ac demum Friſones adhuc gentiles occupaſſe; donec eos, S. Willibrordus, paulò ante annum Chriſti 700. fide Chriſtianâ imbueret.

A ſiniſtra Scaldis ripâ fuerunt Atrebates & Menapii: à dexterâ Nervii.

CAPUT V.

De TVNGRIS, TREVIRIS, VBIIS.

30. NErviorum, Belgicæque adeo Secundæ terminum Orientalem, Tungrorum ſeu Germaniæ Inferioris occiduus attingit. Tungrorum Julius Cæſar non meminit. Eburonum duntaxat, Condruſiorum, Segnorum, Cæreſorum, Pæmanorum, quos uno nomine *Germanos* appellat (ne quid de Advaticis dicam) mentionem infert. Quorum omnium cùm apud ſecutos auctores nullam videamus memoriam, Tungrorum autem jam inde à Plinio, Galbâ, Tacitoque continuam; illos in horum nomen tranſiiſſe, facilè intelligimus. Cæſar quinque iſtas nationes, uno nomine *Germanos* appellat; & Belgis cæteris bellum molientibus accenſet: quas proinde eo *Germanorum* nomine, cis non trans Rhenum, appellari cœpeas neceſſe eſt. ut ſuprà libro primo, cap. 12. §. 3. & ſeqq. monui.

Tungri olim Germani dicti.

31. Auguſtus inde cùm jam Monarcha Gallias ordinaret, & populos cis Rhenum plures, nempe Triboceos, Nemetas, Vangionas, Ubios, Batavos & ſimiles, eadem linguâ & moribus uti videret, Germanorum iſtud nomen, omnibus in commune attribuit. Quinque autem iſtis populis, qui Germanorum nomen jam invaſerant, ut à ſeipſis aliud ſibi peculiare invenirent, imperavit: & invenerunt TUNGRI. ut eodem libro primo dixi. Sed cur Auguſtus nomen tam illuſtre quinque iſtis gentibus abſtulit? Non abſtulit certè; ſed aliis quoque commune eſſe voluit. Ex quibus cùm duas cis Rhenum Germanias componeret, Superiori quidem & Primæ Triboceos, Nemetas, ac Vangionas; Inferiori verò ſive Secundæ Ubios & Tungros addixit, quibus poſtmodum alii minores populi, puta Sunici, Betaſii, & ex parte ſaltem Advatici (nam aliquam eorum partem Nerviis obtigiſſe ſuſpicor) adjuncti ſunt; proprio nomine ſenſim abolito.

Germanos tamen Auguſtus latius extendit.

32. Certè Advaticos, ſaltem ex majore ſui parte, Tungris adjunctos, ſatis evincit *Advatuca* urbs, Tungrorum inde caput effecta. Imò Julius Cæſar libro quinto Advaticos Ambiorigis ſeu Eburonum regno *finitimos* appellat. Dio autem libro 39. Nerviis confines facit. ut probabile ſit Auguſtum eorum partem Nerviis, partem Tungris addixiſſe. Cur autem Auguſtus Advatucam Tungrorum caput eſſe voluerit, nihil aliud occurrit, quàm quod ſciret illam multis ſub Julio patre caſibus & factis illuſtrem: ſimul in Tungrorum quaſi meditullio ſitam. Et Aduatucæ quidem nomen ita poſthac evaluit, ut ad ipſam Imperii Romani ferè ſubverſionem, tenuerit, Itinerariis ac Scriptoribus omnibus, & maximè Peutingeri Tabulâ teſtibus. Donec primariæ pleræque Galliarum urbes, Belgicæ præſertum, aſſumptis gentium ſuarum nominibus, antiqua ſua propriaque negligerent. Ita Samarobriga ſeu Samarobriva, Ambiani dici cœpta; Nemetocenna ſive Nemetacum, Atrebates; Durocortorum, Remi; Divodurum, Mediomatrices; Advatuca, Tungri, &c. quæ nomina hucuſque perdurant.

Advatici, ſaltem ex parte Tungris adjecti.

Unde Advatuca Tungrorum caput?

33. Cæterùm Tungrorum limites quàm latè patuerint, patet ex Diœceſi ejus Eccleſiaſticâ; quando eaſdem ſub Romanis in civilibus atque ſacris Diœceſes fuiſſe ſuprà oſtendi; & Tungrenſem ipſam peculiariter libro 20 cap. 5. ſicut & alias ſuo loco deſcripſi, hîc minimè repetendas. Tungrenſis certè Epiſcopatus, omnium aliorum Belgicorum ante novos erectos, mihi quidem videtur ampliſſimus, juxta & incolis denſiſſimus; licet Ultrajectinus non multum illi ceſſiſſe videatur.

Tungrorū limites ſacri & profani iidem latè porrecti.

34. Neque TREVIRENSIS etiam hodiernus, etiam Ciſrhenanus & Belgicus in Romano ſolo, utrique multum ceſſit; Archidiaconatibus quatuor cis Rhenum illuſtris, & quinto inſuper trans illum. ut ſuprà eodem libro 20. cap. 5. §. 8. 9. 10. 11. 12. dixi. COLONIENSIS autem cis Rhenum & in Belgicâ, longitudine quidem, juxta Rheni decurſum, ab Arâ fluviolo uſque & infrà Gueldriæ hodiernæ caput Neomagum, imò & uſque ad Moſæ Vahaliſque confluxum ad Herwerdam, ſatis latè porrigitur; ſed latitudine intra Orientales Diœceſis Leodinæ Tungrenſiſvé fines compreſſâ, valdè conſtringitur. Trans Rhenum expanditur; at jam extra Belgicæ Romanique Imperii terminos, qui nihil ad inſtitutum noſtrum. An verò totus ille tractus Eccleſiaſticus, ſolius Agrippinenſis extiterit, Lectori, Germanico præſertim, examinandum relinquo, quando id hucuſque reſcire nequivi.

Trevirorū item & Ubiorum ſeu Colonienſium.

CAPUT VI.

Pharamundi, & Chlodionis, & Regum Francorum Regna. ab anno Chriſti 417. & deinceps.

35. CUm ad Chlodovei mortem, & Belgicæ ſub Romanis hiſtoriæ finem Typographi noſtri perveniſſent, ſuam ad me Childerici Anaſtaſim miſit humaniſſimè D. Chiffletius, Eques & Regius Archiater, ſanè auream, amœnitate juxta & doctrinâ variâ reconditâque longè gratiſſimam. Mihi tamen tanto præ ceteris gratiorem, quanto primorum Franciæ Ciſrhenanæ Regum tempora, è certiſſimis ejus ſepulchri reperti Nummis, aliiſque monimentis, ſtatutæ à nobis Chronologiæ per

Chiffletii Anaſtaſis Childericiana gratiſſima.

omnia quadrare vidi, ut jam oſtendam: tametſi cum illius ſcriptis mea nunquam antè contuliſſem. Quare novo gaudio perfuſus, & hic ingentes illi grates habeo, & ex tanto ſtudiorum noſtrorum concentu conſenſúve novos me animos, novas hac ætate hauſiſſe vires, ingenuè profiteor. Pergat eia cum bono Deo, tam præclaris tam denſis conatibus antiquitatem omnem, maximè Francicam, hucuſque perobſcuram, eruere, feliciùs illuſtrare, feliciſſimè conſummare. Non Belgas nos dumtaxat, ſed & Francos ipſos veritatis amantiſſimos, omnes Europæos, adeóque Eccleſiam univerſalem obſtringet; & quod maximè voveo, cœlo terraque cum ſuis, clareſcet ſæclis innumerabilibus.

In qua Francicorũ Regum Tabula.

36. Ut igitur à Francicorum, cis Rhenum Regum Chronologiâ incipiam, ſuprà lib. 14. cap. 9. §. 7. Pharamundi initium ab anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano, quadringenteſimo decimo ſeptimo diſertè ex duobus capitibus evocavi; Primùm ex eclipſi, quam ad *Indictionem primam, & duodecimum Honorii, octavum Theodoſii Conſulatum*, id eſt annum Chriſti 418. refert Chronicon Alexandrinum, *decimo Kalendas Auguſti, feriâ ſextâ, horâ octavâ.* Idem totidem ferè verbis habet Idatius, ad annum Honorii viceſimum quartum: niſi quod pro *feriâ ſextâ*. levi, ſeu illius ſeu Librarii, mendo, legatur *quinta*. Jam anno priore, nempe 417. Faramundum à Francis in Regem evectũ, Proſper Pithœanus in Scaligeri quidem exemplari diſertè ſciſcit. Ex anno ergo 417. regnare cœpit. Unde tunc mirabar, familiarem noſtrum Vendelinum, in Aſtronomicis verſatiſſimum, in Salicis tamen ſuis capite 13. pag. 97. & Eclipſim iſtam, & Pharamundi exordium ad annum Chriſti 420. referre; cùm recordarer eum aliquando mecum ſenſiſſe. Poſtquam autem Chiffletiana Childerici Anaſtaſis ad me miſſa eſt, gaudio totus exilii; cùm in illâ, paginâ quintâ, eum ingenuè ſcribentem legi: *Omnino ex anno 417. regnavit Pharamundus, non verò 420. quod Scaligero credulus in Salicis meis ſcribebam; quoniam ſcilicet adcredebam, anno mox 421. die 17. Maii Solem defeciſſe; quod idem Scaliger validum pro ſe argumentum putavit. cùm revera nullum, atque etiam falſum ſit: ut nunc me pudeat alteri crediſſe, quàm mihi.* Ita ille cordatè. & favet planè Marcellinus in Chronico; cùm *Indictione decimâ quintâ, Honorio undecimùm & Conſtantio iterum Conſulibus* ſeu ipſo eodem anno 417. *Tenebras in die factas*, diſertè tradit. quod per Solis Eclipſim ordinariè fit, eaque primo Pharamundi anno facta.

Pharamũdi initium, ex Eclipſi.

Etiam Vendelini noſtri calculo aſſertũ.

37. Alterum Pharamundiani exordii caput eodem libro 14. cap. 9. protuli, ex hiſtoriæ Romanæ cum Francicâ compoſitione. Quid enim ad exordium iſtud aptius, quàm Pax ab Honorio Barbaris Gallicanis, ac ſpeciatim Francis anno Chriſti priore 416. indulta? ut fusè oſtendi ſuprà libro 14. cap. 7. toto, quando & Ripuariam ſeu Colonienſem ad Rhenum provinciam, Urbemque ipſam ab incolis advocati, tenuerunt; & deinceps occuparunt? Tanti ecce eſt, Romanam hiſtoriam cum Francicâ comparare; ut quod una non prorſus explicat, altera penitus expandat. Abs anno ergo Chriſti 417. tum ex Eclipſi, tum ex Honorii Imperatoris pace cum Barbaris Gallicanis, & ducto inde mox Romæ juxta Proſperum vulgarem triumpho, primus regni Francorum Ciſrhenani, & Pharamundi primi eorum regis annus, conſentiente nobiſcum Chiffletio, deducitur. Inde ſi per annos totos undecim, uſque ad annum Chriſti 428. producatur, videbimus Proſperum Conſularem & vulgarem, *Felice & Tauro Conſulibus*, ſeu anno Chriſti Dionyſiano 428. expreſsè tradere, *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occuparant*, nempe ante pacem factam, *Aetii Comitis armis recepta.* cùm Pharamundo ſcilicet mortuo, *Chlodius* ſeu *Chlodio* ſucceſſit, ne circa hunc eumdem annum alter quoque Proſper Pithœanus expreſsè notat. & Chiffletius ex eo, ad annum Theodoſii quintum. Pharamundi geſta omnia perierunt.

Ex pace itẽ Honorii cum Barbaris Gallicanis.

38. Paulò notior eſt CHLODIO; pluſculis Aëtii jam novi Ducis expeditionibus impetitus. Hic Gaudentii Comitis, à militibus in Galliis occiſi filius, cùm Chunnos, Joanni tyranno opem laturos in Italiam adduxiſſet, eóque extincto illos ad propria remiſiſſet; à Placidiâ Valentiniani tertii matre victrice, in novum Ducem aſſumptus, Arelato urbe à Gothis obſidentibus liberatâ; in Francos eorumque novum Regem Chlodionem, adhuc inexpertum arma movit: *partem Galliarum Rheno propinquam, quam Franci* ab Honorio *poſſidendam* ſub Pharamundo acceperant, & *occupabant* (nempe Ripuariam) *armis recepit.* ut Proſper uterque docet. Puto Chlodionem magnâ tunc Ripuariæ parte exutum, trans Rhenum ſe recepiſſe; unicâ dumtaxat urbe Coloniâ Agrippinâ ſuorum præſidio retentâ. Unde uno alteróve póſt anno, viribus reparatis, cùm rediiſſet, ſua recipere aggreſſus eſt; quæ tamen Aetius ſtrenuè primò defendit, *expeditione in Francos iterum ſuſceptâ, eíſque in certamine ſuperatis.* ut diſertè Idacius teſtis oculatus, ad annos Valentiniani ſeptimum & octavum, qui cum annis Chriſti ferè 430. & 431. concurrunt. Donec Aëtius in Bonifacium Ducem, æmulum ſuum, & in Italiam profecturus, eoſdem Francos *in pace ſuſcepit*, ait idem Idacius, & Ripuariam ablatam. fortè etiam cum fœnore reſtituit. Ita Chlodio cùm regni ſui priores tres aut quatuor annos continuo bello exegiſſet; pacem deinceps, ſua firmaturus aliquandiu, meliore quieſcendi conditione ſervavit. Aëtium & à Bonifacio, & à Burgundionibus, & ab Armoricanis Bagaudiſque pluſquam decennio toto victorem, & Galliarum inde pacatorem, non immeritò veritus; ut ex utroq; Proſpero Lector videre poteſt; & nos ſuprà libris 15. & 16. fusè narravimus.

CHLODIO Rex. quãdo cœperit.

Ab Aetio primùm pulſus.

Dein ab eo receptus.

39. Durante decennali iſtâ quiete Chlodio, regni ſecurus, *apud Diſpargum caſtrum in Tongria habitaſſe*, à Gregorio Turonenſi ceteríſque Francorum ſcriptoribus traditur. De quo, quod tunc ſciebam, nondum viſo Chiffletii libro, dixi, libro 5. capite 10. Lectore tamen in hunc locum, poſtquam librum eum videre contigiſſet, remiſſo. Et diſputat doctè more ſuo in Chlodione D. Chiffletius: non tamen, uti ſperabam è Nummis in Childerici ſepulchro repertis, quia nulli ſunt. Varias variarum opiniones, Henſchenii noſtri, Vendelini, Grammaii & aliorum profert; & in Duiſburgo Brabantiæ, Bruxellas inter atque Lovanium amplo municipio conquieſcere videtur. Neque mihi quid meliùs hactenus occurrit. dicam tamen quod occurrit. In Notitiâ Imperii, anno ferè Chriſti 437. editâ (ut libro 16. cap. 5. probavi) *Laeti prope Tungros* (hodie *Luaige*) clara eſt mentio; ſub Romanis adhuc perſiſtentis; *Fani* itidem *Martis* in Nerviorum agro, prope Valencenas. Memoratur item vicus *Martis*

In caſtro Diſpargo habitat.

Quod videtur Duisburgum Brabantiæ.

Belgii ejus ævo ſtatus.

in litore Saxonico prope Dunkercam hodiernam; Trajectus è Morinis in inſulam Britanniam, totam adhuc Romanam; Nemetacum Atrebatium, Cameracum & Tornacum. Nulla Bavaci tantæ urbis mentio, nimirum à Vandalis paulò antè deſtructæ. Inter Lagium igitur Tungrorum, & Fanum-Martis Nerviorum, quærendum eſt *Diſpargum*: ad quod nullum magis & ſono & ſitu videtur accedere, quàm Brabantiæ Duyſburgum: quod ideò per me ſit Diſpargum, licet; donec melius quippiam alluceat. Interea nobis certum manet, ante annum Chriſti 437. quo edita notitia, Chlodionem Lagium & confinem Moſam in Tongriam minimè transmeaſſe, ſed adhuc in ſuâ Ripuariâ Rhenum inter ac Moſam conſtitiſſe. Nedum ad Nervios, Atrebates, & Ambianos vincendo penetraſſe: quod tamen dicendum eſſet, ſi verè Rorico diceret, Childericum circa annum Chriſti 435. Ambiani Meroveo patre genitum. Ego cis Ripuariam natum non credo; an in eâ, an trans Rhenum, examinet Lector. Vide quid ſit Francicam hiſtoriam cum Romanâ componere.

Ante annũ Chriſti 442. nondum Ripuariâ exierat.

Quando ſcripſerit Salvianus.

40. Anno Chriſti ferè 442. Salvianus aureos ſuos de Providentia Dei libros edidit, *proximè* poſt Littoris cladem, ſeu poſt annum Chriſti 439. edidit ut bis monet. Longè igitur ante Attilæ in Gallias; imò & ante Chlodionis in Carbonariam ſeu Hannoniam noſtram irruptionem. Nam ſi poſt illatam Romanis à Chlodione cladem ſcripſiſſet; littorianam, *proximam* dicere non potuiſſet; ut fuſiùs ſuprà oſtendi lib. 16. c. 6. & 7. In iſta irruptione *Romanos ab eo protritos*, Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 9. ſcribit. quod non ſolùm de protritione in Cameracenſis urbis expugnatione, ſed & in ipſo Hannoniæ ingreſſu capiunt Annales noſtri. ut ibi pluribus. Cameraco Tornacóque ſibi adjunctis, in Atrebates proximos gradum fecit. & licèt eo progreſſu abs Aetio victus, ſubitâ tamen pace, ab Aëtio victore, ob urgentiora bella donatus, Atrebates retinuit; ac quantum diſpicio etiam Morinos novo fœnore ſibi adjunxit. Inde (concludit Gregorius) *uſque Summam*, ſeu Somonam *fluvium occupavit*. ſeu incluſum ſeu excluſum; utroque enim ſenſu intelligi nihil impedit. eoque etiam capite Rorico fortè lapſus. Sed ea tamen à Moſa primùm ad Scaldim, inde ad Somonam ſeu Samaram, uſque, tot gentium, tam fortium, non modicæ difficultatis ac violentiæ occupatio, tot urbium adeò munitarum expugnatio, expugnatarum ordinatio & conciliatio, non unico ſed pluribus vixque paucioribus quàm quatuor, ſi non & quinque, annis peragi commode potuit. Ne quid de longâ moroſaque partis utriuſque, Romanorum inquam ac Francorum, tractatione, diſputatione, ac vix demum extorto conſenſu dicam. Ita ad annum Chriſti ferè 445 aut 446. perventum. vixque triennium Chlodioni ad mortem uſque, ſeu annum 448. ſuperfuerit.

Romanos Chlodio proterit.

Tornacum, Cameracũ, Atrebatum capit.

CAPUT VII.

Merovei, & poſterorum ejus Meroveadarum regna. Abs anno Chriſti 448.

Meroveus Rex quis fuerit.

41. DE *Chlogionis ſtirpe*, ait Gregorius lib. 2. cap. 9. *quidam Meroveum Regem fuiſſe adſerunt*. de quo fuſiùs egi ſuprà libro 16. cap. 9. §. 3. & conſanguineum dumtaxat exiſtimavi. Tutorem item filiorum Chlodionis, parum fideliter egiſſe, imò & in eorum ſe locum intruſiſſe plerique tradunt. Et plura Jacobus Guiſius ex annalibus patriis ingerit; Priſci vetuſti probatique Scriptoris excerptis ſatis conformia; ut libro 16. cap. ultimo, §. 5. & ſequentibus. Annum ille circiter unum ſub filiorum Chlodionis tutela regnare viſus. Mox regno verè occupato, annos octo magno omnium amore laudeque rexit. Mortuus anno Chriſti 456. nemine hucuſque gnaro ubi ſepultus ſit. Vehementer ego quidem ſuſpicor Tornaci, non longè à filio, ſi non eodem etiam tumulo conditum. Augent conjecturam duo ibi Nummi aurei reperti, duorum Auguſtorum Theodoſii & Valentiniani tertii; Childerici regno vetuſtiorum, & Meroveo patri quàm filio convenientiorum. Nihil enim dubium, quin Meroveo magna debuerit cum utroque Cæſare interceſſiſſe neceſſitudo, vel ſolâ irruptionis Attilanæ occaſione: cum Valentiniano maximè, cui ſub Aëtio Duce in conflictu Catalauenſi, tam commodus auxiliaris advenerit. & ex Chlodionis inſuper dono Tornacum obtinuerit.

Videtur etiã Tornaci cum filio Childerico ſepultus.

CHILDERICUS Rex.

42. Illi Childericus ſucceſſit, patri filius. anno Chriſti 456. ut clarè probant ſequentia. Quare Sidonius Apollinaris. carmine ſeptimo Aviti Panegyrico, cum verſu 372. canit, *Francus Germanum primum, Belgámque ſecundum Sternebat*, &c. per Francum non Childericum, ſed Meroveum, ut reor, intelligit, ſub Maximo Petronio, menſibus anni 455. Martio, Aprili, & Maio, imperante, adhuc regnantem: ſolido ante Childerici inaugurationem anno. Neque verò Childericus aſſumpto regno Martem, ſed Venerem amplexus eſt; adeo *luxuriâ diſſolutus* (ait Gregorius) ut ſtatim *Francorum filias ſtuproſè detraheret*: Unde anno regni primo vix expleto, Chriſti 457. regno ejectus, & tantùm non interfectus, in Thoringiam fugit; ubi ad annum octavum exulavit. cujus initio ab Winomado fideli amico revocatus, & Barro caſtro ab eo exceptus, Ægidium prælio vicit: qui mox, ſub initium anni Chriſti 465. mortuus eſt, ut ex Idatii Chronico haurimus.

In Toringiam fugit.

Barrum caſtrũ quodnam videatur.

43. Hic quodnam fuerit caſtrum illud *Barrum* diſputant; aliis Barrum Ducis in Lotharingia, (*Barleduc*) aliis Barrum ad Sequanam interpretantibus. Verùm utrumque recentius exiſtimat D. Chiffletius, quàm ut Childerici ætatem attingere poſſit. Oppidum *Per* in Toxandria, & Campinia Leodienſi Teutonicâ mavult, quaſi *Ber*, & *Bar*; quòd Teutones nonnulli B. & P. in pronuntiando ſæpè commutent, ut Pavarus pro Bavarus. Scio P. & B. ejuſdem inſtrumenti literas eſſe, nempe labiorum; eoque Labiales ab Hebræis appellatas ſæpè commutari. Sed quis nobis probabit, dicet Lector, utroque Barro Gallico Teutonicum *Per* antiquius? Quòd ſi, ut probabile putavi lib. 18. cap. 1. Childericus Conſtantinopoli, *evectu navali*, Romam primò venerit, ut Severum Imperatorem & ejus aſſeſſorem Ricimerem conſuleret, à quibus etiam ad reditum, contra Ægidium illis gravem, & in Galliis infeſtum, ſæpè revocatus fuerat: inde terreſtri itinere per Gallias Barrum progreſſus ſit; quidni è medio itineris Gallici miſerit, qui Winomado mandaret ut ſibi occurreret? Imò hoc occultius iter, Ægidium imperatum offenderit,

& cladem inexpectatam attulerit. Sed ſive Barrum ſive Perum advenerit, nil opus eſt medium itineris adeo Methematicè definire: nam quas in itinere urbes obierit, nullus dicit. Ego tamen hîc pilam ceu claudus ſuſtineo; & Domino Chiffletio plurimum defero, ut debeo.

Childericus ab exilio redit

44. Childericus inde regno redditus, quid fecerit, eodem lib. 18. ſatis dixi. Non modicum opus ejus eſt, quod Chlodoveum filium, Francorum Regem in Galliâ primum Chriſtianum, nobis Tornaci, ubi tum velut in ſede ſua regia degebat, ediderit, anno Chriſti 467. *non multum adulto*; ut in morte, anno Chriſti 511. Novembris 27. obitâ annum agat quadrageſimum quintum; & quidem adhuc labentem, ut ſcriptor ille plerumque ſolet. Quod vel unicum hoc evincit argumentum, ſuprà libro 20. cap. 11. §. 7. à me ex Gregorii ipſius libro quarto finiente prolatum: cum ſcribit: *A tranſitu Chlodovei Regis uſque ad tranſitum Theodoberti anni triginta ſeptem. A tranſitu Theodoberti uſque ad exitum, Sygiberti, anni viginti novem.* Ex 37. & 29. completis, anni conſiunt 66. qui ad annum 511. ſeu ad Chlodovei mortem Novembris 27. obitam additi, dant annum Chriſti 577. quo Sygibertus Rex obiiſſet, & filius ejus Childebertus ſucceſſiſſet. Atqui nihil certius in toto Gregorio, & pluribus ejus characteribus quos in Diſputatione mea hiſtorica ad Chapeauvillium addidi, quàm Childebertum Sigeberto Regi patri cæſo ſucceſſiſſe exſpirante anno Chriſti 575. in Natali Chriſti, ſeu 25. Decembris: Nihil item certius, quàm inter annum Chriſti 511. finientem quo Chlodoveus obiit, & iſtam Childeberti inaugurationem annos intercedere non 66. ſed tantùm 64. ergo aut duobus annis excederet Gregorius, aut 37. & 26. iſtos annos tantùm incompletos, & nonniſi paucis diebus inchoatos intelligit. Quòd ſi completos accipias pro 66. integris, eoſque de 575. etiam plenis tollas, in annum Chriſti 509. revolvêris, quo Chlodoveus obiiſſet, ut ſciſcit Scaliger & qui eum ſequuntur.

Chlodoveũ generat anno Chriſti ferè 467.

45. Hic autem mox ſubdit: *Fueruntque omnes dies regni ejus, triginta anni.* Ex 27. Novẽbris ſeu die mortis Chlodovei, anno Chriſti 511. tolle annos triginta primùm completos; recides in diem Novembris eumdem viceſimum ſeptimum, anni Chriſti 481. quo regnum iniiſſet Chlodoveus. At ſi incompletos, de ejus more, accipias, in priores anni ſequentis, nempe 482. menſes recides: planè ſicut conſtitui ſuprà, cùm eum anno Chriſti 482. nondum adulto patri Childerico mortuo ſucceſſiſſe dixi, libro 19. capite octavo. Rurſum Gregorius adjungit, *Ætas ejus tota quadraginta quinque anni.* De 27. Novembris, anno Chriſti 511. tolle annos 45. primùm completos, ad annum Chriſti 466. & Novembris diem 27. recedes. Si incompletos, ad priores anni 467. menſes relabêris; ut ſuprà ſtatui, libro 18. cap. 3. Ergo in iſtâ ſuâ Francorum Regum Chronologiâ Gregorius, annis ut plurimum labentibus & inchoatis, non integris utitur.

46. Denique concludit ibidem Gregorius, *A tranſitu S. Martini, uſque ad tranſitum Chlodovei Regis, ſupputantur anni centum duodecim.* Hic maximè character ultimus, incompletos à Gregorio annos capi, evincit. Nam de annis 511. & de Novembris 27. quo mortuum Chlodoveum ponimus, ſi integros 112. tollis annos, reſiquus erit Chriſti annus 499. Si labentes tantùm & inchoatos, reſtabit rectè quadringenteſimus, quo Martinus exceſſerit, Novembris die undecimâ, & quidem Dominicâ, ut rectè ſancit Gregorius; literâ Dominicali G, Novembris undecimo oppoſitâ. quo nihil certius potuit notaſſe Gregorius.

47. Gregorium autem firmat inſuper Severus, magnus S. Martini admirator & præco: non in illius quidem Vitâ, quam nonniſi mortuo Martino ſcribere potuit; ſed in hiſtoriâ quam priùs texuit, planè aureâ. Ibi enim libro ſecundo, paulò poſt initium; *Omne tempus*, ait, *in Stiliconem Conſulem direxi.* Conſtat Stiliconem primum ſuum Conſulatum iniiſſe anno Chriſti vulgari ſeu Dionyſiano, quadringenteſimo ineunte. ergo ad eum item ineuntem ſuam direxit hiſtoriam. In ea totâ, licèt Martinum ſæpè fuſeque meritò laudet, nullam tamen mortis S. Martini mentionem infert. Nempe quia Martinus primis ejus anni quadringenteſimi menſibus decem totis, adhuc ſuperſtes manſit, nec ante Novembris undecimam eamque Dominicam iſtius anni diem exceſſit; nec Severus ipſe mortem illius, niſi poſt eum diem ſcribere potuit, eoque etiam ſeparato ab hiſtoria ſcripto pertexuit. Cumque ab undecima Novembris anni 400. ad eamdem undecimam anni 511. nonniſi anni integri centum undecim completi ſint, reſtant pro centeſimo duodecimo labente, dies tantùm ſexdecim; ob quos Gregorius centum duodecim, aut potiùs centeſimum duodecimum ab exceſſu Martini annum verè ſupputare potuit. Ergo numerus hic ultimus maximè evincit, annos Regum Francorum nonniſi labentes aut inchoatos ab eo capi.

48. Jam videat Lector, quibus ſe tricis contra Gregorii mentem involverit, ſi annos iſtos centum duodecim completos capere pervicaciter animum obfirmaret. Nam præter illud quod jam de Martini morte demonſtravi; luxare cogetur annos viginti tres Theoderici, Chlodoveo ante ceteros filios geniti, & in Auſtraſia ſeu Metenſi regno ſucceſſoris; quem ante ver anni Chriſti 534. mortuum ex Caſſiodori Epiſtola prima libri undecimi, validè Baronius tomo ſeptimo ad annum Chriſti 530. oſtendit. Luxare item cogetur annos iſtos 37. quos inter Chlodovei & Theodoberti ejus nepotis exceſſus libro quarto finiente idem Gregorius interponit; ut & alios 29. quos æquè inter Theodoberti mortem & Sigeberti interitum, Childebertique ejus filii anno Chriſti deſinente 575. ingreſſum ibidem ſupputat. qui ſi labentes & inchoati capiuntur, liquidiſſimè fluunt; ſi completi maximè turbant, ut paulò antè demonſtravi, & Lector in variis Chronologorum variorum Tabulis videre poteſt. Luxabit denique Childeberti junioris exordium, quod plurimi Characteres, à me in Diſputatione hiſtoricâ ad Tomum primum hiſtoriæ Leodienſis adjunctâ, Chriſti Natali die anni deſinentis 575. neceſſariò affigunt. Qui omnes characteres, ut aliorum ſupputationes fortiter convellunt, ita noſtram certiſſimè confirmant. Stet ergo, Gregorium inchoatos dumtaxat annos hîc accipere.

TABVLA CHRONOLOGICA.

A primo anno Iuliano, qui eſt Periodi Iulianæ 4669. Vrbis Conditæ Varronianus 709. Olympiadis 183. tertius & quartus. Græcorum è libris Machabæorum 268. Ante veram Chriſti Nativitatem 41. ante Dionyſianam & vulgarem 45.

PRÆFATIO.

Tabula ab anno primo Juliano, ad 115. ſeu ad Hieroſolymæ ruinâ.

OPERIS hujus libro quarto, capite ſeptimo finiente, ubi de anno diéque Paſſionis Chriſti agitur, dixi me Tabulam meam Chronologicam Paſchali Victorii Canoni adjunctam, ſurſum ad annum Julianum primum, & proximè ſequentes promoturum: ut anni iſti Juliani, quos in Nativitate Paſſionéque Chriſti toties & tam diſpersè uſurpo, continuâ inde ſerie, ad Hieroſolymam à Veſpaſiano Titóque ſubverſam, ante oculos proponantur. Id ergo nunc præſto; ut Lector hiſtoriam hanc Belgicam meliùs intelligat, & memoriæ tanto firmiùs imprimat: Rectè enim Tatianus vetuſtiſſimus in Eccleſiâ Scriptor: *Apud quos temporis ratio non cohæret, apud illos neque veritatis, neque fidei hiſtoriæ ratio ulla conſtare poteſt.* Temporis enim ratio lux quædam veritatis eſt, & quaſi anima hiſtoriæ: ſine qua ſcilicet ipſa non magis ſpirare poſſit, quàm ſine anima corpus; ut in ſimili re alibi dixi. Quid verò jucundiùs, imò quid diviniùs, quàm rem fugaciſſimam Tempus revocare, morari, è veſtigio ſiſtere, & quaſi immobile ante oculos tabulis affixum, otioſè tanquam ex altiore ſpeculâ conſiderare?

Additi Tabulæ tres Cycli.

2. Quo autem certior ſit hæc Tabula, annorum notas & characteras, quibus ſolent uti Computiſtæ, ſeparatim adjunxi, Cyclos inquam tres, Solis ſeu literarum Dominicalium, Lunæ, & Indictionum. Horum enim beneficio, cùm aliquid certâ feriâ, certo die menſis, certo quodam feſto mobili, certâ Indictione contigiſſe refertur; ſtatim ſuo illud Chriſti anno, etſi minimè proferatur, certiſſimè affigitur: quod eſt magnum Chronologiæ certò digerendæ compendium: præſertim ſi etiam cum Imperatorum & Regum annis ante epocham Chriſti componatur. Nam Chriſti quidem epochâ, ſaltem Dionyſianâ ſeu vulgari, cui Cycli iſti affixi ſunt, vix ante annum ſeptingenteſimum paſſim uti cœpit Eccleſia, ſolis anteà Imperatorum ac Regum annis tempora notare ſolita. Nos tamen ex hypotheſi hîc ponimus, & quaſi etiam antè fluxerint, expandimus.

Annus Julianus eſt Solaris. antea Romanus erat Lunaris vitioſus.

3. Ceterùm ab anno primo Juliano ordiri viſum; nobis maximè familiari & cognito; cùm annus ante illum Romanus quaſi vagus, & ſaltem Lunaris aut turbatus aut imperfectus; Pontificum inſuper libidine ſæpè depravatus; nec ante Julium Cæſarem, ex Ægypto Africáque reducem, adeóque ferè Monarcham, certâ, cœlique motibus conformi menſurâ dimenſus, & ejus edicto ſtabilitus. Ille enim anno priore, Urbis Conditæ Varroniano 708. Olympiadis 183. ſecundo & tertio, ante Nativitatem Chriſti juxta me veram 42: ante Dionyſianam, quadriennio toto tardiorem, quadrageſimo ſexto, correctus eſt; Confuſionis Romæ dictus, quòd dies hactenus deficientes comprehenderit, & in quindecim ideò menſes ſeu dies 444 productus ſit. Unde rectè Macrobius libro primo Saturn. cap. 14. *Cæſar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnes, qui adhuc confuſionem facere poterant, conſumpſit.* & Cenſorinus de die Natali, cap. 8. *C. Cæſar Pontifex Max. ſuo tertio, & M. Lepidi Conſulatu, trium menſium intercalarium adiectione, Annum quindecim menſium, qui dictus eſt Confuſionis, conſtituit. Pro quadrante autem diei, qui annum verum supplere videbatur, inſtituit, ut peracto quadrienuii circuitu, dies unus poſt Terminalia intercalaretur, quod nunc Biſſextum vocatur. ex hoc anno, ita à Julio Cæſare ordinato, ceteri ad noſtram memoriam JVLIANI appellantur: iique conſurgunt ex quarto Cæſaris Conſulatu.* Ita ille. ut & Dio Caſſius libro 43. Plutarchus & Suetonius in Cæſare.

Dionis de anni Romani correctione ſententia.

4. Verùm hìc Dio Caſſius ſeparatim audiendus, cùm libro 43. de hac re agens, ita ſcribit: *Cùm annorum dies invicem ſibi non ſatis congruerent (eo enim tempore etiamnum Lunæ revolutionibus menſes æſtimabant) annum Cæſar ad eum, qui hodieque obſervatur, modum conſtituit: intercalatis ſeptem ac ſexaginta, quos ad ſummam exactam requirebantur, diebus; quamvis alii falsò plures perhibuerint. Eam rationem ipſe, dum Alexandriæ verſaretur, addidicerat. quamvis hoc variat; quòd Alexandrinis unuſquiſque menſis triginta diebus conſtat; deinde in ſingulos annos quinque dies adjiciuntur. Cæſar verò & eos quinque dies, & duos inſuper alios, quos uni menſium detraxerat, reliquis menſibus coaptavit: diem quoque illam, quæ ex dierum quadrantibus conficitur, ad quartum quemque annum* (expletum) *appoſuit, tribus in medio annis omiſſis*, expletis tamen. *Ut jam ne in* [illegible] *quidem annorum error, niſi perquam exiguus, intercedere poſſit, qui non alius eſt, quam ut intercalatione unius diei, milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo quoque anno, indigeat. Hæc omnia Cæſar, quæque alia de Republicâ ſtatuit, non proprio conſilio: ſed ſemper re priùs cum primoribus Senatûs, ac toto aliquando ordine, communicatâ, decrevit.* Ita Dio.

Dies 67. ſunt tres Merkedonii omiſſi.

5. Qui cùm dicit, anno iſto Confuſionis, nonniſi *ſexaginta ſeptem dies à Cæſare intercalatos*, ſignificat tres ab eo menſes intercalares antiquos, ſeu tres Merkedinos Merkedoniósve, ut in Numâ vocat Plutarchus, inſultos; duos nempe dierum viginti duorum, tertium viginti trium; nam hi ſimul dies dant rectè 67. Quod argumentum eſſe poteſt, prioribus omnibus ab U.C. annis, nonniſi tres Merkedonios vitio corruptionéve Pontificum omiſſos.

Unde iſta omiſſio.

Niſi fortè potiùs id contigerit anno U.C. 597. Liviano, qui eſt Varronianus 601. *Q. Fulvio, & Tito Annio Conſulibus*, quibus Caſſiodorus in Chronico, haud dubiè ex Livio, notat; *Hi Conſules Kalendis Januariis magiſtratum inierunt, propter ſubitum Celtiberiæ bellum.* Quod ſic exprimit Epitome Livii 47. *Conſules anno quingenteſimo XCVI. Magiſtratum peractis comitiis, inſequentiſque anni Conſulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia cauſa fuit, quod Hiſpani rebellabant.* Nempe Conſulum Comitia tunc Novembri vel Decembri (ſi non paulò antè) anni U. C. 596. pro ſequenti anno 597. habita erant, iiſque creati Conſules erant, *Q. Fulvius & Titus Annius*, ut Conſulatum de more tunc uſurpato, Idibus Martiis proximè ſequentibus inirent: ſed quia Celtiberi ſeu Hiſpani ſubitò rebellabant; duobus ante Idus Martias, nempe Januario & Februario, menſibus, omiſſis, ipſis Kalendis Januariis, inierunt. Januarius tunc dies 29. Februarius 28. Martius ante Idus ſuas quatuordecim dies continebant, qui ſunt ſimul dies 71. id eſt, nonniſi quatuor, ultra 67. à Cæſare intercalatos, Pontificum quoque vitio ſuperadditos.

Altera cauſa cur Tabula à primo anno Juliano incipiat.

6. Accedit & alia cauſa, cur à primo Juliano Tabulam ordiamur: quia exinde & Auguſti Romæ Imperium, & Herodis in Judæâ Regnum; mox Chriſti Nativitas, Paſſióque; Apoſtolorum inde Actus, uſque ad Hieroſolymæ ruinam, ſeu annum Julianum centeſimum quintum-decimum, deducuntur: quæ eſt præcipua quatuor priorum hujus operis librorum materia. Quæ ſequuntur, uſque ad operis finem, & Chlodovei mortem, ſeu ad annum Chriſti vulgarem 511. ex Tabulis noſtris ad Paſchalem Victorii Canonem adjunctis, facilè peti poſſunt. Et Lectorem, ut facere dignetur, obnixè rogo, quando quæ narrantur, aliter vix bene comprehendere poſſit; & ſi faciat, magnum operâ compendium facturus ſit.

7. Neque tamen ſingulos Tabulæ annos hiſtoriis ſuis implere inſtituo, ne res prolixior evadat. ſatis erit præcipuas rerum epochas, præcipua Ducum geſta breviter annotare, & ad hiſtoriæ noſtræ libros ac capita remittere, ubi fuſiùs enarrata reperiuntur.

Olympiades.	Anni Urbis Conditæ Varroniani	Anni Auguſti à ... illata	Conſules Romani.	Anni Herodis Regis Romæ dicti circa 19. Decembris.	Anni Regni Herodis à capta Hieroſol. menſe Junio circiter.	RES GESTÆ Romanorum & Judæorum.	Anni Juliani cū Littera Dominicali	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
3 4	709	morte Julii Cæſaris Idibus Martiis.	*C. Julius Cæſar quartùm ſine collegâ.*			Cæſar Româ in Hiſpaniam, ſpatio dierum 27. cum exercitu venit. Pompeium filium ad Mundam prælio cædit, finiente Aprili. Romam victor redit, quintum Triumphum ducit, menſe Octobri. Dicitur Pater Patriæ, Dictator perpetuus. *Sigonius ex Vell. Dione*, &c.	4659. Periodi Julian. triſſi. 1	21	14	4
4 184 1	710	1	*C. Julius Cæſar V.* *M. Antonius.*			Julius Cæſar in Senatu cæſus, Martii 15. Ejus Conſulatum Dolabella, Pontificatum Lepidus invadit. Cadaver ejus à plebe ante roſtra crematur. eum Judæi maximè deflent. Magni Romæ tumultus. C. Octavius (poſtea Auguſtus) Romam ex Epiro venit. Cæſar ex adoptione dicitur. ab Antonio Conſule diſſentit. Uterque milites ſibi adjungit. Antonius D. Brutum Mutinæ obſidet. *Sig. Pighius*. Ex antiquis Scriptoribus.	2	22	15	5
1 2	711	2	*Hirtius & Panſa.*			Kalendis Januarii auctore Cicerone Cæſar Octavianus fit Prætor, & contra Antonium ad Mutinam mittitur. duo Conſules cæſi. Antonius caſtris exutus in Galliam ad Lepidi & Planci exercitus fugit. usque ſibi tandem conciliatis redit. & cum Antonio pace factâ, Romam intrans, magnam inimicorum cædem agit, etiam Ciceronis 7. Decemb. Ovidius interim natus 20. Martii, &c. & omnes ferè Scriptores	3	23	16	6
2 3	712	3	*M. Æmylius Lepidus II.* *L. Munatius Plācus.*			Brutus & Caſſius cùm exercitibus ex Aſiâ in Macedoniam veniunt. cum Cæſare & M. Antonio pugnant Philippis. vincuntur & ſe cædunt. Antonius in Aſiam abit ad cogendas pecunias: Cæſar in Italiam.	4	24	17	7
3 4	713	4	*L. Antonius.* *P. Servilius II.*			Inter Cæſarem & L. Antonium Conſulem diſcordia orta. Lucius Romam irrumpit fuſo Lepido. Cæſar Lucium in Gallias contendentem Peruſiæ obſidet, ad anni ſequentis Exordium. M. Antonius in Cilicia Cleopatram ex Ægypto venientem excipit, & cum ea in Ægyptum tranſit: tota hyeme cum illa luxurians.	5	25	18	8
4 185 1	714	5	*Cn. Domitius Calvinus* *C. Aſinius Pollio.*	1		Cæſar Lucium Antoniū Peruſiæ capit. Fulvia M. Antonii uxor Româ fugit, & ad Antonium Athenas venit, quò ille ex Ægypto ob bellū fratris venerat. Cæſar interim Gallias ſuas facit: moxque contra Antonium redit: cum eo pacem ad Brunduſium facit; dat ei ſororem Octaviam conjugem Romæ, exitu anni, ait Dio. Appianus. quò etiam Herodes Judæâ ab Antigono exactus venit; & Judææ Rex à Senatu ope M. Antonii contra Parthos fit; circa 19. Decembris: Olympiade 195. non 184. ut Joſephus videtur dicere. Vide ſuprà lib. 2. cap. 6.	6	26	19	9
1 2	715	6	*L. Martius Cenſorinus* *C. Calviſius Sabinus.*	1 2		Cæſar & Antonius cum Sexto Pompeio pacem ineunt ad Miſenū. Inde Antonius Athenas cum Octavia uxore abit. miſſo contra Parthos Ventidio; quos ille vincit. Herodes jam Rex in Judæam redit: & ſe ad Jeruſalem capiendam parat. Julia Cæſari naſcitur ex Scriboniâ. quam mox repudiat. *Dio. Suet.*	7	27	1	10
2 3	716	7	*Appius Claudius* *C. Norbanus.*	2 3		Hyeme hujus & prioris anni M. Antonius Athenis cum uxore Octavia agebat. *Joſeph. Dio.* & alii.	8	28	2	11
3 4	717	8	*Marcus Agrippa* *L. Caninius Gallus.*	3 4	1	Hoc anno Juliano nono, Sabbatico, & hiſce Coss. capta eſt ab Herode Jeruſalem menſe Junio. & Antigonus Aſamonæorum ultimus ſecuri percuſſus Antiochiæ à M. Antonio. Joſephus modò ab hoc anno, modò à ſexto finiente Juliano Herodis Regis annos ſupputat. Vide lib. 2. cap. 6. §. 23. 24.	9	1	3	12
4 186 1	718	9	*L. Gellius Poplicola.* *M. Cocceius Nerva.*	4 5	1 2	Sextus Pompeius à Cæſare & Agrippâ prælio navali victus, fugit in Aſiam: ubi ſequenti anno cæſus, juſſu M. Antonii è Parthia redeuntis. *Dio* & alii.	10	2	4	13

Olympiades.	Anni Vrbis Conditæ Varroniani	Anni Auguſti à nece Cæſaris.	Regni Herodis Romæ.	Regnum Herodis Hieroſolymis	Conſules Romani.	Anni ab Actiaca pugna à 2. Septemb.	RES GESTÆ.	Anni Iuliani.	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1 2	719	10	5	2 3	*Sextus Pōpeius.* *L. Cornificius.*		Sextus Pompeius in Aſiâ bellum reparans, Antonii juſſu occiditur.	11	3	5	14
2 3	720	11	6	3 4	*L. Scribonius Libo.* *L. Sempronius Atratinus.*		M. Antonius Artavaſdem Regem Armeniæ capit; in Ægyptum ad Cleopatram adducit.	12	4	6	15
3 4	721	12	7	4 5	*Caius Cæſar II.* *L. Volcatius Tullus.*			13	5	7	1
4 187 1	722	13	8	5 6	*C. Soſius.* *Cn. Domitius Ahenobarbus*		Initium diſſenſionis Cæſaris à M. Antonio, & apparatus ad bellum. *Dio.* & omnes.	14	6	8	2
1 2	723	14	9	6 7	*C. Cæſar III.* *M. Valerius Meſſala.*	1.	Pugna Actiaca, ſecundo Septembris fugit Antonius cum Cleopatrâ in Ægyptum. Cæſar Romam redit victor. *Ioſeph. Dio.* & omnes.	15	7	9	3
2 3	724	15	10	7 8	*C. Cæſar quartùm* *L. Licinius Craſſus.*	1 2	Cæſar in Ægyptum movet. Rhodi Herodem ſibi occurrentem in regno confirmat, licèt ille ab Antonio ſteriſſet. Antonius & Cleopatra ſe cædunt. Cæſar fit Monarcha. & Ægyptii hinc Monarchiam ejus incipiunt. *Dio* & omnes.	16	8	10	4
3 4	725	16	11	8 9	*C. Cæſar quintùm.* *Sex. Apuleius.*	2 3	Janus à Cæſare primùm clauſus decreto Senatûs. Ipſe ex Euphrate & Parthis in Græciam, & Italiam redit, Romæ tres triumphos ducit menſe Sextili. *Dio, Macrob.* & omnes.	17	9	11	5
4 188 1	726	17	12	9 10	*C. Cæſar ſextùm.* *M. Agrippa iterū.*	3 4		18	10	12	6
1 2	727	18	13	10 11	*C. Cæſar ſeptimū.* *M. Agrippa tertium.*	4 5	Cæſar à Senatu dicitur Auguſtus menſe Januario. Inde Imperium & Provincias ordinat. In Gallias cum exercitu tendit. Res ordinat. Cenſum Provincialem primum ibi facit: quem inde in alias Provincias extendit. *Dio lib. 53. Epitome Livii 134.* Vide lib. 2. cap. 3.	19	11	13	7
2 3	728	19	14 15	11 12	*C. Cæſar octavùm* *T. Statilius Taurus II.*	5 6	Cæſar è Galliis in Hiſpaniam tranſit, eam quoque ordinat.	20	12	14	8

Olympiades.	Anni Vrbis Conditæ Varroniani	Anni Auguſti a nece Cæſaris.	Regni Herodis Romæ.	Regnum Herodis Hieroſolymis.	A pugna Actiaca	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Iuliani.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
3 4	729	20	15	12 13	6 7	*C Cæſar nonum*		21	13 F E	15	9
4 189 1	730	21	16	13 14	7 8	*C. Cæſar decimũ.* *C. Norbanus*	Kalendis Januariis Senatus in acta Auguſti jurat, & legibus ſolvitur. *Dio, lib. 53.*	22	14 D	16	10
1 2	731	22	17	14 15	8 9	*Auguſtus XI.* *Cn Piſo.*	Tribunitia poteſtas Auguſti hinc incipit, uſque ad mortem. Auguſtus adeo æger fuit, ut Rationarium Imperii Pisoni collegæ tradiderit, annulum ſuum Agrippæ quem paulò poſt in Syriam mittit. ſed hic in Lesbo ſubſiſtit. *Dio, lib. 53.*	23	15 C	17	11
2 3	732	23	18	15 16	9 10	*M. Marcellus.* *L. Arruntius.*	Filii Herodis Romam ad Auguſtum miſſi. *Ioſ.* Auguſtus in Siciliam abit, Orientem ordinaturus. Petronius Ægypti Præfectus Candacem Æthiopum reginam vincit, & ad pacem adigit. *Dio, Strabo.*	24	16 B	18	12
3 4	733	24	19	16 17	10 11	*M Lollius.* *Q. Lepidus.*	Agrippam Auguſtus Romam remittit. Juliam filiam ſuam ex Marcello viduam ducere jubet. E Sicilia in Græciam tranſit, & in Samo hyemat. *Dio, Strabo.*	25	17 A G	19	13
4 190 1	734	25	20	17 18	11 12	*C. Apuleius.* *P. Silius.*	E Samo Auguſtus in Bithyniam, inde in Syriam tranſit. ubi res ordinat. A Phraate Partho captivos & ſigna recipit. Unde Martis Ultoris Templum decernit. Julia ex Agrippa C Cæſarem parit, quem Auguſtus adoptat. Herodi Zenodori ditionem dat. qui ab Herode ad mare deducitur Romam rediturus. *Dio, Ioſ.* &c.	26	18 F	1	14
1 2	735	26	21	18 19	12 13	*Cn. Sentius Saturninus.* *L Lucretius Veſpillo.*	Romæ tumultus ob Conſulatum, Saturninus Conſul comprimit. Auguſtus Romam noctu intrat. Agrippam Galliis & Hiſpaniis præficit. Tiberius Armenios componit. Virgilius Brundiſii moritur *Dio* &c. Herodes templum Hieroſolymis ædificare incipit. Naſcitur Beata Virgo. *Ioſ. & alii.*	27	19 E	2	15
2 3	736	27	22	19 20	13 14	*P Lentulus Marcellinus.* *Cn. Cornelius Lentulus.*	Libros Sibyllinos reſtaurat Auguſtus. *Dio.*	28	20 D	3	1
3 4	737	28	23	20 21	14 15	*C. Furnius.* *C. Iunius Silanus.*	Lucius Cæſar Agrippæ naſcitur, & ab Auguſto etiam adoptatur. Ludi Sæculares quinti. *Dio, Cenſorinus*	29	21 C B	4	2
4 191 1	738	29	24	21 22	15 16	*L. Domitius.* *P Corn. Scipio.*	Auguſtus Agrippâ rurſus in Syriam miſſo in Gallias venit, ob Lollianam cladem ad Rhenum. Germanos pacat obſidibus acceptis. *Dio. Strabo de bello Sicambrico.* Hinc octo Legiones ad Rhenum.	30	22 A	5	3

Olympiades.	Anni Urbis Conditæ	Anni Auguſti à nece [illegible]	Regni Herodis Romæ.	Regnum Herodis Hieroſolymis	Æra Actiaca	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Iuliani	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones
1 2	739	30	25	22 23	16 17	M. Livius Druſus Libo. L. Calpurnius Piſo.	Auguſtus hunc quoque annum in Galliis ordinandis abſumit. Rhœti à Druſo & Tiberio ſubacti, Germanicus Druſo patre natus. *Dio.* &c. Herodes Agrippam in Judæam adducit, urbes à ſe conditas ei oſtendit: Hieroſolymam trahit, ubi Hecatombem Deo immolat. & ante hyemem redit in Ioniam; multis ab Herode honoratus muneribus. *Io. lib. 16 cap 2.*	31	23 G	6	4
2 3	740	31	26	23 24	17 18	Cn. Corn. Lentulus M. Licinius Craſſus.	Pannonii rebellantes ſubacti ut & Boſphorani à M. Agrippa ad quem rurſus Herodes venit Sinopem. Inde cum eo redit in Ioniam ubi Judæis querentibus de incolis, omnia conceſſit, rogatu Herodis. Nicolaus Damaſcenus pro Judæis peroravit, ut habent ejus eclogæ. & *Ioſ. lib. 18. cap 4. Dio,* &c.	32	24 F	7	5
3 4	741	32	27	24 25	18 19	Tiberius Nero. L. Quintilius Varus.	Auguſtus rebus Gallicis, Germanicis, Hiſpanicisque confectis, Druſo in Germania Cisrhenana relicto, Romam redit. Senatum recenſet. Fit Pontifex Maximus. Agrippam ex Oriente reducem in Pannonias mittit *Dio lib.* 54. Herodis filii incipiunt inter ſe diſſidere. Herodes filium Antipatrum ad Agrippam ex Aſia decedentem ducit & cum eo Romam ad Auguſtum mittit. *Ioſ. l. 16. c. 6.*	33	25 E D	8	6
4 192 1	742	33	28	25 26	19 20	M. Val. Meſſala Barbatus. P. Sulpit. QUIRINUS.	Quirinius hujus anni Conſul, eſt Cyrinus Lucæ 2. & eo Conſule, Cenſus Provinciarum reſumpto. Druſus maxime in Galliis cos agit; unde tumultus: qui occaſione aræ Lugdunenſis pacatur. ut *Livii Epit.* 137. M. Agrippa moritur, & filius ei poſtumus etiam Agrippa naſcitur. *Dio.* Vide ſupra, lib. 2. cap 4 § 8 &c. Herodes filios accuſaturus ad Auguſtum Aquileiam venit. reconciliatur, & Cæſaream Palæſtinæ redit tunc poſt decennium abſolutam, & dedicatam. *Ioſ lib. 16 cap 7. & ſeqq.*	34	26 C	9	7
1 2	743	34	29	26 27	20 21	Paulus Fabius Maximus Q. Ælius Tubero	Quirinius *mox* (à conſulatu ſcilicet) Homonadas expugnat eorum juventutem transfert. *Tac lib.* 3. *Strabo lib* 12. vide ſupra, lib. 2. cap. 4 §. 9 &c. & ex vicinia potuit Cenſum inchoare in Syria circa Homonadarum impugnationem. Germani à Druſo victi, Dalmatæ & Pannonii à Tiberio, Thraces a Piſone. *Dio.*	35	27 B	10	8
2 3	744	35	30	27 28	21 22	Iulus Antonius Q. Fabius Africanus.	Pax cum Parthis facta, ſignis redditis ut Livii Epitome penult. Tunc enim Phraates eorum Rex ſigna reddidit, filios obſides Auguſto dedit. ut fuſe dixi lib. 2. cap 21 § 3. & ſeqq. *Ex Strabone, Tacito, Iuſtino,* &c.	36	28 A	11	9
3 4	745	36	31	28 29	22 23	Druſus Nero. L. Quinct. Criſpinus.	Druſus Conſul in Chattos, Suevos, Cheruſcos ad Albim uſque movet. Dum redit moritur, anno ætatis 30. *Vell. Epitome Livii ult.* Germanici cognomen ei filiisque datum. *Dio, l. 55.*	37	1 G F	12	10
4 193 1	746	37	32	29 30	23 24	M. Marcius Cenſorinus C. Aſinius Gallus.	Auguſtus ob mortem Druſi hoc primum anno Romam intrat. Principatum in ſpeciem deponit, & in aliud decennium reſumit. In Germanos movet cum Tiberio, qui Rhenum tranſit, Auguſto in Gallia manente. *Dio l. 55.* Sicambri, & Germani omnes inter Albim & Rhenum Tiberio dediti *Caſſiod. Chr.* Unde PAX univerſalis quæ 12 annos tenuit. ut fuſe dico, l. 1. cap. 18. & ſeqq quæ hic omnino lege. Janus tertium ab Auguſto clauſus. Calendarium corrigit, &c. ibidem. Cenſum ſecundo reſumit. ut lib. 2. cap. 4.	38	2 E	13	11
1 2	747	38	33	30 31	24 25	Tiberius Nero II Cn. Piſo	Tiberius Conſul triumphat cum Germaniam in formam pæne ſtipendiariæ redegiſſet provinciæ. *Vell.*	39	3 D	14	12
2 3	748	39	34 35	31 32	25 26	D. Lælius C. Antiſtius	Tiberius Rhodum ſecedit per annos 5 inchoatos. *Vell. Suet.* &c. Quirinius ex Homonadibus, Ciliciàque Romam redit. Triumphi inſignibus ornatur. Æmyliam Lepidam uxorem ab Auguſto accipit. & quaſi alter Agrippa aſſumitur. Vide ſupra lib. 2 c. 4. ſect 2 Joan. Baptiſta concipitur, &c. Lege librum noſtrum 2.	40	4 C	15	13

Olympiades.	Anni Urbis Conditæ Varroniani	Anni Auguſti à nece Cæſaris.	Regni Herodis Romæ.	A pugna Actiaca.	Conſules Romani.	Herodis Regni à capta Hieroſol.	CHRISTI NATIVITAS; Vera, & Dionyſiana, ſeu Vulgaris. *Pro 12. annis ſequentibus, legendus eſt Liber II. hujus Operis*	Anni Chriſti veri & Dionyſiani	Anni Iuliani.	Cyclus ſolis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
3 4	749	40	35	26 27	*AVGVSTVS XII.* *Lucius SYLLA*	32 33	Auguſtus Caium filium in forum deducit. Chriſtus Incarnatus 25. Martii. Joannes Baptiſta naſcitur 24. Junii. Chriſtus autem 25. Decembris. Cenſus à Sentio Saturnino per Syriam & Judæam; quo Chriſtus deſcriptus. *Tertull.* Quirinius Romæ cum uxore Lepidâ manet, &c. lege hic omnino librum hujus Operis 2. Sentius Saturninus Herodis ex Mariamme filios damnat. Herodes eos Samariæ ſtrangulari curat. *Ioſephus.*	1	41	5 B A	16	14
4 194 1	750	41	36	27 28	*Calviſius Sabinus.* *Paſſienus Rufus*	33 34	Chriſtus circumciditur. A Magis adoratur. Turbatur Herodes & omnis Hieroſolyma ſuper novo Rege nato. Judæi ſuam fidem Cæſari & Herodi obſtringunt. Sex millia Phariſæorum recuſant. Inde Infanticidium, & Chriſti in Ægyptum fuga. lege hic libri noſtri 2. capita priora quinque.	1	42	6 G	17	15
1 2	751	42	37 † 1 *Archelaus*	28 29	*Cornel. Lentulus.* *M Val. Meſſalinus*	34 †	Herodes Infanticida moritur circa 20 Martii, ferè in Paſchate. lege totum caput ſextum libri noſtri ſecundi. Succedunt filii tres. Ibid. Phraates Rex Parthorum vetus a Phraatace filio & uxore cæditur. Vide caput 7. lib noſtri 2. A Tiſri ſeu autumno hujus anni, cœpit annus Sabbathicus.	2	43	7 F	18	1
2 3	752	43	1 *& fratrii à ſuo Martii.* 2	29 30	*Auguſtus XIII.* *M Plau. Sylvanus Suff.* *Caninius Gallus.*		Auguſtus Romæ ſpectacula magnifice edit, Martis templum dedicat. Auguſti Et paulò poſt Juliæ filiæ ſuæ adulteria detegit: quam ideo in Pandatariam relegat. Ejus adulteros punit. Supra lib. 2. cap 7. §. 9. & cap. 4. § 14. Ex *Vell* & *Tac.* Cum hoc anno finitur quinquennium Tribunitiæ poteſtatis Tiberii. Poſt quod manet adhuc Rhodi biennio privatus & exoſus.	3	44	8 E	19	2
3 4	753	44	2 3	30 31	*Coſſus Cornelius Lentulus.* *L. Calp. Piſo.*		Multæ fœminæ adulteræ cum Julia deteguntur. In his Æmylia Lepida Quirinii uxor. quam ille repudiat, Vide lib. 2. cap. 7. §. 9. *Tacitus, Suet.* Brevi inde ſpatio Caius Cæſar Auguſti nepos & filius in Syriam mittitur contra Phraatacem parricidam. Vide lib. 2 cap. 8. Ille Provincias lenitè obit. *Vell.*	4 1	45	9 D C	1	
4 195 1	754	45	3 4	31 32	*C Cæſar nepos & filius Auguſti.* *L. Æmylius Paulus.*		C. Cæſar Conſul, poſt annos 5. ex quo ab Auguſto ductus in forum. lib 2. cap. 2. Primus Chriſti annus Dionyſianus ſeu vulgaris quo hodie utitur Eccleſia. Idem Caius Antiochiam venit. Phraates Parthus ad Auguſtum legatos mittit pro pace. fruſtra. quia ferociter agit. Auguſtus natali ſuo 64. ineunte ſcribit ad Caium filium, quod climactericum ſuum annum evaſiſſet. *Gell. lib 15. cap. 7*	5 1	46	10 B	2	4
1 2	755	46	4 5	32 33	*P. Vinutius.* *P. Alphenus Varus.*		Tiberius matris precibus Rhodo Romam redit. manet privatus ad annum uſque tertium. *Suet Tib. cap 15.* Caius Cæſar in Arabiam ſe confert. *Plin. lib. 2. cap. 67. & l. 6. cap 28* Eo itinere Judæam prætervehens Hieroſolymis non ſupplicavit, ut pater Agrippa. Quod tamen laudavit Auguſtus. *Suet. cap 93 Oroſius lib. 7 cap. 3.* Lucius Cæſar tendens in Hiſpaniam, Maſſiliæ moritur Octobri. Lapis Piſanus:. *Vell. Tac. Suet.* Pro his annis vide lib. 2. cap 9	6 2	47	11 A	3	5
2 3	756	47	5 6	33 34	*M. Servilius Geminus.* *L. Ælius Lamia.*		Pacem cum Phraatace facit ad Euphratem C. Cæſar quâ relictam ſibi Armeniam init. ubi læſus redit Antiochiam. revocatur ab Auguſto. Quirinius tunc eum regebat Lollio mortuo. diu reluctatus Caius.	7 3	48	12 G	4	6
3 4	757	48	6 7	34 35	*Sextus Ælius Catus.* *C Sentius Saturninus II.*		Caius Cæſar tandem Romam rediens, moritur Lymiræ in Lycia. Cadaver ejus Quirinius Romam refert. Tiberius & Germanicus ab Auguſto adoptantur lib. 2. cap. 10. Germanicus circa hunc annum Agrippinam Auguſti ex filia neptem in uxorem ducit. Tiberius in Germaniam ad bellum redit & ad eum Auguſtus Parthorum legatos mittit. *Suet Tib cap. 16.*	8 4	49	13 F E	5	7
4 196 1	758	49	7 8	35 36	*C Corn Cinna.* *L. Val. Meſſala.*		Cinna Conſul hoc anno factus ex clementia Cæſaris; contra quem conſpirarat. Vide cap. 10. lib. 2. Pax generalis ante Chriſtum natum orta, adhuc hoc anno durat. *Ex Ovidio Faſt. 6.* Vide cap. 10. libri 2 Annus Sabbathicus à Tiſri, & JOBELÆUS ab Exodo 31. *Vendelinus*	9 5	50	14 D	6	8

Olympiades.	Anni Urbis Conditæ Varroniani	Anni Auguſti à nece Cæſaris	A pugna Actiaca	Reges Iudæorum.	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Chriſti veri & Dionyſiani	Anni Iuliani.	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ.	Indi ... onis.
1 2	759	50	36 37	8 9 *Archelaus & fratres.*	*Manius Æmylius Lepidus.* *L. Arruntius.*	In Marobodunm Bohemiæ Regem Tiberius è Pannonia ſuperiore & Carnunto movet. ut & Sentius Saturninus è Belgica. lib. 2. cap 11. Sed Pannoniæ & Dalmatiæ rebellantes, eos revocant. Hinc Jani portæ poſt annos 12. reſeratæ. Ibid. §. 8. 9. &c	10 6	51	15 C	7	9
2 3	760	51	37 38	9 10 *à fine Martii.*	*Q. Metellus Creticus* *Aul. Licinius Nerva Silanus.*	Archelaus Ethnarcha Judææ in exilium pellitur ab Auguſto nono & decimo regni ſui anno. Quirinus ſeu Cyrinus Cenſum in Syria & Judæa tum primum agit. Vide librum 2 cap 12 Chriſtus anno ætatis duodecimo a parentibus ad Paſcha Hieroſolymam ducitur. Vide ejuſdem libri 2. cap 13. Hinc magnum de Chriſto uſque ad Joannis prædicationem ſilentium	11 7	52	16 B	8	10
3 4	761	52	38 39	10 11	*M. Furius Camillus* *Sextus Nonius.*		12 8	53	17 A G	9	11
4 197 1	762	53	39 40	11 12	*Q. Sulp. Camerinus* *Cn. Poppæus Sabinus*	Intra v. dies conſummati belli Dalmatici, veniunt literæ de CLADE VARIANA. *Vell. c. 3. Dio.* De quo fusè nos libro 3. cap 1. & 2. quæ ibi legere potes. Ovidius Novembri & Decembri hujus anni Tomos in exilium pellitur. Vide lib 2 cap 2. §. 8.	13 9	54	18 F	10	12
1 2	763	54	40 41	12 13	*P. Dolabella.* *C. Iunius Silanus*		14 10	55	19 E	11	1
2 3	764	55	41 42	13 14	*M. Æmylius Lepidus.* *T. Statilius Taurus*		15 11	56	20 D	12	14
3 4	765	56	42 43	14 15	*Germanicus Cæſar.* *C. Fonteius Capito.*	Tertio anno à Vari clade fere completo, Tiberius Romæ de bello Illyrico triumphat. *Nec multò poſt* (ait Suet. Tib. c. 21) *lege per Conſules lata Tiberius Provincias cum Auguſto communiter adminiſtrat.* Nam *abſurdum videbatur* (addit Vell. l. 2) *non eſſe ſub illo; quæ ab illo vindicabantur.* Initi iſtam adminiſtrationem Tiberius cum Tribunitiæ poteſtatis decimo Decẽbris hujus anni finiẽtis. Vide l 3 c. 3. Hinc ducitur annus Tiberii *quintus-decimus* a Luca memoratus cap. [illegible] ad initium Prædicationis Joannis Baptiſtæ.	16 12	57	21 C B	13	15
4 198 1	766	57	43 44	15 16	*L. Munatius Plancus* *C. Silius.*	Germanicum exacto conſulatu ſuo miſit Auguſtus in Germaniam loco Tiberii. *Suet. Calig. cap 8.*	17 13	58	22 A	14	1
1 2	767	58 † 1 *Tiberius*	44 45	16 17	*Sextus Pompeius.* *Sextus Apuleius*	Auguſtus in Campaniam profectus, moritur Nolæ. Auguſti 19 Succedit Tiberius. Ingens legionum ad Rhenum tumultus, quem Germanicus componit. *Tac. Lib. 1.* Vide lib. 2. cap. 4. §. 3. Joſephus lib 18 c 3. ſcribit, Valerium Gratum à Tiberio Præſidem Judææ ſubmiſſum.	18 14	59	23 G	15	2
2 3	768	1 2 *à 19. Auguſti.*	45 46	17 18	*Druſus Cæſar* *Norbanus Flaccus.*	Germanicus Rhenum iterum tranſit. Segeſten obſidione Arminii generi liberat. Vari & militum ejus oſſa legit, ſextum poſt cladis annum. *Tacitus lib. 1.* Germanico naſcitur Agrippina, Neronis poſtea mater. Coloniæ Agrippinæ in Ubiis ad Rhenum. *Suet. Calig. cap 1. Tacit. L. 12.*	19 15	60	24 F	16	3

Olympiades.	V. C. Varroniani.	Imperatorum	Ætatis [illegible]	Regni Iudæorum	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Chriſti veri & Dionyſiani	Anni Iuliani.	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
3 4	769	2 Tiberii a 19 3	46 47	18 Herodis Antipæ, & 19	T. Statilius Siſenna Taurus L. Scribonius Libo.	Germanicus claſſe mille navium exercitum e Batavia in Germaniam vehit. Arminium ingenti prælio fundit. Vide librum noſtrum 3. cap. 6. ex Taciti Annali 2.	20 16	51	25 E D	17	4
4 199 1	770	3 Auguſti. 4	47 48	19 Philippi [illegible] 20	C. Cæcilius Rufus L. Pomponius Flaccus	Germanicus cum familia Romam è Belgica redit. Triumphat. Fuit bellum iſtud Germanicum hujus ævi maximum, & a præcipuis Romanorum Ducibus geſtum. Supra lib. 3. cap 7.	21 17	62	26 C	18	5
1 2	771	4 5	48 49	20 21	Tiberius Aug. III. Germanicus II.	Germanicus in Orientem tendit, cum uxore & filio Caligula per Illyricum, Achaiam, Euboeam, Bizantium, & inde Rhodum Armeniis Zenonem Regem imponit. Inde in Syriam venit; ubi a Piſone valde affligitur. Tac Anal 2. Suet Calig c 9. Vide caput 8 libri 2.	22 18	63	27 B	19	6
2 3	772	5 6	49 50	21 22	M. Iunius Silanus L. Norbanus Flaccus Balbus.	Germanicus in Ægyptum vadit. frugum pretia in fame tunc repentina levat, Syenem ad Romani Imperii clauſtra pervenit. Unde Antiochiam Syriæ redux diutino morbo moritur, magna veneni ſuſpicione. Vide lib. 3. c. 8 § 3. Judæi Roma pelluntur. Ibidem.	23 19	64	28 A	1	7
3 4	773	6 7	50 51	22 23	M. Val. Meſſala. M. Aurelius Cotta.	Germanici cadaver Agrippina uxor Romam refert, in Auguſti tumulo ſepelit. Lepida Quirini uxor ob varia ſcelera damnatur, poſt annum 20 ex quo repudiata fuerat. Vide librum noſtrum 3 cap. 9. ex Tac Suet. &c.	24 20	65	1 G F	2	8
4 200 1	774	7 8	51 52	23 24	Tiberius Aug. IV. Druſus Tiberii fil. II.	Motus in Gallis gravior à Treviris & Æduis, ob tributa gravia. Florus Treviros Belgáſque concitans cæditur. ut & Sacrovir in Æduis. Quirinius ſeu Cyrinus Evangelicus moritur, ſordida & præpotente ſenectâ. Supra lib. 3. cap. 9.	25 21	66	2 E	3	9
1 2	775	8 9	52 53	24 25	C. Sulp. Galba. D. Haterius Agrippa.	Tiberius filio ſuo Druſo Tribunitiam poteſtatem dat, ſicut ipſe ab Auguſto adhuc vivo acceperat; ſummi faſtigii vocabulum & quod M. Silanus volebat ad memoriam temporum: non amplius Conſules) præſcribi. Sup lib. 3. c. 10. § 1 quod bene notandum, pro anno Tiberii quintodecimo Lucæ cap 3. Sejani initia. Ibid.	26 22	67	3 D	4	10
2 3	776	9 10	53 54	25 26	C. Aſinius Pollio C. Antiſtius Vetus.	Sejanus firmatâ jam auctoritate, ad Imperium adſpirat. Druſum Tiberii filium veneno tollit. Tiberius mœſtus omnes ejus amicos a ſe amovet, & inter Herodem Agrippam, poſtea Regem Judææ. Qui ære alieno fere merſus, in caſtellum Idumææ ſe ſubducit, ob creditores importunos. Tacitus lib. 4. Ioſ. lib. 18 cap. 8.	27 23	68	4 C	5	11
3 4	777	10 11	54 55	26 27	Sergius Cornel. Cethegus L. Viſellius Varro.	Circa hos annos videtur Herodes Tetrarcha Romam ad Tiberium veniſſe; & negotiis expeditis cum rediret; Herodiadem Herodis Agrippæ ſororem, patruo ſuo nuptam, ſecum abducit. Simul in honorem Tiberii Tiberiadem condit, cui & Agrippam hortante uxore ſuâ ejus ſorore præficit. ſed non diu. captobrans quod ſuo ſumptu viveret. Ioſ. lib 18. cap 8. Ludi Decennales fiunt; Tiberio ſcilicet. Dio lib. 57 ſin. Tiberiadem conditam paulo ante Joannis Baptiſtæ prædicationem, etiam Euſebii Chronicon notat.	28 24	69	5 B A	6	12
4 201 1	778	11 12	55 56	27 28	Coſſus Cornel. Lentulus. M. Aſinius Agrippa	Sejanus à Tiberio Liviam ſeu Livillam Germanici ſororem Druſi viduam ſibi conjugem petit. Fruſtra. Unde ſic potentiam ſuam augeret, ſuadet Tiberio ut Româ ſecedat. Quod Tiberius ſeno parat. Tac. lib. 4.	29 25	70	6 G	7	13

Olympiades.	A. C. Varroniani	Imperatorum.	Actiaca pugna.	Reges Iudæorũ	Consules Romani.	CHRISTI Baptiſmus, Prædicatio, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, Miſſio Spiritus Sancti. *Pro annis hujus paginæ, legendus Liber quartus hujus Operis.*	Anni Christi vera & Dionyſiani	Anni Iuliani.	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1 2	779	12 13 *Tiberii à 19 Augusti*	56 57	28 29 *Herodis Antipæ, G.*	L. Corn. Getulicus. C. Calviſius Sabinus	Tiberius ſuaſu Seiani Româ exit, parvo comitatu nec rediit per undecim annos. Pilatum in Judæam Grato ſucceſſorem mittit, ſicut & alios in alias provincias; ne interpellaretur. *Joſ. lib. 18. cap. 3.* Forte & tunc Getulicus in Germaniam ſuperiorem deſtinatus quam per annos decem rexit.	30 26	71	7 F	8	14
2 3	780	13 14	57 58	29 30 *Philippi*	M. Licinius Craſſus. L. Calpurnius Piſo.	Tiberius Capreis ſe recondit. Inde nullos Provinciarum Præſides mutavit. *Tac. Suet.* Ita Pilatus & Lentulus Getulicus decem annos præfuerunt. Anno *quinto-decimo* Imperii Tiberii Cæſaris, &c. in Septembri, cum tubæ Templi clangerent. Anno Sabbatico finito, Joannes Baptiſta tubam ſuæ prædicationis inflare incipit. Omnes Judæi ad eum currunt. *Luc. 3.* Lege hic librum noſtrum quartum cap. 1.	31 27	72	8 E	9	15
3 4	781	14 15	58 59	30 31	C. Iunius Silanus. P. Silius Nerva	Chriſtus cum ceteris ad Joannem abit, & baptizatur 6 Januarii. Inde prædicare incipit; & in Paſcate, recte dicunt ei Judæi, *46. annis ædificatum eſt Templum hoc,* &c. Primus annus Prædicationis Chriſti toto cap. 2. lib. 4. Friſii ob tributa boum rebellant, &c. ſupra lib. 4. cap. 3.	32 28	73	9 D C	10	1
4 202 1	782	15 16	59 60	31 32	C. Rubellius Geminus C. Fufius Rufus Geminus	Annus Prædicationis Chriſti ſecundus. Toto capite 4. libri 4. Romæ Livia Auguſta moritur. Unde Seiani potentia creſcit. Agrippina Germanici vidua, cum Nerone filio in inſulas relegatur. Vide *Tacitum lib. 5. mutilo.*	33 29	74	1 B	11	2
1 2	783	16 17	60 61	32 33	C. Caſſius Longinus. M. Vinicius Quartinus.	Tertius Prædicationis Chriſti annus, toto cap. 5. lib. 4. hic legendo. Chriſtus intereſt feſto Scenopægiæ & Encæniorum, & quid tunc geſſerit. Ibid. Romæ Velleius hiſtoriam ſuam ad Vinicium Conſulem mittit, ubi dicit Tiberium jam imperare annos 16. *latâ pace.* Seiano ſtatuæ ponuntur innumeræ, &c. *Vell.*	34 30	75	11. A	12	3
2 3	784	17 18	61 62	33 34	TIBERIUS Cæſar V. L. Ælius Seianus Suff. Memmius & Trio.	Quartus & ultimus Prædicationis Chriſti annus, toto capite ſexto libri quarti. Lazarus ſuſcitatur. Unde Judæorum livor, & in eum conſpiratio, &c. Dominica Palmarum Martii menſis decimo octavo. Cœna Chriſti Martii 22. Crucifixio 23. cum Sacerdotes in Templo Paſca ſolenne immolarent veſperi. Reſurrectio 25 die Dominico, &c. lib. 4. cap. 6. 7. &c. Seiani miſera cædes Octobris die 18. Vide cap. 6 lib. 4 § 5. & cap. 8. Primi Actus Apoſtolorum uſque ad mortem S. Stephani	35 31	76	12 G	13	4
3 4	785	18 19	62 63	34 35	Cn. Domitius Ahenob. A. Vitellius Nepos.		36 32	77	13 F E	14	5
4 203 1	786	19 20	63 64	35 36	S. Sulpitius Galba. L. Corn. Sylla.	Mira Pauli ad Chriſtum converſio Januarii 25. anno à Paſſione Chriſti ſecundo præcipitante lib. 4 cap. 9 § 2	37 33	78	14 D	15	6
1 2	787	20 21	64 65	36 37	Paulus Fabius Perſicus. L. Vitellius Nepos.	Anno Tiberii ab Auguſti morte 20. Philippus Iturææ Tetrarcha anno regni ſui 37. qui à fine Martii inchoatur, mortuus eſt. *Joſ. lib. 18 cap. 6.* Et nos ſup. lib. 4. cap. 9. § 3.	38 34	79	15 C	16	7
2 3	788	21 22	65 66	37 38	C. Ceſtius Gallus. M. Servilius Rufus Novianus.	Anno ejuſdem Tiberii 21. L. Vitellius Vitellii poſtea Imperatoris pater, ex Conſulatu ſuo Orienti Syriæque præponitur, ob motus Parthorum. Sup. lib. 4. cap. 9. § 4. ex *Tacito, & Suet.*	39 35	80	16 B.	17	8

Olympiades.	V. Varronianæ	Imperatorum.	Actiaca pugna	Regis Iudæorum	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Christi veri & Dionyſiani	Anni Iuliani	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
3 4	789	22 23 Tiberii à 19. Auguſti.	66 67	38 39 Herodis Antipæ	Q. Plautius Lateranus. Sextus Papinius Gallienus	L. Vitellius Hieroſolymam ad Paſca venit, circa finem Martii & ſtolam Pontificiam ſervandam concedit Sacerdotibus. Inde ad Euphratem cum Artabano Parthorum Rege pacem facit, filio ejus obſide accepto. Herodes Tetrarcha, id prius Tiberio ſignificat; indeque contra Aretam movet. *Ioſephus libro 18 cap 6. 7.* Petri Cathedra Antiochiæ. Herodes Agrippa Romam venit: à Tiberio in vincula conjectus, per menſes 6. uſque ad mortem Tiberii *Ioſeph. lib 18.*	40 36	81	17 A G	18	9
4 204 1	790	23 † 1 C. Caligula à 16	67 68	39 1 Herodis	C. Acerronius Proculus. C. Pontius Nigrinus	Vitellius iterum Hieroſolymam venit ad Paſca, bellum Aretæ illaturus. ſed quartâ die Tiberium Romæ mortuũ intelligit. Mortuus erat 16. Martii. aptè. Judæi in fidem Caligulæ adiguntur. Qui Agrippam vinculis ſolvit, & Tetrarchia Philippi patrui donat cum titulo Regis. *Ioſ. lib. 18. cap 9*	41 37	82	18 F	19	10
1 2	791	1 2 Martii.	68 69	1 2 Agrippa in Tetrarchia	M. Aquilius Iulianus. P. Nonius Aſprenas	Herodes Agrippa in Judæam redit. In Ægypto illuditur. Herodes Tetrarcha cum uxore Herodiade exilio mulctatur, Lugduni in Gallia. *Ioſ lib. 18. cap. 9.*	42 38	83	19 E	1	11
2 3	792	2 3	69 70	2 3 tido, in aliena Iudæa	C. Caligula II. L. Apronius Cæſianus	Caligula in Bataviam movet, immani apparatu. A Brinone Canninefate ſpernitur, ob mimicas expeditiones. Lugdunum redit. Supra lib. 4. cap 10. Petrus Cornelium Centurionem in Joppe baptizat, & Gentiles ad fidem recipit ex viſione celeſti. *Act. cap. 10.*	43 39	84	20 D	2	12
3 4	793	3 4	70 71	3 4	C. Caligula III. ſolus.	Caligula in Britanniam trajecturus, Bononiam in Morinos venit. Ridicula ejus in Oceanum expeditio; turrim inſtar Phari erigit. Supra lib. 4. cap. 10. §. 12. &c. Romam redit. Ibid.	44 40	85	21 C B	3	13
4 205 1	794	4 † 1 Claudius a primo	71 72	4 5	C. Caligula IV. Cn. Sentius Saturninus	Caligula cæditur fine Januarii. ſuccedit patruus ejus Claudius. Suet. Agrippa fit Rex totius Judææ. Jacobum fratrem Joannis Hieroſolymis occidit gladio. Suprà lib 2 cap 11 *Act cap. 12 Ioſ. lib 19. cap 6.* & nos ſuprà lib. 5. cap 1 Inde Apoſtolorum diviſio mox ſecuta.	45 41	86	22 A	4	14
1 2	795	1 2 Februarii	72 73	5 6	Tiberius Claudius Aug. II. C. Licinius Cæcina Largus.	Diviſio Apoſtolorum Julii 15. ſuprà lib. 5. cap 1. Ingens in orbe fames ſub Claudio prædicta ab Agabo *Act 11 fin.* Petrus in diviſione Apoſtolorum Romam venit; ibi ſedem ponit. *Bar. & omnes.*	46 42	87	23 G	5	15
2 3	796	2 3	73 74	6 7	Tiberius Claudius Aug. III. L. Vitellius.	Petrus Romæ ſedet. primam ſuam ſcribit Epiſtolam. *Bar.* &c. Varios in Occidentem mittit Prædicatores. &c. Claudius Imp. bellum in Britanniam incipit ſuprà lib. 4. cap. 11. Ipſe in eam abit Geſſoriaco e Morinis. *Suet*	47 43	88	24 F	6	1
3 4	797	3 4	74 [illegible]	7 1	C. Criſpus II. T. Statilius Taurus	Claudius Imp. è Britannia Romam redit: ſexto à diſceſſu menſe. Triumphat, ipſeque & filius dicitur Britannicus. *Dio l 16 Suet* Herodes Agrippa dum feſtivitatem Cæſareæ Paleſtinæ celebrat, & Deum ſe vocari patitur, quinto die extinguitur. *Act. 12. ſub. Ioſ.*	48 44	89	25 E D	7	2
4 206 1	798	4 5	75 76	1 2	M. Vinicius Quartinus. M. Statilius Corvinus	Saulus & Barnabas à Deo ſegregantur Antiochiæ ad Evangelium. *Act. cap. 13. v. 2. 3.*	49 45	90	26 C	8	3

Olympiades.	U.C. Varroniani	Imperatorum	Alliaca pugna.	Reges Iudæorũ.	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Chriſti veri & Dionyſiani	Anni Iuliani.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1 2	799	5 6 Claudii a primo	76 77		C. Val. Aſiaticus II M. Meſſala Silanus		50 46	91	27 B	9	4
2 3	800	6 7 Februarii	77 78		Tiberius Claudius Aug. IV	Ludi Sæculares Romæ editi anno U. C. 8.0 quarto & ſexageſimo quàm Auguſtus ediderat *Tac. lib. 11. Dio, lib. 60* Corbulo Germaniæ Inferiori præfectus.* ipſam militemque ſevere regit. inter Rhenum & Mosam foſſam perducit, 23. millium ſpatio, & triumphat *Tac. lib. 11. Dio, lib. 60.*	51 47	92	28 A	10	5
3 4	801	7 8	78 79	Anni regis Agrippæ	L. Vitellius III P. Vipſanius Poplicola.	Galliæ proceres ius plenum civitatis Romanæ obtinent. Hinc cœpit eorum, 1. Belgarum etiam noſtrorum, tantus in Romanos amor. Vide ſupra lib. 4 cap. 12. Luſtro condito cenſa ſunt Civium 69 centena & 40 millia. Collige in quantæ vaſtitatis Pelagus Galilæus piſcator rete prædicationis immiſerit.	52 48	93	1 G F	11	6
4 207 1	802	8 9	79 80	iunioris. 1	C. Pomponius Longus Gallus Q. Veranius.	* Iudæi à Claudio Romà pulſi. *Suet. Cl. cap. 25 Oroſius lib. 7 cap. 6* dubitat an non etiam cum Iudæis Chriſtiani. Vide librum noſtrum 4. c. ult. § 5. Synodus Apoſtolorum Hieroſolymis, *Act. 15.* anno converſionis S. Pauli decimo-ſeptimo: anno Chriſti Dionyſiano 49. *Hier.*	53 49	94	2 E	12	7
1 2	803	9 10	80 81	1 2	C. Antiſtius Vetus. M. Suillius Rufus Servilius	Agrippina iunior, Germanici & Agrippinæ ſenioris filia, iam Claudii patrui uxor, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, Coloniam deducit, Vide cap. 12. & ult. libro 4. § 6. Chatti Germaniam Superiorem Belgicam vaſtant. Sed vincuntur. Ibid.	54 50	95	3 D	13	8
2 3	804	10 11	81 82	2 3	Tiberius Claudius Aug. V. Ser. Corn. Scipio Orfitus		55 51	96	4 C	14	9
3 4	805	11 12	82 83	3 4	P. Corn. Sulla Fauſtus L. Salvius Otho.		56 52	97	5 B A	15	10
4 208 1	806	12 13	83 84	4 5	D. Iunius Silanus. Q. Haterius Antoninus		57 53	98	6 G	16	11
1 2	807	13 14 1 Nero	84 85	5 6	Aſinius Marcellus. M. Acilius Aviola	Claudius Imp. moritur tertio Idus Octobris. Succedit Nero. Sub Claudio natus Tacitus hiſtoricus. Vide finem libri noſtri quarti Occaſione mortis Claudii, videtur Paulus de Romà videndà cogitaſſe, nam Iudæos ille Roma expulerat. ut dicitur Act. 18. v. 2. At Act. 19 v. 21. ait, oportet me & Romam videre	58 54	99	7 F	17	12
2 3	808	1 2 13. Octobris.	85 86	6 7	Nero Auguſtus. C. Antiſtius Vetus.		59 55	100	8 E	18	13

Olympiades.	V. Varroniani.	Imperatorum.	Actiaca pugna	Reges Iudæorū.	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Chriſti veri & Dionyſiani.	Anni Iuliani.	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
3 4	809	2 Neronis à 1	86 87	7 Agrippæ iunioris. 8	Q. Voluſius Saturninus P. Corn Scipio.	Nero Romæ noctu Lupanaria pererrat *Tacit. lib 13.* Paulus Melitâ ſolvens Romam venit, anno Neronis ſecundo, à Chriſti paſſione viceſimo quinto. *Hier.* in Paulo. Manet biennio in ſuo conducto prædicans fidem. Acta Apoſt. ſinientia ſcribit Epiſtolam ſecundam ad Timotheum & ad Epheſios. Joſephus hiſtoricus annos natus 19. vitam civilem aggreditur, ipſe Phariſæus. Vita.	60 56	101	9	19	14
4 209 1	810	13 Octobris 3 4	87 88	8 9	*Nero Aug II.* *L. Calp. Piſo.*	Timotheus Romam venit ad Paulum. Epiſtolæ ad Philipp. ad Coloſſenſes, ad Philemonem. forte & ad Hebræos. *Baron.*	61 57	102	10	1	15
1 2	811	4 5	88 89	9 10	*Nero Aug. III.* *M Val. Meſſala*	Biennio in vinculis exacto, Paulus liber dimittitur ejus acta deinceps obſcura, per annos novem uſque ad martyrium. Act. ult In Hiſpaniam ſe profectum dicit ad Rom cap. 15. v. 24. 28. & ita teſtantur Patres apud *Baron*	62 58	103	11	2	1
2 3	812	5 6	89 90	10 11	*C Vipſan. Poplicola.* *C Fonteius Capito.*	Relicto Paulo S Lucas remanſit in Oriente ubi Evangelium ſuum, & Acta Apoſtolorum ſcripſit. *Bar.* & alii.	63 59	104	12	3	2
3 4	813	6 7	90 91	11 12	*Nero Aug IV.* *Coſſus Cornelius Lentulus*		64 60	105	13	4	3
4 210 1	814	7 8	91 92	12 13	*C. Cæſonius Pætus.* *C Petronius Sabinus Turpilianus*	Martyrium S Jacobi Minoris, fratris Domini, anno 7. Neronis, poſt annos à Paſſione Chriſti 30. *Hier. Euſeb Dech.* & alii	65 61	106	14	5	4
1 2	815	8 9	92 93	13 14	*P. Marius Celſus.* *L. Aſinius Gallus*	S Marcus Evangeliſta, primus Alexandriæ Epiſcopus martyrio coronatur, octavo Neronis anno. *Euſeb Hieron* Feſto Acegiorum, ſeu Scenopægiæ, Jeſus quidam plebeius, quadriennio ante bellum Judaicum, clamat Væ per annos 7. menſes 5. donec in obſidione Jeruſalem occideretur. *Ioſephus, lib 7 de bello, cap. 12.*	66 62	107	15	6	5
2 3	816	9 10	93 94	14 15	*M Memmius Regulus.* *P Virginius Rufus*	Joſephus hiſtoricus poſt annum ætatis 26. Romam venit, & Poppææ Neronis uxori innoteſcit. Ipſe in Vita ſua.	67 63	108	16	7	6
3 4	817	10 11	94 95	15 16	*C Lecanius Baſſus.* *M Licinius Craſſus Frugi*	Prima in Chriſtianos perſecutio Romæ, Nerone auctore, occaſione incendii Urbis *Tacitus hiſt 5. Suet. Dio Baron* Albino Judææ Præſidi malo, ſuccedit pejor Geſſius Florus, cauſa belli Judaici, *Ioſ lib. excidii 2. cap 13. & lib. 20. cap 8 9.*	68 64	109	17	8	7
4 211 1	818	11 12	95 96	16 17	*P Silius Nerva.* *C. Iulius Atticus Veſtinus.*		69 65	110	18	9	8

Olympiades.	V. C. Varronian.	Imperatorum.	Actiaca pugna.	Reges Iudæorū.	Conſules Romani.	RES GESTÆ.	Anni Chriſti vere & Dionyſian.	Anni Iuliani.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1 2	819	12 13 Neronis à	96 97	17 Agrippa junioris. 18	C. Suetonius Paulinus. C. Pontius Teleſinus.	Bellum Judaïcum incipit, menſe Maio, anno Neronis 12. Regis Agrippæ 17. Joſ. l. 20. cap. ult. & lib. 2 Exc. c. 13. Hujus belli anno primo ea geruntur, quæ habet Joſephus libro Excidii 2. à capite 14. ad finem libri. quando cæſus Ceſtius poſt feſtum Scenopœgiæ. Tiridates Armeniæ Rex Romam venit ad Neronem. & ab eo coronatur. Nero inde in Græciam ſe confert ad Olympica, quæ in adventum ſuum differri juſſerat. *Dio, & Xiphil.*	70 66	111	19	10	9
2 3	820	13 Octobris. 14	97 98	18 19	L. Fonteius Capito. C. Julius Rufus.	Hoc demum anno Nero Olympia celebrat in Achaia. unde Veſpaſianū contra Judæos mittit. qui ea gerit, quæ habet Joſephus à cap. 1. lib. tertii Excidii, ad caput 2. libri 5. Iſtmia celebrans Nero, Iſtmum perforare vult; durat perfoſſio dies 75. Quibus Veſpaſianus Tarichæis menſe Septembri expugnatis, mittit ad eum ſex millia juvenum ad hoc opus. Vide Joſephum lib. 3. finiente. Romæ Capitone & Ruſo Coſs. Petrus & Paulus martyrio coronantur. anno a Paſſione Chriſti 37. *Hieron. Baronius*, & omnes.	71 67	112	20	11	10
3 4	821	14 Galba m. 7. d. 7. 1	98 99	19 20	C. Silius Italicus. M. Galerius Trachalus Turpilianus.	C. Julius Vindex à Nerone in Galliā deficit; ut & Galba in Hiſpaniā. Virginius Rufus Vindicem ad mortem adigit. Nero hoſtis à Senatu judicatus, ſe cædit decimo Junii. Galba fit Imperator, & Romam venit. *Suet. Dio*, &c.	72 68	113	21	12	11
4 212 1	822	1 Otho. Vitellius. 1	99 100	20 21	Ser. Sulp. Galba. Aug. T. Vinius Rufus.	Galba Imperator cæſus ab Othone 15 Januarii. Otho autem Vitellio victore, ſe cædit 19. Apr. Veſpaſianus denique dicitur Imperator in Judæā primo & tertio Julii. Mucianus & Domitianus in Italiam veniunt, & Vitellium ad mortem adigunt Romæ, 22. Decembris *Tac. Suet. Dio* &c. Sextus Aurelius Victor ſcribit à morte Auguſti, ſeu ab anno Juliano 59. ad Veſpaſianum Imp. per annos 56. Remp. exanguem fuiſſe.	73 69	114	22	13	12
1 2	823	1 Veſpaſianus à 1. Iulii 2	100 101	21 22	Veſpaſianus Aug. II. Titus ejus filius.	Anno Veſpaſiani ſecundo mox inituro, Hieroſolyma ab ejus filio Tito circumſeſſa in die Paſchæ. & Auguſto finiente diruta, aut Septembri ineunte. Joſephus libro Exc. 7. fuſè.	74 70	115	23	14	13
2 3	824	2 1	101 102	22 23	Veſpaſianus Aug. III. Titus ejus filius II. Tacitus hic finit	Veſpaſianus & Titus uno curru de Judæis triumphant Romæ; poſt triumphos 320. ab U. C. actos. Inde Pacem totius Orbis pronuntiant; Janum claudunt ſextò poſt Urbem Conditam. Oroſius lib. 7. cap. 9. credo ex Tacito tum adhuc integro.	75 71	116	24	15	14

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Prior numerus paginam, alter columnam indicat.

ÆGIDIUS Præfectus militum Rom. in Galliis Imp. Majoriano. *pag.* 529. *col.* 1. Ejus eximia laus. *ibid.* & 532. 2. à Francis Belgicis ſubſtituitur Childerico Regi pulſo ob laſciviam. 529. 2. ſicq́ue Belgica & Germania ſecunda redeunt ad Romanos. *ibid.* & fides Catholica in Belgium. 534. 1. Majoriani Imp. cædem parat ulciſci. 536. 1. Obſeſſus à Burgundis ope S. Martini invocata liberatur. 536. 2. Gothos prælio vincit. 538. 2. ab obſidione Cainonenſi miraculo pellitur. *ibid.* Vandalos & Alanos in Romanos concitat. *ibid. & ſeq.* Francos ſuos tributo capitali & cædibus à ſe alienat. 540. *& ſeq.* qui cum Childerico revocato eum Barri acie ſuperant. 541. 2. Sueſſione moritur. 542. 1. ſucceſſore filio Syagrio, *ibid.*

Ælius Sejanus quis? 120. 1. & 140. 1. Filium Tiberii Druſum veneno tollit, uxore prius vitiata. *ibid.* Conſecrationem Chriſti à Tiberio propoſitam repugnat. 135. 2. & 141. 1. Ejuſdem artes, flagitia, & Tragica mors. 140. 1. 2. ipſo anno paſſionis Dominicæ. 141. 1.

Aetius Curopalates Valentiniani tertii quis fuerit? 467. 1. Arelatum ab obſidione Gothorum liberat. *ibid.* Bonifacium Africæ Rectorem falsò apud Placidiam accuſat, & circumvenit. 470. 1. Ut fraudem tegat Hunnos ex Pannoniâ, Francos ex Ripuariâ pellit. 471. *& ſeq.* Felicem conſpirationis in Bonifacium ſocium occidit cum uxore. 479. 1. vincitur acie à Bonifacio. *ibid.* 2. ad Hunnos fugit, à quibus reſtituitur. *ibid.* Burgundiones cum Rege delet. 486. 2. Chlogionem Francorum Regem prælio ſuperat. 504. 1. & permittit victo Belgium ob imminentem Attilam. *ibid.* Copiæ ipſius in Attilam. 511. 1. *& ſeq.* Attilam Aurelius pellit. 512. 2. cædit in campis Catalaunicis. 514. 1. obſeſſum elabi patitur. *ibid.* 2. occiditur manu Valentin. Imp. 518. 1. Uxoris devotio pro mariti ſalute & viſum cuidam oblatum. 513. 2.

Agrippina ſenior à caſtris apud Ubios Trevirim ſecedens ſeditioſos aſpectu pacat. 108. 1. apud Vetera viriliter ſe gerens incurrit indignationem Tiberii. 112. Romam è Syria cum cineribus Germanici appellens, urbem commovet. 118. 1.

Agrippina Junior Germanici filia Coloniam Ubiorum patriam ſuam colonis auget. 22. 2. à Nerone filio tolluntur illi cuſtodes corporis Germani. 162. 2.

S. *Agricius* Trevirenſ. Epiſc. fidem ſub Conſtantio Imp. promovet. 235. 2.

Alani populi Scythiæ, illorum mores. 361. 2. Graciano Imp. chari. 365. 1. Cum Vandalis Gallias vaſtant. 404. *& ſeq.* & 417. 2. ſuccurrunt Vandalis cæſis à Francis 428. 1. Luſitaniam occupant. 437. 1. ſedes accipiunt in Gallia ad Ligerim ab Aetio, 490. 1. *&* 492. 1. In prælio contra Attilam ſunt ſuſpectæ fidei, 533. 2.

Alaricus Gothorum Rex quis fuerit? 397. 2. Cum Stilicone infeliciter confligit, 398. 1. 2. ab eodem vocatur in Italiam, 406. *& ſeq.* Pace ab Honorio negatâ Romam obſidet, 411. eamque ad conditiones cogit. *ibid.* 2. auxiliares Honorii cædit, 413. 1. Pacem offert & rejicitur, 414. *& ſeq.* Romam iterum obſidet. *ibid.* 2. Attalum Imp. dicit inimicum. *ibid.* & in ordinem redigit. 421. 2. In Honorium Ravennæ movet, 420. 2. Romam proditione capit & incendit, 412 *& ſeq.* movet in Siciliam, moriturq́ue quarto poſt menſe, 423. 2. ſepelitur in alveo fluminis medio, 423. 2.

Alexander Severus Imp. Chriſtianus, 200 *& ſeq.* In Perſas movet & Germanos. *ibid.* Occiditur cum matre Mammæa Weſtahe propè Moguntiam. 201. 2.

Allemanni unde dicti, 52. 2. & 53. 1. Origo illorum, 199. 1. Suevorum tranſlatorum ditionem inſident, 52. 1. Valeriano Imperante Gallias depopulantur, Moguntiam, & Metas evertunt. 207. 1. Item Conſtantio Imp. per biennium quadraginta urbibus captis. 291. 2. à Clodoveo victi vincuntur Tulpiaci, 579. 1. tria victorum Allemannorum genera. *ibid.*

2. duo illorum Reges beſtiis objiciuntur à Conſtantino Magno, 835. 2.

S. *Ambroſius* ſacratur Mediolan. Epiſc. 358. 2. Priſcillianum gnoſticum rejicit. 366. 1. ad Maximum Tyrannum bis Legatus Treviros adit. 372. *& ſeq.* Ejus generoſum cum Maximo colloquium. 377. 2. Fugit Arbogaſtem, 385. 1. Germanorum de illo magnifica opinio. 384. 2. Moritur. 389. 2.

Andernacum ſub Valentin. III. ultimum præſidium Romanorum. 473. 1.

Angli populi è Cymbrica Cherſoneſo progreſſi. 394. 1.

Annus Confuſionis à Cæſare ſic dictus, quindecim menſium fuit. 619. *& ſeq.*

Anthemius à Leone Imp. Græco mittitur Romam ad occidentis Imperii ſolium. 545. 1. 2. Sidonium Apollinarem urbi præficit. 546. 2. armat ſe in Genſericum Vandalum. 547. 1. Britannos opponit Viſigothis, 548. 2. Veniam dat Ricimero perduelli, interceſſore Epiphanio, 549. 2. biennio poſt ab eodem occiditur. 550. 1.

Antoninus Pius adoptivus Hadriani Imp. Britannos & Germanos per duces compeſcit. 190. 1.

Apoſtolorum diviſio ſeu profectio in provincias facta eſt Anno Chriſti 12 ob Herodis Agrippæ perſecutionem. 151. *& ſeq.*

Ar fluviolus ad Sintzich Rheno ſe miſcens Germaniam primam à ſecundâ dividit, 5. 1. an rectè Obrinca dicatur à Cluverio. *ibid.* & 4. 2. ad ejus oſtium Colonienſis Diœceſis hodie finit meridiem verſus. 591. 2.

Arbogaſtes Francus Valentin. II. comes & Rector, 381. 1. Maximi Tyranni filium occidit. *ibid.* Francos cædit & pacem componit. *ibid.* 2. Valentinianum Imp. ſtrangulat. 382. 2. iterum in Francos & Bructeros movet, 384. 1. mox in Italiam contra Theodoſium. 385. 1. cui decem millia delet. 385. 2. mox vincitur & ſuo ſe gladio verberat. *ibid.*

Archelaus Herodi ſuccedit in regno Judææ, non tamen in Regis nomen. 81. 1. in Paſchate tria millia ſeditioſorum Judæorum occidit. *ibid.* Romam ab Auguſto citatur ad defenſionem. *ibid.* & 94. 1. In exilium mittitur viennam. *ibid.* Ejuſdem ſomnium prognoſticum. *ibid.*

Ardenna ſylvæ plures in Gallia, ſic dictæ ab Ardoina ſeu Dianâ Deâ Nemorali. 145. 2.

Arelatum obſidetur ob Conſtantinum Tyrannum per Duces Honorii Imp. 433. 2. Cur ab Honorio fiat caput Imperii Gallicani loco Trevirorum, 458. 2. Attribuuntur illi ſeptem Provinciæ. 459. 1. Quarum duas mox Gothi rapiunt. 461. 1. ab obſidione Gothorum liberatur per Aetium 467. 1. & à Clodovæi Francorum Regis per Theodoricum Gothorum Regem. 597. 2. Concilium Arelatenſe *vide* Concilium.

Argentorati à Juliano Apoſt. cæduntur Allemani. 315. *& ſeq.* Vandalis Argentoratum deditur, ejuſque cives ultra Rhenum tranſlati. 402. 2. Argentinenſium Epiſcoporum ſeries ſæculo quarto. 333. 1.

Ariana hæreſis ortus, 267. 2. damnatur à Synodo Nicænâ. 268. *& ſeq.* & Sardicenſi, 275. *& ſeq.* varia eſt, 274. 2. fraudes Arianorum in Sirmienſi Synodo. 297. *& ſeq.* Violentia in Arelatenſi & Mediolanenſi, 299. 2. 302. 1. Conſtantium Imp. Æternum dicunt, non Chriſtum. 297. 1.

Arminius Cheruſcorum (nunc Brunſwicenſium) Princeps inter Rom. auxiliaris. 90. 1. ſtemma ipſius & breviarium geſtorum. 97. & 99. 2. Auctor Cladis Varianæ *ibid.* Iterum Rom. cædit, ſed nimia fiducia cæditur. 111. 2. dubio marte cum Germanico confligit. *ibid.* 1. colloquium ipſius & fratris Flavii inter Rom. militantis, ad Viſurgim. 113. 2. cæditur à Germanico atroci clade non procul Mindâ. *ibid.* Uxor cum filio ducitur in triumpho à Germanico. 115. 1. Bellum continuat. *ibid.* Moritur dolo ſuorum. 117. 2. Ejus encomium. *ibid.*

Armorici ſic dicti quaſi maritimi 426. 2. Armorici Belgici cum Francis in Romanos & Vandalos arma capiunt. 427. 1. Vandalorum viginti millia cædunt. 428. 2. Treviros expugnant. 430 2. conſtituunt propriam Remp. conſentiente Honorio *ibid.* 2. & 432. 1. & 448 1. ſeptennio tantum deinceps interruptam. 430. 2. Ripuarii quæ eſt pars Germaniæ ſecundæ, cujus caput eſt Colonia ubiorum, obtinent ab Honorio 450. 1. *& ſeq.* Armorici Gallici rebellant & vincuntur à Duce Honorii. 440. 1.

Ataulphus ſuccedit Alarico Regi Gothorum, 413. 2. Gallias depopulatur, 438. 1. Maſſiliam fruſtra obſidet. *ibid.* 2. Jovinum Tyrannum Honorio tradit captivum, 439. 1. Nuptias cum Placidia Honorii Sorore apud ſe captiva celebrat, 441. 2. Burdigalam incendit, 442. 1. à ſuis occiditur in Hiſpania, 446. 1.

Athanaſius juſſu Conſtantini M. exulat Treviris, ſ272. 1. honorificè, ubi excipitur à filio Conſtant. & S Maximino Ep. *ibid.* 2. fabella de puteo in quo latuiſſe fingitur *ibid.* Reſtituitur libertati per filios Conſtant 273 2. iterum Romæ quadriennio exulat, 275. 1. Reſtituitur ſedi ſuæ à Concil. Sardicenſi. 277. 1. Ter adit Treviros. 278 2. purgat ſe Conſtantio Imp. à calumniis. 283. 1.

Atrebatum olim Nemetacum, & Nemetocenna dictum 8. 1. etiamnum ſervat lanam quæ de cælo pluit. 349. 1. ſub Valentin III. adhuc Rom paruit. 495. 1. Birrhi ſeu ſaga rubra Atrebatenſia. 220. 1. Diogenes Atrebatenſis Epiſcopus occiditur à Vandalis. 418 1., Epiſcopalis ſedes Atrebati reſtauratur à S Remigio. 584. 1. qui ei S Vedaſtum Epiſcopum dat. 585. 1. & Cameracenſi. *ibid* Quo anno? *ibid* Atrebatum paterna ſedes Clodovæi Regis. *ibid.* jam olim caput Atrebatium. 8. 1. Atrebatenſes in Britanniam Colonias mittunt. 11 1 eorum Reguli Comii geſta in Britannia. *ibid.* Viæ militares à Romanis Atrebatum ductæ, à Brunehilde Regina reparatæ vulgo *Chauſées de Brunehault* 8. 1. Theodoſio Jun. imperante adhuc Rom. ſuberat Atrebatum, ex Notitia Imperii. 494. 1. à Vandalis transferuntur in jus Germaniæ auctore S. Hier. 404. 2.

S. *Attali* Lugdunenſis civis & martyris illuſtris, geoetuſa vox dum torreretur, ad Ethnicos: Ecce hoc eſt homines comedere, &c. 191 1.

Attalus ab Alarico Gothorum Reg. & Senatu Rom. fit inimicus Imp. 415. 2. Jubetur à populo pretium humanæ carni ponere. 421. 2. Fruſtra tentat Africam & Ravennam 420. *& ſeq* ab Alarico exuitur purpurâ 421 2. anno regni non integro. 421 2. captivus traditur Honorio. 446. 2. truncatis manibus deportatur in Inſulam. 455. 2.

Attila genus. 508. 2. fratrem regni conſortem occidit. *ibid.* Romanis pecunias, & Panonias extorquet. *ibid.* Rom. Orientales prælio ſuperat & ſeptuaginta urbes capit. 509 1. Regnum ipſius à Baltico mari uſque ad Thracias porrigitur. *ibid.* Martis enſem ſe reperiſſe fingit. *ibid* Galliæ infert bellum prætexto Honoriæ negatæ. 510. *& ſeq* Rhenum tribus locis tranſmittit. 512. 1. Tricaſſibus ob S. Lupum parcit. *ibid.* ab Aurelianis ab Aetio pellitur *ibid* 2. ab eodem in campis Catalaunicis ſuperatur. 514. 1. Fugiens obſidetur & ad ſua redire permittitur. 514. *& ſeq.* In Italiam irruit, Mediolanum evertit & alias urbes. 516. 1. à S. Leone repreſſus redit ad Danubium. 516. 1. Hunnorum dictum, Attilam à duabus feris victum Lupo & Leone. *ibid* Iterum in Gallias movet & ex temulentia in nuptiis moritur. 517 1. dubium an mulieris cultro & manu. 518. 2. Parentalia illius & elogium. 517. 1. & 2. filii diſcordes regno dejiciuntur. 517 2.

S. *Auguſtinus* reprehendit Bonifacium Rectorem Africæ ob ductam uxorem Arianam. 467. 2. obſidetur Hippone à Vandalis. 478. 1. durante obſidione moritur. 479. 1.

Auguſti nomen aſſumit octavius Cæſar 24 2. Morinos rebellantes domat. 23. 1. intra triduum ter triumphat. 24 1. Janum tertium claudit. 32. 1 45. *& ſeq.* Provincias cum ſenatu vafro conſilio partitur. 24. 2. Urbem ordinat & cenſet. 25. 1. in Britannos movet. *ibid.* Gallias ordinat & cenſet tribus vicibus. *ibid.* & 37. 2. Contra Cantabros pugnat. 32. 1. Germanos vincit. *ibid.* Britannis pacem dat. 32. 1. & Sicambris. 35. 2. Kalendarium Rom corrigit. 47. 2 Menſem Sextilem Auguſtum nominat. *ibid.* Gallias dividit. 2 1. & 26 1. & Germanias. 3. 1. & 27. 1 Coloniam Ubiorum primum ipſius opus in Belgica. 36. 2. Galliam & Belgium totos quinquaginta tres annos regit. 21. 1. Imperium cum Triumviris partitur. 20. 1. Gallia Auguſti patrimonium. 25. 2. Varias Colonias ducit. easque Auguſtas appellat. 36. 1. Templa, aræ, ludi, æræ, urbes illi dedicantur à Gallis, & aliis. 38. 1. Gallia illi ſupra 15 millones auri annuatim pendit. 36. 1. Batavos ad corporis cuſtodiam aſſumit. 24. 2. Varias gentes transfert. 53. 1. Viginti-quinque legionibus totum Imp. Rom. in quiete continet. 53. 1. Duas clades à Germanis accipit, Lollianam & Varianam. 98. 1. Ejus luctus ob hanc cladem. 101. 2. Moritur Nolæ in cubiculo in quo & Pater. 106. 2. Feſſa ætate ſæpè Belgium adiit. 109. 1.

Auguſtulus Romulus etiam dictus ultimus Rom. Imperator. 557. 1. procurante Oreſte patre Notario Attilæ. *ibid* ab Odoacro Herulorum (nunc Bremenſium & vicinorum) Rege auxiliari ſuo detruditur. *ibid.* 2. ab eodem Oreſtes occiditur, ipſe imperio detruditur. 558. 1. Et extinguitur Imp. Romanũ anno ſuo quingenteſimo vigeſimo ſecundo. *ibid.* 1.

Avitus à rure vocatur ad Præfecturam militiæ. 521. 2. Saxones & alios barbaros ſola fama ſui componit. *ibid.* appellatur ab exercitu & Gothis Imp. 523. 1. ob laſciviam dejectus Imperio ordinatur Epiſcopus Placentiæ. 526. 1. in fuga moritur. *ibid.* Sidonium Apollinarem Arvernenſ. Epiſc. generum habet. 521. 1.

Aurelianus Francos Moguntiæ cædit 204. 1. triumphat de Tetrico Tyr. & Zenobia. 218 2. Fit Imperator. *ibid.* Gallias duodecim annis ab imperio divulſas reducit. *ibid.* perſequitur Chriſtianos. 215. 1. interimitur ſexto imperii anno *ibid.*

Auſonius poëta Gratiani Imp. præceptor, creatur conſul Rom. 348. 1. Ejus iter Treviros. 351. *& ſeq* Idyllium Moſellæ illuſtratum. *ibid.*

B.

Barrum in Belgicâ olim prima (nunc in Lotharingia) capit Meroveus Francorum Rex. 565. 2. Wiomadus Barri Dominus Chilpericum Regem Francorum exulem revocat indicio medii nummi aurei. 540. 2. Barrenſe prælium quo Ægidius Rom. ſuccumbit. 541. 2.

Batavos Auguſtus ad corporis cuſtodiam aſſumit. 24. 2. & Cai. Caligula. 143 2. Rebellant duſtore Civile ſub Veſpaſiano. 170. *& ſeq.* Bataviæ deſcriptio. 171. 1. & 2. Remiſſi ex Italia prope Bonnam delent tria Rom. millia. 172. 2. Oppugnant duas Legiones Zanus. *ibid.* & Geldubæ ubi cæduntur. 174. 2. Geldubam capiunt. 175. 1. juxta Noveſium feliciter pugnant. *ibid.* Moſâ trajecto uſque in Morinos prædantur. 174. 1. Legiones Rom Rhenanas ſibi ſacramento jungunt. 177. *& ſeq.* & Tungros cum Nervus. *ibid.* Feliciter ad Moſæ Trajectum pugnant cum Rom. *ibid.* Cæduntur Zantis proditione, 181. 2 pacê accipiunt. 185. 1.

Bavacum Nerviorum caput Ptolomæo 30. 1. 255. 1. an ſedes Epiſcopi ante Cameracum? 257. 2. viæ militares ab Auguſto factæ octo inde emanant. 31. 1. Bavaci rudera evertit Chlogio Franc. Rex. 522. 1. quædam antiquitatis monumenta hodiedum reliqua. *ibid.* 2. Aquæductus romanis quatuor leucarum à decem fontibus. 502. 2. ad Vandalos uſque integrum ſtetit, 613. 1.

Belgica quinquaginta annis ante Chriſtum à Romanis ſubjugata. 1. 1. Romanorũ horreum eſt, & armamentarium contra Trans-Rhenanos. 116 1. Limites illius juxta Jul. Cæſarem, 3. 1. ſecundum Auguſtum, 3. 2. *&* 27. 1. juxta Conſtantinum Magnum, 257. 1. Tenebatur à Cæſare tribus legionibus. 7. 1. *&* 2. Variæ ipſius diviſiones ſecundùm idiomata, Archiepiſcopatus, Provincias. 9. 1 *&* 2. Modernæ & Veteris diverſitas, 10 2. Urbium antiquitas & numerus, & pagorum, 10. 2. In Belgis Flandri eminent Aulâ & Parlamento Mechlinienſi, Wallones nobilitate, Hollandi mercaturâ, 9. 2. Britanni à Belgio orti, 11. 1. Belgarum opera Cæſar in Pharſalicâ vincit, 15. 2. Belgæ Cimbros & Teotones Gallias vaſtantes avertunt, 13. 2. Belgii Martyres ſub Diocletiano, 230. 1. *&* 2. Belgæ & Belgicæ nomen unde ortum, 27. 2. *&* 28. 1.

Belgicorum Epiſcopatuum vetus & nova diſtinctio, 252. 1 & 2. & 9 1. Quando facta? 262. 2. illorum vetuſtas & frequentia, 263. 1. Nullus penè altero antiquior, 263. 2. Triginta quatuor Belgici Epiſcopi Sardicenſi Concilio interſunt, 276. 2. quinam ſub Juliano Apoſtata floruerint? 296. 2. in Bitterenſi Arianorum conciliabulo repent. 318. Sirmienſis ſecundam formulam fortiter rejiciunt, 324. 1. Eorum exemplo idem faciunt Orientales & ipſe Conſtantius Imp. 325 *& ſeq* Illorum laus à S. Hilario, 326 *& ſeq.* modernorum ſeries valde obſcura, 196. 1. vel nulla. *ibid.* Series illorum ſæculo quarto, 533. *& ſeq.* Reſtituti à S. Remigio, 534. 1 *& ſeq.* Belgarum & Gallorum vitia ex Salviano, 499. 1. poſt quingentos annos à Rom ad Francos tranſeunt non infeliciter. 505. 1. Rege Meroveo etiam Belgica prima. 515. 2. 521. 1.

Berchemium oppidum Rhenum inter & Juliacum Tiberius condit poſt Varianam cladem. 103. 1. Unde Tiberiacum appellatum. *ibid.*

Biterrenſe in Gallia Conciliabulum Epiſcopos Gallicos languidos habet 311. 2. S. Hilarium relegat. *ibid.*

S. *Blandina* nobilis matronæ in Gallia cum liberis illuſtre martyrium. 191 1.

Bonifacii Africæ Rectoris Imp. Valentiniano III. laudes ex S. Auguſtino. 463. 2. Placidiæ fidelis, 466 1. ab Aetio falsò accuſatur & circumvenitur. 470. 2. Vandalos in Africam invitat. 470. 2. Reconciliatus Placidiæ bis vincitur à Vandalis, & Romam fugit, 471. 1. prælio vincit Aetium, & ex vulnere moritur. 479. 2. Reprehenditur à S. Auguſt. ob ductam Arianam uxorem 467. 1.

Bonna urbs ad Rhenum ara Ubiorum dicta, 3. 2. à Druſo ædificatur. 43. 1. Statio duarum legionum Roman. *ibid.* 31 1. 43 2. hæ tumultuantur atrociter contra Germanicum, 106 & *ſeq.* ex iis tria millia à Batavis cæduntur. 172. 2. Druſus ponte illic Rhenum jungit. 43. 2. SS. Caſſius & Florentius cum ſociis pro Chriſto occiduntur. 224 1. Ara ibi Auguſto conſecrata 43 2

Bononia in Morinis portus Geſſoriacus & Iccius dictus, 147. 2. Pharus iſtic à Caligula ædificata, à Carolo Magno reparata, 143. 1. ridicula iſtic Caligulæ expeditio militaris, *ibid.* frequentata Rom. Impp. in Britanniam navigaturis. 260. 2. Epiſcopatus Bononienſis antiquior Teruanẽſi, *ibid.* 1. Teruana deſtructa Bononiæ reſtituta ex parte. *ibid.*

Bonoſus uſurpator Imperii contra Probum Imp. exemplar ebrioſi ducis. 219 2. ſeipſum ſuſpendit Coloniæ Agrip. *ibid.*

Britannia à Belgis habitatur. 11 1. & *ſeq.* muro ceſpititio dividitur ab Antonino Imp. 190. 1. deinde lapideo ſub Honorio, 469 1. qui Belgicis tigmis & aliorum munitur, *ibid.* ad Fidem Chriſti cum Lucio Rege convertitur Eleutherio Papa. 196. 2. & *ſeq.* pacem & commercium cum Rom. init, alias his parum utilis. 32. 2. poſt Cæſarem victa, purgum Caligula Imp. per Veſpaſianum, 147. 1. tum ſub Antonino Pio per Lollium, 190. 1. iterum ſub Commodo per Marcellum fortè Chriſtianum, 196. 2. occupatur ſexennio à Carauſio quodam ope Saxonum, 223. 1. à Conſtantio recuperatus cæſo Carauſio, 226. 2. qui Conſtantinum filium ingenti gaudio excipit. 427. 1. hoc Eboraci mortuo Conſtantinus illic dicitur Imp. 234. & *ſeq.* qui etiam in ea natus videtur. 229. 2. Britannia componitur à Conſtante Imp. 274. 1. Compeſcitur à Theodoſio patre. 348. 2. & 313 & *ſeq.* An S. Urſulæ exercitus cum Maximo Tyranno ex illa Inſula egreſſa ſit. 369 1. Saxonibus imminentibus Tyrannos creat. 404. 1. ab Honorio Imp. deſerta ſeipſam vendicat ab invaſoribus 432. 1. ab eodem impetrat unam legionem, à qua & defenditur, 449. 2. frequentia in illa eo tempore Monaſteria, 452. 2. è quibus prodit Pelagius hæreſiarcha. 406. 1. Vortigernus primus ſe in ea Regem coronat, 468. 2. Denique integrè à Romanis negligitur. 469. 1. & quare? *ibid.* Saxones in illam vocantur à Vortigerno. 472. 1. & 487. 1. hæreſi Pelagiana inficitur. 480. 2. contra quam S. Germanus & S. Lupus decertant. 481. 1. & Saxones cantato Alleluia acie ſuperant. *ibid.* Vortigerno cremato Saxones Britanniam tenent. 489 1. & 2.

Bructeri populi Germaniæ ad Amiſiam quaſi paludibus ſic dicti. 39. 2. à Druſo ſubiguntur, *ibid.* ſexaginta illorum millia mutuis vulneribus cadunt, ſpectantibus in adverſa Rheni ripa Romanis Imp. Trajano. 189. 1.

Brunichildis Regina Francorum ante annum Chriſti 800 reparat arias militares Atrebatenſes. 8. 1.

Burgundiones Wandalica gens 295 1. & 221 2. Cum Allemannis in Gallias irruunt. *ibid.* inter Bohemiam & ſylvam Speſſard ſedes capiunt, 321. 2. advocantur à Valentiniano III. contra Allemannos, 357. 1. illorum Sacerdotis authoritas. *ibid.* an Romanæ an Vandali origine? *ibid.* Cum Vandalis in Gallias irrumpunt 401 2. Catholicè & innocenter vivunt 444. 1. Catechiſmo & Baptiſmo imbuti a Severo Epiſc. Trevirenſi, 483 2. & mox Hunnos pauci vincũt. *ibid.* Sedes ab Honorio in Germania primum accipiunt. 440. 1. Rebellantes cum Rege ſuo delentur ab Aetio. 486 2. Reliquiæ circa Genevam in Sabaudia collocantur 492 1. Gondeuci illorum Regis quatuor filii regnum paternũ dividunt. 556. 2. occiduntur à fratre Gundebaldo 564. & *ſeq.* inter eos Chilpericus etiam pater, & mater Clotildis, 565. 1. Regnat poſthæc triginta novem annos latè per Gallias. *ibid.* 2. Liguriam deprædatur, 578 1. captivos S. Epiphanio reducendos concedit, *ibid.* 2. à Gothis vincitur 580. 1. Clotildem Neptem invitus Clodovæo dat conjugem. 577. & *ſeq.*

C.

C*Ætus* viginti pedes latus, ſexaginta longus muliebri corpore (excepto capite) è mari Gallico prodiit. 35. 2.

Caius Nepos Auguſti ex Julia & Agrippa togam virilem ſolenniter induit 60 1. octo duo ante Dom. Noſtri Incarnationem, adeoque eſt ejus typus, 62. 2. & *ſeq.* adoptatus ab Auguſto. 81 1. Ducit uxorem Livillam Druſi filiam. 84 1. cum eadem in Syriam & Parthos movet 86 2. Armeniam aggreditur, 87. 2. vulneratur a Sicario. *ibid.* ex vulnere moritur, an ex veneno Liviæ Novercæ? 88 1.

Caius Caligula Treviris naſcitur Germanico 103. 1. unde ſic dictus? 108. 1. Ejus Trevirum amandati aſpectu ſeditioſæ legiones apud Ubios quieſcunt. *ibid.* ſuccedit in Imperio Tiberio. 143. 1. pueriles & mimicæ ipſius expeditiones in Germanos, & Britannos, exercitu ducentorum quinquaginta millium. 143 & *ſeq.* fugit Germanos manibus ſuper capita in anguſtiis pontis Rheni transportatus. 144. 1. Crudelitas ejuſdem & rapacitas *ibid.* Pharum Bononiæ in Morinis conſtruit, quæ etiamnum ſuper eſt. 145. 1. Quarto Imperii anno occiditur à ſuis. 146. 1. mortem Germani corporis cuſtodes ulti ſunt in quoſdam. *ibid.*

Cameracum à Chlodione Franc. Rege capitur. 617. 1 & 503. 1. qui iſtic ſepelitur. 505. 2. à Childerico donatur Ragnachario ſubregulo. 548. 1. qui cum illo pugnat contra Syagrium Sueſſionum Regem, 574. 1. & rebellans Clodovæo ſecuri percutitur. 602. 1. Bavaco deſtructo a Vandalis ſedes Epiſcopalis Cameracum transfertur, 257. 2. an ea ſit Nerviorum. 255 & *ſeq.* ſecernitur a Tornacenſi flumine Scaldis, 50. 1. & 254. 1. ſex habet Archidiaconatus. 253 & *ſeq.* Reſtauratur à S. Remigio dato Cameracenſibus & Atrebatenſibus communi Epiſcopo S. Vedaſto. 585. 1. quando S. Gaugericus in eadem ſede ſederit? *ibid.* 2. Conjunctus cum Atrebatenſis annis 534. ſeparatur ab illo per Urbanum II. Pontificem, 4610. 1. à Paulo IV. fit Archiepiſcopalis. 9 1.

Carbonaria ſylvæ tractus, nunc Hannonia, unde dicta. 380. 1. Franci in eâ cæduntur à Romæ Valentin. Jun. Imperante. *ibid.*

Carauſius Præfectus Claſſis Rom. rebellat Maximiano Imp. 223 1. jungit ſibi Saxones. *ibid.* Natione eſt Menapius. *ibid.* Britanniam ſexennio occupat. *ibid.* 2. interficitur à ſocio. 226 1.

Carus Imp. fulmine feritur. 220 2.

S. *Caſſius* & Florentius pro Chriſto Bonnæ cum ſociis occumbit 224. 1.

Catti, Chatti, ſive Haſſi hodierni, eorum ſitus, & limes 35. 1. cæduntur à Pomponio, 150 1. pro Sale ad Salam ad internecionem cæduntur ab Hermanduris 103 2. Voto ab hoſtibus Marti ſacrati equi, viri, omnia mactantur. *ibidem.* à Druſo ſubjugantur. 41 2.

Caiphas Chriſtum damnat morte die Mercurii poſt Palmas, 136 2. dejicitur Pontificatu à Vitellio Pilati ſucceſſore. 142. 2.

Chauci Germaniæ populi inter Amiſim & Albym fluvios verſus Oceanum, 40. 1. à Druſo non infeſtantur, quia nimis validi. *ibid.* a Conſtantio Chloro vincuntur 225 2. Corbulo Legatus prohibetur à Claudio Imp. illos impetere bello. 148 2.

Cenſus populi Rom. à Servio Tullio, quomodo inſtitut. 61. 2. Auguſtus tres inſtituit, 62 & *ſeq.* In ſecundo horum cenſus eſt Chriſtus, 63 1. diſcrimen inter hunc ſecundum & tertium decennio poſt in Judæa factum. 91. 2. Cenſus Septem Saturnini & Cyrini feliciter conciliantur à Kepplero, 68. 2.

Cheruſci, nunc Brunſwicenſes & Luneburgenſes dicti, ductore Arminio cædunt Q. Varum, 90 1. Cæduntur à Germanico 113 2. Româ petunt Regem Italum Nepotem Arminii ex fratre. 148 2. Illum varie excipiunt. 149 1

Childericus Francorũ Rex Meroveo patri ſuccedit 526 2 à Francis primo regni anno ob laſciviam pellitur in Thoringiam, & penè occiditur. 529. 2. Revocatus medio nummi aurei, prælio vincit Ægidium ſubſtitutum ſibi Regem. 544. 2. Pariſios & Aurelianos capit. 567. 2. Moritur & ſepulchrum ipſius Tornaci erutum. 573 2

Chrocus Allemannorum Rex Moguntiam evertit Galieno Imp. 203 1. & Metas muris ultro corruentibus. *ibidem.* impio matris conſilio ut ſic nomini ſuo famam colligeret. *ibid.* Treviros & Arelatum fruſtra tentat. *ibid.* captus per civitates excitas excarnificatus occiditur *ibid.*

Chlogio poſt Pharamundum viginti annis Francos in Ripuaria regit 472. 2. cur vocetus primus Francorum Rex. 473. 2. *& ſeq.* Cur Crinitus 475. 2. *& ſeq.* cum Aetio pacem componit. 473. 2. & 480. 2. & 616. 2. Belgicam Secundam vaſtat & occupat 502. 1. Tornacum & Cameracum capit 503. 1. & 617. 1. ab Aetio opprimitur in nuptiis apud Morinos 504. 1. Cum Romanis & Saxonibus pacem init. *ibid. & ſeq.* dolore filii apud Sueſſiones amiſſi ægrotat & moritur Cameraci 505. 1. 2. & ſepelitur *ibid.*

Claudius Imp. Druſi filius. 149. 2. ſuccedit Caligulæ ex patre ex fratre Germanico. 146. 1. Britannos vincit. *ibid* & 148. 1. Galliæ Comatæ jus plenum Rom. urbis dat contra dicente Senatu. 149. 1. Judæos tumultuantes contra Chriſtianos urbe pellit: & hos cum illis. 150. 1. uxoris Agrippinæ veneno putatus periiſſe. 150. 2.

Clodoveus Francorum Rex Tornaci naſcitur, 543. 2. ejus nomen varie legitur. 544. 1. Syagrium Ægidii filium Sueſſionum regem prælio ſuperat, 574. & occidit. *ibid.* S. Remigium honorat, *ibid.* Prokacem Francum ſecuri propria mactat 575. 1. Thuringos vincit, *ibid* 2. fit affinis Theodorico Italiæ Regi. 576. 2. Ducit Clotildem uxorem, 577. 1. proles plures ex ea habet. 578. 1. Tulpiaci victores Allemannos voto emiſſo vincit, 579. 1. Catechiſmo imbuitur à S. Vedaſto, 581. 1. baptizatur à S. Remigio cum duabus ſororibus, & tribus Francorum millibus, 582. 1. munificentia illius erga S. Remigium. 584. 1. Gundibaldum Regem Burgundionum acie vincit, 581 *& ſeq.* & Alaricum Viſigothorum Regem ejuſque regnum uſque ad Pyrenæos occupat, 594. *& ſeq.* militum prædationes in amico ſolo ſeverè caſtigat, 592. 1. omen in templo accipit de fauſto prælio, *ibid.* ab obſidione Arelatis a Theodorico Italiæ Rege cum magna clade depellitur. 597. 2. Conſul & Auguſtus ab Anaſtaſio Imp Græco dicitur. 599 *& ſeq* Regulos conſanguineos plures iniquè occidit 601 *& ſeq.* Coloniæ Agrippinæ regnum, occiſo ejus regulo ſibi adjungit. 601. 2. Synodum Arelatenſem procurat. 603. 2. Pariſius regni ſedem ſtatuit quæ hodiedum ibi perſeverat. 600. 2. Mors ejus & ſepulchrum Pariſiis in templo ab ipſo conſtructo 604 *& ſeq.*

Clotildis Franc. Reginæ pater cum fratribus occiditur, mater ſubmergitur, ipſa cum ſorore relegatur a patruo, 564 *& ſeq* amœna hiſtoria deſponſationis ipſius cum Clodovæo Francorum, 577. 2. ſuadet marito fidem Chriſtianam, 578 2. prolium multarum eſt mater, *ibid* mortuo marito Turonis magna virtutis laude vixit uſque ad mortem 605. 2.

Colonia Agrippina conditur ab Agrippa traducente Rhenum Ubiis anno ante Chriſtum trigeſimo octavo, 22. 2. Anno poſt Domini Paſſionem vigeſimo augetur Colonis Romanis ab Agrippina Germanico ibi nata. *ibid.* 2. *& 030. 1.* Jure Italica uſa eſt, . 30. 2. primum eſt Auguſti in Belgica opus. 22. 2. S. Maternus ejus Apoſtolus. 153. 1. & S. Creſcens. *ibid.* Cæſo Vitellio Galli & Belgæ illic conjurant in Rom. 175. 2. qui ibi fuerat Imperator ſalutatus, 167 *& ſeq.* Reſpondent Ubii callidè Tenchteris invitantibus ad ſocietatem rebellionis, 177 2. ab obſidione per Romanos liberantur, Germanis per domos trucidatis. 180 2. Trajanus ſalutatus Coloniæ Imp. 189. 1. Conſtantinus pontem conſtruit. 236. 2. Colonia Francis erepta recuperatur à Juliano, 307 *& ſeq* Romani milites eam Armoricis & Germanis dedunt & cives Coloniences fiunt, 427. 2. corruptam ſcilicet moribus urbem, ideóque punitum 428. 1. Salvianus Maſſilienſis an fuerit Colonienſis patria? *ibid.* Colonia fit caput Ripuarii Francorum regni, 450. 2. Pharamundus illic inauguratus Francorum Rex, 453 1. à Childerico Franc. Rege donatur Sigeberto regulo, 542. 1. qui in prælio Tulpiacenſi vulneratur, 608. 1. occiditur à filio, dolo Clodovæi Regis Coloniam ſibi vendicantis. *ibid.*

Colonienſium Epiſcoporum ſeries non adeò certa, 185. 2 aliquot Epiſcopi poſt S. Severinum Coloniæ ſedentes referuntur, 390. 1. & qui quarto ſæculo præfuerunt, 332 2. Colonienſis Archiepiſcopatus diviſio, & limes ab Ar fluviolo uſque ad Confluentes Vahalis & Moſæ, 591. 2. *&* 515. 2.

Colonienſis Synodus contra Euphratem, 480 2. defenditur contra quoſdam, *ibid & ſeq.* præſidet illi S. Maximinus Trevirenſis. 287. 1.

Concilium Arelatenſe totius Occidentis in cauſa Cæciliani Carthag. Epiſcopi. 249 *& ſeq.* ejus origo iracundia, avaritia, ambitus Donatiſtarum, *ibid* Nicænum ſolius Orientis contra Arium 268. 1. Sardicenſe ex Occidente & Oriente in medio utriuſque contra eundem Arium, 276 *& ſeq.* Sirmienſe in cauſa Athanaſii, 297 *& ſeq.* Mediolanenſe I. proximè poſt Sardicenſe contra Arianos & Photinum. 279. 1. & 2. Colonienſe contra Euphraten 280. 2. Mediolanenſe II. in cauſa Athanaſii ex quo Catholici Epiſcopi relegantur. 302. 1. Ariminenſe initio ſanctum, in fine infauſtum. 327 *& ſeq.* Seleuciæ in quo S. Hilarius triumphat contra Arianos, 331. Aurelianenſe à Clodovæo procuratum, 603 *& ſeq.* ejus decreta. *ibid.* Concilia diverſa Galliæ pro corrigendo errore Ariminenſi 341. 1. Plura in Gallia ſæculo quarto, 334. 1. Conciliaboli Sirmienſis tres formulæ, 322 *& ſeq* & 329 1. Conciliabulum Biterrenſe Gallicos Epiſcopos languidos habet. 311. S. Hilario & aliis aliquot exceptis qui ideo relegantur. 312. 1. Concilium Cæſarienſe primum poſt Apoſtolus definit diem mortis & Reſurrectionis Chriſti 134 *& 139.* ejuſdem Canon de Paſchate celebrando. 198. 1. Concilium Pariſienſe contra Arianos 441 1.

Conſtantinus Magnus genus, ætas, patria. 218. *& ſeq* fugit ex Italia in Britanniam ob Galerium ſibi inſidiantem. 234. 1 & 2. Appellatur Auguſtus à moriente Patre & exercitu. 235. 1. Germanorum duos Reges bello victos feris objicit. *ibid. & ſeq.* Ponte Rhenum ſternit Coloniæ. 236. 2. Ducit Fauſtam Maximiani filiam. 237. 1. Socerum inſidiantem cogit Maſſiliæ ad ſuſpendium. 239 2. inſtaurat Galliæ urbes præſertim Treviram 239 2. movens in Maxentium plena die videt Crucem in cælo, nocte Chriſtum ipſum 340. 2 & legiones cæleſtes, quarum arma, Sexoces viſa, audita teſte Nazario Ethnico 343 *& ſeq.* An in Neumagen ad Moſellam, an in Sintzich ad Rhenum? *ibid.* Convertitur ad Chriſtum Treviris, 241 1 2. Quarta exercitus parte pugnat contra centum millia Maxentii 242. 2. 244. 2 eaque profligat Turini, Veronæ, Romæ. 245. *& ſeq.* quam diſſimilis Maxentio, tam eſt ſimilis Alexandro M. 245 1. Romam operibus auget. 247. 1. Crucis ſupplicium tollit *ibid.* redux in Belgium cædit Francos. 247. *& ſeq.* Licinio deſpondet ſororem. 247. 2. intereſt Concilio Arelatenſi 249 2. Licinium quatuor præliis ſuperatum cogit deponere purpuram, & tandem mori 264. *& ſeq.* Occidit Criſpum filium, Fauſtam uxorem, Nepotem ex fratre, plures amicos 269. 1. Baptiſmi illius tempus incertum. 269 2. toto Imperio quatuor præfectos Prætorii inſtituit, aliosque magiſtratus. 270. *& ſeq.* S. Athanaſium Treviros relegat. 272. 1. Moritur. *ibid.* 2. Chriſtianum ipſius & pium reſponſum Donatiſtis datum, ſe judicem petentibus 249. 2.

Conſtantinus Junior Galliæ præficitur a Patre Ductore Ambroſio S. Ambroſii parente. 272. 1. cum fratribus partitur Imperium. 273 1. Epiſcopatus in Galliis ordinat *ibid.* S. Athanaſium reſtituit ſedi ſuæ. *ibid.* occiditur juſſu fratris Conſtantis. *ibid.*

Conſtantinus Tyrannus à Britannicis legionibus ſalutatur Imp. 403. 2. Movet in Belgium contra Vandalos. 404 2. quos profligat circa Cameracum. 404. 1. Treviram triumphabundus ingreditur. *ibid.* cum Francis & Burgundis paciſcitur. 406. 1. Vincitur à Saro Honorii Imp. Duce. 407. 1. Arelatum ſolium transfert. 408. 1. Hiſpaniam feliciter tentat 411. 2. ab Honorio conſors imperii dicitur 412 1. Arelatis ſe ventis dedit. 415. 1. undique infeſtatus. *ibid. & ſeq.* Vandali totam Galliam vaſtant 414 *& ſeq.* filium Auguſtum appellat ex Monacho, qui mox occiditur. 431. *& ſeq.* 406. 1. In Italiam movet irrito conatu 432 obſidetur Arelati, deponit purpuram, & conſecratur ſacerdos 435 *& ſeq.* occiditur cum filio, & caput conto infigitur 434. 2 illius elogium *ibid.* ſolus nominis prærogativa ad imperium aſſumptus. *ibid* & 404. 2.

Conſtans Conſtant. M. filius partitur cum fratribus Imp. 273. 1. Idololatriam conatur evertere. 275 2. Conſtantinum fratrem occidendum curat. 273. 2. in Francos & Britannos feliciter movet. 274. 1. Vita ipſius & virtutes. 282. 1. & 2. occiditur a Magnentio trigeſimo vitæ anno in Pyrenæis *ibid.*

Conſtantius Chlorus nominatur Cæſar 224. 2. Bononiam Carauſio rebelli extorquet. 224. 1. Francos e Batavia expellit. *ibid.* Britanniam recuperat ſexennio amiſſam 226. 2. Allemannos victores vincit. 227. 1. ex Diocletiani reſignatione Auguſtus dividit Imp cum Galerio. 232. 1. Ejus virtus & civilitas. *ibid* 2. Liberam relinquit Religionem. 232. 2. Miniſtros Chriſtianos illis præfert. *ibid.* S Helenam repudiare cogitur. 224. 2 filii ex ſecunda uxore Theodora, 234. 1 moritur Eboraci in Britannia 234. *& ſeq* Ejus funus curatur à Conſtantino filio. 235 2. quantum Chriſtianis Belgis indulſerit 250. 2.

Conſtantius Conſtant. M. filius appellatur Cæſar 266 1. dividit cum fratribus Imperium, 273 1. idololatriam excindit *ibid.* Eloquentia Vetranionis copias ſibi adjungit rebellaturas.

bellaturas. 285. 1. Athanaſium & alios exules revocat fraude Arianorum detectâ. 278. 2. Cum Magnentio tyranno ter feliciter confligit. 287. quem ad gladium, fratrem illius ad laqueum adigit. 291. 2. inſoleſcit victoriis, 289. 1. 292. 2. 297. 2. 306. 1. Francos Sylvano Franco Duce e Gallia ejicit. 292. 1. Legiones Pannonicas in Gallias transfert in quibus S. Martinus, 395. 1. & Rhenanas in Orientem. ibid. Catholicos Epiſcopos in exilium pellit, 299. 2. 302. a. ejus arrogantia in Concilio Mediolanenſi. ibid. Æternum ſe appellat, & appellari patitur. 297. 1. 301. 2. Gallum Conſobrinum & Sororium ſuum gladio Carnificis ſubjicit, Cæſarem ante dictum, 301. 2. & Sylvanum Ducem Coloniæ Agrippinæ calumniis oppreſſum. 303. & ſeq. Julianum Conſobrinum Cæſarem dicit. mittitque in Francias. 307. 2. Romam triumphans ingreditur 312. 2. & ſeq. Oſium Cordubenſem tormentis cogit ad ſubſcribendum Arianis, 326. 1. & Liberium Papam ad damnandum Athanaſium. ibid. Legatos Concilii Ariminenſis & Seleucenſis adigit ad conſentiendum Arianis. 330. 1 Novem Conciliis turbat Eccleſiam. 333. 2. S. Hilario eſt perſecutor Eccleſiæ gravior Diocletiano, 334. Batavas Legiones in Orientem evocat à Juliano, ibid. Unde Juliani in illum rebellio, 335. & ſeq. à Perſis in Julianum movens, moritur. 339. 2.

Conſtantius Comes Honorii Imp. militiæ Præfectus, 433. 1. Conſtantinum Tyrannum Arelate obſidet, ibid. 2. auxilia illius cædit, 434. 1. Eundem Honorio captivum mittit. ibid. Burgundis ſedes dat in Germ. Superiore. 440. 1. ex Zelotypia propter Placidiam Honorii ſororem pacem cum Ataulpho Gotho turbat. 442. 1. Eandem invitam ducit. 458. 1. appellatur Imp. 461. 2. ex Placidia ſuſcitat Valentinianū III. 460. 1 moritur 7 imperii menſe. 461. 2. ejus Elogium 462. 1.

S. Creſcens miſſus a S. Petro in Galliam. 133. 1. & 2. etiam ad Rhenum ſuperiorem & inferiorem. ibid.

Criſpus Conſtant. M. filius pro Patre Gallis præeſt. 264. 1. Ejus Treviris Magiſter Lactantius ibid. Francos vincit. 265. 1. Prælio navali ſuperat Licinium. 265. 2. veneno patris juſſu propinato moritur. 269. 2. & 2.

D.

D*Anielis* annales hebdomades componuntur cum tempore baptiſmi Chriſti, Anno Juliano ſeptuageſimó tertio. 123. 1. & 2.

S. Damaſi Papæ electio contra Urſicinum, ab Ammiano Ethnico deſcripta. 347. 1. in quâ 137 cadavera in uno templo cæſa reperta. ibid. Priſcillianum Gnoſticum rejicit. 366. 1. Romanæ Eccleſiæ Majeſtas teſte eodem Ethnico. 347. Et Epiſcoporum modeſtia. ibid. 2.

P. Deckerius Soc. JESU primus auctor de vero anno Nativitatis & Paſſionis Domini, 129. 2. Initium Hebdomadum Danielis ducit ab inſtaurato & dedicato templo Nehemiæ. 123. 1.

Decimus Brutus primus poſt Jul. Cæſarem Galliæ Præfectus, à latronibus juſſu M. Antonii occiditur. 89. 1. Caput ad Antonium mittitur, ibid. ſeſqui anno poſt Cæſaris necem ab ipſo patratam. ibid.

DEI Verus cognitio naturæ lumine mentibus hominum inſita 154. 2. Dei nomina è Sacris ſcripturis in diverſas linguas tranſmiſſa. ibid. Gallorum Dii generales & topici 155. & ſeq. Generales Mercurius Germanis Teut dictus. Mars, Apollo. Diana ſeu Arduina Dea ſylvarum unde Arduennæ ſylvæ nomen. 155. 2. Hos Galli ſacrificiis humanis placabant. 155. 1. & Belgæ. 159. ſublata ſunt hæc à Tiberio 160. 1. Eadem Saxonibus uſuata. 168. 1. & 2. Deos topicos ſeu genios ante urbium obſidionem Rom præſtigiis Sacerdotum evocabant, promiſſo meliori cultu. 156. 1. Diverſæ Deorum appellationes accipi poſſunt pro diverſis Dei attributis. 158. 2. Germani nulla idola, nec templa habuerunt, ſed lucos. ibid.

Diocletiano Tungris prædicitur Imperium. 211. 2. Occidit Aprum interfectorem Numeriani Imp. 220. 1. Imperium invadit 284. anno Chriſti 220. 1. per Chriſtianos thermas Romæ & Carthagine conſtruit. 227. 1. atroci edicto omnes illorum Eccleſias ipſo Paſchatis evertit. 228. 1. & inchoat decennalem perſecutionem. 229. 1. purpuram ſecundo perſecutionis anno deponit, 228. 2. Dictum ipſius recuſantis receptionem purpuræ. 237. 2. bibit venenum territus minacibus Conſtantini & Licinii literis. 247. 2. Diocletiani ſeu martyrum æra. 220. 1.

Dionyſius Abbas Rom. natione Scytha Æræ Chriſti vulgaris propagator. 84. & ſeq. Qua ratione recepta in Rom. & occidentali Eccleſia recepta & conſervata. 85. 1. quando? 619. æra Græcorum octennio ſerius inchoat. 95. 2. æræ Dionyſianæ cauſa duo conſulum paria expunguntur. 209. 1.

Diviteuſe munimentum ad pontis tutelam a Conſtantino ſeleretrectum, vel reſtitutum. 136. 2. putatur eſſe Francorum Deuſo dictum, unde Hercules Deuſonenſis. 206. 1. ibidem Saxones contra fidem datam delentur a Rom. 156. 1.

Domitiani in Germanos expeditiones ludicræ. 180. 2. de cæde ejus mira præſagia. 187. 1. adit Gannam vaticinam Germanam. 186. 2.

Druidæ Gallorum ſacrificuli. 156. 2. eorum in civilibus authoritas, & ſcientia 157 & ſeq. quam apti ad legem Chriſti recipiendam. ibid. ſecretum illorum admirabile. ibid. Carnuti aram Virgini Deum parituræ conſecrant. ibid. 2. de immortalitate animæ illorum ſententia. 158. 1 Quercum & viſcum illi adnatum quanto fecerint 159. 1. immolabant homines. ibid. unde nomen ſortiti? 161. & ſeq. an Græcè ſcriverint. ibid. Druides fœminæ Chriſtianæ S. Hieronymum quæſtionibus ſæpius exercent. 162. 2. Druias Diocletiano Imperium prædicit. 211. 2. Vanum Druidarum Vaticinium de incenſo Capitolio poſt cæſum Vitellium. 171. 2. Immanis modus augurandi ex corpore humano 150. 2.

Druſus Claudius Tiberii Imp. frater magnæ virtutis adoleſcens. 37. 1. ob cenſum tumultuantes Gallos ſedat, occaſione Aræ Auguſto dicatæ Lugduni. ibid. 2. Germanos domat 38. & ſeq. Embdam ad Amaſim condit. 39. 2. ad Rhenum amplius 50 caſtella. 43. 2. ad Moſam Trajectum ibid. Foſſam Druſianam ducit. 40. 1. Bonnæ & Moguntiæ Rhenum ponte ſternit. 43. 2. Cattos ſubigit 41. 1. bellum ad Albim promovet. 41. 1. in caſtris æſtivis ibidem moritur ex crure fracto equi lapſu. ibid. Tiberius ſpirantem reperit. ibid. Corpus humeris Romam devectum in Auguſti Mauſoleum infertur. 43. 1. Elogium ipſius & merita in Belgicam. ibid. & ſeq.

E.

E*Burones*, Condruſii & alii finitimi Germanis accenſentur à Cæſare. 4. 1. & 7. 1.

S. Eleutherius Tornacenſ. Epiſc. quando ſederit. 586. & ſeq. Clodoveo occultum peccatum detegit. 601. 2.

Embdâ caſtrum a Druſo erigitur ad oſtium Amaſiæ. 39. 2. Crevit per Rom. & Mercatores in oppidum unum è tribus præcipuis Germaniæ, ſecundum Ptolomæum. ibid.

Embricam inter & Rheſam Cliviæ oppida 60 millia Bructerorum mutuis cadunt vulneribus, ſpectantibus ſub Trajano Rom. in adverſa ripa. 180. 1.

S. Epiphanius Ticinenſis Epiſc. bonæ famæ 549. 1. mittitur pro pace ad Anthemium Imp. ibid. & ad Viſigothorum Regem, & Burgundionum. 554. 1. & 576. 2.

Epiſcopi Belgici, vide Belgica. Eorum modeſtia, vide Damaſus. Eorum interruptio & hiatus, 194. 1. maxime creverunt ſub filiis Conſtantini. 262. 2.

S. Evergiſilus Colon. Epiſc. Tungris in patria occiditur à latronibus. 482. 1. ad S. Gereonis reliquias lucernas ante. ibid. Ejus gubernatione Colonia aurea dicta. ibid. Corpus Coloniam defertur & miraculis claret. ibid.

S. Eucharius Epiſc. Trev. Româ in Belgium mittitur à S. Petro 132. & ſeq. quo anno ſedere cœperit Treviris, & quo mortuus? 194. 2. mortuum excitat & alia ejus geſta. ibid.

Euphrates Colon. Epiſc. ex Concilio Sardicenſi mittitur Legatus ad Conſtantium, 276. & ſeq. Fabula de meretrice ab Arianis Antiochiæ ad illum ſubmiſſa. 278. 1. damnatus à Synodo Colonienſi ob Photini hæreſin, 250. 2. mœrore moritur & ſepelitur juxta Noveſium. 281. 1.

Euricus Viſigothorum Rex fratrem Theodoricum corona & vita ſpoliat. 545. 1. Gallias partitur cum Burgundis & Francis, ibid. 2. Anthemius Imp. illi Britannos opponit 548. 2. quas diu obſeſſas novis Gothorum è Pannonia auxiliis expugnat, cæſo Romanorum exercitu, 551. 1. à Ligeri ad Rhodanum extendit regnum. 554. 2. Catholicos Epiſcopos ferro & exilio mulctat. ibid. Arvernos fruſtra obſeſſos, deditione & juſſu Nepotis Imp. occupat. ibid. & ſeq. ab omnibus nationibus & etiam Perſis timetur, vel ſollicitatur, 559. & ſeq. Arelatum, & Maſſiliam ſibi vendicat victis Burgundis, 566. 1. moriens Alarico filio regnum relinquit vincendo à Clodoveo. 574. 1.

F.

F*Anum-Martis*, nunc Famars, Nerviorum oppidum olim firmum Rom. caſtrum. 495. 1. deſtruitur a Chlogione Francorum Rege. 502. 1. Theodoſio Jun. imperante adhuc in poteſtate Rom. erat. 495. 1.

Faramundus Francorum Rex cis Rhenum. 451. 2. unde ſic dictus? 453. 2. Coloniæ inauguratus. *ibid.* Lex Salica ſub illo condita. 454. 1. ejus geſta abolita. *ibid.* oratio ad ſuos Belgo-Romanos. 455. 1. moritur 472. 2.

Ferdinandus II. in Bohemiam motus & ad Pragam victoria. 92. 2.

Foſſa Corbulonis nunc Vliet juxta Lugdunum Batavorum. 145. 2. Druſi nunc Iſſala. 40. 1. Moſellam Arari conjungens tentata à L. Vetere Germ. Superioris Præfecto, & anno Chriſti 1598. ab Henrico IV. Galliarum Rege 163. 2.

Flandro-Belgica ſub Romanis parum culta ideoque avia Belgarum dicta. 10. 1. populi illius antiqui Menapii, Toxandri Tungri. *ibid.* Sueci in eam ab Auguſto tranſferuntur ante Chriſtum natum. 49. *& ſeq.* numerat hodie ſeptuaginta urbes, pagos quater mille. 10. 2. Aulâ Principis, & parlamento Mechlinienſi aliis Belgis præcellit. 9. 2.

Franci à Lohna flumine uſque ad Oceanum incolunt. 209. 1. 306. 1. nomen novum ſub Valeriano. *ibid.* 2. ex diverſis populis coalitum. *ibid.* maximè ex Chamavis qui nunc Markenſes, & Bructeris qui nunc Bergenſes, & Weſterwaldi 210. *& ſeq.* unde ſic dicti? *ibid.* Aureliano ſublato ſeptuaginta urbes Romanis in Belgica eripiunt. 217. *& ſeq.* & mox amittunt, ſuorum quadringentis millibus deſideratis. 218. 1. pyraticam exercent per Græciam, Siciliam, Africam. *ibid.* 2. à Maximiano transferuntur in Treviros & Nervios. 225. 2. Francorum Reges duos Conſtant. M. feris objicit, unde illorum quies. 236. 2. à Conſtantino Maxentii victore compeſcuntur. 247. *& ſeq.* & à Criſpo Conſtant. filio. 263. 1. & à Conſtante ejuſdem fratre. 274. 1. Sylvani cæde Colonia patrata urbem rebellantes à Colonia capta pelluntur. 307. *& ſeq.* ad Moſam & Rhenum à Juliano Apoſtata coercentur. 316. *& ſeq.* & 317. 1. Galliam vaſtantes in Hannonia cæduntur 380. 1. illorum opinio de S. Ambroſio Solo imperante. 384. 2. ab Arbogaſte & Stilicone domantur. *ibid.* *& ſeq.* cum Armoricis in eandem Remp. coeunt. 427. 1. contra Vandalos. 429. 1. quibus cæſis Treviros exſcindunt. 430. 2. eandem invitatu Lucii Conſularis ob vitiatam uxorem iterum vaſtant. 415. 2. Ripuariam tandem pro qua 200 annis certaverant pacificè obtinent ab Honorio. 450. *& ſeq.* Ex ea denuo ejiciuntur per Aetium. 473. 1. Franciam Orientalem occupant in hunc diem. 454. 2. diſcrimen comæ Francorum & Gothorum. 476. *& ſeq.* Eorum vultus, veſtes, arma. *ibid.* An Chriſtiani? 482. 1. *vide* Faramundus, Chlogiu, Merovæus, Childericus Francorum Reges.

Francus quidam nobilis è Conſtantii Imp. domeſticis liberatus à Dæmone per S. Hilarionem 305. 2. *& ſeq.* Franci Childerico Rege in Chriſtianos prom. quidam etiam inter primores Chriſtiani. 569. *& ſeq.*

Friſii à Druſo ſubacti, eidem fiunt auxiliares. 39. 2. agros Rom. limitaneos occupatos deſerere coguntur. 163. 1. Generoſa illorum ſimplicitas in theatro Romano *ibid.* 2. Vincuntur à Clodio Albino. 197. 2. cum Saxonibus in unius populi nomen coaleſcunt. 209. *& ſeq.* an à Phrygiis nomen & originem trahant? 210. 2. Pyraticam exercent per utrumque mare feliciter. 210. 2.

G.

G*Alerius* cum Conſtantio Chloro fit Cæſar. 224. 2. & Auguſtus abdicante Diocletiano 232. 1. Chriſtianos decennio perſequitur. 239. 2. Phthiriaſi moriturus iſtiuſ perſecutionem, *ibid.* propria manu cadit. *ibid.*

Gallia à Cæſare dividitur in Belgicam, Aquitanicam, Celticam. 1. 2. Quæ & cur dicantur Comata, braccata, togata. 2. 1. Ejus Dii, ſacrificia, ſacrificuli. 255. *& ſeq.* ab Auguſto aliter dividitur. 2. 1. & 26. 1. & 2. cur annuè penderet 15 auri milliones. 36. 1. Cenſetur à Druſo. 37. 2. tumultus inde ortus componitur ſolennitate aræ Auguſto dedicatæ Lugduni. Druſo 38. 1. à Cæſare devicta 100 annorum pace fruitur. 17. 2. Auguſti eſt patrimonium. 25. 2. plenum jus Rom. civitatis obtinet à Claudio Imp. unde illi conſtanter adhæſit. 149. 1. Galliæ devictæ à Cæſare primus Præf. D. Brutus unus è Cæſaris interfectoribus 18. 1. Secundus Mun. Plancus. 35. M. Antonius. 4. Auguſtus. 18. & 19. Rebellat Nerone Ductore Vindice. 164. *& ſeq.* & ſub Veſpaſiano duce Civile. 175. *& ſeq.* ſegnis & diſcors vincitur à Cereali. 178. 2. *& ſeq.* à Chroco Allemannorum Rege Arelatum uſque vaſtatur. 207. 1. qui mox crudeliter interficitur. *ibid.* Varii in ea Tyranni ſub Gallieno, *ibid.* *& ſeq.* Bagaudæ in illâ rebellantes ſuperantur à Maximiano 221. 1. Levatur tributis à Juliano. 319. 1. Vandalorum in Gallias irruptionem & ſedem. *vide* Vandali. Gothorum in Aquitania ſedes vide Alaricus & Gothi. Alanorum, Hunnorum. Francorum incurſiones. vide *ibid.* Galli movent in Græciam, Italiam, & Aſiam 300 millibus hominum 13. 1. quos inter Belgæ & Ambiani. *ibid.*

Gallia fidem Chriſti ſuſcepit tempore Apoſtolorum, contra Sulpitii Severi ſententiam. 191. *& ſeq.* Rictiovari in Galliis perſecutio, 225. *& ſeq.* Epiſcopos Galliæ ſub initia Conſtantini. *vide* Concilium Arelatenſe. Eorum interruptio & hiatus. 194. 1. illorum languor in concilio Biterrenſi aperit viam Arianæ hæreſi. 311. quam ejicit S. Hilarius variis convocatis Conciliis. 341. 1. Diſſident in cauſa Ithacii & Priſcilliani. 376. 1. 391. 2. *& ſeq.* ſæculo quarto plura in Gallia Concilia, & qui tum ſederunt Epiſcopi. 385. *& ſeq.* Morû in Gallia corruptela à Salviano deſcripta. 416. 2.

Gallo-Belgium à tempore Caroli Audacis Wallonicum dictum. 9. 1. ejus populi novi *ibid.* 2. & veteres 10. 1. præſtat aliis Belgis Epiſcoporum & cleri antiquitate & nobilitate. 9. 2. Urbes modo numerat plus minus 90 pagos, tria quatuórve millia. 10. 2.

Gallienus Imp. à Francis in arctum cogitur. 203. 1. Luxu ſuo Romanis legionibus, & Germanis rebellandi dat anſam. 204. 1. vincit Poſthumum, & vulneratur. 206. 1. ſub eo 5 in Galliis Tyranni. 208. 2. occiditur Mediolani. *ibid.*

Gallus Cæſar Juliani Frater gladio carnificis occumbit ob crudelitatem juſſu Conſtantii Imp. 301. 1.

S. *Genovefa* à S. Germano defenditur ab æmulis. 488. *& ſeq.* Pariſienſes à fuga metu Attilæ retinet & ſervat. 512. 1. Eoſdem in fame juvat. 567. 1. alia ejuſdem miracula. *ibid.* prædia & fundos à Clodovæo acceptos piis fundationibus applicat. 584. 1.

Genſericus Vandalorum Rex patri ſuccedit. 410. 1. Romanos victores in Hiſpania prolatis in aciem bibliis ſacris ſuperat. 462. 2. Hiſpalim evertit. *ibid.* In Africam invitatu Bonifacii vaſtitatem infert. 470. *& ſeq.* Eundem bis prælio ſuperat & Hipponem obſidet. *ibid.* Carthaginem capit contra fidem pacis. 498. 1. & Romam invitatu Eudoxiæ Imperatricis, eamque ſpoliat. 522. 1. Claſſem Majoriani 300 navium proditione incendit. 535. 2. Honoriam Valentiniani III. filiam filio ſuo deſpondet. 538. 1. Claſſem Leonis Græci Imp. aſtu exurit 1113 navium. 547. 2. moritur. 562. 1.

S. *Gereon* cum ſociis pro Chriſto cæditur Coloniæ. 324. 1. dies Martyrii innoteſcit S. Evergiſlo Epiſc. Col. cum beneficio ſanitatis 422. 2.

Germani quando & quare ſic appellati? 27. 1. trium millium Germanorum Equitum operâ Pompeius in Pharſalicâ vincitur. 16. 1. & 2. vincuntur à Tiberio. 43. 1. & 90. 1. & 2. Germanorum aliquot Principum ſtemma à ſuo Auguſto 97. poſt Varianam cladem inſultant capitibus Cauſidicorum. 100. 2. Legatorum Germanorum generoſa ſimplicitas in theatro Romæ ſub Nerone. 163. 2. Cum Batavis Veſpaſiano rebellant. 170. *& ſeq.* pyraticam exercentes, in fame ſeipſos devorant. 186. 1. Germani ab Auguſto, & pluribus Impp. ad corporis cuſtodiam allecti. 162. 2. Gallieno laſciviente cum Pipâ Attali German. Regis filia, in Galliam & Hiſpaniam irrumpunt. 204. 2. unde ejiciuntur à Poſthumio poſt 12. annos. *ibid.* *Vide Arminius. Franci. Saxones. Allemanni.*

Germanicus à Tiberio & Auguſto adoptatur. 91. 2. in Germaniam remittitur. 106. 1. cenſum à Druſo Patre inchoatum peragit in Galliâ. *ibid.* periclitatur Bonnæ à ſeditioſis legionibus. 108. 1. quas ſedat & caſtigat. *ibid.* Imperium ab iis oblatum conſtanter recuſat. 107. 2. Belgicam in verba Tiberii adigit. 107. 1. Germanos ſecuros opprimit. 109. 1. Cladis Varianæ cadavera ſepelit. 111. 1. cum Arminio dubio marte confligit. *ibid.* claſſe 1000 navium in Arminium per Amiſim movens eum atroci prælio cædit. 112. *& ſeq.* Redux tempeſtate affligitur. 114. 2. invitus revocatur à Tiberio ſuſpicioſo Romam. *ibid.* Triumphat de Germanis. 115. 1. Proles ipſius. 116. 1. proficiſcitur in Orientem. 116. *& ſeq.* Antiochiæ moritur veneno, ut creditum, Piſonis æmuli. *ibid.*

S. *Germanus* Autiſiodorenſis Epiſc. Britannos ab hæreſi Pelagii convertit 430. 1. Pelagianos convincit. 457. 1. Saxones voce Alleluia profligat. *ibid.* Redit in Britanniam cum S. Severo Trevir. Epiſc. & fidem miraculis confirmat. 488. 2. Alanorum Regem ab Armoricorum vaſtatione avertit, equi ipſius fræno apprehenſo. 489. 2. Ravennæ plura edit miracula. *ibid.* Moritur. 490. 1.

Geſoriacus portus. *vide* Bononia.

Glycerius Imp. anni non integri conſecratur Epiſcopus Salonæ 552 2. occidit Nepotem Imp 556. 1.

Gothi fugientes Hunnos recipiuntur à Valente Imp. intra fines Rom 362 1. Eiuſdem Hunnorum auxilio bis profligant & fugientem exurunt. 362. & ſeq. Alarico Rege Italiam percurſant. *vide*. Alaricus. Atulpho R. Gallias *vide*. Ataulphus. & Theodoricus. Euricus.

Gratianus Imp. Ambiani appellatur à Valentiniano patre. 347. 2. Ejus præceptor Auſonius. 345. 1. Cum Patre Alemannos ultra Rhenum & Nicrum removet. 350. & ſeq Treviris reſidet & cum Valentiniano fratre Imp. partitus. 360. 1. & 2. Zelus pro Catholicis. 361 1. in Thracias movet contra Hunnos 362. & ſeq. Allemannos vincit Colmariæ 363. 1. Theodoſium conſortem imperii nominat. 364. 2. in fuga à ſuis occiditur Lugduni juſſu Maximi Tyranni. 367. 1. reſtituit Priſcillianiſtas quos ante proſcripſerat 366. 1. corpus ejus fruſtra ad ſepulturam poſtulat S. Ambroſius à maximo Trevin. 378. 1.

Gundebaldus Rex Burgundionum fratrem ſuum Clopildis patrem occidit, matrem ſubmergit. à Clodoveo Franc. Reg. victus, eidem fit tributarius. 492. Fratrem Avenione obſidet & occidit. *ibid.* *vide* Burgundiones.

H.

HAdrianus Imp. adoptatur a Traiano. 189. 2. obit totum Rom. Imp. 190. 1. in Britannia conſtruit murum 80 milliarium. 190 1. Chriſto parat templum conſtruere. 200. 2.

S. Helena Conſtantini M. mater an Trevirenſis, an Britanna, an Dardana? 227. & ſeq. Repudiatur à Conſtantio Chloro. 224. 2. Chriſti crucem reperit, anno ejuſdem trecenteſimo vigeſimo ſexto. 269. 1. Chriſpi Nepotis mortem Conſtantino filio exprobrat. *ibid.*

Heraclianus juſſu Honorii Imp Stiliconem occidit. 420 2. Africæ Præfectus Attalum Tyrannum vincit, & Romam fame urget. 420. & 438. 1. claſſe numeroſa Romam petit. *ibid.* exercitum cum vita amittit. *ibid.*

Herodes Aſcalonita 40. anno ante Chriſtum regno pellitur ab Antigono. 72. 2. Romæ à Senatu Rex Judæorum dicitur 21. 1. & 74. 2. Convivio excipitur a M. Antonio & Pollione Conſule. 75. 2. Regnavit annis triginta ſeptem. 78. & ſeq. Eccliptis 10 morte ipſius non ſatis ſolidè aſſeritur. 80. 1. ob Magorum adventum trepidat. 70. 2. inde nata ipſius ſævitia in Phariſæos, infantes Bethleemiticos, domeſticos & proprium filium, 71. 2. Mors 13 menſe poſt circa Paſcha. *ibid.* & 80. 2. Teſtamentum. 80. 2. Funus à Germanis & Gallis ductum. *ibid.*

Herodes templum cæpit reſtaurare anno quo nata eſt Virgo Deipara. 124 2. idem dedicat ſeſqui anno poſt. 134. 1. Fabrica tamen ipſius 70 annis continuavit uſque ad Neronem. 124. & ſeq.

Herodes Agrippa Aſcalonitæ & Mariamnes ex filio Ariſtobulo nepos inops vivit & deſperabundus. 122. 2 ideoque inter Tetrarchas à Luca non refertur. *ibid.* Romæ incarceratur 6 menſibus à Tiberio. 143. 1. à Caligulâ donatur Tetrarchia Philippi, à Claudio regno Judææ & Samariæ 146. 2 mox S. Jacobum ferit gladio, idemque decernit S. Petro. *ibid.*

Herodes Antipas Tetrarcha S Joannem Baptiſtam in carcerem mittit. 126. 1. Macheruntis ad fines Arabiæ. 127 1. juſſu etiam Phariſæorum ne ille benevolentia populi ſeditionem moveret. *ibid.* Decollandum curat. 130. 1. Chriſtum exiſtimat eſſe Baptiſtam redivivum. *ibid.* in Euphrate fluvio Regem Parthorum, & Vitellium Rom. Præſidem convivio excipit. 142. 2. Herodiadem Mariamnes ex filio neptem, fratris uxorem ſibi jungit. *ibid* Unde a Severo Areta Rege bello penitus ſuccumbit *ibid.* Vulgo creditum, ob Baptiſtæ necem, ex Joſepho *ibid.* Relegatus Lugdunum, fugit in Hiſpaniam metu Agrippæ. 145 1.

Herodias neptis Mariamnes & Herodis infanticidæ ex filio Ariſtobulo. 125. 2. perſuadet Herodi adultero ſuo S. Baptiſtam octo menſibus captivum ut gladio feriat. *ibid.*

S Hieronymus Treviris ſpiritum calcandi mundum haurit. 343. 2. *ibid.* S. Hilarii librum de Synodis deſcribit. *ibid.* Rheni ſemibarbaras ripas habitat circa tempus mortis S. Hilarii. *ibid.*

S. Hilarius Pictavienſis Epiſc. S Martinum exorciſtam ex milite creat. 321. 1 in Synodo Biterrenſi Arianis fortiter ſe opponit. *ibid* 2. ideoque quinquennio in Phrygia exulat. 322 2. Librum de Synodis mittit inde ad Epiſcopos Galliæ, quos & laudat. 322. & ſeq. Synodo Seleucienſi feliciter intereſt. 331. 2. redux Conſtantinopolim fruſtra petit congredi cum Arianis. 332. 2. Remittitur in Gallias. *ibid.* ſcribit in Conſtantium Imp. 333. 2. quo mortuo redit Pictavos. 340. 1. medetur errori Ariminenſi procuratis diverſis Conciliis. *ibid.* & ſeq. Congreditur cum Auxentio Ariano Mediolan. Epiſc. eumque fugat. 344 2. fraudes illius detegit adverſante Valentiniano Imp. *ibid* & ſeq. quare victus redit Pictavos. *ibid.* moritur. 349. 2 primus inter Eccleſiæ Doctores cælo adſcriptus 350. 1. Elogium ejus & eloquentia. *ibid.*

Himberga oppidum Ducatus Juliæ ab fuerit ſedes Chlogionei 1. Franc. Regis Diſpargum dicta. 479. 1.

Honorius Imp. appellatur a patre Theodoſio. 386 1. vix decennis. 390. 2. Gallias fraude Stiliconis tutoris ſui nunquam adit. 406. 2. Stiliconem ſocerum ſuum occidendum curat cum filio. 410. 2. cum Alarico Gotho Romam obſidente paciſcitur. 411 1. à quo auxilia ipſius cæduntur 413. 2. Negat illi nihilominus pacem ob ſcrupulum ridiculum. 414. 1. Ravennæ obſeſſus inſperato auxilio ex Oriente liberatur. 420. 1. Reſponſum inſulſum ad nuntium Romæ captæ. 422. 2. Britannos & Belgas deſerit. 424 & ſeq. pacem honeſtam cum Wallia Gothorum Rege componit. 447. 2. Ripuariam Rheni regionem Francis permittit, Burgundis Germaniæ ſuperioris partem. 410. & ſeq. Triumphat Romæ de Barbaris, & Tyrannis ducto ante currum Attalo. 453. 1. quem digitis truncatum relegat. *ibid.* Arelatum transfert Trevirenſe Galliæ ſolium 458. 1. Britannias legione ſubmiſſa pacat. 462. 2. Sororem Placidiam amore in odium converſo relegat. 464. 2. moritur intercute. *ibid.*

Hormiſda Legati Perſici ad Conſtantium Imp duplex reſponſum de Equo Traiani, & de Româ 313. 1.

Hunni a Mæotica palude emergens populus, illorum mores. 361. 1. Alanos victos ſibi jungunt 362. 1. in Maximum Tyrannum immittuntur à Valentiniano II. 372. 1. Tungros & Galliam vaſtant poſt S. Servatii mortem. *ibid.* *vide* Attila.

I.

JESU CHRISTI nativitatis annus ſtatuitur Julianus 41 deſinens. 58 & ſeq. octo diebus ante quàm Chriſtus humanum amictum, Cajus Auguſti Nepos togam virilem ſolemniter aſſumpſit. 60. 2. in qua Chriſti figura nihil eſt abſurdi. 61. 1. Cenſus tempore Chriſti nati a Cyrino & Sentio Saturnino inſtituti conciliantur. 68. 2 In eo cenſu JESUS, MARIA, JOSEPH nomina ſua profeſſi ſunt 69 2. Joſeph etiam Auguſto juravit 70. 1. tres circumſtantiæ Nativitatis Chriſti, juramentum, Magorum adventus, & infantium cædes ex Joſepho, & Macrobio aſſeruntur. 70 & ſeq. Chriſto naſcente pax fuit univerſalis ab interno & externo hoſte, maximè Parthis & Germanis 55. 2. Chriſtus poſt biennale exilium migrat ex Ægypto in Nazareth. 82. 2. Chriſto nato Romæ rumor increbuit de novo Rege ſeu Meſſia nato. 75. 2. Unde Virgilii Ecloga Pollionis Chriſto naſcenti accommodatur à Conſtant. M 77. 1. Chriſtus anno 12 è latebris Nazarethanis primum prodit ob tum abductum Archelaum. 96. 1. mirabile ipſius ſilentium per 18 annos *ibid* 2. Annus Chriſti 30 conciliatur cum 15 Tiberii. 103 & ſeq prodit è latebris dum Tiberius hircus in Capreas ſe abdit. 121. 2. Baptizatur anno ætatis 31 expleto. 123. 2. Redit in Nazareth poſt jejunium. 124. 2. Colligit diſcipulos & baptizat. *ibid.* & ſeq. controverſia de baptiſmo ipſius & Joannis. 125. 1. quam decidit ipſe Joannes. *ibid* 2. ſecundus annus prædicationis 127 & ſeq. tres anni prædicationis cum medio probantur è Daniele, à Vinea ſterili tolerata in 4. annum & à tempore Antichriſti 128 2. geſta 3 anno prædicationis. 130. & ſeq geſta ultimis ſex diebus 135 1. Synodo Cæſarienſi definitur Chriſtum Crucifixum 23 Martii. 134 & ſeq. & ex anno cædis Seiani 135. 2. qua Luna menſis Martii paſſus. 137 & ſeq. duplex Paſcha Judaicum vetus, Chriſtianum novum eodem mortis Chriſti anno aſſeritur. *ibid* 1. Reſurrexit Chriſtus 25. Martii ex deciſione Concilii Cæſarienſis. 134 & 139 qui fuit dies Dominicus. 139. 1.

Iamblychus Epiſc. Trevir. in ſerie Epiſcoporum omiſſus, reperitur in Sidonio. 570. 2. eximiæ ipſius laudes *ibid.*

Idacius plus æquò ferventius Priſcillianiſtis ſe opponit. 365 2 & ſeq etiam Catholicis & S. Martino 374. 1. 364. 1. Ithacianis S. Martinus communicans reprehenditur ab Angelo. *ibid.* 2.

Illyricum bellum (in quo 800 millia hoſtium) terret Auguſtum 93. 1. patratus à Tyberio. 93. 2.

S. *Ioannis Baptiſta* conceptio menſe octobri 59. 2. Zacharia patre revertente Jeroſolymus expleto officio Ephemeriæ ſuæ *ibid.* quæ Ephemeriæ ſeu vices Sacerdotales a Machabæi tempore uſque ad templi deſtructionem fuerunt conſtantiſſimæ. 16. 1. Menſe Septembri incipit ſonare tubam prædicationis. 22. 2 baptizat Chriſtum menſe Januario. 123. 2. prius reſpondit legationi Judæorum. *ibid.* 2. iterum aditur a Chriſto. 124. 2. Conjicitur in vincula ab Antipa. 125. 2. ſuaſis etiam Phariſæorum timentium ſibi à populi in illum benevolentia, teſte Joſepho 127. 1. octavo poſt menſe decollatur Machetunte in finibus Arabiæ. 130. 1. concionatus menſibus quindecim 130. 1.

Ioannes Georg. Herward Bavariæ Cancellarius feliciter conciliat cenſum Quirinii apud S. Lucam. 68. 2. & primus annum 15. Tiberii incipit numerare ab eo quo collega Auguſti dictus eſt in Provinciis 105. 1.

Ioannes ex Notario Imp. poſt Honorium 464. 1. Hunnos & Gothos accerſit auxiliares. 465. 1 Angelo, ut creditur, duce Ravenna capitur à Valentin. III & ipſe ibid. cum contumelia occiditur. *ibid* ejus Elogium. *ibid.*

S. Ioſeph Chriſti nutritius Jesu, Mariæ, & ſuum nomen profitetur. 69. 2. Auguſto jurat 70. 1. de hoc cenſu. *vide* Cenſus

Ioſephi Hiſtorici ortus, & genus illuſtre ex Aſſomonæis. 146. 1. abavium habet filiam Jonathæ fratris Judæ Machabæi *ibid.* Laus & defenſio hiſtoriæ ipſius. *ibid.* Tres circumſtantias Nati Chriſti refert. Profeſſionem Joſephi, adventum Magorum, & infantium cædem. 70. & *ſeq.*

Iovianus ſuccedit Juliano Apoſtatæ, egregiè pius 343. 2. moritur ætatis 33. anno 344. 1. ejus elogium ex Ammiano Ethnico *ibid.*

Iovinus Tyranni adulterium cauſa tertii Trevirorum excidii. 435. 2. captus à Gothis Ravennam mittitur ad Honorium. 439. 1. conto caput affigitur, cum 4. aliorum tyrannorum capitibus *ibid.*

Iudas Gaulonites rebellat ob cenſum. Rom. circa annum 12. Chriſti. 95. 1. quando Judæa facta eſt Rom. provincia. *ibid.* 2

Iudæi Roma pelluntur à Tiberio ob deceptam Sent. Saturnini conjugem. 117. 1. & à Claudio ob turbas in Chriſtianos motas 150. 1.

Iulia Auguſti filia relegatur comitante ultrò matre, ob adulteriorum infamiam. 15. 2. Repudiatur à Tiberio marito. *ibid.* quinam ejus adulteri *ibid*

Iulia Iunior Auguſti Neptis ex filia Julia in exilio poſt 20. annôs moritur, ob adulteria relegata. 127. 1. Ejus cauſa etiam Ovidius Poeta quod libris de arte facem ſceleri præbuerit. *ibid.* 1.

Iuliacum & Tiberiacum, vulgè Berchem, oppida cis Rhenum Tiberius condit anno 10. poſt Varianam cladem 103. 2.

Iulianus Apoſtata à ſtudiis Athenis abſtractus fit Cæſar. 307. 1. Conſtantini M. ex Fratre Nepos fuit. 308. 1. In clerum ultro grandior adſcitus periculum cædis evaſit. *ibid.* Uxorem ducit Helenam Conſtantii Imp. ſororem 307. 2. palam pro Chriſtiano ſe gerit, clam Mercurium adorat. 308. 1 Vaticinium vetulæ cæcæ Viennenſis de Juliano Deorum templa reparaturo. *ibid.* Movet in Germanos eoſque è Gallia ejicit. *ibid* Coloniam Agrippinam & cæteras Rheni Urbes recuperat. *ibid.* & *ſeq.* Germani cum eo pacem ineunt. *ibid.* periclitatur Senonibus obſeſſus. *ibid.* Ejus vigilantia, & ſtudium literarum inter arma. 310. 1. S. Martino ægrè miſſionem concedit. *ibid.* 2 Allemannos ad Argentoratum profligat. 315 & *ſeq.* Salios & alios Germaniæ populos ſubigit, 316 & *ſeq.* Seditio militum in illum concitatur ob annonæ caritatem ad Moſam. 320. 1. nominatus ab exercitu Auguſtus Pariſiis contra Conſtantium 335. 1. in quem movet ſecundo Danubio 338. & *ſeq.* Conſtantinopolim occupat mortuo Conſtantio 340. idolorum templa aperit. *ibid.* revocat exules Epiſcopos. *ibid.* Chriſtianos Magiſtros juventuti aufert. 342. 2. Crucis labarum tollit. 342. 2. Templum Hieroſolymitanum fruſtra reſtaurare parat teſte Ammiano Ethnico 343. 1. vulneratus in prælio contra Perſas, incerto telo, moritur. *ibid.* variæ opiniones de authore necis. *ibid.* blaſphema morientis vox, & ætas 32. annorum. *ibid.* Ejus elogium. *ibid.*

Iulius Cæſar Galliam devictam quinque rebus in officio continuit. 14 & *ſeq.* Belgis & Germanis in Pharſalica victor evaſit. 15. & 16. fælicitatis prodigium à Cicerone dictus, 30. præliis, 400. Galliæ populos intra octennium ſubegit. 17. 1. Uno menſe quatuor triumphos Romæ duxit. *ibid.* 2. quando & quomodo reformaverit annum. 619. altero poſt anno confoditur in curia 18. 1. Mortuo qui honores a Triumviris decreti. 20 1.

Iul. Sabinus Lingon ſocius rebellionis Civilis Batavi cum uxore Emponina in ſubterraneis per 9. annos habitat. 185. 2. filios duos ibidem gignit. 186. 1. Romam ſubinde incognitus adit. *ibid.* Uxor quomodo lavans cum mulieribus uterum celaverit gravidum. *ibid.* Generoſa uxoris vox ad Veſpaſianum Imp quæ utrique mortem attulit. *ibid.*

Ivodium, olim Epoiſſus, nunc Ivois vetus Gallo-Belgicæ oppidum 10. 1. ſub Valentiniano III. adhuc a Rom. tenebatur. 473. 1.

K.

KAlendarii ab Auguſto & Gregorio XIII. facta correctio, in quo diſſerant. 47. & *ſeq.*

Kepplerus Cæſaris Mathematicus feliciter conciliat cenſum Cyrini S. Lucæ cum hiſtoricis. 68. 2. Et annum Chriſti 30 cum 15. Tiberii 105. 1. ejus ſententia de annis Herodis rejicitur. 79. & *ſeq*

L.

LAudunum, vulgo Laon, Campaniæ Gallicæ urbs, feliciter Vandalis repugnat. 419. 1.

Leodienſis Epiſcopatus antiquitas & amplitudo. 589 & *ſeq* 372. 1. Archidiaconatuum, Decanatuum & Parochiarum numerus, *ibid.* non videtur unquam Trajectenſis dictus. 372. 1.

S. *Leo Papa* è Gallia Romam evocatur ad Pontificatum. 501. 2. Synodum Conſtantinopolitanam contra Eutychetem convocat. 510. 1. Attilam eloquentia ultra Danubium removet. 516 1. Hunnorum diſterium, de Attila à Lupo & Leone victo. *ibid.* Genſerico Vandalorum Regi occurrit, & flammas ab urbe Romana avertit. 522. 2. Ejus Epiſtola ad Germanos Epiſcopos de Corepiſcopis. 532. 1. Ejus mors & ſucceſſor 535. 2.

Lepida Auguſti Cæſaris neptis viduata, Quirinio Præſidi Syriæ collocatur. 67. 2. Quem veneno petit, cum aliis adulterata ſimulato partu 68. 1. ob varia ſcelera projicitur in exilium. 118. 1.

Liberius Pontifex Rom. juſſu Conſtantii Imp. nocte abripitur in exilium in cauſa Athanaſii. 306. 2. Ejus authoritas inter chriſtianos teſtimonio Ammiani Ethnici. *ibid.* ſupplicatione Matronarum Romanarum liberatur. 313. 1. cogitur ſubſcribere damnationi S. Athanaſii. 326. 1.

Licinius ducit Conſtantiam Conſtant. M. ſororem 247. 2. Vincit prælio Maximinum in Thracia. 248. 2. ſuperatur quatuor præliis à Conſtantino 264. & *ſeq.* cogitur purpuram, mox vitam, ponere. 266. 1.

Longobardi (nunc Brandeburgenſes) à Tiberio domiti. 90. 1.

Luaige oppidum Diœceſis Leodienſ. ſub Valentiniano III. Romanorum præſidiorum ultimum. 473. 1. & 493. 2. Lagium olim dictum. *ibid.* à Chlogione Francorum Rege evertitur. 502. 1.

S. Luca cenſus Cyrini dupliciter conciliatus cum Tertulliano, Joſepho & aliis 68. 1. & 2. Ejuſdem textus de anno Chriſti cum anno 15. Tiberii. 105. 1. 120. 1.

S. *Lucius* Britannorum Rex per legatos ab Eleuthero miniſtros fidei petit. 196. 2. Baptizatur cum uxore & toto ferè populo *ibid.* Tempore & teſtimonio Tertulliani. *ibid*

Lugdunum Galliarum conditum poſt Cæſaris cædem. 26. 2. Strabonis tempore ſeu Tiberii non ultra Lugdunum colebantur vites. 219. 2. templum & ara Auguſto Lugduni ponitur in quâ 60. populorum Galliæ ſtatuæ & inſcriptiones 38. 1. cujus dedicationis occaſione Druſus tumultum ſedat cenſus cauſâ ortum. 37. & *ſeq.* Lugdunum incenditur à Severo Imp victore Albini. 195. 2. Gratianus Imp. Lugduni à Maximo occiditur. 367. 2. Quatuor vias militares Lugduno ducit. M. Agrippa, ad Rhenum, Maſſiliam Oceanum, & Aquitaniam. 22. 2. Martyres Lugdunenſes ſub Aurelio. *vide* S. Photinus & Blandina.

M.

MARIA Virgo Deipara naſcitur anno quo Agrippa *aquam Virginem* in urbem Rom. deducit. 33. 1 quo ab eodem Colonia ubiorum condi cœpta. *ibid* Nomen ſuum & filii, ætatem, parentes, habitationem profitetur Auguſto. 69. 1 Ara illi dedicatur à Druidibus Carnuti 448. 2.

S. *Macra* illuſtre Martyrium pro fide, & Virginitate Rhemis ſub Diocletiano. 230 1.

Marbuam Magiſter militum Clodionis Franc. Regis 503. 1. Tornacum in præmium virtutis accipit. *ibid.* 2. filiorum Clodionis tutor nominatur. 505. 2. horum diſcordias alit regnumque invadit à Francis oblatum 506. *& ſeq.* Vincit cum Romanis Attilam. 514. 2. nocte prælium antecedente fortuita cum Gepidis auxiliaribus Attilæ congreſſione 15. utrimque millia cadunt 513. 1. mox Romanis Belgicam primam eripit. 515. 2. 521. 1. moritur 8. regni anno ſucceſſore Childerico filio. 526. 2.

Magnentius Tyran. occidit Conſtantem Imp. 252. 1. regnum illius occupat. *ibid.* S. Maximinum Trevirenſem & S. Servatium Tungr. Epiſc. mittit fruſtra pro pace ad Conſtantium. 283. 1. Eſt origine Francus, & parat bellum. 286. 2. Ter profligatur in Pannonia, Italia, Gallia. 289. *& ſeq.* Fuga multiplex & crudelitas in Gallia. *ibid.* ipſe gladio proprio perit, frater laqueo. 291. 2.

Magorum adventus, & quæſtio ubi Chriſtus naſceretur à Joſepho hiſtorico notata 20. 1. Sacerdotum Herodis conſultatio, & Judæorum exultatio ex eodem *ibid.* Herodis inde motus & diffidentia. *ibid.* mox Phariſæorum & infantium cædes. *ibid.*

Majorianus cum Aetio ſtrenuè rem agit contra Clodionem Francum. 504. appellatur Imp. Occidentis 528. 2. Allemannos & Francos vincit. 529. 1. per Ægidium Francos ultra Rhenum removet, recuperatque Rheni limitem. *ibid.* 2. in Vandalos Africanos ſe parans occiditur immaturè. 532 2 536. 1. claſſem 300. navium incendio proditorio amittit. 536. 2. ejus Elogium. *ibid.*

Marburgum Haſſiæ olim Mattium incenditur à Germanico 110. 1.

Marcomanni, qui nunc Franconesi, in Bohemiam tráducti à Maroboduo Rege 51. *& ſeq.* v. Maroboduus.

M. Agrippa Belgicæ Præfectus ubios transfert. 22. 1. Aquitanos cædit *ibid.* Lugduno quatuor vias militares ſternit ad Rhenum, Oceanum, Maſſiliam, in Aquitaniam. 22. 2. Coloniam Ubiorum condere incipit, 33. 1. 22 1. aquam Virginem Romam inducit. 33. 1. Moritur è Syriâ reverſus 37. 1.

M. Antonius è Gallia 17. legiones quas inter Belgæ auxiliares in Orientem ducit. 19. 2. in partitione Imperii Triumvirorum Galliâ illi obvenit. *ibid.* 2. quâ per Auguſtum depellitur. 16. 2. Octaviam Auguſti ſororem ducit. 74. 1. Brunduſium obſidens pacem cum Auguſto componit. 73. 2. *& ſeq.*

M. Aurelius Imp. Chriſtianos dirè perſequitur etiam in Gallia 190. 2. quibus foro etiam & publico interdicit. *ibid.* affingit illis Thyeſteas cænas, & œdipodis inceſtus fortè ob Gnoſticos. *ibid.* Cattos debellat. *ibid.* Martyres aliquot omnis ſexus & ætatis in Gallia ſub ipſo. 191 1. etiam Treviri. *ibid.*

Marius ex fabro ferrario triduanus Imp. 208. 1. ejus generoſa oratio in Galienum Imp *ibid.* à famulo olim ſuo occiditur gladio quem cuderat ipſe. *ibid.* 2

Maroboduus Marcomannorum ſeu Bohemorum Rex è Franconia Marcomannos & Suevos transfert in Bohemiam. 51. *& ſeq.* Romanis formidabilis eſt 52. 1. adjungit regno vicinos Luſanos, Moravos, Miſnios & Polonos. 92. 1. ejus metu Janus Romæ ab Auguſto aperitur poſt Chriſtum natum 12. anno. 52. 2. 92. 1. & 2. æquis conditionibus cum Tiberio componit pacem. *ibid.* ab Arminio impetitur Vari victore. 93. 1. caput Q. Vari ad illum miſſum Tiberio mittit. 100. 2. Regno deturbatus conſeneſcit Ravennæ inglorius 93. 1.

S. *Martinus* Tungrenſ. Epiſc. Haſbaniam ab idolis liberat. 196. 1. ab Hornonenſibus ruſticis cum contumeliis rejicitur. *ibid.* mortui cadaver thecæ argenteæ impoſitum à S. Servatio Trajectum defertur. *ibid.* miraculis claret *ibid.*

S. *Martinus* Turon. Epiſc. patria, genus, adoleſcentia pia. 293. 1. *& ſeq.* rapitur quindecennis catenatus ad militiam. *ibid* 2. Novendecim annis eſt præſidiarius miles in Pannonia. *ibid. & ſeq.* Triennio eſt in caſtris contra Magnentium unde Sulpitii error 19. annis vitam ipſius abbreviantis. *ibid.* Ejus virtutes in caſtris. 295. Pallium feliciter cum paupere Chriſto dividit. *ibid.* baptizatur anno ætatis 30. in Gallia. *ibid.* & adhuc biennio militat. 296. 1. *& ſeq.* Wormatiæ à Juliano miſſionem impetrat generoſo reſponſo. 310. 2. Pictavis adit S. Hilarium, inde divino monitu in patriam. *ibid.* Converſa ad fidem matre, fruſtra laborat in patre 332 1 Virgis cæſus ejicitur è patria, & Mediolano ab Arianis. *ibid.* Eremiticam vivit. *ibid.* Reducem è Phrygia S. Hilarium ſequitur Pictavos, & Monaſticam profitetur. 340 2. duos infeliciter defunctos ad morem Eliæ vitæ reddit. 342 1. aſtu pertrahitur ad Turonenſem Epiſcop. 354. 1. Deſpicitur Treviris à Valentiniano Imp. & mox miraculo honoratur. 355. 1. Ibidem in convivio à Maximi Tyranni uxore miris obſequiis afficitur 375. 1. Ejus ætas *ibid.* Ithacianis Epiſcopis Treviris adverſatur. 376. 2. cum iiſdem communicaſſe reprehenditur ab Angelo. *ibid.* 1. pœnitentiam cum lachrymis agit. *ibid.* miracula quædam Treviris patrata. 377. 1. annus mortis ejus. 389. 2. S. Severinus Col. Epiſc in morte ipſius voces in ſublimi canentium audit, non S. Ambroſius. 390. 1. à morte ipſius æram ſuam Galli ducunt. 389. 1. Chlodovæi Francor. Regis erga S. Martinum felix devotio. 595. 2.

S. *Maternus* Tungrenſ. Epiſc. in Belgium à S. Petro mittitur. 152. *& ſeq.* Tungrenſes & Colonienſes fide excolit. 153. 1. per annos quadraginta 194. 2. ejus ætas *ibid* ejus à morte reſuſcitatio. 195. 1. mors ipſius altera. 195. 1. ſucceſſores aliquot *ibid.*

S. *Maternus* Epiſc. Colonienſis à Conſtant. M. Donatiſtis rogantibus datur Judex 249. 2. ideoque Romam mittitur. *ibid.* inde ad Concilium Arelatenſe. *ibid & ſeq.* Donatiſtas damnat, Cæcilianum Carthaginenſem Epiſc. abſolvit. *ibid.* authoritas ejuſdem apud Conſtantinum, & an ejus Catechiſta? *ibid.*

Maſſilia à Jul. Cæſare expugnatur, 17. 1. conditores ejus & deſcriptio 238. 2. oppugnat eam Conſtantinus M & Maximinianum Imp ibidem ad laqueum cogit. *ibid.* fruſtra tentatur ab Ataulpho Gothorum Rege. 439 2. Burgundis, mox Theodorico Gothorum in Italia Regi, in victoriæ auctarium obtingit. 597. 1. & 2. ante hunc Eurico Viſigothorum Regi conceſſa ab Odoacro Auguſtuli adjutore ſicque a Romanis avulſa. 566. 1.

S. *Mauritius* cum Thebæa legione in Galliam venit. 221. 1. bello in ruſticos Bagaudas cæditur pro Chriſto. *ibid.*

Maxentius ſuppoſititius Maximiniani Herculei Imp. Romam occupat. 237. 1. Severum Cæſarem occidit. *ibid.* quàm Conſtantino diſſimilis. 245. 1. ejus numeroſæ in hunc copiæ ter acie profligantur. 245. *& ſeq.* fugiens in Tyberi ſubmergitur 6. tyrannidis anno 247. 1

Maximus Tyrannus è Britannia in Gratianum movet. 367. 1. eum Lugduni occidendum curat. *ibid.* Treviris thronum figit 369. 1. an cum illo S. Urſulæ exercitus è Britannia venerit? *ibid* cum Valentiniano II. de pace tractat 373. *& ſeq.* Priſcillianiſtas Treviris ſanguine. & exiliis perſequitur. 375. *& ſeq.* S Martinum tum ipſe, tum uxor honorificè convivio excipit. 375. 1. à quo presbytero in præbibitione Maximus poſtponitur cum plauſu. *ibid.* & prædicitur interitus. *ibid.* Colloquium ipſius cum S Ambroſio calidum. 377. 2. cui negat corpus Gratiani & à ſe abigit. 378. 1. Valentinianum pacis ſpecie deluſum fugat in Orientem. *ibid.* duobus præliis vincitur à Theodoſio. 379. 1. à ſuis traditus Theodoſio, gladio carnificis occumbit. *ibid* 2. Andragarius ipſius Dux ſe in mare præcipitem dat. *ibid.*

Maximus Tyrannus ob vim uxori à Valentin. III. Imp illatam, hunc impellit in necem Aëtii. 518 1. mox Imp. occiſo ſuccedit in thoro, & throno 519 2. impar oneri mæret, 520. 1. Barbaros Gallicos rebellantes per Avitum componit. 520. *& ſeq.* Eudoxiæ uxoris proditione cæditur membratimque à Vandalis 3 Imp. menſe. 522. 1.

Maximinianus Herculeus fit Collega Imp. à Diocletiano. 221. 1. bello in Bagaudas Galliæ ruſticos Legionem Thebæam pro fide trucidat. *ibid.* Treviris ſedem collocat. *ibid.* Movens in Carauſium rebellantem in Britannia, S. Gereonem & ſocios martyrio coronat. 224 2. Africanos domat. 227. 2. Chriſtianorum templa, ſcripta & corpora atrociter perſequitur 228. *& ſeqq.* ſecundo perſecutionis anno purpuram deponit *ibid.* ejus genus & indoles agreſtis & fera. 237. 2. in concione militum ſeditionem & convitia fert. *ibid.* Diocletianum fruſtra invitat ad reſumendam purpuram. *ibid.* Conſtantino M Treviris Fauſtam filiam collocat. *ibid.* fruſtra illi [illegible] Arelati purpuram reſumit. 238. 1. ſed mox coactus à Conſtantino ad laqueum Maſſiliæ. *ibid. & ſeq.*

S. *Maximinus* Trev. Epiſc. S Athanaſium exulem fovet. 272. Legatos Arianorum ad ſe miſſos excommunicat. 275. 1. Sardicenſi Concilio adeſt 276. 2. damnatur ab Arianis cum Julio Papa in Pſeudo-ſardicenſi. 277. 2. à Magnentio Tyranno cum S. Servatio mittitur ad Conſtantium pro pace 283. 1. in patria Aquitania moritur *ibid.* 2.

Mechliniam in cauſis civilibus ad ſupremum iſtic perlamentum appellant Flandri, Arteſii. Namurcenſes. Luxenburgenſes. 9. 1. Olim etiam quædam Confœderatarum Provinciarum. *ibid.* Mechlinienſis Archiepiſcopatus eſt Flandrorum. *ibid.* 2.

Menapii ævo Julii Cæſaris à Rheni divortio ad Oceanum Britannicum porrigebantur 29 2. Auguſtus eoſdem medio Scalde diviſit in Orientales, dictos deinde Toxandros, & maritimos qui nomen retinent. *ibid.* & 30. 1. 609. 1 2. Carauſius Menapius Britanniam ſexennio occupat, Imp. Diocletiano. 225 1. Cluverius male utroſque menapios confundens eos in Kempinia collocat. *ibid.* Menapii Nervus præſtant ſpirium amplitudine, urbium antiquitate, & maris peritia. 260 1. & 2. Oppida Menapiorum antiqua. *ibid.* Suevi Menapiis adjunguntur. *ibid.* & 49. 2. Theodoſio Juniore duæ Menapiorum legiones celebrantur. 261. 1. In Hiberniam Coloniam ducunt haud procul Dublino. *ibid.* inſtruuntur in fide a S. Urſmaro. *ibid.*

Meta (olim Divodurum) Mediomatricum caput, & Francorum Auſtraſiæ Regum ſolium 459 2. Metenſes muri divinitus nocte collapſi aditum fecerunt Chroco Alleman. Regi ad delendos cives. 207. à Vandalica Galliarum vaſtatione ſunt immunes 425. 1. Metenſes aliquot Epiſcopi ſæculo quarto 533. 1. S. Victor Metenſis Epiſc. adfuit Concilio Colonienſi contra Euphraten. *ibid.*

Moguntia ſtatio 4. legionum Romanarum contra Germanos. 3. 2. Ejus Apoſtolus S Creſcens. 153. 1. pontem illic Druſus collocat & claſſem. 43. 2. Veſpaſianus illam à Cattorum obſidione liberat. 175. 2. ab Allemannis Chroco Rege exſcinditur. 207. 1. ab iiſdem Randone Rege Valentiniano Imp ſpoliatur. 350. 2. & à Vandalis ſub Honorio deletur cæſis multis civium millibus in Eccleſia teſte Hieron, 402. a an hi martyres? *ibid.* 1. Annæus Moguntinus Epiſc. in exilium projicitur ab Arianis cum S. Hilario. 300. 1.

Moguntinorum Epiſcoporum ſeries ſatis plena. 194. 2 196. 1. ſæculo quarto quinam iſtic ſederint. 533. 1.

Morinorum fines. 609. 1. caput illorum Teruana. *ibid.* bello Actiaco occupato Auguſto rebellantes vincuntur à Carinate. 23. 2. & triumphantur ab Auguſto *ibid.* Caraſis Batavus Rom. rebellans Morinos vaſtat, navibus ad illos vectus. 183. & *ſeq.* cum Armoricis tranſeunt in jus Germanicum 488. 1. *vide* Armorici. à Vandalis transferuntur in Germaniam, teſte S. Hieron. 404. 2.

Moſella non benè à Ptolomæo Obringa dictus 4, 2. perſecutione Rictiovari cruentus fluxit Treviri Neumagum uſque per 13. milliaria 230 1. alveum ipſius Arari conjungere molitus eſt L. Vetus, & Henricus IV. Gallorum Rex. 163. 1. ætate Strabonis ſeu Tiberii nullas habuit vites. 219. 1 Auſonii idyllium Moſellæ illuſtratur, 351. & *ſeq* Fluvioli Moſellæ ſe miſcentes 358. 1.

Moſomum Moſæ oppidum ævo S. Remigii limitaneum Tungrenſis & Remenſis Epiſcop 589 2 pro eo acris invectiva S. Remigii in Falconem Tungrenſem. *ibid.*

N

Nepos penultimus Imp. Rom. nominatus à Leone Græco Imp. dejicit ſolio Glycerium. 553. 2. mox fugit Auguſtulum. 557. 1. occiditur ab eodem Glycerio Epiſcopo à ſe conſtituto 556. 1.

Nepotianus Conſtantin. M. ex ſorore nepos imperium occupat gladiatoribus. 484. 1. Romam cædibus fœdat. *ibid.* die imperii 28. caput pilo per urbem circumfertur. *ibid* 2.

Nero primo Imperii anno Matrem palatio ſuo expellit. 162. 1. privat corporis cuſtodibus Germanis *ibid.* ob incendium Romæ ſex vel novem dierum Chriſtianos atrociter occidit, aurigans ipſe inter ardentes 164. 1. Nec minus parcit Belgis Chriſtianis *ibid.*

Nerva Imp perſecutionem ſiſtit in Chriſtianos 188. 2. Ejus elogium ex Tacito *ibid.*, adoptat Trajanum in Capitolio Rom *ibid* 1.

Nervii nunc ex plurimum Hannonii origine Germani 30. 1 & 2. eorum limites. *ibid.* & 610. & *ſeq.* nomen illorum & gens primo à Jul. Cæſare detecta. 611. 1 ab eodem ad internecionem delentur ex 6000 reliquis tantum 600. 260. qui dediti ad ſua redeunt. *ibid* locus prælii juxta ſylvam Mormaliam hodie dictam. 611. 21 fabuloſa origo nominis Nerviæ Tornaco dari. 258. 1. auxiliares Druſo ſunt contra Germanos. 47. 2. Claud. Civili & Batavis ſejungunt rebellantibus contra Rom, 174. 2. à Chlogione Francorum Rege vaſtantur. 505. 1. Theodoſio Jun. imperante Nervii præſidiis Britanniam tenebant. 495. 2. cum vicinis in jus Germanicum tranſeunt. 418. 1 v. Armorici.

S *Nicaſius* Remorum Epiſc à Vandalis capite truncatus continuat inchoatum Pſalmi verſum 418. Sororis Eutropiæ inſigne facinus, *ibid.*

Nicolaus Damaſcenus Herodi Infanticidæ à ſecretis, morienti eidem præſens. 72. 2. Livius eſt Judaicus ſcriptis 43, hiſtoriarum libris: unde ſua Joſephus hauſit. *ibid.* certior teſtis annorum & mortis Herodis, quam alii illi contrarii. 78. 2.

Novomagi vici & montis ad Moſellam deſcriptio. 242 & *ſeq.* Caſtra iſtic Conſtantini. *ibid.* ubi & crucem & exercitus cæleſtes auxiliares vidit. 243. 2. Moſella eo uſque ſub Diocletiano ſanguine Martyrum rubuit, 230. 1.

Notitia imperii libellus ſeu rationarium Imperii Theodoſio Jun. imperante. 492. & *ſeq* quis tum Imp. occidentalis ſtatus. *ibid.*

Noveſium a Druſo ædificatur. 43. 2. ad ejus mœnia feliciter Germani cum Rom confligunt Imp. Veſpaſiano. 175. 1. Euphrates Colonienſ. Epiſcopus damnatus juxta ſepelitur, 581. 2.

O.

Obrinca diſtinguens Germaniam primam à ſecundâ, an Moſella Ptolomæi? an Ar fluviolus Cluverii? an regiuncula Ober Ringau juxta Moguntiam. 4. 2. & *ſeq.*

Odoacer Herulorum inter Albim & Viſurgim Rex ab Oreſte Imp. Auguſtuli patre in Italiam vocatur. 557. 1. Vaticinium S. Severini Noricorum Apoſtoli illi datum. *ibid.* Oreſtem occidit, filiumque Imp. relegat 558 1. Extinguit Rom. Imperium 709 U. C. anno. *ibid.* à Theodorico Gothorum Rege ter profligatur. 576. 1. triennio obſeſſus Ravennæ occiditur. *ibid.* 2.

Olybrius à Leone Græco Imp. appellatur Imperator Occidentis. 550. 1. ſeptem poſt menſibus moritur. *ibid*

Oſius Corduba Epiſcopus Arium fruſtra monet. 268. 1. Verberibus & tormentis à Conſtantio coactus centenarius ſenex communicare Arianis. 315. & *ſeq.* ante mortem revocat. 326. 1.

Otho Imp. cum Vitellianis varia fortuna confligit. 169. 2. victus tandem ſibi infert mortem. *ibid.* pugionem, quo cecidit, Vitellius Coloniæ Agrippinæ Marti dedicat. 170 1.

Ovidius quando libros de arte ediderit? 82. 2. in exilium projectus ut ſuaſor vel conſcius adulteriorum Juliæ Auguſti neptis. 102. 1 Moritur 8 exilii anno, quo etiam Livius. 115. 1.

P.

Pan Magnus moritur ſub paſſionem Chriſti. 141. 2. fortè eâdem horâ hic clamor dæmonum auditus quâ Chriſtus exſpiravit. *ibid* Quid Romæ Tiberius eo cognito? *ibid*

Pariſii in Britanniam Colonos mittunt. 11. 1 apud illos Julianus ſalutatur Imp. ab exercitu. 334. 1. Servantur ab Attila per S. Genovefam. 512. 1. in fame ab eâdem juvantur. 567. 1. Childerico Franc. Regi ſe dedunt. *ibid.* 2. à Clodovæo ſedes apud illos figitur Regni Francorum in hunc diem, 600 2. *vide* Genovefa.

Paſcha ex decreto Concilii Cæſarienſis primi poſt Apoſtolos celebrandum Dominica poſt 14 Lunam. 198. 1. confirmatur à Concilio Nicæno. 368. 1. Galli, Cappadoces, & alii illud celebrabant 25 Martii, in quamcumque incidiſſet feriam. 129 1. & 368. 1. Paſchatis nomen æquivocum ad Paſcha Chriſtianum ſeu Reſurrectionis, & Paſſionis, ſeu Judaicum turbavit S. Aug. & alios. 136. 1. & *ſeq.* Divina providentia duplicem 14 Lunam pro duplici ſacrificio ordinaſſe, vel permiſiſſe videtur. 138. 1. Diocletiani edictum Paſchate paſſionis promulgatur in Chriſtianorum templa, ſcripta, & corpora, Reſurrectionis executioni datur. 288. 1.

S. *Paulinus* Trevir. Epiſcopus ſuccedit Maximino, ejus patria, genus, ſanctitas. 283. 2. in Sirmienſi Concil. damnat Photinum hæreticum & ſocios, abſolvit Athanaſium. 299 2. & in Arelatenſi & Mediolanenſi unde in exilium projicitur 300. 1. moritur exul. 308. 2. Mortui in exilio Phrygiæ corpus Treviram reportatum. 229. 1.

S. *Paulus* Apoſt. anno Paſſionis Domini ſecundo exeunte convertitur. 141. 1. juxta S. Chryſoſt. 35 annis à converſione Domino ſervit. *ibid* poſt carcerem Neronianum Belgas & Britannos an adierit? 154 1.

Pax Chriſto naſcente univerſalis ab interno & externo hoſte, maxime Parthis & Germanis 55. 1. poſt annos 12 exſpirat rumpente Marobodito Bohemo & Illyricis. 92. 1. modicè ante à Belgis & Parthis rupta. 82 1. & 85. 2. Janus aperitur anno 12 poſt Chriſtum natum 91. 2. *& ſeq.*

Pelagius ex Monacho hæreſiarcha ex Anglia prodit cum Conſtant. Tyranno, 406. 1. hæreſin ſpargit in Galliâ, Italiâ, Africâ, Paleſtinâ. 457. 1. Errores ejuſdem, variati ſæpè, rarò ſcripto. *ibid.*

S. Petrus è carcere Herodis Antiochiam elapſus Apoſtolos per Provincias diſtrigit. 151. 2. ipſe caput mundi Romam adit anno Claudii ſecundo 25 annis ſedem illic tenet. *ibid* vix 7 poſt annos inde pellitur à Claudio cum tumultuantibus Judæis. 150. 1. quâ occaſione Belgium & Britannos viſitaſſe quidam aſſerunt. 151. 2. Certè in Belgium & Occidentem emiſſit prædicatores. *ibid.*

Phariſæorum mores & numerus tempore nati Chriſti ex Joſepho. 70. 1. occiduntur ab Herode cum infantibus, 71. 1. ſuadent captivitatem Joannis Baptiſtæ 172. 2.

S Philippus Diaconus Samariâ redux ab Angelo rapitur ad Eunuchum Candacis contrà meridiem 142. 1. ab illo Azotum. *ibid.* hinc pedes prædicando venit Cæſaræam. *ibid.*

St *Photinus* Lugdunenſis Epiſc nonagenarius interrogatus de Chriſtianorum DEO, reſpondet, Scies ſi dignus es 190. 2. unde crudeliter occiditur. *ibid* • Diaconi ipſius Sancti nomine reſponſum æquè generoſum, par præmium habuit. 191. 1. & Attali viri illuſtris. *ibid.*

Photinus Sirmienſis Epiſc. Chriſtum DEUM negans dãnatur à Concilio Sardicenſi. 177. 2 & Mediolanenſi. 179. 2. & Sirmienſi. *ibid & ſeq.* Euphrates Colonienſ. ab eo infectus. 280. 2. damnatur etiam ab Arianis in Arelatenſi, & ſede pellitur. 298. 1.

Phraates Rex Parthorum redditis ſignis, & obſidibus datis cum Auguſto pacem componit anno nati Chriſti. 54. *& ſeq.* occiditur cum uxore à filio 57. 1. exemplo proprio. *ibid.*

Phraataces filius Phraatis parricida Armeniam invadit. 82. 1., pacem ab Auguſto petit, & ſuperbe reſpondet. 85. 2. cum Caio Auguſti nepote componit in Euphratis Inſula. 87. 3. occiditur à ſuis. Succeſſoris Orodis Legati veniunt ad Tiberium in Germaniam. 91. 1.

S *Piatus* Cathedralis Tornacenſis fundator. 231. 1. caput amputatum ultra duo milliaria defert Seclinium. 230. 2. non fuit Epiſcopus Tornacenſis 231. 1.

Placidia Theodoſii ſenioris filia Romæ ab Alarico Gotho capitur. 423. 1. nubit Ataulpho Regi Gothorum. 441. 2. ante currum Sigerichi ſucceſſoris inter captivos pedes raptatur. 440. 1. nubit Conſtantio Comm. poſt Imp. 455. 1. Valentinianum 3. enititur. 460. 1. ab Honorio fratre amore in odium flexo relegatur ob ſuſpicionem rerum novarum. 464 1. mortuo Honorio, & Joanne Tyranno per miraculum victo, Ravennam intrat. *ibid & ſeq.* Provincias componit. 464. 2. ab Aetio in Boniſacium malitioſè & infeliciter concitatur 470. 1. irreprehenſibilis moritur. 510. 1.

Pontius Pilatus Judææ præficitur à Tiberio ſecedente ad Capreas 121. 1. præeſt illi per annos decem. *ibid.* confirmat Joſephum Caypham in Pontificatu Judaico. *ibid.* Galilæos ſacrificantes cædit quorum meminit Chriſtus Luc. 13. hiſtoria aliàs ignota. 133 2. Tiberium de Chriſto edocet ita, ut hic Chriſtum pro Deo coli voluerit. 140. 2. movetur à Vitellio Præfecturâ 142. 1.

Poſthumus Tyrannus Coloniæ Agrippinæ aſſumit imperium 204 *& ſeq* Germanos è Galliis ejicit 205. 1. Coloniæ Saloninum Gallieni Imp. filium occidit. *ibid* pluribus prælus profligatus à Gallieno 206. 1 occiditur à ſuis, quod Moguntiam direptioni non permitteret. *ibid.*

Praga Marobodui Bohæmorum Regis regia circa tempus Chriſti nati. 91. *& ſeq*

Priſcillianus Gnoſticorum hæreſin in Hiſpania ſeminat & Gallia. 363. 2. à Damaſo Pontifice rejicitur 366. 1. à Gratiano Imp. proſcriptus, auro corruptis miniſtris reſtituitur ſedi Epiſcopali Abilenſi in Hiſpania *ibid.* Gladio occiditur Treviris cum ſociis à Maximo Tyranno. 374. 1. à ſuis pro martyre colitur *ibid.*

Probus Imp. à Germanis 60. urbes recuperat. 217. *& ſeq.* Milites ipſius in fame frumentum pluit in acervos aſcendens ad Rhenum. 217 2. Germanorum 40 millia cædit. 218 1 centum millia in Romano ſolo conſtituit. *ibid.* Gallis & Hiſpanis permittit vineas 219. 1. opprimit Coloniæ Proculum, & Bonoſum Tyrannos. 219. 2. Sirmii 5 Imp. anno à militibus quod nolebat otiari interficitur. *ibid.*

Q.

Q*Vintil. Varus* à Syriæ Præfectura ad potiorem Germaniæ transfertur ab Auguſto 93. 2. Ex octo legionibus tres traducit Rhenum in Germanos 98. 2. cæditur duobus diebus non procul à Viſurgi. 98. *& ſeq.* Ejus culpâ. *ibid.* ſibi cum primoribus manus violentas infert. exemplo patris & avi. 100. 1. Caput Regi Bohemiæ mittitur ab hoc ad Tiberium 100. 2. locus & tempus cladis. *ibid*

Quirinius S. Lucæ Cyrinius dictus exconſul Rom. Syriæ Præſes Archelai dominia vendit 94. 2. Cenſum inſtituit cujus cauſa Judas Gaulanites rebellat. *ibid & ſeq* & 64. 1 Quis, qualiſve fuerit? 66. 1 Homonodes Ciliciæ populos vincit, transfert, & triumphat de iis. *ibid.* 2. *& ſeq* Cenſum Chriſto nato inſtituere non potuit. 67. *& ſeq.* Nec S. Lucas in græco id aſſerit. 68. 2. conciliatur Vulgata verſio cum Joſepho, Tertulliano & aliis. Quirinius Lepidam Auguſti Neptem ducit. 67. 2. ab ea adulterante veneno tentatur. 68 1. fit Rector Caii Cæſaris in expeditione Parthica. 87 2. Annanum vel Annam Pontificem creat. *ibid.* uxor damnatur exilio ob varia ſcelera. 118. 1. moritur. 120. 1.

R.

R*Henus* Rom Imperii limes octo legionibus ab Auguſto defenditur contra Germanos. 3 2. Druſus 50 amplius caſtellis illum munit. 43. 2. ævo Tiberii nullis adhuc dum viribus conſitus. 209. 1 intra annos 40 duo populorum genera & nomina funeſtiſſima Galliæ profert, Francos, & Allemannos. 209. 1. mox etiam tertium Saxones *ibid.* 2. Varia pro Rheni dominio prælia. *vide* Francos, Allemannos Ejuſdem pontes: *vide* Druſus & Conſtant M. Caſtella & munitiones Rhenanæ Romanorum evertuntur à Faramundo. 454. 2.

Remorum urbs Durocodurum olim dicta. 183. 1. Apoſtolus illi à S. Petro datus S. Sixtus, martyr deinde ſub Nerone. 152. 2. excidium Vandalicum illi prædicitur à S. Nicaſio Epiſc. 418. 2. mox ab illis quatitur & vaſtata cædibus deſeritur divino terrore. *ibid. & ſeq.*

Remenſis Eccleſia & Trevirenſis ſorores 152. 2. Epiſcoporum illius ſeries mutila. 194. 1. quinam ſederint ſæculo quarto. 383. 1. Martyres Remenſes *vide* S. Macra, & S. Nicaſius. *vide* S Remigius.

S Remigii Rhemenſis Epiſc. primordia 30 annis citius ſtatuuntur, quam Sigeberto. 734. *& ſeq.* Ejus eloquentia in orationibus ex Epiſtola Sidonii Arvern. Epiſc. ad ipſum. 572. 2. Urceum à milite raptum recipit per Clodovæum. Franc. Reg 575. 2. Ejus virtutes & miracula, *ibid.* 2. Baptizat Clodovæum & 3000 Francorum 582. 1. ſolatur eundem per Epiſtolam in morte ſororis recens baptizatæ *ibid* 2. fundos accipit ab eodem. 484. 1. Reſtituit 4 Epiſcopatus Remenſi ſuffraganeos in Belgio 584. *& ſeq* — Falconem Tungrenſem Epiſc. perſtringit literis limites Diœceſis excedentem. 589. 2.

Ricimer Magiſter militum ſub Atito è genere Suevorum Regum in Hiſpania. 527. 2. Avitum & Majorianum Imp. à medio tollit. *ibid.* Claſſem Majoriani 300 navium proditione incendit. 535. 2. Eundem occidit. 536. 1. Severum purpura induit, mox exuit. 543. 1. Anthemii Imp. filiam ducit, 546. 1. à Severo pacem impetrat per S. Epiphanium. 549 1. quem occidit & Romam vaſtat, 550. 1. mox moritur. *ibid*

Ripuaria regio fluminibus Moſâ, Arâ, Rheno terminata Francis ab Honorio conceditur 410 *& ſeq.* ex qua mox per Aetium pelluntur 473. 1. ſed redeunt Chlogione Rege. *vide* Chlogio. Franci.

Roma ab Alarico Gotho obſidetur & pecuniâ redimitur 411. 1 iterum ab eodem fame urgetur. 414. 2 fames ibidem ad pretium humanæ carnis 421 1. Tertio ab eodem obſidetur & capitur proditione. 422. *& ſeq.* illius admiranda, opes; muri 21 milliaris ſpatio, domus, thermæ *ibid* 313. 1. Hormiſdæ Perſæ de illa dictum *ibid.* à Genſerico Vandalo capitur & ſpoliatur. 522. 1. & à Ricimere 550. 1.

Romani Imperii lues, ætas, caſus. 558. 1. Romanæ Eccleſiæ Marcellus S. Damaſo Pontifice. 347. 1.

Romuli auſpicium & prognoſticum 12 vulturum impletum. 536. 1. Quot vultures viſi tot centenis Roma ſtent annis, & 30. amplius, *ibid.*

Romulus Auguſtulus ultimus Rom. Imp. *vide* Auguſtulus.

Romanum

Romanum nomen abominabile ob injuſtitias Valentiniano III. Imp. 485. 1.

S.

SAbbathum ſecundo primum quid ſit apud S Lucam 128. 2. & ſabbathum ſecundo-ſecundum 129 1.

Sacrificia humanarum victimarum Tiberius Gallis ſuſtulit 160. 1. uſitata etiam Saxonibus. 568. 1.

Salica Lex ſub Faramundo à 4 proceribus Francorum condita. 454. 1. in quibus Germaniæ urbibus? *ibid.* an Diſtemii in Brabantia? 475. 2. an à Sala id eſt aula dicta? 454 2. Quis illarum numerus? *ibid.*

Salii Francorum genus ad Iſalam incolentes 210 1. pyraticam in Oceano, mari Mediterraneo, & Ponto feliciter exercent, Probo Imp. 210 1 2 218 1. ad Moſam in Kempiſtia conſidens & Juliano Cæſari ſe dedunt 316 2. Theudomer illorum Rex cum matre capite truncatus à Rom. 429. & 443 2.

Salvianus Maſſilienſis Epiſcop. ſæculi ſui Jeremias Belga, natione Colonienſis, an Trevirenſis? 428. 1. libros de Gubernatione DEI aureos ſcribit tempore Imperii ruentis. 499 *& ſeq.* Mores Chriſtianorum Belgarum, & Gallorum improbos, & barbarorum meliores depingit. *ibid. & ſeq* etiam Eccleſiaſticorum & Religioſorum. 501. 1. Chriſtiani opprobrium Chriſti. 500 2.

Santen oppidum Cliviæ. *vide* Vetera.

Saturninus Arelat. Epiſc. Arianorum Dux in Concilio Biterrenſi Epiſcopos Galliæ terret 331. 2. S. Hilarium & paucos ſibi adverſantes in exilium projicit. *ibid.* in Pariſienſi Concilio damnatus. 341. 2.

Saxonum nomen & genus ortum ad Rhenum inferiorem ſub Valeriano 209. 2 301. 2. Friſiam occupant. 210 2. cum Francis pyraticam in Oceano & mediterraneo feliciter exercent. 222. *& ſeq* cum Magnentio cæduntur a Conſtantio in Pannonia. 286. *& ſeq.* è Batavia ejiciuntur à Juliano Cæſare. 318. 1. Irrumpentes in Gallias cæduntur a Valentiniani Ducibus 346. 1. & 2. reliqui contra pacta a Rom. Tutti vel Dulcitio præcipue oppimuntur. *ibid.* 2. Hollandiam, Zelandiam & confinia inſident. 394. 1. in Britanniam vocantur a Vortigerno Tyranno 472 1. & 481. 1 miraculo vocis Alleluia a S. Germano Epiſc prælio ſuperantur. *ibid.* Vortigerno eremato Britanniæ dominantur. 489. 1. 2. Victimas humanas immolant 568. 1.

Scaldis nomine Teutonico, & ipſa dividit Menapios & Nervios, etiam intra mœnia urbis Loca centis 30 1.

Segeſtes Arminii Socer fidus ſemper Romanis Q. Varo prodit conſilia Arminii. 99 1. & 110. 1. obſeſſus a genero liberatur a Germanico in Haſſia. 110. 1. Oratio ejus apud Germanicum contra Arminium *ibid.* 1. filius ipſius Sacerdos Auguſti ad aram Ubiorum abjectis Vittis fugit ad Arminium. 101. 1 redit ad Rom. *ibid.* Segeſtes in Belgicam a Germanico transfertur. *ibid.* 2

Senatus. vide Aetius.

Semi-Ariani Homojouſii formulam fingunt 298. 1. & 323 2.

Sent. Saturninus Præſes Syriæ & cenſor etiam Chriſti 64 *& ſeq* non Quirinus *ibid* Cenſus iſte Domini, ſæculo Tertulliani in Archivis Romanis cuſtoditus. 65. 1. Ejus in Conſulatu poſtea generoſitas. *ibid.* 1. Legatus Tiberii in Germania & Bohemia *ibid.* virtutes militares. *ibid.* biennio ad Vetera & Albim Germanis bellum infert 89 *& ſeq.* in Maroboduum Bohemiæ Regem 91. 2. ob Fulviam matronam ſacrilegam, & a Judæo deceptam Judæi urbe pelluntur à Tiberio. 117. 2.

Sepulcrum Rom. Tribuni repertum in Arteſia anno 1615. 25. 2 in eo Urnæ vini & Cinerum, ſalinum, lanx teſtacea, nummi *ibid.*

Sergius Galba Legatus legionum Rheni Superioris Germanos coercet. 143. 2 ad Eſſedum Imp. Caligulæ per 20 milliaria currit. *ibid.* oblato imperio quietem prætulit. 146. 1. tandem metu & ſpe aſſumit contra Neronem 164. 1. Belgicis legionibus averſantibus. 165. 1. pendente ante pectus pugione, cruento itinere Romam pergit, cruentus urbem ingreditur 166 1. Germanos corporis cuſtodes Cæſarum in patriam remittit. *ibid.* occiditur ſeptimo imperii menſe in foro Romano ab Othone. 168. 1. ab omnibus deſertus exceptis Germanis Belgis quos ægros foverat. *ibid.*

S. Servatius Conſtante Imp. Tungris floret. 274 1. Interfuit Sardicenſi Concil. contra Arianos 276. 2 in Colonienſi Concil 17 loco ſententiam in Euphratem dicit. 281. 1. cum S. Maximino Trevirenſi à Magnentio Tyran ad Conſtantium Imp mittitur pro pace. 83. 1. Ejus conſtantia, & deinde deceptio in Ariminenſi Concilio 328. *& ſeq.* quem errorem deinceps cum S. Hilario feliciter corrigit. 341 1. Synodos poſthæc non frequentavit fraudes hæreticorum veritus. 342 1. de excidio Tungrorum divinitus præmonitus Romam devotionis cauſa adit. *ibid* & 371. an ut acris ſenex objicit? *ibid* Tungris præfuit 70 annis. *ibid.* ſecuta mortem ipſius vaſtatio Galliæ. 372. 1. Ejus ſucceſſores. *ibid.*

S. Severinus Colonien. Epiſc. Tungros viſitat, mortuo S. Servatio Paſtore orbos. 381. 2. S. Evergiſilum ſucceſſorem ſuum inde abducit. 382. 1 in morte S. Martini Turon. voces in ſublimi canentium audit. 390. 1.

S. Severus Trevir. Epiſcopus putatur Burgundiones fide & Baptiſmo imbuiſſe 483. 1. 2. cum S. Germano in Britannia contra Pelagianos decertat. 481. 1.

Severus Imp. competitores imperii vincit 198 1. Cum Albino Lugduni improſperè initio pugnat, victi deinde cadaveri crudeliter inſultat. *ibid.* poſtremis annis ſævit in Chriſtianos. 199. 1. Unde ſtirps ejus vix decennio imperat. *ibid.* in Britannica expeditione ex animi mœrore ob filiorum pravam indolem moritur Eboraci *ibid.*

Sicambri a Siga flumine ſic dicti, trans Rhenum ſiti inferiorem. 34. 2. illorum limites. 35. 1. Belgicam late vaſtant Duce Melone 33. *& ſeq.* Equitatum Rom. fugant. & Lollium Præfectum cum peditatu profligant. *ibid* viginti Centuriones Rom. in crucem agunt. *ibid.* bellum per 400 annos ſæpe interruptum uſque ad finem Rom. Imp. ſtetit ſub nomine Francorum 35 2. 37. 1. Auguſtus ipſe in illos movet, & obſidibus acceptis pacem dat. *ibid.* Druſum in anguſtiis oppreſſiſſent niſi contempſiſſent. 40. 1. illorum mulieres deficientibus telis infantes humi alliſos in hoſtium ore conjiciunt 41. 1. Dedunt ſe victi Tiberio 44. 2. à quo in Gallias transferuntur. *ibid & ſeq.* nomen ipſum extinditur, ſedes illorum à Francis inſidentur 49. 1.

Siburgum, Sigena Sicambrorum oppida 34. 1.

Sidonius Apollinaris Aviti poſt Imp. gener. 528 1. ab Anthemio fit Rom urbis Præfectus. 548. 1. Simplicium Biturigibus dat Epiſcopum excluſis pluribus competitoribus Simoniacis. 551 *& ſeq* ipſe jam Epiſcopus Arvernenſis urbe à Gothis capta relegatur. 555 1. & 559 *& ſeq.* deſcribit pulchro Hendecaſyllabo mores diverſorum Legatorum ad Euricum Regem Gothorum. *ibid* ab eodem impetrat Burdigalis reditum ad ſuos 561. 1. Ejus elegantes Epiſtolæ ad diverſos. 572. 1 2. Moritur. 573. 1.

Spira Nemetum à Vandalis capta, cives tranſlati authore Hieronym 402. 1. Spirenſes Epiſcopi ſæculo quarto. 533. 1.

Stilico Vandalus Theodoſio Imp. fit affinis. 386. 2. Honorii Imp. tutor. *ibid.* Rhenum, Galliam, & Britanniam pacat. 387. *& ſeq.* Annonam è Gallia Romam mittit. 388 2. Alaricum Gothorum Regem à ſe in Italiam vocatum cædit. 397 *& ſeq.* Radagaiſum Scytham Italiam vaſtantem 200 millibus, fame conficit. 398. *& ſeq.* Vandalos populatores in Gallias immittit. 399. *& ſeq* Honorium Imp. a Gallus avertit. 406. 1. Alaricum in Italiam revocat. *ibid.* Conſtantinum Tyrannum victorem Vandalorum vincit duce Saro 407. 1. Conſilia illius deteguntur 408. *& ſeq* ab eo Sarus deficit, & Hunnos corporis cuſtodes occidit, 410. 1. extractus ab Eccleſia occiditur prohibitis ſervis ne ſe defenderent. *ibid.*

Suevi ab Albi ad Danubii fontes & Rhenum protenſi 40 2. ab Auguſto in Belgium ad Scaldim, à Maroboduo in Bohemiam tranſportantur. 49 *& ſeq.* in agros deſertos penè ſucceſſerunt Sequani, Helvetii, Catti, Allemanni dicti & Suevi 2. *& ſeq* Cum Vandalis Hiſpanias ingreſſi, Galliæciam inſident 436 2. Hiſpanos Romanorum ſubditos ad ſe confugientes ſibi jungunt. 437. 1. nodoſi illorum capilli. 478. 1. Hermerico Rege cum Galæcis pacem ineunt Imp. Valentiniano III. 486. 1. Rechila Hermerici filio Hiſpalim, Emeritam, & Carthaginem ſubjugant 497. 1. 2. Vandalis in Africam a Bonifacio invitatis ſoli in Hiſpania reliqui ſunt, ſocius deinde Gothis. 471 2. à Vandalis ante abitum cæſi, Regem in Ana flumine fugientem amittunt. *ibid.* Majoriano Imp. vaſtatis Romani, vaſtant Galliæciam. 525. 2. *vide* Allemanni, Chrocus. Vandali.

S. Superior Nerviorum Epiſc. Sardicenſi & Agrippinenſi Synodo adeſt 275 1. & 276 1.

Sev. Sulpitius S. Martini Diſcipulus, hiſtoricus magnæ authoritatis. 19 2 Refutatur tamen multis ſententia ipſius de Fide tardius in Gallias recepta. *ibid. & ſeq.*

Syagrius,

Syagrius Ægidii filius Sueſſionum & Belgicæ primæ Rex. 542. 2. Fœdere cum Eurico Gothorum, per 20 annos ſe tuetur. 514. 1. quo mortuo à Clodovæo profligatus fugit ad Alaricum Viſigothorum R. *ibid.* à quo vincitur & Clodovæo traditus gladio ferritur. *ibid.* 2.

Sylvanus Francus in Murſenſi prælio cum ſuis à Magnentio Tyranno ad Conſtantium tranſit & vincit 287. 1. in Gallias inde miſſus ejicit Francos. 282. 1. & 2. Præfectus Rhenano limiti Coloniæ degit. 303. 1. Ubi circumventus calumniis, juſſu Conſtantii occiditur in ædicula Chriſtianorum. 305. 1. Unde inſoleſcit Conſtantius & Liberium Papam in exilium pellit. 306. 1. 2. Franci & reliquæ Sylvani copiæ irritatæ Coloniam Agrippinam obſident & capiunt. 307. 1. *& ſeq.*

T.

TAcitus hiſtoricus naſcitur Claudio Imp. 50. 2. ejus aureum monitū de II. Impp primis uſque ad Nervam. 188. 1. creatur conſul Rom. *ibid.* 2. Ejuſdem de Chriſtianis opinio à Nerone igni traditis. 164. 1.

Templum Solymæum ab Herode inſtaurari cœptum anno quo Deipara eſt nata. 124. 2. ejus dedicatio authore eodem. 134. 1. fabrica per 70 annos continuat uſque ad Neronem. 124. *& ſeq.* Paſchate quo Chriſtus 12 annorum in eo docuit inſperſum eſt oſſibus mortuorum à Samaritanis. 96. 1.

Tenchteri populi tranſrhenani vicini Sicambris. 35. 1. his abductis in Belgium in agros ſuccedunt una cum Francis. 58. 2. *vide* Sicambri & Franci.

Tetricus Tyrannus in Galliis imperium aſſumit contra Gallienum. 208. 2. ſexto poſt anno militis ſeditiones non ferens Aureliano Imp. exercitum ſuum prodit. 212. 1. nihilominus cum Zenobiâ ab Aureliano in triumpho ducitur. *ibid.* 2. ab eodem deinceps cum filio in honore habitus. 213. 1.

Teutoburgenſis ſaltus clarus cæde Vari in Comitatu Lippienſi. 100. 2. ad oppidum Horn juxta Lipſium. *ibid.* Ubi Teuteberg hodiedum ſylva, & campus Winfelt dictus. *ibid.*

Theodoſius pater Senioris Theodoſii Francos è Gallia ejicit. 348. 2. in Britanniam ſolvit 348. 2.

Theodoſius Senior ex Hiſpania à Gratiano Imp. fit conſors imperii. 364. 2. ejus pietas & felicitas in bellis contra hoſtes Imperii Orientalis, 365. 1. æger baptizatur. *ibid.* Maximum interfectorem Gratiani duobus præliis victum, carnificis gladio ſubjicit. 379. *& ſeq.* S. Ambroſii oratio ad illum de acceptis à DEO beneficiis. *ibid.* Francos & Saxones habet auxiliarios mari venientes. *ibid.* Eugenium & Arbogaſtem Valentiniani II. à ſe reſtituto parricidam ventorum beneficio vincit, & mori cogit. 355. *& ſeq.* Honorium filium Occidenti præficit & moritur Mediolani. 386. 1.

Theodoricus in Italia Gothorum Rex naſcitur ex concubina Oſtrogothorum Regi. 518. 1. adoptatus à Zenone Græco Imp. Odoacrum ter victum triennio Ravennæ obſidet. 576. 1. eoque occiſo purpuram Regni Gothorum & Romanorum induit. *ibid.* 2. Chlodovæi Francorum ſororem, an filiam duxerit, incertum. *ibid.* nequidquam eundem à bello Alarico Viſigotho inferendo deterret. 594. 2. ab Arelato tamen obſidione cum clade rejicit. 597. & pacem componit aſſerta ſibi Maſſilienſi & Narbonenſi provinciâ. 597. 2.

Tiberius Nero Galliis præficitur. 33. 1. Druſus frater moriens legiones illi occurrere jubet, & parere. 43. 1. Cujus corpus humeris per primarios Romam delatum ipſe pedes antecedit. *ibid.* Deinde Sicambros & Suevos devictos in Belgicam transfert. 44. 2. Triumphat ob Germaniam redactam pœnè in formam provinciæ. 56. 1. anno ſecundo ante Chriſtum Natum quatridui abſtinentia impetrat ſeceſſum in Rhodum. 56. 2. ægre ſub conditionibus reditum impetrat octavo poſt anno. 86. 1. Romæ privatus & inglorius vivit. *ibid.* adoptat Germanicum fratris filium adoptatur ab Auguſto. 88. 2. à Rhenanis legionibus cum plauſu excipitur & mox Germanos vincit. 89. 2. biennio rurſum ad Viſurgim, rurſum ad Albim bellum gerit. 90. 2. ubi Parthorum legati ab Auguſto directi illum adeunt. 61. 1. movet in Marobodum Bohemum & compeſcit. 91 *& ſeq.* Illyricorum 800 millia triennio domat. 93. 2. Arminii poſt cæſum Varū victoriam ſiſtit 102. *& ſeq.* Noſſes Germaniam adit. 103. 2. Juliacum & Berchemium oppida cis Rhenum condit. 103. 2. annis 1. imperii ipſius cujus S. Lucas meminit, eſt is quo Collega Auguſti lege conſulari dictus 103. *& ſeq.* menſibus ante Auguſti exceſſum fere viginti. 104. 2. Dicteria in ſnolentiam ipſius *ibid.* 1. Auguſto mortuo Romæ imperat, qui jam biennio in Provinciis imperáverat, 106. 2. Romā ſe non movet, ſed abiturum in Germaniam ſemper ſimulat, unde in illum dicteria. 109. 1. 2. Ejus ſuſpiciones de Germanico & Agrippinâ. 112. Eundem invitum ad Triumphum cogit in medio victoriæ curſu. 114. 2. Arcum dedicat ob recepta ſigna in Vari clade amiſſa. *ibid.* Quirinſi Evangelici uxorem Lepidam exilio mulctari permittit, maxime opibus inhians. 118. 2. ſecedit in Inſulam Capream ipſe caper. 121. 1. cur ſecū Chriſto naſcente in Rhodum, prædicante in Capreas ſeceſſerit. *ibid.* 2. à Pilato de Chriſto edoctus illum inter Deos conſecrare nequidquam cupit, obſiſtente Sejano. 140. 2. quem conſulatu, mox vita ſpoliandum curat. *ibid.* moritur quinto poſt Chriſtum anno. 142. 2.

Tornacum caput Menapiorum & Suevorum recens à Rheno eo traductorum. 50. 1. probatur ex viciis cognominibus *ibid.* etiam ruerit Imperio Rom. 261. 1. Ejus fabuloſæ origines. 613. *& ſeq.* a Chlodione captus. 503. 1. à Vandalis transferuntur Tornacenſes in Germaniam, authore S. Hier. 404. 2. Merovæo à Clodione in virtutis præmium datum. 503. 2. Childericus Francorum R. illic ſepelitur. 262. 1. & 573. 1. ibidemque reſoditur. *ibid. & ſeq.* Chlodovæus naſcitur. 547. 2. & 618. 1.

Tornacenſis Epiſcopatus ejuſdem cum aliis Belgicis recentibus ætatis. 260. 2. eſt Menapiorum & Suevorum *ibid.* an fuerit Nerviorum? 217. *& ſeq.* an Nervius ulla re inferior 260. *& ſeq.* ſed multis potior. *ibid.* Reſtituitur à S. Remigio. 486. 1. V. S. Superior S. Eleutherius Cathedralis Tornacenſis fundator S. Martyr Piatus. 231. 1. Martyres alii Tornacenſes Epiſcopi. *ibid.*

Toxandrorum limites. 609. 2. 184. 1. ſunt Menapii Orientales inter Scaldim & Moſam. 29. *& ſeq. vide* Salii.

Trajanus adoptione Nervæ Coloniæ Imp. dicitur 189. 1. Ejus monumenta ad Mœnum & Rhenum inferiorem duo. *ibid.* Bructerorum 60 millia ipſo non ſpectante ex adverſo Rheni ripa circa Embricam hodiernam, mutuis vulneribus conciduntur. *ibid.* Columnam in foro Romano 7 annis erigit. *ibid.* 2. in expeditione Parthicâ moritur. *ibid.*

Trajectum Moſæ à Druſo conditum ponte muniendo. 43. 2. cur poſtea Obtricenſe dictum? 336. 2. Batavi illic & Germani feliciter confligunt cum Romanis ſub Veſpaſiano. 178. 2.

Treviris Auguſta Imper. Colonia. 36. 1. Belgicæ latè ſumptæ caput non Remi. 6. 1. 185. 1. Germanias Cisrhenanas Treviri diſſecant 5. 1. Eſt Galliarum urbs excellentiſſima Salviano. 183. 1. Pontis ejus Moſellani hodie ſuperſtitis meminit Tacitus prælio Civilis Batavi cum Rom. ad ipſum pontem. 185. 1. Eſt quaſi Roma tranſalpina. 216. 2. Imperii Gallicani ſolium. 382. 1. & armamentarium. *ibid.* uſque ad Honorium qui ſolium Arelatum tranſtulit. 398. 2. unde mali Galliarum origo abſente longius Imp. *ibid.* Conſtantinus M. mœnia, circum, forum & Baſilicas ejus reparat. 238. 2. fidem Chriſti illic amplectitur. 241. *& ſeq.* Conſtantius Conſtantini Pater illic domicilium fixit. 134. 1. Civium ſocordia & flagitia, 424. 2. unde primum ex quatuor excidium à Vandalorum Rege Reſpendiale. *ibid.* alterum menſibus aliquot poſt per Francos Vandalorum victores. 430. 2. tertium graviſſimum ab iiſdem Francis invitante Lucio Conſule injuriam paſſo in uxore à Jovino Tyranno. 435. *& ſeq.* de excidio iſto teſtimonium illuſtre Salviani. 436. 1. Reſtauratus à Caſtino Rom. Præfecto mœnibus, & vitiis, quæ Salvianus depingit. 442. *& ſeq.* Quartà vice ab iiſdem Francis evertitur. 444. 2. de quo eleganter Salvianus *ibid.* Rebellantes ſub Veſpaſiano cæduntur cives Trevirenſes. 180. 1. & ad pontem ipſorum Germani immani ſtrage. 185. 1. S. Petrus ad Trevirenſes tres è diſcipulis mittit. 152. 1. Remenſis & Trevirenſis Eccleſiæ cur & quomodo ſororiæ. *ibid.* 2. Epiſcoporum Trevirenſium ſeries plenior aliis Galliarum 194. Quinam ſederint ſæculo tertio & quarto. 481. 2. & 485. 1. & 533. 1. Jamblychus Epiſcopus 10 ſerie omiſſus reperitur in Sidonio. 570. 1. Primi Epiſcopi penè omnes Martyres. 190. 1. accurata Diœceſis diviſio. 590. *& ſeq.* Archiepiſcopi Trevirenſes ſunt veluti Patriarchæ Galliarum ſub Conſtantio. 327. 1. antiquiores Colonienſ. & Moguntinis. 5. 2.

Trevirenſes Martyres ſub Rictiovaro per triduum. 229. 1. *& ſeq.* quorum ſanguine Moſella rubuit Neumagum uſque 13 circiter milliaribus. 230. 1. Duorum aulicorum Valentiniani I. converſio apud Treviros. 249. 1. SS. Hieronymi, & Martini apud Trevirenſes commoratio. *vide* illorum nomina. *vide* S. Maximus, Eucharius.

Tungri (alias Advatici) a Thoringis Germanis profecti

videntur & appellati. 474. 1. aliæ quædam nominis derivationes. 28 a. Advatica illorum Metropolis ad Jecoram ante Cæſarem ædificata eſt. 28. 2. 615. 1. Tungrorum auxiliares in Italia fortiter occumbunt contra Othonem pro Vitellio pugnantes 169 2. alii contra deficiunt ad Civilem Batavum, & Romanos profligant ad Rhenum. 171 a. mox iterum ad Trajectum Moſæ ſub Veſpaſiano. 178. 1. alii inter Prætorianos Pertinacis Imp adlecti haſtâ illum confodiunt. 197. 2. excidium urbi imminens ab Hunnis nec lachrymis, nec peregrinatione Rom. S. Servatius avertere poteſt. 371. 2 qui inmiſſi à Bautone Valentin. Duce in Maximũ Tyrannum omnia vaſtarunt, traxerunt, rapuerunt authore S. Hier. 372. 1. an etiam vaſtati à Francis cum Colonia Agrippina? 428. 1. à Chlogione I. Franc. R. ſubjugantur, Imperante Valentin. tertio 474 2. Nec redeunt deinde ad Rom. niſi ſub Ægidio per annos octo. 529. 2 Vaſtatos etiam à Vandalis quidam ſuadent. 425. 1.

Tungrenſes ad Chriſtum convertuntur à S. Materno, 152. & ſeq annis quadraginta. 194. 2. & à S. Martino Epiſcopo ſuo 196. 1. reguntur a S. Servatio 70 annis. 371 a. quem Trajectum recedentem nequicquam retinere conantur. ibid. ſedes deinceps Epiſcopalis Trajectum delata retinuit nomen Tungrorum uſque dum Leodium tranſportaretur 372. 1. amplitudo diœceſis, limites, numerus Archidiaconatuum, Decanatuum & Parochiarum. 372 1. 589. & ſeq 615 1.

Tungrenſes aliquot Epiſcopi S Servatii ſucceſſores. 272. 1. quinam ſederint ſæculo quarto 138. Series illorum eſt incerta. 131. 2. qui in Trajecti commorati ſint 481. 2.

Tulpiaci vulgo Zulg in Diœceſi Colon. Clodovæus Franc. Rex voto ſuſcipiendæ fidei victores Allemannos vincit. 579. 1. 2.

V

VAlentinianus I. Imp ſuccedens Juliano Religionem ab Arianis afflictam liberam relinquit 344. 1. S. Hilario contra Auxentium Mediolani diſceptatorem iniquior. ibid. Allemannos victores cædit. 346. 2. Gratianum filium octennem Auguſtum nominat Ambiani. 348. 1. Treviris ſeptennio ſolium tenet, 350 2 Allemannos ultra Rhenum & Neccarum agit. 351. 1 Rhenum munit & Neccarum 353. 2. Legem fert contra Clericos inſidiantes auro Viduarum & pupillorum. 354. 1. S. Martinum Treviris prius rejectum ad colloquium admittit. 355. 1. moritur in expeditione Pannonica 358. 2.

Valentinianus II. quadrimus puer cum fratre Gratiano Imp. dividit. 360 1. Rectore matre, Cerealis Avunculo, Merobaude Franco. 361. 1. Ad Maximum Treviris mittit S. Ambroſium tum pro pace, tum pro corpore Gratiani fratris. 372. & ſeq neutrum obtinet ibid & 377. 1 2. Fugatur à Maximo ad Theodoſium, Orient. Imp 378 & ſeq. Reſtitutus regno, Viennæ in Gallia ab Arbogaſte ſtrangulatur. 381. & ſeq.

Valentinianus III naſcitur Placidiæ Honorii Imp. ſorori. 468 1 Quinquennis fit Cæſar. ibid 2. ſeptennis Auguſtus. 466. 1. Angelo ductore Ravennam occupat, cæditque Tyrannum Joannem. 465. 2. ducit Eudoxiam Theodoſii Junioris filiam. 490. 2. ſororem Honoriam ſtuprum paſſam rejegat ibid eandem Attilæ negat, unde origo belli. 510. 2. in quem Gothos evocat. ibid. Aetium ſua, & ſuorum manu interficit 518. 1. idque dolo Maximi cujus uxorem violaverat. ibid. occiditur ab amicis Aetii in ludis 510. 2. uxor Eudoxia cogitur nubere Maximo mariti interfectori ibid 2.

Valens Imp. Orienti præficitur à Valentin. II. fratre. 344. 1. Gothos intra fines Imp recipit. 362. 1. à quibus bis prælio vincitur & exuritur. 362. & ſeq Gothis petentibus Epiſcopos magiſtros fidei, ſubmiſit Arianos, unde illi corrupti. 362. 2.

Valerianus Imp. triennio Chriſtianos perſequitur 203 1. rebellantibus variis provinciis ſiſtit perſecutionẽ ibid. Sapori Perſæ pro ſcabello pedũ ſervit, gaudẽte filio Gallieno 204.

Vandali magis Baltici accolæ 394 2. Bohemiam & Danubium occupant. 390. 1 Evocantur in Gallias à Stilicone populari ſuo. 396. 1. Moguntiam & Wormatiam delent funditus 402. 2. Spirenſes & Argentinenſes in Germaniam transferunt. ibid Eorum mores, & hæretica Religio, 401. 2. In Belgicam ſecundam movent contra Conſtantinum Tyrannum 404. 2. Morinos, Attrebatenſes, & Tornacenſes in Germaniam tranſportant ibid. Cæduntur à Conſtantino haud procul Cameraco 405. 2. victi in Aquitaniam fugiunt ibid fiuntque tributarii Conſtantino. 408. 2. Vaſtant totam Galliam. 416. 2. & in Belgica prima Rhemos. 418. & ſeq. Laudunum fruſtra obſident 419 1. Treviros capiunt & exſcindunt 424 2. an etiam Tungros? 425. 1. Viginti millia cum Rege Godegiſclo cæduntur à Francis Armoricis. 428 1. Treviri ab iiſdem eſſiciuntur. 430. 2 Regnum illorum 123 annorum inchoatur à Gunderici R. primo anno, uſque ad Gilimeris interitum 430 1. & 2 Reliqua illorum vide Genſericus.

Ubii vide Colonia Ubiorum.

S. *Vedaſtus* S Lupi Trecenſis Nepos Tulli à Clodovæo in Catechiſtam aſſumitur. 581. 1. Attrebatenſibus datur Epiſcopus à S. Remigio. 585. 1. & ſimul Cameracenſibus. ibid.

Velleda Virgo Bructera Vatidica, magna inter ſuos auctoritatis ob cladem Vari prædictam. 177. 1. è turri editâ ipſa inacceſſa reſponſa dabat, 177 2 & ſeq Prætorianam Rom. triremem captam Germani ipſi donarũt. 182. 2. Captiva Romam ducitur ad Trajanum. 179. 2.

Veſpaſianus in Germaniâ & Britanniâ triginta, conſligit & vincit. 146 & ſeq Vaticinium de Chriſto ſoli Oriente ipſi applicatur 170 2. Judæos ideo rebellantes biennio domat. ibid ab exercitu & Regibus Orientalibus appellatur Imp. ibid. per Cerealem, Batavos, Gallos, & Germanos compeſcit. 178 & ſeq in Jul Sabinum Gallorum rebellantium ducem 9 annis ſub terra cum conjuge latentem ſævit. 186. 1. imperat 10 annis. 187. 2.

Vetera, hodie Santen vel Byrten in Clivia ædificatur à Druſo. 43. 1. Statio legionum Quintæ & undevigeſimæ ibid quæ ibi tumultuantes caſtigantur. 108. 2. obſidentur a Batavis rebellantibus ſub Veſpaſiano. 176 1. fame preſſæ dedunt ſe, & Batavis junguntur. 177. 1. contra fidem datam cæduntur. ibid. Batavi Treviri cæſi ad Vetera biduo conſligunt cum Romanis, cæduntur a tranſfuga proditi. 181. 1. & 2.

Vetranio in Pannoniâ purpuram ſumit contra Conſtantium. 283. 2. hujus eloquentiâ exercitu & purpurâ ſpoliatur. 284. & ſeq in operibus Chriſtianæ pietatis conſeneſcit. 285. 1.

Viæ militares ab Auguſto Bavaco Nerviorum deductæ ſunt octo. 31. 1. à Brunechilde ante annum Chriſti 600 reſtauratæ ibid ab Agrippa Lugduno Galliarum quatuor, ad Rhenum, Oceanum, Maſſiliam, Aquitaniam 22. 2. alia Baccharaco à Rheno Treviros ducta incerto auctore. 358. 2

Victorinus Tyrannus optimis Impp. par, impar continentia à gregario milite occiditur Coloniæ Ubior. cujus uxorem violaverat. 208. 1. Victoria mater ipſius Mater Caſtrorum dicta. ibid 2.

S *Victor* cum 330 ſociis pro fide Chriſti Troiæ ad Rhenum occumbit. 224. 1.

Vinea à Probo Imp. conceſſæ Gallis, Hiſpanis, Britannis. 219. 2. Strabonis tempore ſeu Tiberii vinum non crevit ultra 45 gradum ſeu Lugdunum Galliarum. ibid. erunt ultra quinquageſimum. ibid.

Virgilius Poeta moritur anno quo Deipara Virgo naſcitur. 33. 1. Ecloga ipſius Pollioni inſcripta Chriſto naſcenti accomodatur à Conſtant. M 10 Conc. Nicæno. 76 & ſeq

Ultrajectina Diœceſis limites, Decanatus, Parochiæ, 606 & ſeq. à S. Willibrordo inſtituta. ibid. 1. Anno 1559 Archiepiſcopalis facta, & quinque Epiſcopatus, novi illi ſubditi. 607. Harlemenſis, Lewardienſis, Groningenſis, Daventrienſis, Middelburgenſis ibid. Nunc omnes ferè hæretici. 608 1.

S. *Urſula* Martyrium antiquiſſima Colonienſium traditione ſub Alexandro Severo contigit. 202. 1. an ad Maximi Tyranni è Britannia egreſſum referri poſſit? 369. 2. an ad Attilam? 512. 1.

Wallia Gothorum Rex poſt Ataulphum. 446. 1. pugnat pro Rom. contra Alanos & Vandalos in Hiſpaniâ. 460. 1. unde illi Aquitania datur. ibid moritur. 462. 1.

Wormatia olim Borbetomagus Vangionum longâ obſidione deletur à Vandalis Imp. Honorio. 402. 2 Ejus Epiſcopi ſæculo quarto. 533. 1.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE

In fine Epiſtolæ ad Lectorem, lineâ ante finem quinta : anni diſcuſſa, *lege* amicè diſcuſſa.

Pagina ultima termonis b in teſtimonio Auguſtini : Nec pipegit me, *lege* Nec pigebit &c.

Pag. 17. in titulo cap VII pro 108 & 109 *lege* 708. 709.

Pag. 28. col. 1. §. 9. expeditionem, *adde*, in Britanniam.

Pag 44. §. 15. charitantibus, *lege* charitibus.

Ibid. col 2 §. 3. ad illam, *adde*, ad cauſam illam adjunctis.

Pag. 51. §. 3. Oceanum, *lege* Oceani.

Pag 86. col. 2. in marg. Rheno, *lege* Rhodo.

Pag 83. col. 1. lin 29. initio, *lege* invito.

Pag 85. fin. qui, *lege* quem.

Pag. 96. col. 1. fin. fuiſſe putant, *lege* putat Deckerius noſter.

Pag. 108. col. 2 lin, 4. fides, *lege* fidens.

Pag. 135. § 3. lin. 10. viceſima ſecunda, *lege* viceſima tertia.

Pag. 158. §. 2. vox rebarder, *lege* vocem.

Pag 167. fin. Othonem, *lege* Piſonem.

Pag. 191. col. 2. lin. 30. tolleretur, *lege* torreretur.

Pag. 209. col. 2. § 4. lin 21 pro cifra 34, *lege* 234.

Pag 213. col. 2 marg. Galba, *lege* Galla.

Pag. 224. col. 2 in marg. Fauſtam, *lege* Theodoram.

Pag. 257. col. 2. lin. 5. ſæculis, *lege* annis.

Ibid. §. 8 lin. 7. paulò infra, *lege* ſuprà.

Pag. 267. col. 1 priore Helena, *lege* Minervinâ.

Pag 274. lin 8. durandi, *lege* dominandi.

Pag 377. § 9. lin. 10. ventus, *lege* ventris.

Pag. 433. §. 2. eraſent, *lege* eraſerit.

Pag. 437. col. 1. §. 8. lin. 23. litâ, *lege* ſolitâ.

Pag. 530. col. 11. §. 2. lin 12. an poteſtatè, *lege* tam potentem.

Pag 544. in tit. Cap. IV. Amandi, *lege* Arvandi.

Pag. 558. §. 5 fin. abſimilis, *lege* abſimile.

Pag. 614. col. 2. lin. 2. ritu, *lege* riſu.

Cetera minutiora facile per ſe Lector advertet.

Inſerenda ad Caput XIII. Lib. VIII.

Pag 258. col. 2. ad finem § 4. adde : Lectorem tamen moneo, non deeſſe, qui fabuloſæ narrationis iſtius auctorem alium ab Henrico teneant. Nec ego moror; dum impetrem Nervici nominis poſſeſſionem hanc recentiorem, circa hos reſtituendi Epiſcopi annos, non ante, cœpiſſe, ut fuſius in Anacephaleoſi noſtrâ demonſtro.

De quo ne plura, dicam, quicumque demùm narrationis iſtius auctor ſit, credo neminem ei Philippum ab Eleemoſyna, &c.

Ibid poſt lineas tres, diſertè vocat. Sed neque S Bernardus ipſe, gnavus Sedis Tornacenſis inſtaurandæ procurator, licèt fabuloſa iſta audiens, tantam nominis Nerviorum Tornacenſibus aſſerendi occaſionem nactus eſſet, quippiam tamen eâ de re dicit, argumento non obſcuro, nullam ejus rei tunc opinionem paſſim fuiſſe : ſed potius ut Tornacenſes pro Menapiis, ita Hannonios, diœceſimque Cameracenſem pro Nerviis habitos Philippus Abbas certè Elnonenſe quoque ſeu Amandinum Monaſterium, Tornaco, &c.

FINIS.

LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

HENRICI ET JOANNIS MATHIÆ HOVIORUM,

Sub ſigno Paradiſi Terreſtris.

A01 1470227

G.68